Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
19 D
36

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-7-H-29

48. 7. 12.

48
a
12.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA, ET QVAESTIONES AD S. THOMAE AQVINATIS DE ENTE, ET ESSENTIA TRACTATVM.

Quibus, & quæ omnia difficiliora tota penè ARISTOTELIS Metaphyſica tractari ſolent, examinantur, (vt ex Quæſtionum, ac Dubiorum Indicibus, quos priora ſolia exhibent colligere erit,) & ipſius B. DOCTORIS litera, & quæ in eius gratiam CAIETANVS Cardinalis olim ſcripſit, ab omnibus, tum vero præcipue recentioribus, qui hæc, & illam hactenus impugnarunt, propugnantur.

Auctore

FRATRE RAPHAELE RIPA VENETO Ordinis Prædicatorum.

Cum triplici Indice, nam ijs qui nominati ſunt, tertius rerum notatu dignarum in fine acceſſit.



ROMÆ, Apud Aloyſium Zannettum. MDXCVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Di Monsig. Coccino

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

13.19.D.36

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. MEO, D. F. HIERONYMO BERNERIO CORRIGIENSI, S. R. E. CARDINALI AMPLISS. ASCVLANO NVNCVPATO, TITVLI S. MARIAE SVPRA MINERVAM, Ex ordine Prædicatorum aſſumpto.

FRATER RAPHAEL RIPA VENETVS Eiuſdem Ordinis, optata ſæcula.

EXTAT magni illius Areopagitæ de Diuinis Nominibus celebre dictũ, Deum videlicet opt. max. omnia in ſe conuertere, quoniam profectò rebus vniuerſis eſſe donauit, nam quæ omnia cernimus, cauſas ſuas, principia ſua, fontes ſuos ſpectare non ignoramus. Ita fluuij mare, tempus æternitatem, quæ lucem, & calorem obtinent, Solem, ac ignem intuentur. Cumque alicui benefacientem, eius in quem officium confert cauſam eſſe acceperimus, propterea hunc ad illum beneficij recordatione, & gratiæ referendæ voluntate communis parens natura conuerti docuit. Siue autem cauſa opus, quod ex ea prodierit ad ſe trahat, ſiue res effecta ipſa per ſe originem ſuam aſpiciat, (hoc enim, & illud rectè dici putauerim,) cum tu Cardinalis, & Princeps modis omnibus maximè tot, tantisque beneficijs me ad te iampridem allicceres, ipſe quoque grata memoria me totum ad te conuertebam. Quamuis etenim Heſiodium illud à doctis commendatum, quo eadem menſura, quæ acceperis reddere iubet, aut etiam ſi queas cumulatiore perficere non poſſem, dum tamen quæ in me conferebas officia grato animo acciperem, primam ti-

Digitized by Google

bi, ſi vera ſcripſit Seneca ſecundo de Beneficijs penſionem ſoluebam. Quocirca cum beneficium, & benefacti memoria ſe mutuo reſpiciant, illud maxime dolebam, quod tuæ in me promerita, omnibus notiſſima cum eſſent, meum erga te ſtudium ipſe ſolus, aut certe pauci agnoſcerent. Quod ſi Titus ille clariſſimus Imperator, inter cœnam aliquando recordatus, quod nemini ea die beneficus fuiſſet, vocem illam omnium ſæculorum prædicatione digniſſimam emiſit; Amici diem perdidi, acerbe ſcilicet ferens, quod eam liberalitatis non præſtitiſſe, quot dies, & annos totos inanes, ac moleſtos ipſe traducerẽ, qui tot accepta beneficia non modo numquam, quod debiti erat, compenſare, ſed neque gratũ me illis exhibere potuiſſem? Verum Commẽtaria hæc, & Quæſtiones ad ſancti THOMAE DE ENTE, ET ESSENTIA tractationem iamdiu incœpta, ſæpius intermiſſa, non mediocribus animi contentionibus abſoluta, nunc demum in ſolem procedentes, mihi auctori ſuo non ingrata, id ſolatij fortaſſe dabunt, vel ſaltem in eo plurimũ laborabunt, vt meam hanc in te obſeruantiam teſtatiorem omnibus faciam, quippe quos in eam ſententiam libenter ituros crediderim, vt dicant, memoris animi eſſe, cui multum debeat, eidem plurimum velle debere, & cum quæ debeat non poſſit, ſaltem quæ poſſit, velit. At duo illa tuorum in me beneficiorum immortalium, quaſi omnium capita nobiliſſima in præſentia memoraſſe ſufficiat; Alterum, quod HIERONIMVM BERNERIVM, Sororis filium, magnæ & præclaræ indolis adoleſcentem, tibi omni iure chariſſimum, mihi olim erudiendum commiſeris; Alterum, quod me nihil tale cogitantem, lectiſſima Aula tua exceptum, benignitatis, & liberalitatis tuæ argumenta quotidie velis experiri; Pro quibus, cum meum non eſſe videam, vt ullas umquam tibi gratias referam, quod in me eſt libentiſſime complexus, maximas frequenter ago, maiores ſemper habeo. Ipſe viciſſim quod his ingenij mei fœtibus debeo, dum eos fidei, & clientelæ tuæ committo, cumulatiſſime perſoluo; Nam ſi ſeruarum nobilium, armorumque illuſtrium libertati egregie conſultum celebres Auctores indicarunt, propterea quod Cæſaris nomen illarum colla ornabat, hæc autem ſtrenui Ducis notis munita incedebant, quid ſibi ſcripta hæc timeant, quæ CARDINALIS ASCVLANI, (id dixiſſe ſatis) auctoritas protegat, & tueatur? Quamobrem ipſis domeſticos iam parietes relinquentibus, & pleniſſimum Vrbis, & Orbis mercatum adeuntibus, nihil fuit antiquius, optatiusue, quam ad ampliſſimas tuæ AQVILAE grandis alas confugere. Grandis profectò es Cardinalis virtutibus, meritis, honoribus,

noribus,

moribus, auctoritate. Grandis, quoniam quæ in homine uere commendanda ſapiens quiſque intellexit, excellentiſſima ſemper in te fuerunt, morum uidelicet integritas, uita innocentia, ſcientiarum omnium ornamenta, ſingulare uera fidei tuenda ſtudium, perpetuum cum hæreticis bellum, & odium dixerim implacabile, incredibilis in eos inquirendi ob demandatum publice munus ſolertia; quibus commotus SIXTVS V. *Pont. inter optimos maximus, & inter maximos optimus, ubi te Aſculanæ Eccleſiæ præfeciſſet, id uirtuti tuæ parum arbitratus, cum in Sacrum Collegium mox adſciuerit, quanta cum dignitate dignitates iſtas retineas, quam forti, & pia Gregis tibi crediti ſolicitudine tenearis, quis tibi rerum omnium uſus, qua prudentia optima quæque proſpicias, qua uerborum, & ſententiarum grauitate ea ſuadeas, nemo non miratur, ut maximum ſemper quid dicas, quid ſentias, apud omnis auctoritatis uiros, & principes, in conſeſſibus illis, quibus nullum habet orbis auguſtiorem pondus obtineat. Grandis, quoniam in excelſa grauiſſimarum Sanctiſſimæ Inquiſitionis, & Indicis Congregationum ſpecula conſtitutus, (taceo difficillimam illam, ac penè infinitam negotiorum molem tibi cum alijs omnibus purpuratis Patribus communem, quibus Reipublicæ Chriſtianæ ſumma continetur,) nullas à præclaris, & publicis actionibus tibi ferias declarans, omnia Catholicæ Religionis conſeruatione, incorruptaque partium tuarum adminiſtratione ducis poſteriora. Cæterùm immenſum laudum tuarum mare amplitudinem tuam alloquens non curram, nam quia immenſum, non ualeo, quia laudum tuarum, nolo; mihi enim teſtis ipſe ſum, quam moleſte laudibus tuis aures præbeas, quippe qui ſemper in rebus præſtantiſſimis gerendis, quam in ijs quæ geſſeris audiendis ſis occupatior, & qui in maximo gloriæ curſu, à gloria abeſſe quodammodo glorieris, nullum theatrum conſcientia glorioſius æſtimans, ad ſolidam, ueramque generis omnis laudem magis, magiſque comparandam, non comparatam accipiendam uehementiſſima quadam animi impetu propendeas. Id unum dicam, quod mihi ſæpiſſime cogitanti, & memoria repetenti incredibilem affert uoluptatem; Si uidelicet princeps ingenij, ac doctrina Ariſtoteles, Aquilam multos Solis anfractus, reditusque uidere, ex nidi diuturnitate nono de Animalium hiſtoria collegit, quot Lunæ acceſſus, & receſſus, quot Stellarum circuitus, quot Cæli conuerſiones* AQVILA BERNERIA *ſpectabit, cuius mille in Deũ, Aedeſque ſacras pietatis, in homines bene inſtitutos, & vel mediocris*

nominis

nominis literatos humanitatis egregia argumenta, (iucundiſſimum terræ, ac Cælo nidum) æternitas ipſa intuebitur? ut eius nomini florentes illos, & beatos fines, quibus finis numquam ſit futurus non dubitanter promittant. Reliquum eſt humaniſſime Heros, ut cogitata hæc mea tueri non graueris, ita enim, non tam meam, quam gemini illius THOMAE, AQVINATIS nimirum, & CAIETANI, de quibus te magnifice ſentire non ſum neſcius, quorumque laudes omnium in omne æuum ſcriptorum ingenia fatigaturas crebris tuis uſurpatas ſermonibus audiui, doctrinam ſeruabis: Hoc enim opere toto pro ipſis pugno, hæcque mihi à principio mens, hoc conſilium, ac propoſitum fuit, ut uera utrinſq; dicta ab omnibus, qui eis parum fauent penitus uindicarem. Difficile onus fateor, utinam pulchrum, quemadmodum contra pulchra, difficilia nobilis auctor Plato, libro qui Hippias maior inſcribitur memoriæ prodidit. At difficiliora pro ueritate ſubeunda, quæ, & ipſe ſi ætate proceſſero, in altum longius inuectus, cæleſti numine, lenitatiſque tuæ aura fæliciter aſpirante, haud diu cunctatus ingrediar, & plenioribus fortaſſe uelis ad te Dominum meum remigabo. Interea num hæc pro dignitate ſuſtinuerim, an uerius ei ſucubuerim, tuum in primis doctiſſime Princeps, & aliorum deinde eſto iudicium; Fateor enim, & uere, ac ex animi ſententia fateor, te eorum quæ hic à me poſita ſunt, non magis patronum, ac defenſorem, quam æſtimatorem, & iudicem aptiſsimum delegiſſe; Quamobrē ſi ea tibi uel mediocriter probari intellexero, glorioſum mihi non harum modo uigiliarum, ſed totius uitæ ſuperioris fructum uidebor conſecutus. Vale Cardinalis, & me ſeruulum tuum ſub AQVILAE tuæ alis, Prædicatoriæq; Familiæ alumnum in SPATIIS illis tuis albis, & nigris, quæ eam apte deſignant, (à quibus licet dignitate maximis itineribus pridem auolaueris, tuo nihilominus, eiuſdemque Familiæ ſplendore ſingulari, in omni uita nec minimum deflectis) conquieſcentem, ac ſubinde te, tuaque numquam non ſuſpicientem, perge benignus intueri. Romæ, ex Aedibus tuis, Idibus Decembris, MDXCVIII.

AVCTOR LECTORI.

HAS Quæſtiones, & Commentarios ad D. Thomæ Aquinatis de Ente, & Eſſentia contemplationem communi hominum luce donanti, tibique amice Lector ſpectãdos proponenti, tria mihi viſa ſunt familiari colloquio præmittenda, vnum, quod ad me ipſorum auctorem pertineret, alterum, quod opus ipſum reſpiceret, tertium, quod tua intereſſe iudicaſſem. Ego ſane vbi in clariſſimam D. Dominici Sodalitatem ſingulari in me Dei beneficio nomen dedi, optimarum artium ſtudia domeſticis excitatus exemplis, & ipſa hortante natura aſſidue colui, multoſque viros grauiſſimos de Dialectica, Philoſophiaque Naturali, ac Diuina, & ſacra Theologia tum veteres, tum recentes præclare meritos, cum accurate quantum in me eſſet luſtrarem, doctrinam tamen Angelici Doctoris, eiuſque illuſtriſſ. Interpretis Caietani Cardinalis, quam auidiſſime peruolutabam, ex quibus omnis eruditionis fontibus arbitratu meo hauriens, quaſi diuturnam ſitim explere credens, quo pleniores hauſtus ſugebam, eo ardentiori ſiti tenebar: Quod ſi Dario in fuga ſitienti, aqua turbida, & cadaueribus inquinata, iucundiſſima potio fuit, quantum letitiæ mihi tanta ſiti æſtuanti afferret, ad eos, quos nominaui fontes bibere, vnde nihil non purum, & liquidum me haurire intelligebam? Poſſem hoc loco euagari latius, & quaſi aperto mari inuectus, vtrumque THOMAM laudibus ampliſſimis celebrare, eoſque Prædicatoriæ Familiæ decora ſingularia, ſeculi ornamenta, bonarum artium lumina, Scholaſticæ Theologiæ firmiſſima præſidia, omniſque virtutis, & eruditionis domicilia, vere, ac meritiſſimo appellare. At eorum gloriam, excelſo, & illuſtri loco ſitam, vbique jam diſſeminatam, nullo alienæ prædicationis lumine egentem, ſed omni omnium laudatione maiorem, ſatis ipſam per ſe in omnium oculos incurrentem, omniumque aures complentem, quid coner ego in his ingenij, loci, temporis anguſtijs illuſtrare? Eorum profecto fama numquam conſeneſcet, ſed quotidie magis, magiſque virebit, memoriamque ipſorum omnes excipient anni conſequentes. Hos ego primarios habuiſſe magiſtros immortaliter in Domino gloriabor, nam quibuſdam Dialecticæ, & per paucis Philoſophiæ naturalis initijs, Peregrino Zagatto Adrienſi lectore in primis erudito, qui Baccalaureus deinde, & Dalmatiæ prouinciæ clauum ſumma cum laude tenens naturæ conceſſit, vtcumque imbutus, ad horum ſcripta quotidie terenda, & euoluenda me totum conuerti. Et quamuis viros Familiæ noſtræ celebratiſſimos in duabus illis toto orbe florentiſſimis Academijs, Patauina ſcilicet, & Bononienſi paucis quibuſdam, & interruptis lectionibus nonnumquam audirem, ſemperque aliquid ex eis libarem, qui tamen puer à Cicerone ſecundo de Oratore didiciſſem, numquam clariſſimos hos riuulos adeo conſectabar, quin prius clariores fontes adijſſem; quamobrem quæ omnia argumenta illi tractabant, & publicis litterarijs certaminibus antea expoſueram, & diſcipulis ipſe meis tradideram. At vero me in aſſidua librorum multorum euolutione defixum, & facile intuentem, quam multi, & recentiores præcipue, D. Thomæ, & Caietani doctrinam paſſim reſpuerent, & permultas huius, & illius ſententias funditus euertere molirentur, aſpicientem præterea, in eorum argumentis, licet ingenioſis, & minime neglectui habendis, non tantum ponderis, vel auctoritatis ineſſe, vt

ſe, vt

ſe,vt me ab ea doctrina,cui tantopere ſeruiebam abducerent,veruntamen non raro expertum,quoſdam ex noſtris,& alios complures machinis illis ita premi, vt illi à Caietano,iſti ab Aquinate,quos forſan vtrique ex animo ſequerentur, penitus recedant, ea me totum habuit ſolicitudo, vt D. Thomæ doctrinæ, & eorum, quæ pro ea ſcripſit Caietanus firmitatem, & ipſis aduerſantium infirmitatem omnibus patefacerem. In hac cogitatione poſito, cum multa B. Doctoris ſcripta occurrerent, animo huc, & illuc diu fluctuante, ab opere illo, quod de Ente, & Eſſentia inſcribitur, mole quidem exiguo, at virtute peramplo, adoleſcentiam nondum egreſſus, lucubrationum mearum initia ducens, (vt vel hoc vno Caietanum illum, quem numquam non admiror è longinquo imitarer,) quæ in eo vterque habet THOMAS dilucidanda, & pro viribus tuenda cum ſuſcepiſſem, longius res ducta eſt quam putaram, graues enim occupationes conatus meos ita alio diuerterunt, vt multorum integro menſium ſpatio non raro ab incœpto ſuperſedendum fuerit, cui etiam cum duos prope iam annos manus extrema acceſſiſſet, ne tamen medium in agmen antea proceſſerit, alia obſtiterunt.

Iam vero, quod ad ipſum attinet, id ei non tribuo, vt omnibus placere debeat, quod enim nullus adhuc auctor quantumuis excellens obtinuit, ſi ipſe mihi de me pollicerer, inani quadam arrogantia merito damnarer; Vt enim eadem ſcripta omnibus arrideant, optare forſan licet, ſperare non licet, & ijs à nemine opponi crediderim, qui nihil omnino ſcripſerint, nam varijs varie affectis, res alias, atque alias videri neceſſe eſt. Quodque à Platone in Sophiſta audiueram, re ipſa intellexi, & ſapiens quiſque intelliget, vere nimirum ſcito prouerbio dici, Omnes laqueos effugere, difficile eſſe. Nec tamen quicquã incommodi vigiliæ iſtæ patientur, ſi eas acerrime impugnari contingat, cum nihil ſit cuiquam dolendum in eo quod accidat vniuerſis. Immo vero glorioſe cum ipſis agi putabo, ſi quæ aduerſus illas quiſque cogitauerit, mihi quandiu in vita ſum, verbis, literiſuè ſignificet, aut publicis monumẽtis conſignet, vt me loquente, aut rurſus ſcribente, vel ipſe in meam, vel ego in eius adducar ſententiam; Non enim aliquando offendiſſe, ſed vbi offenderis, cæca quadam pertinacia nolle emendari, vitio tribuitur, cum illud à quotidiana hominum conditione, hoc à proprio cuiuſque crimine, & temeritate proficiſci videatur. Quod ſi quis longitudinis nimiæ, & cuiuſdam penè vaſtitatis eas accuſet, facere id non poteſt, quin eadem opera, excellentiſſimos huius præcipue æui ſcriptores, qui ante me quæſtiones, & dubia quæ texui verſarunt, temere damnet, nam eorum veſtigia, huius ætatis curſum, Ariſtotelis primo de Cœlo particula 101. conſilium, ad extremum quod mihi initio propoſueram ſpectans, quid ipſi, alijque voluerint, afferendum, examinandumque exiſtimaui; neque enim poſteros noſtros, quibus plures auctorum ſenſus erunt adducendi, excipiendi, repudiandi, propterea non ſcripturos putauerim. Latiores tamen quæſtiones articulis varijs diſtributas volui, quos tamquam certas itineris manſiones ſibi qui legeret præfinire, ac in illis conquieſcere poſſet. Cuique etiam articulo titulus appoſitus eſt, hinc ſi quis igniculorum illorum, quos natura parens nobis ingenuit adeo ignarus accedat, vt quid alijs placuerit, quonamuè pacto eorundem ſententiæ confirmentur, & debilitentur, ſcire non deſideret, paginas multas omittens, lectionis curriculum perbreue ſibi reddere poterit. Et ſi tanto breuitatis ſtudio teneatur, à multis eorum, quæ præfationis loco ante literæ explicationem meditatus ſum poterit forſan abſtinere, cum huic tracta-

tioni

tioni non ſint vſque adeo neceſſaria, quippe quæ eo potius conſilio tulerim, vt non modo iſtis, ſed & quibusvis alijs, quæ aliàs fortaſſe ſcribam, præuia eſſe poſſint.

Tu itaque Lector optime accipe qualecumque hoc ſtudiorum meorum ſpecimen, in quo dum vbique auctores varios offenderis, eas ſæpius locorum notas adiectas videbis, quibus minimo negotio quæ cupies inuenies, nec erit cur pro verbo nonnumquam inueniendo plurimas libri facies euoluas. Id vero fixum in animo tuo, ſtabilitumque ſit, me nullum auctorem animo vmquam detrahendi nominaſſe, vtpote qui ſingulos pro cuiusque meritorum dignitate magna proſequar reuerentia, ſed id propterea factum, & pleraque ipſorum verba dum res poſtulabat allata exiſtimes, vt videres, me nihil cuiquam falſo tribuere, & tibi patefactum eſſet, quomodo quæ ipſe tractarem, ſi mea minus ſufficerent, minusvè grata eſſem, aliunde petere poſſes. Fateor tamen, à quibuſdam vitam hanc agentibus nominatim exprimendis, (quo ductum conſilio prope eſt vt ignorem, affuit certe bona voluntas) me aliquando abſtinuiſſe, nihilominus ijs notis eorum loca indicaui, vt facile ipſos dignoſcere queas. Dum autem plura Ariſtotelis dicta, nulla textus, captisvè mentione habita inueneris, ſemper ibi textũ intelligito. Dumque perſæpe tibi occurret Alenſis, in mentem veniat Alexander de Alexandria, hunc etenim nobiles illas, & elaboratas, quas in duodecim libros Diuinorum Alenſi tribuunt explicationes edidiſſe, firmiſſimo pridem argumento commonſtrauit Aquarius poſtrema ad poſtremum eorundem dilucidatione, & certiori ipſe indicio à viro D. Franciſci Familiæ pio, doctoque accepi, in quo ſuadendo, cum omnium penè animis iam inſederit quid eſt cur detinear? Quare me rerum nouarũ minime cupidum, vt alios in hoc locutum accipito. Quod ſi in lectionis decurſu permultas voces obuias habueris, quas puriores, & politiores optares, adeas rogo Ciceronem illum bene dicendi magiſtrum, ſub initium tertij de Finibus, & diſces, artificem quempiam, vel ipſum agricolam, tum vero præcipue Philoſophum, nouas, & inuſitatas, pro nouis, & inuſitatis rebus explicandis poſſe voces inuenire. Immo vero libro de Oratore, philoſophorum, qui etiam ornate locuti ſunt ſermones, orationes, & eloquentiam, ab Oratoris eloquentia ſeiungit. Nec quæſo Philoſophorum, & Theologorum nomina, quæ Ciceronem non ita oleant, barbara mox appelles, ſi enim voces illas, quæ eidem Ciceroni, & alijs magni nominis rethoribus placuerunt, pulchras, & concinnas merito habeas, cur vomitionem eas dicas concitare, quas viri innumerabiles omni doctrina, & ſanctitate longe clariſſimi frequentiſſime vſurparunt? Vale quiſquis Lector acceſſiſti, & ſi quid boni in his lucubrationibus nactus fueris, id à Deo omnium bonorum auctore agnoſce, ſin minus, ingenio, & ætati ignoſce; Veruntamen noli eas antea damnare, quam reprobes; pulchre enim dicebat Hoſpes ille in Sophiſta apud Platonem, alicuius ſententiæ non credentem, eam reprobare debere, quod ſi non valeat, eouſque credere, donec contradicere poſſit. Si quid demum in ipſis apud te promeritus fuero, Virgini illi, & Matri ſanctiſſimæ dicito nomine meo, Aue.

F. Paulus

Frater Paulus Iſareſius Mirandulanus, Sacræ Theologiæ profeſſor, & in Romana Curia totius Ordinis Prædicatorum Procurator, ac Generalis Vicarius.

CVM fide dignis referentibus, & ijs potiſsimum, quibus hoc muneris demandauimus, nobis in aperto ſit, te R. P. F. Raphaelem Ripam Venetum noſtri Ordinis Prædicatorum, Artium, & ſacræ Theologiæ Lectorem, atque Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſsimi D.D. Cardinalis Aſculani Theologum, egregia Commentaria, & peracutas queſtiones in aureum S. Thomæ Aquinatis de Ente, & Eſſentia Opuſculum adidiſſe, quaé ſi in lucē prodeant, vtriuſq. Sophiae ſtudioſis non mediocriter profutura, illi teſtentur, noſque hoc ipſum eo certius teneamus, quod eruditionem tuam non vulgarem ſatis perſpectam aliàs frequenter habuerimus. Nedum eorum impreſsioni, quantum ad nos attinet aſſenſum libentiſsime praebuimus; uerum ne & bonarum literarum profeſſoribus, & noſtræ Religionis ſplendori, (quem huiuſmodi fructibus diuinae Sapientiae ancillas quotidie uocantis ad arcem oblatis, collucere maxime conſtat) deeſſe, minusuè grati uideamur; Harum ſerie, noſtri authoritate officij, tibi præfato R. P. Lectori Theologo ſub praecepto formali in uirtute S. Obedientiae mandamus, ut ſeruatis aliàs ſeruandis, praedicta Cōmentaria, & Quaeſtiones publicae utilitati exponendo, Typis mandari facias. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem, his ſigillo noſtro munitis, manu propria ſubſcripſimus. Dat. Romae, die XXVI. Iulij. 1597.

F. Paulus qui ſupra manu propria.

Imprimatur.

P. Epiſcop. Rauellen. Viceſg.

Imprimatur.

F. P. Ioan. Saragoſa Promag. S. P.

Index

INDEX QVAESTIONVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Ad Præfationem Auctoris.

NVM ſcientia accipiat vnitatem à ſuo ſubiecto. 12
Num ſcientiæ mediæ ſint magis mathematicæ, an naturales. 25
Nũ ſcientia naturalis ſit vna genere, vel ſpecie. 27
Num ſubiectum contineat veritates ſuæ ſcientiæ. 33
Num ſcientia de ſubiecto ſuo ſupponat quid, & quia. 35

Ad Proœmium Operis.

Num ens ſit primo cognitum ab intellectu noſtro. 55
Num ab intellectu humano percipiatur ſingulare. 90
Num ſint eadem nota nobis, & naturæ. 123

Ad Primum Caput.

Num priuationes, & negationes habeant aliquod eſſe reale. 139
Num ens immediate ſignificet ſubſtantiam, & accidens. 149

Ad Secundum Caput.

Num ens dicatur analogice de ſubſtantia, & accidente. 194
Num ſimplicitas dicat perfectionem ſimpliciter. 229
Num materia ſit pars quidditatis entium naturalium. 237
Num materia ſit principiũ indiuiduationis in materialibus. 254

Ad Tertium Caput.

Num genus, & differentia diſtinguantur realiter. 343
Num genus de differentia prædicetur per ſe. 359
Num conceptus ſpeciei componatur ex illis generis, & differentiæ. 368

a *Ad Quar-*

Ad Quartum Caput.

Num tranſcendentia conueniant rerum naturis abſolute. 409
Num naturæ ſecundum ſe inſit vnitas, an pluralitas. 429
Num vniuerſalia extra animam exiſtant. 451
Num ad intellectionem requiratur expreſſa ſpecies. 487
Num pro pluralitate hominum ſit pluralitas intellectuum. 521

Ad Quintum Caput.

Num Intelligentiæ compoſitæ ſint ex materia, & forma. 602
Num quauis potentia poſſit eſſe materia ſine forma. 619
Num in quauis ſubſtantia creata diſtinguatur realiter ſuppoſitum à natura. 645
Num poſſint vlla potentia plures Angeli vel Intelligentiæ eſſe ſub eadem ſpecie. 662
Num Philoſophi agnouerint Intelligentias habere eſſe à prima Cauſa. 679
Num in omni ente creato differat realiter eſſe ab eſſentia. 694
Num Intelligentia vniatur Orbi vt forma. 713

Ad Sextum Caput.

Num Deus ſit in genere. 754
Num diuina attributa ratione ſolum diſtinguantur. 766
Num anima intellectiua fiat hæc ex vnione ad corpus. 796
Num quidditatiue agnoſcamus entia abſtracta. 804
Num intelligentiæ ſint in prædicamento. 833

Ad Septimum Caput.

Num, & quam definitionem habeant accidentia. 885
Num in compoſito ſit vnica forma ſubſtantialis. 895
Num materia ſit ſubiectum accidentium. 918
Num ſint eadem accidentia viui, & mortui. 941
Num poſſit à ſubiecto propria paſſio ſeparari. 960
Num accidens aliquod proprium ſubiectum habeat. 968

Index grauiorum Difficultatum, ſub Dubitationis plurimum, nonnumquam etiam Annotationis ſpecie definitarum.

AN. intentio differat à ſubiecto. 4
An præter ſubiectum principale, & adæquatum detur aliud. 7
Cur non omnia prædicata conſideret ſcientia de ſuo ſubiecto. 10
An ſubiectum neceſſario habeat partes. 11
An abſtractio ſit ratio formalis, an conditio diſtinctionis ſcientiarum. 15
An abſtractio det vnitatem etiam ſpecificam ſcientijs. 18
An vnitas ſcientiæ proueniat etiam ex principijs, & ex modo definiēdi. 22
Quomodo Theologia probet ſubiectum ſuum. 39
Cur D. Thomas tertia par. quæſiuerit conuenientiam Incarnationis, omiſſa poſſibilitate. 41
An conciliatio Fonſecæ inter D. Thom. & Scotum de primo cognito apta ſit. 64
An aliorum ad idem conciliatio. 65
Quomodo intellectui de potentia ad actum procedenti, prius occurrat ſemper actus imperfectus. 68
An ens aſſignatum à Caietano ſit primo à nobis cognitum. 77
An valeat, hoc ſingulare non intelligitur, quia materiale, ergo neque vt ſingulare. 96
An in via D. Tho. poſſit ſuſtineri, ſingulare directe à nobis cognoſci. 102
An practicus intellectus, cognoſcens reflexe ſingulare, poſſit ſufficienter mouere voluntatem, vt ſingulare illud directe velit. 107
Quid ſit notius natura, ac ſecundum ſe. 125
Vnde ſumatur prædicamentorum diſtinctio. 134
An poſſit quis diſtinctius nominare, quam conceperit. 136
An differat Soncinas à Caietano in vnitate conceptus entis aſſignāda. 163
An poſſit ab analogo abſtrahi conceptus vnus ſimpliciter. 166
An rationes analogi vt ſic, abſtrahant à ſeipſis abſolute. 168

An cauſa ſit nobilior cauſato. 179
An poſſit materia de ſe cognoſci. 184
An materia intelligibilis ſit ſubſtantia quanta. 189
An ens non ſolum comparatione ſubſtantiæ, & accidentis, ſed omnium vniuerſim, vt entia ſunt, ſit analogum. 204
An prædicatio entis de ſubſtātia, & accidēte, ſit prædicatio ſuperioris. 206
An in analogis attributionis primum ſolum ſit tale formaliter. 210
An in illis proportionis ſit formalis denominatio hinc, inde. 211
An in illis attributionis primum ponatur in definitione reliquorum. 213
An in illis proportionis vnum non ponatur in aliorum definitione. 214
An in materialibus detur forma totius. 241
An certa ſit Auerrois ſententia de cauſa indiuiduationis. 261
An omnis actus in aliquo receptibilis, habeat in illo propriū potentiale. 280
An ſit danda vnitas de genere ſubſtantiæ. 287
An poſſit dici quantitas concurrere ad indiuiduationem vt conditio. 290
An vnius numero definitio tradita ab Ariſtotele, ſit omnino abſoluta. 297
An poſterior Caiet. explicatio de materia ſignata ſit idonea. 300
An quantitas concurrens ad principium indiuiduationis ſit terminata. 305
An, & quomodo materia nequeat eſſe in alio. 306
An materia poſſit dici quid vniuerſale. 309
An, & quomodo pars non prædicetur de toto. 329
Quomodo genus non ſignificet quid vnum. 336
An materia ſit vna negatiue, & poſitiue. 338
An indeterminatio ſit de primario intellectu generis. 347
Quomodo differentia adueniat generi. 349
Quæ diſtinctio ſit inter prædicata eſſentialia. 353
An modi prædicandi per ſe aſſignati primo Poſteriorum, & quinto Diuinorum ſint ijdem. 359
An natura ſecundum ſe dicatur de indiuiduis. 388
An definitiones poſſint explicari per non repugnantiam. 390
An ponendæ ſint ſpecies intelligibiles. 394
Quomodo res potentia intelligibilis, fiat actu intelligibilis. 398
Quomodo genus prædicetur per ſe de ſpeciebus. 405
Quomodo à Porphyrio fuerit definitum. 408
An paſſiones entis, ipſum ens formaliter includant. 415
Quale ens diuidatur in decem genera. 420
Num conceptus ſpeciei ſit frangibilis, ceu ille generis. 436
Quomodo ab inuicem differant vnitas formalis, & numeralis. 439
In qua vnitate conueniant duo eiuſdem ſpeciei indiuidua. 444
An vniuerſale exigat poſitiue aptitudinem ad eſſe in pluribus. 461
An natura præciſa à conditionibus materiæ ſit natura ſecundum ſe. 472
An fiat natura vniuerſalis ex abſtractione præciſe intellectus agentis. ibid.

An vniuerſalis formale ſit in relatione rationis. 473
An vniuerſalis ratio ſit in ſpecie intelligibili conſtituta. 477
An ſit vllum diſcrimen inter eſſe vniuerſalis, & generis, at ſpeciei. 485
Quomodo verbum producatur per intellectionem in gratiam intellectionis. 499
An ſit apta proportio parietis ad viſum, & hominis ad intellectum. 540
An ex vniuerſalitate formæ intellectæ concludatur vnitas intellectus. 550
An poſita generatione æterna, ſequatur infinitas animarum. 553
An cauſa poſſit eſſe abſque cauſato. 570
An in intelligentijs adſit totum, & pars, abſtractum, & concretum. 574
An ſit abſolute dicendum ſubiectum cauſa paſſionum. 579
Quomodo Intelligentiæ compoſitæ ſint ex actu, & potentia. 582
An entium nobilitas ex maiori ad Deum proximitate ſpectetur. 586
Quomodo ſit hanc maiorem proximitatem in Intelligentijs aſſignare. 590
An ignorato poſſibili intellectu, multitudo abſtractorũ poſſit agnoſci. 592
An potentia dicatur æquiuoce de materialibus, & immaterialibus. 596
Quomodo ſit idem eſſe animæ, & hominis. 599
Quomodo materia ſit ens, & propriam habeat entitatem. 626
Quale ſit hoc ens, & qualis entitas. 628
An materia in prima etiam ſui notione ſit potentia. 631
Quiſnam actus detur, & quæ potentia. 636
An, & quomodo materia ſit prior forma. 643
Quomodo quæ conueniant in ſpecie, & differant numero, conueniant in forma, & differant materialiter. 667
Quomodo Intelligentiæ ſint entia neceſſaria. 690
An exiſtentia ſit accidens ſpectans ad prædicamentum quando. 700
Quomodo irreceptio ſit cauſa infinitatis. 739
An eſſentia Intelligentiarum ſit infinita, & eſſe finitum 741
An differentia in rebus compoſitis ſit ſimplex. 747
An perfectio Intelligentiarum ſumatur ex receſſu à potentia, an ex acceſſu ad actum. 748
An detur genus logicum, & phyſicum. 755
Quomodo quæ ſunt in genere, conueniãt in eſſentia, & differant in eſſe. 760
An Deus ſit menſura ſubſtantiarum. 764
Quid ſit de ratione formali cuiuſuis attributi diuini. 779
An in diuina eſſentia includantur formaliter relationes. 790
An naturalia omnia, & metaphyſica perfecte calluerit Ariſtoteles. 817
An adſit adæquatus effectus Intelligentiarum. 822
An anima ſeparata cognoſcat quidditatiue abſtracta. 223
An quæſitum de Intelligentiarum notitia definiuerit Philoſophus. 824
An D. Thomas circa id ſibi contradixerit. 825
Quare genus dicatur ſimile materiæ. 838

An

An differentia ſit forma. 839
Quid ſit de ratione generis, & differentiæ, quidque eis accidat. 841
Vnde in omni ente ſumatur ratio generis, & differentiæ. 844
Cuius conſiderationis ſit anima, & præcipue intellectiua. 858
An accidens habeat proprium eſſe, aliud ab illo ſubiecti. 861
An accidens compoſitum ſit ex eſſentia, & eſſe. 862
An accidentia materialia ſint accidentia indiuidui. 870
An iuxta ipſa differant eiuſdem ſpeciei indiuidua. ibidem
An quædam accidentia aptitudine, quædam etiam actu ſint à ſubiectis inſeparabilia. 873
Cur accidens concretum ex modo ſignificandi primo dicat ſubiectum, quam formam, abſtractum e contra. 877
An varius modus ſignificandi ſufficiat generi logico. 879
An accidentia ſumant differentiam ex principijs ſubiecti. 882
An omnis forma ſubſtantialis vt ſic, det ſemper eſſe ſimpliciter. 907
An generatio ſit tranſmutatio totius. 911
An accidens poſſit agere in virtute illius ſubiecti, in quo actu non eſt. 925
An dum inducitur forma ſubſtantialis in materia, ſit quantitas in ipſa materia. 932
An quantitas terminata, vel interminata ſit in materia ſubiectiue. 935
An dimenſiones in materia locauerit B. Thomas. 938

COM-

COMMENTARIA F. RAPHAELIS RIPAE VENETI

Ord. Prædicatorum

IN D. THOMAE DE ENTE, ET ESSENTIA TRACTATVM.

PRAEFATIO,

In qua præmittuntur, quæ hoc opus generatim reſpiciunt, & eorum occaſione nonnulla in quæſtionem vocantur.

VETERI iam conſuetudine apud eos, qui opus aliquod exponendum ſuſceperunt receptum fuiſſe ab Auerroe accepimus ſub initium procemij ſui in libros Ariſtotelis de phyſico auditu, vt priuſquam literæ explicationem adeant, octo rerum capita dilucident, quæ operi deinde vniuerſo vel maxime conferre videntur, qua ſanè ratione ductus idem Commentator, idipſum ibidem præſtat. Hæc autem ſunt intentio libri, vtilitas, ordo, diuiſio, proportio, via doctrinæ, nomen libri, & nomen Auctoris. Laudabili huic inſtituto, & prope forſan neceſſario omnes fauiſſe, & fauere video, quotquot enim ferè in opera aliqua commentaria tulerunt, aut omnia, aut quædam eorum quæ diximus, lucubrationum ſuarum initio aperuiſſe conſpicimus. Ita Themiſtium

Auerroes.

Quot præmitti ſoleãt in cuiuſque libri exordio.

Themiſt.

A in præ-

Simplic. — In præcurſorijs ad libros octo phyſicorum, ita Simplicium in prædicamẽtorum libri præfatione, vbi decem abſoluit, quæ ad omnem Ariſtotelis doctrinam at- Ammon. — tinere poterant, ita Ammonium in eiuſdem libri præludijs, poſt illamet decem, (quæ in vtroque plene, ac commode videre potes,) & ſuper librum de Interpretatione, & in libelli à Porphyrio de prædicabilibus prologomenis, poſt multa, & multa in gratiam philoſophiæ quo ad eius naturam, & partes adducta, hæc Io. Grãma. — vt ad præfatũ libellum ſpectabant, præſtitiſſe non ignoramus. Ita Ioannes Gram- Olimpio. — maticus, & Olimpiodorus in procemio primi Metheororum multa ex his aſſignarunt. Ita deinceps eos, qui priſcos illos interpretes ſecuti ſunt, & potiſſimum inter Latinos famoſiores, & antiquiores, (vt recentiores omnes ſileam, quos morem hunc tenere neminem fugit) effeciſſe, nemo eſt qui non videat. Doctores Scholaſt. — Sed & inter Theologos, ſcholaſtici potiſſimum Doctores, tum noui, tum veteres, qui Sententiarum Magiſtrum in quattuor ſuis libris interpretandum duxerunt, innumeras ferè, eaſque perdoctas in illius operis præfatione admouent difficultates ante doctrinæ traditionem.

Ammon. Alexand. — Huius autem inſtituti rationem egregiè per ſingula adferebat Ammonius loco nominato ſuper Porphyr. quam ſi placet, ibi legas, & etiam apud Alexand. Aphrodiſien. in calce præfationis ſuæ ad reſolutorios libros priores nonnihil de hoc inuenies. Collige tu, eos qui legunt, & audiunt huiuſcemodi, valde excitari, excitatos autem, animoſiores, propenſioreſque effici ad ea legenda, vel audienda, quæ eis quoquo modo traduntur.

Nos opus hoc explicaturi, antequam literam elucidemus, hoc ipſum efficere decreuimus, hæc præcurſoria præmittendo, & à facilioribus initium ſumentes, erga quæ nulla vel cadit, vel cadere poteſt difficultas, manifeſtum nimis eſt, no- Nomen libri. — men libri eſſe de ENTE, & ESSENTIA. Cum enim in toto hoc opere de his fiat mentio, & nihil occurrat, quin ad hæc attineat, merito ab ipſis nomen duxiſſe vo- D. Thom. auctor libri. — luit D. THOMAS AQVINAS operis auctor, nedum Prædicatoriæ familiæ, ſed & S. R. E. lumen clariſſimum, ac doctor inſignis, & vere Angelicus, non moribus modo, qui inuiolati ſemper, & ſanctiſſimi fuerunt, ſed etiam doctrina, quæ vbique admirabilis, & hominum penè vires ſuperare conſpicitur.

Proportio. — Proportio huius libri ad alios nequit germanè aſſignari, quoniam inter eos libros eſt proportio, quos vnus, idemque auctor ad aliquid direxerit, quod ſanè in præſenti opere non eſt videre, quid enim ex ſe ſeparatim manens intuemur, tale vero, vt nonnullam ad Metaphyſicam diſciplinam habeat affinitatem: Hic enim diſſeritur de entis, ac eſſentiæ natura, & quomodo in omni ente, & accidentali, & ſubſtantiali, tum ſimplici, tum compoſito locum eſſentia habeat, & quomodo eidem nomen, & ratio ſecundarum intentionum accommodari poſſit, ac debeat: Quare proportionem illam, quam poſſumus aſſignantes, dicemus eſ- Quæ ſit huius libri ad alios proportio. — ſe partis ad totum in ordine ad diuinam philoſophiam, non quidem colligatæ, vel integrantis, ſcio etenim Ariſtotelis theologiam perfectam abſque hoc opere manere, ſed partis cuiuſdam, (ſi quid à toto ſeparatum liceat aliqua via dici pars,) quæ epilogus forſan poſſit vocari, cum enim in illa ſcientiarum humanarum regina de ente latiſſime diſſeratur, & vnumquodque, quatenus entis conditiones ſubit ibi diſcutiatur, cum hæc eadem breuiſſimo verborum circuitu liber iſte penè abſoluat, (vnde Interpres Illuſtriſſimus ſub initium comm. ſeptimi cap. huius operis dicebat, nihil ſub latitudine entis intactum hic remanere,) iure fortaſſis commemorata proportio aſſignata eſt.

Via doctrinæ. — Via doctrinæ, quæ hoc in libro habetur, eſt diffinitiua, ſeu potius explicatiua, & ma-

& manifeſtatiua, diuiſiua, demonſtratiua quoque, tum ſyllogiſtice, tum enthymematice, vtitur exemplo, & inductione, quamuis etenim exemplum, & enthymema magis vſitata ſint apud rhetoricum, tamen & ab alijs artificibus iure vſurpantur. Noui ſiquidem extare apud Ariſtotelem primo Rhetoricorum ad Theodec. cap. 6. quod velut Dialectica abſoluit probationes ſuas ope ſyllogiſmi, & inductionis, ita Rhetorica beneficio exempli, & enthymematis, (quod vtique enthym. omnium argumentorum caput, legimus ibidem cap. 6. proœmij) abſoluit ſuas; vnde eodem loco ſubdebat Philoſophus, enthym. eſſe oratorium ſyllogiſmum, exemplum oratoriam inductionem. Ex hoc tamen colligi neutiquam debet, ſolum Rhetorem vti geminis his machinis demõſtratiuis, hoc enim falſum eſſet, cum & quæuis alia facultas eaſdem ad quid probandum adhibeat, ſed magis frequentes ſunt apud rhetores, comparatione aliarum machinarum, ſyllogiſmi ſcilicet, & inductionis, quibus aut numquam, aut certe raro admodum vtuntur. Ariſtotel.

Quo ad ordinem; Applicáda ſunt ea, quæ in gratiam proportionis dicta ſunt, neque enim hic liber ad alios ordinari proprie valet, niſi quadantenus, velut de proportione dicebatur. Ordo.

Eius vero vtilitas non mediocris eſt, cum enim de ente, cum de eſſentia loquantur omnes, & nulla res ſit, quæ modo ſuo horum ratione non gaudeat, profecto perutile eſt videre, & diligenter cognoſcere, quid velint viri illuſtres nomine entis, ac eſſentiæ denotare, quomodo in omnibus hæc inueniantur, & quomodo ad ſecundas, ſiue logicas intentiones ſe habeant, quæ inquam omnia hoc opere breuiter, & limate habentur, adeo quod & ex ipſius breuitate, magna eiuſdem vtilitas dignoſcitur. Breui ſiquidem, ac reſoluta tractatione, complura, eaq. digniſſima hic edocemur, quæ ad diuinum philoſophum præcipue, ſed & aliquo modo ad naturalem, ad logicum, ad theologum quinetiam attinere videntur, ac proinde ad hæc omnia vtilis erit huius doctrinæ traditio. Vtilitas.

Voco librum hunc vtilem, non neceſſarium, optime enim ſcio, optimam poſſe de rebus his quæ hic tradũtur notitiam haberi abſque ipſo, faciliorem tamen, ac compendioſioré illius ope haberi, neminem diffiteri poſſe, mihi certiſſimum eſt.

Cognitionem quippe entis, & eſſentiæ, & modum, quo varia quæ in mundo ſunt, hæc participent, neceſſariam ſimpliciter profero ad completam diuinæ philoſophiæ poſſeſſionem, ſed dico eorum cognitionem in hoc libro traditam, non neceſſariam, ſed vtilem eſſe, quemadmodum prædicabilium agnitionem, neceſſariam ſimpliciter ad prædicamentorum conſecutionem ſcio, at eo modo quo à Porphyrio traditur, non neceſſariam, ſed vtilem arbitror, vel neceſſariam ad bene eſſe, non ſimpliciter, iuxta doctrinam Ariſt. quinto Diuinorum de duplici neceſſario, ſub initium text. & cap. 6. Quam duplicem prædicabilium neceſſitatem aperuit idem Porphyr. primis verbis ſuis, quando dixit; Cum ſit neceſſarium Chryſaori noſſe quid genus, quid ſpecies, &c. ecce neceſſit. abſolutam ad prædicamenta, paulo poſt ſubdit, Vtili exiſtente iſtarum rerum tractatione, vt nimirum hanc cognitionem ipſe tradam, erit inquam non ſimpliciter neceſſaria, ſed vtilis, ſed neceſſaria ad bene eſſe, &c. Ariſtotel. Porphyr.

Ita dico in propoſito, cognitionem eorum quæ hic principaliter tradũtur, neceſſariam eſſe abſolute ad plenam philoſophiæ primæ intelligentiam, at cognitionem qualis hic habetur, non neceſſariam, ſed vtilem eſſe. Iam enim de ente, & eſſentia, quid ſignificent, quomodo ad intentiones logicas ſe habeãt, quomodo in accidentibus, & in vtriſque ſubſtantijs, compoſitis ſcilicet, ac ſimplici-

Ariſtot. bus inueniantur, luculente docuit iampridem Ariſtoteles libris Diuinorũ; Quid
enim eſſentia, vel natura ſibi vellet, explicauit 5. tex. 5. lib. per totum, vbi varias
eiuſdem tulit acceptiones; Quid quoque ens, eodem libro, tex. 14. longo ſatis ſer-
mone, vbi & ipſum tripliciter diuidit, primo in decem cathegorias, ſecundo
vt eſt in anima, tertio vt dicitur de eo quod eſt in actu, præmiſſa prius altera
diuiſione entis abſolute accepti in per ſe, & per accidens dicti, quam protulit
text. immediate præcedenti: Quomodo autem in accidentibus, & compoſitis
ſubſtantijs ſe habeant, aperuit ſeptimo eorundem, à 15. vſque ad 21. incluſiue,
in quo text. incidenter loquitur de ideis, quas deinde vſque ad finem libri illius
è medio tollere nititur, in quo progreſſu oſtendit aliqua via, quomodo ad lo-
gicas intentiones ſe habeat eſſentia, pluribus rationibus oſtendens, eſſentias re-
rum ſecundum ſe, vel ad extra non eſſe vniuerſales, atque ideo vt ſic non poſſe
rationem generis, vel ſpeciei ſubire, à tex. nimirum 44. vſque ad 52. Quomodo
demum in abſtractis, 12. eorundem, à 31. (vltra nonnulla tex. immediate præce-
denti prolata) vſque ferè in finem, potiſſimum vſque ad 52. & etiam 3. de Ani-
ma 9. Cum itaque quæ hic traduntur, iam ab Ariſtotele tradita fuerint, illud
conſequitur, vt hoc opus non ſit neceſſarium, ſed vtile dumtaxat ad eadem bre-
uius, ac facilius capienda.

Intentio. De Intentione autem Auctoris in hoc libro loquentes, non dubitamus, eius in-
ſtitutum, ac propoſitum eſſe agere de ente, & eſſentia; hoc enim præterquam
quod & libri inſcriptio, quæ vt plurimum ab obiecto deſumi conſueuit, eiuſ-
D. Thom. dem D. Doctoris verba apertiſſima ſub illius initium teſtantur, cum dicat, ſe vel-
le de his agere, eorum naturam manifeſtando, & quomodo in varijs inueniantur,
ſuadet quoque, & conuincit totius tractationis proceſſus, cum per ſeptem eius
capita, quibus completur, nihil aliud in medium adferatur, quam quomodo hæc
ſe habeant in entibus varijs; manifeſtum ergo eſt, quod ens, & eſſentia erũt ſco-
pus, & ſubiectum huius libri, neque facile alicui erit aliud aſſignare.

Quoniam autem inter omnia quæ præmitti ſolent, principem locum tenet
Auctoris intentio, ſeu libri ſubiectum, ideo in huius libri intentione aſſignan-
da, ſiue ſubiecto aliquanto immorabimur; hæc enim idem important, loquendo
Zabarella. de totali auctoris intentione. Neque enim me fugit, Iacobum Zabarellam Pa-
tauum, philoſophum diebus ſuis, & noſtris celebrem lib. ſuo de Precognitis, cap.
6. diſcrimen ſtatuere inter intentionem, & ſubiectum, cum euenire poſſit, vt ali-
quis auctor quapiam de re tractare velit, & intendat, non tamen res illa erit ſub-
iectum, ſed de induſtria poterit intendi vt principium, vel vt affectio ſubiecti, vn-
de lib. ſuo primo illorum 30. quos de Rebus Naturalibus edidit, cap. 39. cõcedit,
fuiſſe intentionem Ariſtotelis in lib. de Anima tractare de ipſa anima, eam tamen
illorum librorum negat ſubiectum; At reuera ſi auctoris fuerit intentio totali-
ter qua de re in toto quodam opere ſuo agere, id certe erit & ipſius intentio,
& in illa facultate obiectum. Hinc antiquos omnes, & recentiores ferè pro eo-
dem ſubiectum, & intentionem accepiſſe, & vtrumque ad inuicem confudiſſe vi-
Alexander deo; ſic Alex præfatione primi libri priorum, & initio expoſitionis primi text.
Themiſt. eiuſdem libri, ſic Themiſtius præludijs ad lib. Phyſ. cap. 3. ſi tamen illud procœ-
Simplic. mium ſit Themiſtij, ſic Simplicius procœmio tum prædicamentorum, tum librorũ
Ammon. de Cœlo, ac mundo longo proceſſu, tum præfatione ad lib. Phyſ. & com. primi
Io. Grãma. tex. primi eorundem, ſic Ammonius prologomenis ad prædicabilia, prædicamen
Olimpio. ta, & libros de Interpretatione, ſic Ioãnes Grammaticus ſuper primum Metheo-
Auerroes. rorum Ariſtotelis, & ibidem Olimpiodorus, ſic Auerroes prologo primi Phyſic.

& pri-

& primi deinde Metheororum omnino diſſuſe pro eodem ſemper acceperant intentionem, ſubiectum, inſtitutum, propoſitum, atque ſcopum, & certe vnicum Zabarellam vidi, (fateor me non omnes auctores vidiſſe,) qui inter ſubiectum, & intentionẽ diſtingueret; omitto enim prudens ſcriptores omnes, antiquis illis quos recenſui poſteriores, & præcipue Latinos, qui vnum ſemper pro altero acceperunt, vt ſcripſit quoque Ludouicus Bucaferrus principio lectionis ſuæ octauæ ad primum Phyſic. Et quidem vel vnus Zabarella veritatẽ aſſecu tus eſt, vel alij omnes, quando enim ducunt argumenta ex Ariſtotele, quod talis ſcientia ſit talis obiecti, nil aliud adferunt, niſi quod Ariſtoteles dixerit ſcientiam illam de rebus illis conſiderare, & res illas intendere; ſic vt efficiant ad aures Ariſtotelis, ſubiectum primę philoſophiæ eſſe ens, qua ens, adferunt tertium, & quartum cap. 11. Diuinorũ, tex. primum quarti, quartum ſexti eorundem, quibus locis ait Ariſtoteles, diuinam philoſophiam eſſe de ente, conſiderare ens, & illud ſpeculari, nullum verbum profert de ſubiecto, ſed tantum de conſideratione, de intentione, & tamen vere deducunt, ſubiectum eſſe ens, quæ loca nihil efficerent, ſi inter ſubiectum, & intentionem foret diſcrimen, concederet enim quis, eſſe intentionem de ente in prima philoſophia, at negaret illud eſſe ſubiectum; Similiter quando volunt probare in naturali philoſophia eſſe ſubiectum ens mobile, vel corpus mobile, loca Ariſtotelis referunt, in quibus nulla ſit mentio de hac voce *ſubiectum*, ſed ſolum de conſideratione entis, ſiue corporis mobilis, vt eſt primus ſexti Diuinorum, caput tertium, & quartum 11. eorundem, primus primi de Cœlo, ac mundo. Et certe res eſt nimis clara, quod libris ſuis Ariſtoteles ſubiecta accommodauit, velut pręcipue ſexto Diuinorũ ſecundo, vbi aſſignat obiecta triplicis ſcientiæ ſpeculatiuæ, naturalis ſcilicet, mathematicæ, & diuinæ, hæc autem non manifeſtauit, niſi per voces ſpeculationis, conſiderationis, &c. Tandem vna ex præcipuis ſubiecti conditionibus ea eſt, vt per ſe à ſcientia intendatur, & quod omnia in eius gratiam tractentur, ſic enim dicitur ſcopus, obiectum, inſtitutum, & intentio auctoris. Hæc quæ diximus, accipienda veniunt de totali intentione, nil enim prohibebit, eſſe intentionem ex parte agere de quapiam re, & quod illa res non ſit ſubiectum, ſed dirigatur ad ſubiectum; & ſit pars intentionis totalis; agere quippe intendimus de principiis, de affectionibus, at hæc non ſunt totalis, & vltimata noſtra intentio, tunc enim ibi ſiſteremus, ſed ea dirigimus tandem ad ſubiectum, & de illis non quatenus entia talia ſunt, ſed quatenus ſubiectum modo ſuo reſpiciunt extat conſideratio; vt ſic ex vnitate vnius ſcopi, & intentionis, vnitas ſcientiæ colligatur, vt docuit Ariſtoteles primo Poſter. cap. 23. & 4. Diuinorum 2. Quod ſi Zabarella de intentione ex parte modo expoſito accepit, nouam loquendi formam, licet rem non nouam inuenit, & nil nobis in hoc cum illo, &c.

Bucaferr. — Ariſtot. — Intentio totalis, & partialis. — Ariſtot.

De intentione ergo, aut ſubiecto verba facturus, altius ordiar, & plura adferam, quæ viri clariſſimi iampridem agnouerunt, loquar autem primo de natura, ac præcipuis conditionibus ſubiecti abſolute, & in vniuerſali, & deinceps in calce digreſſionis nonnulla applicabo ſubiecto huius libri, eo modo, quo ſubiectũ ei tribui poterit, ſic enim faciliori via quæ de ſingularibus proferimus percipiũtur, vbi de ipſis præmiſſa fuerit in vniuerſali conſideratio, vt docebat Ariſtoteles 2. de Generatione 51. Ariſtot.

Et quoniam omne multiplex prius eſt diſtinguendum, quam aliquid circa ipſum adferatur, ne in æquiuocationem labi contingat, ex primo de Cœlo 110. cum hæc vox *ſubiectum*, multiplex ſit, & varia poſſit ſignificare, ideo varias

cius

Variæ ſubiecti acceptiones. eius acceptiones primo adducam, deinde in qua capiatur in præſenti explicabo: Significat quippe quādoque id quod ſubeſt prædicato, vt Sortes homini, quo pa-
Ariſtot. cto dixit Ariſtoteles in antepradicamentis, cap. 2. Eorū quæ ſunt, aliqua de ſubiecto quodam dicuntur, & cap. de ſubſtantia, hominem de ſubiecto quodam homine dici, aliquando ſignificat id quod aliud ſuſtinet, vt paries colores, & tale ſubiectum dicitur ſubſtantia prima, vt ibidem cap. de ſubſtantia patet, aliquando
Porphyr. ſignificat idem quod indiuiduum, & ſingulare, veluti Porphyr. de communitatibus, & differentijs ſpeciei, & proprij, cap. 10. accepit ſubiectum dicens, proprium
Ariſtoteles multis in locis. aliquando, & poteſtate adeſſe ſubiecto, ſpeciem vero ſemper, & Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 44. dicebat, ſubiectum ſubſtantiā eſſe, & quod quid erat eſſe,
Alexander. vbi exponebat Alexander nomine ſubiecti, vocare Ariſtotelem vel proximam cuiuſque materiam, vel omnino materiam, & compoſitum, vt Socratem, interdum ſignificat terminum à quo, & ad quem, ſic Philoſophus quinto phyſ. ſeptimo, aliquid quadrifariam aiebat mutari, aut ſcilicet ex non ſubiecto in ſubiectum, &c. aliquando ſignificat contraria, aut media, ſic ibidem tex. 9. ſe explicauit dicens, ſubiecta autem, aut contraria ſunt, aut media, &c. nonnumquam ſignificat materiam, & formam, ita 2. Phyſ. 4. legimus, ſubiectum quoddam, & in ſubiecto eſt natura ſemper, & ſæpius materiam vocat Ariſtoteles ſubiectū, vt primo Phyſ. 69. & primo Poſter. 23. cap. quando dixit, ſcientiam eſſe certiorem,
D. Thom. quæ non eſt de ſubiecto, vbi nomine ſubiecti vocat ſenſibilem materiam, vt expo-
Auerroes. nit Auctor, & Auerroes, qui etiam cauſam huius certitudinis aſsignabat, cui ex-
Sotus. poſitioni omnes adhærere video, & Dominicum Sotum, & Toletum Cardina-
Toletus. lem, & Zabarellā, & alios, denique ſignificat quādoque id, quod à ſcientia primo
Zabarella. conſideratur, & ipſi obijcitur, ſic ait Ariſtoteles primo Poſterior. cap. relato,
Ariſtotel. vnam ſcientiam eſſe, quæ eſt vnius generis, vbi licet non manifeſte expreſſerit
Sotus. ſubiectum, vt ibidem aduertit Dominicus Sotus, omnes tamen expoſitores nomine generis accipiunt ſubiectum, & inquiunt, Ariſtotelem ibi docere, illam eſſe vnam ſcientiam, quæ in vno ſubiecto verſatur.

De qua ſubiecti acceptione ſit ſermo. De ſubiecto igitur in hac vltima ſignificatione accepto eſt noſter ſermo in præſenti, quippe quod & dicitur ſubiectum vt dixi, non quidem ea ratione,
Zimara. quia in ſcientia ſupponatur tamquam notum, vt docuiſſe videtur Zimara theorem. ſuo 53. tunc enim pari ratione & principia deberent dici ſubiectum, cum in ſcientia ſupponantur vt vera, & manifeſta, adde, non eſſe verum, omne quod ſubijcitur in aliqua ſcientia, ab illa præſupponi, multa enim probat artifex, quæ deinde eius conſiderationi ſubijciūtur, immo dum probabat ſubijciebātur, quo-
Quare dicatur ſubiectū. circa vocatur ſubiectum, quoniam ſubijcitur affectionibus de ipſo demonſtrandis, & quoniam ſubijcitur noſtræ conſiderationi in gratiam ſui, & eſt noſtræ
Ariſtotel. conſiderationis terminus, quod nulli alteri in ſcientia conſiderato poteſt conuenire: Vocatur & genus, ſic illud vocauit Ariſtoteles cap. illo 23. primi Poſterior. & cap. 7. eiuſdem libri, quando ſub illius initium dicebat, non licere eum qui demonſtrat de genere in genus tranſcendere, & quarto Diuinorum ſecundo, quo nomine gaudet relatione ad partes ſubiectiuas, principia ſcilicet, partes, & affectiones: Vocatur & obiectum comparatione ad habitum, & potentiam, obijcitur namque habitui ſcientifico, eundemque terminat, velut obie-
D. Thom. ctum potentiam, hinc Auctor 1. par. quæſt. 1. ar. 7 probans Deum eſſe ſacræ Theologiæ ſubiectum, id efficit ex proportione, quæ eſt inter obiectum, & potentiam, & ſubiectum, ac ſcientiam, ſicut enim obiectum ea omnia ambit, quæ ſub illius potentiæ ratione cadunt, & illius potentiæ eſt terminus, ita per omnia dicendū

eſt de

eſt de ſubiecto comparatione ad ſcientiam.

Quotupliciter poſſit aliquod ſubiectũ reſpicere ſciẽtiam.

Hoc ſubiectum tripliciter ad ſcientiam poteſt ſe habere, vel enim aliquando excedit illam, & eſt latius patens, vt ens abſolute acceptum in philoſophia naturali, aliquando ex proportione ipſi reſpondet, adeo vt neque illam excedat, neque ab illa excedatur, vt idem ens, qua ens in philoſophia prima, aliquando inferius eſt ipſa, & eius pars tantum, vt cœlum in naturali philoſophia, &c.

Subiectum totale & principale.

Subiectum itaque quod adæquat ſcientiam, dicitur totale, & adæquatũ, ſubiectum quod à ſcientia exceditur, dicitur ſubiectum partiale, & hæc diſtinctio de ſubiecto totali, ac principali apud omnes Ariſt. expoſitores frequentiſſima eſt, quamuis & tertiũ illud ſubiectum, quod attributionis vocatur, cuius meminit Matthias Aquarius vir magni nominis in additione ad ſecundam quæſtionẽ Franciſci Ferrarienſis ſuper primum Phyſ. & prima ſua dilucidatione ad primum Diuinorum, non appareat mihi reijciendum, bene namque oſtendit illud dari in varijs ſcientijs, velut in Logica ſubiectum primitate adæquationis, erit ens rationis, perfectionis, ſiue principalitatis demonſtratio, attributionis argumẽtatio, vel ſyllogiſmus. Audiui ego quendam ex noſtra Familia publice confutantem, & penitus reſpuentem hoc tertium ſubiectum, tum quoniam inquiebat hoc non inueniri in Auctore, tum quoniã ſi ideo dicitur attributionis, quia omnia ad ipſum referantur, ergo iam eſt ſubiectum adæquatum, quod ſi non omnia ad ipſum referantur, & non dicatur de omnibus, iam eſt ſubiectum partiale, vel principale, atque ideo gratis aſtruitur. Sed reuera ponendum eſt hoc ſubiectum, & in potioribus ſcientijs inueniri idem Aquarius manifeſtat, hoc autem illud eſſe dixerim, quod aliquid plus habet, quam ſubiectum aliquod principale, neque tamen eſt adæquatum, & illud erit, quo poſito ponitur ſcientia, quo remoto remouetur, ſic in diuina philoſophia ſubiectum adæquatum eſt ens, qua ens, ſubiectum principale ſubſtantia, quæ eſt prior accidente, & eiuſdem cauſa, eoque dignior, ac præſtantior, vt paſſim in metaphyſicis habes ab Ariſtotele, præcipue ex quarti ſecundo, ex ſeptimi ſecundo, quarto, & quintodecimo, ex duodecimi vigeſimooctauo, adeo vt Buridanus viſus ſit docere, eam eſſe adæquatum ſubiectum; Entia autem abſtracta ſubiectum ſunt in eadem ſcientia digniſſimum, adeo vt nonnulli, de quorum numero eſt forſan Auerroes vltimo commento ſuper primum Phyſicorum, velint adæquatum eſſe ſubiectum, ibi enim ait, eſſe tale ſubiectum primæ philoſophiæ genus hoc entium, quod non poſſit probari, quod videtur concludere de ſubiecto adæquato, (dico *videtur*, ſcio enim velle Auerroem neque partes ſubiecti poſſe probari, quod tamen dictum limitauit Zimara theor. 53. de partibus notis,) verum tamẽ eſt, quod eodem commento ait, metaphyſicam conſiderare ens, qua ens, & idipſum docet commento primo quarti Diuinorum, & quarto ſexti eorundem. Cum ergo non ſint ſubiectum adæquatum, neque principale tantum, quoniam hoc ſentio ego eſſe ſubſtantiam, (quicquid nonnulli dicant,) erunt profecto ſubiectum eiuſmodi, vt eo poſito ponatur, ipſo dempto dematur ſcientia Diuinorũ; Et hoc innuit aperte Philoſophus ſexto Diuinorum tertio, dum ait, ſi non erit ſubſtantia aliqua alia à ſubſtantijs exiſtentibus in natura, tunc prima ſcientia eſt naturalis, & ſi aliqua ſubſtantia immobilis fuerit, illa erit prima, & ſcientia eius erit prima philoſophia; ex quo clare habemus, ad poſitionem abſtractorũ, & ad eorundem ablationem, poni, & auferri diuinam philoſophiam, quod commode ſatis elucidauit Zimara theoremate ſuo 111. & clarius docuit Ludouicus Bucaferrus principio ferè lect. 77. & vltimæ ad primum Phyſ. Erit ergo

Aquarius. Ferrarien. Triplex ſubiectum. Quid ſit ſubiectum tertium inter totale, & principale. Diuinæ philoſophiæ ſubiectum adæquatum, principale, & tertium illud. Ariſtotel. Auerroes. Zimara. Ariſtot. Zimara. Bucaferr.

genus

genus abſtractorum ſubiectum aliquod præſtantius illo, quod dicitur principa- le, nam ad huius poſitionem, & ablationem, non ponitur, vel tollitur facultas, po ſita quippe ſubſtãtia vt ſic, non ponitur ſcientia de prima philoſophia, ſed quate- nus talis ſubſtãtia, ſcilicet abſtracta, cumque non ſit ſubiectũ adæquatum, relin- quitur quod detur tertium ſubiectum, Hoc ipſum in quibuſdam alijs ſcientijs facile quiſquis poteſt intueri, vt in philoſophia naturali, ac logica. Num au- tem hoc ſubiectum ſit vocandum attributionis, nolo admodum ſolicitus eſſe, erit enim quæſtio de nomine; noui ſiquidem Dominicum à Flandria quæſt. ſua pri- ma ſuper prologum primi Diuinorum, ar. 6. quamuis fateatur dari triplex ſubie- ctum, communiſſimũ ſcilicet, adæquatum, & principale, inuehere cõtra eos, qui diſcrimen conſtituunt inter ſubiectum adæquationis, & attributionis: ait enim hos propriã vocem ignorare, nam ex eo quod quid ponitur ſubiectum adæqua- tum, ex eodẽ habet, quod omnia alia ipſi tribuantur, hoc concedo, quoniã ſubie- ctum adæquatũ, eſt etiã ſubiectum attributionis, hoc eſt, ſubiecto adæquato om nia tribuuntur, ſed non e contra, vt mox dicemus, valet quippe dicere, hoc habet conditiones ſubiecti adæquati, ergo etiam ſubiecti attributionis, nõ autem valet, habet illas attrib. ergo & adæquationis, ſicut ergo ponitur diſcrimen inter homi nem, & animal, licet ex eo quod quid eſt homo, habeat ſimiliter quod ſit animal, quoniam res e conuerſo non ſe habet, alioquin omne animal foret homo, ita ma nebit & illa diſtinctio inter hæc ſubiecta. Non ſum neſcius, Alexandrum Achil- linum quæſtione ſua de ſubiecto phiſionomiæ, alia via explicare ſubiectum at- tributionis, & ſubiectum principale, (nam & auctor iſtẽ non contemnendus hęc tria ſubiecta agnoſcit) quem legere potes, at mihi vt audiſti hæc ſubiecta aperi- re placuit. Hinc confuto rationes illius viri nullo negotio, & ad primum mo- tiuum dico, falſum eſſe non inueniri hoc triplex ſubiectum apud Auctorem; li- cet enim non ponat has voces adæquationis, & attribut. ponit tamen alia, quæ oſtendunt hoc triplex ſubiectũ dari, & iam dixi me hac in re non tantiſacere vo- ces, ſed admiſſo etiam, quod apud ipſum hoc non inueniretur, quæ collectio eſt iſta, hoc non inuenitur in Auctore, ergo non eſt aſſignandum? ſufficit profecto, quod non ſit contrariũ ſuæ doctrinæ, vel eius fundamentis; alioquin ſi nihil om nino aſſignare liceret, de quo ille non meminiſſet, vanus bona ex parte extitiſſet labor virorum illuſtrium eius alumnorum, qui vt ipſius doctrinam dilucidarẽt, permulta eidem addidere; quod ſi Concilijs prioribus poſteriora Concilia me- rito multa addunt, (alioquin de vna, eademque re in pluribus Concilijs nõ poſ- ſet tractari,) dummodo non aduerſentur determinationibus præcedentiũ Conci liorum, multo magis Auctoris ſectatoribus licebit aliqua eius doctrinæ addere, dum ei non ſint contraria; adde, quod neceſſitatem ponendi tertium hoc ſubie- ctum oſtendimus; Quando addebat, ſi ideo dicitur attributionis, quoniã omnia ad ipſum referuntur, iam ergo erit ſubiectum adæquatum, nego hanc illationem, tunc enim vanæ eſſent aliæ conditiones requiſitæ ad conſtitutionẽ ſubiecti adæ- quati, ſed ſufficeret dicere, illud eſt obiectum adæquatum, cui omnia tribuuntur, & tamen Auctor prologo primi ſent. q. 1. art. 4. vltra illam conditionem, duas alias aſſignat, & alij in infinitum vt ita loquar eas multiplicant, adeo vt Flandr. quæſt. ſua 7. in prologo primi Diuinorum 14. aſſignet conditiones ad ſubiectum adæquatum requiſitas; procedit itaque argumentum ab vna ad omnes cõditio- nes; habet quippe ſubiectum attributionis cõditionem hãc, quod omnia penè ad ipſum referantur, non autẽ habet alias, quæ ad adæquatũ ſubiectum requirũtur, atque ideo nulla eſt collectio, nam adæquatũ non modo habet, quod omnia cõ-

Ad poſitionẽ cuius ſubſtantiæ ponatur, & non ponatur metaphyſica.

Flandrien.

Achillin.

D. Thom.

Quid liceat D. Thomæ ſectatoribus.

D. Thom. Flandrien.

Quid habeat ſubiectũ adæquatum.

ſiderata

ſiderata in ſcientia ad ipſum referantur, ſed etiam obtinet, vt in nullius alterius gratiam ipſum conſideretur; at attributionis quamquam habet, quod omnia alia ipſi tribuantur, tamen & ipſum denique ad adæquatum refertur, velut docebat Ariſtoteles 12. Diuinorum, cap. vltimo, quod omnia ordinabantur ad bonum vniuerſi, ſed tamen & ipſe ordo ordinabatur ad primum principium; ſic proportione quadam, ſubiectum attributionis ſe habet in ſcientia vt ordo vniuerſi, adæquatum autem vt principium primum: Similiter infirma eſt alia ſua illatio, quando arguit, ſi omnia ad ipſum non referātur, ergo eſt ſubiectum principale, datur enim gradus inter ſubiecta alia ab adæquato, quoddam enim eſt principale, pars ſcilicet digniſſima ſubiecti, quoddam vltra hoc habet, vt eo poſito ponatur ſcientia, remoto remoueatur; Quod ſi nomine ſubiecti principalis vult præfatus vir intelligere omne illud, quod non eſt adæquatum, iam erit quæſtio de voce, nullus enim poſuit vnquam duo ſubiecta adæquata, nam hoc in adiecto implicaret, cum autem detur latum diſcrimen inter ſubiecta quæ non ſunt adæquata, quale iam pateſeci, iure tertiam vocem tertio ſubiecto reſpondentem inuenimus, illud nimirum attributionis vocando.

Quid ſit ſubiectum attributionis.

Ariſtot.

Quomodo tertium illud ſubiectum vocetur.

Illud quoque annotatione dignum eſt, quod diſtinctio hæc ſubiectorum, adæquati ſcilicet, attributionis & principalis locum habet, quando ſubiectum eſt analogum, ſiue ab vno, tunc enim ſubiectum principale non eſt id quod adæquatum, ſed illud de quo primo dicitur, dum illud fuerit cauſa reliquorum, veluti eſt ſubſtantia in Metaphyſica; quando autem ſubiectum foret vniuocum, tunc ſubiectum principale & adæquatum non differunt, iam enim non dantur gradus in partibus ſubiectiuis, alioquin de ipſis vniuoce non diceretur, & vna nequit eſſe potior alia in ordine ad ſubiectum quod de ipſis dicitur, quamuis inter ipſas vt mutuo ſe reſpiciunt poſſit adeſſe aliquis ordo dignitatis, ſeu perfectionis, &c. Alia quoque emergit differentia inter hæc ſubiecta, quando ſcilicet vnum eſt vniuocum, & aliud ab vno, in hoc enim non eſt neceſſe, vt paſſiones demonſtrētur de ſubiecto adæquato, (& hoc nota,) ſed ſufficit, quod demonſtrentur de principali, tum quoniam per illud affectiones competunt reliquis, tum quoniam analogum non dicit aliquam naturam, vel gradum omnino præciſum & abiunctum à membris ſuis, quocirca ægre poteſt aliquid de ipſo vt ſic demonſtrari, immo nullo modo id fieri poteſt, at vero in ſubiecto vniuoco oportet paſſiones demonſtrari de ſubiecto adæquato, tum quoniam hoc dicit aliquā naturam vere vnam, tum quoniam ſi de ipſo non probarētur, iam de nullo probarentur, cum iam præmiſerim, ſubiectum adæquatum tunc non differre a principali.

Quando loca habeat diſtinctio ſubiecti adæquati & principalis.

Quando ſit & nō ſit neceſſe vt paſſiones de ſubiecto adæquato demonſtrentur.

In ſubiecto igitur adæquato duo exiguntur, res ſcilicet conſiderata, & modus conſiderandi, qui eſt tamquam forma contrahens rem conſideratam, cum enim mille de hac re conſiderata poſſint enunciari, ac tractari, modus rem ipſam contrahit, non vt res eſt, ſed vt obiectum, adeo vt ab artifice qui in ea verſatur, niſi hæc & illa prædicata conſiderentur, vt fuſius in ſequentibus docebo.

Quot requirātur ad ſubiectum adæquatum.

Cum itaque ſubiectum coaleſcat ex re conſiderata, & ex modo conſiderandi, triplici via poſſumus eidem conditiones aſſignare, primo ex parte coniuncti, ſecundo ratione alterius partis, tertio ratione alterius, ex parte coniuncti habet, vt in ſcientia præcognoſcatur & quo ad quid, & quo ad quā, ex parte rei conſideratæ habet, quod ſit ens, genus vnum, vel vnitate vniuocationis, vel ſaltem analogiæ, (æquiuocum enim nequit ſtatui ſubiectum,) quod ſit intelligibile, vel ſcibile, ſic erit ſubſtantia, ſic vniuerſale, ſic inuariabile, (hoc enim

Eiuſdem conditiones.

Ariſtot. modo deſcripſit ſcibile Ariſtoteles primo Poſterior. cap. 2. 4. 24. & 26. & ſexto Diuinorum 6. & 11. eorũdem cap. 7. & 6. Ethic. cap. 3.) ſic erit præditum principijs, & demum gaudebit affectionibus; ex modo denique conſiderandi habet, vt per illum modum conſideretur in ſcientia, adæquet ſcientiam, ita vt de omnibus dicatur, vel recta, vel obliqua prædicatione, & diſtinguatur ſcientia illa ab alijs, quas conditiones, ex parte ſcilicet modi conſiderandi ſub alijs verbis aperuit Auctor prologo ſententiarum loco relato.

Dupliciter hoc ſubiectum poteſt conſiderari, materialiter ſcilicet, & formaliter, hoc eſt, vt res quædam, & vt ſubiectum, licet enim vt obiectum includat ſeipſum vt ens, (neque enim quid poteſt eſſe obiectum, quin ſit ens,) tamen alia conueniunt ſibi conſiderato vt res quædam eſt, & alia vt obiectum, ſicut color poteſt conſiderari & vt res eſt, vel qualitas, & vt immutatiuus facultatis videntis, & licet vt immutatiuus includat ſe vt qualitas, & res eſt, (alioquin non immutaret,) tamen alia proferuntur de ipſo vt res eſt, & alia vt immutatiuus. Hinc fit, quod duplex ratio ab omnibus ipſi tribuatur, altera competens ei vt res, altera vt obiectum, vel altera ex parte obiecti, altera ex parte potentiæ, & prior conſueuit vocari ratio quæ, poſterior ratio ſub qua, eſt enim hæc ſecunda medium quoddam & lumen, quo illa prior offertur ſcientiæ, & ab illa conſideratur, eiuſdemque eſt coarctatiua, non enim omnia patitur ab artifice conſiderari, ſed ea dumtaxat, quæ poſſunt cadere in ipſam rationem ſub qua, ſiue obiecti vt obiectum eſt, etſi enim veriſſimũ eſt, quod ſcripſit Ariſtoteles 11. Diuinorum, cap. 6. ſub initium, ſcientiam debere conſiderare cauſas ſui ſubiecti; quod idem de paſſionibus, ſiue proprietatibus tradidit quarto Diuinorũ, ſecundo, & de partibus ac ſpeciebus quarto eorundem, tertio; quæ omnia forſan ſimul dixit primo Poſteriorum cap. 7. veriſſimum quoque eſt, hæc omnia accipi debere de ſubiecto conſiderato formaliter vt ſubiectum eſt, non autem vt res, vt colligitur in calce eiuſdem ſeptimi cap. vbi legimus, ſcientiam non conſiderare de proprio ſubiecto quodlibet accidens, ſed accidens ſui generis, vt ibi exponebat Auctor, & exemplum adferebat Ariſtoteles, quod Geometra conſiderans de linea, non contemplatur ea quæ inſunt lineæ non quatenus linea eſt ab ipſo inſpecta, puta, an ſit pulcherrima linearum, an contraria circulari, hæc enim non ſunt lineæ accidentia, vt cadit ſub Geometrica arte, ſed ratione communiori ſibi inſunt; ſi enim omnia in vniuerſo quæ poſſunt de ſubiecto enunciari conſideraret artifex, profecto numquam idem ſubiectum à pluribus conſideraretur, vel ſi conſideraretur, id fruſtra fieret, iam enim alter conſideraſſet, quod tamen falſum eſt, cum vnum idemq. obiectum vt res eſt videamus à pluribus artificibus tractari, ſic conſideratur idem corpus à medico, à philoſopho, à diuino, à priori vt ſanitatis eſt capax, à ſecundo vt moueri poteſt, à tertio vt ens; Accedit, quod vanæ tunc eſſent omnes ſcientiæ præter primam philoſophiam, hæc enim omnia entia conſiderat.

Duplex ſubiecti ratio.

Quomodo vtraque vocetur.

Ariſtot.

D. Thom.

Ariſtotel.

Sciſcitaberis, quare non omnia prædicata abſolute conſiderantur de ſubiecto ab illa ſcientia in qua eſt ſubiectum? reſpondet tibi pulchre Caietan. Cardinalis primo Poſteriorum cap. 22. quoniam talia enunciata non competunt ſubiecto vt ſubiectum eſt, ſed vt res, atque ideo extrahunt ſubiectum extra proprium genus ſcibile, & tamen vt ſcibile tantum eſt, conſideratur ab artifice, & formaliter vt obiectum; ex quo deinde oritur maior & minor amplitudo, & extenſio ſcientiarum, quoniam nimirum aliquod ſubiectum iuxta ſua principia, & partes, quæ vnitatem ſcibilis non egrediuntur latius patet quam aliud; ita conſtat,

Caietanus.

Vnde ſcientiarum extẽſio.

conſtat, quid reſpondendũ ſit ad argumenta illa, quæ paſſim circũferuntur; Omnis ſcientia omnia cõſiderat de ſubiecto ſuo, ſi enim ly omnia diſtribuat pro omnibus attinentibus ad ſubiectum, vt ſubiectum eſt, veriſſima propoſitio, ſin vero vt ea complectatur, quæ ad ipſum nedum vt ſubiectum, ſed vt res eſt faciunt, falſiſſima propoſitio. Quomodo omnis ſcientia conſideret omnia de ſubiecto ſuo.

Circa partes ſubiecti, quando dicimus ipſum habere partes, ego ſemper fui in ſententia Caietani loco memorato, quod non ſit de neceſſitate ſubiecti ſcientifici vt ſic habere partes, tunc enim nulla ſpecies ſpecialiſſima poſſet alicuius facultatis ſubiectum conſtitui, ſubiectum namque careret partibus ſcientificis, & bene dico ſcientificis, quamuis enim ſub ſpecie dentur ſingularia indiuidua, horum tamen non eſt ſcientia, vt ſæpe docet Philoſophus, potiſſimum primo Poſterior. cap. 24. & 7. Diuinorum 53. Deus quoque opt. max. eſt ſubiectum theologicæ diſciplinæ, quem in ſummo ſimplicitatis culmine viuere, ac proinde omni ſubiectiua parte vere loquendo carere conſpicimus. Ad Ariſtotelem vero, qui primo Poſterior. cap. 23. habet, ſubiectum habere partes, principia, & affectiones, reſpondet idem Caietan. id eſſe verum vt in pluribus, & communiter, non autem neceſſario, & Ariſtoteles enumerauit partes ſubiecti, non tamquam quid ad ſcientiam neceſſario requiſitum, ſed cum ibi de vnitate ſcientiæ ageret, voluit oſtendere, quod vbi hæc inueniantur, non ob hoc ſcientiæ vnitas impediatur, dum docet cum vnitate formali ſcientiæ, ac ſubiecti ſtare diuerſitatem partium, paſſionum, &c. dummodo hæc inſint ſubiecto per ſe. Cui doctrinæ videtur quadam ex parte ſe ſubſcripſiſſe Zabarella, quando dixit verba illa Philoſophi, *partes ſunt aut affectiones horum per ſe* (horum inquam ſubiectorum, non autem theorematum, ſiue principiorum, vt exponebat Ioannes Grammaticus) prolata eſſe ad tollendam difficultatem quandam, quomodo ab vnitate ſubiecti cum partibus & affectionibus pendeat vnitas ſcientiæ, ſed lib. de præcognitis cap. 2. omnino cum Caietan. in hoc conſentit. Itidem dicendum eſt ad alia loca Ariſtotelis, Auctoris, & aliorũ virorum grauium, quando docere videntur, ſubiectum habere partes, ſunt enim explicandi, vt in pluribus, & permiſſiue, & quod vbi hæc inueniuntur, non tollatur vnitas ſcientiæ; Eodem modo quando Ariſtoteles locis ſupra citatis dixit, ſcientiã debere conſiderare partes ſubiecti, explica, quando gaudet partibus, &c. Caiet ſententia circa partes ſubiecti amplexatur. Ariſtot. Caietanus. Zabarella. Ioan. Grãmaticus. Quomodo intelligendi ſint viri graues dicentes ſubiectũ habere partes.

At dubitabit quis, ſi ſubiectum non habebit partes, quid de ipſo eius ſcientia conſiderabit? Reſpondeo, quod ſemper habebit principia, ſaltem cognoſcendi, & affectiones; cum enim omne ſubiectum ſit natura quædam, habebit certe ſuas affectiones; quod & locũ habet in Deo: prædicata namque quidditatiua habet, quæ vices gerunt affectionum, non in hoc, quod ſint accidentia, quicquid enim eſt in Deo, eſt ipſa diuina ſubſtantia, ſed in hoc, quod ſibi tribuuntur, de illo enunciantur, puta quod ſemper ſe intelligat, quod ſit æternus, & huius generis alia, quæ nedum theologi, ſed & philoſophi cognouerunt ipſi conuenire, vt eſt videre, in Ariſtotele 12. Diuinorum 51. & in Timæo apud Platonem: Hæc inquam conſiderabit ſcientia de ſubiecto, & licet deſint partes, non ideo auferetur, quin aliquid poſſit eſſe ſubiectum. Ariſtot. Plato.

Noui doctrinam communem longe faciliorem, quod omne ſubiectum habeat partes, vel rationum ſuarum ſaltem, & omnem ſcientiam eſſe de aliquo vno genere, ſaltem formaliter diuiſibili, loquendo de ſcientijs humanis, cui doctrinæ non me oppono, ſed viam Caietani longe ſubtiliorem, & quæ nullam ſubeat difficultatem ſequor. Quomodo alia via ſubiectum habeat partes.

Hoc ſubiectum de quo plura iam enunciauimus duplex adhuc eſt, formale, ſcilicet,& materiale, res ipſæ quæ in ſcientia conſiderantur ſunt obiectum materiale, vt in Theologia homo, angelus, virtutes, &c. in naturali philoſophia plantæ, mixta, cœlum, &c. formale autem eſt id in cuius gratiam ſubiectum materiale, hoc eſt res ipſæ tractantur, vt in Theologia Deus, in Philoſophia ens mobile, ſiue corpus naturale, adeo quod in quauis facultate quattuor inueniũtur, obiectum ſcilicet materiale, obiectum formale, ratio obiecti vt res, quæ primo attingitur à ſcientia, & eſt cauſa omnium paſſionum, quæ ſubiecto inſunt, & ratio obiecti vt obiectum, quæ eſt modus ille, & lux, ſub qua tale obiectum artifici conſiderandum ſubijcitur abſtractio nimirum à materia & motu, talis vel talis; Nomine autem ſubiecti formalis intelligo ſemper rem, & quandam naturam, in cuius gratiam omnia conſiderantur, vt exemplum attuli in Theologia, & philoſophia naturali, quare non mihi omnino ſatisfaciunt illi, qui obiectum formale aſſignantes, dant exemplum de hac vel illa abſtractione, hæc enim non eſt obiectum formale, ſi in rigore loqui velimus, ſed eſt ratio ipſius, obiectum vero formale ſemper eſt quædam natura, vel vniuoca, vel ab vno; verum tamen eſt, ideo eſſe obiectum formale, quoniam ſtat ſub tali abſtractione, & poteſt dici, quod ſit illamet abſtractio, ſi non formaliter, ſaltem cauſaliter, & cõſecutiue, vnde non omnino improprie adferunt modo naturam illã vt ſtat ſub abſtractione, modo ipſammet abſtractionẽ. Neque turbetur quis, ſi quo ad exiſtentiam, & obiectiuum conceptum non inuenerit talem naturam, quoniam in naturali ſcientia præter corpora ſimplicia, mixta, plantas, cœlum, &c. quæ dicimus in gratiam corporis naturalis, vel entis mobilis conſiderari, vbi eſt hoc corpus naturale? Similiter in Philoſophia prima ſubiectum materiale erunt omnia entia, formale erit ens, qua ens, in cuius gratiam conſiderabuntur, at præter omnia entia, vbi illud ens? Hoc quippe nihil efficit, nam datur talis natura conceptibus formalibus prædita, cui multa tribuuntur, & de cuius ratione multa ſunt, quæ non conueniunt ſibi quatenus in hoc & illo inferiori inuenitur, vt latius videbimus cap. 4. huius libri, & profecto ſi quid valeret argumentum, periret omnis ſcientia, quæ eſt de vniuerſalibus, quæ ſanè quo ad exiſtentiam à ſingularibus ſeparata non inueniuntur, &c.

In omni ſciẽtia quot inueniantur.

Quid nomine ſubiecti formalis accipiatur.

Huic formali ſubiecto multa tribuuntur; Ego tria potiſſima, & magis ardua quæ de eo ſolent paſſim enunciari examinabo, & primum erit id quod omnes ab Ariſt. edocti docent, vnitatẽ ſcilicet ſcientię ab ipſo, emanare, ſecundũ id quod dicitur, de omnibus veritatibus ſuæ ſcientiæ ab ipſo contentis, tertium, quomodo in ſcientia debeat eſſe notiſſimum, & duplici præcognitione præſupponi, quæ erat conditio primo loco à nobis ſuperius ipſi tributa.

QVÆSTIONES.

Num ſcientia accipiat vnitatem à ſuo ſubiecto?

VT primum quod propoſui definiam, duo præſtabo, nam primo veritatem manifeſtabo, mox difficultates nonnullas emergentes mouebo, & diſſoluam: Sed quoniam alia deinde dubia occaſione eorũ quæ dicenda ſunt ſuborientur, ideo illa ſeorſum mouebo tamquam huic quæſtioni annexa, & eiuſdem ferè articulos.

Concluſio.

Pro primo pono hanc concluſionem: Vnitas obiecti formaliter accepti tri-

buit vnitatem ſpecificam ſcientiæ, adeo vt ex illius vnitate, huius quoque proficiſcatur, & omnino hæc ab illa pendeat.

Pro declaratione huius concluſionis, nota primo, me nolle in præſenti diſcutere, quomodo ſcientia aliqua ſit vna, num ſcilicet vnitate rei, & ſimplicis qualitatis, aut vnitate collectionis, & ordinis; hoc enim nihil facit noſtro propoſito, & difficultas hæc ſeorſum eſſet agenda, quoniam multa adſunt argumenta pro vtraque parte, & doctores nobiles ſcholæ quoque Thomiſticæ in hoc digladiantur; Ipſe tamen ſemper Caiet. opinioné veram magis duxi, cui adhæſit & Ferrarienſis primo con. Gent. cap. 56. quod nimirum ſcientia ſit vna vnitate ſimplicis qualitatis, & quod collectio ſpecierum non ſit ipſa ſcientia eſſentialiter, licet quadruplicem habeant ad ſcientiam relationem, & cauſæ ſcilicet, & effectus, & quaſi partis, & complementi, at eſſentia ſcientiæ ſtat in illa habilitate ſuperaddita intellectui, iuxta quam intellectus facile, prompte, ac delectabiliter conſiderat concluſiones, quæ ſanè habilitas, qualitas quædam eſt in prima ſpecie qualitatis, &c. vt eleganter, & plene habes apud Caiet. prima ſecundæ quæſt. 54. art. 4. ſed nihil de hoc in præſentia. *Quid de ſcientiæ vnitate verius Auctori appareat.. Caietanus. Ferrarienſis.*

Deinde nota, quod cum triplex ſit vnitas, numerica ſcilicet, ſpecifica, & generica, vt docet Ariſtoteles 5. Diuinorum 12. (mitto nunc vnitaté analogiæ ibidem aſſignatam,) & vnitas numerica attendatur ratione materiæ, ſpecifica ratione formæ, generica ratione eiuſdem figuræ prædicationis; non loquimur hic de vnitate ſcientiæ numerica, hæc enim pænes ſubiecta plurificatur, & alia eſt ſcientia quam ego habeo de vna concluſione ab illa, quam de eadem habet Alexander; ſimiliter non eſt ſermo principaliter de vnitate generica, hæc enim non eſt ſimpliciter & vere vnitas, cum iuxta genus multa lateant ex ſeptimo Phyſ. 31. quare loquimur de vnitate ſpecifica, licet conſequenter de vnitate quoque generica, quæ enim ſunt vnum ſpecie, multo magis ſunt vnum genere, &c. *Triplex vnitas. Ariſtotel. De qua ſcientiæ vnitate ſit ſermo.*

Cum autem res plures in qualibet ſcientia adunentur, & dum plures remaneant, vnicam tamen dicatur ſcientiam conſtituere, oportet ſanè, quod ſub vna ratione vendicent ſibi pluralitatem; & ſub alia vnitatem, neque enim fieri poteſt, quod ab vno & eodem ſecundum eandem rationem habeant vtrumque, nam idem ſimiliter ſe habens faciet ſemper idem, ex ſecundo de generatione 56. & contrarij effectus contrarias exigunt cauſas, vt eodé tex. legimus; cumque ab eodem habeat vnumquodque quod ſit ens, & vnum, quarto Diuinorum, tertio, ſi ſcientia habebit vnitatem ab obiecto, habebit & eſſe; in genere autem rei non poſſumus imaginari, quod res conſideratæ in ſcientia habeant vnitatem ab obiecto, iam enim diximus, res ipſas pluralitatem non amittere ex earum in ſcientia adunatione, quare habebunt vnitaté in alio genere, & hoc vocatur genus ſcibile, & veluti res in ſcientia adunatæ non ſunt vnum in re, ſed in genere ſcibili, ita obtinebunt vnitaté ab obiecto, non vt res eſt, ſed vt obiectum, ac ſcibile eſt; ratio quippe formalis ſubiecti vt res eſt, non eſt neceſſe quod ſit vna formaliter, (dico non eſſe neceſſe, poteſt tamen eſſe, ſicut eſt dè Deo in Theologia, cuius ratio etiam vt res, eſt vna formaliſſime, deitas ſcilicet,) ſed ſufficit, quod ſit vna genere, & eo quidem analogo, vt fatetur Ariſtoteles quarto Diuinorum, ſecundo, vt vero ingreditur genus ſcibile, oportet vt ſit vna ſimpliciter, ac formaliter; ſic patet, quod quando dicimus ſcientiam eſſe vnam, quæ eſt vnius generis ſubiecti, non accipitur genus pro genere prædicamenti, ſed pro genere vt dicit rationem vnam ſpecificam obiecti vt obiectum, vt ſcibile, vt reſpicit ſcientiam, vt ipſam terminat, &c. Ita patet reſponſio ad mille motiua, quomodo *Ariſtotel. Quomodo res vnius ſciétiæ obtineant ab obiecto vnitatem. Quæ vnitas ſufficiat rationi formali ſubiectivt res eſt, & quæ vt ſubiectũ eſt.*

modo

modo ſtet vnam ſcientiam poſſe vocari vnam vnitatem ſpecifica, quamuis conſideret res pluſquam genere diuerſas, iam enim conſtat, res illas differre genere rei, non genere ſcibili, hoc enim vnum eſt. Similiter motiua illa, ens diuiditur per ſubſtantiam, & accidens, per vnum, & multa, per potentiam, & actum, ergo penes hæc deberet differentia ſcientiarum attendi, rurſus penes animatum, & inanimatum, hæc enim apparent eſſe differentiæ magis eſſentiales entis, quam abſtrahere hoc, vel illo modo à materia, & à motu; Ad omnia patet ſolutio, quoniam commemorata ſunt magis eſſentialia enti vt ens, non vt ſcibile: non autem primo modo, ſed ſecundo attenditur differentia ſcientiarũ; Ita docuit Auctor quæſt. ſecunda de virtutibus, primis verbis art. 4. vnitatẽ potentiæ, vel habitus ex obiecto conſiderandam eſſe, non materiali, ſed formali, quoniam potentia hoc ipſum quod eſt dicitur in ordine ad potẽtiale, quod eſt eius obiectum, & habitus nil aliud eſt, quam diſpoſitio quædam potentiæ ad ſuum obiectũ perfectiua, idem aperte docet p. p. q. 1. art. 3. vbi definit ſacram Theologiam ideo eſſe vnam, quoniam eſt vnius obiecti formaliter accepti.

D. Thom.

Cum autem iam dixerimus rationem obiecti vt obiectum, eſſe hunc vel illum abſtractionis modum à motu, & materia, & addiderimus iuxta talem rationem ſortiri vnitatẽ ſcientias ipſas, illud conſequetur, quod diſtinguantur res in ſcientia penes obiectum, quatenus hoc vel illo modo abſtrahit à materia, & à motu. Eſt autem neceſſaria in ſcientijs hæc abſtractio, quoniam id quod ſcitur impoſſibile eſt, quod aliter ſe habeat, atque ideo immobile eſt, motum non concernens, vt patet ex Ariſtotele primo Poſteriorum, cap. ſecundo, & alibi, vt ſuperius dicebamus, rurſus oportet quod ſit immateriale, materialia enim non intelliguntur, ſed ſi debeant intelligi, oportet quod exuant conditiones materiam concernentes, vt fuſius patebit quæſtione de primo cognito; hinc ratione primi, habitus ſcientificus abſtrahet à motu, ratione ſecundi abſtrahet à materia, & cum tripliciter hæc abſtractio fieri poſſit, ex ſexto Diuinorum, ſecundo, vbi ex varia abſtractione collegit Ariſtoteles tres tantum eſſe ſcientias ſpeculatiuas, naturalem ſcilicet, mathematicam, & diuinam, iuxta diuerſitates abſtractionis diuerſificantur & ſcientiæ, & vbi res ſcitæ non poterunt ſub vna, eademq. abſtractione cadere, non poterunt vni ſcientiæ ſubeſſe, vbi autẽ æquo modo abſtrahent, ſub ambitu vnius ſcientiæ current, quod ſanè accipiendum eſt de abſtractione formali, ſecundum quam id quod abſtrahitur ſe habet vt forma eius à quo abſtrahitur, non autem de abſtractione totali iuxta quam quod abſtrahitur ſe habet vt totum vniuerſale in ordine ad id à quo abſtrahitur, in hac ſiquidem poſteriori abſtractione ſcientiæ omnes conueniunt, cum nulla ſingularia concernat, at iuxta formalis abſtractionis varios modos, variæ emergunt ſcientiæ.

Ariſtot.

Abſtractio formalis & totalis.

Ariſtot.

Quando ergo docuit Ariſtoteles tertio de anima 38. ſcientias ſecari quemadmodum & res, non accipias res vt res, materialiter quo ad entitatem, quo ad naturam, tunc enim infinitæ forent ſcientiæ, quare male loco allegato ſexti Diuinorum, & cap. 6. 11. eorundem omnem ſpeculatiuam ſcientiam ad ternarium numerum redactam legeremus, immo de rebus ipſis vt ſic nequit eſſe ſcientia: ſed accipias res vt ſcibiles, vt genus ſcibile ſubintrant, vt diuerſimode ſe habent ad abſtractionem à motu & materia, quæ eſt ratio formalis obiecti vt obiectum eſt, à qua, vel à quo obiecto vt ſub illa ſtat accipiunt vnitatem. Non colligas tamen me docere, non ſecari ſcientias ſecundum res, ed ſolum doceo, quod non ſecundum quaſcumque res, neque ſecundum quarumcumque rerum diſtin-

Quomodo ſcientiæ ſecãtur vt res.

Ariſtot.

diſtinctionem, ſed penes res, quas illæ diſtinctiones comitentur, quæ genus ſcibile partiantur; Et certe dum dico partiri ſcientias ſecundum res vt ſcibiles, ly vt ſcibiles tantum abeſt vt excludat res, quod eas neceſſario includit, ſupponit, & comitatur, quoniam enim ex ſui natura res aliqua talis eſt, ideo hoc & illo modo abſtrahit à materia,& non quoniam hoc & illo modo abſtrahit, talis res vt res eſt, ſed ſolum eſt tali & tali via ſcibilis, adeo quod res eſt cauſa abſtractionis, abſtractio ſcibilitatis; cum quo ſtat, immo neceſſe eſt, vt res ſit cauſa ſcibilitatis remote, media ſcilicet abſtractione, cuius res eſt proxime cauſa, quo ad fundamentum & radicem; nam formaliter intellectus eſt cauſa abſtractionis, numquam tamen hoc vel illo modo abſtraheret, niſi hoc & illud hæc & illa natura eſſet, vt paulo inferius plenius docebo. Scio Zimaram theoremate 109. aliam adhibere gloſſam illi propoſitioni, Scientiæ ſecãtur vt res, vt ſcilicet intelligatur quo ad diuiſionem, quæ fit ſecundum potentiam & actum, vt ſcilicet ſcientia in actu ad ſcibile in actu,& ad ſcibile in potentia ſcientia in potentia referatur, quam interpretationem repetit in tabula, verbo ſcientia, quo tamen loco ſubdit & illam quam ipſe attuli, & quæ ſola meo propoſito nunc inſeruit. Zimara.

Nota vlterius, quod hanc formalem abſtractionem credo ego veram eſſe rationem formalem ſub qua diſtinctionis ſcientiarum, & non tantum conditionem, vt placet cuidã ex noſtris doctiſſimo ſuper art.3.1. quæſt.p.p. ſic enim docet Caietan. & omnes quos vidi, abſtractionem videlicet eſſe illam per quam diſtinguuntur ſcientiæ, vt idem auctor fatetur, at omnes explicat, vt velint ſcientias diſtingui per abſtractiones tamquam per conditionem, veluti dicunt omnes, ſcientias eſſe de vniuerſalibus, quam quidem vniuerſalitatem conſtat eſſe conditionem obiecti, ſub qua obijcitur intellectui.

Quomodo formalis abſtractio ſit cauſa diſtinctionis ſcientiarum cõtra virum doctũ. Caietan.

At certe malo omnes intelligere de cauſa, quam de conditione, ſic enim diligenter inquirens, ac definiens Ariſtoteles per quid diſtinguantur ſcientiæ, aſſignauit ſexto Diuinorum, ſecundo ipſam multiplicem abſtractionem; diminutus ergo fuiſſet, ſi conditionem ſolum, & non veram cauſam allegaſſet. Adde, quod præfatus Doctor aſſignãs cauſam veram, ſub qua omne ſcibile cognoſcitur, ait, quod eſt quoddam lumen, at quid eſt hæc abſtractio, niſi lumen, per quod res obijcitur intellectui? quando enim dicimus res illuminari lumine agentis intellectus ad hoc, vt à poſſibili intelligantur, quid amabo fit, niſi remotio conditionum indiuidualium, & ab eis abſtractio? at quando res ſunt à materia abſtractæ, an non ſunt lumine vt ita loquar colluſtratæ? Reſpondebit, eſſe quidem hanc abſtractionem lumen, (ideo non valde ſolicitus ſum in hoc probando,) ſed ait, non eſſe lumen intrinſecum habitui ſcientifico, requiritur autem intrinſecum lumen ipſi ſcientiæ, per quod in eſſe ſcientiæ conſtituatur, & ab alia diſtinguatur, vt habet in ſecundo ſuo argumento, quod formauit ad poſitionem ſuam probandam; At nihil concludit hoc argumentum, iam enim fatentur omnes, ſcientiam accipere vnitatẽ ab obiecto, & ex conſequenti entitatem, vt ſuperius deduxi, & vt ab omnibus datur, & tamen ex omnium ſententia obiectũ eſt extrinſecum ipſi ſcientiæ, verum tamen eſt, quod ordo quem dicit ſcientia ad obiectum eſt ſibi intrinſecus, & eſt relatio non prædicamẽtalis, ſed tranſcendẽtalis, quæ conuertitur cum re cuius eſt relatio, ſi itaque ſcientia ſumit eſſe, vnitatem, & diſtinctionem ab aliquo extrinſeco, nihil certe concludit argumentũ. An non eſt res patentiſſima, in ore omnium, præcipue Thomiſtarum poſita, ab omnibus edocta, & potiſſimũ a Caietan. in com. art. 3. q. 77. p. p. vbi inquirit

Ariſtot.

Quomodo obiectum extrinſecum & intrinſecum ſcientiæ.

Qualis relatio ſcientiæ ad obiectum.

Caietan.

Auctor

D. Thom. Auctor, num potentiæ diſtinguantur per obiecta, & iterata ab vtroque Thoma p. ſec. q. 52. art. 1. quod potentiæ, habitus, (ergo certe & ſcientiæ,) & alia eiuſcemodi ſunt entitates quædam mediæ inter abſolutas, & reſpectiuas omnino? Abſoluta enim nihil extra ſe reſpiciunt, relatiua totum omnino extra ſe intuentur; quoniam eorum eſſe in hoc ſtat, vt ad aliud ſe habeant, vt dicebat in Cathegorijs Ariſtoteles illa deſcribens, potentiæ vero, habitus, actiones, paſſiones, materia, & reliqua id genus partim reſpiciunt aliquid extra ſe, & partim non, extra quidem rem ipſam, non autem extra eius definitionem; actus namque de neceſſitate includuntur in diffinitionibus potentiarum, & obiecta in definitione ſcientiarum, nam potentia ſecundum id quod eſt eſſentialiter dicitur ad actum, quoniam non eſt res abſoluta ab actu, & obiecto, licet abſoluta à termino: ſic mediam ſedem tenet inter genera abſoluta, & genus relationis, illa enim ſunt abſoluta à termino, & ab actu, relatiua concernunt neceſſario terminum, potentiæ autem, habitus, & his ſimilia abſoluta ſunt à termino, non ab actu, & obiecto, non per aliquid ſuperadditum, ſed per ſuas eſſentias eſſentialiter ordinem dicunt ad actus & obiecta, adeo quod abſque ipſis neque prima intellectus operatione queant appræhendi, cui doctrinæ idem Doctor p. p. loco nominato ſe ſubſcripſit in reſp. ad tertium quoddam argumentum, quod eandem petit difficultatē, quam illud in præſenti ab ipſo confectum. Quando ergo ait, ratio formalis ſub qua debet eſſe aliquid per quod ſcientia formaliter conſtituatur in ſpecie, concedo, quando infert, ergo debet eſſe aliquid intrinſecum ipſi ſcientiæ, dic intrinſecum definitioni, non rei, quoniam ſcientia eſt in earum rerum claſſe, quæ in eſſe conſtituuntur, & diſtinguuntur per aliquid extrinſecum, modo iam declarato. Vel facilius dicas, bifariam poſſe conſiderari ſcientiam, vno modo vt res quædam & qualitas eſt, alio modo vt refertur ad ſcibile, primo modo nihil reſpicit extra ſe, cum ſit vt ſic in prima ſpecie qualitatis locata, ſecundo modo cum iam ad ſcibile ordinem dicat, oportet vtique, quod id reſpiciat, & quod ab ipſo vnitatē ſumat & diſtinctionem; ſcibile autem nil aliud eſt quam obiectum, ſine quo ſcientia formaliter vt ſcientia nedum non eſſe, ſed nec percipi poteſt; vnde ad confirmationem quandam quam pro ſuo hoc argumento affert, patet nedum quomodo poſſit reſponderi, ſed & quomodo reflecti valeat; ait enim & bene, quod relatio ſcientiæ ad ſcibile realis eſt, omnis autem realis relatio intrinſeca eſt ei quod denominat, ergo relatio ſcientiæ ad ſcibile eſt ipſi ſcientiæ intrinſeca, ergo multo magis ratio formalis ſpecificans ſcientiam, quoniam relatio ſequitur talem rationem formalem tamquam fundamentum; iam ſiquidem elucet, quomodo hæc ratio formalis ſit & non ſit intrinſeca ipſi ſcientiæ, & profecto ſit ei quantumuis intrinſeca, numquam poterit poni magis intrinſeca, quam ſi ponatur eſſe ipſamet ſcientia, & tamen ipſa ſcientia ſumit vnitatem & ſpeciem ab extrinſeco, modo declarato. Tunc non ſiſtas, ſed argumento ſuo argue contra ipſum ſic, ſcientia realiter refertur ad ſcibile, ergo illud reſpicit, ſed ſcibile eſt extrinſecum ſcientiæ, & ab hoc ſortitur ſcientia vnitatē, eſſe, & diſtinctionem, ergo per aliquid extrinſecum diſtinguitur ſcientia, ergo non inconuenit per abſtractionem hanc vel illam tamquam per cauſam, & nedum tamquam per conditionem conſtitui & diſtingui ſcientiam, non dico in eſſe ſcientiæ vt ſic, ſed in eſſe huius, & illius ſcientiæ.

Ariſtot.

Potentiæ, & habitus à quo ſint & nō ſint abſoluti.

In qua rerum ſerie ſit ſcientia.

Duplex ſcientiæ conſideratio.

Sed probo adhuc opinionē quam ſequor; obiectum eſt cauſa vera, & non ſolum conditio conſtitutionis & diſtinctionis ſcientiæ, ergo pariter talis & talis abſtractio eſt cauſa, probo collectionē, quoniam nihil aliud eſt obiectum quam

Obiectū vere cōſtituit & diſtinguit ſciētias.

talis

talis abſtractio, loquendo de obiecto formaliter accepto, vt ſuperius innuebam, quod mente voluens Caiet. ſuper art. tertium q.p.p.p. ſubtiliter, vt ſemper dicebat, quod hæc ratio formalis, hæc abſtractio eſt denominatiua obiecti ſimpliciter, vt ſcilicet res eſt, denominatur enim per hanc ſcibile, ſed hæc eadem eſt quidditatiua ſibi, vt eſt ſub genere ſcibili, quod eſt eſſe ſub genere obiecti, quoniam ſcibile eſt ſpecies obiecti, non enim conſtituitur in eſſe obiecti, niſi ſit abſtractum, loquendo de abſtractione fundamentaliter accepta; ſcio enim abſtractioně formaliter acceptā fieri per opus intellectus, tamen fundamětaliter eſt in ipſis rebus, nam quorſum magis hæc res, quam illa, hoc & illo modo abſtraheretur, niſi illud ex natura rerum proueniret? Certe ſi abſtractio ab intellectu omnino penderet, non adeſſet certa norma ſcientiarum, ſed res ſpectantes ad vnam, poſſent ſimul ad aliam ſcientiam attinere, quando nil prohiberet, vt intellectus vltra primā, faceret & aliam abſtractionem, ſi ex ipſa rerum natura metienda non eſſet; ſiquidem res ipſæ, vt docebat idem Caiet. primo Poſterior. cap. 22. non quia hoc & illo modo abſtrahunt, ſunt hæ, & illæ res, ſed quoniam ſunt hæ res, hoc, & illo modo abſtrahunt, vt ſuperius etiam dicebam: Sic patet, quid ſit dicendum ad aliud argumentum ſuum, quando ait, abſtractionem eſſe ſecundam tantum intentionem, nam hoc verum eſt quo ad illud complementum, & formalitatem, (vnde melius dicitur abſtractio compleri per opus intellectus, quā fieri,) ſed quo ad entitatě eſt quid maxime reale, vtpote ipſamet rei natura, vt patefeci; Quando demum addit, quod licet ſit maior vel minor abſtractio, non ob hoc diuerſi ſiunt habitus, quoniam idem eſt habitus omnium principiorum, veluti, Quodlibet eſt, vel non eſt, Quæcunque ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe, Natura eſt principium motus, & quietis, & tamen primum abſtrahit à materia quoque intelligibili, ſecundum à materia ſolum ſecundum eſſe, tertium à materia tantum ſingulari, &c. Reſpondeo primo, quod ſi hoc argumentum aliquid efficeret, efficeret quoque, vt abſtractio neque tamquam conditio exigeretur ad ſcientiarum diſtinctionem, iam enim ait, dari habitum eundem abſq. tali vel tali abſtractione, quod pariter contra ipſum militaret. Reſpondeo ſecundo, quod nos loquimur de ſcientijs, non de habitu primorum principiorum, de quibus principijs non eſt ſcientia, cum hæc concluſiones ſolum reſpiciat, vnde ipſemet fatetur, quod poſtea in diſcurſu, qui ex his principijs deducitur, (ecce ſcientiam) alio, & alio lumine opus eſt, vt cognoſcantur, & magis, vel minus abſtracta à materia ſciantur.

Caietanus. Quid reſpiciat ſcientia.

Habitus quidem illi quinque intellectuales, de quibus meminit Ariſtoteles ſexto Ethicorum cap. 3. intellectus ſcilicet, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars, ſi tamquam habitus vt ſic conſiderantur perficientes intellectum, & tamquam virtutes, quo etiam modo eos conſiderabat Auctor prima ſec. q. 57. art. 2. diſtinguuntur iuxta alium, & alium modum perficiendi intellectum, nam alio modo perficitur intellectus, dum facit iudicium de rebus per altiſſimas cauſas, quod præſtat ſapientia, alio modo per cauſas inferiores, quod fit per ſcientiam, alio modo, dum ſola principia intuetur, quod fit per habitum, qui dicitur intellectus, quamquam enim principia tamquam ratio concluſionis pertinent ad ſciětiam, cognita tamen ſecundum ſe, non ex aliqua demonſtratione, ſed ex proprijs terminis, ſpectant ad habitum intellectus, vt ibidem colligitur ex Auctore ad ſecundum; & iuxta hanc conſiderationem non diſtinguuntur ſcientiæ penes obiecta, ſed ratione cognitionis: At de his, patet nos in præſentia non loqui ſub hac ratione, vt etiam adnotauit Sotus primo Poſteriorum cap. 25. quæſtione ſepti-

Ariſtot. D. Thom. Sotus.

ma ſecunda concluſione. Nego tandem, quod in cognitione diuerſorum principiorum, de quibus allatum fuit exemplum ſit idem lumen, quoniam ex cognitione ſola terminorum illuceſcit primum, non ſic ſecundum, & multo minus Munus Metaphyſicæ. tertium, vnde ad Metaphyſicam attinet probare aliarum ſcientiarum principia; quare principium illud in philoſophia, in quo clauditur naturæ definitio non eſt vbique omnino notum, licet ſit notum in illa ſcientia; ſic non eſt idem dicere, omnia principia cognoſcuntur habitu illo, qui dicitur intellectus, ergo eodem lumine, quoniam eodem habitu, & notiora, & minus nota, alia, & alia ratione aſſequimur. Quod vltimo videbatur pro ipſo facere, quod ſcilicet ſcientiæ ab omnibus dicũtur de vniuerſalibus, & tamen vniuerſalitas ſit conditio, non res, & quod ſimiliter abſtractio ſit tantum conditio, non eſt par ratio, quoniam doctores ſe explicarunt, dum dixerunt ſcientias eſſe de vniuerſalibus, dixerunt Caietan. enim, ly vniuerſale eſſe conditionem ſicut Caiet. non ſemel q. 7. huius lib. cap. 4. dum reſpondet ad argumenta Scoti, & fuſiſſime primo Poſteriorum cap. 9. & Capreol. Capreolus 3. ſent. diſt. 5. q. 3. in 2. reſp. ad primum Scoti, quod pluribus in locis colligitur ex Auctore, quæ vide in Capreolo ibidem, quando autem locuti ſunt de diſtinctione ſcientiarum, pro cauſa aſſignarunt varios abſtractio- D. Thom. nis modos abſolute loquentes, vt Auctor ſuper proœmium primi Phyſicorum, Caietan. & ſuper Boetium de Trinitate q. 5. art. 1. & 1. Poſterior. cap. 23. lect. 41. Ca- Capreol. iet. primo Poſterior. cap. 22. & 1. p. q. p. art. 3. Capreolus prologo primi ſen- Ferrariẽſis. tentiarum, quæſtione tertia, concluſione ſecunda, Ferrarienſis ſecundo con. Gent. Alexander. cap. 4. Alexan. ſexto Diuinorum, comm. 2. Auerroes ibidem, & omnes prope Auerroes. expoſitores, & qui quæſtiones ibidem formarunt, vt Iandunus quæſt. tertia, & Iandunus. quarta, Aquarius dilucidatione tertia, Paulus Soncinas quæſtione octaua, Domi- Aquarius. nicus Flandrien. quæſt. tertia art. 1. & q. 6. art. quoque primo.

Soncinas. Maneat ergo, diſtingui ſcientias penes obiecta formaliter accepta, hoc eſt, vt Flandrien. ſtant ſub tali, vel tali abſtractione, quæ abſtractio nedum eſt conditio, ſed & vera cauſa, (neque enim facile eſt aliud pro vera cauſa inuenire) diſtinctionis ſcientiarum.

Obſerua quinetiam, me ſuſtinere commemoratas abſtractiones eſſe cauſam cur ſcientiæ diſtinguantur, non tantum genere, ſed & ſpecie, licet contrarium Paulus Soncinas. aſtruat Paulus Soncinas ſexto Diuinorum, quæſt. ſua octaua, tertia concluſione, vbi enim docuit in ſecunda concluſione, diſtinctionem genericam in ſcientijs ſumi iuxta varium abſtrahendi modum, deinde in ſequenti, illud de ſpecifica di- Aquarius. ſtinctione negat, cui forſan adhæſit Aquarius dilucidatione tertia ſexti Diuinorum, prope finem: Dixi forſan, quoniam non negat ſumi differentiam ſpecificam ſcientiarum penes abſtractionem, ſed ſolum ait, ſecundum has abſtractiones genericam differentiam deſumi, in calce tamen dilucidationis confutaturus quoddam argumentum, ait illud procedere de ſpecifica diſtinctione, atque ideo non eſſe ad propoſitum, cum ipſe de generica loquatur, innuens diſtinctionem Mẽs Auctο. ſpecificam ſtare cum identitate abſtractionis. Ipſe vero cenſeo cum Caietan. Caietan. locis memoratis, penes abſtractionem, & rationem formalem ſcientias nedum Capreol. genere, ſed & ſpecie diſtingui, quod & ante docuit Capreolus concluſione 3. quæſt. tertiæ, in prologo primi, & alij. Id tamen ſciendum, hoc fore intelligendum de abſtractione, quæ in indiuiſibili vt ita loquar conſiſtit, in qua ſcilicet nõ eſt magis aut minus, vt gratia exempli, habitus ſcientifici philoſophiæ naturalis idem ſpecie dicerentur, qui per ſe primo reſpicerent obiecta ſua ſub ratione mobilis, ſic quod illa ratio eſſet formalis, & adæquata in obiectis illorum habituũ;

& cui-

& cuilibet eorum, ita nimirum, quod habitus non plus ſe extenderet, quam illa ratio, neque illa ratio, quam habitus, quod quoniam non inuenitur, ideo exiſtimo, quod ſpecie partes ſcientiæ naturalis diſtinguantur, vt ſcientia libri de cœlo à ſcientia libri de generatione, quoniam in libris de cœlo conſideratur ratio mobilis, vt ſcibile eſt ſecundum locum tantum, in libro de generatione, vt mobilis ad formam realem augmenti, alterationis, &c. Sed de his infra erit latior ſermo. Ita ruit primum argumentũ Soncinatis, quo probare nitebatur, iuxta abſtractiones varias non diſtingui ſpecie ſcientias, dicebat enim, quod adeſt diſtinctio ſpecifica in partibus philoſophiæ, & mathematicæ, in quibus tamen eſt eadem ratio formalis ſub qua, patet enim, non eſſe eandem, ita vt ſufficiat dare vnitatem ſpecificam, quoniam neque in philoſophia, neque in mathematica, (in qua res adhuc eſt clarior) ſtat abſtractio in indiuiſibili; quod ſi forſan voluit dicere, non ſumi vnitatem ſpecificam ſcientiarum ab abſtractionibus, de quibus ibi loquebatur, videlicet de illis tribus recenſitis ab Ariſtotele ſexto Diuinorum, ſecundo, nihil contra nos, eſt enim verum, quod ab illis vt ſic nequit ſumi niſi vnitas generica, quod ſi ſpecifica ſumenda ſit, oportet rationes illas formales, non abſolute, ſed in indiuiſibili conſiſtentes ſumi, quoniam tamen vult ſpecificam ſcientiarum vnitatem deſumi ex ratione formali obiecti, vt res eſt, idcirco ſentio, ipſum ſimpliciter voluiſſe, non poſſe talem diſtinctionem ſumi, vel vnitatẽ, à quauis ratione formali obiecti, vt obiectum eſt, licet & indiuiſibili, ideo ab eius ſententia recedo; Quid autem ſecundo argumento ſuo ſit dicendũ, inferius patebit, dum alio dubio reſponſum dabo.

Qualis diſtinctio inter partes philoſophiæ naturalis.

Ariſtot.

Illud ergo conſtitutum habeatur, quod vnitas nedum generica, ſed & ſpecifica deſumitur ex ratione formali ſub qua obiectorum, quæ in ſcientia conſiderantur, & mille licet ſint concluſiones in aliqua ſcientia demonſtratæ, omnium tamen eſt vnica ſpecie ſcientia, licet doctiſſimus quidam auctor in commen. ſuis acutiſſimis ſuper art. tertiũ p.q.p.p. doceat, ſcientias ſpecifice diſtingui pro diuerſitate concluſionum, quæ ſciuntur, quod & repetit art. 7. eiuſdem quæſtionis, quod ſanè conatur ſuadere, quoniam intellectus licet ſit ſpecies infima, & elicitiuus omnium actuum intelligendi, concurrit tamen tamquam cauſa vniuerſalis, & iuxta ſpecificam diuerſitatem ſingularum rerum à quibus tamquam à cauſis determinatur ad productionem potius huius, quam illius intellectionis, tum actus intelligendi, tum termini qui per illos actus producũtur, ſpecies ſcilicet expreſſæ, ſiue formales conceptus ſpecie diſtinguũtur, quod manifeſtat quoque in facultate vidente, quoniam enim viſus determinatur à ſpecie candoris, vt eliciat actum, quo candorem ipſum videat, quæ impreſſa ſpecies candoris, ſpecie differt ab alia ſpecie alterius coloris, quando candorem aſpicimus, producitur viſio ſpecie diſtincta à viſione qua videtur nigrum, idem ait euenire in reliquis omnibus ſenſibilibus facultatibus, quoniam pro rerum diuerſitate quæ obijciuntur, actus cognoſcendi, ſpecies expreſſæ, & notitiæ ſecernuntur ſpecie, ſic eſt de intellectu poſſibili actuato ſpeciebus rerum ſpecie differentium, nam & ipſe producet notitias ſpecie differentes; idem iudicium facit de aſſenſu primorum principiorum, determinatur namque intellectus à notitijs terminorum, ſic pro eorum ſpecifica diuerſitate, aſſenſus primorum principiorum ſpecie diſtinctos elicit; Vnde tandem concludit in naturalibus, de diuerſis concluſionibus gigni ſemper actus ſciendi, atque ideo habitus ſpecie diſtinctos, quod probat ex modo dictis quo ad principia, quæ ad eliciendam concluſionem concurrunt; ſemper enim interuenit, vel vnum principium peculiare diſtinctum ab alijs, merito quo-

Viri ſapientis ſententia. ſciẽtias ſpecifice diſtingui pro concluſionũ diuerſitate.

rum adeſt concluſionum aliarum ſcientia, hinc & concluſio quæ colligetur, erit ſpecie diſtincta ab alijs concluſionibus, &c. Hoc eſt huius viri placitum, quod ſi verum foret, euerteret quæ hucuſque diximus, quare euertátur potius eius dicta, quam ea quæ nos attulimus conformia Auctori, & veritati; Et omnia ex doctrina tradita ruunt, ſic melior apparebit, iuxta illud Ariſtotelis 4. Phyſic. 31. tunc pulcherrime vnumquodq. demonſtrari, quando ex illo difficultates emergentes ſoluuntur; ſic corruunt omnia motiua, inſpiciendo duplex illud genus, rerum ſcilicet vt ſic, & earundem, vt ſcibiles; concedo enim, imprimi in intellectu ſpecies rerum differentium ſpecie, atque ab his tamquam à cauſis, ſeu potius concauſis particularibus intellectum determinari, ergo actus intelligendi, ergo termini, ergo concluſiones ex ipſis deductæ differunt ſpecie, nego in genere ſcibili, dum tamen eodem modo abſtrahant à materia, & à motu, & ſub eadem ratione formali claudantur. Ita viſu vidente album, & nigrum, adſunt duæ viſiones duorum obiectorum ſpecie differentium in eſſe naturæ, non in eſſe qualitatis ſenſibilis formaliter, eodem ſiquidem modo immutant viſum. Et præterquam quod horret intellectus tot entium ſpecifice diſtinctorum abſque vlla neceſſitate multiplicationem; ſciſcitor ego ab hoc auctore, quare non ponat concluſiones quaſdam generice diſtingui, cum intellectus ſæpe determinetur à ſpeciebus impreſſis rerum, nedum ſpecie, ſed & genere diſtinctarum, vt dum intelligit hominem, & plantam? ſi enim diſtinctio in natura parit hanc in ſcientijs diſtinctionem, eadem eſt ratio de diſtinctione ſpeciei ac generis; præterea, quomodo vult omnes concluſiones ſpecie diſtingui, ſi plures earum poſſunt eſſe de rebus, quæ ſolo numero differant? Dicet, & dixit, ad concluſionem eliciendam requiritur ſemper aliud principium, dico duo, requiritur aliud principium in genere rei, non in genere ſcibili, deinde neque ſemper ad omnem concluſionem requiritur aliud principium ſpecie ab alijs diſtinctum, quando ſcilicet elicitur concluſio rei, quæ ſpecie ab alijs non differat. Præterea, male ex vario modo abſtrahendi collegiſſet Ariſtoteles numerum ſcientiarum ſexto Diuinorũ 2. & 11. eorundem cap. 6. ſed illud ei erat efficiendum ex numero concluſionum. Dicet forſan, Ariſtotelem collegiſſe numerum ſcientiarum quo ad genus, non quo ad ſpeciem, admitto, at vero ſi ex eodem modo abſtractionis genericæ colligitur genus ſcientiarum, quare ex eodem modo abſtractionis ſpecificæ non colligũtur ſpecies ſcientiarum? conſtat autem manifeſte, mille concluſiones eiuſdem ſcientiæ vniformiter prorſus abſtrahere, quare vel genus ſcibile aliquid facit, vel nihil, ſi aliquid, vt vult Ariſtoteles, ergo, & ſpecies ſcibilis faciet. Sed & res clara eſt, magis differre concluſiones Arithmeticæ, & Geometriæ, quam concluſiones Arithmeticas ab inuicem, & hæ per ipſum ſpecie differunt, ergo illæ differunt genere, quod eſt falſiſſimum, cum ſub eodem genere mathematico claudantur. Rurſus, maior erit inuenienda differentia concluſionum phyſicarũm, & mathematicarum, quam ſit diſtinctio generica, hæ enim plus differunt, quam cõcluſiones arithmeticarum, & geometricarum: ſcimus autem ex Ariſtotele, genere ſolum has ſcientias differre; adde, quod peribit tota ſcientiarum ſubalternatio; oportebit enim, quod ſubalternantis, & ſubalternatæ concluſiones differant pluſquam ſpecie, (ſiquidem duæ concluſiones ſubalternantis ſpecie ponuntur differre,) ergo genere, ergo nulla erit ſubalternatio. Certe ſi genus ſcibile ponitur, ſi genus ſcibile aliquid facit ad vnitatem ſcientiarum, & diſtinctionem, nil improbabilius video opinione huius viri, nil remotius à doctrina illius Doctoris ſancti, cuius tamen ſe expoſitorem gerit, quare &c.

Ariſtot.

Soluuntur illius viri motiua.

Quomodo viſio albi & nigri differant.

Arguitur contra ipſum.

Quando, & qualis principij diuerſitas ad concluſionem inferendam requiratur.

Ariſtot.

Quo

Quo ad ſecundum, vt quæ hucuſque diximus de vnitate, ac diſtinctione ſcientiarum, & quæ in horum gratiam inſeruimus clariora appareant, moueo quaſdam difficultates; Et prima ſit, quare veluti diſtinguũtur ſcientiæ per abſtractionẽ à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem, ſecundum rationem, & non ſecundũ eſſe, neque ſecundum rationem, neque ſecundũ eſſe, vnde per primã conſtituitur prima philoſophia, per ſecundã mathematica, per tertiam ſciẽtia naturalis, ita non datur aliud quartũ genus ſcientiæ, quæ abſtrahatur à materia ſecundũ eſſe, & nõ ſecundum rationem? Rurſus, quare primum membrũ abſtractionis non diſtinguitur in abſtractionẽ ſecundum eſſe, & ſecundum rationem totaliter, vt ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ ſecundum ſibi propria, & abſtractionẽ ſecundum eſſe, & rationem, cum quadam analogia ad materialia, & immaterialia, veluti ſunt ea, de quibus eſt tota ferè metaphyſica, vt actus, potentia, vnum, multa, & mille alia? Tandem, quare non datur aliqua ſcientia media inter mathematicã, & metaphyſicam, ſicut datur inter mathematicam, & naturalem? vt enim eſt ordo inter mathematicam, & naturalem, ita deberet eſſe inter metaphyſicam & mathematicam ſic dandæ eſſent ſcientiæ mediæ, veluti videmus dari inter naturalem, & mathematicam, muſica ſcilicet, perſpectiua, & aſtronomia, vt docebat Ariſtoteles ſecundo phyſicorum 17. & ſequentibus. Occurro primæ difficultati dicendo, fieri non poſſe, vt detur quartum illud genus ſcientiæ, & ratio poteſt colligi ex ijs, quæ in præcedentibus dixi, quando generis ſcibilis conditiones aſſignabam, dicebam enim, opus eſſe, vt ſcibile abſtrahat à motu, ad hoc vt immobiliter ſe habeat, & ſit neceſſarium, & à materia, vt poſſit ab intellectu attingi, quare nequit fieri, vt ſit de illo ſcientia, quod ſit à materia abſtractum ſecundum eſſe, non autem ſecundum conſiderationem, tunc enim, ſi cum materia conſideratur, non eſſet ſcibile, omnis enim ſcientia à materia ſaltem ſignata abſtrahit; certe ſi aliqua ſcientia conſideraret res abſtractas à materia ſecundum eſſe, & tamen ipſa ſecundum rationem eas non faceret abſtractas, rem ſecundum ſe ſcibilem poneret non ſcibilem, vel ſaltem minus ſcibilem, vt pote à materia ſecretam, minus ſcibilem redderet, eam ſcilicet cum materia complicando, quod rationi ſcientiæ repugnat, cuius eſt illuſtrare, non obſcurare ea, de quibus eſt ſcientia, vt cernimus in mathematica, quippe quæ res cum materia coniunctas tractat, & tamen eas abſque materia ſenſibili contemplatur, in qua tamen abſtractione non contingit error, quoniam non dicit illa eſſe abſtracta, ſed abſque materia ea conſiderat, ſic non eſt abſtractio per ſecundam intellectus operationem, nam tunc falſum diceret mathematica, ſed per primam, in qua vnum abſque alio conſideratur, quod fieri poteſt, quando vnum non ſit de alterius eſſentia, ac ratione, (hinc prima intellectus operatione nequeo intelligere hominem abſque rationali,) in qua abſtractione potiſſimum non eſt mendacium, auctore Ariſtotele ſecundo phyſic. 18. ſed & tertio de anima 26. docebat falſitatem poſſe eſſe in illo intellectu, qui dicit aliquid de aliquo, hoc eſt in ſecunda intellectus operatione, non autem in illo, qui dicit rei quidditatem, hic enim eſt ſemper verus, in prima ſcilicet operatione, &c. Denique entia, quæ ſunt abſtracta ſecundum eſſe metaphyſici ſunt negotij, quare aliud genus ſcientiæ omnino redundaret.

Circa ea quæ dicta ſũt prima difficultas. — *Secunda.* — *Tertia.* — *Ariſtot.* — *Reſponſio ad primam.* — *A qua materia omnis ſciẽtia abſtrahat.* — *Officiũ ſcientiæ.* — *Quomodo res conſideret Mathematica* — *Duplex abſtractio.* — *Ariſtot.* — *Quis intellectus ſemper verus.*

Ad ſecundam dico breuiter, non eſſe tale abſtractum metaphyſicum diſtinguendum eo modo, qui in argumẽto recenſebatur, quoniam cognitio mentium abſtractarum per ſibi propria non eſt humano intellectui in hoc ſtatu poſſibilis, vt cap. 6. huius operis definiemus, quare ſcientias homini poſſibiles enumerauit Ariſtoteles; Auerroes autem, & Græcorum plerique, qui cenſent hominem

Ad ſecundã. Quæ de abſtractis notitia homini in hac vita impoſſibilis. Auerroes.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nem poſſe abſtracta plene contemplari, & præcipue Auerroes, poſt illum ſuum intellectum adeptum, facta illa ſua continuatione, quam oblongo diſcurſu ponit, com. 36. 3. de anima, diceret fortaſſe, quod Ariſtoteles omnem ſcientiam aſſignauit, & de abſtractis quoque, quoniam quo ad prædicta tranſcendentia ſpectat ad Metaphyſicam, cognitio autem ipſorum per eis propria non ſpectat ad ſcientias quæ habetur per diſcurſum, quæ enumerabantur ab Ariſtotele, ſed alio modo habetur; per intellectum ſcilicet adeptum, vnde ipſe Commentator commento vltimo ſuper 9. Diuinorum, non longe à fine ait, quod talis ſcientia non eſt ſicut exiſtimauit Auempace, acquiſita hic per cognitionem, vel per potentiam de modo cogitatiuarum potentiarum, & remittit ſe ad alia loca, quibus ait, ſe hoc determinaſſe, tertio ſcilicet de anima, loco memorato, at hæc poſitio Auerrois cum ſit purum commentum, nullam patitur difficultatem ſufficientia ſcientiarum, quas Ariſtoteles aſſignauit; Adde tu obiter, quod Ariſtoteles enumerauit ſcientias humana via acquiſibiles, neque enim cognouit diuinam Theologiam, &c.

Auerrois falſa poſitio.

Ad tertiam.

Ad tertium dubium facilis eſt reſponſio, Metaphyſica namque, & Mathematica habent ſe ad materiam per contradictionē, quoniam metaphyſicalia vt ſic ſunt omnino abſque materia, mathematicalia autem ſunt cum materia coniuncta, licet per cōſiderationem ſeparata, inter contradictoria autem nullum datur mediū, ſic nequit alia ſcientia inter eas mediare, mathematicalia autem, & naturalia ſunt materiæ coniuncta, licet diuerſimode, & ſic inter ipſa poteſt dari medium, atque ideo mediare aliquæ ſcientiæ; Sed ſtatim dices, ſi ideo non mediat ſcientia inter diuinam & mathematicam, quoniam illa materiam omnino deſerit, hæc autem concernit, ergo pari ratione, non dabitur medium inter diuinam, & naturalem, & ſic inter eas non cadet media mathematica. Reſpondeo negando conſequentiam, & ratio eſt, quoniam non datur aliqua ſcientia media inter diuinam, & naturalem, ſub hac ratione, quod ſit de rebus partim in materia exiſtentibus, & partim non exiſtentibus, tunc enim concluderet ratio, ſed media adeſt mathematica, quæ & ipſa eſt de rebus cum materia ſecundum eſſe coniunctis, quoniam tamen eas non contemplatur, vt ſunt in materia, ideo penes hanc contemplationem, non penes rem exiſtentem, (quæ nulla eſt media) cadit media ſcientia.

Dubitatio.

Ariſtot.

Aliud dubium principale moueo circa id, quod hactenus docui, vnitatem ſcilicet, ac diſtinctionem ſcientiæ deſumi ex obiecto, hoc enim videtur contra Ariſtotelem, qui primo Poſteriorum cap. 23. docuit manifeſte, vnitatem, ac diſtinctionem ſcientiæ ex principijs fore metiendam, & omnes ibidem expoſitores ſic docent, addendo, quod etiam ex diuerſo modo definiendi ſumitur diſtinctio ſcientiarum. Reſpondeo primo, quod ſcientia dupliciter poteſt conſiderari, primo vt eſt habitus quidam, ſecūdo vt eſt motus quidam intellectus ratiocinantis, quo ex quibuſdam principijs tendit in alicuius rei cognitionem, veluti actio quoque ſenſus eſt motus ad id quod ſentitur; ſi ſpectatur ſcientia primo modo, diſtinguitur penes diſtinctionem principiorum, nam habitus iuxta principia ſecernitur, differt quippe habitus liberalitatis ab habitu prudentiæ, quoniam ille ab alijs, iſte ab alijs actibus, (qui ſunt habituum principia, nam habitus gignitur ex actuum crebra iteratione) generatur, ſic conſiderauit Ariſtoteles & alij ſcientiam, quando illam penes principia diſtingui dixerunt. Sin autem ſecundo modo ſpectatur, cum motus ſumat ſpeciem ex termino ad quem, teſte Ariſtotele quinto phyſicorum 5. (ſic diſtinguitur augmentatio ab alteratione.

Solutio prima.

Duplex ſcientiæ conſideratio.

A quo ſpeciē ſumat motus.

Ariſtot.

quoniam

quoniam illa ad quantitatem, hæc ad qualitatem terminatur) ſumet ſpeciem, & vnitatem à re, quæ ſcitur, quoniam hæc eſt ipſius terminus, cum eius cognitio per ſcientiam intendatur, à re in quâ, non materialiter, ſed formaliter accepta, &c. Quam doctrinam colligo ex Auctore primo Poſteriorum lect. 41. vbi docte rem hanc definit, quomodo ſcilicet ſcientia conſiderata vt motus ſumat ſpeciem ab obiecto: Nos hoc ſecundum inſpicientes, & merito, quoniam in gratiam obiecti omnia hæc tradimus, diximus ſemper ſcientiam, vnitatem, ac diſtinctionē ſumere ab obiecto, ſilentio principijs inuolutis. Reſpondeo ſecundo, quod quando dixi ſcientias ſortiri vnitatem & diſtinctionem ab obiecto, dixi quoque hæc à principijs ſortiri, & à modis definiendi, omnia enim hæc conſequenter ſe habent, & mutuo ſe inferunt, nam res patentiſſima eſt, quod ſi varius fuerit modus definiendi, erit quoque varius modus conſiderandi, cum nil aliud ſit definitio, quam rei conſideratio iuxta rationes eiuſdem rei formales, ex hoc autem ſequitur diuerſitas formalis conſideratorum; quoniam ergo diuerſitas formalis eorum quæ conſiderātur, hoc eſt obiectorum ſumitur à diuerſitate definitionū, & varietas definitionum attenditur penes varietates rationum formalium ipſarū rerum, & hæc formalium rationum diſtinctio metitur ex diſtinctione principiorum earundem rerum, ideo enim alia eſt ratio huius ab illa alterius, quoniam alia ſunt principia illius, & alia huius, id profecto ſequitur, quod idem ſit dictu, ſcientiæ diſtinguūtur penes ſubiecta, penes principia, penes definitiones varias, quoniam principia varia inferunt rationes formales varias, rationes formales variæ, varias definitiones, variæ definitiones, varia obiecta formalia, &, certe nemo non videt, aliud definitum, aliam definitionem velle, aliam definitionem, alias rationes formales, & demum alias rationes formales, alia principia. Hoc volebat Auctor loco nominato digrediens pulchre, quod ſicut ratio viſibilis ſumitur ex lumine, quod eſt illud, cuius ope color videtur, ita formalis ratio ſcibilis ſumitur ſecundum principia, ex quibus aliquid ſcitur, hinc quæcumque ſcibilia, materialiter, & ſecundum naturam diuerſa, dummodo per eadē principia ſciantur, ad eandem ſcientiam facient, quoniam conuenient in eo quod ſcibilia, ſi autem ſint aliqua eadem ſecundum naturam, & tamen per diuerſa principia conſiderētur, ad diuerſas ſpectant ſcientias, ſic eadem terræ rotunditas per vnum principium à phyſico, per aliud ab aſtronomo conſiderata, vt ſic ad varias ſcientias pertinet, &c. Hoc volebat Ariſtoteles, quādo primo Poſteriorum cap. 23. dixit, illam ſcientiam eſſe vnam, quæ erat vnius generis, vbi nomine generis noluit exprimere ſubiectum tantum, ſed omnia requiſita ad vnitatem ſcientiæ, principia ſcilicet, paſſiones, ſubiectum, vt ibi adnotabat Sotus, & Græci, vt Themiſtius, & Philoponus ibidem aiunt, illud eſſe genus vnum, cuius eadem ſunt principia, quod ſi hæc varia fuerint, diuerſum erit & illud.

D. Thom.

Secunda ſolutio.

Quid ſit definitio.

D. Thomas.

Ariſtot.

Sotus.

Græci auctores.

Ex his patet, quid dicendum ſit ſecundo argumento Soncinenſis, vbi ſupra, aiebat enim, inde accipi vnitatem ſpecificam, ac diſtinctionem ſcientiarum, vnde accipitur diſtinctio, & vnitas demonſtrationum ſpecifica, concedo, & doceo, ſubinferebat minorem, quod hæc ſumitur ex ratione obiecti vt res eſt, quoniam ſumitur ex vnitate, ac diſtinctione principiorum, & hæc ſumitur ex ratione obiecti, omnia ſunt vera, ergo non à ratione formali ſub qua, nego conſequentiam, quoniam ſumuntur hæ vnitates, & diſtinctiones ab obiecto formaliter accepto, vt & idem in arguendo dicere videtur; nequit autem eſſe formale, niſi merito huius rationis ſub qua, ex hac enim, quod erat obiectum materiale, & res quædam, ſit formale, vt fuſius patuit, &c.

Paulus Soncinas.

Verum-

Interrogatio. Verumtamen poterit adhuc quis ſciſcitari, ſi verũ eſt quod dixi de diſtinctione ſubiectorum iuxta rationes formales, & diſtinctione principiorum, quod mutuo ſe conſequantur, quare Ariſtoteles loco ex Poſteriorum primo recenſito diſtinctionem ſcientiarum aſſignans, meminerit potius diuerſitatis principiorũ, quam ſubiectorũ; Cui dico ex doctrina Caiet. ibidem, hoc ideo factum eſſe, quoniam principia ſunt priora ſubiectis, atque ideo prima radix fuit allegata, tum quoniam, cum iam explicaſſet ſcientiam eſſe vnam, quæ in vno obiecto verſaretur, ex conſequenti quoque voluit dicere, illas eſſe diſtinctas, quæ de diuerſis erant ſubiectis, quare & diuerſitatem ſcientiarum aſſignauit ex diuerſitate obiectorum, tum vltimo, quoniam euidentius eſt, iuxta diuerſitatem principiorũ, quam iuxta eam obiectorum haberi ſcientiarum varietatem, quoniam enim videmus quaſdam ſcientias eſſe de rebus eiſdem ſubiecto, hoc eſt materialiter, veluti Naturalem, & Mathematicam de eodem corpore naturali, non autem videmus vmquam eadem eſſe plurium ſcientiarum principia, poteſt credi, quod ſciẽtiarum diſtinctio non ſit ex ſubiectis, ſed ex principijs, quod licet falſum ſit, cum fieri nequeat, vt de eiſdem formaliter vt ſcibilibus ſint duæ ſcientiæ, vt tamen per notiora nos manuduceret in ſcientiarum diuerſitatem, eam ex principijs ſumendam dixit; poſſumus addere nos quartam cauſam, quod nimirum conſiderauit Philoſophus ſcientiam, non vt eſt motus quidam, ſed vt eſt habitus, vt ſuperius dictum fuit.

Ariſtotel. — Reſponſio. — Caietanus. — Principia ſubiectis priora.

Nota tamen breui, duo requiri ad hoc, vt diſtincta principia cauſent diſtinctionem ſciẽtiarum, primo, quod talia principia non fluant ex eiſdem principijs primis, ſecundo, quod neque principia vnius ex principijs alterius, vt ibidem legitur in Ariſtotele, vbi & duplex ſignum adduxit, quo cognoſcitur, an ſcientiæ ſint diuerſæ, an vna tantum, reſolutio ſcilicet in prima principia, quæ ſi fuerint eiuſdem generis, & naturæ cum rebus demonſtratis, vna erit, & quando quoque concluſiones atque theoremata, quæ per ipſa principia demonſtrantur ſint eiuſdem generis, tum inter ſe, tum cum principijs illis, ex quibus demonſtrantur. Nota vlterius, quod ſicut non quæuis diſtinctio ſubiectorum cauſat diſtinctionem in ſcientijs, ſed ſolum illa obiectorum, vt ſcibilia ſunt, ita non quælibet diſtinctio definitionum, non omnis varietas principiorum, non quæcumque rationum formalium alietas, nam videmus eandem ſcientiam definire cum addito, & abſolute procedere per omnia genera cauſarum, cognoſcere quia, & propter quid ſuarum partium ſubiectarum, ſed illa tantum omnium enumeratorum diſtinctio ſcientias variabit, quæ conformis eſt propriæ, & per ſe diſtinctioni generis ſcibilis, quod cum conſtituatur per immobilitatem, & immaterialitatem, & eius differentias longo fortaſſe progreſſu iam declarauerim penes hac duo, illa erit in propoſito omnium illorum diſtinctio, quæ fiet penes acceſſum, & receſſum à materia, & motu, &c.

Quando principia diſtincta ſint cauſa diſtinctionis ſcientiarum. — Ariſtotel. — Quæ diſtinctio obiectorũ definitionum, principiorum, & rationũ formaliũ cauſet diſtinctionem in ſcientijs.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA.

Num ſcientiæ, quas medias vocant ſint magis mathematicæ, an magis naturales.

OCCASIONE eorum, quæ proxime dicta ſunt occurrit quęſtio, nam ſi diſtinguitur ſcientia ſecundum diſtinctionem principiorum, ergo illæ ſcientiæ quæ conueniunt in principijs, & differunt in concluſionibus, & in principijs differunt ab alijs, ſed in concluſionibus conueniunt, potius erit dicendum, quod ſint magis eædem cum illis in quibus conueniunt cum principijs, quam cum illis, in quibus differũt, licet in concluſionibus cõueniant, & ita ſcientiæ mediæ, muſica ſcilicet, perſpectiua, & aſtronomia erunt magis mathematicæ, quam phyſicæ, probo conſequentiam, quoniam cum mathematicis conueniunt in principijs, & differunt in concluſionibus, cum phyſicis vero conueniunt in concluſionibus, & differunt in principijs: accipiunt vtique aliquid mathematicum, & illud applicant ad aliquid phyſicum, ſic muſica determinat de numero, qui eſt quid mathematicum applicato ad ſonum, qui eſt obiectũ auditus, quem nemini dubium eſt eſſe potentiam naturalẽ, ſic perſpectiua determinat de linea, quæ eſt quid mathematicum, applicata ad facultatem videntem, quæ naturalis eſt, ſic demum aſtronomia accipit magnitudinem, mathematicum quoddam, & accommodat motui aſtrorũ, & cœli, quę ſunt entia phyſica, hinc habent principia mathematica, & concluſiones phyſicas, quare ſunt magis mathematicæ; hoc autem videtur eſſe contra Ariſtotelem, qui ſecundo phyſic. 20. ait, ſcientias medias enumeratas eſſe magis phyſicas, quam mathematicas, & Auctor ibidem hoc aſſerit expreſſe, & probat, quoniã motus debet habere ſpeciem ex termino; quare cum terminus illarum ſcientiarum ſit ſimpliciter phyſicus, ſcientiæ quoque illæ erunt ſimpliciter phyſicæ, eandem ſententiam profert inferius in eodem libro, prope finem comm. tex. 71.

Quid ſpectet Muſica. · *Quid Perſpectiua.* · *Quid Aſtrologia.* · *Ariſtot.* · *D. Thomas.*

Reſpondeo, aliquid in hoc negotio eſſe certum, & aliquid dubium; Certum omnibus eſt, quod inter mathematicas ſcientias, iſtæ quæ dicuntur mediæ magis accedunt ad phyſicas diſciplinas, & eiſdem ſunt propinquiores, nam in ſubiecto & termino cũm phyſicis conueniunt, vt habet Albertus magnus eodem libro cap. 8. tractatu primo, & vt concedunt omnes, ſic & Boetius transfert textum illum, legimus enim: *Demonſtrant autem & quæ ex mathematicis magis phyſica ſunt*; quam lectionem habet tex. quoque Ioannis Grammatici, Simplicij, Auerrois, & Themiſtij quoque: ſic interpretatur & alij plerique, neq; aliud in hoc inuenio apud commemoratos interpretes; Quocirca ambiguum deinde remanet, an mediæ hæ facultates ita magis ad naturales accedant, quam reliquæ mathematicæ, vt potius ſint vocãdę naturales, quam mathematicæ: Auctor itaque tranſlationem antiquam ſecutus, quæ habet: *Demonſtrant autem & quæ magis phyſica, quam mathematica*, &c. abſolute docuit, eas magis naturales eſſe, & ita dicendum mihi videtur, tum ob eius auctoritatem, tum propter ea, quæ mox dicam pro confutatione argumenti circa conuenientiam ipſarum cum mathematicis in principijs.

Quid hac in re certum. · *Albertus Magnus.* · *Boetius.* · *Io. Gram.* · *Simplic.* · *Auerroes.* · *Themiſt.* · *Quid ſit dubium.* · *D. Thomæ ſententia.*

Quamobrem dico, quod in ſcientijs medijs duplicis ordinis principia poſ-

Principia duplicis ordinis.

ſunt conſiderari, illa primo, quæ proprie, & adæquate ſe habent ad illam ſcientiam, & hæc in medijs his ſcientijs debent commenſurari, & proportionata eſſe rei conſideratæ, quippe quæ res conſiderata cum ſit magis phyſica, etiam quo ad hæc principia hæ ſcientiæ erunt magis phyſicæ, alioquin, ſi talia principia eſſent ſimpliciter mathematica, tunc forent eadem ſimpliciter principia ſcientiæ ſubalternantis, & ſubalternatæ, quod eſt falſum, non enim in omnibus ſunt eadem, veluti neque ſcientiæ ſubalternãs, & ſubalternata ſunt omnino eædem, alioquin, non duæ, ſed vna eſſet ſcientia; alia ſecundo ſunt principia in medijs ſcientijs, ad quæ finaliter hæ ſcientiæ reſoluuntur, & hæc non eſt dubiũ, quin ſint magis mathematicalia, quam naturalia, quoniam hæ ſcientiæ ſunt potius mathematicæ, quam ſcientiæ naturali ſubalternatæ, vt in fine illius cap. dicebat Magnus Albertus, ſic intelligo Ariſtotelem, quando 12. Diu. 44. dixit, aſtrologiam eſſe præcipuam inter mathematicas, (vnde eam in ſerie mathematicarum locat,) & ratione ſcilicet ſubalternationis, & ratione principiorum, in quæ finaliter omnis ſcientia & reſoluitur, & reſolui debet. Cæterum, quoniam ſcientia ſpecificam habet diſtinctionem ex proprijs principijs, ideo mediæ ſcientiæ nedum ratione rei conſideratæ, ſed & propter propria principia magis erunt phyſicæ; Ita elucet, quomodo reſpondere debeas ad illa motiua, quæ apparentia ſatis videntur: Hæ ſcientiæ connumerantur inter mathematicales, ſubalternãtur ipſis, ergo ad illarũ genus ſpectabunt, hæc enim omnia procedunt de communibus principijs, in quæ tandem reſoluuntur, non autem de principijs proprijs, à quibus ſumitur ſpecialis ratio conſiderandi. Quod ſi graue appareat, quomodo ſcientia ſubalternata poſſit magis ſpectare ad aliud genus ſcientiæ, quam ad illam ſcientiam, cui eſt ſubalternata, cogita tria, & primo, quod ſub illa ratione qua eſt ſubalternata, non eximitur à ſubalternante, hoc autem eſt ratione principiorum, in quibus fit reſolutio, ſecundo, quod hæ ſcientiæ ſunt mediæ inter ſcientias genere diuerſas, qua re nil mirum, immo neceſſariũ eſt, quod ſub reſpectibus varijs ad vtramque dicantur attinere, ſed magis ad Philoſophiam, ob ea, quæ diximus. Vltimo, ſubalternatæ quoque poſſunt dici ſciẽtijs phyſicis, ratione iam explicata, vnde vt retuli ex Alberto, non ſimpliciter dicũtur ſubalternatæ mathematicis, ſed potius ipſis, qua in phyſicis, quoniam ſubalternatio potiſſimum iuxta vltima ſcientiarum principia ſpectatur: Sed & Toletus Cardinalis, qui ſecundo phyſic. quæſtione 4. ad quartũ argumentum docet, ipſas eſſe magis mathematicas, concedit in primo Poſteriorum, quæſtione ad cap. 7. ſubalternari phyſicis, licet magis dicat mathematicis.

Albertus Magnus.

Toletus.

Ad dubium principale licet pateat reſponſio, dic tamen reſolute, quod diſtinctio ſcientiarum attenditur penes diſtinctionem principiorum, non materialiter, ſed formaliter acceptorum, quatenus ſcilicet applicata ſunt ad determinata ſcibilia, ad determinatas concluſiones, quamuis itaque ſcientiæ mediæ conueniant in mathematicis quo ad principia, non tamen formaliter accepta, quoniam cum principiũ formaliter dicatur in ordine ad id cuius eſt principium, & debeat eſſe illi conforme, concluſiones autem ſcientiarum mediarũ ſint phyſicæ, quomodo illa principiã formaliter accepta poterũt eſſe mathematica? Quomodo inquam, ex principio mathematico, mathematice accepto vt ſic, poteſt inferri concluſio phyſica? Conueniunt ergo in principijs mathematicis, at non formaliter, & proxime, ideo ex tali conuenientia non ſunt vocandæ magis mathematicæ. Hinc diſſentio à Ferrarienſe, qui q. 2. ſecundi Phyſ. poſt multa in huius rei gratiam allata, tandem docet, quod quoniam quo ad formale hæ mediæ ſcientiæ ſunt magis mathematicæ, abſolute dicendæ ſunt magis mathematicæ. At ſi id verum ſit, non

Mens Ferrarienſis. Non probatur.

video

video, quomodo eius doctrina cohæreat cum illa Auctoris locis citatis, vbi ex induſtria rem hanc definit, quæ loca magis expendenda apparent, quam ille ſuper Boetium de Trinitate; Neque valet dicere, quod conſiderato tantum termino ſint magis phyſicæ, atque ideo ſub hac ratione vocarit eas magis naturales, vt idem Ferrarienſis conatur ſuadere, quo doctrinam ſuam non oſtendat illi aduerſantem; tunc enim, ſi penes materiale ſolum eſſentnaturales, & penes formale mathematicæ, non bene protuliſſet eſſe magis naturales, quoniam ex formali ſemper fit conſideratio & denominatio, iam autem oſtendimus, nedum quo ad terminum, ſed & quo ad principia propria eſſe has ſcientias magis naturales, principia namque illa non ſunt in propoſito abſolute conſideranda, ſed vt applicata concluſionibus, quæ ex illis inferuntur; Quare ſi & Iauellus quæſt. 8. eiuſdem libri voluit principia omnia ſcientiarum eſſe mathematica, non diſtinguendo inter principia proxima, & prima, vt videtur expreſſe colligi ex eius dictis, quoniam abſolute profert ſcientias medias ratione materiæ phyſicas, ratione principiorum mathematicas, & ex hoc conciliat Auctorem, ab eius quoque ſententia recedo, & Auctoris loca concilio ex diſtinctione principiorum, vel proximorum, vel illorum, in quæ ſcientia reſoluitur, & ſuper Boetium conſiderauit principia vltima, proprijs vero locis huius materiæ aſpexit & concluſiones, & principia proxima, &c. Illud magis doleo, Ferrarienſem videlicet damnare expoſitionem Auctoris ſuper illum tex. 20. ait enim, quod ex textu non habetur, medias ſcientias eſſe magis naturales, vt exponunt Latini, ſed quod inter omnes ſcientias mathematicas, illæ magis appropinquant naturalibus, quæ erat multorum expoſitio, & præcipue Græcorum, vt ſuperius dicebam; Dico tamen, quod textus antiquus ſic habet, vt patuit, quem ſanè ſequitur Auctor, vt idem Ferrarien. teſtatur quæſt. 2. ad 4. Phyſ. occaſione tex. 32. illius libri; Addo, quod licet in tex. Græco non ſic formaliter habeatur, id tamen recte colligitur, ex eo enim quoniã magis accedunt ad naturales, cum ſint de concluſionibus naturalibus, infertur vt pateſeci, quod etiam habeant principia naturalia. Cauere certe debebat fidiſſimus ille aliàs expoſitor, & propugnator Auctoris ab hac nota ei inurenda, doleret quippe ipſe, quando ſibi diceretur, eius expoſitionem in lib. cont. Gent. non eſſe ad aures illius, &c.

Neque illa Iauelli.

Quomodo varia D. Thomæ loca accipienda.

Ferrarienſis.

QVÆSTIO TERTIA.

An ſcientia naturalis ſit vna genere, vel ſpecie?

CIRCA illud quod dicebatur de abſtractionibus ſcientiarum, vt nimirum cum identitate abſtractionis, non ſtet varietas ſcientiarum, neque cum vnitate ſcientiarũ cohæreat diuerſitas abſtractionis, occurrit dubium non diſſimulandum de ſcientia naturali, an cum vnitate ſuæ abſtractionis ſit vna ſcientia ſpecie, an potius vna genere exiſtens, plures ſub ſe partes ſpecie varias cõtineat; Neque enim deſunt aliqui ex noſtris ſuper primam quæſtionem primi lib. de generatione, qui Soto primo Poſteriorum cap. 25. quæſt. 7. adhærentes, ſentiant, vnicam eſſe ſcientiam ſpecie totam naturalem philoſophiam, & varias eiuſdem partes, veluti libros de generatione, & illos de cœlo nequaquam ſpecie differre, quam ſententiam probant, quoniam hi libri procedunt ex eiſdem prin-

Soti & aliorũ placitum.

Primũ argumentum pro ipſis.

Ariſtot. cipijs, ergo ſunt eiuſdem ſubiecti, patet conſecutio ex Ariſtotele primo Poſter. cap. 7. ergo ſunt eadē ſcientia, probāt antecedens, nam in lib. de coelo oſtenditur, quod motus illius debet eſſe à termino à quo ad terminum ad quem, ſic etiam in lib. phyſ. & de generatione oſtenditur. Rurſus, eiuſdem ſcientiæ eſt tractare de ſubiecto magis communi, & minus communi, & de quauis eius paſſione, quando ſub eadem ratione formali conſiderātur, hoc patet ſæpius ex ijs quę diximus, ergo libri octo phyſicorum tractabunt de ente mobili in communi, & in particulari, & de omni eius paſſione, ergo illæ partes erunt eædem, quoniam penes hæc tantum diſtinguuntur ipſarum ſpeculationes. Accedit, quod tunc pars ſcientiæ de animalibus, in qua agitur de animalibus perfectis ſpecie differet ab illa, quæ eſt de animalibus illis, quæ motu ſolum dilatationis mouentur, qualia ſunt conchilia, patet illatio, quoniā in hac parte magis abſtrahitur à motu; ſimiliter Methaphyſica, & illa pars quinti libri, in qua agitur de quantitate, & reliquis accidentibus, quæ incipere poteſt in tex. 21. cap. de perfecto, & extenditur vſque ad finem libri diſtinguentur ſpecie, quoniam hæc definit per materiam intelligibilem, & ita minus abſtrahit à materia, quam reliquæ partes, quæ nulla via definiunt per materiam; ſed & illud vrgere videtur, quod penes abſtractionem à termino à quo ſecernuntur ſcientiæ, hic autem in naturali ſcientia ſunt ſingularia, in quo certe omnes philoſophiæ partes eodem modo conueniunt, probatur, quoniam ſi non abſtrahunt à ſingularibus, non poſſunt eſſe ſcientiæ, ſi magis abſtrahunt, quam à ſingularibus, iam exeunt limites phyſici negotij; Tandem, ipſa vox videtur hoc velle, dicitur enim vna philoſophia, non plures, mathematicæ autem quoniam ſpecie inter ſe diuiduntur, plures dicuntur, &c.

Secundū Argumentum. Tertium Argumentum. Quartum Argumentum. Quintum Argumentum. Poſtremum Argumentū.

Pro deciſione huius controuerſiæ, id primo dixerim, non fore tantam de ipſa curam habendam, neque rationem pro aliqua parte ſiue affirmante, ſiue negante tantæ efficaciæ adferri poſſe video, cui ſufficiens forte non occurrat ſolutio; Opinio tamen oppoſita, quæ ſcilicet docet has partes ſpecie diſtingui eſt mihi longe probabilior, tum quoniam efficaciores certe pro ſe videtur habere rationes, tum quoniam eam defendunt viri in noſtra familia principes, Caietanus videlicet primo Poſteriorum, cap. 22. & dum introducit quæſtionem 162. 2. 2. Capreolus in prologo primi ſententiarum quæſt. 3. in 3. concluſione, Paul. Sonc. quæſt. 8. 6. Diuin. Iauellus q. 7. & Aquarius dilucidatione 3. eiuſdem libri; ſed quod magis refert, huic opinioni fauere admodum videtur Auctor, adeo vt ipſum in hac ſententia extitiſſe, mihi omnino ſuadeā, nam primo Poſter. cap. 23. lectione 4. inquit, quod ſicut corpus mathematicum diſtinguitur in diuerſas ſpecies ſcibiliū, ita & naturale; fatentur autem qui contrariam ſententiam defenſant, mathematicam, quæ eſt de corpore quāto, partiri in plures ſcientias ſpecie diſtinctas, quare fateātur philoſophiam naturalem, quæ eſt de corpore naturali, in plures itidē ſcientias ſpecie diſtinctas ſecari; At inquiunt, non accepiſſe Auctorem corpus naturale pro eo tantum quod conſideratur à naturali ſcientia, ſed etiam pro eo quod conſideratur à ſcientijs medijs, de quibus iam præcedenti quæſtione, ſiue articulo locuti ſumus, & quoniam illæ ſcientiæ mediæ diſtinguuntur ſpecie à naturali philoſophia, ideo bene dixit corpus naturale in plures ſcientias ſpecie diſtinctas ſegregari, Sed ipſorū pace dixerim, nequit hanc interpretationem ſubire Auctoris expoſitio eo loci, clare enim accepit corpus naturale, vt penitus condiuiditur cōtra corpus mathematicū, nam dicit, quod corporis naturalis & mathematici ſunt diuerſa principia prima, ſcientiæ autē illæ mediæ licet ſint de concluſionibus phyſicis, & principia propria formaliter habeant phyſica, numquam tamen

Iudicium de oppoſita ſententia. Caietan. Capreolus. Paul. Sonc. Iauellus. Aquarius. Quid ſenſerit D. Thomas. Illorum interpretatio à mēte D. Thomæ aliena.

men erit verum, quod habeant principia prima phyſica, tunc enim nulla via dicerentur ſubalternari mathematicis, & vana penitus foret quæſtio præcedens, nam omnibus modis eſſent phyſicæ, ſi ergo non habent principia prima phyſica, ſed mathematica, nequeunt contineri ſub corpore naturali, de quo loquitur Auctor; iam enim patet, eum loqui de naturali illo corpore, quod alia habet prima principia à corpore mathematico; ſub tali autem corpore ſic accepto non continentur ſcientiæ mediæ. Vt hunc in modum arguam; De illo corpore naturali loquitur Auctor; quod diuerſa habet principia prima à corpore mathematico, vt verba eius demonſtrant, ſed ſub illo corpore nequeunt contineri ſciẽtiæ mediæ, quoniam quo ad principia prima clauduntur ſub corpore mathematico, & etiam quo ad principia proxima materialiter accepta, ergo loquitur de corpore naturali, vt tantum ſe extendit ad naturalem philoſophiam propriè acceptam, ergo aliena eſt ab eius mente illa ipſorum expoſitio. Tunc addo, de illo corpore, quod de naturali ſcientia propriè ſumpta dicitur, ait ſecari in plures ſcientias ſpecie; ergo iam in Philoſophia ad aures ipſius clauduntur variæ ſciẽtiæ ſpecie diſtinctæ; Præterea ait, quod aliud genus ſcibilium eſt corpus naturale, & corpus mathematicum, at ſi corpus naturale accipiat quatenus ad medias ſcientias ſe extendit, tunc non erit verum, quod ratione illarum ſit aliud genus à mathematico corpore, tunc enim ſcientiæ mediæ genere diſtinguerentur, & non tantum ſpecie à mathematicis, (iam enim dicis, quod ſub corpore illo naturali clauduntur,) & ita non poſſent dici eis ſubalternatæ; quocirca eius pronunciatum non erit verum abſolute prolatum. Certè corpus naturale dictum de illis medijs ſcientijs non differt genere à mathematico, ſed affinitatem medij ad illud habet; vnde & ſcientiæ illæ mediæ dicuntur, &c.

Cæterum, locus alius inſignis adeſt, vbi Auctor ſemel, ac iterum manifeſtè profert naturalem ſcientiã partiri in plures partes ſpecie diſtinctas, & ibi apertè loquitur de naturali, vt diſtinguitur à mathematica. Vide ipſum opuſc. 42. cui titulus eſt, De natura generis, cap. 14. vbi ait, quod philoſophia naturalis vt diſtinguitur à mathematica, (intendit enim ibi diſcrimen adferre inter has ſcientias) diuiditur in plures ſpecies, in corpus mobile motu locali tantum, vt eſt corpus cœleſte, in mobile motu generationis, & ſic de alijs, & ſubdit, quod hæc diuiſio potius ſpectat ad logicum, cum ſit generis in ſpecies, ex quo apparet, propriè ipſum loqui de ſpeciebus ſcientiæ diſtinctis, & ſpecies illas, (non partes quouis modo) aſſignat, adeo vt nil clarius poſſit quis ab ipſo velle, quod & opinionem noſtram doceat, & reſponſionem illorum nullam oſtendat. — Alium locũ D. Thomæ.

Rurſus, huic poſitioni videtur non parum fauere, immo eam expreſſe velle Ariſtoteles ſecundo phyſicorum 71. vbi dixit, tres eſſe tractationes, aliam circa immobile, aliam circa mobile quidem, ſed incorruptibile, aliam circa mobilia corruptibilia, vbi clarè vult aliam eſſe conſiderationem de cœlo, quod eſt corpus mobile incorruptibile, ab illa quæ eſt de corporibus mobilibus corruptioni obnoxijs, & tamen vtraque ſpectat ad naturalem, quare id ſaltem ex Ariſtotele habetur, quod ſcientia de cœlo ſit alia ab illa in qua agitur de corruptibilibus. Nec putes ò Thomiſtà, me immemorem expoſitionis D. Thom. ſuper illum tex. non enim ſum neſcius, quod adhærens Commentatori ibidem ait, hanc Ariſtotelis partitionem non eſſe iuxta ſcientiarum diuiſionem, ſed ſecundum rerum diuerſitatem, quæ extra animam exiſtunt, quibus Doctoribus, & Romanus Ægidius, & Burlæus ibidem ſe ſubſcripſerunt; quare verba Ariſtotelis inducta meo inſtituto nequaquam ſuffragari videtur. At vero, ſi intimius contemplabimur, — Ariſtotel. pro hac ſententia. — D. Thom. — Ægidius. — Burlæus.

illu-

D.Thom. illuceſcet, in quo ſenſu negarit Auctor, Ariſtotelem ibi aſſignaſſe ſcientiarum diuiſionem, nam ipſe ſeipſum declarauit, quando dixit, male quoſdam intellexiſſe, volentes hæc tria ad tres partes philoſophiæ reducere, ad naturalem ſcilicet, mathematicam, & metaphyſicam; non igitur omnem ſcientiarum diuiſionẽ, ſed eam quam declarauit, genericam nimirum, & totalem negauit ex illo textu haberi, quoniam non differt genere conſideratio de cœlo à reliquis partibus philoſophiæ naturalis, ſed ſpecie dumtaxat; numquam tamen crediderim, quod Auctor, vel Auerroes, vel qui vtriuſque expoſitionem ſunt ſecuti intellexerint negare vllam tractationum diuiſionem ex verbis illis colligi, cum verba Ariſtotelis nimis aperta ſint, & in nulla translatione legantur tres eſſe res, ſed vel tria negotia, vel tres tractationes, vel tres modos ſciendi, vt obſeruauit Sueſ-

Sueſſanus. ſanus ibidem, & vt verba ipſa cuilibet hanc præbent conſiderationem. Accedit, quod Auctor exponens ait tria eſſe negotia, aliud, quod ſpectat ad metaphyſicum, alia vero duo ad phyſicum, de mobilibus ſcilicet corruptibilibus, & incorruptibilibus, iam ergo fatetur duo eſſe hæc negotia, & quidem non loquitur de dualitate numerica, tunc enim nihil & Ariſtoteles, & ipſe dixiſſent, quoniam ſunt multo plures, quam duæ partes numericæ philoſophiæ naturalis, vt concedunt omnes, relinquitur itaque, quod de dualitate ſpecifica loquatur, & quod alia ſpecie ſit tractatio de cœlo ab illa, ſiue ab illis de corruptibilibus. Diuiſionem igitur præfatam negauit Auctor ex illo tex. hauriri, totius ſcilicet ſcientiæ contemplatricis in phyſicam, mathematicam, & metaphyſicam, qualem collegit Philoſophus ſexto Diuinorum, ſecundo, & 11. eorundem cap. 6. & qua-

Albertus Magnus. lem ex illo tex. collegit magnus Albertus, vt eſt in ipſo videre ſecundo phyſic. tractatu ſecundo cap. 22. quem ſecutus videtur Sueſſanus, quamuis de mathematica loquens, eam ad aſtronomiam contraxerit, vt etiam fecit Iacobus Faber quæſtionibus ſuis ſuper illum locum, &c.

Adeo autem verba illa Ariſtotelis meam ſententiam iuuare videtur, vt non defuerint viri clariſſimi, qui contextu præfato ducti, ſcientiam de cœlo cenſuerint genere eſſe diſtinctam à naturali, ac proinde vniuerſæ naturali philoſophiæ adæquatum obiectum corpus generabile & corruptibile præfixerint, quorum

Ariſtot. tamen ſententia abeſt à vero; multis namque in locis ſcripſit Ariſtoteles, omne mobile ad phyſicum ſpectare, veluti principio eiuſdem 71. vbi ait, teneri phyſ.

Quid conſideret philoſophus naturalis. conſiderare omnino quæ mota mouent, & ſexto Diuinorum, primo, & 11. eorundem cap. ſexto, & alibi ſæpe; cœlum autem patet moueri, & motu proprio, vt primis contex. primi de cœlo legimus, immo ex eius motu ſibi vni proprio colligit ibi Ariſtoteles, non eſſe cœlum de natura quattuor elementorum. Immo, ſi ſola corpora cœleſtia adeſſent, adhuc ſcientia naturalis remaneret, cum ſint & corpora, de quibus eſt philoſophia, vt patet ex primo eiuſdem primi de cœlo, & mobilia, quæ iam dixi attinere ad naturalem.

Dubium. Quod ſi quis dixerit, ergo ex contextu illo habetur, diuinam philoſophiã eſſe tãtum ſpecie diſtinctam à naturali philoſophia, quoniam tria ponit negotia Ariſtoteles, & inter ſecundum, & tertium tu ponis diſtinctionem tantum ſpecificã, ergo ſimiliter inter primum, quod eſt philoſophi diuini, & alia quæ ſunt natu-

Soluitur. ralis, aſſignanda eſt diſtinctio ſolum ſpecifica. Reſpondeo negando illationem, quoniam ſecundum, & tertium negotium conueniunt in hoc, quod ſunt de mobilibus, atque ideo ad idem genus ſcientiæ ſpectant, cum detur vnum genus ſcientiæ omnia mobilia tractans, vt dicebam, primum autem non conuenit cum ſecundo, & tertio quo ad mobilitatem, atque ideo non ad idem, ſed ad aliud

genus

genus ſcientiæ attinebit. Quocirca hic aliud atque aliud nequaquam non ſe tenent vniuoce, quoniam vnum non ſignificat alietatem genericam, ſecundum aliud alietatem ſpecificam, ſed analogice, eſt enim alietas proportionalis, ibi generica, hic ſpecifica, & vtraque eſt vera alietas, licet non vniformis, hinc vocibus æquiuocis non eſt vſus Ariſtoteles, &c.

Demum, ſi quis vrgeat, ſi Ariſtoteles intendebat aſſignare ſpecificam diſtinctionem ſcientiæ de cœlo à reliquis partibus, cur non aſſignauit & alias, puta libri de Generatione, de Anima, &c. Dico, quod cum ſermonem faceret de mouentibus, eas aſſignauit, quæ penes mobilia diſtinguuntur, ſolum autem cœlum vt motum ſecernitur ab alijs philoſophiæ partibus, cum ſolum ſit à corruptione ſemotum, reliqua vero omnia phyſicæ ſpeculationis corruptioni ſubiacent, & motus quoque animæ quatenus eſt phyſicus, vt ſcilicet ad motum corporis in ipſo exiſtens mouetur eſt corruptibilis; nam motus animæ ſeparatæ præterquam quod Ariſtotelem latuit, cum ſexto phyſicorum nimis expreſſe ſcriptum, ac probatum reliquerit, omne quod mouetur eſſe corpus, neque etiã ſpectat ad naturalem, veluti neque motus ſubſtantiarum ſeparatarum. Rurſus dico, quod quoniam cœlum vnico motu, locali ſcilicet gaudet, reliqua autem de quibus eſt naturalis philoſophia non vnum ſortiuntur motum, ideo de cœlo dumtaxat mentionem ibi habuit, condiuidens ipſum ab omnibus alijs partibus, &c.

Aliud dubiũ.

Reſponſio.

Vbi probaui opinionẽ hanc eſſe ad aures Auctoris, & Ariſtotelis, eam tandem ratione fulcio, quoniam ſi arithmetica differt ſpecie à geometria, quoniam illa tractat de numero, qui abſtrahit à continuitate, hæc autem ipſam concernit, cur rogo, non differrent ſpecie illæ partes ſcientiæ naturalis, quarum nonnullæ ſunt maiori abſtractione abſtractæ, quam arithmetica, & geometria? Animam enim, quis negauerit longe abſtractiorem, & multo minora concernentem, quã animata corpora? Rurſus, quis negabit corpora ſimplicia, vt cœlum, & elementa, minus concreta, & magis eſſe abſtracta, quam mixta? Neque valet reſpondere, quod omnes philoſophiæ partes in eo conueniunt, vt æque abſtrahant à termino à quo abſtractionis, à conſideratione ſcilicet ſingularium, quamuis enim hoc verum ſit, ſtat quod vltra hoc magis adhuc vna pars, quam altera abſtrahat, vt patefeci, & licet veritate non careat, quod maior vel minor ſeparatio à termino à quo maiorem, vel minorem abſtractionem faciat, hoc tamen venit accipiendum de maiori, & minori abſtractione generica, non ſpecifica, quoniam vbi partes plures conuenerint in genere ſcientiæ, ſpecie deinde poterunt ſecerni, iuxta aliam, vel aliam abſtractionem, conſiderando ſcilicet aliquid magis, vel minus abſtractum; Rurſus, vera vtique eſt hæc propoſitio, maior vel minor ſeparatio à termino à quo maiorem, vel minorem abſtractionem cauſat, non autem vera eſt conuertens vniuerſaliter, quod ſcilicet omnis maior, vel minor abſtractio proueniat ex maiori, vel minori ſeparatione termini à quo, &c.

Probationes huius ſententiæ.

Neque ſatisfacit alia reſponſio, dum dicunt, quod obiectum arithmeticæ eſt magis abſtractum abſtractione formali, quam obiectum geometriæ, quoniam numerus qui conſideratur ab arithmetico, in ordine ad quantitatem continuã conſideratam à geometria ſe habet vt forma, & actualitas ipſius, in quo conſiſtit formalis abſtractio, in partibus autem philoſophiæ aiunt hoc non reperiri, quoniam obiectum librorum de cœlo non ſe habet vt forma reſpectu illorum de generatione, ſed nulla eſt hæc reſponſio; iam enim & ipſi ſi volunt ſaluare diſtinctio-

ſtinctionem partium ſcientiæ vnius generis, confugiunt ad aliam abſtractionem, quam ſit illa ſeparationis à termino à quo, ſicut de facto confugiendum eſt; deinde, quod adferunt in reſponſione non eſt verum, ſi enim numerus ſe habet vt forma, & actualitas in ordine ad quantitatem continuam, (quod vtcumque condonare eis poſſumus,) multo magis anima ſe habet, & vere eſt forma atque actualitas participantium ipſam, animatorum vtique, de quibus in alijs philoſophiæ partibus agitur; Cœleſte quoque corpus, cuius motus eſt regula, & menſura aliorum, & omnium perfectiſſimus, ab omni corruptione ſemotus, cur non dicetur actualitas, & veluti forma aliorum motuum, qui in alijs philoſophiæ partibus conſiderantur? Quod ſi dixeris, non proprie poſſe dici formam, vel actualitatem, dicam & ipſe, neque numerum eſſe proprie formam, & actualitatem continuæ quantitatis, &c.

Anima actualitas animatorum.

Ad primum argumentum prioris opinionis.

Pro reſponſione vero ad argumenta illa quibus aduerſans opinio fulciebatur, nota nos concedere, omnes philoſophiæ partes eſſe de eodem obiecto totali, (alioquin non forent eius partes,) omnes vti eiſdem principijs, ſed quod docemus eſt, quaſdam eius partes conſiderare magis, vel minus abſtracta, & horum ratione principia quoque illarum partium formaliter accepta magis dicũtur abſtracta, in ordine nimirum ad ea, quæ vt ſic ex illis deducuntur, non abſolute, & vt ad alias concluſiones applicantur, & hæc maior, vel minor abſtractio continetur ſub eodem genere, ſed ſpecie differt, ſic patet ſolutio primi, quod ex identitate principiorum omnium philoſophiæ partium procedebat. Concedimus ſimiliter, eiuſdem ſcientiæ eſſe tractare de ſubiecto magis, ac minus cõmuni, adeo quod vtrumque claudatur ſub eadem genere ſcientia, poſſunt tamen hæ conſiderationes ſpecie differre, ratione eorum, quæ ſpecialiter conſiderant; Non inferas tamen, ergo iam nullæ erunt partes ſpecificæ ſubiecti totalis philoſophiæ, ſi tractatio de partibus ad alias ſcientias ſpecie differentes attineat, quoniam hoc non dicimus de quibuſuis partibus, ſed de ijs, quas recenſuimus, & in quibus rationem peculiarem attulimus; iam enim fatemur, alias philoſophiæ partes non differre ſpecie inter ſe. Dicas ergo, vel eiuſdem ſcientiæ genere eſſe conſiderationem totalis ſubiecti, & omnium partium, vel eiuſdem ſcientiæ ſpecie, dummodo partes aliquæ non magis abſtrahant, (abſtractione non generica, ſed ſpecifica,) quam faciat genus ſubiecti, vel ſubiectum totale, & ita duplici via ſecundo argumento facies ſatis.

Ad ſecundũ.

Abſtractio autem illa, (ſi ita ſit vocanda) motus dilatationis, & reſtrictionis à progreſſiuo eſt omnino materialis, & nihil dicens perfectionis, & non quæuis motus abſtractio, ſed quæ ſit formalis, vt iam explicatum dedimus infert ſpecificam diſtinctionem; vnde nulla eſt tertia ratio, & ſimiliter corruit quarta, ſi attendatur, qualis abſtractio pariat in ſcientijs ſpecificam diſtinctionem.

Ad tertium & quartum.

Quintum argumentum iam confutatum eſt, dum docuimus, conuenire quidem in genere ſcientiæ omnes philoſophiæ partes, quoniam à ſingularibus abſtrahunt, ſed ſpecificam ipſarum diſtinctionem aliunde oriri; & mirum eſt, de Auctore illo ſuper primum de generatione, quomodo arguat, ex abſtractione à ſingularibus variari ſcientias, cum deinde, vt ſoluat argumentum, quod contra ſe ſecundo loco obiecit, adſerat doctrinam illam ex Caietano prima quæſtione ad hoc opus de duplici abſtractione, totali ſcilicet, & formali, & bene aſſerat iuxta totalem, (quæ eſt à ſingularibus,) non variari ſcientias, ſed ſolum iuxta formalem.

Ad quintum.

Quod tandem mathematicæ dicantur plures, philoſophia autem vna, hoc nihil

Ad vltimũ.

nihil eſt, tum quoniam id magis videtur elucere in mathematicis, ſaltem quo ad craſſam, vt ita loquar apparentiam, nam rationibus conſideratis, & Auctoris auctoritatibus, id & de philoſophia eſt manifeſtum, tum quoniam cum ſapientibus ſermo eſt, qui licet vnicam philoſophiam genere proferant, non tamen ignorant, poſſe plures ſub ſe ſcientias ſpecie varias habere, tum demum quoniam ſcientiæ mediæ dicuntur contineri ſub mathematicis, & eis ratione principiorum, in quæ denique reſoluuntur, (vt neceſſario reſolui debent) ſubalternari, ſic ob hanc cauſam dicuntur plures, id namque manifeſtum eſt, ſcientias ſcilicet has medias, ſpecie ab illis differre. Hæc de hac difficultate, ſi illud prius admonitum lectorem fecero, quod Auerroes ſolet pro opinione aduerſa citari, ſecundo phyſicorum 79. & 71. & 3. & etiam quinto Diuinorum, commento quinto, & primo de cœlo & mundo, commen. ſimiliter quinto, quæ loca ſi ſpectaueris in Auerroe, nil aliud habebis, niſi ex illo comment. 71. quod ſit eadem ſcientia de corpore corruptibili, & incorruptibili, & ſi arguatur, ergo eſt eadem ſpecie; nulla eſt conſecutio, immo ſi bene ibi expendantur Auerrois verba, loquitur de eadem ſcientia genere tantum; Ex primis quoque verbis loci illius de cœlo idipſum poteſt fortaſſe colligi, ex alijs nihil omnino ad hoc propoſitum habetur; ſed illud ſufficiat, quod locis quæ recenſentur numquam legitur, philoſophiam naturalem eſſe vnam ſcientiam ſpecie, &c.

Varia Auerrois loca extra rem adferuntur.

Hæc de primo propoſito in gratiam eorum, quæ ſubiecto libri tribui ſolent, vbi multa habuimus, & primo, quod ex vnitate obiecti formaliter accepti, vt ſcilicet ſtat ſub tali abſtractione ſcibili dependet vnitas ſcientiæ, nedum generica, ſed & ſpecifica; dum tamen talis abſtractio non varietur, deinde, quod abſtractio illa, ſiue ratio ſub qua eſt vera ratio vnitatis, & diſtinctionis ſcientiarum, tertio, vnde ſumatur genus ſcibile, & quotuplex fuerit, quarto, quomodo etiam ex vnitate principiorum, & eiuſdem modi definiendi colligatur ſcientiarum vnitas, & ex eorum varietate harum quoque diuerſitas, occaſione quorum, definitum poſtea fuit, ſcientias, quæ mediæ dicuntur eſſe magis naturales, quam mathematicas, & vltimo, naturalem philoſophiam plures ſub ſe partes ſpecie diſtinctas habere.

Epilogus eorum, quæ his quæſtionibus & præcipue priori dicta ſunt.

QVÆSTIO QVARTA.

Quomodo ſubiectum contineat veritates ſcientiæ ſuæ.

CIRCA illud, quod ſecundo loco propoſui de ſubiecto inueſtigare, an ſcilicet omnes ſcientiæ ſuæ veritates contineat, dico breuiter, partem affirmantem eſſe veram, ſed cum moderamine, quoniam ſubiectum continet vtique veritates omnes ſuæ ſcientiæ, ſed non vt cauſa in ſeipſo tantum, & præciſe ſufficiens, & adæquata, tunc enim alia foret ſcientia de genere, & alia de ſpeciebus, & alia de hac, & illa ſpecie, quoniam neque veritates ſpecierum continentur in genere vt ſic, (ita enim animal vt ſic eſſet rationale, cum aliqua eius ſpecies ſit rationalis,) neque veritates vnius ſpeciei clauduntur in alia, vt clare patet de ſpeciebus ſaltem diſparatis, nam paſſiones hominis non continentur in illis leonis, vel paſſiones circuli in illis quadrati;

Reſolutio.

Quare continebit ſubiectum veritates ſcientiæ, vt prima radix, vt cauſa ſufficiens in ordine ſuo, non vt adæquata omnino, ſumptum autem & in ſe, & in ijs quæ ipſum participant, in partibus ſcilicet ſuis; tunc omnes veritates complectitur vt adæquata cauſa; Et ſi hanc doctrinam, quæ eſt Caietani p. p. q. p. art. 7. bene conſideres, diſtinguendo de ſubiecto in ſe præciſe, & de eodem, vt includit ipſum participantia, vel de cauſa adæquata, vel ſufficienti in ordine ſuo, facili negotio confutabis, quæ ſolent ab aduerſarijs adferri. Quando enim inquit Scotus, q. 3. prologi, ſecunda quæſtionum, quas dicunt laterales, puncto ſecundo eorum quæ ibi docet, quod ſubiectum amplectitur omnes veritates ſcientiæ, vt cauſa adæquata, atque ideo concedit, & docet, aliam eſſe ſcientiam de genere, aliam de ſpeciebus, aliam vnius ſpeciei, aliam alterius, propterea quod vnius veritates non clauduntur in veritatibus alterius, id probans, tum quoniam ſubiectum continet propoſitiones immediatas, in quibus eſt tota ſcientia virtualiter, tum quoniam eſt cauſa adæquata habitus, ergo omnia ambit, iam patet reſponſio, nam in principijs, & immediatis propoſitionibus includuntur veritates omnes ſcientiæ, non tamquam in cauſa adæquata, tunc enim vane adhiberentur aliæ propoſitiones, ex quibus, tamquam ex cauſis ſecundis, & proximis ſciuntur concluſiones, ſed tamquam in cauſa ſufficienti in ordine ſuo, hoc eſt prima, & radice omnium, neque enim ſufficiunt ad omnes inferendas concluſiones, niſi alijs propoſitionibus adiunctis; ſimiliter ſubiectum eſt cauſa habitus ſufficiens in ordine ſuo, non adæquata, ſed tunc eſt adæquata, quando ſumitur & in ſe, & in ijs, à quibus ipſum participatur, quam Caietani doctrinam & Sotus quoque ad hoc propoſitum docuit. q. ſua quinta, & vltima de procemialibus ſuper prædicabilia, prope finem quæſtionis, &c.

Caietanus. *Sententia Scoti.* *Eius motiua.* *Confutatur.* *Sotus.*

Quod dixi ex Caietano de ſubiecto in ſe, & in participantibus ipſum, potes dicere ſub alijs verbis, vel immediate ſcilicet, & proxime, vel remote, tamquam radix, & origo; dicas ſubiectum in ſe præciſe continere omnes veritates, remote, vt radix, & origo, in ſe autem, & in participibus ſuis immediate, & proxime.

Id vnum obſeruauerim, quod dum dixi, genus non ſufficienter, & adæquate continere in ſe veritates ſpecierum, ſed ſolum tamquam radicem, id accipias in genere ſcibili, quoniam veritates ſpecierum, vt ſcibilium non ex ſolo genere inferuntur, licet fortaſſis ſint ab illo omnino, vt naturæ quædam ſunt, cum in illo poteſtate lateant, vt docuit Porphyr. cap. de differentia, prima eiuſdem deſcriptione. Hinc genus prædicatione recta dicitur de ſpecie, quod eſſe non poſſet, niſi totum quod eſt in ſpecie diceret, vt latius definiemus quarto cap. huius libri; Et hoc quoque breui, ac ſubobſcure videntur innuiſſe Caietanus p. p. loco citato, loquens de numero, qui eſt quoddam genus in ordine ad paſſiones, binarij ſcilicet, ternarij, &c. Hæc de ſecundo.

Porphyr. *Caietanus.*

QVÆ-

QVÆSTIO QVINTA.

An ſcientia de ſubiecto ſuo ſupponat quid, & quia.

TERTIO dilucidandum propoſui, quomodo ſubiectum in ſcientia prænoſcatur, quomodo de illo præſupponatur quid, & quia, vt docuit Ariſtoteles primo Poſter. 2. Et quoniam loquor quomodo præcognoſcatur in ſcientia, ſilentio inuoluam, quonam pacto præcognoſcatur in demonſtratione, hoc enim meo inſtituto non ſeruit, & in conſpicuo res eſt, quod in demonſtratione à priori, quæ per cauſam procedit, oportet quid rei præcognoſcere, naturam ſcilicet ipſius, hæc enim eſt cauſa paſſionum, de qua tandem fit demonſtratio à priori, nam hic eſt finis demonſtrationis, vt ſciatur cauſa, ob quam paſſio inſit ſubiecto, quare hæc ſubiecti quidditas, & natura præſcienda eſt; In illa autem à poſteriori, quæ per effectus procedit, ſufficit habere præcognitum quid nominis ſubiecti, & docte habes explicatum à Caiet. ſecundo Poſter. prima quæſtione ſua, dubio octauo, non omnem demonſtrationem ſupponere ſubiectum ſuum eſſe, quoniam omnis demonſtratio, quæ terminat quæſtionem an eſt, tantum abeſt, vt illud præſupponat, quod ipſum quærit, & concludit, hoc quippe eſt eſſe terminum quæſtionis an eſt, concludere aliquid dari in rerum natura, & formari propoſitionem de ſecundo adiacente; pugnat autem, quod aliquid ab eodem & præſupponatur, & quæratur quod ſit, & hoc intelligo nedum de partibus ſubiectiuis, vt volebat quędam opinio, cuius ibidem Caietan. meminit, dicens ſibi olim placuiſſe, ſed de ipſo totali ſubiecto, quod nimirum in omni demonſtratione, quæ terminat quæſtionem an eſt, non ſupponatur, ſed indagetur, ſed concludatur, ſed demonſtretur, &c.

Ariſtot.

Quomodo in demõſtratione à priori præcognoſcatur ſubiectũ.

Quomodo in illa à poſteriori.

Caiet.

Loquens itaque de ſubiecto ſcientiæ, quattuor faciam, primo dicam, an de ipſo præcognoſci debeat quia eſt, ſecundo, an quid, tertio difficultates mouebo in via primo Auctoris, deinde Caiet. & vltimo in via communi, quarto nonnulla quæ de ſubiecto in communi prolata erunt, huius operis ſubiecto accommodabo, &c.

Quæ & quot in hac quæſtione fient.

Quo ad primũ, dico reſolute, quod mihi ſemper placuit opinio Auerrois, quam docuit comment. vltimo primi phyſ. vbi dicebat Auicennam & maxime, & peccato manifeſto peccaſſe, & vltimis ferè verbis comment. 26. ſecundi eiuſdem ſcientiæ, vbi Auicennam reprehendit, & 27. comment. ſecundi de Anima, quod nimirum, nulla ſcientia quæcumque illa ſit poſſit vlla demonſtratione, vel cauſæ, vel ſigni probare ſuum ſubiectum eſſe, cui ſententiæ ſubſcripſit ſe Zimara theoremate ſuo 53. vbi late citat Auerroem, & eum tuetur à multis difficultatibus, quæ fieri ſolent circa id quod docuit de partibus, & de principijs ſubiecti, de quibus nihil ad nos; Caiet. quoque loco allegato, & 5 pri. par. quæſt. 2. in titulo 3. artic. & 3. par. quæſt. 1. artic. 1. hanc ſententiam ſequitur, in qua perpetuum credo eſſe Auctorem, vt colligitur ex primo Poſt. circa text. 1. ex procemio primi phyſ. ex pri. par. quæſt. 1. art. 7. in primo argumento, & neminem credo poſſe ab hoc diſſentire, ſi bene intelligatur, licet nonnulli Scoti ſectatores velint, vt demonſtratione à poſteriori poſſit ſcientia eius ſubiectum probare; quorum tamen motiua nulla ſunt, vt patebit. Sit igitur hæc certa concluſio; Nulla ſcien-

Auerroris opinio approbatur.

Auicenna.

Zimara.

Caiet.

D. Thom.

Quorundam Scotiſtarum ſententia.

Concluſio certa.

tia probat vlla demonſtratione de ſubiecto ſuo quia ſit in rerum natura, atque ideo in omni ſcientia, de omni ſubiecto præſupponitur quia eſt.

Probatur.

Manifeſtum quippe eſt, omnia quæ conſiderantur in ſcientia, ad ipſum ſubiectũ referri, hinc ſi ignoraretur ſubiectum eſſe, quomodo aliorum quidditates ex illo dependentes ſtabiliri poſſent in ſcientia? quomodo erunt firma illa, quæ ab incerto dependent, & quo ſublato auferētur & ipſa? Adde, quod quæuis facultas inchoat à ſubiecto ſuo, quare opus eſt, vt illud ſupponat, alioquin vanus totus foret artificis labor. Certe nequeo animo capere, quomodo ſcientia probet ſubiectum ſuum, & alijs rationibus omiſſis, & quidem perualidis, quæ ad hoc adferri ſolent, ex quibus nonnullas habes a Paulo Soncinenſe quæſt. 2. 12. Diuin. ipſe hac vna moueor; Scientia habet à ſuo ſubiecto, quod in eſſe ſcientiæ conſtituatur, quare jam ſcientia eſſet, & non eſſet ſcientia, eſſet quatenus ponis ſcientiã probare ſubiectum ſuum, non eſſet, quoniam dum probat, nondum videt ſubiectum ſuum, nondum illud habet, (niſi dicatur, quod quærat id quod habet,) ſi nondum illud habet, iam non eſt ſcientia, quoniam vt modo dicebam, & explicatius prima quæſtione patefeci, ſcientia vt ſic conſtituitur in eſſe ſuo formaliter per ſuum ſubiectum, ab illo recipit vnitatem, eſſe, &c.

Paul. Sonc.

De ſubiecto igitur ſupponitur quia ſit in rerum natura actualiter, quo ad eſſe, exiſtentiæ, loquendo de obiecto ſcientiæ realis, (nam obiecta ſcientiarum, quæ rationales dicuntur ſat eſt, quod fuerint in eſſe cognito, ſiue obiectiuo,) temporibus tamen ſuis, vt ruant inſtantiæ de habente ſcientiam de roſis, quando non exiſtunt, ſic enim ſimpliciter proferimus, de ſubiecto præſupponi quia ſit, ergo loquimur de eſſe in actu, nam ſi ſenſus eſſet, quia eſt, quia ſcilicet poſſit eſſe, & omnia non impoſſibilia pari via poſſent dici hoc modo ſupponi, vnde nil peculiare de ſubiecto Ariſtoteles enunciaſſet, & male dixiſſet abſolute quia eſt, quoniam eſſe in potentia, non eſt eſſe abſolute, ſed ſub conditione valde diminuente, vt colligitur ex 4. Diuin. 15. Non ergo poterit ſcientia formare de ſuo ſubiecto quæſtionem an eſt; per hanc enim concluditur eſſe exiſtentiæ, quod non concludi, non inquiri, ſed ſupponi debere diximus.

Ariſtot.

Occurritur tacitæ obiectioni.

D. Thomas.

Neque turberis Thomiſta, ſi communis Magiſter ſcripſerit pri. par. quæſt. 3. artic. 4. ad ſecundum, quod licet terminauerimus quæſtionem an eſt de Deo, adhuc tamen ignoramus eius eſſe, vnde videtur, quod per hanc quæſtionem non inueſtigetur eſſe. Id quippe in Deo peculiare eſt, cum in ipſo tantum, vt hoc opere patebit ſit idem eſſe, quod natura, & eſſentia, vnde nequit in ipſo ſciri eſſe, quin ſciatur eſſentia ex parte rei, quamquam nos poſſumus vnũ ſcire, & aliud ignorare: non vnum & aliud, quaſi ſint duæ res, ſed vnum, & idem ſub alio, & alio conceptu, & quoniam per quæſtionem an eſt neſcitur rei quidditas, hæc enim eſt ſcibilis per quæſtioné quid, iccirco in Deo, terminata quæſtione an eſt, ignoratur adhuc eius eſſe, quoniam hoc idem eſſe eſt quoque eſſentia, quæ nequit per illam quæſtionem ſciri; & quoniam vnumquodque tunc dicitur ſciri, quando iuxta proprium modum cognoſcitur, & eſſe Dei eſt ſcibile per quæſtionem quid, ideo verum eſt, quòd non ſcitur per quæſtionem an eſt, vt eſt in ſe, ſed ſolum vt fundat veritatem illius propoſitionis, in qua dicitur, Deus eſt; At vero, eſſe aliorum omnium, quoniam differt ab eorum eſſentia, ideo ſpectat omnino ad quæſtionem an eſt, & per hanc dicitur vere ſciri, & ſi ignoretur eſſentia, & natura, nam ſcire poſſum, dari leonem in rerum natura, & eius quidditatem ignorare, nequeo autem ſcire dari Deum, niſi ſciam & quid ſit, loquendo ex parte rei, & obiectiue, quoniam illudmet eſſe, quod terminat quæſtionem an eſt, terminat

Per quã quæſtionem noſcatur quidditas.

Quando aliquid dicatur ſciri.

quoque

quoque illam quid eſt in Deo, licet ex parte meá ſciam primum, & ignorem ſecundum, neque enim illud ſcio, vt ſcibile eſt; Non negauit ergo Auctor per quæſtionem an eſt ſciri eſſe rei in rerum natura, ſed peculiare illud, quod iam aperui voluit de Deo indicare.

Non turberis itidem, ſi rerum exiſtentiæ non ſint neceſſariæ, cum omnia poſſint non eſſe, ſaltem per potentiam in alio, & extrinſece, & cum omnia potuerint non eſſe, abſolute loquendo, cum libere à primo ente producta ſint, atque ideo quæſtio an eſt videatur verſari in non neceſſarijs, quod abhorret ars ſcientifica; philoſophi ſiquidem omnes formarunt, & formant quæſtionem an eſt, ſuppoſito vniuerſo, & eius ordine; & tunc rerum exiſtentiæ ſunt neceſſariæ, non enim foret vniuerſum, ſi non adeſſent omnium rerum ſpecies, vt colligitur ex Platone in Timeo; dari autem vniuerſum videbant omnes, ea propter illo merito ſuppoſito, de rerum exiſtentijs ſcientificam formare potuerunt quæſtionem; quamuis hæc verſetur tantum in neceſſarijs, nam ex ſuppoſitione, rerum exiſtentiæ ſunt neceſſariæ; adde, quod philoſophi plerique, & præcipue antiquiores, omnia putauerunt de neceſſitate naturæ emanaſſe, & rerum ſpecies abſolute neceſſarias, quare hac data falſitate, quæſtionem an eſt neceſſariam, ac ſcientificam omnino arbitrati ſunt, &c.

Tacita alia obiectio diluitur.

Plato.

Multorũ philoſophorum error.

Quo ad ſecundum, ſit hæc vnica concluſio: De ſubiecto debet præſupponi quoque quid eſt, eius nimirum naturam, ac quidditatem præcognoſcendo. Ita conſtat, nos non loqui de quid nominis tantum, quod ſcilicet vox ipſa ſubiecti ſciatur, hoc enim nullus negat ſed & potiſſimum de quid rei, adeo vt eius quod quid eſt, & naturam præcognoſcere oporteat ſcientiã, ſit ne ſubſtãtia, ſit accidens, ſit ne vnum, qua vnitate, &c. Quod ſiquis diceret, ſi quod quid eſt ſubiecti præcognoſcendum ſit, ergo iam prorſus inanis eſt omnis labor ſcientiæ, propterea quod nil aliud ſibi ſtudio habet facultas quæuis, niſi vt affectiones demonſtret de ſubiecto ſuo, quod ſi iam eius natura præſupponatur, omnia quoque hæc præſciuntur, quoniam ſunt ad eius quod quid eſt ſpectantia, iam itaque artifex fruſtra laborat in his demonſtrandis, quod ſi hæc ignorat, iam ſubiecti naturam non præcognoſcit: Huic difficultati occurrere forſan quis facile poſſet, dicendo, quod illæ affectiones, illa principia, illa prædicata, quæ de ſubiecto probãtur, bifariam poſſunt conſiderari, primo nimirum vt entia, & res quædam ſunt, ſecundo, veluti formaliter reſpiciunt ſubiectum, & tamquam ipſius affectiones, & quod hac ſecunda conſideratione inueſtigãtur; prima autem præcognoſcuntur, ita ſciretur ſubiecti natura, & hæc poſſent inquiri: Hæc doctrina de accidentibus, de affectionibus vt entia, vt res quædam ſunt, & vt formaliter reſpiciunt ſubiectum bona eſt, & ea vtuntur multi ſcholaſtici doctores, quando ſecundo ſententiarũ, & ſuper pri. par. Auctoris circa ſcientiam de angelis dicunt, quod tamet ſi angeli rerũ ſubſtantias per ſpecies inditas contẽplantur, & eas cognoſcunt, quo ad omnia, quæ in eis ſunt, (aliter non eſſet perfecta notitia,) adhuc tamen ſuperaddunt ſpecies accidentium, merito quarum cognoſcunt accidentia, vt quædam entia ſunt, quæ prius in ſpeciebus repræſentantibus ſubſtantias videbant, vt erant formaliter accidentia ſubſtantiarum: Hæc inquam ſpeculatio, & diſtinctio accommodata eſt, veruntamen huic propoſito nequit vlla via applicari, ſi enim ſcientificus conſideraret affectiones, principia, accidentia, & reliqua huiuſmodi, nedum vt formaliter reſpiciunt ſubiectum, ſed & quatenus entia talia ſunt, tunc non omnia, quæ conſideraret ſcientia, conſideraret in gratiam ſubiecti, tunc plura in vna, eademq. arte ſecundum ſe, vt non ad aliud relata conſiderarentur,

Concluſio.

Dubitatio.

Solutio prior.

Doctores Scholaſtici.

Impugnatur data ſolutio.

quod

quod quam abſurdū ſit, nemo eſt qui non videat, nihil enim in quauis arte conſiderari poteſt, quod ad ſubiectum formaliter non referatur, alioquin, & plura forent ſubiecta, & ſubiectū non eſſet ſubiectum, vt patet ex ſubiecti conditionibus, prima quæſtione commemoratis. Adde, quod nulla ſcientia conſiderat aliquid vt ens præciſe, niſi prima philoſophia. Reiecto itaque hoc modo reſpondendi, dicendum eſt, quod vtique natura ſubiecti præcognoſcitur, at non quo ad omnia, quæ ſibi poſſunt conuenire, ſcitur de illo id quod explicabam, quod nimirum ſit ſubſtantia, quod accidens, quod ſcibile, quod vnum, quod præditum affectionibus, ac principijs, at vero, quæ principia ſibi conueniant, & quare, quæ affectiones, per quid ei inſint, quæ varia de ipſo enumerantur, in ſcientiæ principio latent, ideo non in caſſum laborat ſcientia, dum hæc de illo inquirit ac demonſtrat. Vel dicatur, quod vtique ſcientia nouit omnia de obiecto ſuo, & eius naturam quoad omnia præſupponit, quoniam obiectiue, & à parte rei ſic ſe habet in obiecto, & quæ omnia de ipſo demonſtrātur, eidem conueniunt, at ſciens ille eſt, qui hæc ignorat, habitus nouit, & qui habitu vtitur neſcit, ideo hic inueſtigat, non illa ſcientia, non ille habitus; Et ſi dixeris, vbi eſt hic habitus, hæc ſcientia quæ nouit, cum omnis ſcientia ſcrutetur? poſſem reſpondere, quod habitus non in ſe, at huic, & illi applicatus, (quales tradiderunt ſcientiarum Auctores) quærit, & indagat; curioſa fortaſſis poterit videri hæc ſecunda ſolutio, quæ ſi non placeat, eligatur prior, &c.

Vera ſolutio. Quomodo ſubiecti natura præcognoſcatur.

Tertia ſolutio.

Cæterum pro exactiori notitia eorum, quæ circa has ſubiecti præcognitiones tradidimus, & pro multorum argumentorum confutatione, obſerua ex Ariſtotele primis verbis 1. cap. lib. 1. de partibus animalium, quod in omni contemplandi genere, omniq. tum nobiliori, tum ignobiliori docendi vſu, & ratione, (ſic loquitur Ariſtotel.) duo ſunt habitus, quorum alterum, ſcientiam rei appellaſſe, alterum quaſi peritiam quandam bene eſt; quam doctrinam declarando dico, quod in ſcientia duæ partes inueniuntur, quarum altera dicitur pars principiorum, & hæc peritia vocatur ab Ariſtotele, altera dicitur pars ſcientifica, quæ ab eodem vocatur rei ſcientia; In prima ponuntur poſitiones complexæ, & incomplexæ, principia nimirum, ex quibus concluſiones illius ſcientiæ, (ſic illa principia nō erunt communia, vel metaphyſicalia) ſunt deducendæ; In poſteriori parte, iam concluſiones ex principijs poſitis inferuntur, & quoniam poſitiones illæ ſi ſint complexæ, ſunt per ſe notæ, ſi incomplexæ, attinguntur prima intellectus operatione, vt notauit Caietanus, prima quæſtione ſua ſuper primū Poſter. ideo ſcientiam totam diuidimus in intellectum, hoc eſt habitum principiorum, ad quem ſpectat cognoſcere per ſe nota, & incomplexa, & in ſcientiam proprie dictam, quæ illa eſt, quam per demonſtrationem acquirimus, nam ſcientia vere accepta eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, vt cuique exploratum eſt; cumque vnum, idemq. potiſſimum inter principia propria habitus ſcientifici ſit quod quid eſt ipſius ſubiecti, cognita eſt eiuſdem ſubiecti quidditas, antequam ſcientia generetur, nam in parte peritiæ poſita eſt, & ita omnis ſcientia vere, ac proprie accepta, pars ſcilicet ſcientifica de neceſſitate ſupponit ſubiectum ſuum, de qua vera ſcientia procedebat mea ratio, quando dicebam præcedenti cap. huiuſmet quæſtionis, non poſſe eſſe ſcientiam vt ſic, niſi ſuppoſito ſubiecto, ab hoc enim recipit eſſe ſcientiæ vt ſic, &c.

Ariſtot.

Duæ partes in ſcientia, & quales.

Caiet.

Præcipuum inter principia ſcientiæ.

Neque graue tibi appareat, quod aliquando in parte illa peritiæ, ſiue præparatoria, ſiue logica particulari, ſiue principiorum, (omnibus enim his vocibus à varijs conſueuit nominari) intuearis aliquem ſyllogiſmum demonſtratiuū,

Soluitur quæ fieri poſſet obiectio.

quoniam

quoniam id ex accidente contingit, ſicut enim primæ intellectus operationi per accidens coniungitur ſecunda, (in prima namque ſola, & ſimplex adeſſe debet definitio, quæ neque eſt affirmans, neque negans, & tamen aliquando hæc definitio agnoſcitur per ſuarum partium compoſitionem, quod eſt munus ſecundæ operationis,) ita & ſecundæ euenit nonnumquam, vt tertia operatio coniungatur, quod fit, quando definitio applicatur definito, non per partium compoſitionem, ſed per ſyllogiſmum demonſtratiuum. Et quoniam ex eo quod alicui per accidens ineſt, non eſt iudicium deſumendum, epropter, non cenſeas in illa parte haberi ſcientiam proprie dictam, quamuis adſit demonſtratio aliqua; ſic locum dant abeuntes difficultates omnes, quæ hac in re mentem perturbare ſolent, de Ariſtotele probante ſubiectum ſuum in quibuſdam ſuis operibus; id enim præſtitit, non in parte ſcientifica, de qua pronunciamus ſupponere ſubiectum ſuum, ſed in illa peritiæ, & principiorum, ſic applica libris de Anima, libris Analiticis, &c.

Innuũtur officia triplicis operationis intellectus.

Quo ad tertium, contra hæc mox pronunciata occurrit dubium in doctrina Auctoris, qui p. p. ſuæ ſummæ magnæq; ſcientia illa admirabili ſacræ Theologiæ, cui Deum opt. max. ſub ratione deitatis obiectum iure optimo accommodauit, & tamen Deum probauit dari quæſtione ſecunda, art. 3. Neque dici poteſt, quod in parte peritiæ id egerit, cum quinque rationibus demonſtratiuis de induſtria formatis id effecerit, prima deſumpta ex via motus, ſecunda ex ratione cauſarum efficientium, tertia ex poſſibilitate, & neceſſitate rerum, quarta ex gradibus vniuerſi, quinta ex rerum gubernatione. Vt huic difficultati occurras, collige doctrinam nobilem ex Caietano ibidem, quod nimirum nulla ſcientia probat ſubiectum ſuum per ſe, per accidens tamen nihil prohibet, quod ipſum poſſit probare, ſic Theologus per accidens probat Deum ſubiectum ſuũ eſſe, & hoc per accidens, ex duplici capite colligitur, primum eſt imperfecta Dei in nobis participatio, ſi enim diuinum lumen plene participaremus, ſtatim conſtaret Deum eſſe, & ita non eſſet cur probaretur, ſecundum eſt conditio medij, & rationis, per quas probat Theologus tale ſubiectum, non enim eſt medium vere theologicum, ſed extraneum abſolute, ſumptum videlicet ex rationibus naturalibus, appropriatum tamen eſt, quatenus à viro theologo accipitur, quare verum eſt, nullam ſcientiam probare poſſe ſubiectum ſuum ex medijs proprijs, id tamen efficere valet medio extraneo, & tunc tali medio vtens, non eſt formaliter, ac omnino proprie ſcientia illa, ſed veſtita quodãmodo habitum alterius, illius nimirum, cuius propriæ ſunt rationes illæ, tunc ab ipſa deſumptæ, cuiuſmodi fuere rationes ibi ab Auctore adhibitæ, vt cuiq; patere poteſt, ex philoſophia namque depromptæ ſunt.

Dubium. D. Thom. Quid ſit ſubiectũ in theologia.

Reſponſio. Caietan.

Quomodo Theologia ꝓbet ſubiectũ ſuum.

Quomodo omnis ſcientia idem poſſit efficere.

Hanc Caietani doctrinam, quam nobilem appellaui, auctor quidam, qui ſcripſit ſuper p. p. ignobilem efficere nititur, dum contra ipſam puncto ſuo tertio circa art. illum tertium q. 2. triplici argumento inſurgit, primo dicens rationes Caietani parum valere, & primam ſuadere potius poſſe contrarium; quoniam imperfectio huius ſcientiæ deberet potius facere, vt neque ſe etiam extenderet ad ſubiectum ſuum probandum; ſi enim ſcientiæ, quæ perfecte poſſidentur non quærunt de ſubiecto ſuo, multo minus id debet præſtare Theologia, quæ minus perfecte participatur, hæc enim extenſio, qua vt ita loquar diffundit ſe Theologia ad probandum ſuum ſubiectum, quod non faciunt aliæ ſcientiæ videtur arguere perfectam participationem; ſecunda vero ratio Caietani inquit, non tam probat Theologiam per accidens probare ſubiectum ſuum, quã

Auctor modernus impugnat doctrinã Caietani.

nulla via probare, quoniam ad hoc vtitur principijs naturali lumine notis, qui ſanè aſſenſus ex illis deducti non ſunt theologici; Tandem inquit, reſponſum Caiet. non facere ſatis argumento, quoniam aliquando Theologus medio proprie theologico probat Deum eſſe, veluti eodem art. facit Auctor, qui argumēto ſed contra adfert auctoritatem ſacræ ſcripturæ ex tertio Exodi, qua probat Deum eſſe, conſtat autem nullum eſſe magis proprium medium theologicum, quam id quod ſumitur ex ſacræ ſcripturæ auctoritate, cum ei ſit proprium, &
D.Thom. de neceſſitate concludat, vt docet Auctor p.p.q.p. art. 8. ad ſecundum. At pace ſua debebat abſtinere vir iſte ab impugnatione doctrinæ huius, quam tulit Caietan. niſi forſan eo conſilio illam impugnarit, vt rationes minimo negotio ſolubiles contra illam adducens, doctrina, quam nobilem dixeram, nobilior deinde redderetur. Reſpondeo igitur ad primam eius rationem, & dico, veriſſimum eſſe, quod ob imperfectam diuini luminis participationem, ſacra doctrina probat ſubiectum ſuum, cum enim quæuis ſcientia certa eſſe debeat de ſubiecto ſuo, vel quoniam id notiſſimum ſit, vel quoniam illud ab aliqua ſuperiori facultate acceperit, vt ſcripſit Auerroes locis ſupra allegatis, & Deum eſſe, non ſit per ſe notum quo ad nos, licet ſit ſecundum ſe, vt eadem quæſtione art. 1. docet Auctor, cui & doctor iſte adhæret, & rationibus quoque id probat, neque hoc Theologia accipere poſſit ab altiori ſcientia, quoniam non adeſt, relinquitur, quod ſubiectum ſuum debeat probare, ex hac imperfecta diuini luminis poſſeſſione; Certe ſi hoc lumen perfecte participaret, mox conſtaret Deum eſſe, vt dicebat Caiet. ergo quoniam non perfecte illud aſſequitur, ad id inquirendum, & probandum mouetur; Quod ſi ratio prima huius auctoris quicquam efficeret, probaret ſubinde, quod ad nihil ei ignotum probandum deberet Theologia laborare; maneret in nimia imperfectione Theologia, ſi vbi Deum eſſe non eſt ei peruium, ac notum, ex hoc nequiret eundem oſtendere, ſeipſam ergo iuuet, & ab hac imperfectione eximat, notum faciens, quod ſibi ignotum erat.

Defenditur Caiet. Ad primam rationē illius auctoris.

Secundo argumento iam idem Caietan. reſponſum dedit, quando dixit, ea quæ ex lumine naturali deſumuntur eſſe quidem abſolute extranea Theologo; appropriata tamen ſibi fieri, dum ab illo aſſumuntur, atque propria eſſe non ſimpliciter, ſed miniſterialiter, vt apertius idem Caietan. obſeruauerat circa reſponſionem ad illud ſecundum in art. 8. p. q. quo loco etiam hic auctor idipſum ex Caiet. adnotabat; Eſt igitur negandum, quod Theologia probans Deum eſſe per accidens, medio ſcilicet extraneo, nullo modo probet, quoniam licet illa media non ſint proprie, ac ſimpliciter theologalia, ſunt tamen appropriata, & miniſterialiter, & videntur pugnantia dici, quod his rationibus probet Theologia Deum eſſe, & quod nullo modo probet. Vel concedatur totum argumentum, quod ſcilicet nullo modo Theologia, vt Theologia probat, ſed medio ſumpto ab extra, & hoc eſt ex accidente probare, quod nobis iuuat; colligitur enim, numquam ſcientiam vt ſic probare ſubiectum ſuum, ſed non valet, Theologia, vt Theologia non probat, ergo nullo modo probat, ſicut non valet, homo vt animal non eſt riſibilis, ergo nullo modo eſt riſibilis.

Ad ſecundū iam Caietan. reſpondit.

Ad tertium dico, quod Theologum probare aliquid per medium tale, quale eſt auctoritas ſacræ ſcripturæ, non eſt probare per medium ſcitum, ſed creditum, auctoritas enim illa Exodi non ſcitur, ſed creditur, nam ſcientia eſt de concluſionibus, quæ ex locis ſacræ ſcripturæ eliciuntur, non autem de ipſis locis ſcripturæ, hæc enim loca veluti principia ſunt Theologiæ, de quibus non

De quibus ſit theologia, vt eſt ſcientia.

eſt

eſt ſcientia, ceu quoque non eſt de principijs aliarum ſcientiarum. Intelligimus ergo, quod Theologia non probat ſubiectum ſuum, medio proprio ſcientifico, & habito per demonſtrationem, non autem negamus, quin poſſit illud efficere medio credito, at illud non eſt vere probare, neque demonſtrare, tunc enim omnes articuli fidei probarentur, cum circa omnes ſit adducere teſtimonia ſacræ ſcripturæ; De ſcientifica itaque probatione eſt ſermo, quæ ad articulos fidei nequit induci, alioquin meritum fidei periret, (ſaltem formaliter, & quo ad hoc, ſcilicet credere, non enim me fugit, ex charitate aliquem qui videat poſſe magis mereri, quam ille qui credit,) quæ eſt de ijs quæ neque videntur, neque ſciuntur, vt habes ab Auctore 2. 2. q. p. art. 4. & 5. De quibus ſit fides. D.Thom.

Alia difficultas circa ſcientias probantes ſubiectum occurrit in gratiam præcipue eorum, qui doctrinæ Caiet. ſtudent. Mouet dubium vir Illuſtriſſimus 3. p. q. p. art. 1. cur Auctor ſermonem ibi habens de Incarnatione Dominica primum articulum mouerit de conuenientia incarnationis, omiſſa illius myſterij poſſibilitate, ait enim, quod videtur initium ſumpſiſſe ſaltando, cum antequam tractet de conuenientia, debuiſſet de poſſibilitate tractare, quæ quid prius, & commune magis eſt, quàm conuenientia, omne namque conueniens eſt poſſibile, at non e contra. Dubium. D.Thom.

Duas huic dubitationi adhibet reſponſiones, & poſthabita ſecunda, quæ meo propoſito non facit, prima ea eſt, quod ideo ibi non vocarit in dubium poſſibilitatem incarnationis, eamq. non probarit, quoniam nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum, & quoniam tertiæ partis ſubiectum eſt Chriſtus, hoc eſt Deus incarnatus, ſi incarnationem probaſſet poſſibilem, iam ſubiectum probaſſet, quod abſque artis præceptis, immo contra præcepta artis fuiſſet, ideo artificioſe vt ſemper Auctor ſuppoſuit, & non probauit Incarnationis poſſibilitatem. Hanc reſponſionem videns Bartholomæus Medina, doctor de Prædicatoria Familia benemeritus, inquit q. 2. quam de præcurſorijs format ſuper tertiam partẽ, ſibi non placere, quoniam Auctor, vt iam vidimus demonſtrauit p. p. Deum eſſe, qui tamen eſt Theologiæ ſubiectum. Alij quoque, qui multo poſt Medinam ſcripſerunt ibidem, reſponſiones ſimiliter Caietan. impugnarunt, in com. illius primi art. eadem ferè ratione, hoc addito, quod Theologia cum ſit ſcientia ſuprema; ſi ſubiectum ſuum non ſit notum, debet illud ſibi ſtatuere, vt poteſt, neque enim ab alia eminentiori diſciplina id poteſt ſibi præfiniri, vt nos quoque dicebamus. Reſponſio Caietan. Impugnatur à Medina. Et ab alijs.

At ſi diligenter doctores hi celebres Caiet. rimati eſſent, non dixiſſent, hanc reſponſionem vel eis non placere, vel non facere ſatis; Quamuis enim ſit veritatis plenum, quod Theologia ſit habitus altiſſimus, atque minime alligatus regulis, quas de humanis ſcientijs tradidit Ariſtoteles, id tamen fatebitur, vel certe fateri quiſquis deberet, quod vbi fieri poſſit, & vbi ratio non ſit in contrarium vrgens, ſemper eam reliquis diſciplinis conformem facere debeamus, alioquin ſemper quando ratio adferretur ex Ariſtotele, ſeu ex philoſophia deprõpta, nihil eſſet, quod in eius ſolutione laboraremus, ſed dicere poſſet Theologus, eam veram eſſe de habitu, & re humana, & Theologiam non ſubiacere ſimilibus propoſitionibus, quod riſum moueret, intelligendo ſemper vt dixi, quando nihil in contrarium vrgeat, vel quod tradiderit fides, vel Patres orthodoxi, &c. Sic autem in præſentia contingit, quod enim nulla ſcientia probet ſubiectum ſuum, id quoque verum reddi debet de Theologia, quoniam nihil ex aduerſo militat, & hæc fuit mens Auctoris, nam art. 7. p.q.p.p. formabat argu- Defenditur Caiet. D.Thom.

mentum primo loco dicens, quod de ſubiecto debet præſupponi quid, de Deo autem non habetur quid à nobis, ergo, &c. potuiſſet reſpondere, maiorem illam propoſitionem veram reddi de ſubiectis ſcientiarum humanitus inuentarũ, cui legi non tenebatur Theologia, at non tulit hoc reſponſum, ſed conceſſa maiori propoſitione, vera quoque in ſacra ſcientia, minori obuius iuit, & aperuit quomodo de Deo habeatur aliquo modo quid, ſumpto ſcilicet aliquo effectu loco definitionis.

Ex Caietani doctrina diluuntur, quæ in ipſum illi adferebant.

De mente ergo Auctoris, verum quoque eſt in Theologia debere præſupponi de ſubiecto ſuo an ſit; vera ergo eſt reſponſio Caiet. quod 3. par. non probauit Auctor poſſibilitatem Incarnationis, quoniam de ſubiecto ſupponitur quid, & multo magis quia, nam quæſtio quid ſupponit quæſtionem quia. Ad inſtantiam, in p. p. probauit Auctor Deum eſſe; Iam ex eadem Caiet. doctrinâ quam illi impugnant elicio ego ſolutionem, nulla enim ſcientia probat ſubiectum ſuũ medio proprio, poteſt tamen id efficere medio extraneo, & quoniam p. p. potuit Auctor probare medio extraneo, deſumpto ſcilicet ex naturæ lumine ſubiectum ſuum, ideo probauit, tertia autem parte non valebat probare incarnationẽ medio extraneo, quoniam nullum datur medium, niſi ex Theologiæ reconditis deſumptum, quo poſſit probari incarnatio; Hinc, vel nulla via debebat probare, vel ex proprijs omnino, & cum hoc ſecundum non liceat, quoniam nulla ſcientia probat ſubiectum ſuum, primo manus dedit, nullo ſcilicet modo probando: p. autem par. non redigebatur ad has anguſtias, vt ſcilicet, vel nullo modo, vel rationibus proprijs probaret, quoniam dabatur medium extraneum, quo probatur Deum eſſe, quod non datur ad probandam incarnationem, ideo ſumma cum arte quod non probauit 3. parte, ne præcepta Ariſtotelis exiret, probauit in prima, in eiuſdem præceptis ſtando.

Ad illud quod addebatur, Theologiam ſcilicet eſſe ſupremam ſcientiam, &c. dico poſſe ipſam probare ſubiectum ſuum, medio non proprio, ſed extraneo; eſt enim late patens Theologiæ ambitus, quando autem id nequit aſſequi, niſi medio proprio, & vere ſcientifico, dico id non poſſe facere, quoniam omnis ſcientia vt ſic ſupponit ſubiectum ſuum, à qua lege ipſa non eximitur, vt ex Auctore patefeci, &c.

Quotuplex veritas hui' propoſitionis: Nulla ſciẽtia probat ſubiectum ſuum.

Cum itaque pro defenſione Caiet. & veritatis vagati, non tamen extra rẽ fuerimus, redeamus, & dicamus, duplici via veram eſſe hanc enunciationem: Nulla ſcientia probat ſubiectum ſuum, primo in parte ſcientiæ, ſiue ſcientifica, nam in parte peritiæ, & principiorum aliquando ſcientia, (ſed tunc non eſt vere, ac formaliter ſcientia) poteſt id probare, & ſibi præfinire; vera eſt ſecundo, de medio ſumpto ex proprijs illius ſcientiæ, nihil tamen prohibet, quin probet medio extraneo, & alium ferè habitum induta; vnde ſemper verum eſt, nullam ſcientiam vt ſic, & formaliter, ac proprie ſubiectum ſuum probare.

Alia eiuſdem propoſitionis explicatio.

Non me præterit, aliam conſueuiſſe à quibuſdam huius pronunciati interpretationem adferri, quod ſcilicet nulla ſcientia probat totale ſubiectum ſuum, partiale vero ſubiectum, quod ſcilicet in aliqua parte totalis ſcientiæ ſit ſubiectum poſſe probare; ſic facile reſpondent ad argumenta illa de Ariſtotele probante dari animam, & demonſtrationem, quarum illa in libris de anima, hæc in analaticis poſterioribus eſt ſubiectum, & illa eſt pars naturalis, hæc dialecticæ diſciplinæ, ſic non ſunt ſubiecta totalia, vel naturalis philoſophiæ, vel logicæ, ſed partialia tantum, &c. Qui forte modus reſpondendi mihi olim iuniori, ſiue puero non diſplicuit, at re bene ni fallor conſiderata, video hunc

Impugnatur.

modum

modum dicendi nihil dicere, licet enim demonſtratio ſit ſubiectum partiale totius logices, ſimiliter anima licet ſit ſubiectum partiale relatione ad totam naturalem philoſophiam, tamen & illa eſt ſubiectum totale poſterioriſticæ diſciplinæ, & hæc animaſticæ, & non eſt controuerſia, num in philoſophia poſſit in vniuerſum probari anima eſſe, in Logica in communi, an ſit demonſtratio, ſed quæritur, num in libris de anima poſſit indagari eſſe ipſius, & in libris poſteriorum eſſe demonſtrationis, quod ſi concedatur, iam ſcientia probat ſubiectum ſuum totale, non partem ſubiecti, ſic enim & animaſticus, & poſterioriſticus probabunt ſubiecta ſibi totalia; Quare confutata hac via reſpondendi, eligantur modi illi, quos proxime aſſignaui. Quid ſit ſubiectum in libris Analiticis. Quid in libris de Anima.

Relinquitur pro fine huius negotij, vt ſoluantur argumenta, quæ Scotiſtæ nonnulli ſolent adducere, vt probent ſcientiam poſſe demonſtrare ſubiectum ſuum à poſteriori, quæ habes iam confutata à Caiet. 2. Poſteriorum 9. illa relata, & à Zimara theoremate quoque commemorato, & ab vtroque pari via ſoluuntur; quando enim dicunt, quod omnis ſcientia poteſt vti demonſtratione quia, & propter quid, probando ſcilicet per cauſam effectum, & econtra, ergo poteſt demonſtrare ſubiectum ſuum à poſteriori, probatur conſequentia, quoniam ſubiectum eſt cauſa aliquorum effectuum in illa ſcientia; negatur hæc conſequentia, ad cuius probationem dicitur non ſufficere, vt aliquid demonſtretur demonſtratione ſigni, vel effectus, quod habeat effectum, per quem poſſit demonſtrari, ſed oportet, vt illud quod demonſtratur, cauſa ſcilicet, ſit nobis occulta, & minus nota effectu illo, per quem demonſtranda ſit, alioquin ſi cauſa ſit notiſſima, & illo effectu notior, nequit à nobis fieri demonſtratio, tum quoniam ſemper hæc procedit à notioribus nobis, ſi à nobis fiat, tum quoniam vane ex ignoto, aut minus noto probaret quis quod notius, ac notiſſimum eſt, cuiuſmodi eſt ſubiectum in ſcientia, vt apparet ex ijs quæ diximus; peccat ergo argumentum, quoniam adducit non cauſam, vt cauſam, nam cauſa per quam non poſſit probari ſubiectum, non eſt ex defectu medij, ſed ex eo quod eſt omnium eorum, quæ ſunt in ſcientia notiſſimum, atque ideo per nihil illius ſcientiæ poteſt aliqua via probari. Caietan. Zimara. Argumētum primum aduerſus ea quæ dicta ſunt. Soluitur.

Quando arguunt ſecundo ex libris elenchorũ, in quibus probatur ſyllogiſmus ſophiſticus eſſe, & his ſimilia adferunt, dico numquam ſubiectum probari, ſed poteſt aliquali declaratione innui, & patefieri, non beneficio demonſtrationis, ſed exemplaris manuductionis, aut via inductionis. Vel dicas ex doctrina allegata, id fieri non in parte ſcientiæ, ſed in illa peritiæ, & principiorum. Secundum. Soluitur.

Tandem vnum argumentum refero, quo vidi virum doctum conuinci, vt concederet ſcientiam poſſe ſubiectum ſuum demonſtrare, quamuis virtute ſaltem, & implicite fuerit iam & ab Auerroe, & Caiet. & à Zimara locis memoratis, & à Scoto p. ſent. d. 3. q. 2. non longe à principio, & ab alijs confutatum; ſiſcitabatur vir ille dum Patauij legeret, an ſubiectum eſſet notum, vel ignotum in illa ſcientia cuius eſt ſubiectum? ſi notum, concedebat non debere demonſtrari, ſi ignotum, ergo debet ab illa demonſtrari, patet conſequentia, quoniam aliàs ſcientia verſatur in ſibi minus notis; Iam reſponderunt viri clariſſimi, quod ſi fuerit ignotum, erit tamen notum ſuperiori ſcientiæ, quæ ipſum probarit, & ita ſcientia inferior ſupponit ipſum vt notum, quamuis illud non probet, accipit enim illud probatum ab altiori arte; non tamen inferas, ſcientiam accipientem ſubiectum ab alia non eſſe ſcientiam, ſed fidem, quoniam reuera ſcit, Aliud argumentum. Auerroes. Caietan. Zimara. Scotus. Soluitur.

& euidenter agnoſcit fuiſſe in ſuperiori ſcientia probatum; iccirco habet ſcientiam veram in hoc, & euidentem.

Id quoque dixerim pro confutatione argumenti, in ſcientijs præcipuis numquam dari ſubiectum ignotum, nomine ſcientiæ accipiendo illas, quæ nulli ſubalternantur, & loquendo de ſcientia vt ſic, hoc eſt de parte ſcientifica, quoniam in ſcientijs iſtis ſemper præcedit pars peritiæ, in qua iaciuntur vt dicebatur principia, inter quæ potiſſimum eſt quod quid eſt ſubiecti, quando ſubiectum eſt ignotum, quocirca erit probatum à ſcientia cuius eſt ſubiectum, at non in parte ſcientiæ, ſiue erit aliqua via, non demonſtratiua manifeſtatum, ſiue modio extraneo; quare colligamus ſcopum huius quæſtionis dicentes, De ſubiecto ſcientiæ ſemper in ſcientia præſupponi, & quia ſit in rerum natura, & eiuſdem quidditatem, & quod quid eſt; atque hæc de ſubiecto, vel intentione in communi.

Quo ad quartum, applicanda breuiter ſunt quæ de ſubiecto in communi prolata fuere ſubiecto huius operis. Dicebamus duplex eſſe ſubiectum, materiale ſcilicet, & formale, ita in hoc opere videmus vtrumque, materiale enim ſunt res omnes, accidentia videlicet, ſubſtantiæ tum compoſitæ, tum ſimplices, & earum prima, ac ſimpliciſſima, omnium cauſa, de quibus hoc opere agitur, vt locis ſuis videbimus; formale ſunt ENS, & ESSENTIA, in horum enim gratiam omnia hic conſiderantur, quoniam omnium quæ enumerauimus nulla alia ratione habetur contemplatio, niſi quatenus ente, & eſſentia gaudent, quomodo in his eſſentia inueniatur, & quamuis primo tantum capite, & prima ſolum illius parte fiat mentio de ente, dum aperitur quid nomine entis ſignificetur, reliquo autem totius libri progreſſu ſermo habeatur de eſſentia, quid ſignificet, & variæ eius acceptiones adducantur, & deinde manifeſtetur quomodo in quauis re inueniatur, non eſt tamen eur quis iudicet principem conſiderationem fore tribuendam eſſentiæ, & quaſi in eius gratiam tractari de ente, id enim falſum eſſet, cum ens nobilius ſit quam eſſentia, & ſit id quod vere eſt, fit, generatur, & habet eſſe, vt docuit Ariſtoteles 7. Diuinorum 27. & 1. Phyſ. 64. eſſentia autem ſit id quo tantum aliquid eſt; præterea clare Auctor primis verbis huius operis, ait dicendum eſſe, quid nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur, & quomodo in diuerſis inueniantur, & quomodo ad intentiones logicas ſe habeant. Vult ergo de vtroque toto hoc opere agere, quod & titulus ſuadet, cum liber de ENTE, & ESSENTIA inſcribatur; patefacit autem quomodo eſſentia varie in varijs rebus inueniatur, non quomodo ens, quoniam hoc non inuenitur in aliquo, ſed ipſum eſt in quo & eſſentia, & alia inueniuntur, & quoniam vbi docuerit, quomodo eſſentia in rebus inueniatur, docuerit etiam, quænam ſint entia illa, in quibus reperitur hæc eſſentia, hæc enim ſumitur ab eo, quod eſt vere ens, vt idem primo cap. docet; quocirca formale obiectum huius operis eſt ens, & eſſentia, &c.

Subiectū huius libri materiale & formale.

Quid ſit ens. Ariſtot. Quid ſit eſſentia. D. Thom.

Dicebatur duplex eſſe ſubiectum, adæquatum ſcilicet, & principale, & vt plurimum tertium ſubiectum, quod attributionis vocauimus, ita in hoc libro adæquatum ſubiectum ſunt ens, & eſſentia, principale, id quod digniori modo rationem tenet entis, & eſſentiæ, quod ſanè erit ſubſtantia, quod ſi & tertium ſubiectum cupis, dic quadamtenus illud eſſe Deum, ea ſcilicet ratione, quod in ipſo vno plene inueniatur tota latitudo, ac perfectio entis, & eſſentiæ, immo ſit ipſum ens, ipſa eſſentia, à cuius libera voluntate, quodlibet aliud ens, & quæuis

Subiectū huius libri adæquatum.

nis alia eſſentia emanarit, ſic quatenus omne ens, omnis eſſentia reſpicit Deum, (licet non ſub hac ratione hic ens, & eſſentia conſiderentur) poteſt vtcumque vocari ſubiectum attributionis.

Aſſignabamus duplicem rationem obiecti, alteram ſibi conuenientem, vt res eſt, alteram vt obiectum formaliter eſt, & vtramque rationem vocibus varijs appellabamus, ratio obiecti vt res eſt, in hoc libro erit entitas; ratio eiuſdem vt obiectum erit abſtractio ſaltem à materia ſingulari, alioquin non haberemus ex hac tractatione ſcientiam; Num autem maior etiam interueniat abſtractio, iudico quod ſic, & quod non ſtet in indiuiſibili, cum ex ijs quæ cadunt ſub huius operis conſideratione quædam contemplemur magis, & minus à materia abſtrahere, nam accidentia clarum eſt concernere ſubiectum ſuum, ſimiliter compoſitas ſubſtantias videbimus materiam includere, mentes autem illas abſtractas, & multo magis cauſam primam ab omni materia abſtrahere non dubitamus, quare cum non æquo modo abſtrahant, non poterit quoque aſſignari vna vera ratio obiecti, vt obiectum eſt, neque liber hic poterit vere dici ſcientia vna.

Ratio ſubiecti vt res in hoc libro.

Ratio vt ſubiectum.

An poſſit hic liber dici vna ſcientia.

Id tamen facile obſerua, me non colligere, ex eo non poſſe adeſſe vnam veram, atque propriam obiecti rationem formalem, quoniam ea quæ hic conſiderantur vario, & vario modo à materia abſtrahant, Iam enim noui, & docui res mille, & plures non eodem modo à materia abſtrahentes, ſub vna ſcientia, ſi non ſpecie, ſaltem genere cadere poſſe, ſed ex eo colligo, quoniam ſic ab Auctore hoc loco conſideratur, vt ſcilicet varie à materia abſtrahunt, vt cuique patet; Sub vno habitu metaphyſico currunt omnia entia, quorum nonnulla ab omni materia abſtrahunt, nonnulla aliquo modo, quædam ſunt materiæ penitus immerſa, at omnia conſiderantur, vt à materia abſtrahunt, hoc autem tractatu, non modo conſiderantur variæ res diuerſimodæ à materia abſtrahentes, ſed etiam hoc modo, vt ſcilicet varie à materia abſtrahunt; neque conueniunt ſub eadem conſideratione modi abſtrahendi, videbis enim in ſubſtantijs compoſitis cadere materiam, & hac ratione hoc in loco conſiderari, cernes Intelligentias à materia ſecretas, compoſitionem tamen metaphyſicam non exuentes, & hunc in modum tractari, conſpicies cauſam primam nullam penitus compoſitionem admittentem, & hac via de ipſa ſermonem haberi, denique intueberis accidentia ſubiectum concernentia, & in ipſorum definitione illud contineri, & iuxta hanc conditionem de ipſis eſſe contemplationem. Quod ſi ea de quibus hoc loco eſt ſpeculatio, non ſolum varie à materia abſtrahunt, ſed etiam ſub hac varia conſideratione diſcutiuntur, non facile inuenio, neque quempiam credo inuenturum vnam veram, & propriam abſtractionem, ſub qua hæc poſſe tractari dicamus, & à qua veram vnitatem, & ab alijs diſtinctionem liber iſte poſſit ſortiri. Hoc autem in huius tractationis dignitatem potius cedit, ſic enim non ſub aliquo vno præciſe libri vel ſcientiæ ambitu continetur, ſed ad ea, quæ in aliquibus facultatibus, & præcipue in vtraque philoſophia, naturali ſcilicet, & diuina conſiderantur ſe extendens, vtrique erit perutilis, quamuis magis Metaphyſicæ; cuius opus hoc compendiolum quoddam diximus, dum in eius ad alios proportione aſſignanda verſaremur.

Quam late pateat metaphyſica.

Iudicium Auctoris de hoc libro.

Hinc non oportebit aliquem nimis ſolicitum eſſe, ſi non omnes forſan conditiones veræ ſcientiæ, & eius ſubiecti in ipſo inſpexerit, cum iam fateamur, quæ hic traduntur non conſtituere ſcientiam numeris omnibus abſolutam, ſed tractationem ſolum nobilem varia complectentem, quod & eius auctor ſignificare

voluit,

voluit, quando vltimis verbis ipſius, illum non ſcientiam, non artem, ſed ſermonem vocauit; Caiet. quoque primis verbis ſui commentarij, eundem opus inſigne nuncupauit.

Si tamen illam vnitatem, quæ fieri poſſit huic libro adſcribere cupis, dicito omnia ſub hac vna ratione hic conſiderari, quatenus in ipſis inuenitur eſſentia, & quatenus entia ſunt.

Et hæc de intentione, ſiue ſubiecto huius libri, & de tota hac quæſtione, ac proinde de ſeptimo eorum, quæ præmitti diximus ab expoſitoribus; Relinquitur, vt de vltimo, hoc eſt de libri diuiſione aliquid dicamus.

Diuiſio libri.

Ariſtot.

Diuiſit hoc opus Caiet. ampliſſimus in duas principes partes, & iure, quarum priorem procemium, poſteriorem narrationem dixit; quamuis enim Ariſtoteles 3. Rhetor. cap. 19. ſi ſequamur diuiſionem translationis Hermolai Barbari, Patritij Veneti clariſſimi, cap. vero 15. ſi illam Caroli Sigonij, & Marciantonij Maioragij dixerit, duas tantum eſſe neceſſarias partes orationis, propoſitionem ſcilicet, & probationem, ſeu fidem, procemium autem, & perorationem, vel epilogum non omnino neceſſarias, velut & multo minus alias ab alijs aſſignatas, vnde ad finem eiuſdem cap. reprehendit Theodorum, & Lycimnium, qui alias appoſuerant, docet tamen ibidem adhiberi poſſe procemium, & perorationem, quando nimirum res de qua agitur non pateat, & non memoratu facilis ſit; ita merito procemium, & perorationem huic operi adhibuit Auctor, neque enim manifeſtum erat de quo diſſerere vellet, & poſt multa, quæ grauiter docuit, haud facile ea memoriæ commendari poterant, ſic ratione primi, procemium, ratione ſecundi, epilogum formauit; & cum ibidem cap. ſequenti ſcripſerit Ariſtoteles, munus procemij maxime neceſſarium, ac proprium eſſe, vt indicetur quiſnam ſit finis, cuius cauſa ſit oratio inſtituta, ideo mox Auctor reddit cauſam huius tractationis, ne ſcilicet ex ignoratione entis, & eſſentiæ, in multis contingat errare; Sed & gratia quoque ornatus procemium expoſtulari eodem loco ſubdit Philoſophus, niſi enim oratio procemio ſit prædita, temere videtur erupta, quale fuit encomium Gorgiæ in Elienſes, qui ſtatim orſus eſt, Elis beata ciuitas, &c. multiplici ergo ex capite procemium huic operi appoſitum videmus.

Quãdo liceat operi adhibere procemiũ.

Hæc eſt diuiſio principalis huius operis, veluti & aliorum omnium, nullum enim inuenies opus à docto auctore æditum, in quo non videas, & proponi quæ dicenda ſunt, (ſi lateant,) & abſolui, & primum ad procemium, alterum ad narrationem facit.

Magis ſpecialis diuiſio huius libri.

Si cupis autem peculiarem magis diuiſionem, ſeu potius præfatarum partium ſubdiuiſionem, dic quod procemium in tres partes ſecernitur; narratio in tres præcipuas partes diuidi poſſe prima facie videtur, vt colligitur ex verbis ipſiuſmet Auctoris in procemio, in quarum altera, manifeſtatur quid ſignificetur per hæc nomina, ens, & eſſentia, in ſecunda oſtenditur, quomodo eſſentia in diuerſis diuerſimode inueniatur, in tertia, quomodo ſe habeant ad logicas intentiones: has tamen duas partes, ſecundam ſcilicet, & tertiam Caiet. vnam iure fecit, quoniam vtrumque ſimul tractatur, & quomodo ſcilicet in varijs inueniantur, & quomodo ad ſecundas intentiones ſe habeant; vbi enim viſum fuit, quomodo eſſentia locum habeat in ſubſtãtijs compoſitis, aperitur deinde, quomodo eſſentia illa poſſit dici genus, vel ſpecies, idem fit in alijs, prima cauſa excepta, quæ non collocatur in ſerie vllius cathegoriæ, eapropter dicemus duas tantum eſſe potiſſimas narrationis partes.

Qua-

Quarum prior nullam aliam principalem diuiſionem patitur, poſterior autem in ſex partitur, in quarum prima explicatur, quid ſit eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum, in ſecunda, quomodo eſſentiæ conceptæ varijs primarum intentionum nominibus diſtinguantur, in tertia, quomodo nomina ſecundarum intentionum illis eſſentijs conueniant, in quarta, qualis ſit ſimplicium ſubſtantiarum eſſentia, in quinta, qualis ſit Dei eſſentia, in ſexta, & vltima, qualis ſit illa accidentium, & per tot capita hæc eadem ab Auctore poſſumus dicere diuiſa fuiſſe; ſed dum poſteriorem hanc partem principalem aggrediemur, eam commodius in tres ſolum ſecabimus magis præcipuas, quas tamen multipliciter deinde ſubdiuidemus, vt in earum explicatione patebit.

Et hæc de diuiſione huius operis, & de omnibus ijs, quæ ante litteræ explicationem, tanquam ad ipſam præparatorijs adferri conſueuerunt. Iam tandem D. THOMAM Doctorem Angelicum angelice loquentem audiamus.

DIVI THOMÆ
DE ENTE ET ESSENTIA
TRACTATVS.

PROOEMIVM.

1 QVIA paruus error in principio magnus eſt in fine, ſecundum Philoſophum primo cœli, & mundi *; Ens autem, & Eſſentia ſunt, quæ primo in intellectu concipiuntur, vt dicit Auicenna in metaphyſica, * ideo primo ne ex eorum ignorantia errare contingat,

* tex. 33.

*Lib. 1. cap. 6. in principio.

2 Ad horum difficultatem aperiendam dicendum eſt, quid nomine eſſentiæ, & entis ſignificetur, & quomodo in diuerſis inueniantur, & quomodo ſe habeant ad intentiones logicas, ſcilicet genera, ſpecies, & differentias:

3 Quia vero ex compoſitis cognitionem ſimplicium accipere debemus, & ex poſterioribus deuenire in priora, vt à facilioribus incipientibus conuenientior fiat diſciplina, ideo ex ſignificatione entis ad ſignificationem eſſentiæ procedendum eſt.

SVMMA PROOEMII.

IN hoc proœmio, quod iam diximus eſſe primam, & præcipuam huius libri partem proponit Auctor intentionem ſuam in toto hoc opere, aperiens ea de quibus eſt tractaturus, dicens ſe tria velle præſtare, quorum vtilitatem, difficultatem, ſimulque methodum in ipſis ſeruandam manifeſtat, cauſam quoque operis ſuſcepti non obſcure innuens, &c.

DIVI-

DIVISIO.

Ribus partibus coaleſcit hoc procemium, vt dicebatur, quando totum librum partiebamur, in quarum prima reddit ſibi Auctor auditorem gra- ,& beneuolum, aperiendo vtilitatem, & neceſſitatem eorum, in quibus eſt aturus, in ſecunda reddit attentum, eorundem difficultatem innuendo, & al proponendo ea, quæ facturus eſt, in tertia, vt docilem ſibi eundem audi- m faciat, tradit methodum, qua in propoſitis dilucidandis, ac definiendis ſurus, &c.

Quo ad primum: Tractatio de ente, & eſſentia perutilis oſtenditur ex eo, quo- n vtrumque eſt principium cognitionis noſtræ, hoc eſt, primo à noſtro intel- a apprehenduntur, ex ſententia Auicennæ cap. 6. ſui primi metaphyſicæ, quo- ; qui erga hæc erraret, in plures deinde, & magnos errores laberetur, quo- n paruus error in principio magnus fit in fine, auctore Ariſtotele 1. cœli 33. uitandos igitur errores, de principijs omnium intelligibilium diſſerendum de ente inquam, & eſſentia.

Quo ad ſecundum, quoniam negotium hoc apprime difficile apparet, vt dif- tas hæc facilis aliqua via reddatur, tria circa hæc præcipue agenda ſunt, nam no manifeſtabitur, quid nomen eſſentiæ, quidve nomen entis ſignificet, ac ſibi , deinde quomodo in rebus diuerſis inueniantur, & tertio quomodo poſ- & non poſſint logicas, vel ſecundas intentiones ſortiri, ſub qua ſcilicet ra- e, vel conſideratione.

uo ad tertium, methodus in hoc proceſſu ea erit, vt ex poſterioribus ad ra deueniamus, ſic enim à facilioribus erit incipiendum, & quoniam faci- , ac poſteriora ſunt compoſita comparatione ſimplicium, ideo à compo- auſpicabimur, & cum ens ſit quoddam compoſitum relatione ad eſſen- , eapropter ab illo initium ſumemus, & deinceps hanc luſtrabimus, &c.

ANNOTATIONES.

Quia paruus error in principio magnus eſt in fine, &c.

CIRCA primã partem notabat Caiet. quomodo error qui con- Caietan. tingit circa principia paruus dicatur in principio, & magnus in fine, & cauſam reddebat ex Ariſtotele tex. illo 33. primi de Ariſtot. cœlo, quoniam nimirum principium eſt maius virtute, quam magnitudine, quare quod in principio modicum, in fine fit permagnum; & ita, quoniam eſt paruum in magnitudine, ſeu titate, ideo error dicitur circa ipſum paruus, quoniam eſt magnum in virtu- nam in illo virtute continentur, quæcumque ex illo deducuntur,) ideo ta- ror fit in fine magnus, nam ſicut creſcit ipſum principium, & in ipſa prin- ta diffunditur, ita quoque error ille qui eſt in principio creſcit, & quo principiata eliciuntur, eo magis extenditur principium, & ex conſequenti , qui circa ipſum eſt, non enim inferuntur ex principio vt ſic, ſed ex cipio errori admixto; eapropter idem Ariſtoteles 1. Ethic. in fine cap. 7. bat, ſingula principia ita eſſe tractanda, vt eorum natura poſtulat, dandamq.

eſſe operam, vt recte definiantur, quoniam hoc magnum conſueuit adferre momentum ad ea, quæ conſequuntur, principium namque videtur pluſquam dimidium totius eſſe, & complura eorum, quæ in quæſtionem veniunt, per ipſum manifeſtatur. Quæ & prius extitit ſententia magni Platonis, qui ſexto dialogo de legibus, non multum ab initio ex perſona hoſpitis Athenienſis dicebat, principium eſſe dimidium totius operis, ac magis, & ſecundo de Republica, non multum ante finem, in omni re maximum eſſe principium docet, ac prope finem Cratili, circa principia conſtituenda, multis fore differendum aiebat, quod dictum referebat Auerr. 3. de anima com. 4. vbi ſubdebat ex Ariſtotele id quod modo ex primo de cœlo conſideramus, in cuius tex. expoſitione prope finem aiebat, id non protuliſſe Ariſtotelem, niſi vt oſtenderet eſſe de principijs omnino conſiderandum, & magnam ſolicitudinem circa ea habendam, & reddens cauſam, quoniam ſermo inquit de principijs eſt ſermo de omnibus, ſcilicet in potentia, quod videtur ex Themiſtio ibidem accepiſſe, qui dixit, principium maximam vim habere, quoniam omnia poſſibilitate quodammodo continet, quod denique ſcriptum reliquit & Alexander Alenſis ſuper 15. 2. lib. Diuinorum. Magnam ergo huius ſuæ tractationis vtilitatem, ac neceſſitatē vnico verbo inſinuauit Auctor, quando dixit, ens, & eſſentiam primo cadere in intellectu, atque ideo eſſe omnium aliorum intelligibilium principia, vnde & auditorem ſibi vehementer gratum fecit, &c.

Plato. Quid ſit principium. Auerroes. Sermo de principijs qualis. Themiſt. Alenſis. D. Thom.

Circa eandem partem ſcias, quod de errore erga principia paruo ſub initium, & magno in fine, duo poſſunt dici, & vtrumque bene vt iudico, alterum, quod error æque magnus eſt in principio, atque in fine, ſi loquamur intenſiue, & in ſe, nam quando inferuntur aliqua ex principio & in illis aberratur, error non fit maior in ipſo principio, ſed ſolum extenditur in ijs, quæ ex principio inferuntur, vnde in fine, non intenſiue, ſed extenſiue magnus factus eſt; In cuius rei ſignum, error ille in principio vt ſic ſemper eſt idem, ſiue plura, ſiue pauciora ex ipſo deducas; Alterum quod poſſumus dicere eſt, quod nedum extenſiue, ſed etiam intenſiue id contingat, & ratio eſt, quoniam de eſſentia principij vt ſic eſt, quod reſpiciat principiata, & ita error in ijs quæ ex ipſo deducuntur, eſt error eiuſdem principij, & quoniam de principio formaliter videtur eſſe Ariſtotelis ſermo, & formalis ſenſus ſemper quando poteſt debet acceptari, ideo dicamus; errorem in principijs paruum initio, magnum reddi in fine, nedum in illis, quæ ex ipſo inferuntur, & extenſiue, ſed & in ſuimet natura, ac intenſiue, primus tamen modus dicendi non eſt improbabilis, maxime ſi dicatur, non eſſe de eſſentia principij, vt quod formaliter tribuitur principiatis, formaliter quoque eidem adſcribatur, ſed ſufficiat extrinſeca tantum denominatione ab his denominari, &c.

Dubium.

Quod ſi quis diceret, non eſſe neceſſe, vt error in principio paruus, magnus vllo modo fiat in fine, neque intrinſece, neque extrinſece, ea nimirum ratione, quoniam contingit aliquando ex falſis præmiſſis, (quæ ſunt principia concluſionum) veram inferri concluſionem, vbi nedum maiorem non interuenire, ſed nullum videmus errorem; Huic occurrendum eſſet, dicendo ſermonem Ariſtotelis, & Auctoris formalem eſſe, atque ideo formaliter accipiendum, vt videlicet error fiat magnus, quando ea quæ inferuntur ex principio prauo, & erroribus permixto inferuntur vt ſic; Similiter intelligitur quantum fuerit ex parte principij, & illorum quæ deducuntur, ſin autem ingenio, & arte, ſeu potius fraude, ac dolo ſubſumentium, aliud aliquando occurrat, hoc nihil ob-

Soluitur.

ſtat

t propoſitioni allegatæ, numquam enim ex vi principiorum vt ſic, quæ falſa t, colligitur vera concluſio, &c.

Circa eandem partem obſerua, quod dum dicimus ens,& eſſentiam eſſe illa, æ primo intellectui noſtro occurrunt, ac proinde eſſe principia omnium inligibilium, non credas ita eſſe principia, quod ſint cauſa cognitionis aliorum, eo vt eorum habita notitia, nil deinde vlterius tamquam cauſa requiratur reliqua dignoſcenda, hoc enim falſum eſt, quoniam ad cuiusq; propriam gnitionem propria exigitur ſpecies, cum nihil ſit in anima noſtra naturaer, ſed noſter intellectus ſit tabellæ nudæ inſtar, vt ſcriptum reliquit Ariſtoes 3. de anima 14. & ſit omnia fieri, vt ibidem 18. dicitur, ſed ſenſus eſt, ita eſſe incipia, quod inter ea quæ intelligimus, ipſa primo noſtro intellectui obuia nt, & ſunt principia, hoc eſt primo intellecta, & bene ſtat, quod aliquid ſit ncipium, non tamen cauſa, quoniam eſt quid communius principium, quam uſa, vt ſæpe habes in Auctore, præcipue p.p.q.33. art. 1. ad 1. & quæſt. diſp. de tentia q.10.art.1. ad 9. & in expoſitione primi tex. 1. Phyſic. & primi 5. Diuirum: Sic ens,& eſſentia ſunt principia omnium intelligibilium, non tamen cau- niſi forte præſuppoſitiue, & antecedenter, in hoc ſcilicet ſenſu, quod nihil nquam de aliquo noſceremus, niſi ſciremus primo illud eſſe ens, ex qua dele notitia, & alia rerum prædicata alijs medijs conceptibus aſſequimur. Ne- e turberis, ſi obiectum dicatur mouere potentiam, & ens ſit obiectum intelctus, ſufficit enim, quod moueat vel in ſe, vel in partibus ſuis, ſic omnia quæ ouent intellectum ſunt ens, & quando dicitur ens obiectum intellectus, non dices denotari vnam aliquam naturam nomine entis, ſed intelligitur omne ens quo modo poſſe ab intellectu capi, & prius ſemper percipi ſub ratione en-, quam ſub alia, vt latius in prima quæſtione formanda definiemus. Cum que cognitio entis, & eſſentiæ ad omnium aliorum cognitionem præſuppotur, & omnis alia cognitio illam ſequatur, & ex ea modo declarato, & ma- in quæſtione declarando originem ducat, profecto ſi hæc ignorare contingat, ſi male ſciri, aut nulla, aut erroribus permixta erit, quæ aliorum notitia ueniet.

Quid ad propriam cognitionem exigatur.

Quid ſit noſter intellect' ex Ariſtotele.

Quomodo ens,& eſſentia ſint principia omnium intelligibilium.

D. Thom.

Ad horum difficultatem aperiendam dicendum eſt, &c.

CIrca ſecundam partem, in qua diximus reddi auditorem attentum, nota quod quamuis Ariſtoteles 3. Rhetor. cap.21. iuxta Hermol. 16. autem iuxalios in ſuperioribus citatos dixerit, ridiculum eſſe, attentionem in orationis incipio poſtulare, eſt enim efflagitanda, & procuranda attentio, quando opus erit; vbicumque autem magis, & in omni orationis parte langueſcunt qui diunt, quam in exordio, tunc enim attentiſſime audiunt omnes, hoc tamen cipiendum iudicio meo eſt, quando quis ſtuderet facere ſibi attentos auditos in principio, ſi autem vacaret attentioni venandæ, non pro principio, ſed pro ta oratione, & id in principio efflagitaret, id neque vitio, neque verborum nſgreſſioni Ariſtot. foret tribuendum, tunc enim, non peteret attentionem o principio, licet in principio, ſed pro ijs quæ deinde dicturus eſſet; Ita Auctor ditores ſibi attentos parat in principio, at non pro principio, ſed pro ſucceſſu eris.

Ariſtot.

Quomodo in orationis principio ſit procuranda attétio.

Vel dicamus, quod aliud eſt loqui de ſermone, qui voce profertur, & de tractatione, quæ ſcriptis traditur, in illo namque à principio omnes audiunt cum attentione, neque enim ſunt defatigati auditores, in hac autem qui legit, niſi initio operis videat ea ſibi proponi, quibus vacare dignum adiudicet, profectò à lectione deſiſtet, vel ſi proſequitur, non eo ſtudio, & animi applicatione. Scribebat autem Auctor, iccirco difficultatem tractandorum aperiens, attentum ſibi diſponit lectorem; ibi autem loquebatur Ariſtoteles de oratione, quæ voce profertur, vt ibidem patet.

Caietan. D. Thom. Circa eandem partem pulchre notauit Caiet. quid ſibi velit quid nominis, occaſionem nactus ex Auctore dicente, ſe velle indicare quid nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur, & id patefecit per comparationem ad quid rei, vt enim quid rei eſt quidditas rei, ita quid nominis eſt quidditas nominis, nomen autem non eſt in earum rerum claſſe, quæ inſtitutæ ſunt à natura vt ſint, ſed potius, vt ſignificet, loquendo primario, nam ſecundario quoque eſt, quoniam nihil poteſt ſignificare, niſi aliquo modo ſit, cum ſignificare ſupponat eſſe, tamen à natura ordinatum fuit, vt ſignificet, vnde ſi abſque nominibus res poſſent ſignificari, non adeſſent nomina, ideo dicebat Ariſtoteles 1. Periherm. tex. 1. voces eſſe notas earum, quæ ſunt in anima paſſionum; cum ergo nomen ſit eſſentialiter ſignificatiuum, relatione reſpiciet rem, quam ſignificat, & tunc cognoſcitur hoc nomen, quando ſcitur ad quid referatur, tamquam ſignũ, ad id cuius eſt ſignum, & quemadmodum id quod reſpondetur ad interrogationem factam per quid rei manifeſtat naturam, auctore Porphyr. cap. de genere, ita videmus ex reſponſione data interrogationi, qua quæritur quid ſit nomen, eiuſdem nominis naturam; quærenti quippe quid ſit nomen, occurrimus omnes dicentes cum Ariſtotele eodem libro cap. 2. eſſe vocem ſignificantem, &c. Hinc bene ex Caiet. dicebamus, quod cognoſcere quid nominis, eſt videre ad quid, tamquam ſignificatum per ipſum referatur; ſi autem interrogemur quid fuerit res, vtique reſpondendum eſt per ſignificationem eorum, quæ rei ſignificatæ in primo modo perſeitatis conueniunt, ſi vera rei quidditas ſit aſſignanda, non enim me fugit, & per prædicata ſecundi modi aliqua ex parte, at non quidditatiue rei naturam exprimi.

Nomẽ in quo ordine rerũ.

Ariſtot.

Porphyr.

Ariſt ot.

Cumque vocis relatio poſſit terminari ad accidentalia, ad communia, ad non entia quoque in rerum natura, (poſſum enim nominare rem tantum conceptam, ſiue a me excogitatam,) hinc fit, vt quid nominis poſſit eſſe omnium aliorum, quæ enumeraui, cum autem quid rei nequeat terminari niſi ad rem quæ per veram eſſentiam fuerit ſignificata, hinc fit, vt quid rei ſit ſolum ſubſtantiarum, & vere entium, nimirum incomplexorum, ſic non erit communiũ, aut complexorum, aut accidentium, cum hæc omnia ſint vera quidditate deſtituta. Hine iure dixit Scotus 1. ſent. d. 3. q. 2. parum à principio, quid nominis latius patere, quam quid rei, quod & habes hoc in loco à Caiet. & 1. quoque Poſt. q. 2. vbi etiam hunc locum commemorat; quam ſanè doctrinam tum Scotus, tum Caiet. acceperunt ab Ariſtotele 2. Poſter. cap. 7. &c.

Quid nominis quorũ ſit.

Quorũ quid rei.

Scotus.

Caietanus.

Ariſtot.

Nota ſecundo circa hoc ipſum, quod hæc diſtinctio quid nominis, & quid rei ſatis iam vſitata originem habuit ex Ariſtotele 1. Poſteriorum tex. 2. vbi loquens quomodo varia contingat præcognoſcere, dicebat, alia oportere præopinari quod ſunt, alia vero quid eſt quod dicitur, vbi per ly quod dicitur, exponunt omnes, quid nomen ſignificet, quæ cognitio præcipue a latinis vocatur quid nominis, per ly autem quid eſt, innuit quid rei. Quid autem nominis eſt

prima

na omnium inquiſitionum, nam ignorato, quid alicuius rei nomen ſignifi- nihil de eo quæri poteſt, vt habebat Themiſt. cap. 2. eiuſdem 1. Poſterior. Themiſt. uoniam omnis quæſtio ſupponit aliquam cognitionē, quoniam vanæ eſſent ſtiones, ſi de rebus omnino ignotis formarentur, vt colligitur ex Ariſtot. 7. inorum 59. cum quid nominis aliam priorem non ſupponat cognitionem, poterit vocari quæſtio, hinc ab Ariſtotele ſub initium ſecundi Poſter. quæ- Ariſtot. nes colligente, inter ipſas recenſitum non fuit, at quoniam ſemper eſt præ- nitio, ideo ab eodem, primo illo Poſter. tex. allegato inter præcognitiones neratur, ſicut è veſtigio in præcognitionum ſerie non locauit propter quid, . Poſter. ibidem inter quæſtiones repoſuit, quoniam omnem præcognitio- aliqua quæſtio ſequitur, & cum nulla alia quæſtio ſit poſt illam propter , (dum enim ſcio cauſam, ob quam quid inſit alicui, nil mihi de ipſo re- et vltra inquirendum,) ideo nequit vocari præcognitio, &c.

olens igitur Auctor tractare de ente, & eſſentia, iure pollicetur, ſe in- urum ab omnium prima, quæ de ipſis poſſit haberi cognitio, à principio ium inquiſitionum, ſcilicet à quid nominis, & hoc innuit, quando ait, nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur.

irca eandem partem obſerua facile, Auctorem tamquam manifeſtam ſup- D. Thom. ere difficultatem ſuæ tractationis, tum quoniam res ipſa vt ait Caiet. teſtis eſt, Caiet. varias circa hæc opiniones intueamur, tum quoniam ens, & eſſentia ſunt imi, ambitus, & maxime vniuerſales termini, quorum cognitionem diffi- nam accepimus ex procemio primi Diuinorum. Accedit, quod huiuſce- i ſunt omnium intelligibilium principia, & bene iudicare de principijs, ac illa conſtituere, non leuis eſſe difficultatis conſtat ex præcedentibus obſer- onibus.

Quia vero ex compoſitis cognitionem ſimplicium, &c.

Irca tertiam partem, vbi aſſignatur via procedendi in hoc opere, obſerua- uit Caiet. ens eſſe quid compoſitum in ordine ad eſſentiam; quoniam illam plectitur, eſt enim ens quod in ſe habet eſſentiam, & hæc ad illud ſe ha- Quomodo ſe habeāt ens, & eſſentia. t eius pars, ipſum autem tamquam totum, & quoniam totum relatione rtes dicitur compoſitum, ideo ens eſt compoſitum, & eadem ratione eſt rius eſſentia; quoniam compoſitum vt ſic eſt poſterius componentibus, ſi oſterioritate temporis, ſaltē naturæ, & cauſalitatis: Vnde potes breui ſic di- ere; ex compoſitis ad ſimplicia, ex poſterioribus ad priora procedere de- us in diſciplina tradenda, ergo ex ente ad eſſentiam progrediemur, con- ntia patet ex modo dictis, antecedēs autem eſt Ariſtotelis millies, vt primo corum 2. lib. 2. de anima 12. 5. Diuinorum 1. 7. eorumdem 10. & primo orum cap. 4. quibus in locis ait, inſitum eſſe nobis à natura, vt ex notiori- obis, & ſecundum naturam poſterioribus procedamus ad ignotiora no- & ſecundum naturam priora, non enim ſunt eadem nobis, & ſecundum ram manifeſta.

rca eandem partem obſerua, non contradicere ſibi Auctorem, dum hoc lo- D. Thom. nō ſibi contradicit. t, nos ex compoſitis ſimplicium cognitionē accipere debere, in primo au- Poſteriorum lect. 2. circa tex. ſecundum, ſub initium dicit manifeſte, cogni- m ſimplicium præcedere illam compoſitorum, ex quo ibi colligit, prius

debere

debere cognoſci ſubiectum & paſſionem, quam concluſionem; dicimus enim hoc in loco ipſum loqui de compoſitis in ordine ad componentia vt ſic, ita enim compoſita ſunt notiora illis, in 1. autem Poſteriorum, non comparat ſimplicia ad ea, quorum ſunt partes, ſed abſolute, & iure profert, ea eſſe priora cognitione; ſic bene colligit in hac parte, prius eſſe tractandum de ente, quam de eſſentia, quoniam eſſentia eſt ita ſimplex, quod tamen eſt pars ipſius entis, &c.

Caiet. Auerroes. D.Thom. Hæc reſponſio licet aliàs poſſit videri idonea, & admitti, & hoc modo explicet Caiet. Auer. quando dixit, compoſita eſſe notiora, vt patet in fine quæſtionis, quam hic format de primo cognito, huic tamen propoſito iudicabit quis fortaſſis eam non poſſe adaptari, tunc enim nihil haberet Auctor illo loco primi Poſteriorum, tunc non probaret quod ſubiectum, & paſſio debeant ante concluſionem cognoſci, ſed oppoſitum ſequeretur illius quod intendit, nam ſi compoſitum eſt notius ſuis componentibus vt ſic, profecto concluſio ſcietur ante ſubiectum, & paſſionem, cum ex illis componatur, nil aliud enim conſtituit concluſionem, quam paſſio de ſubiecto ſuo demonſtrata; Optima tamen eſt reſponſio, ſi bene intelligatur, de ſimplicibus vt ſic, & de eiſdem, vt partibus compoſitorum; abſolute, & vt ſic præcedunt cognitionem compoſitorum, alioquin numquam per diffiniëtia cognoſceretur diffinitum, at dum conſiderantur vt partes ſunt formaliter, ſic ſunt poſterius nota, prius enim cognoſcimus hominem confuſa quadam cognitione, quam eius partes diffinitiuas vt ſic, ſciendo ſcilicet diſtinguere ea quæ ſunt de eius definitione, & hæc eſt doctrina nedum Caiet. ſed ipſiuſmet Auctoris expreſſa p.p.q.85. art.3. ad tertium, quo loco Caiet. etiam dicebat, partem diffinitiuam non dependere ſecundum ſe in cognoſci à toto diffinibili, (tunc enim numquam prius poſſet cognoſci,) ſed tantum, quatenus eſt pars illius, poſſum enim noſſe prius quid ſit animal, (ecce ſimplex vt ſic,) & poſtea noſſe, quod ſit pars hominem definiens, ecce ſimplex, vt pars, &c.

Quid conſtituat concluſionem. *D.Thomas. Caietanus.*

Sic applica illi loco primi Poſteriorum, & inſpicies nihil eſſe illud, quod videbatur obſtare, nám ſubiectum, & paſſio ſciuntur priuſquam ipſa concluſio, vt abſolute ſumũtur, & hoc volebat ibi Auctor, concluſio autem prius ſcitur ſub confuſione, quam ſciantur ſubiectum, & paſſio, vt eius partes formaliter ſunt. Quod autem hæc fuerit mens ipſius, colligo aperte ex eius verbis, ibi enim ait neceſſe eſſe, vt anteaquam habeatur cognitio concluſionis, cognoſcantur aliquo modo ſubiectum, & paſſio, vbi per ly aliquo modo, voluit non obſcure meo iudicio ſubindicare quod dixi, quod nimirum cognoſcantur abſolute tantum, non autem vt partes eiuſdem concluſionis, ſic enim poſterius cognoſcũtur, quoniam compoſita ſunt notiora ſimplicibus quo ad nos, ſi accipiantur ſimplicia, vt partes compoſitorum, quo in ſenſu loquitur in hac parte, &c.

QVÆSTIONES.

Quodnam primo omnium à noſtro intellectu cognoſcatur.

CIRCA illud quod in prima parte dixit D. Tho. ens,& eſſen-
tiam eſſe ea, quæ primo cadunt in noſtro intellectu, & nos
non ſemel iterauimus, addendo ea eſſe principia omnium in-
telligibilium, moueo cum Caiet. quæſtionem percelebrem,
inquirendo, quid ſit illud quod à nobis primo cognoſcatur,
ſit ne ens, vt habet hæc littera, vel quoduis aliud.
qua quæſtione ſeptem potiſſimum præſtabo, primo namque loco aperiam
um difficultatis, oſtendens de quo ſit quæſtio, ſecundo citabo opinionem
rſariorum, cum efficacioribus ſuis fundamentis, tertio veritatẽ definiam, &
rabo, quarto manifeſtabo illud, quod veritas declarata præſupponit, &
em à nonnullis argumentis recentiorum defenſabo, quinto eandem pro-
, cum impugnatione ſimul contrariæ ſententiæ, ſexto reſponſum dabo
nibus adductis in 2. art. & denique argumenta eadem in 2. art. allata, & in
ſoluta, in patronos aduerſæ opinionis retorquebo.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit, & non ſit quæſtio.

ud initio obſeruo, me in præſenti ſupponere, intellectum noſtrum non co-
noſcere ſingularia per propriam ſpeciem, veluti quæſtione, quæ mox ſeque-
atefaciam, ſed ſolum vniuerſalia, eapropter in hoc negotio erit dumta-
ermo de vniuerſalibus cognitis, quæ quoniam multa ſunt, ideo inquiram,
illorum primo noſtro intellectui obuiam fiat, nulla conſideratione, ſiue
ione habita de ipſis ſingularibus, neque inter arguendum, neque inter de-
ndum, quoniam de his tota quæſtio proxime ſequens nos manet.
oto ſecundo, me inquirere de ordine cognitorum, non de ordine cogni-
um, non enim eſt difficultas, quæ cognitio ſit nobis prior, an ſcilicet illa
ſenſus, an illa quæ intellectus beneficio acquiritur, nam neminem fugit,
iam ſenſibilem antecedere intellectualem, & nihil eſſe in intellectu, quin
s fuerit in ſenſu, nihil enim abſque phantaſmate animam intelligere dice-
Ariſtoteles 3. de anima 30. & 39. ibidem oportere intelligentem; (ope ſci- Ariſtot.
cognitionis ſentientis) phantaſmata ſpeculari, quæ ſenſibilia eſſe conſtat,
roinde ſingularia ex 1. cœli 92. ſic prius abſolute ſingularia noſcuntur, quo
Alexander Achillinus libro ſuo de vniuerſalibus, dubio 8. ſecunda com- Achillinus.
tione ipſorum vniuerſaliũ, dixit ſingularia prius cognoſci, ſed quærimus de
erſalibus, quæ cognoſcuntur per cognitionem intellectiuam, quid eorum ſci
primo à nobis attingatur, & ex doctrina huius obſeruationis, multa loca in-
gẽtur; quandoq; enim videbis illuſtres viros afferere cognitionem ſingula-
in nobis anteire illam vniuerſalium, quos multoties commode explica-
ſi dixeris eos loqui, non de cognitorum, ſed de cognitionum ordine, vel
de or-

de ordine cognitorum abſolute, non autem comparatione ad intellectum cognoſcentem. Dixi multoties, quoniam non ſemper eorum dicta hanc poſſunt ſubire interpretationem, ſi & quæ præceſſerint, & quæ ſubſequantur inſpicias, & c.

Duplex vniuerſale.

Obſeruo tertio, quod cum aliquid duplici ex capite poſſit vocari vniuerſale, vel ſcilicet, quoniam ſit cauſa plurium, vt Deus, & Intelligentiæ, & cœlum, & Sol modo ſuo, vel quoniam de pluribus ſibi inferioribus dicatur, vt animal, quod de varijs ſpeciebus dicitur, & primum ſoleat vocari vniuerſale in cauſando, alterum in prædicando, vel illud cauſa vniuerſalis, hoc prædicatum vniuerſale, non inueſtigamus in præſentia de vniuerſali primo modo accepto, tantum enim abeſt, vt Deus glorioſus, & Intelligentiæ primo à nobis percipiantur, quod numquam in hoc ſtatu per propriam ſpeciem à nobis attinguntur, vt cap. 6. huius libri videbimus, ſed de vniuerſali in ſecunda acceptione, qualia vniuerſalia ſunt ſpecies, genera, & hæc vel ſubalterna, vel generaliſſimum, & ſupremum fuerit, hæc enim patet de pluribus prædicari.

Obſeruo quarto, quod hoc vniuerſale, quod dicitur de multis, ſiue in prædicando dupliciter ſumi poteſt, vno modo formaliter, pro intentione nimirum illa vniuerſalitatis, quam ei tribuit intellectus, dum naturam vnam in multis conſpiciens, donat nomine vel ſpeciei, vel generis, alio modo materialiter, aut pro re illa ſubſtrata, & natura, quæ illi intentioni ſubijcitur, & cui intellectus intentionem illam elargitur; primo modo non ſumitur in hac quæſtione, ſic enim, non modo non eſt prius cognitum, ſed & poſterius quoque ſingularibus ipſis cognoſcitur. prius enim verbi cauſa videt intellectus animal in homine, & leone, quam illud vocet genus, quare hæc intentio eſt poſterior cognitione rerum, & de vniuerſali hoc modo accepto loquebatur Ariſtoteles 1. de anima 8. dicens, animal vniuerſale, aut nihil eſſe, aut poſterius, & ſimiliter, ſi quid commune aliud prædicatur, accipitur ergo in ſecunda acceptione, pro re ſcilicet, & natura illi intentioni ſubſtrata, pro homine ſcilicet, aut ſubſtantia, aut ente.

Ariſtot.

Rurſus aduerto, quod hæc natura vniuerſalis hoc modo ſumpta conſideratur, & vt totum quoddam eſt, quod diffinitionis ſit capax, & vt ſuperiora reſpiciens, ſi quid illo ſuperius ſit; & a nonnullis vocatur, neque male totum eſſentiale, & vt totum vniuerſale eſt, reſpiciens inferiora illa, de quibus dicitur. Vtroque autem modo dupliciter poteſt cognoſci, diſtincte ſcilicet, & confuſe, vnde quattuor conſurgunt cognitiones, duæ diſtinctæ, & duæ confuſæ, poteſt enim cognoſci vt diffinibile confuſe, hoc eſt non penetrando diffinientia, vel obiectum diſtincte, ignorando eius actualitatem, & eiuſdem ab alijs differentiam, ecce primam cognitionem, poteſt cognoſci cognitione huic oppoſita, ſiue huius perfectiua, cum penetratione ſcilicet diffinientium, & eorum quæ in ipſo actualiter includuntur, cognoſcendo eius naturam ab alijs diſtinctam, ecce ſecundam, poteſt cognoſci vt vniuerſale abſque penetratione inferiorum, de quibus dicitur, ecce tertiam, demum poteſt cognoſci cum cognitione ſuorum inferiorum, ſic habes quartam cognitionem.

Quattuor cognitiones.

Quomodo vocētur à Caiet.

Primam, vocauit hoc loco Caiet. cognitionem confuſam actualem, ſecundam, diſtinctam actualem, & iure, quoniam per primam videtur confuſe id quod actualiter eſt in obiecto, ſunt enim in ipſo actu ea quibus definitur, quæ tamen illa cognitione non penetrantur, ſed ſolum merito ſecundæ cognitionis, tertiam, vocauit confuſam virtualem, quartam, diſtinctam virtualem, & merito, quoniam

n per tertiam non videtur diſtincte, ſed confuſe id quod virtualiter contine- n obiecto, partes ſcilicet ſubiectiuæ, & inferiora de quibus dicitur, clarum n eſt, quod inferiora continentur ſolum virtualiter in ſuperioribus, per rtam autem, diſtincte videntur hæc eadem in illo virtute contenta, vnde ma- mpropriè locutus eſt Petrus Fonſeca q. ſua 2. ſuper cap. 2. primi Diuinorum, ne ſectionis primæ illius quæſtionis, quando dixit, impropriè vocari cogni- em totius potentialis, ſiue vniuerſalis potentialem, cum reuera ſit actualis, tercita notitia, præſertim quando eſt diſtincta, non enim conſiderauit do- vir, ly virtualem, ſeu potentialem non cadere ſuper cognitionem, ſed ſuper iæ cognoſcuntur, eſt quidem cognitio actualis, quando actu quid cognoſci- quodcumque illud fuerit, ſed eſt aliquando cognitio, & non cognitio eo- quæ virtualiter in obiecto clauduntur, & ratione horum cognitorum, opti- ratione vocauit eam Caiet. virtualem, quamuis ex parte cognitionis ſit alis; & cum cognitio ex obiecto ſit metienda, & quæ in obiecto huius co- onis inueniuntur, virtualiter tantum aſſequamur, merito virtualis nun- tur; Accedit, rem nimis claram eſſe, vnumquodque dum cognoſcitur, cognitione actuali cognoſci, & quamuis cognitionem, quæ exercetur ctualem, quocirca ex hoc non erat ſpecialiter, cur hæc cognitio nomen ſu- et; Quod vero addit, has voces eſſe obſcuriores, & latius patere, hoc nihil quoniam clare ſe explicauit Caiet. & dixit in quo ſenſu acciperentur, hinc coartatas, & limitatas fecit propoſito ſuo.

Fōſeca minus propriè loqui- tur.

Caietan.

a autem nominatæ cognitiones adinuicem ordinantur, quod primum lo- origine tenet confuſa actualis, ſecundum confuſa virtualis, tertium di- ta actualis, quartum diſtincta virtualis, & in hoc omnes conuenire video, picuum enim eſt, nos vnumquodque prius confuſe, quam diſtincte cogno- , ſi enim prius cognoſceretur diſtincte, numquam poſſet deinceps cognoſci uſe, nam fruſtra talis notitia inquireretur, cum iam in illa diſtincta præ- ſet, & implicaret, vt poſt diſtinctam, quæreret quis confuſam notitiam; feſtum itidem eſt, prius à nobis rem aliquam cognoſci, quatenus in ſeipſa quam quatenus ſit in partibus ſuis ſubiectiuis, & inferioribus, quoniam hæc nda cognitio ſupponit primam; vnde bene dicebat Caiet, quod cognitio to- irtualis infert cognitionem totius actualis, & non infertur ab ea, non enim gnoſco animal in ſeipſo, ſequitur, quod illud agnoſcam in ſuis inferio- , ſed ſi illud attingo in ſuis inferioribus, de neceſſitate cognoſco quo- illud in ſeipſo, hinc minus recte videtur mihi docere commemoratus au- dum eadem quæſtione, & ſectione vult, cum cognitione totius virtualis in partibus diſtincta, ſtare ignorantionem eiuſdem vt totum definibile eſt, quod uenire poſſe, quando ignorata animalis definitione, eius ſaltem immediatæ es cognoſcuntur, ſed poſito quod hoc poſſit accidere, non habetur, quod oſcatur totum vt virtuale, eodem ignorato vt actuale, non enim dicitur, ipſum in ſuis ſpeciebus cognoſcatur, ſed quod eius ſpecies tantum, qua- mquam veritatem habebit, quod ſciatur animal in ſuis ſpeciebus, & idem al in ſeipſo ignoretur; Sed & difficile admodum videtur percipere, quo- o ſtet, ſpecies animalis in ſeipſis cognoſci, & non cognoſci in ſeipſo ani- cum ipſum animal ſit actu in ſuis ſpeciebus, veluti ſuperiora actu ſunt in ioribus, & ſi illarum ſpecierum definitiones non ignorantur, quomodo rabitur animal; quod eſt pars illarum definitionum?

Quomodo co gnitiones iſtæ ordinentur.

Caietan.

Contra Fon- ſecam.

ognitio ergo totius virtualis ſupponit eiuſdem cognitionem, vt eſt totum

 actuale;

actuale; cumque res ita ſe habeat, quod cognitio confuſa ſemper præcedit diſtinctam, & actualis virtualem, illud conſequetur, quod prima ſimpliciter omnium cognitionum erit illa, qua cognoſcitur totum actuale confuſe, erit inquam cognitio actualis confuſa. Et ſic quando quærimus, quid primo à nobis cognoſcatur, quærimus, quid ſit illud, quod primo à nobis percipitur cognitione confuſa actuali, nam de cognitione diſtincta non loquimur, tum quoniam non eſt prima cognitio, tum quoniam res patens eſt, quod cognitionem diſtinctam totius virtualis habeo media cognitione partium ſuarum ſubiectiuarum, & cognitionem totius actualis, ſiue definibilis diſtinctam habeo media cognitione partium definientium, non enim poſſum ſcire diſtincte hominē, vt reſpicit indiuidua, (ecce totum virtuale) niſi, & quid ſint indiuidua agnoſcam, neque diſtincte eundem hominem apprehendam, vt definibilis eſt, (ecce totum actuale,) niſi, eius genus, & differentiam habeam; ac proinde in cognitione diſtincta totius virtualis, ſit prior notitia minus vniuerſalium, & in diſtincta notitia totius actualis, ſit prior illa magis vniuerſalium, quoniam velut minus vniuerſalia ſunt partes totius virtualis, vt patet in indiuiduis in ordine ad ſpeciem, & ſpeciebus in ordine ad genus, ita magis vniuerſalia ſunt partes totius actualis, ſi illas habeat, hoc eſt, ſi ſit definibile, vt ſunt genus, & differentia in ordine ad ſpeciem, & nullus ignorat, non poſſe haberi de aliquo toto formaliter, & vt ſic notitiam abſolutam omnino, & diſtinctam, niſi agnoſcantur eius partes; At non loquimur nunc de notitia diſtincta, ſed de prima inter omnes cognitiones, qualem iam patefeci eſſe confuſam actualem, & ſciſcitamur, quid primo noſtro intellectui tali agnitione occurrat, id enim erit abſolute primo cognitum à nobis.

Quærimus ergo, quidnam ſit illud vniuerſale, quo ad prædicationem, ſumptum non pro intentione, ſed pro natura, vt totum definibile, & actuale eſt, quod à nobis primo attingatur cognitione confuſa actuali, & hæc de primo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Scoti ſententia cum ſuis fundamentis.

SCotus 1. ſent. d. 3. q. 2. vbi copioſe ſatis differuit, quomodo cognoſcatur Deus ab intellectu noſtro, de hoc negotio verba faciens, præmittens primo triplicem cognitionem, actualem ſcilicet, habitualem, & virtualem, præmittens quoque duplicem eſſe conceptum, alterum, quem appellat ſimpliciter ſimplicē, alterum ſimplicem, ſed non ſimpliciter, præmittens non eſſe idem intelligere confuſum, & intelligere confuſe, præmittens tandem duplicem diſtinctionem, & indiſtinguibilitatem, (ſic enim loquitur) totius eſſentialis, & totius vniuerſalis, & hæc explanans, ponit hanc aſſertionem, quod primum actualiter cognitum confuſe eſt ſpecies ſpecialiſſima, cuius ſingulare efficacius, & fortius primo mouet ſenſum, ſiue ſit audibile, ſiue viſibile, ſiue tangibile, quod dictum vt corroboret, tripliciter pro ipſo arguit, & quoniam primam eius rationem plene habes in ipſo, & in Caiet. hoc loco, in Ferrar. q. 3. primi Phyſic. in Paulo Soncin. q. 11. ſeptimi Diuinorum, in Ianduno primo Phyſic. q. 6. in Chryſoſt. Iauello tractatu de tranſcendentibus, cap. 1. in Benedicto Pererio lib. 3. de principijs rerum naturalium, cap. 14. in Toleto Cardinali 1. Phyſ. q. 5. in Iaco-

Scoti aſſertio.

Vide plures auctores.

in Iacobo Zabar. lib. vltimo illorum 30. cap. 7. in Antonio Scayno primo Diuinorum, cap. 3. in Petro Fonſeca, vbi ſupra, & in alijs, ideo ad breuem formam ipſe eam redigam, dicendo ſic:

Cauſæ concurrentes ad primum actum intellectus ſunt naturales, & non impeditæ, ergo producunt primo effectum, quem poſſunt perfectiſſimum, ergo talis conceptus eſt ille ſpeciei ſpecialiſſimæ; antecedens patet, quoniam concurrentia ad primum actum intellectus, ſcilicet phantaſma, & ſpecies intelligibilis antecedunt omnē actum voluntatis, & non eſt aſſignare, quale tunc adſit impedimentum; prima conſequentia probatur, quoniam agens naturale agit ſecundum totam ſuam potentiam, quod ſi ſe in agendo modificaret, iam non eſſet agens naturale, ſecunda conſequentia probatur, quoniam conceptus ſpeciei eſt dignior generico, veluti totum eſt dignius parte, quod ſi dicatur conceptum illum quem producunt perfectiſſimum, eſſe illum generis, ergo numquam producetur conceptus ſpeciei, probatur, quoniam implicat, potentiam poſſe vnquam in effectum perfectiorem ſuo perfectiſſimo, &c. Quomodo agat naturale agens.

Secundo, conceptus communiſſimi ſunt vltimi ordine doctrinæ, hac enim ratione fatentur omnes cum Auicenna 1. Metaphyſicæ cap. 5. Metaphyſicam eſſe vltimam in ordine doctrinæ, ergo conceptus communiſſimi tantum abeſt, quod præcedant conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ, quod ſunt in numero conceptuum, qui vltimo à nobis formantur, nullus autem dubitat, entis conceptum eſſe omnium maxime communem, &c. Auicenna.

Tertio, ponatur ſenſus in actu, & intellectus ſolutus, ſi vniuerſaliores primo ſint concipiendi, iam ergo multo tempore opus erit, antequam formet intellectus conceptum ſpeciei, probatur conſequentia, quoniam inter ſupremos, & infimos conceptus, permulti medij ſunt.

Quarto duci poteſt argumentum ex ijs, quæ admiſcebat Scotus in ſuo aſſerto hunc in modum: Indiuiduum ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius, & efficacius mouet ſenſum, quam indiuiduum aliorum vniuerſalium, ergo eſt primo à nobis cognita ſpecies ſpecialiſſima, antecedens patet, quoniam hic homo eſt magis ſenſibilis, quam hoc animal, & hoc animal, quam hæc ſubſtantia; ideo fortius mouet ſenſum, conſequentia probatur, quoniam vult Scotus illam ſpeciem ſpecialiſſimam eſſe primo nobis agnitam, cuius ſingulare efficacius mouet ſenſum.

Quinto arguo ego, ex 3. de anima 10. quidditas rei materialis eſt obiectum noſtri intellectus, ergo quod primo à nobis cognoſcitur eſt ſpecies ſpecialiſſima, probo conſequentiam, quoniam talis quidditas nulla alia eſt quam ſpecifica; confirmo hoc ipſum, non cognoſcit noſter intellectus ſingularia, vt ſupponimus, ergo intuetur naturam ſpecificam, vel ergo in hac natura ſunt quoque conceptus vniuerſaliores illo ſpeciei, vel tantum ſpecificus, non ſecundum, quoniam tunc ſola ſpecies cognoſceretur, & ſi alij conceptus eſſent ſuperaddendi, nequiret ſubterfugi, quin longo temporis interuallo opus foret ad cognoſcendos rei conceptus, ſi primum, quare non primo cognoſcitur conceptus ſpeciei, quam communiores, cum præſertim ſpecies reſultent à phantaſmatibus, quæ quoniam deſumpta ſunt à ſingularibus, oportet vt repræſentent vniuerſalia propinquiora ipſis ſingularibus, qualia ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ?

Sexto, in dignoſcendis his conceptibus magis vniuerſalibus ante minus vniuerſales, vel omnia ſunt prius cognoſcenda, vel aliqua tantum, non primum, quoniam ex ſeptimo Diuinorum 28. adſunt genera nobis ignota, & inominata, & ideo ſunt inominata, quoniam ignota, nequit enim imponi nomen rei, quæ Ariſtot.

ignoretur, vt dicitur ibidem 59. non ſecundum, quoniam non apparet eſſe maior ratio de vno, quam de alio magis vniuerſali.

Septimo, quod eſt magis actuale prius cognoſcitur, at ſpecies eſt magis actualis, quam genus, ergo &c. minorem nos docemus, & alij probant, quoniam ſpecies eſt propinquior ſingulari, quod ſolum eſt in actu vero, qua ratione in cathegoria ſubſtantiæ probabat Ariſtoteles, ſpeciem eſſe magis ſubſtantiam, quam genus, maior deſumitur ex Ariſtotele 9. Diuinorum 2. in principio, & prope in fine, vbi habetur, actum eſſe cauſam cognitionis, & Auctor in fine expoſitionis illius tex. ſcribebat, ea quæ intelliguntur, oportere eſſe in actu, & ex actu cognoſci potentiam.

D. Thom.

Experientia quoque huic opinioni videtur fauere, quoniam ſi occurrat mihi Petrus, ſcio ſtatim, quod eſt homo, non autem prius ſcio, quod animal, & ſic de alijs.

Ariſtot. Auerroes.

Sed neque auctoritates deſiderari videntur, nã ſi inſpiciamus Ariſtotelem procemio Diuinorum cap. 2. primo Poſterior. cap. ſimiliter 2. ſecundo eorundem, cap. 15. & 18. 5. Topic. cap. 2. & alibi, ſi Auerroem primo Phyſicor. com. 3. & 3. de anima 10. apparet colligi, vel vniuerſalia eſſe difficillima cognitu, vel ex ſingularibus, ſiue minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia fore procedendum. Conſueuit à quibuſdam adferri idem Auerr. 12. Diuinorum com. 4. & Auctor ad finem ſecundi Poſteriorum, qui dixerint minus vniuerſalia eſſe notiora magis vniuerſalibus, at Auerr. ibi loquitur tantum de ſingularibus in ordine ad vniuerſalia, ſimiliter Auctor, neque vllam prorſus faciunt mentionem de minus vniuerſalibus comparatis ad magis vniuerſalia, quare falſo citantur, & ſenſus eorum quæ ibi docent facit ad quæſtionem ſequentem, vbi de ſingularibus agetur, &c.

Et hæc quo ad ſecundum, vbi non omnia, (in ifinitum enim, & vane multiplicari poſſent,) ſed firmiora aduerſariorum fundamenta relata ſunt, quibus quando patuerit reſponſio, & alia quoque nulla omnino depræhendentur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid ſit pro veritate dicendum.

Concluſio.

PRo deciſione veritatis pono hanc aſſertionem: Primo nobis cognita ſunt magis vniuerſalia, quam minus vniuerſalia; Et quoniam quæſtio eſt de primo cognito ſimpliciter, ideo hoc explicando dico, quod tale eſt ens concretum quidditati ſenſibili; ſic enim habetur, quod magis vniuerſalia primo cognoſcuntur, nam omnes fatentur, nullum eſſe conceptum, qui ſit vel magis, vel æque vniuerſalis, atque conceptus entis, illi enim omnes addunt, ille infertur neceſſario ab omnibus, & nullus ipſum de neceſſitate infert, valet namque oblato quouis obiecto dicere, eſt ſpecies, ergo ens, eſt genus, ergo ens, non autem e contra, ille præſupponitur ab omnibus, & omnes ſuper illum fundantur, quare pro comperto relinquitur, illum eſſe omnium communiſſimum, & vniuerſaliſſimum.

Qualis ſit cõceptus entis relatione ad alios.

Dicimus autem ens, non latiſſime, ſiue in quacumque acceptione ſumptum, illud quod primo noſtræ cognitioni occurrat, ſed concretum quidditati ſenſibili, cum enim vt docte admodum declarat Cardinalis Caiet. in hac quæſtione

Caietan.

poſſit

poſſit triplici via actus noſtri intellectus concipere ens, & illud pro termino ſuæ actionis ſibi conſtituere, vt quando ens tantummodo ſpeculatur, nimirum, quando illud primo conſiderat, vt eſt abſtractum à ſuis inferioribus, non à ſingularibus, ſed à ſpeciebus tantum, & generibus, quam abſtractionem vocat idem Caiet. totalem, & merito, quoniam genera, & ſpecies ſunt partes entis, ſi conſideretur vt vniuerſale, & vt de illis prædicatur, quando ſecundo illud intuetur fulcitum formali abſtractione, nedum ſcilicet, quando conſideratur vt totum quoddam poteſtate includens genera & ſpecies, ſed etiam quando inſpicitur cum præciſione rationum illarum, genericarum inquam, & ſpecificarum, & iure hæc abſtractio dicitur formalis, quoniam rationes illæ tunc ſe habent vt materia in ordine ad ens, & hoc vt forma relatum ad illas, abſtractum ſcilicet, & eleuatum, & ſi ſic loqui liceat depuratum, & tertio, quando illud contemplatur abſque vlla duarum quas dixi abſtractionum, ſed ſolum cum abſtractione à ſingularibus.

Abſtractio totalis.

Formalis.

Tunc ſi loquamur de ente in priori ſenſu, ex ijs quæ circa titulum dicta ſunt, patere conſpicue poteſt, illud ad noſtram quæſtionem non attinere, nam totum virtuale, aut vniuerſale non attingitur cognitione confuſa actuali, de qua ſola eſt quæſtio, ſed ſolum virtuali, aut confuſa, aut diſtincta, vt iam explicatum dedimus; ſi loquamur de ipſo in ſecunda acceptione, tantum abeſt, vt primo à nobis cognoſcatur, quod multum laboris à viris doctis expenditur in illius cognitione, ſic enim eſt terminus metaphyſicalis, ac proinde poſt multam inquiſitionem agnitus, nam quamuis termini metaphyſicales ſint vniuerſaliores terminis philoſophiæ naturalis, & ad ipſos queant comparari, tamquam vniuerſalia ad ſubiectiuas partes, atque ideo conſiderari poſſint cum abſtractione totali in ordine ad ipſos, tamen conſiderantur, vt formale quoddam ad materiale, & ſunt inſtar formæ illorum, ac proinde fulcitos formali abſtractione contemplamur, vnde difficillimi ſunt cognitu, vt idem Caiet. adnotauit in quarta differentia, quam aſſignauit inter abſtractionem formalem, & totalem, & valde eſſe notandum dixit, quem proinde legere potes, duplicem abſtractionem ſtatuentem, quæ duplici compoſitioni reſpondeat, ſicut enim datur compoſitio totius cum partibus, quæ dici poteſt totalis, & formæ cum materia, quæ dici poteſt formalis, ita & duplex abſtractio, & totius ſcilicet à partibus, ecce totalem, & formæ à materia, ecce formalem, quam duplicem abſtractionem, docuerat antea Auctor p.p.q.40.art.3. ſub initiũ, vbi & primam differentiã, quam hic adfert Caiet. adducebat, quartæ autem differentiæ iam modo aliqua via meminimus, & prima quæſtione præcurſoriarum eam attulimus; ſecunda vero & tertia, vti breuiſſime, ita & facillime à Caiet. hoc loco explicantur, & quiſquis ex ſe nullo negotio eas colligere poteſt.

Quomodo termini metaphyſicales reſpiciant terminos ſcientiæ naturalis.

Caiet.

Duplex compoſitio, cui duplex abſtractio reſpõdet.

D.Thom.

Illud ergo ens, quod ponimus à noſtro intellectu primo percipi non obijcitur nobis, vt aliquam harum duarum abſtractionum induit, ſed vt concretum quidditati ſenſibili, quæ tamen quidditas eſt abſtracta à ſingularibus, ita vt poſſimus dicere, ens concretum quidditati ſpecificæ, ac genericæ, & earum rationibus, abſtractum tamen à ſingularibus, eſt id quod primo à nobis cognoſcitur; Adeo quod, ſi vult formare noſter intellectus conceptum de homine, cuius conceptus aliàs non fuerit aſſecutus, cum in homine plures conceptus poſſint ei qui intelligit obuiare, eſt enim homo ſpecies, animal, corpus, viuens, ſubſtantia, ens; dicimus, quod primus conceptus, qui cadit in intellectu eſt ille entis, modo iam declarato.

Dixi,

Dixi; cuius conceptus non fuerit aliàs aſſecutus, quoniam in præſenti loquimur de prima rei cognitione, quod enim meus intellectus, vbi ſpeciem alicuius rei acquiſiuerit, & ſic factus in actu primo, velit deinde in actu ſecundo contemplari rem illam, & fortaſſis incipiat ab aliquo minus vniuerſali, ad magis vniuerſales conceptus aſcendendo, hoc nihil ad nos, qui loquimur tantum, quid in prima cognitione, confuſa ſcilicet actuali intellectui occurrat, & hoc iudicio meo voluit ſubtiliter innuere Caiet. quando reſpondens 3. argumento Scoti, dixit non oportere in quacumque formatione conceptus ſpecifici ſemper formare antea conceptum confuſum entis, ſed ſufficit, ens primo omnium fuiſſe cognitum, quod ipſe intelligo, fuiſſe in prima omnium cognitione, de qua eſt ſermo, & hoc bene aduerte, quoniam non pauca argumenta petunt difficultatem de intellectibus, qui iam ſpeciebus rerum ſunt informati, hi enim aliquid pro libito interdum contemplantes, primo inſpicient conceptum minus communem, poſtea magis communem, at hoc impertinens eſt huic quæſtioni, iam enim ſi ſpecies præceſſerunt, præceſſit & cognitio, quare non eſt prima, de qua nos intendimus.

Caiet. — *Nota.*

Cæterum notabis, quod cognitio in nobis duplici via fit, componendo ſcilicet & reſoluendo; ſecundum viam compoſitionis proceditur ab imperfecto ad perfectum, & à confuſis ad determinata; & tunc magis vniuerſalia nobis ſunt notiora, & vniuerſaliſſimum, quod eſt ens primo cognoſcitur; Iuxta viam reſolutionis proceditur à compoſitis ad ſimplicia, reſoluendo nimirum res in ſuas cauſas vniuerſales, & ſic maxime vniuerſalia ſunt valde difficilia cognitu, quo modo de ipſis tractat metaphyſicus, tunc enim intellectus conſiderans vniuerſalia, non ſtat in confuſo illo conceptu vniuerſalitatis, ſed omnia inferiora reſoluit in rationem vniuerſalis, & in cauſas vniuerſales, quapropter poſſumus dicere, ens eſſe primo, & vltimo cognitum à noſtro intellectu, quoniam eſt primo cognitum in via compoſitionis, vbi proceditur à compoſitis ad magis ſpecialia, & vltimo cognitum ſecundum viam reſolutionis, quoniam arduum eſt, reſoluere hæc entia particularia in principia entis communis; Hinc numquam verum iudicaui, quod dicitur à quibuſdam, Metaphyſicam ſcilicet eſſe difficillimam ea tantum ratione, quoniam agit de vniuerſalibus in cauſando, de quorum numero videtur eſſe Zabarella lib. vltimo allegato, cap. 14. non multum à principio, nam habet quoque difficultatem ex vniuerſalibus in prædicando, quæ ſunt tranſcendentia, quamuis etenim in confuſo tranſcendentia illa noſtro intellectui primo ſubijciantur, via tamen reſolutionis, & quo ad perfectam notitiam, difficillimæ ſunt cognitionis. Sic Auctor primo Diuinorum lect. 2. circa ſecundum cap. proœmij inquit, vniuerſalia eſſe difficillimæ notitiæ, quo ad inueſtigationem naturalium proprietatum, & cauſarum, quæ tamen quo ad ſimplicem appræhenſionem ſunt primo nota, conſtat autem primo nota numquam eſſe vniuerſalia in cauſando, ſed & deinde addit, quod vniuerſalia in cauſando ſunt difficillia cognitu, quare primo loquebatur de illis in prædicando: Hoc autem vidi quoſdam non aduertere, ſed docere Metaphyſicam eo tantum nomine eſſe difficilem, quoniam agit de vniuerſalibus in cauſando, niſi forſan tanto ſint donati ingenio, vt quæſtiones circa naturam entis, & aliorum tranſcendentium, quas Auctor, & alij viri excellentiſſimi difficillimas iudicarunt, ipſi ſibi faciles arbitrentur.

Quotuplici via aliquid agnoſcere contingat. — *Quomodo ens primo, & vltimo cognitum.* — *Zabarella.* — *D.Thomæ.* — *Mens quorundam.*

Nos ergo, quando dicimus ens eſſe primo cognitum, loquimur de cognitione confuſa, de ſimplici appræhenſione, & iuxta viam compoſitionis quæ abſo-

abſolute loquendo, hoc eſt in principio præcedit viam reſolutionis, &c.

Notabis vlterius, veriſſimum eſſe, quidditatem rei materialis obiectum eſſe noſtri intellectus, pro hoc ſtatu proportionatum, adeo vt loquendo non de quidditate ſecundum ſuppoſitionem perſonalem, vt dicunt logici, (vt ſcilicet vna rei materialis quidditas ſit obiectum,) ſed ſecundum ſuppoſitionem ſimplicem, ſola rei materialis quidditas à nobis cognoſcitur per propriam ſpeciem, ſaltem motiuam, quicquid ſit de ſpecie terminatiua, quæ ſanè quidditas eſt ſpecifica, in qua tamen relucent conceptus, & generis, & ſubſtantiæ, & entis, nam ſpecies ſpeciei ſpecialiſſimæ, hoc eſt quidditatis materialis eſt imago, quæ repræſentat omnia ſuperiora eſſentialiter ſe habentia ad ſpeciem ſpecialiſſimam, ſunt enim actu ſuperiora in inferioribus, & realiter ſunt eadem, licet enim ſubſtantia, ens, animal realiter differant ab homine, hæc tamen in homine ſunt idem realiter quod homo, quæcumque autem ſunt eadem, eàdem imagine repræſentantur. *Noſtri intellectus obiectum.*

Hic minus bene mihi videntur illi ſentire, qui docent primo imprimi gratia exempli conceptum entis, deinde ſubſtantiæ, deinde animalis, & vltimo hominis in cognitione hominis, hanc enim conceptuum multiplicitatem, non iudico neceſſariam, nam neceſſe omnino eſſet multum temporis intercedere, vt oblato mihi homine, ipſum quatenus homo eſt cognoſcerem, quod experientiæ aduerſatur, quare ſi poſſit ſaluari, vt in vno, ac eodem conceptu ſpeciei, ſuperiores quoque conceptus repræſententur, veluti de facto ſaluatur, vt dixi, longe mihi probabilius eſt, in vno & eodem conceptu omnes illucere, & nulla temporis mora interiecta, aliquid cognoſci, quo ad omnes conceptus, qui de eàdem re eſſentialiter ad inuicem ſe habeant.

Aduertas tamen, quod ſi de prima alicuius rei notitia ſimpliciter, & abſolute loquamur, valde probabilis erit illorum ſententia, qui etenim numquam nouit alicuius rei definitionem, & eiuſdem prædicata eſſentialia numquam conſiderauit, prius inquiret de conceptu communiori, deinde de minus communi, donec veniat ad proxima, & ſic multum temporis expendet, anteaquam aliquam quidditatem agnoſcat, vnde & philoſophi diu laborarunt in rerum quidditatibus ſcrutandis, vt docet Ferrar. quæſt. 3. primi Phyſ. iam citata in reſponſione ad vltimum, & Iauellus loco commemorato de tranſcendentibus, dum reſpondet ad tertium Scoti, quod & Soncinas viſus eſt innuere q. illa 11. ſeptimi Diuinorum, ad tertium argumentum, & ita cum loquamur de prima cognitione, locum poterit habere, quod primo vnus conceptus moueat, deinde alter, & alter, & ſic de ſingulis. Hoc autem licet ſit probabilitatis plenum, mihi tamen magis placet dicere, in prima quoque cognitione ſpeciem intelligibilem obiectum quoduis repræſentantem, quantum ex ſe fuerit, repræſentare illud, quo ad omnia, quæ eſſentialiter ſunt in re repræſentata, loquendo de prædicatis ſpecificis, & quidditatiuis, vt conditiones indiuiduales ſemoueam; Nos autem non primo intelligimus ſpeciem ſpecialiſſimam, licet & talis conceptus offeratur nobis per ſpeciem, ſed primo intelligimus ens, & alia magis communia, quam ſit ipſa ſpecies ob noſtri intellectus defectum, qui cum ſit in potentia, & de imperfecto tendat ad perfectum, in ſibi oblata quidditate intelligit primo id, quod eſt potentiale magis, & vniuerſale, deinde procedit ad minus vniuerſalia, & magis actualia; Illa itaque ſpecies repræſentat omnia rei illius cuius eſt ſpecies prædicata, at non nobis ſtatim, & æqualiter, quamuis actu in illa ſint, propterea quod in inferioribus actu continentur ſuperiora. Simile

Probabilis nõnullorum ſententia.

Ferrarienſis.
Iauellus.
Soncinas.

Quid probabilius Auctori videatur.

mile quid conſpicitur in ſenſu, nam viſus per imaginem viſibilem alicuius rei determinatæ, primo percipit aliquid ſingulare ipſius communis, vt dum videt hominem venientem, primo cognoſcit eum eſſe ſubſtantiam, antequam cognoſcat, quod ſit hic homo, & tamen nullus negabit, quin in ipſo viſu ſit huius hominis ſimilitudo, alioquin oporteret, vt aliam, & aliam ſimilitudinem reciperet, ſecundùm quod magis, & minus accedit, quod ridiculum apparet, cum ponatur eſſe continuata viſio. Huius quoque rei argumento eſſe poteſt intellectus angelicus, cui quoniam ſpecies omnia eſſentialia, & ſingularia quoque rei prædicata offert, ille qui potens eſt, conceptus illos omnes, mox in vnica ſpecie videt.

Sublimitas intellectus angelici.

Notabis tertio, quod hoc verum eſt in omni cognitione noſtra, aut à longe, aut prope, aut poſitis impedimentis, aut remotis, ſiue res fuerint in debita diſtantia, ſiue non, adeo quod ſemper loquendo de prima rei cognitione, primo rem oblatam agnoſcit intellectus ſub conceptu entis, & magis vniuerſali, quam ſub minus vniuerſali, & hoc eſt contra Fonſecam, qui q. illa 2. conatur conciliare Auctorem, & Scotum dicendo, quod quando ait Auctor, intellectum noſtrum cognoſcere primo magis vniuerſalia, loquitur quando res non ſunt in debita diſtantia, & quando aliquod impedimentum interuenit in rei cognitione, & ait non eſſe dubium, quin in hoc ſenſu fuerit locutus, immo inquit hanc conciliationem, quam iam aperuerat, dum prooemium phyſicorum exponeret, ſibi magis nunc placere, quoniam plures vidit in illam ſententiam iuiſſe, Scotus autem & ipſe, ex iſtorum ſententia nil aliud voluit; Vnde docet, quando res non ſunt in debita diſtantia, tunc veram eſſe Auctoris opinionem, quando autem impedimenta omnia cognitionis ſunt è medio ſublata, veram eſſe illam Scoti, quod ſcilicet inter vniuerſalia, minus communia primo cognoſcantur, nam tandem ſequenti quæſtione Auctori, & Scoto, quos nititur conciliare, aperte refragatur, docens ſingulare primo ab intellectu cognoſci.

Quam late pateat tradita doctrina.

Conatus Fonſecę in D.Thoma, & Scoto conciliandis.

At quidquid ſenſerit Scotus in hoc, non nimis anxius ſum, & facile dederim huic doctori eius mentem eam forſan eſſe, qualem ipſe accipit, nam aperte Scotus loco relato, vbi concluſionem ſuam de ſpecie ſpecialiſſima primo nota poſuit, ſtatim ſubinfert; *Et hoc ſuppoſito, quod ſingulare ſit in debita proportione præſens ſenſui*, &c. Inferius quoque, dum contra ſuam determinationem nonnullas difficultates mouet, ad quandam deſumptam ex auctoritate Auicennæ ait, *Quando obiectum non eſt debite approximatum, non mouet ad cognoſcendum ſe ſub perfectiſsima ratione, ſed ſub alia imperfecta*, & paucis interiectis ait, *quando obiectum eſt in debita proportione, vt poſſit mouere ſenſum ſub ratione ſua propria, & perfecta, tunc intellectus ſequens ſenſum talem, habet notitiam talis naturæ, prius ſub ratione ſpecifica confuſe, quam ſub ratione generis confuſe*, ex quibus verbis non obſcure poteſt colligi, ita ſenſiſſe Doctorem ſubtilem.

At quod mens Auctoris ea fuerit, quæ ab ipſis explicatur, id mihi, nec ipſe, nec alius quiſque ſuadebit vmquam. Omitto, quod Caiet. Ferrar. Soncinas, & alij viri magno ingenio pollentes viderint opinionem Scoti, & facile conſiderauerint, cum locutum fuiſſe de cognitione in diſtantia debita; ſi hæc quoque mens Auctoris extitiſſet, cur hoc nullus id adnotauit, ſed potius quiſquis inſudauit in Scoti argumentis euellendis, quæ videbant eſſe contra Auctorem? At quis dicet, Auctorem doctorem numeris omnibus abſolutum, mille in locis doctrinæ ſuæ, potiſſimum in p. p. vbi materias omnes ad viuum reſecat, verba facientem

Reijciuntur conatus illi.

de or-

de ordine magis, & minus vniuerſalium in noſtra cognitione, id ſolum in hac materia adduxiſſe, quod per accidens interuenit in cognitione, quando ſcilicet obiectum non eſt in debita diſtantia, & numquam id tradidiſſe, quod eſt in cognitione per ſe, & quod interuenit merito cognitionis, & intellectus ex ipſorum natura? Doctrinam ergo accidentalem, & ex extraneis ſolum, ac deficiente euentu petitam in re ardua ſatis, & quam pluribus locis elucidare ſtuduit, nobis reliquiſſet, doctrinam autem ex meritis cognitionis ſecundum ſe pendentem ſubticuiſſet, hoc autem quis de Auctore enunciabit? Quod ſi dicant, aliquando ipſe docuit minus vniuerſalia eſſe nobis primo cognita, id pro reſponſione dandum eſt, quod ſe ipſum explicauerit, in quo ſenſu minus vniuerſalia præcedant, vt patet primo Poſteriorum lect. 4. prope finem, & primo phyſic. lect. 1. circa tex. 4. & aliquo modo lect. 2. ſuper primũ Diuinorum, & tandem p.p.q.85.art.3. vbi de primo cognito abſolute mouit quæſtionem, vt in titulo notabat Caiet. verbis apertis docuit, cognitionem magis vniuerſalis præcedere illam minus vniuerſalis, & poſt multa, quæ in corp. art. id oſtendunt, in vltimis verbis colligit, (quæ verba dicebat ibi Caiet. eſſe epilogum dictorum) hoc modo; *Sed tam ſecundum ſenſum, quam ſecundum intellectum, cognitio magis communis eſt prior, quam cognitio minus communis*; Quis ergo dicet, hanc doctrinam eſſe tantum in gratiam eorum, quæ ex accidente, & ex defectu intercedunt in cognitione? Valeat itaque hæc conciliatio, quæ mentem Auctoris penitus aufert, & eius doctrinam accidentalia ſolum luſtrare docet. Accedit, quod rationes Auctoris æque concludunt de cognitione in debita diſtantia, & de cognitione impedimentis admixta, vt patebit, quando veram ſententiam confirmabo.

D.Thomas.

Caietanus.

Sed & quidam alij viri doctiſſimi, vt Marcus Antonius Genua Patauus philoſophus ſui temporis excellentiſſimus, referente Zabarella cap. 9. libri memorati, alia via penitus inani nitebantur Auctorem, & Scotum concordes facere, vt nimirum loqueretur iſte de cognitione actuali prima cuiuſlibet rei, ille vero de cognitione habituali; quæ ſignificat naturalem quandam habitudinem, & propenſionem rerum cognoſcibilium, vt ab intellectu apprehendantur, & vt intellectus eas apprehendat, & quod de actuali cognitione ambo docuerint, primo cognoſci ſpeciem infimam, de cognitione vero habituali, magis vniuerſale prius apprehendi; At vane primo poneretur talis habitudo ad magis vniuerſalia percipienda, ſi ſpecies ſemper primo agnoſceretur; deinde Auctor loquitur de cognitione confuſa actuali, vt cuique patet; demum vt bene ibidem ait Zabarella, hoc modo conciliare, eſt Scotum ſequi, & Auctorem in Scoti mentem coactum trahere, &c.

Aliorum iudicium pro iiſdem conciliandis.

Genua.

Repudiantur.

Zabarella.

Quamobrem quarto loco id obſeruabis, ad hoc vt conceptus entis primo cognoſcatur, & ab alijs conceptibus, qui ſunt in re per ſpeciem intelligibilem repræſentata abſtrahatur, nulla alia requiritur abſtractio, niſi quod per agentem intellectum ſpecies illa repræſentans ſit iam à ſingularibus abſtracta, & deinde, quod intellectus poſſibilis illam recipiens, actualiter primo concipiat ens, non inſpiciendo actualiter, quæ reliqua in illa quidditate repræſentata ſunt; ſic ruunt mille argumenta, quæ conantur probare, ſpeciem ſpecialiſſimam eſſe facilioris abſtractionis, quam ens, quoniam ſcilicet conceptus ſpeciei à paucioribus differentijs liberatur, & quaſi exuitur, quoniam maiorem habet vnitatem, & mille alia in caſſum multiplicant, quæ omnia corruunt, quoniam non loquuntur de abſtractione, quæ requiritur, & ſufficit ad cognitionem con-

ſuſam actualem, de qua eſt ſermo, quæ ſtat in illa poſſibilis intellectus, (ſuppoſita illa facta ab agente,) per quam vnum videt, non videndo alia, nam in hoc poſita eſt ratio abſtractionis, vt vnum abſque alio cognoſcatur, ſic dicitur viſus abſtrahere colorem ab odore in pomo; quoniam illum percipit, hoc non conſiderato; immo vt bene notabat Caiet. dum ad quartum in hac quæſtione reſpondebat, facilior eſt abſtractio entis, quam ſpeciei ſpecialiſſimæ, quoniam facilius eſt concipere actualiter prius ſine poſteriori, quam e contra, prius autem eſt ens ipſa ſpecie ſpecialiſſima; quod autem facilius ſit concipere prius abſq; poſteriori, quam poſterius abſque priori, vt clarum relinquitur à Caiet. nouit enim quiſquis in philoſophia vel parum verſatus, quod in priori clauduntur poſteriora ſolum virtute, in poſteriori autem priora actu continentur, quis autem dubitabit, facilius eſſe abſtrahere quidpiam ab illis, quæ virtute in illo clauduntur, quam ab illis, quæ actu in eo relucent? In primo ſiquidem ipſum ſolum vere, & complete eſt, atque ideo ſolum faciliime conceptibile, in poſteriori autem, plura ſunt actu, ac proinde non admodum facile eſt hoc abſque illo, vel alio concipere, omnia namque vniformiter in eo inſunt. Applica ſpeciei ſpecialiſſimæ, in cuius conceptu ſuperiores quoque actu inueniuntur, applica generi, & multo magis enti, in cuius conceptu nullus alter actu, ſed quotquot ſunt, virtute tantum continentur, & facile videbis, quidnam horum ſit facilius abſtrahere, loquendo de abſtractione in propoſito requiſita; Ita & Antonio Trombetæ, & alijs quibuſdam recentioribus ſuadebis infirmitatem illius motiui, de faciliori abſtractione ſpeciei, hoc idem in illos reflectendo, quoniam id primo cognoſcitur, quod eſt facilioris abſtractionis, ſed magis vniuerſalia, & ens ſunt facilioris abſtractionis, quam ſit ſpecies, ergo prius cognoſcuntur; concluſio pro me, maior eſt ipſorum, & minor eſt probata.

In quo conſtituta ſit abſtractionis ratio. Caiet.

Quomodo in prioribus poſteriora, & in his illa contineantur.

Pro Caietano.

Et miror certe viros clariſſimos hanc Caiet. doctrinam nolle aduertere, ſed ijs fundamentis inniti ad opinionem contrariam defendendam, quæ iam Caiet. ſi non formaliter, virtute tamen, & optime confutauit. Quod ſi fortaſſis dicant, hanc doctrinam Caiet. non ſibi placere, adducant quid eos in contrarium moueat, neque dedignentur argumentari contra doctrinam Caiet. cuius certe neſcio an boni ſint diſcipuli, & quando argumenta adduxerint, non dubitent, eã confutatum iri.

Hinc collige tu, qui Caiet. doctrinæ faues, & ſeruis, ad eius mentem eſſe, quod docui ſecundo notabili precedente, vnica nimirum, & eadem eiuſdem rei ſpecie omnes conceptus repræſentari, at primum eorum, qui à nobis percipiatur eſſe illum entis, iam enim ait, facilius eſſe abſtrahere conceptum entis ab alijs, quam illum ſpeciei, ergo, & in hoc, & in illo omnes adſunt, alioquin inanis foret doctrina de abſtractione huius ab illis, & illius ab iſtis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid illa concluſio ſupponat, declaratur, & defenditur.

DOctrina quam de primo cognito tuemur, & quam concluſione expreſſimus, illud omnino præſupponit, quod ens poſſit notitia confuſa cognoſci, At huic refragatur Scotus 1. Sent. loco adducto, quoniam ens nequit reſolui in partes, (vnde eius conceptum appellat ſimpliciter ſimplicem,) atque ideo nequit

Scotus.

I

quit

quit cognoſci confuſe, dicitur namque cognitio illa confuſa, per quam fertur intellectus actu in aliquod obiectum, neſciendo reſoluere in partes rationis illius obiecti, ſic autem nequit ferri intellectus in ens, nam ſi poſſet in rationis partes reſolui, iam eius conceptus non foret ſimpliciter ſimplex, &c.

Cæterum perit hæc contemplatio, ſiue argumentatio Scoti, ſi illud aduertas, non eſſe de ratione illius quod dicitur cognoſci confuſe actualiter, vt ei ſint partes; ſed ſufficit, quod feratur intellectus ſuper illud conceptu confuſo, & abſque eius penetratione, quod in eo actu includitur; Et quod hoc ſit verum, declaro ex ijs quæ ad cognitionem diſtinctam requiruntur, nam ad hanc ſufficit, quod feratur intellectus ſuper obiectum, illa penetrando, quæ in eo actu continentur, vel ſit, vel non ſit in partes reſolubile; Quod ſi ad cognitionem diſtinctam requiratur, vt fiat penetratio partium, iam nullum ſimpliciter ſimplex poterit diſtincte agnoſci, probo, quoniam nullum ſimpliciter ſimplex gaudet vllis partibus, tunc vltra, ergo nullo modo cognoſcetur ſimpliciter ſimplex, quoniam non cognitione confuſa, vt vult Scotus, non ſimplici, vt demonſtraui, ergo nullo modo, hoc autem quis admittet? Quid ſit de eſſentia cognitionis confuſæ actualis. Quid de eſſentia diſtinctæ.

At ſi quis dixerit, non eſſe de ratione cognitionis diſtinctæ, vt cognitum per ipſam reſoluatur in partes, quando illis careat, ſed ſufficit, quod penetretur penes id, quod eſt in ipſo actu, ita dico & ipſe, non eſſe de ratione cognitionis confuſæ, vt cognitum per ipſam videatur abſque partium penetratione, cum enim cognitio confuſa, & diſtincta opponantur, oportet, vt vtriuſque ſit eadem diſciplina, ſed ſat eſſe, quod attingatur conceptu confuſo, abſque nimirum eius penetratione.

Vnde accipiendo cognitionem confuſam hoc modo, ens poſſet confuſe agnoſci, etiam ſi eſſet vniuocum, & penitus ſimplex, quamuis Fonſeca prima ſectione quæſtionis ſæpe recenſitæ oppoſitum enunciet, nihil quippe facit ad hanc confuſam cognitionem entitas partium, ſed ſufficit intellectum ferri in obiectum non penetrando illud, non videndo illud clare, eius ſcilicet ab alijs diſtinctionem, & ſimilia, alioquin ens quoque vniuocum non agnoſceretur diſtincte, quoniam vt deducebam, numquam eius partes cognoſcentur, cum eis omnino careat. Fonſeca.

Cum igitur non ſit verum, ad confuſam notitiam requiri obiectum cognitum poſſe in partes reſolui, non ob hoc auferetur, quin tali notitia poſſit ens attingi, licet eius conceptus ſit ſimplex, &c.

At diligenter aduertendum eſt, quod dum dicimus ens, & magis vniuerſalia à nobis primo cognoſci, id non eſſe accipiendum de omnibus magis vniuerſalibus abſolute, & indifferenter, adeo vt nequeat cognoſci ſpecialiſſima ſpecies, niſi prius cognoſcantur omnia communiora prædicata, quæ illam præcedant. Hinc ponebat Caiet. ſecundam concluſionem in hac quæſtione, in qua dicebat, non eſſe eſſentialem ordinem originis inter conceptus actuales confuſos prædicatorum, quæ ſunt quidditatiua, quam vnica ratione, ſed, & ſuum, & cuiuſque viri docti intellectum conuincente probauit; Experimur profecto, nos habere conceptus confuſos actuales extremorum abſque eo, quod habeamus intermedios, concipimus enim hominem, concipimus ſubſtantiam, & tamen ea quæ inter hæc mediant, nedum non ſcimus diſtincte, ſed neque confuſe, etenim caremus conceptibus proprijs eorum, patet autem, quod ſi foret ordo eſſentialis inter conceptus confuſos actuales, vnus non poſſet cognoſci, niſi alio de neceſ- Caiet.

ſitate præcognito, in hoc enim cuilibet perſpicuum eſt, conſtitutam eſſe rationem ordinis eſſentialis.

Ex qua doctrina ſane intellecta, multa aduerſariorum motiua confutantur, & præcipue illud, quo inter alia motus videtur Zimara, quæſtione ſua de primo cognito, vt aſſereret non ſemper magis vniuerſalia eſſe notiora, cum dentur genera innominata, vt dicebatur in ſexto argumento, quocirca, nedum non primo ſciuntur magis vniuerſalia, ſed & quædam ipſorum nos fugiunt, (quod motiuum idem auctor repetijt in tabula, verbo, genus,) ruit hoc, & his ſimilia argumenta, nedum enim concedimus, ſed & docemus, non omnia magis vniuerſalia eſſe ante noſcenda, at verum ſemper fuerit, cognitionem alicuius magis vniuerſalis debere præcedere cognitionem minus vniuerſalis, vt latius adhuc patebit.

Zimara.

Huius autem magis vniuerſalis cognitio, quæ de neceſſitate præcedere debet, eſt cognitio illius, quod primo cognoſcitur, ſi enim primo percipitur, certe præcedere debet, tale autem eſt ens, quod iam diximus eſſe primo a nobis intellectum, quamuis etenim inter reliquos conceptus actuales confuſos non ſit in cognitione ordo originis eſſentialis, talis tamen ordo eſt inter conceptum entis, & alium quemcumque, loquendo de prima cognitione, adeo vt ſemper ante quemlibet alium conceptum, prius cognoſcatur ille entis.

Sciſcitatio.

At dices, quænam maior ratio de conceptu entis, quam de alio conceptu magis vniuerſali? nam vel hoc competit ei, quatenus vniuerſalius quoddam eſt, & tunc alijs conceptibus vniuerſalioribus debet conuenire, vel quatenus tale quoddam ſignatum eſt, & tunc non habebitur, quod magis vniuerſale vt ſic præcedat cognitionem minus vniuerſalis, & præterea voluntarium apparebit, hoc proferre de ipſo ente. Sed dicendum eſt, quod hoc competit ſibi ex vtroque capite, quia ſcilicet, & eſt vniuerſalius quoddam, & eſt vniuerſalius tale, quod eſt quaſi naturale ipſi intellectui, adeo quod mox re oblata intellectui, conceptus entis ab omnibus agnoſcitur, cum ſit patentiſſimus, & hic conceptus eſt velut forma generaliſſima ipſius intellectus, ſicut forma corporeitatis ſe habet ad materiam, nullam enim aliam formam recipere valet, niſi illam corporeitatis præhabeat, alias autem indiſcriminatim recipere poteſt, in hoc ſcilicet ſenſu, quod non ad quamcumque formam introducendam, quæuis forma requiritur, quæ in materia præceſſerit, & tamen verum eſt, quod requiritur illa corporeitatis; Quemadmodum ergo inter corporeitatis formam, & alias datur ordo neceſſarius, non autem inter aliam, & aliam formam adinuicem, ſic datur ordo inter conceptum entis, & quemuis alium, non autem inter alios conceptus, quæ doctrina colligitur ex Caietano hoc loco circa ſecundam concluſionem.

Reſponſio.

Cuius doctrinæ ſplendorem, dum Petrus Fonſeca vbi ſupra, & alij recentiores pluribus obſcurare contendunt, eandem illuſtriorem reddunt.

Caiet. doctrina à Fonſeca, & ab alijs impugnatur multipliciter.

Obijciunt ſiquidem primo, quod hæc doctrina deſtruit fundamentum illud famoſum Auctoris, quo vtitur in hac materia, quod nimirum intellectus exiens de potentia ad actum vltimate perfectum, tranſiturus per multos actus medios, prius peruenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum, & habetur hoc fundamentum ex Ariſtotele 9. Diuinorum 15. 8. Phyſic. 58. & 5. eorundem 22. quibus in locis docetur, priora via generationis eſſe imperfectiora, quod autem deſtruatur patet, nam ſi non eſt neceſſe cognoſci conceptus omnes communiores

Ariſtot.

muniores

muniores, ante minus communem, ſed illum entis dumtaxat, iam tranſibit intellectus de potentia ad actum vltimate perfectum, non perueniendo prius ad actus imperfectos.

Reſpondeo primo, quod Auctor fundamentum illud aſſumit de intellectu cognoſcente aliquid diſtincte; nam actus vltimate perfectus, ad quem procedit intellectus, eſt cognitio penitus diſtincta, & tunc verum eſt, oportere intellectum tranſire per omnes conceptus communiores, antequam ſpeciem cognoſcat, loquendo de conceptibus cognoſcibilibus, & de notitia penitus completa; quando autem Caiet. ait non eſſe neceſſe, vt præcognoſcantur conceptus omnes communiores, non loquitur de cognitione omnino perfecta, ſed de quauis cognitione citra illam, & potiſſimum de confuſa, & prima omnium, de hac enim cum ſit tota quæſtio, omnia etiam quæ proferuntur ſunt intelligenda. *Defenditur Caietanus per ſingula.*

Dico ſecundo, quod etiam aliquo modo omnes conceptus communiores præcognoſcuntur, non quidem formaliter, & in actu, ſed in confuſo, & virtute, dum ſcilicet concipitur conceptus entis confuſus, in quo omnia virtualiter concipiuntur, vt idem Caiet. innuit, dum reſpondet ad tertium Scoti, quando autem inquit, non præcognoſci omnes conceptus, loquitur de cognitione actuali, dummodo ſermo ſit de conceptibus, qui à nobis cognoſcantur, eos namque rerum nomine carentium, neque confuſe quidem nouimus, loquendo de cognitione, quæ poſſit, & manifeſtari, & explicari. *Secunda reſponſio.*

Dico tertio, non dicere Caiet. nullum alium conceptum communiorem præcognoſci, quam illum entis, ſed ait, non omnes alios neceſſario præcognoſci, quod autem ſic intelligat, patet ex probatione, quam facit pro ſecunda concluſione, dans enim exemplū, quo non ſit neceſſe vt omnes alij conceptus præcognoſcantur, qui ſint magis communes, ante minus communes, dicebat nos concipere hominem, & ſubſtantiam, non ens, adeoquod, & vltra illum entis, alij quoque conceptus præcognoſcuntur, vt ille ſubſtantiæ, & paulo inferius ait, poſt conceptum entis, poteſt quodcumque aliud concipi, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, ſiue ſpecies, ſiue genus; ſed ait Caiet. non hos & illos, non omnes neceſſario præcognoſci, quoniam ſi conceperis roſam, non præcedet conceptus viuentis, non animalis, qui ſunt communiores, quemadmodum in cuiusq; rei conceptione, quæuis illa ſit, de neceſſitate præcedet conceptus entis; ſic non negat, intellectum procedentem de potentia ad actum tranſire per actus medios, ſed ait, quod non tranſit per omnes indiſcriminatim, tranſibit autem per actus medios, qui neceſſario præexiguntur cognitioni actus vltimi, hi autem erunt genus proximum, & id quod ponitur loco differentiæ vltimæ, vt conceptus animalis, & rationalis in cognitione hominis, ita enim cognoſcitur ſpecies diſtincte, vt docuit Soncinas quæſt. iam citata ad tertium argumentum; quando autem dicebat Caiet. poſt conceptum entis, poſſe concipi ſpeciem, loquitur de confuſa cognitione. *Tertia.* *Soncinas.*

Vnde, quando inferius arguunt ex ſimilitudine eiuſdem Caiet. quod veluti nequit perfectiſſima forma introduci; niſi prius omnes imperfectiores illi ſubordinatæ introducatur, ita non poterit formari conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, qui eſt perfectiſſimus omnium illorum, per quos vniuerſales naturæ concipiuntur, niſi prius eliciantur conceptus omnium ſuperiorum, præterquam quod hoc non eſt ad propoſitum, cum procedat de cognitione diſtincta, & nos negantes talem ordinem eſſentialem in conceptibus medijs, loquamur de confuſa notitia, iam tamen patet reſponſio, neque enim negamus, conceptus illos præ-

cedere, qui neceſſario præexiguntur, ſed negamus omnes conceptus neceſſario præcedere debere, loquendo de cognitione in genere, alioquin, quando cognoſco hominem eſſe animal rationale, non cognoſcerem ipſum perfecte, & ita definitio non aperiret rei naturam, cum in hac definitione non ponatur niſi conceptus generis proximi, & differentiæ vltimæ, ſiue illius, quod vltimæ differentiæ vices gerit.

Cognoſcitur ergo ante conceptum ſpeciei, vltra conceptum entis, conceptus generis proximi, & vltimæ differentiæ, hi enim præexiguntur, non alij, niſi velimus loqui de cognitione illa omnino abſoluta, quæ noſtro inſtituto non facit.

Argumētum aduerſariorū in eiſdem reflectitur.

At illud ſuum argumentum in eos conuertamus ſic dicendo: Ad introductionem perfectiſſimæ formæ, non præexiguntur omnes aliæ formæ, ſed illæ ſolum, quæ ſibi ſunt ſubordinatæ, ſed ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ non prærequiruntur omnes conceptus communiores, ſed dumtaxat illi generis, & differentiæ, vltra illum entis, ergo horum tantum cognitio de neceſſitate præcedet, maior eſt ſua, minor iam eſt probata, & concluſio eſt contra ipſos.

Quod ſi à quopiam diceretur, omnes neceſſario conceptus ſuperiorum requiri, quoniam omnes conſtituunt ſpeciem ſpecialiſſimam: Dico, quod ad cognitionem ſufficit noſſe genus, & differentiam, cum potiſſimum vtrumque iſtorum dicat id totum, quod eſt in ſpecie, & iam animal, iam rationale continent actu, quicquid eſt in ſuperioribus conceptibus.

Certe longius digreſſus ſum, quam materia huius argumenti poſtularet, nos enim loquimur de quauis cognitione, & potiſſimum de prima, ac confuſa, quando cum Caiet. dicimus, non eſſe neceſſe omnes conceptus communiores ante minus communes præexigi, Auctor vero loquitur de cognitione omnino vltimata, præterea non ait, debere intellectum tranſire per omnes actus imperfectos, ſed prius deuenturum ad imperfectum, quam perfectum, quod & Caiet. ponit, dum ſtatuit ens imperfectiſſimum occurrere primo intellectui; præterea ait, quando debet tranſire, tunc autem negamus, quod tranſire debeat intellectus per omnes conceptus communiores, quod ſi deberet tranſire, certe ſemper ei obuiaret conceptus imperfectior, ac communior, vt ei obuiat, dum tranſit, quare autem entis conceptus de neceſſitate, & non alij ſibi primo debeat obuius fieri, iam ratio allata eſt, ſic via multiplici habes, vnde deprehendas huius argumenti infirmitatem.

Quando obijciunt ſecundo, quæſtionem relinqui ambiguam in omnibus vniuerſalibus, quæ ſub ente continentur, quæ tamen multo verius ſunt vniuerſalia, quam ens, non enim ex doctrina noſtra conſtat, quænam vniuerſalia ſint faciliora cognitu, quod tamen inquiunt maxime quærimus, &c. Reſpondeo, quod

Quomodo latiſſime pateat ens.

ens quo ad prædicationem, & extenſionem eſt omnium maxime vniuerſale, quicquid ſit quo ad naturam, infertur quippe ab omnibus, & nullum infert, vt ipſemet Fonſeca eadem quæſtione docet, & nos adnotauimus, modo autem loquimur de vniuerſalibus in prædicando, vt in titulo prælibauimus, & vt ijdem principio quæſtionis obſeruarunt; quomodo ergo alia in hoc ſenſu ſunt verius vniuerſalia, quam ens? Quare, cum fuerit à nobis determinatum, id quod eſt maxime vniuerſale, primo à nobis cognoſci, ex conſequenti ſancitum etiam eſt, magis vniuerſalia prius cognoſci, quam minus vniuerſalia, licet non omnia magis vniuerſalia ſint ſemper præcognoſcenda, ſufficit quod ſemper communiora primo cadunt in noſtro intellectu. Sed & hoc ei condonantes, vt ſcilicet

id non

Id non fuerit de omnibus vniuerſalibus declaratum, quod tamen non eſt verum, ergo Caiet. reliquit quæſtionem ambiguum, nego conſequentiam, non enim de primaria intentione quæſiuit, an magis vniuerſalia primo cognoſcantur, ſed quid primo ſit cognitum, an ſcilicet ens, vt dicebatur in littera ex Auicenna, huic autem inueſtigationi vberrime fecit ſatis. Dicunt, nos maxime quærimus, quænam vniuerſalia ſint faciliora cognitu, ſi quærunt ipſi, non quærit Caietan. ſed quærit, quid primo omnium in noſtro intellectu cadat, & ſi quæſiuiſſet, quid de alijs ab ente vniuerſalibus primo cognoſcatur, dixiſſet profecto, vt diximus nos, illa nimirum magis vniuerſalia, quæ neceſſario exiguntur ad cognitionem ſpeciei infimæ diſtinctam.

Quid potiſſimum in hoc negotio quæſiuerit Caiet.

Quando vlterius inſtant, non eſſe verum, conceptum entis antecedere quemuis alium conceptum, quoniam hoc nos non experimur; Reſpondeo, ſemper vnumquodque in prima cognitione, (de hac certe eſt ſermo) cognoſci primo à nobis vt ens, ſed in alijs quoque cognitionibus id habet veritatem, at imperceptibiliter id fit, cum actio intellectus ſit inſtantanea, nam neque experimur cognoſcere hominem, vt ſpeciem, vt animal, vt corpus, vt ſubſtantiam, loquendo de experientia perceptibili, cum ſucceſſione.

Sed pergunt adhuc, quoniam ſi ideo conceptus entis alios præcedit, quoniam ens ſit obiectum intellectus, & eius forma generaliſſima, quare poſita hac albedine ante oculos, non prius viſus percipit, eam eſſe hunc colorem, quam hanc albedinem, cum color ſit obiectum adæquatum facultatis videntis? Reſpondeo, & facultatem quoque viſibilem, prius illum percipere vt color, quam vt albedo, at id eſt imperceptibiliter, Deinde, non eſt par ratio de ſenſu, & de intellectu, non enim ſenſus poteſt aliquid in ſuo obiecto conſiderare ſub vna ratione, quod non ſub alia, nam nequit hoc modo abſtrahere, ſed totam ſibi rem oblatam agnoſcit, quo ad omne id, quod eſt in obiecto ſuo, (ſcio viſum in pomo attingere colorem, non odorem, at odor non ſibi obijcitur,) intellectus autem in re ſibi præſentata videt conceptus multos, & ſemper primo cernit omnium maxime vniuerſalem.

Quomodo ſe habeat ſenſus in obiecto ſuo.

At dubitabit quis, quomodo verum ſit, ſenſum non poſſe concipere aliquid ſub vna ratione, & non ſub alia, cum doceat Auctor, ſenſum prius cognoſcere aliquid, vt eſt corpus, deinde vt animal, deinde vt hominem, tandem vt hunc hominem, & tamen vnum, & idem obiectum eſt corpus, animal, homo, hic homo; Facilis eſt reſponſio, dico enim, quod in re ſibi obiecta nequit ſenſus vnum abſque alio percipere, loquendo de obiecto formaliter, ſic non poteſt cognoſcere aliquid, vt hunc colorem, (ecce indiuiduum generis,) quin cognoſcat eſſe hanc albedinem, vel rubedinem, (ecce indiuiduum ſpeciei,) quorum vtrumque, & color ſcilicet, & hic color eſt eius obiectum formale; argumentum autem procedit de ijs, quæ materialiter ſe habent in obiecto, cuiuſmodi ſunt, quæ in argumento commemorabantur, non enim ſunt obiecta, ſed res obiectæ, immo argumentum facit pro me, quoniam quoduis illorum videat, ſemper vt coloratum videt, alioquin non videret, & nequit apprehendere hoc eſſe indiuiduum generis, quin apprehendat, & eſſe indiuiduum ſpeciei, cum hoc tamen ſtat, quod imperceptibiliter ſi fieri poſſit, videt prius hunc colorem, quam hoc viride.

Dubitatio.

Solutio.

Sed adhuc inſtant, tunc nos debere fateri contra experientiam, quod prius velimus cibum, vt bonum, quam vt bonum guſtatui, quoniam bonum eſt adæquatum obiectum voluntatis, immo contra rationem quoque, cum ex hoc

ſequa-

ſequatur, non poſſe voluntatem eo momento, quo res obijcitur, eam vt talis eſt, vel amplecti, vel fugere, quoniam ſibi prius occurrit, vt bona abſolute, ſi vera ſit noſtra opinio, non vt tali, vel tali bonitate referta, ſi res quæ obijcitur intellectui, occurrat ſibi, non vt tale, vel tale ens, ſed vt ens.

At ſi viri oculatiſſimi, oculatiores in hoc fuiſſent, ab hoc argumento abſtinuiſſent, quamuis etenim voluntas ſit potentia, cuius obiectum eſt bonum, eſt tamen appetitus animalis, & eſt id, quo ſuppoſitum vult, & appetit, quare nedum bonum abſolute, ſed hoc, & illud bonum, huius, & illius partis hominis, eſt ſuum obiectum, & magis vult bonum totius coniuncti, quam proprium, quoniam eſt appetitus totius hominis, hinc homo vult cibum, vt bonum guſtatui primo, quam vt bonum abſolute, loquendo in ordine ad guſtatum vt ſic, non eſt autem voluntas præciſe vt potentia, quæ velit cibum, vt bonum guſtatui; quod ſi loquamur abſolute, falſum eſt, nos non velle cibum prius, vt bonum abſolute, quam vt bonum guſtatui, immo cibos multos, qui boni eſſent guſtatui, nolumus ob alias cauſas, ob bonitatem ſcilicet totius, ratione vtique iam dicta, quoniam voluntas eſt appetitus coniuncti, ideo magis appetit quod eſt bonum coniuncto, tamquam pars appetens bonum totius; falſum quoque eſt, non poſſe voluntatem momento rem ſibi obiectam, vel proſequi, vel repudiare, nam ictu oculi apparet abſolute vel bona, vel non, ſucceſſu vero temporis, examinatur talis, vel talis bonitas, hoc eſt, congrua ne ſit, an non huic, vel illi parti.

Quid ſit voluntas in homine.

Dixi autem eos, qui argumentum hoc tulerunt oculatiores fuiſſe poſſe, quoniam hæc doctrina de voluntate, quod ſit appetitus animalis, & totius, iam tradita eſt a Capreolo 4. ſent. diſt. 49. q. 2. ad tertium Scoti, & à Caiet. p. ſec. q. 3. art. 4. in fine comm. dum ſimiliter reſpondet ad tertium Scoti, & à Conrado Koelim in fine com. corp. art. p. ſec. ibidem, & à Soto eodem 4. ſent. & eadem diſtinctione q. 1. art. 3. ad primum eorum argumentorum, quæ pro Scoto vltimo citauit, quam deinde doctrinam tradidit & Medina p. ſec. loco eodem, in ſecunda reſponſione, quam dat tertio argumento, deſumpto ex primo prædicamento, vt ipſe loquitur, quam & valde notandam dicebat.

Capreol. Caietanus. Conradus. Sotus. Medina.

Tandem quando obijciunt, non eſſe verum quod dicimus, ideo ens prius percipi, quoniam eius proprietates ſunt patentiſſimæ, ex eo quia, adeo ſunt huiuſmodi proprietates obſcuræ, vt vix à metaphyſicis intelligantur, aut explicentur, & Auctor ait, ex proprietatibus inferiorum colligi poprietates ſuperiorum; At ſæpius iam iteratum eſt, quomodo ens ſit, & facillimæ, & difficillimæ cognitionis, adeo vt nihil minus oporteat, quam reſponſionem huic argumento dare, nam ex primo notabili in præcedenti art. huius quæſtionis habetur reſponſio; Sed mirari ſatis non poſſum, quomodo Auctorem pro ſe adducant, nam præterquam quod non inuenio in ipſo verba illa, quæ ex ipſo referunt lectione 2. primi Diuinorum, ſi etiam ea diceret; ſi Auctor data opera mouet dubium, quomodo vniuerſalia ſint difficilia cognitu ſuper illa verba Ariſtotelis, *ferè autem. & ea difficillima ſunt hominibus cognitu, quæ maxime vniuerſalia ſunt*, quoniam videtur contrarium ei, quod dicitur primo Phyſic. 4. vniuerſalia eſſe nobis notiora, & ibidem reſpondet cum diſtinctione formali, adferendo duplicem cognitionem vniuerſalium, alteram facilem, alteram difficilem, quorſum ipſum in ſuæ ſententiæ confirmatione adferunt, ſi totum oppoſitum doceat? Immo ipſe Auctor eodem comm. in fine ait, quod Ariſtoteles non dixit, maxime vniuerſalia eſſe ſimpliciter difficillima, ſed ferè, in quo verbo

D. Thom.

vim

vim faciendam eſſe dicebat, qua voce potiſſimum voluit denotare, entia illa, quæ ſunt à materia omnino abſtracta, quæ magis difficilia ſunt nobis ad cognoſcendum, quam vniuerſalia, quomodo ergo eum citant, ſi penitus contrarium docet ijs, in quibus, ſiue pro quibus adducitur?

Maneat ergo ſolidiſſima doctrina Caiet. eſſe ordinem eſſentialem inter conceptum entis, & alios, vt ſemper ille præcedat, quoniam eſt forma generaliſſima ipſius intellectus, & ei quaſi naturalis, quoniam ſtatim oblatum ab omnibus cognoſcitur, non eſſe autem ordinem eſſentialem inter alios conceptus confuſos actuales, eo modo, quem abunde explicauimus.

ARTICVLVS QVINTVS.

Eadem concluſio probatur, & oppoſita ſententia improbatur.

PRobo concluſionem ratione, auctoritate, & experientia, prima ratio ſit illa Auctoris. Suppono igitur, id quod procedit de extremo ad extremum, prius peruenire ad medium, vt colligitur ex locis Ariſtotelis ſuperius citatis, præcipue ex 22. quinti Phyſicorum, ibi enim hoc expreſſe docetur, ſuppono deinde id quod etiam manifeſtiſſimum eſt, quod ſcilicet inter purum ignorare, & perfectum ſcire, quæ ſunt duo extrema, cadat medium, quippe quod ſit ſcire in potentia, hoc enim neque eſt purum ignorare, neque completum ſcire, ſed nonnihil vtriuſque ſapit; Tunc formo rationem, Procedens de potentia ad actum, & de pura ignoratione ad abſolutum ſcire, prius peruenit ad medium, quam ad extremum, & ad imperfectum, quam perfectum, ſed noſter intellectus, dum quid vult intelligere, procedit de potentia ad actum, & de vno extremo ad aliud, ergo primo ſibi occurret medium, quam extremum, & imperfectum, quam perfectum, ſed conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt vltimum, quod ſcit intellectus, & perfectum, conceptus vero entis, & magis vniuerſalium ſunt medij, & imperfecti, ergo prius veniet intellectus ad iſtos, quam ad illum, diſcurſus bonus, omnes propoſitiones probatæ, concluſio vera, quæ eſt directe noſtra propoſitio, & immediate contra mentem Scoti.

Si dicatur, quod conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ diſtinctus eſt ille, qui tamquam vltimum, & perfectum percipitur ab intellectu, non autem conceptus confuſus, ſed hic quaſi medium, & imperfectum præcedit: Hoc nihil eſt, quoniam ſicut conceptus confuſus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt imperfectus, & quid medium, ſi comparetur conceptui eiuſdem diſtincto, ita pari omnino paſſu, immo maiori, conceptus confuſus generis, & entis eſt imperfectus, & quid medium in ordine ad conceptum confuſum ſpeciei, quare ſicut conceptus confuſus ſpeciei præcedit conceptum eiuſdem diſtinctum, ſic conceptus confuſus entis, & generis debet præcedere conceptum confuſum ſpeciei. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed alia quoque via audiui confutari hunc noſtrum, immo Auctoris diſcurſum, quod nimirum valeat de extremis contrarijs, adeoquod ſi quid recedit ab vno extremo, & ad aliud debeat accedere, tranſibit prius per media, dum illa extrema ſint contraria, nunc vero cognitio imperfecta non aduerſatur perfectæ cognitioni, quare labitur diſcurſus. Hæc reſponſio quamuis ſit conformis textui illi ex quinto Phyſic. quoniam ibi loquitur Philoſophus de eo, quod mouetur, & omnis motus eſt de contrario in contrarium, etiam localis, quod *Alia inſtãtia.* *Ariſtot.*

quoniam obſcurum erat, ibidem aperuit Ariſtoteles, vt in illius tex. expoſitione notabat Auctor, non ideo tamen infringitur ratio, licet namque verus ſit diſcurſus in ijs, quæ habent contrarium, veriſſimus quoque eſt in illis, quæ cōtrario carent, dummodo ſint media illa inter extrema eſſentialiter ordinata, nam fieri nequit, vt quis recedens ab vno, accedat ad aliud, non tranſeundo per media eſſentialiter inter hoc, & illud ordinata; accedit, quod perfecta cognitio contrariatur, & opponitur puræ ignorantiæ, ſaltem oppoſitione illa, quæ eſt inter habitum, & priuationem.

Diluitur.

Tertia difficultas.

Hinc alij videntes ex præfata reſponſione non auferri vim rationis, ſecus reſpondentes dixerunt, quod modo nos dicebamus, valere ſcilicet argumentum in ijs quæ eſſentialiter ordinantur, tunc negant, quod cognitio entis eſſentialiter ordinata ſit ad cognitionem ſpeciei, & ita ait Pererius libro illo ſuo allegato vltimis verbis cap. 15. quod hoc modo ſoluitur hæc ratio à doctis viris; Cæterum hæc quoque ſolutio nulla eſt, cum veriſſimum ſit, conceptum entis eſſe ordinatum eſſentialiter ad conceptum ſpeciei, & quoniam id admittitur ab aduerſarijs de cognitione diſtincta, idipſum probo & de confuſa, quoniam nequit fieri, vt vllus habeatur conceptus, niſi habeatur id quod formaliter, quidditatiue, & eſſentialiter clauditur in illo, ſed in omni conceptu, quiſquis ille fuerit clauditur omnibus illis modis conceptus entis, ergo nullus poteſt haberi conceptus, quin habeatur ille entis; Si dixerint, ſe fateri, at negent exinde ſequi, eſſe omnium primum conceptum entis, tunc id probo, quoniam omnis potentia ſemper primo fertur in formalem rationem ſui obiecti, quam in ea, quæ illi ſuperadduntur, ſed ens eſt obiectum intellectus formale, ergo ſemper intellectus in quocumque ſibi oblato prius intuebitur ens, quam quæ illi adduntur, & hoc nedum ſit pro primæ rationis defenſione, ſed ſit ſecunda ratio, & ea valde efficax. Neque valet dicere, quod ens illud, quod gratia exempli eſt in animali non ſignificetur, vt diſtinctum ab animali, & ſimiliter in alijs rebus, vt viros illos doctos ait Pererius reſpondere, numquam enim quis negabit, quod animalis vnius, & eiuſdem alius ſit eius conceptus, vt ens, alius vt animal, alius vt corpus, licet identice ſit omnia. alioquin ſi conceptus illi non ſecernuntur, vana eſt quæſtio, ſub quo conceptu prius cognoſcatur illud animal, & quoduis aliud, nam ſic oportet dicere, eſſe vnicum conceptum, quod ſi eſt vnicus, vbi habet locum quæſtio de prioritate, & poſterioritate conceptuum? Ita non eſſet, vt peteremus, cognoſcatur ne vt ſpecies, vt genus, vt ens, quoniam hi conceptus ſunt vnus, quare vel ſub omni æque, vel ſub nullo primo cognoſcetur; Hoc autem eſſet totam philoſophiam in hoc negotio euertere.

Pererius.

Reijcitur.

Et quamuis verum fuerit, hominem gratia exempli eſſe intelligibilem, nedum vt habet rationem entis, ſed & ſubſtantiæ, & corporis, & viuentis, & animalis, & hominis, veriſſimū tamen eſt, omnes hos conceptus ſupponere illum entis, veluti eſſe ſubſtantiæ, corporis viuentis, animalis, & hominis ſuponit eſſe, & illi addit, quare in omnibus illis includitur conceptus entis, & ab ipſis neceſſario præſupponitur. Et quare amabo in cognitione confuſa nolunt illud primo occurrere intellectui, quod eſt omnium confuſiſſimum, conceptum ſcilicet entis? quare nulla ratione volunt, in prima omnium cognitione non ferri potentiam intellectiuam in obiectum ſuum præciſe, cum nullum adſit impedimentum, vt maniſeſtius adhuc ſum oſtenſurus? Et quare confugientes ad hoc, quod in cognitione confuſa non requiratur res cognoſci, vt in ſe eſt, (tunc

Quot conceptui entus tribuantur.

(tunc enim omnia eſſent præcognoſcenda, quoniam ſicut eſſe, ita & diſtincta notitia pendet ex omnibus,) volunt potius agnoſci quid poſterius, & minus commune conceptu entis, & nolunt prius cognoſci id quod eſt communiſſimum, & adæquatum intellectus obiectum? Et hanc doctrinam ſi noueris applicare, videbis penitus ruere primum, & tertium argumentum quorumdam, quos ibidem ait Pererius inuehere in Thomiſtas, quæ argumenta inſoluta ipſe reliquit, petunt enim difficultatem, quod ens non habet aliquam naturam, aliam à rebus ſibi ſubiectis, vnde nequit eius phantaſma elici, quod ſi hæc argumenta concluderent, nedum efficerent, quod ens non prius agnoſceretur, ſed quod numquam cognoſceretur, quod eſt fatuum, quoniam neque in principio, neque vmquam ens dicit aliquam naturam, vt ipſi intelligunt, quare dicito ſemper, quod non dicit quidem aliam naturam, habet tamen proprium conceptũ, qui ſibi eſt ita conueniens, quod non alijs, vt quæſtione de entis analogia videbitur; neque quempiam poſſe dubitare credo, quod licet ens, corpus, viuens, animal, omnia hæc ſint vnum in homine, habeant tamen proprios conceptus, vt dicebatur. Pererius.

Scio Cardinalem Toletum quæſt. illa 5. primi Phyſ. dum reſpondet ad tertiũ pro Auctoris opinione dicere, non eſſe neceſſe, quod primo feratur intellectus in obiectum ſuum, vt abſtractum ab alijs, hoc eſt in conceptum entis vt ſic; Sed hoc voluntarie dicitur, immo id in prima cognitione eſt magis neceſſarium, tum quoniam primus actus in quem exit potentia oportet, quod ſit in ſuum obiectum vt ſic, tum quoniam cum intellectus à principio ſit virtus debiliſſima, nullius conceptus primo poteſt eſſe receptiuus, niſi conceptus ſimpliciſſimi, & imperfectiſſimi, qualis eſt ille entis, vt inter reſpondendum ad argumenta lucidius erit, &c. Toletus. Nõ probatur.

Illud aduertas, has duas rationes æque concludere de omni cognitione, aut poſitis, aut ſublatis impedimentis, vt patere poteſt, nam & in debita quoque obiecti diſtantia, intellectus de extremo tranſit ad extremum, & pari modo ens eſt eius obiectum, &c.

Vide ſi vis alia motiua contra rationem illam primam Auctoris, quæ adferebat Trombeta, & optime hoc loco Caiet. confutabat, & conclude, quod in actionibus ſucceſſiuis, quæ ſunt ſecundum ordinem generationis tantum, tum intellectus, tum natura ſemper procedunt de imperfecto ad perfectum, & ſic cadunt eius inſtantiæ.

Arguo tertio, (& eſt argumentum, quod ſecundo loco adfertur à Caiet.) Cognitio primorum principiorum eſt prima cognitio cõplexa, hoc nullum credo diffiteri, nam talis cognitio ineſt nobis naturaliter, hoc eſt ex notitia terminorum, & principia ideo vocantur principia, quoniam omnium aliorum intellectionem antecedunt, & talis notitia ſpectat ad habitum intellectus, reliqua vero ad ſcientiam, quæ eſt habitus poſterior intellectu, ergo cognitio entis erit prima cognitio incomplexa, probo conſequentiam, quoniam cognitio primi principij abſolute conficitur ex terminis entis; De quolibet ſcilicet verum eſt, quod aut eſt, aut non eſt, quare in primo omnium cognitionum principio iam cadit ens, ergo ſi hoc ens primo non fuiſſet cognitum, ſed quid aliud, tunc ex illo alio termino poſſet facere intellectus aliquam complexionẽ, aliquod principium ſecundum, & ita illud, quod ab omnibus cum Ariſtotele quarto Diuinorum 9. ponitur primum principium, non erit primum, & tamen adeo eſt primum, vt Auerroes ibidem principio ferè comm. dixerit, eſſe manifeſtius omni Cur principia dicãtur principia. Ariſtot. Auerroes.

 propo-

propoſitione, & nullũ decipi in ea, & nullam demonſtrationẽ eſſe demonſtrationẽ, niſi concedendo illam propoſitionem, & licet quidam dixerint, aliter Heraclitum dixiſſe, tamen ait Ariſtoteles eſſe impoſſibile, vt ſic opinatus fuerit, neque enim oportet, vt quæ dicat quis, eadem & opinetur, vt pulchro, & breui exemplo de die, ac nocte exponit circa illum tex. Alexander.

Alexander.

Sed viri illi docti, (neſcio certe an in hoc) ait ibidem Pererius, reſpondent non valere ſimilitudinem de complexis, & incomplexis, quoniam cognitio incomplexorum eſt ſimplex apprehenſio, complexorum autem eſt iudicium, & aſſenſus continens verum, aut falſum; Sed hoc nihil eſt, ſi enim talis cognitio complexorum eſt prima, & ea conficitur ex incomplexis illis, quare & illa incomplexa, quæ illud primum complexum faciunt, non debent eſſe prima? præterea hoc facit pro me, nam ſi complexorum notitia, in qua inuenitur iudiciũ, atque ideo poteſt verum, ſiue falſum reperiri eſt prima, cur non erit prima agnitio illorum terminorum incomplexorum, in quibus nequit eſſe falſitas?

Hinc aliter reſpondent, nimirum, quod licet inter complexa, quæ ſunt principia ſcientiarum, complexum illud de quo loquimur ſit maxime notum, non tamen ſimpliciter inter quælibet complexa, quoniam quiſpiam diceret, propoſitiones illas, quæ conſtant ex terminis ſenſibilibus, maxime quorum vnus ſit ſingularis, alter vniuerſalis, primum verſari in noſtro intellectu; At hoc, & contra Ariſtotelem, & nulla ratione eſt dictum, nam Ariſtoteles illo tex. bis ait, hoc principium eſſe omnium primum, & certiſſimum, & in fine ait, quod eſt primum omnium quoque dignitatum, patet autem, quod principia, quod dignitates, omnia alia præcedunt in intellectu, aliàs non eſſent dignitates, non principia, non fores, vel ianuæ ſcientiarum, qualia appellantur ab Ariſtotele, ſecundo Diuinorum 1. quando dicebat, quis aberrabit à ianua? vbi nomine forium, vel ianuæ omnes exponunt principia, & Auerr. ibi dicebat eſſe prima cognita naturaliter habita à nobis, in quolibet genere entium, & Auctor exempla ponebat de illo principio, de quo loquimur, & dę illo, in quo dicitur, Omne totum eſſe maius ſua parte. Contradicit quoque eidem Auerr. hæc reſponſio, nam vt retulimus inquiebat, tale complexum eſſe manifeſtius omni propoſitione, & certe nequit quicquam imaginari prius, aut certius illo complexo.

Ariſtot.

Quomodo principia, & dignitates vocentur ab Ariſtotele.

Auerroes.

D. Thom.

Tandem reſpondent, id verum eſſe de intellectu iam inſtructo, & exercitato, quod ſcilicet talę complexum ſit ei à principio notum, non autem de intellectu à principio intelligente; Sed certe hæc quoque reſponſio eſt penitus inanis, nam intellectus quoque in principio ſemper addiſcit facillima, & tali complexo nihil ipſi facilius, rurſus quomodo eſſet principium, eſſet prima omnium dignitatum, ſi ſolum intellectui, & exercitato, & iam inſtructo occurreret? tantum abeſſet, vt foret primum principium, quod poſt multa, & multa addiſceretur. Accedit, nil falſius dici poſſe, quam quod prima omnium principia, & prima vniuerſaliſſime, non contracta ad hanc, & illam ſcientiam, cum exercitio, cum prouectione acquirerentur, quomodo enim agnoſcerentur agnitis terminis? quomodo dicerentur intellectui naturalia? Offeras cuilibet intellectui hoc complexum, & ſit intellectus ille rudiſſimus, & ſit in principio addiſcendi, ſtatim illi aſſentiet, & ita aſſentiet, quod oppoſitum non valebit opinari, vt dicebamus cum Ariſtotele, quod dę alijs non ita eueniet, neque eſt vt recurratur ad cognitionem ſenſitiuam, quod nimirum ſit ei æque certum quod videt, quod audit, iam enim ſermo eſt de cognitionę intellectiua, &c. Videas quæſo

totum

totum ferè caput 18. & vltimum ſecundi Poſteriorum,& colliges hanc reſponſionē totum illud cap. deſtruere,immo vero ipſam ab illo toto deſtrui; ibi enim proponebat Ariſtoteles tres quæſtiones, & tertia erat, num cognitio primorum principiorum ſit aliquis habitus à natura genitus, an potius ſit exercitio acquiſitus, velut eſt habitus ſcientiæ, diſputat quæſtionem pro vtraque parte, & quod non ſit à natura, quoniam lateret nos, quod eſt abſurdum, quod non ſit arte acquiſitus, quoniam tunc habitus primorum principiorum deberet generari ex præexiſtenti cognitione,& tunc non ſorent prima principia. Deinde ſoluens quæſtionem ait, quod cognitionem primorum principiorum præcedit in nobis à natura aliqua vis,& potentia,qua ipſa cognoſcimus, nō tamen præcedit aliquis habitus, qui ſit certior ipſis principijs, hæc autem virtus præcedens eſt ſenſus,& intellectus, fit enim ex ſenſu memoria, ex memoria experientia, (vt habetur quoque procœmio Diuinorum cap. 1.) quare tandem ait,habitus principiorum neque eſſe naturaliter genitos, neque ab alijs venari, ſed ſenſu fieri; quomodo ergo eſſe poteſt, vt alia cognitio intellectiua, quæcumque illa ſit præcedat illam primorum principiorum,præſertim eius de quo loquimur,quod inter ipſa principia primum exiſtit?

Ariſtot.

Quid in noſtro intellectu præcedat, & non præcedat cognitionem primorū principiorum.

Vnde arguo quarto; Illud nos primo cognoſcimus, quod facilioris eſt nobis cognitionis quocumque alio, ſed conceptus entis eſt nobis facilior cognitu, quam quicumque alius conceptus, ergo conceptus entis eſt ille, qui primo à nobis cognoſcitur; maior ex terminis videtur clara, nam quod facilius cognoſcitur,primo cognoſcitur, vnde ex notioribus nobis, ac facilioribus procedimus ad ignotiora, & difficiliora,vt mille locis ſcripſit Ariſtoteles, quæ ſuperius citabamus, ratio quoque hanc eandem propoſitionem conuincit, quæ enim cauſa adferri valet, cur hoc primo,illud poſterius à nobis cognoſcatur, niſi quod hoc maiori labore, illud faciliori via nouimus? minor vero licet pateat ex ijs, quæ pro declaratione opinionis noſtræ attulimus,vbi diximus, entis proprietates eſſe omnium patentiſſimas, adhuc tamen probatur, nam quid facilius ab aliquo cognoſcitur, quam ens? occurrat cuiuis intellectui aliquod obiectum, ſtatim percipiet eſſe ens, non autem ſic facile, num homo, num animal, num ſubſtantia, in his namque vel eſt, vel eſſe poteſt dubitatio, de ente vero minime, mox enim percipit eſſe ens, quod ſibi obijcitur, quod ſi non foret ens, non obijceretur.

Quā facile cōceptus entis percipiatur.

Des aliquid concipiendum rudi intellectui, fœminæ, ruſtico, quid vnquam facilius apprædhendet, quam conceptum entis? Neque dicas, non percipiet quale ens, ſubſtantia ne, an accidens, hoc enim eſt pro me, ſufficit mihi, quod concipiat ens, nam modo loquimur de cognitione confuſa entis, & de ſimplici eius apprehenſione, iam loquimur de ente concreto ſenſibili quidditati, quod ſufficit ſolum concipere, & apprehendere, & hanc intellectus facilitatem in ente dignoſcendo, & quo pacto hoc nullo negotio illi fiat obuium, omnibuſque ſit exploratius,acute proſequitur Auicennas primo ſuæ metaphyſicæ cap. 6. & eſt locus citatus in litera.

Auicenn.

Hinc valde admiratus ſum, ne dicam riſum mihi adfuiſſe,dum vidi quoſdam ex noſtra familia, (perpaucos tamen,) nobili ſatis ingenio præditos, qui totum hoc opus de Ente, & Eſſentia, cuius expoſitioni intendo, & quicquid Caietan. Illuſtriſſimus in eius gratiam ſcripſiſſet, vnica concluſione ſuſtinentes,(quod & ego effeci Venetijs, annum agens 21.) hac tamen quæſtione deuiarunt à Caiet. ſiue in principali concluſione, & quidam dixerunt, non ens concretum ſenſibili quid-

quidditati, ſed latiſſime acceptum eſſe primo à nobis cognitum, alij autem reuerentia maiori erga Caiet. ducti dixerunt, ſe in hoc negotio partem habere nolle; Cæterum hæc Caietan. concluſio, quam tota hac quæſtione docemus mihi ſemper certiſſima fuit, nam quid quæſo accipiunt ipſi nomine entis in maximo ambitu ſumpti? non ens abſtractum abſtractione formali, hoc enim difficillimæ eſt cognitionis, & quamuis eo vigerent ingenio, vt tale ens facile agnoſcerent, (quod tamen eſt contra Auctorem, vt primo notabili obſeruabam,) numquam tamen poterit eſſe primo cognitum, nam multa de neceſſitate debent talem cognitionem præcedere, ſed & ſi ipſis omnia demus, numquam attamen hoc ens erit late acceptum, ſed per talem abſtractionem limitatum; Similiter, non ens abſtractum abſtractione virtuali, quoniam neque hoc eſt ampliſſime ſumptum, & nequit primo cognoſci, cum manifeſtum ſit, cognitionem alicuius vt totum quoddam eſt in ſe, præcedere illam, ſecundum quam, idem totum reſpicit inferiora, neque etiam ens, vt concernit quidditatem ſingularem, quoniam ſingulare nequit ab intellectu cognoſci, vt ſupponit hæc quæſtio, & ſubſequens oſtendet, neque vmquam vidi vllum thomiſtam, qui aſſeruerit, ſingulare eſſe primo cognitum ab intellectu, non tandem ens vt dicitur de omnibus, includendo quoque ſuperiora, & abſtracta, hæc enim non modo non primo cognoſcuntur, ſed numquam per propriam ſpeciem attinguntur in hoc ſtatu, ſed in effectibus tantum nobis repræſentantur, neſcio certe imaginari, quid nomine entis huius ſui communiſſime accepti velint dicere; At ſi Caiet. intelligerent, iam viderent, quomodo ipſe ponat ens latiſſime acceptum, (cognoſcibile tamen) eſſe primo cognitum à nobis, nam quid quæſo vult Caiet. & nos cum ipſo, quando dicimus, ens concretum ſenſibili quidditati primo à nobis cognoſci, niſi quod ens in ſumma, & ampliſſima communitate à nobis agnoſcatur? non enim ens abſtractum abſtractione formali, non ens, vt ordinem habet ad inferiora, ſed latiſſime, non hoc, vel illo modo contractum, ſed vt omnem quidditatem ſenſibilem ambit, & concernit, abſtractam tamen à ſingularibus, (quoniã hæc nequeũt intelligi, ſaltem primo) à nobis primo dicimus cognoſci. Oportet ſiquidẽ, quod intellectus intellecturus, aliquam naturam percipiat, aliqua quidditas ei offeratur, quare numquam intelliget, niſi ens quidditati ſenſibili concretum, & cum in eiuſmodi quidditate varij ſint conceptus, ille entis ſibi in omnium prima cognitione primo occurrit; ideo ponimus cum Caiet. ens latiſſime acceptum eſſe primo cognitum, ſed tamen ens cognoſcibile, nullus quippe ignorat dari ens latius, & auguſtius tali ente concreto, abſolute loquendo, at non in propoſito, quod ſcilicet ſit ab intellectu primo, & facile perceptibile, quale iam ens hoc noſtrum patefecimus eſſe.

Quid ſit ens concretũ quidditati ſenſibili primo agnoſci.

Difficultas. Verum contra ens hoc modo ſumptum audiui quoſdam arguere dicentes, quod tunc redit opinio Scoti, quod ſcilicet ſpecialiſſima ſpecies ſit primo cognita, inquiunt enim, quod ens quidditati ſenſibili concretum, à ſingularibus abſtractum, nil aliud eſt quam ſpecies, ſic namque videtur definiri ſpecies, vt ſit quidditas ſenſibilis, à ſingularibus eleuata, &c. Sed multipliciter hæc ratio deficit, primo quoniam ponimus hoc ens concretum quidditati ſenſibili, tum ſpecificæ, tum genericæ, vtramque ſcilicet concernens, & à neutrius ratione abſtractum, vt prædeclarauimus, quare pugnat, tale ens eſſe ſpeciem, deinde, quoniam quamuis quidditas ſpecifica ſit ſupra ſingularia, non tamen omne quod à ſingularibus abſtrahit eſt ſpecies, ſiquidem, & quidditates omnes genericæ, (& varia eſſe genera non latet) ſupra ſingularia eleuatæ ſunt; poſtremo, licet omnis quidditas

Tollitur.

ditas ſic à ſingularibus abſtracta foret ſpecifica, cum tamen in quidditate omni ſpecifica reluceant conceptus ſuperiorum quidditatum, & ille quoque entis, non primo cognoſcitur ab intellectu ſub conceptu ſpeciei, vel generis, ſed ſolum ſub illo entis, ob intellectus debilitatem, ſub intellectionis initium, & ob conceptus entis imperfectionem, atque facilitatem, vt ſecundo notabili innuebatur, &c.

Arguo quinto, ad hominem potiſſimum, contra ſcilicet Scotum, & dico ſic; Illud primo cognoſcitur, quod certius eſt, quam illud de quo poteſt eſſe incertitudo, ſiue dubietas, ſed de omni alio conceptu poteſt eſſe incertitudo, at de illo entis nequaquam, ergo conceptus entis primo omnium cognoſcitur; maior eſt clara, nam tanta certitudo non prouenit, niſi ex eo, quod mox occurrit intellectui, & facillime percipitur, atque ideo prius, minor autem eſt vera, & docetur à ſubtili Doctore 1. ſent. d. 3. q. 2. & 3. & d. 8. q. 3. vbi ait, intellectum poſſe eſſe certum de aliquo, quod ſit ens, dubitando tamen, num ſit ſubſtantia, vel accidens, quod ſi dubium eſſe poteſt de ſubſtantia, & de accidente, quæ immediate per ens ſignificantur, multo magis de conceptu ſpeciei, qui remote valde ab ente exprimitur; Cum ergo de entis conceptu aliqua re intellectui oblata, numquam poſſit eſſe ambiguitas, (pugnat enim, quod quid obijciatur, quin ſit ens,) de quouis autem alio ex ſententia quoque aduerſariorum queat eſſe dubietas, relinquitur, vt conceptus entis ſit certior, ſit facilior, ſit primo cognitus. Scotus.

Vide aliam rationem in Caiet. de imperfectione conceptus entis, nedum quo ad imperfectionem obiectalem, hoc eſt, quod habeat obiectum pauciſſima includens, vt concedebat Trombeta, ſed etiam quo ad imperfectionem euidentiæ, quoniam ſub conceptu entis, magis quam ſub alio quocumque diſtat intellectus ab euidentia, & cognitione aliorum, qui enim cognoſcit de re ſolum quod ſit ens, pauciorem habet cognitionem, quam dum alium conceptum de eadem agnoſcit, quoniam omnis alius conceptus addit conceptui entis, & maiorem parit notitiam, & eſt ceu totum in ordine ad illum entis, ex quo, tamquam ex parte conflatur; Scias autem breui, ac perfacile, quod dum dico intellectum ſub conceptu entis eſſe ineuidentiorem, quam ſub alio conceptu, loquor non de euidentia ſui, hoc enim foret contrarium ijs, quæ paulo ante dicebam de ſumma facilitate, qua percipitur, ſed loquor de euidentia in ordine ad alia, & eſt, ac ſi dicerem, quod intellectus poſitus ſub conceptu entis minora percipit, quam poſitus ſub alio conceptu, ipſum tamen ens ſumma certitudine, & pari facilitate dignoſcit, at hæc eſt minima notitia, quoniam talis conceptus eſt imperfectiſſimus, vtraque imperfectione, & obiectali ſcilicet, & euidentiæ, atque ideo eſt primus, qui cadat in intellectu, & hæc eſt efficacia rationis primæ, quam facit Caiet. hoc loco pro concluſione, cum eiuſdem rationis defenſione. Imperfectio conceptus entis.

Id facile aduertas, tertiam & quartam rationes à me adductas, æque omnino concludere de omni cognitione, ſiue poſitis, ſiue ſublatis offendiculis, nam & intellectus bene obiecto propinquus percipit primo principia prima complexa, ergo & terminos illorum, quæ erat tertia ratio, & ſemper prius cognoſcit, quod eſt ſibi facilius cognitu, quæ erat ratio quarta, &c.

Si alias rationes vis pro concluſione, vide Soncinatem quæſtione illa 11. ſeptimi Diuinorum, & Iacobum Zabarellam libro vltimo illorum 30. cap. 12. vbi nonnulla adfert pro huius ſententiæ confirmatione, & valde amplificat rationem illam, quam nos quarto notabili noſtro reflectebamus in aduerſarios, quod Soncinas. Zabarella.

nimirum

nimirum, conceptus entis ſit longe facilioris abſtractionis, quam ille ſpeciei, vnde dicit eiuſmodi argumentum eſſe validiſſimum omnium illorum, quæ contra Scotum poſſint pro Auctoris opinione adduci, ſed certe rationes à nobis allatæ rem demonſtrant.

Auerroes. Auctoritates non deſunt pro hac ſententia firmanda, vide Auerr. procœmio primi Phyſicorum tractantem de ordine doctrinæ, & commento tex. 4. eiuſdem libri, per totum commentum, & 57. eiuſdem, in medio commenti, & commento 2.3. eiuſdem ſcientiæ, in fine commenti, vbi habet, ſemper à magis vniuerſalibus eſſe incipiendum, & triplicem cauſam aſſignabat in allegato procœmio, primam, quoniam ſunt nobis notiora, ſecundam, ne idem pluries in ſcientia repetatur, tertiam, vt tractatus, & demonſtratio ſit vniuerſalis. Simplic. Themiſt. Vide Simplicium, & Themiſtium circa quartum primi Phyſicorum docentes, communiora eſſe notiora nobis, vt animal, quam hominem, & hunc, quam Socratem, & vterque adfert exemplum de eo quod apparet eminus, & aduenit alicui ipſum intuenti, & Themiſtius ſubdit, quod & rhetores ſolent communia capita prius proponere, Ariſtot. & deinde de vnoquoque genere diſputare, quod & feciſſe inquit Ariſtotelem lib. de prioribus reſolutorijs, vbi ſermonem de ſyllogiſmo ſimpliciter præpoſuit ſyllogiſmo, tum demonſtratiuo, tum dialectico, tum ſophyſtico, & paucis interiectis ait, ſecundum naturam, generalitatem ſpecialitatem antecedere, atque præcurrere. Ioan. Grãmaticus. Apud Ioannem quoque Grammaticum in expoſitione textus quinti eiuſdem libri, habes hæc quæ ex Themiſtio attuli, quo ſcilicet ad rhetores, & ad Auicenna. ordinem ſeruatum ab Ariſtotele in libris reſolutorijs. Vide Auicennam loco memorato, & primo quoque ſufficientiæ cap. 1. dicentem, communia notiora eſſe, Alenſis. quantum ad rationes noſtras. Vide Alexandrũ Alenſem exponentem verba illa ex procœmio Diuinorum, de difficultate vniuerſalium in cognoſcendis ipſis, principalem aſſertionem noſtram omnino docentem, vnumquodque ſcilicet primo nobis occurrere ſub communiori conceptu, & primo omnium ſub illo entis, vbi innuit rationem Auctoris, quomodo ſcilicet prius procedatur ab imperfecto Ariſtot. ad perfectum. Vide Ariſtotelem lib. 1. de partibus animalium cap. 4. non longe à principio vbi ait, ab vniuerſalibus eſſe incipiendum, ob cauſam illã ſecundam, quam allegabat Auerr. quamque fortaſſe hinc ſumpſit, & 6. Topicorum cap. 3. docet, & probat genus eſſe notius ſpecie, (& conſidera hunc locum, quoniam quemadmodum illud eſt prius in eſſe, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, ita illud erit prius in cognoſci, à quo non conuertitur cognoſcendi conſequentia, deinde vide ibi probationem Ariſtotelis,) & primo Phyſic. 57. ait, ſecundum naturam eſſe, vt primo communia dicantur, & deinde circa vnumquodque propria ſpeculari, & quinto Diuinorum 16. ait, ſecundum rationem vniuerſalia eſſe priora, ſecundum autem ſenſum ſingularia; & primo Phyſic. tex. illo quarto inquit, ab vniuerſalibus ad ſiugularia eſſe procedendum; At vero ad hæc, & alia loca, quæ poſſent adferri reſpondent aduerſarij, omnia hæc fore intelligenda de cognitione diſtincta, in hac enim magis vniuerſalia primo cognoſcuntur; Sed certe Ariſtoteles primo Phyſicorum loquitur de confuſa notitia, quod ex triplici ſigno, vel argumento ibi adducto clarum nimis relinquitur, & de toto ſcilicet in ordine ad partes, & de nomine comparato cum definitione, & de pueris appellantibus primo omnes viros patres, & matres, poſterius vero vtrumque determinantibus, hæc enim omnia de cognitione ſolum confuſa procedunt, vt patet, & vt omnes exponunt, & nimis aperte ipſe Ariſt. ait tex. 5. nomen, & totum indiſtincte ſignificare, definitionem autem diuidere in ſingula.

Demum

Demum fauet experientia, allata enim herba, ſcimus ſtatim dicere genus, multoties ignoramus ſpeciem, viſa gemma, genus nouimus, & nonnumquam latet ſpecies, idem in alijs quibuſdam euenit, ergo communia magis ſunt prius nota, ergo ens communiſſimum, erit notiſſimum; Dicent, hoc non prouenire ex eo quod genus ſit notius, quam ſpecies, ſed eo quod nomina ſpecierum ignoramus; Sed & certe veriſſimum eſt, facilius ſemper aliqua cognoſci penes id, in quo conueniunt, quam penes ea, in quibus differunt, in genere autem conueniunt, in ſpecie multa per differentias differunt, ita facilius noſcuntur herbæ, gemmæ, piſces, & alia penes genus, quam iuxta ſpecies, & ſic remanet, notiora eſſe genera, quis autem dubitet, notius adhuc eſſe ens, quam alia genera, cum multa conueniant in ente, quæ tamen in genere differant?

ARTICVLVS SEXTVS.

Refelluntur argumenta pro ſententia contraria.

AD primum, concedo agentia intellectionis eſſe naturalia, & producere eum, quem poſſunt perfectiſſimum effectum, ſed dum dico, eum quem poſſunt, habeo argumenti ſolutionem, quoniam in illo primo nequeunt producere conceptum ſpeciei, ſed ſolum communioris, generis ſcilicet, & entis, ob eſſentialem ordinem, quem demonſtrauimus eſſe inter conceptum entis, & alios, quare hoc non prouenit ex aliqua diſpoſitione contraria, quæ ſit in intellectu ad receptionem conceptus ſpeciei, ſed ſolum ob illum ordinem; quod vt plenius intelligas, ſcias, quod licet ſpecies magis poſſit agere, quam genus, in principio tamen cognitionis non poteſt, quoniam intellectus non eſt aptus illam intelligere, non enim intellectio ſtat in pura receptione, ſed in receptione vitali, quæ eſt ſimul actio, nam vbi rei ſimulachrum recepit intellectus, ſtatim iudicat, ſtatim elicit actionem, in illo autem principio, dato quod intellectus eſſet aptus ad recipiendũ, non tamen ad agendum, non ad iudicandum, quoniam oportet, vt prius diſponatur per conceptus præcedentes, & communiores, quando vero vlterius infertur, ergo numquam producetur conceptus ſpeciei, nulla eſt illatio, quoniam licet generis conceptus ſit perfectiſſimus, qui pro illo temporis momento queat produci, non eſt tamen perfectiſſimus ſimpliciter, nulla autem potentia poteſt in effectum perfectiorem perfectiſſimo ſimpliciter, poteſt tamen pro alia differentia temporis in effectum perfectiorem perfectiſſimo, pro aliqua alia temporis differentia, &c. *In quo ſtet intellectio.*

Ad ſecundum patuit ſæpe reſponſio, & præcipue ex ijs, quæ & primo notabili, & inter quæſtionem dicta ſunt, nos enim loquimur de ſimplici apprehenſione, de confuſa, & de illa, quæ fit via compoſitionis; Metaphyſica autem eſt de ente, & de terminis maxime vniuerſalibus, quo ad cognitionem claram, abſolutam, & illos terminos reſoluendos; Rurſus, eſt de ente abſtracto formali abſtractione, nos loquimur de ente concreto, tandem eſt quoque de terminis vniuerſaliſſimis in cauſando, à quibus potiſſimum eius difficultas oritur, nos loquimur de vniuerſalibus in prædicando. *De quibus ſit Metaphyſica.*

Ad tertium, dicitur primo verum eſſe, quod infertur, multum ſcilicet temporis intercedere debere inter cognitionem entis, & ſpeciei ſpecialiſſimæ, loquendo præſertim de prima alicuius rei cognitione, vt ſecundo notabili dixi.

Reſpondetur ſecundo ſubtilius, negando conſequentiam, nam cum loquamur de notitia confuſa, ad quam non requiritur ſingulorum cognitio, quæ ad conceptum concurrunt, non eſt, vt multum temporis expendatur, confuſe profecto agnoſcitur ſpecies, etiam ſi multos conceptus, qui reuera præcedere deberent contingat ignorari, ſic dicebat Caiet. ſatisfaciens huic argumento, non eſſe neceſſarium in quauis ſpeciei conceptione, ſemper conceptum entis confuſum præformari, ſed ſufficit, ens primo omnium, (ecce primam notitiam abſolute) fuiſſe cognitum. Tandem, cum docuerimus, non eſſe ordinem eſſentialem inter hos conceptus, nullum eſt argumentum.

Caietan.

Ad quartum nego antecedens, quoniam magis coloratum, quam nigrum mouet viſum, & coloratum eſt indiuiduum generis, nigrum autem indiuiduum ſpeciei, quod vero magis moueat coloratum patet, quoniam à remotioribus mouet, & fortius eſt ad mouendum, poſitis enim in æquali diſtantia hoc viuente, hoc animali, & hoc homine, (quod fit, dum videtur homo, in quo hæc omnia ſunt,) prius mouet hoc viuens, deinde hoc animal, deinde hic homo, quoniam prius hominem venientem agnoſco, vt viuens, mox vt animal, & vltimo vt hominem, vbi videmus magis, & prius, & à remotioribus mouere indiuidua communiorum, & generum, quam ſpecierum; neque valet dicere, quod tunc ſenſus decipiatur, non enim interuenit deceptio, niſi quando intelligitur res aliter, quam ſit, in caſu autem conſtat, rem intelligi veluti eſt, quoniam viuens deprehenditur viuens, animal, animal, & ſic de alijs, ſed eſt imperfecta, & confuſa notitia, non autem falſa, hinc vera exiſtente cognitione, cum fortius moueant magis communia, quoniam non impediuntur à diſtantia, à qua impediuntur minus communia, relinquitur, quod prius quoque moueant, & nedum eminus, ſed ſignum eſt à poſteriori, quod ſemper de ſui natura magis prius mouent, ſi enim prius mouent, quando diſtant, cur & præſentia cum fuerint, non prius moueant? Adimit forſan ipſis vim motiuam approximatio? Hoc eſſet contra rationem, & ſenſum, nam quo magis accedit agens paſſo, eo in agendo maiorem vim obtinet.

Quando ſenſus decipiatur.

Dices, non eſt quod ab eis auferatur vt moueant, ſed illud eſt, quoniam illa quæ minus vniuerſalia ſunt, quæ non poterant mouere, dum approximantur, fiunt potentia ad mouendum, & ita magis ipſa mouent; ſed hoc nihil eſt, quoniam ſi potentiora fiunt minus vniuerſalia, non iccirco inualida redduntur magis communia, ſed validiora fiunt & ipſa; præterea, quando propius, & propius accedunt accidentia illa, tum magis, tum minus communia, (nam veniente homine, omnia ſimul veniunt,) peto an moueant, vel non, ſi ſecundum, & falſum eſt, & ſenſui obſtat, non enim viderentur, & tunc quæſtio non haberet locum, mouent ergo, continueq; mouent, ergo & quando ſunt iam præſentia, mouent, ſed ſic eſt, quod ſemper prius mouerunt magis communia, vt probatum eſt, ergo ſemper prius mouebunt.

Obiectio.

Diluitur.

Dices, ſpecies eſt magis immediata indiuiduis, ergo prius debet mouere; Reſpondeo multipliciter, primo propinquitas ad indiuidua nulla eſt, & in hac re extra rem adſertur, quoniam variatur ordo rerum, ab indiuiduis, quæ ſunt ſenſibilia, ad ſpeciem, quæ eſt intellectu perceptibilis, de quo plura quæſtione ſequenti. Dico ſecundo, quod hæc maior immediatio facit pro me, ſpecies enim ideo dicitur propinquior indiuiduo, quoniam totam indiuidui naturam complectitur, & contractior eſt, genus autem dicit ſolum partem, facilius autem dignoſcitur pars aliqua, quam plures, vel omnes ſimul, non inferas autem ſpeciem

ciem eſſe notiorem, propterea quod ſit totum, iam enim vltima obſeruatione circa hoc procœmium vidimus, quomodo totum ſit notius, & ignotius partibus, &c. Dico tertio, æque propinquum eſſe genus ſuis indiuiduis, ac ſpeciem ſuis, nam & genera habent ſua indiuidua, vt hoc animal, hoc corpus, & æque propinquum eſt animal huic animali, ac leo huic leoni. Dico poſtremo, quod quamuis phantaſma ſingulare repræſentans agat in poſſibilem intellectum, & phantaſma illud ſit immediatus ſpeciei, quoniam tamen intellectus agens eſt ille, qui principalius concurrit, (immo ipſe ſolum vere agit,) hinc plus influit in effectum, vnde prius imprimit conceptum magis vniuerſalem, vtpote intellectui poſſibili magis proportionatum in prima cognitione, & etiam ſemper ex natura intellectus, qui immaterialis eſt, & abſtractus, &c. Sic ſoluitur formaliter ſecundum argumentum virorum illorum, quos recenſebat Pererius lib. & cap. allegato. Indiuidua generum.

Ad ſecundum patuit ſolutio non ſemel, & præcipue ex ſecundo notabili per totum, aſſignauimus enim cauſam, quare cum in obiecto, quod offertur ſint conceptus omnes, & magis, & minus communes, priori loco imprimantur illi, & in proceſſu quæſtionis oſtendimus potiſſimum, quare primo omnium ille entis, & quando dicebatur, ſpecies reſultare à phantaſmatibus, quæ à ſingularibus ſunt deſumptæ, ad hoc quoque pluries fuit reſponſum, & præſertim in fine confutationis argumenti immediate præcedentis, &c.

Ad ſextum reſpondeo, in cognitione confuſa, non eſſe neceſſe omnia genera antenoſcere, poteſt namque confuſe agnoſci ſpecies, etiam ſi penitus ignoretur aliquod attributum eius, vel prædicatum eſſentiale, vt dicebatur ad tertium, in cognitione vero diſtincta, res alio modo ſe habet, ſemper tamē requiritur, quod genera ſuperiora, & quædam magis vniuerſalia prius cognoſcantur, & licet non agnoſcatur genus proximum muli, & aſini, tamen ante ipſorum notitiam præceſſit cognitio generum, ſubſtantiæ ſcilicet, corporis, & animalis. Nulla certe eſt hæc illatio, genus proximum muli, & aſini eſt ignotum, ergo in his notitia non incipit à genere, quamuis enim non incipiat ab hoc genere, incipit tamen ab alijs ſuperioribus iſto; eſt ſimilis argumentatio, hic homo non currit, ergo homo non currit; ita ab hoc genere, & ab hoc vniuerſali non orditur notitia, ergo non à genere, & ab vniuerſali; Immo magis roboratur noſtra opinio, quoniam à generibus ſuperioribus in hoc caſu de neceſſitate ordinem ſumimus, cum lateant genera proxima.

Reſpondeo ſecundo ad doctrinam vberiorem, omnia genera præcognoſci, & ſicut dixit Auerr. 3. de anima 36. quod ſciens propoſitionem vniuerſalem, ſcit infinita in potentia, ita dico ipſe, quod ſciens in vniuerſali, ſcit omnia inferiora in potentia, quod eſt ſcire confuſe. Ad Ariſtotelem ſcribentem, quædam genera eſſe inominata, dico illum non dixiſſe, quod ſint ignota omnino, ſed cognitionem diſtinctam negauit, poteſt enim confuſe res percipi, etiam ſi deficiat vox, & nomen, vt patet in mutis, & ſurdis res ipſas confuſe agnoſcentibus, quos tamen nomina, & voces ſcimus ignorare; quando autem innuebamus in annotationibus ad hoc procœmium, quod nominis cognitio eſt principium omnis inquiſitionis, id habet veritatem de notitia, quam acquirimus, vel legendo, vel audiendo, non autem de illa, quæ in nobis naturali via ſenſuum ope acquiritur, & potiſſimum, quando ſit ſtatus in confuſione, vt ita loqui liceat illius cognitionis, nam ſi ad diſtinctam oporteret procedere, certe ipſo nomine opus eſſet. Auerroes. Quomodo intelligatur Ariſtoteles, dū ait quædam genera eſſe inominata. Quando cognitio nominis ſit principium omnis inquiſitionis.

Quod autem, non penitus ignotum, ſed inominatum tantum ſit genus illud,

Ariſtot. colligo ex Ariſtotele ibidem, ait enim, illud genus propinquiſſimum nomine caret, ſed ambo fortaſſe ſunt veluti mulus, vbi cognoſcens illud in confuſo, quærit D.Thom. & ſibi nomen inuenire; & Auctor ibidem dicebat, nos poſſe dicere, genus illud proximum eſſe, vel vocari iumentum, ad cuius ſententiam ibidem declinauit Sueſſanus. Sueſſanus; & Alexander prope finem illius tex. ſcribebat, genus illud non videri, Alexander. quia caret nomine, vbi non omnem notitiam videtur negare, ſed eam ſolum, quæ Auerroes. eſt de viſu, tandem Commentator eundem tex. exponens dicebat, mulum generari à natura ſibi ſimili, & eſt natura communis equo, & aſino, & ex teſtimonio famoſo, nomen muli ſignificare apud antiquos communem naturam, quare non eſt omnino ignoratum tale genus, ſed ſolum proprium nomen deſiderat, & dico proprium, quoniam habere poteſt nomen commune cum genito. Certe ſi tale genus foret prorſus incognitum, non ſciretur eius cauſa, quando cognitio cauſæ alicuius rei ſit bona ex parte ipſius effectus cognitio, ſcitur autem cauſa huius generis, quod nomine caret, nam Ariſtoteles, vt ibidem ait Auerr. in lib. de ani- Ariſtot. malibus ſcribit, ſemen aſini frigidum, ſemen equi calidum, & temperantur apud mixtionem, & fit illic natura media inter equum, & aſinum, locum autem vbi Ariſtoteles hoc innuit puto eſſe, ſecundo de generatione animalium cap. 6. vbi Ariſtoteles nonnihil in hoc negotio adfert, & dat ibi indicium manifeſtum de frigiditate aſini, & caliditate equi, ex qua mixtione cauſam dictam poſſumus Auerroes. elicere, licet ibi Ariſtoteles id non expreſſe dicat, vnde & Auerr. dicebat, hoc ab ipſo innui; non itaque ſunt omnino ignota huiuſmodi genera, quocirca poſſumus dicere, vt in confuſo ſciantur, & ſic duplici via ruit argumentum, & motiuum Zimaræ.

Ad ſeptimum dico, quod magis actuale prius cognoſcitur, quantum eſt ex ſe, eſt enim validius ad mouẽdum intellectum, ob ſui perfectionem, ſed in principio primæ cognitionis alicuius rei non eſt capax intellectus conceptus ſpecifici, nam cum ſit in potentia, ea quæ potentialia ſunt, facilius in illo imprimuntur, quoniam maiorem habent proportionem cum facultate recipiente, & facilius eſt imprimere vnum, quam plura, genus autem, & magis vniuerſale, & potiſſimum ens, vnum tantum eſt, ſaltem in actu, ſpecies vero plura continet actu, quare facilius agnoſcit intellectus, & ens, & magis vniuerſalia; Virtus ſiquidem agen- Vnde ſpectari debeat virtus agentis. tis non eſt ex eo iudicanda abſolute validior, quod maioris ſit perfectionis, (in quo multi falluntur,) ſed penſanda eſt ex maiori eius proportione cum potentia recipiente, & patiente, qualis non eſt inter ſpẽciem, & intellectum in prima cognitione.

Certe, quando duo ad quid concurrunt patrandum, operis euentus ex vtro- Quot, & quæ præcipue concurrant ad intellectionem. que æſtimari debet, non ex altero tantum, duo autem præcipue concurrunt ad intellectionem, obiectum ſcilicet, & potentia, quare ex vtroque metienda eſt, non ex altero tantum, alioquin ſi ex obiecti tantum efficacia ſpectetur, vel intellectio, vel ſenſatio, iam quilibet intellectus plene intelligeret Deum, iam omnis oculus cerneret exacte Solem, quorum vtrumque eſt fatuum; Sed quemadmodum in his neceſſario fit recurſus ad excellentiam obiecti, & ad debilitatem potentiæ, ita faciendum eſt in intellectione prima intellectus, in ordine ad aliquod obiectum, dum admiſcetur maior actualitas, vel efficacia obiecti.

Ad id, quod petitur ex experientia, iam diximus 4. art. quæſtionis, quod ſemper prius aliquid occurrit vt ens, in prima præſertim agnitione, quod & euenit in alijs quoque, at id vt dicebamus fit imperceptibiliter, quod ſi aliquid interdum occurrat, de quo nedum primo non cogitemus quod ſit ens, ſed neque

etiam id vmquam fiat, illud ex eo prouenit, quod prius in nobis anteceſſit cognitio entis, & generum magis vniuerſalium, quorum conceptus iam intellectum diſpoſuerunt, ſed hoc nihil contra nos, loquentes de prima cognitione, quam originalem vocabat Zabarella, non de illa, quæ ſubſequitur, & cuius iam ſpecies præceſſerunt, quæ ab eodem habitualis dicitur; Ex hac doctrina, ſoluitur formaliter argumentum quartum eorundem, quos refert Pererius vbi ſupra, quintum autem, & ſextum, quod eſt vltimum, iam confutata ſunt ex ijs, quæ circa quartum, & quintum art. quæſtionis dicta fuere, &c. Zabarella.

Ad auctoritates varias, quibus dicitur, minus vniuerſalia eſſe nobis notiora, quam magis vniuerſalia, poſſes primo dicere, nullam auctoritatem infringere concluſionem potiſſimam noſtram, in qua aſſerimus, ens concretum primo à nobis agnoſci, nam omnes auctoritates loquuntur de vniuerſalibus, quæ ſunt in prædicamentis, & de generibus, ad hoc, & illud limitatis, non de illo vniuerſali, quod non eſt genus, quod non eſt in prædicamento, quod circuit omnia genera, cuius proprietates ſunt patentiſſimæ, & quod eſt obiectum intellectus; Sed quoniam ſuſtinemus quoque, & merito, in prima cognitione ſemper magis vniuerſalia præcedere, & primo nobis adeſſe conceptum generis, quam ſpeciei, eapropter dicito, quod auctoritates intelliguntur de vniuerſalibus in cauſando, vel de abſoluta eorum cognitione, per viam reſolutionis, non autem de ſimplici, & confuſa ipſorum apprehenſione. Vel dic tertio loco, quod intelliguntur de vniuerſalibus, vt ſunt naturæ poteſtatiuæ, continentes inferiora, de quibus prædicantur, & loquuntur de cognitione diſtincta, ſecundum quam iam in titulo dicebamus, prius cognoſci minus vniuerſalia, quæ ipſorum vt ſic ſunt partes, nos vero loquimur de cognitione magis vniuerſalium, vt ſunt naturæ quædam in ſe, non reſpicientes partes eis ſubiectas, ſed vt ſunt totum quoddam, vel diffinibile, vel eſſentiale, vel actuale. Aut vltimo dicas, quod intelliguntur de vniuerſalibus, quo ad ſecundas intentiones formaliter, ſic enim ex ſingularibus formantur hæ intentiones vniuerſales generis, & ſpeciei, quæ ſunt rebus ipſis poſteriores, de quibus non eſt noſtra quæſtio. Quomodo multipliciter poſſit intelligi, vniuerſalia difficile cognoſci.

Scias tamen, quod dum Ariſtoteles primis verbis cap. 15. ſecundi Poſter. ait, quod facilius eſt definire ſingulare, quam vniuerſale, hoc eſt infimam ſpeciem, ſiue minus commune, vt exponit Auctor, (nam ſingulare non eſt definibile,) loquebatur de definitione, quæ fit via compoſitionis, & reſolutionis, vt ſi debeat definiri hoc modo vniuerſale, inſpiciendæ ſunt definitiones omnium eius inferiorum, à quibus remotis ijs, quæ cuique inferiorum propria ſunt, illud quod remanet omnibus commune, eſt definitio propria illius vniuerſalis ſuperioris, vt ſi velis definire animal hoc modo, inſpicis hominem, & brutum, ſunt enim ſubſtantiæ ſenſibiles, corporeæ, viuentes, & in his conueniunt; ſed aliquid eſt proprium vtrique, quoniam homini eſt proprium rationale, bruto irrationale, remoue ab his hæc ſibi propria, quod remanebit, erit definitio animalis, nimirum ſubſtantia ſenſibilis, corporea, viuens, & hoc modo nullus dubitat, minus vniuerſalia eſſe ad definiendum faciliora, ſed hoc nobis nihil præiudicat, tum quoniam e contra via diuiſionis, quam præcedenti cap. docuerat idem Ariſtoteles, & quem modum maxime congruum ad quod quid eſt indagandum iure dicebat Auctor ibidem, principio lectionis 16. (eſt enim facilior, ac breuior, & per media pauciora,) magis vniuerſalia primo occurrunt, tunc etenim deſcenditur à ſummis, vſque ad infima, per media, tum quoniam illo modo reſolutiuo, habetur notitia animalis diſtincta, nos vero loquimur de confuſa, (quod conſideraſſe Ariſtot. D. Thom.

deraſſe

Caietan. deraſſe videtur & Caiet. ſuper illa verba Ariſtotelis prope finem cap. apud ipſum decimi,) tum quoniam, tunc habetur cognitio magis vniuerſalis, vt eſt etiam totum virtuale, aſcenditur ſiquidem per cognitionem virtualem, quoniam inſpicitur, quomodo ſit in hoc, & illo ſibi inferiori ipſum animal commune ſuperius, nos autem loquimur de notitia ſolum actuali, tum tandem, quoniam non ait Ariſtoteles, ſpeciem eſſe ſecundum ſe notiorem genere, ſed quod procedendo methodo illa reſolutiua, (& hoc conſidera) facilius eſt definire ſpeciem, ſeu minus commune, quam genus, ratione videlicet ipſius viæ, adeoquod maior hæc facilitas eſt tantum in tali via, non autem in ipſa cognitione abſolute; hinc nulla eſt argumentatio, per hanc viam facilius agnoſco ſpeciem, quam genus, ergo ſpecies eſt notior, ſtat enim, quod ſecundum ſe, & iuxta alias methodos, illud ſit notius iſta.

Ex quibus habes, nedum quomodo locus ille, qui à multis cenſetur validiſſimus contra noſtram opinionem de primo cognito, nullus ſit contra nos, ſed etiam, non eſſe in Ariſtotele contradictionem, dum proœmio primi Phyſicorum ait, eſſe à magis vniuerſalibus, ad minus vniuerſalia progrediendum, ibi autem, facilius eſſe definire minus vniuerſalia; Neque aſſentias nonnullis, eo modo hæc loca conciliantibus, vt primo Phyſicorum loquatur de cognitione confuſa, ſecundo autem Poſteriorum de diſtincta, & quod genus primo adſit notitia confuſa, ſpecies autem primo notitia diſtincta, licet enim primum ſit veriſſimum ſecundum tamen eſt falſiſſimum, cum enim ſpecies definiatur per genus, (ſumimus quippe ipſam, vt eſt totum actuale,) nequit vmquam haberi diſtincta cõgnitio ſpeciei ſecundum ſe, niſi prius cognoſcatur & genus, vt in titulo obſeruabatur; Habes & tertio, quomodo argumentum illud quarto loco à me adductum pro noſtræ ſententiæ confirmatione, de faciliori cognitione nullo modo queat ab aduerſarijs ſubterfugi, nam & ipſi, dum volunt probare, minus vniuerſalia eſſe priora cognitione, id efficiunt ex eo quod facilioris ſint notitiæ, ſic idem eſt, facilius, & prius aliquid cognoſci, &c.

Denique breuiter ſcias, quod cap. 2. quinti Topicorum, (qui locus in nos Ariſtot. adducebatur,) quando inquit Ariſtoteles, proprium eſſe notius nomine proprij, non accipit ſpeciem, ſed paſſionem, vt ibi patet, paſſio autem eſt notior, quoniam eſt effectus, quippe qui effectus cauſis ſunt notiores, quare locus ille non eſt ad propoſitum, &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Eadem argumenta reflectuntur.

VT magis appareat infirmitas ſententiæ oppoſitæ, & firmitas noſtræ, poſt reſponſiones datas argumentis, quibus illa fulciebatur, eadem contra ipſos retorqueo, & licet hoc idem quo ad nonnulla fœliciter antea me præſtiterint Vincentius Vincentius Calcius Soncinas ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Venuſinus, vir Calcius. ſublimis ingenij lib. ſuo de methodis in octo libros Phyſicorum, methodo 6. Zabarella. primi libri, & Zabarella lib. ſæpe citato cap. vltimo, ego tamen omnia argumenta adducta conuertere ſtatui, & aliquas reſponſiones reijcere, quas in lectionibus, & concertationibus publicis pro illorum argumentorum defenſione adhiberi olim intellexi.

Erat

Erat primum argumentum Scoti, Cauſæ naturales non impeditæ producunt effectum, quem poſſunt perfectiſſimum: Hanc propoſitionem conſtituo mihi antecedens, deinde formo hanc conſequentiam, ergo primo cognoſcitur ab intellectu conceptus diſtinctus ſpeciei ſpecialiſſimæ, hic enim eſt perfectiſſimus effectus, qui poſſit ab illis produci, & perfectior eſt confuſo conceptu eiuſdem ſpeciei; Vlterius addo, ergo numquam producent hunc effectum, qui eſt conceptus diſtinctus ſpeciei, probo per ſuum diſcurſum, quoniam nulla potentia poteſt in effectum perfectiorem perfectiſſimo, ſed effectus perfectiſſimus, quem tunc poſſunt producere, eſt conceptus confuſus ſpeciei, ergo numquam producetur conceptus perfectior iſto, ſed conceptus diſtinctus eiuſdem ſpeciei eſt perfectior illo, ergo numquam producetur.

Si dicant, non produci quemcumque effectum perfectiſſimum, ſed talem, qui poſſit pro illo priori produci, ſic etiam & nos reſpondemus illi, vt patet, & tunc non eſt vera vndequaque illa propoſitio, Cauſæ ſcilicet naturales non impeditæ producunt effectũ, quem poſſunt perfectiſſimum, iam enim fit recurſus ad diſpoſitionem patientis, & dicitur, quod nequit produci diſtinctus conceptus ſpeciei, quoniam non eſt capax intellectus, &c. Præterea, iam illæ cauſæ, quas Scotus dicit non impeditas, ſunt impeditæ in hoc, quod nequeunt producere talem effectum, quod tamen probandum erat Scoto, ſicut quoque è regione probare debebat, non eſſe impeditas à productione conceptus confuſi ſpeciei ſpecialiſſimæ.

Audiui ego reſponderi huic noſtro diſcurſui, quod non ſequitur, debere produci primo conceptum diſtinctum ſpeciei ſpecialiſſimæ, quoniam in vno, & eodem ſemper imperfectum antecedit perfectum, atque ideo conceptus confuſus ſpeciei, tamquam imperfectus debet neceſſario præcedere conceptum diſtinctum, qui eſt perfectus, in diuerſis autem, hoc non eſt neceſſarium, ſic non exigitur, vt conceptus generis antecedat illum ſpeciei; Sed hæc reſponſio eſt magis ingenioſa, quam vera in hoc propoſito; Omitto, quod iam non abſolute, ſed contracte admodum oporteat adhuc accipere illud axioma Scoti, quo ait, Cauſæ naturales non impeditæ, &c. limitandum enim eſt ad conceptum confuſum cuiuslibet rei, non autem poteſt ad diſtinctum extendi, & tamen non ille, ſed iſte eſt perfectiſſimus; Omitto, quod ſecunda inſtantia non tollitur, quæ inferebatur, numquam poſſe diſtinctum ſpeciei conceptum produci, reſponſio illa adhuc nihil adfert, licet enim abſolute non oporteat, vt in rebus diuerſis imperfectum antecedat perfectum, id tamen neceſſarium eſt in rebus eſſentialiter ad inuicem ordinatis, & hoc nullus negabit, cum nil aliud ſibi velit ordo, & aliqua eſſe inter ſe ordinata, quam quod vnum antecedat aliud, quis autem negabit, hunc ordinem reperiri inter genus, & ſpeciem? quis diffitebitur, genus neceſſario antecedere ſpeciem? an non omnes hoc docent, qui ſuper Porphyrium ſcripſerunt, dum rationem aſſignant, cur prius de illo, quam de hac verba fecerit?

Obiectio.

Reijcitur multipliciter.

Quid ſit de ratione ordinis.

Quod vero conceptus entis ſit eſſentialiter ordinatus, & magis, quam alius quiſque, & ad omnes neceſſario præſupponatur, iam demonſtratum fuit; Quare hanc reſponſionem in illos quoque retorquebo, & dicam ſic, nequit primo produci in intellectu conceptus diſtinctus ſpeciei, ſed oportet confuſum præcedere, quoniam neceſſario imperfectum antecedit perfectum in vno, & eodem, ſed neceſſario quoque ob ordinem eſſentialem inter genus, & ſpeciem, genus imperfectum debet præire ſpeciem perfectam, ergo non poterit primo in intel-

lectu

lectu produci conceptus ſpeciei, ſed neceſſario præcedet ille generis, vel ille entis, quoniam nomine generis in propoſito accipio omne communius ipſa ſpecie; concluſio eſt deſtructiua reſponſionis, & rationis pro Scoto, minor eſt probata abunde in proceſſu quæſtionis, & hic inſinuata, maior eſt illorum reſponſio, &c.

Erat ſecundum argumentum, quod ſi magis vniuerſalia forent primo cognita, tunc primo loco eſſet addiſcenda Metaphyſica, quod eſt contra Auicennã, &c. Retorqueo, & dico ſic, ſi minus vniuerſalia eſſent primo cognita, ergo libri particulares philoſophiæ naturalis, veluti de anima, de cœlo deberent præire libros octo phyſicorum; conſequentia eſt clara, quoniam in illis partibus agitur *Reſponſio.* de minus communibus, quam in libris de phyſico auditu; Scio, quod reſpondent, negando illationem, & cauſam adferunt, quoniam nunc eſt ſermo de notitia confuſa, ordo autem ſcientiarum ſumendus eſt penes cognitionem diſtinctam, ſecundum quam notius eſt id, de quo agitur in libris auſcultationis phyſicæ, quã *Infirmatur.* in alijs partibus philoſophiæ naturalis; Sed ſic reſpondentes non vident, quomodo magis in ipſos redarguatur argumentum, nam tunc philoſophia diuina eſſet primo addiſcenda, probo, quoniam agit de vniuerſaliſſimis, & magis vniuerſalia apud omnes, & ipſos quoque ſunt primo cognita cognitione diſtincta, quam minus vniuerſalia, Quod ſi dicant, vtique fore primo addiſcendam, ratione terminorum magis vniuerſalium, quo ad prædicationem, ſed huic, impedimento eſſe terminos vniuerſales in cauſando, iam argumentum ſuum non eſt ad propoſitum, quoniam volunt probare magis vniuerſalia non primo cognoſci, & tunc adducerent argumentum de vniuerſalibus in cauſando, quæ nihil faciunt ad quæſtionem, quæ tota verſatur in vniuerſalibus quo ad prædicationem, præterquam quod & reſponſio in ſe falſa eſſet, quoniam nedum quo ad illa vniuerſalia cauſalitatis, ſed & quo ad ea prædicationis, quo modo à diuino philoſopho tractantur, (abſtracta ſcilicet formali abſtractione) eſt vltimo loco metaphyſica addiſcenda.

Erat tertium argumentum, quoniam tunc multum temporis intercederet inter cognitionem entis, ſiue magis vniuerſalis, & cognitionem ſpeciei, quoniam multa genera mediant, ſed redarguo & ipſe dicens, quod ſimiliter ſi ſpecies primo cognoſceretur, multum tempus requireretur, antequam dignoſcerentur ſuperiores conceptus, quoniam ſicut in deſcenſu multa mediant, ita profecto & in aſcenſu; Si dixerint, non oportere omnia media neceſſario agnoſcere, idipſum dicemus & nos, veluti dictum fuit, dum hoc argumentum confutabatur.

Subtilis reſponſio. At ſubtiliter certe audiui à viris doctis huic argumento reſponderi, non eſſe videlicet parem rationem, quoniam in inferioribus actu continentur ſuperiora, in iſtis autem virtute tantum continentur illa, modo longe facilius eſt cognoſcere, quæ in aliquo ſunt actu, quam quæ in potentia tantum inueniuntur; cum ergo ſpecies ſit inferior, omnia ſuperiora actu claudit, & ita nullo negotio ſi ipſa primo cognoſcitur, agnoſcũtur & ſuperiora, at quoniam in ente virtute dumtaxat ſpecies continetur, ideo non tanta facilitate percipietur ſpecies; ſic deſcendendo, requiritur magna temporis mora, non autem aſcendendo. Vera *Sed extra rem adfertur.* quidem eſt hæc doctrina, & ſubtilis, non tamen huic propoſito ſeruit, non enim eſt ſermo de notitia diſtincta, ſed de confuſa, patet autem, quod ad alicuius rei agnitionem confuſam, ſufficit videre id, quod quoquo modo in ea elucet, & quoniam in ente omnia virtute, & ſecundum quid, & confuſe clauduntur, ideo

ab ente

ab ente quoque ad ſpeciem deſcendendo, non requiretur temporis interſtitium, ſed mox in ente agnoſcetur, & aliquo modo confuſe ſpecies, quod ſufficit ad primam cognitionem, de qua loquimur. Quare velut nolunt illi interuenire moram, à ſpecie aſcendendo, quoniam in ipſa clare dicunt omnia fulgere, ita neque nos ponemus interualla ab ente deſcendendo, quoniam ibi omnia virtute ſunt, quod ſat eſt quæſtioni noſtræ, quod ſi ad diſtinctam notitiam confugiant, iam nihil ad propoſitum de primo cognito, quod attingitur confuſa notitia, &c.

Erat quartum argumentum, quod illud primo eſt cognoſcendum, quod fortius, & efficacius mouebat ſenſum, &c. quod ſanè argumentum nedum patuit, quomodo confutari, ſed & quomodo in ipſos reflecti poſſit, & debeat, ſic arguendo, ſingularia entis, & magis vniuerſalis fortius mouent ſenſum, ergo prius ens, & magis vniuerſale cognoſcitur, conſequentia eſt ratio ſua, antecedens autem, dum argumentum confutabatur, longo progreſſu fuit probatum.

Dicebatur in quinta ratione, quod rei materialis quidditas erat obiectum intellectus, atque ideo in illa quidditate debebat primo intueri intellectus ſpeciem; reflecto in hunc modum; Illud primo in ſpecie oblata debet cernere intellectus, quod eſt ſibi magis ſimile, ac proportionatum in principio intellectionis, ſed conceptus entis, & magis vniuerſalium ſunt ſibi in prima cognitione magis proportionati, & ſimiliores, ergo illi ſunt primo ab intellectu cernendi, vera maior, quoniam ſi ſimilitudo eſt cauſa cognitionis ex primo de anima 26. & 33. quod magis ſimile erit cæteris paribus, primo cognoſcetur, minor eſt iam probata, & præcipue in reſponſione ad ſeptimum, & concluſio eſt redargutio huius quintæ rationis.

Arguebatur ſexto, quod vel omnia intermedia magis vniuerſalia ſcirentur, vel quædam tantum, &c. conuertitur hoc modo, aſcendendo à ſpecie ſpecialiſſima ad ſuprema genera, vel ſcire omnia oportet, vel quædam, ſi omnia, iam nullum genus foret ignoratum, contra Ariſtotelem, ſi quædam, non videtur maior ratio de vno, quam de alio, &c. eodem quippe paſſu procederet argumentum contra illos, quo & contra nos.

Septimo obijciebatur, quod ſpecies ſit magis actualis, ergo primo cognoſcibilis, tunc retorqueo, ergo ſpecies diſtincte prius cognoſcitur, probo conſequentiam, quoniam ſic eſt actualior, ergo Deus primo cognoſcitur, quoniam eſt in ſummo actualitatis; reſpondebunt certe ſequentes Doctorem ſuum hac eadem q. 2. diſt. tertiæ primi ſent. prope finem quæſtionis, in reſponſione ad primum principale, quod ſequitur, hæc eſſe primo cognoſcibilia, & præcipue glorioſum Deum, non autem eſſe primo cognita, ſic enim gloſſat Ariſtotelem, quando 2. Diuinorum 4. ait, rem ita ſe habere ad veritatem, velut ſe habet ad entitatem, explicat de veritate, & euidentia rei in ſe, & ex parte ſui, non autem, quod ſic ſe habeat ad cognoſci, niſi in ordine ad intellectum diuinum, &c. Scotus. Ariſtot.

Applicetur itaque hæc ſui doctoris doctrina argumento huic ſeptimo, & videbitur, quod vtique ex parte ſui eſt magis agnoſcibilis ſpecies, non autem eſt primo cognita intellectui, ob rationes, quæ allatæ ſunt, & præcipue in reſponſione ad primum, & ad hoc idem argumentum. Sed magis adhuc reflectis hoc argumentum dicendo, quod eſſe in actu exiſtentiæ materialis, non arguit maiorem cauſam cognoſcibilitatis ab intellectu, tunc enim primo & magis agnoſcerentur ſingularia materialia, quod eſt pariter contra illos, ſed eſſe in actu tali, hoc

Cuius actus exiſtentia arguat, & non arguat maiorem cognitionis cauſam.

hoc eſt abſtracto ab indiuiduis, & exuto conditionibus indiuidualibus, illud eſt ratio prioris cognoſcibilitatis noſtro intellectui, & quoniam in tali actu ſimilior, & magis proportionatus eſt conceptus magis vniuerſalium, quam ſpeciei, ideo etiam ex hoc capite maioris actualitatis, loquendo de actualitate proportionata intellectui, ſicut de neceſſitate eſt loquendum, & eorum Doctor loquitur, & ratio conuincit, (quoniam debet conſiderari proportio agentis ad paſſum, vt inter hoc argumentum confutandum dicebam,) colligitur, entis conceptum, & cuiuſuis magis vniuerſalis eſſe primo nobis notum, quam illum ſpeciei athomæ.

Quando confutabatur argumentum ſumptum ab experientia, ſimul etiam docebatur, vnde à quouis poſſit reflecti, nedum enim dictum fuit, non concipi primo conceptum ſpeciei, ſed ſemper illum entis, in prima maxime cognitione.

Auctoritates, iam vidimus quomodo, vel non adducantur ad propoſitum, vel etiam earum nonnullas pro nobis facere Et hæc de ſeptimo, & de hac famoſa nimis quæſtione de primo cognito, ex qua verum relinquitur, id quod dicebat Auctor prima parte huius procemij, cum Auicenna, ens nimirum, & eſſentiam primo cadere in intellectu; & hæc quæſtio ſufficeret pro hoc dicto, in cuius rei ſignum Caiet. Illuſtriſſimus alias quæſtiones non formauit; Verum, quoniam tota hæc quæſtio ſemper ſuppoſuit, vniuerſale primo à noſtro intellectu percipi, ne falſum videamur nobis præfixiſſe, & quoniam alij plerique oppoſitæ parti adhærent, & rationes in infinitum multiplicant, vt facile appareat, rem veriſſimam nos ſuppoſuiſſe, eapropter de modo, & via, qua cognoſcit intellectus ſingulare, agere decreui.

D.Thom.

Caietan.

QVÆSTIO SECVNDA.

Num, & quomodo ab intellectu humano percipiatur ſingulare materiale.

INVESTIGO, quonam pacto ſingulare ab intellectu percipiatur, quamuis etenim non pauca ex ijs, quæ præcedenti quæſtione habita ſunt, prudẽs lector facili negotio poſſit huic loco accommodare, ſigillatim tamen quæſitum hoc expendendum eſt, ex quo viciſſim nonnulla poterunt elici pro præcedenti quæſtione. In quo dilucidando, ſex præcipue faciam, enarrabo primo eius ſenſum, adducamque opiniones varias, cum fundamentis potioribus, ſecundo adferam vnam concluſionem bimembrem negantem, circa quam digrediar pro declaratione, & confirmatione eiuſdem, tertio oſtendam, non poſſe in via Auctoris, & veritatis oppoſitum præfatæ concluſionis tueri, falſas quaſdam vias in eius doctrina reijciens, quarto concluſionem affirmantem adducam, & declarabo, quinto aliam aſſertionem negantem ſtatuam, & defendam, & firmabo, vltimo confutabo rationes 2. art. formatas, &c.

M ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit quæſtio, & multorum in ea placita.

RES eſt manifeſta, difficultatem verſari in cognitione intellectiua, ſenſitiua namque, nedum ſingularia apprehendit, ſed & ea tantum, vt docent omnes, quare de ipſa non eſt quæſtio. Cum autem ſingulare ſit in duplici differentia, quoddam ſcilicet materiæ coniunctum, & aliud ab ipſa materia ſecretum, vt ſunt Intelligentiæ, & prima Cauſa, de vtriſque ſingularibus mouetur quæſtio, licet tota difficultas ſit verſatura in ſingularibus cum materia complicatis.

Cumque quidpiam multipliciter poſſit cognoſci, & primo ſcilicet, & ſecundo, & directe, & reflexe, & conceptu proprio, & alieno, & immediate, & arguitiue, de omnibus modis cognoſcendi quæritur, num ſcilicet primo cognoſcatur ſingulare, num directe, num conceptu proprio, num immediate, &c.

Adeo quod, oblato Alexandro, qui eſt ſingulare quoddam materiale, quæritur, num cognoſcatur ab intellectu, nedum ea ratione, qua res quædam eſt materialiter, ſed vt formaliter eſt ſingularis, conſtans ſcilicet proprietatibus ſuis, ac conditionibus indiuidualibus, ita vt hæc omnia quouis modo intellectus percipiat, intellectus inquam humanus, non enim vel diuinus, vel angelicus intellectus cadit ſub hac quæſtione.

Quibus viſis: Multi cenſent, ſingulare nedum directe, ſed & primo omnium
ab intellectu agnoſci, quos habes citatos ab Aquario, dilucidatione ſua 13. ſuper Aquarius.
ſeptimum Diuinorum, & à Dominico Banneſio ſuper art. 1. q. 86. p.p. quos no- Bannes.
uiſſime ſecutus eſt Zabarella libro vltimo de rebus naturalibus cap. 5. Alij vero Zabarella.
cenſent, non quidem primo percipi, ſed tamen directe, qui etiam auctores ab
eiſdem allegantur, quibus addere poſſumus Toletum Cardinalem, & Gregorium Toletus.
de Valentia, quorum ille 3. de anima q. 12. in 2. concluſione, docet intellectum Greg. de Va-
per propriam ſpeciem cognoſcere ſingulare, velut facit & ſenſus, corrigitq; ſen- lentia.
tentiam, quam docuerat primo Phyſicorum q. 5. huic ferè omnino oppoſitam;
Iſte autem ſuper primam par. q. 84. 85. & 86. puncto primo, ſecunda aſſertione, hoc ipſum valde probabile aſſerit. Alij fatentur, ſingulare cognoſci tantum
reflexe, ſed per proprium ipſorum conceptum, ceu Franciſcus Ferrar. 1. cont. Ferrarienſis.
Gent. cap. 65. circa octauam rationem, cui Banneſius loco memorato adhæſit; Bannes.
Alij docent, ſingulare nedum non cognoſci primo, & directe, ſed neque per
conceptum proprium, at in alio, & arguitiue, velut Capreolus, vt poteſt col- Capreolus.
ligi ex primo ſent. diſt. 35. q. 2. dum reſpondet ad 15. argumenta Garronis in hac
materia, & Caiet. p.p.q.57. art. 2. ſub initium, & quæſt. 80. art. 2. in ſolutione ſe- Caietanus.
cundi dubij, circa reſponſionem ad ſecundum, & Dominicus à Flandria ſeptimo Flandrien.
Diuinorum, q. 21. art. 1. & 2. quos ſecutus eſt Aquarius dilucidatione allegata, Aquarius.
& prope finem dilucidationis decimæ, ſuper primum Diuinorum, & antea quoque in additionibus ad quæſtiones Ferrarienſis 3. de anima, additione 13. Alij
tandem volunt, nullo modo prorſus cognoſci ab intellectu ſingulare, vt Marcus Genua.
Antonius Genua in quæſtione, quam format ſuper octauum 3. de anima, &
Antonius Scaynus cap. 4. ſuarum paraphraſum in primum Diuinorum, quo fit, Scaynus.
vt in tanta opinionum varietate, quamplurima adſint argumenta, & latiſſimus rationum cumulus aggregetur. Ipſe quidem referam nonnulla argumenta eorum, qui volunt ſingulare, vel primo, vel directe, vel per conceptum proprium

agnoſci, quamuis omnia ferè fuerint à Capreolo loco præfato, & etiam in ſecundo d.3.q.2. ad argumenta Durandi tertio loco adducta contra octauã concluſionem egregie certe confutata, ſimiliter multa, & magis præcipua à Caiet. locis expreſſis, & à Ferrar. q. 13. ſuper tertium de anima, & deinceps à permultis doctiſſimis Thomiſtis, præcipue à Dominico à Flandria, vbi ſupra, à Iauello q. 16. ſeptimi Diuinorum, ab Aquario, & Banneſio locis nominatis, & ab alijs; Quoniam tamen plerique recentiores contra quaſdam reſponſiones datas à viris clariſſimis inuehunt, ideo motiua antiqua magis valida vnico argumento claudam, & alia quædam referam, quæ occaſionem præbent dilucidandi hoc negotium, & videbimus, quomodo nihil concludant ea, quæ contra allegatos doctores adferunt moderni.

Octo argumẽta cõplectitur hæc ratio. Arguitur itaque primo, vt probetur, quod ſingulare ſit primo cognitum, tum quoniam magis habet de entitate, quam vniuerſale, tum quoniam eſt facilioris cognitionis, cum ſit quoddam confuſum, tum quoniam ſcientiæ pendent ex principijs, quæ ex inductione ſingularium in pueritia nouimus, tum quoniam intelligens 3. de anima 39. ſpeculatur phantaſmata, & ad ea in omni intellectione ſe conuertit, quæ conſtat eſſe ſingularia, tum quoniam ex ſingularibus agnoſcitur vniuerſale, dum ope inductionis colligitur, tum quoniam ſenſus terminatur ad ſingulare, à quo debet incipere intellectus, cum ſint facultates ſubordinatæ, tum quoniam obiectum præcedit potentiam, vniuerſale autem non præcedit intellectum, ſed fit ab illo, tum demum quoniam à ſingularibus fit abſtractio, & oportet noſſe id, à quo abſtrahitur, & ita octo medijs videtur concludi, ſingulare à nobis agnoſci primo.

Totidẽ hæc. Arguitur deinde probando, quod ſi non primo, ſaltem directe cognoſcatur ſingulare, tum quoniam intellectus facit exempla, quæ ſunt de ſingularibus, tum quoniam practicus intellectus in nullo alio, præterquam in ſingularibus occupatur, tum quoniam ponit intellectus conuenientiam, & differentiam inter vniuerſale, & ſingulare, tum quoniam 18. 3. de anima, intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, ergo & ſingularia, tum quoniam imponit nomina ſingularibus, & ea amat voluntas, quæ ſanè nihil reſpicit, niſi quod ei obtulerit intellectus, tum quoniam effectus repræſentat cauſam ſuam, cur ergo non repræſentabitur phantaſma, quod eſt cauſa ſpeciei intelligibilis? &c.

Ad idipſum arguitur, ſi nequit ſingulare ab intellectu directe percipi, aut id prouenit ratione ſingularitatis, aut ratione materiæ ſenſibilis, & corruptibilis, aut ratione intellectus agentis, aut ratione ſpeciei intelligibilis, non primum, tunc enim Deus, & entia abſtracta non eſſent intelligibilia, non ſecundum, quoniam intellectus abſtrahit ab exiſtentia, & præſentia, in quibus tantum eſt ipſa actualis corruptio, & præterea, neque vniuerſale intelligeretur, cum & in illo inſit materia. non tertium, quoniam ſi fuerit ſingulare depuratum à ſua præſentia exteriori, & craſſa, erit ſatis purgatum, relucente tamen in ipſo ſua ſingularitate, non quartum, quoniam non eſt de eſſentia ſpeciei, vt ſit vniuerſalis, vt plura repræſentet, eſt enim de eius eſſentia, vt ſit tantum ſimilitudo illius, quod repræſentat, quare &c.

Tandem argumentor, nam quod intellectus non intelligat ſingulare, aut id euenit ſibi ratione ſuæ perfectionis, aut ratione imperfectionis, non primum, quoniam intellectus diuinus, & angelicus, qui perfectiores ſunt, percipiunt ſingularia, non ſecundum, quoniam facultas ſenſibilis longe intellectu imperfectior illa cognoſcit, &c.

Con-

Confirmatur, quoniam medium debet participare naturam extremorum, ſed in facultatibus creatis cognoſcentibus, extremum locum imperfectionis tenet vis ſentiens, extremum perfectionis intellectus angelicus, vt dicit Auctor p.p.q.85. art.1. & hic, & ille percipiunt ſingularia, quare hoc negabitur ab humano intellectu, mediam ſedem habente inter hæc duo extrema? D. Thom.

Arguo tertio loco, principaliter probãdo, quod ſi neque primo, neque directe percipiatur, ſaltem habeatur eius proprius conceptus ab intellectu, tũ quoniam habet intellectus verbum mentale de ſingulari, ratiocinatur enim de illo, verbum autem in via Auctoris nil aliud eſt, quam conceptus, tum quoniam adſunt voces explicantes ſingularia, ergo & conceptus, cum nil aliud ſit vox, quam ſignum conceptus, tum quoniam ad recte iudicandum de aliqua re, exigitur cognitio, non quæcumque, vel in confuſo, & in alio, ſed diſtincta, vt habet Auctor p.p.q.84.art.8. ſub initium, patet autem, intellectum iudicare de ſingulari, & practicum intellectum operari diſtincte circa ſingulare, ergo illud diſtincte percipit, ergo proprio conceptu, tum quoniam non datur actus intelligendi in viatore ſaltem, qui non habeat pro termino verbum, vel conceptum, ſed intellectus exercet actum intelligendi circa ſingulare, ergo huius actus debet proprius conceptus aſſignari, tum vltimo, quoniam Auctor p.p.q.86.art.1. in calce ait, quod intellectus format hanc propoſitionem, Sortes eſt homo, ergo habet conceptum huius propoſitionis, ergo ſubiecti, & prædicati, ſed ſubiectum eſt ſingulare, ergo &c.

Et hæc quo ad primum, ſi facile aduertas, quod rationes primi dicti faciunt pro ſequentibus, & ſimiliter rationes ſecundi faciunt pro tertio, nam valet, ſi primo ſingulare cognoſcitur, ergo directe, ergo proprio conceptu, ſimiliter ſi directe, ergo proprio conceptu, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo noſter intellectus non agnoſcat ſingulare.

DOctor Angelicus vbicumque de ſingularium notitia locutus eſt in ordine ad intellectum noſtrum, ſemper expreſſe, & docte docuit, ea nedum non cognoſci primo, ſed neque directe, at ſolum reflexe; ſic quæſtionibus diſputatis 9. de Anima art. 2. pluries in corpore, & ad argumenta, ſic de Veritate q. 2. cui titulus eſt de ſcientia Dei, art. 6. per totum, & q. 10. cui titulus eſt de mente art.5. ſic primo con. Gent.65. octaua ratione, ſic ſecundo eorundem, 100. ratione ſecunda, & fuſius tertia, ſic p.p.q.14.art.11. ad primum, & q.57. art.2. & q.85. art.1. & 3. & q. 86. art.1. Vnde ad mentem ipſius & pro veritate pono concluſionem duplici ex parte conſtantem, quarum vtraque ex ſe vna eſt concluſio, at quoniam nequeunt commode ſeparatim explicari, ideo vtramque vnica concluſione claudo. Varia D. Thomæ loca.

Concluſio hæc eſt: Noſter intellectus, neque primo, neque directe percipit ſingulare. Pro cuius plena cognitione, & confirmatione, multa obſeruare oportebit, & illud præmitto, me ſupponere in præſentia, dari agentem intellectum cum Ariſtotele 3. de anima 17. dari ſpecies intelligibiles, cum eodem Philoſopho varijs in locis, & cum philoſophis omnibus grauioribus, vt alibi Deo fauente ſum oſtenſurus, & hoc eodem opere cap. 4. aliquid in horum gratiam adferam, Quæ ſupponat in præſenti Auctor.

ſeram, dari phantaſmata, & breuiter ea omnia ſuppono, quæ ad intellectionem neceſſaria, opinio communior, ac verior docet, & omnes ij ferè, cum quibus in hac re difficultas eſt.

Duplex noſtri intellectus cõſideratio.

Illud primo obſeruo pro notitia ſubiecti concluſionis, quod eſt ly, noſter intellectus, quod cum dupliciter queat conſiderari, & quatenus nimirum intellectus eſt, & quatenus eſt corpori, & ſenſibus coniunctus, quando dicimus, intellectum noſtrum, nec primo, nec directe agnoſcere ſingularia, id accipimus de ipſo, non ſecundum quod intellectus eſt, ſpectando ſuam naturam vt ſic, ſed quatenus eſt corpori alligatus, merito autem hoc de intellectu abſolute, & abſque diſtinctione enunciamus, tum quoniam loquimur de intellectione, quam in nobis experimur, quam patet exerceri non poſſe, ſine ſenſuũ adminiculo, tum quoniam naturale eſt humano intellectui, eſſe formam corporis, & ei eſſe alligatũ, nam ſtatus animæ intellectiuæ poſt ſeparationem à corpore in quo velut alium, quo fit, ita alium quo intelligat modum ſortietur, erit ei præternaturalis, vt docet Auctor multis in locis, potiſſimum p. p. alto certe ſenſu q. 89. art. 1. quare de hoc ſecundo ſtatu à pleriſque philoſophis penitus ignorato, à nullo autem plene agnito, non eſt vt verba habeamus, ſed loquimur de ſtatu intellectus omnino naturali, quem proinde, ſuum abſque additione, vel diſtinctione poſſumus dicere.

D.Thom.

In quo ſanè ſtatu, ſumit intellectus ſpecies à rebus, & perficitur ab obiectis corporeis, phantaſmatibus ſcilicet, ſi enim aliunde ſpecies deſumeret, fruſtra vniretur corpori, & male, quoniam ſi ab ipſis rebus immediate, & non à phantaſmatibus poſſet deſumere ſpecies, nobiliori via illas haberet, quoniam res ad extra, & obiecta ſunt verum, & primum fundamentum ipſarum ſpecierum. phantaſmata autem gerunt vices fundamenti, & ſe habent vti vehiculum, conſtat autem, eſſe nobilius, deſumere quidpiam à vero fundamento immediate, quam ab aliquo gerente illius vices; Hinc vnitur corpori vt intelligat, quæ ſanè intellectio bonum eſt ipſius animæ, non enim vnitur ob bonum materiæ, quoniam materia ob formam, non e contra, vt ſcripſit Ariſtoteles vltimo ſecundi Phyſicorum, & forma magis eſt ens, & natura, quam materia ibidem 12. & 7. Diuinorũ 7. & magis rationem formæ, quam materiæ habendam, ſcite, & clare docebat idem Ariſtoteles 1. de partibus animalium cap. 5. Et licet ex hac vnione proueniat compoſitum, intelligit tamen ratione ipſius animæ; Adde, quod omne acceptum, vt condiſtinctum à forma, ſe habet tamquam materia; Status ergo iſte eſt maxime ei naturalis, & ex conſequenti maxime naturale eſt noſtro intellectui, accipere ſcientiam ex phantaſmatibus, neque ex hoc efficitur vilis, quãdoquidem nulla abiectio eſt alicuius naturæ paſſiuæ, ſi non reducatur in actum, abſque concurſu ſuorum actiuorum; quomodo autem vis intellectum poſſibilem, qui eſt potentia paſſiua reduci in actum, abſque phantaſmatibus, quæ ſunt propria actiua, cum ſint illuſtrabilia ab intellectu agente, quæ paſſiua illuſtratio nequit rebus ad extra vt ſic, ob ipſarum materiam conuenire? Sumitur itaque in concluſione intellectus in ſuo naturali ſtatu, alligatus nimirum corpori, & ſenſibus.

Quare intellectus vniatur corpori.

Ariſtot.

Caiet.

Noto ſecundo ex Caiet. p.p. q. 86. art. 1. reſpondente ad argumenta Durandi, quod intellectus poſſibilis dupliciter poteſt conſiderari, vno modo, vt res quædam eſt, materialiter, vel ſit potentia de genere qualitatis, atque ideo realiter ab anima diſtinctus, vt docet Auctor p.p.q.77.art.1. vel ſit idem re cum ſubſtantia animæ; vt vult Scotus 2. ſent. diſt. 16. quæſt. vnica, hoc nihil in præſenti refert,

D. Thom.

Scotus.

fert, poteſt ſecundo conſiderari formaliter, vt intellectus eſt, vt receptiuus ſpecierum, vt elicitiuus intellectionis,&c. prima conſideratione mouetur ab intellectu agente, & principaliter, & efficienter, ab obiecto, quod relucet in phantaſmate ſecundario, à ſpecie, quam tum intellectus agens, tum phantaſma producunt formaliter, per ſpeciem namque formaliter ei inhærentem actuatur; in ſecunda vero conſideratione, perficitur ab intelligibili, vt intelligibile eſt obiectiue, hoc eſt ab obiecto, quod ei per ſpeciem offertur, ab actu vero intelligendi formaliter, tunc enim eſt formaliter perfectus, quod fit, quando elicit intellectionem, & actum intelligendi producit.

In prima acceptione, cuncta ſunt ſingularia, nam vterque intellectus eſt ſingularis, ſimiliter ſpecies, & ſunt ſingularia immaterialia, & ſpiritualia, phantaſma quoque ſingulare, ſed corporeum, & materiale; & tunc patet exordium intellectus agentis, qui à phantaſmate orditur, ſed adhuc nulla fit intellectio, quoniam non adeſt motio obiectiua, ſed potius actiua, non quidem obiectiua, quoniam nondum adhuc relucet obiectum, quod poſſit mouere intellectum, vt intelligat, quod inquam intelligibiliter poſſit obijci ſibi, ſed eſt quædam motio actiua, vel ad intellectionẽ diſpoſitiua; In ſecunda autem fit intellectio, & tunc obiectum eſt vniuerſale, quod per ſpeciem repræſentatur; Quod vt melius capias, conſidera, quod obiectum intellectus ideo dicitur vniuerſale, non quia ſit natura quædam vniuerſalis in eſſe, hæc enim non datur, neque in prædicando, quod ſcilicet dicatur de multis, (quamuis enim natura ſpecifica, & generica dicantur de multis, non tamen ibi vt tales conſiderãtur,) ſed dicitur vniuerſale, ea ſolum ratione, quoniam eſt abſtractum à conditionibus ſingularibus, & indiuiduantibus, & vt ſic mouet, & terminat obiectiue actum poſſibilis intellectus, dempto ſiquidem illo, quod eſt ratio ſingularitatis, id quod remanet, dicetur vniuerſale, principia autem indiuiduantia ſunt ea, quæ dicuntur eſſe ratio ſingularitatis, & hæc à re obiecta intellectui auferuntur, quoniam agens intellectus in phantaſmate hæc cælat, & abſcondit, & non niſi naturam puram facit apparere, vt eleganter idem Cardinalis docet p. p. q. 79. ar. 3. quamobrem remanet natura vniuerſalis modo explicato; Ita cum audis intellectum intelligere vniuerſalia, ſub ly vniuerſali, nil aliud myſterij intelligas, vel ſuſpiceris, niſi quod intelligat naturas abſque conditionibus indiuidualibus, ab his namque abſtrahit, quoniam in obiecto ei oblato hæc latent, & ſola natura relucet.

Quare obiectum intellectus dicatur vniuerſale.

Caiet.

Hinc agnoſces diſcrimen inter ſenſum, & intellectum, licet enim ambæ hæ vires cognoſcentes in eo conueniant, quod vtraque feratur non tantum in hoc, vel in illud, ſed in obiectum vniuerſale; nam viſus non eſt, vel albi huius, vel nigri huius, ſed omnis coloris, ſimiliter intellectus, non in hoc, vel in illud præciſe fertur, ſed in omne obiectum, tamen ſenſus non fertur in aliquam naturam vniuerſalem, hæc enim à ſolo intellectu attingitur, ſed tendit in aliquam naturam vniuerſaliter, hoc eſt in communi, at intellectus reſpicit naturam, nedum in vniuerſali, hoc eſt omnem naturam, ſed etiam naturam vniuerſalem, modo declarato, ſic obiectum ſenſus vocabat Caiet. p. p. q. 80. art. 2. vniuerſale aduerbialiter, declaratum ſcilicet per hoc aduerbium vniuerſaliter, vel in vniuerſali, obiectum autem intellectus, vniuerſale nominaliter, ſub hoc inquam nomine vniuerſale; ſic Auctor dicebat p. ſec. q. 29. art. 6. facultatem ſenſilem, non poſſe ferri in aliquid vniuerſale, ſed ſolum in aliquid vniuerſaliter, intellectiuam autem, & in aliquid in vniuerſali, & in aliquid vniuerſale, &c.

Conueniẽtia & differentia inter intellectum, & ſenſum.

Caietanus.

D.Thom.

Hinc tertio aduertes pro cognitione prædicati concluſionis, ſcilicet ly ſingulare,

Duplex ſingulare. lare, quod duplex eſt ſingulare, quoddam eſt materiale, quoddam eſt materiæ expers, ſingulare, vt ſingulare non obſtat, quin ab intellectu percipiatur, hinc ſingularia à materia immunia intelliguntur, ſic intellectus ſeipſum nouit, qui eſt immateriale quoddam, at ſingulare materiale illud eſt, quod nequit ab intellectu capi, quoniam nihil intelligitur, niſi immateriale, hoc eſt abſque conditionibus materialibus, & hæc eſt clara Auctoris doctrina p.p.q. 56. art. 1. ad ſecundum, & q.76. art. 2. ad 3. & q.86. art. 1. ad 3. & primo contra Gent. 75. Vnde ſi roges, cur hoc ſingulare, puta Lelium intellectus non intelligat, reſpondeo, non prouenire, quia ſit ſingulare quoddam, ſed quoniam conditiones habet materiales, & eſt quid materiale.

D. Thom.

Dices, nonne materia apud te eſt principium ſingularitatis? quare ſi non intelligitur vt materiale, neque vt ſingulare, vel ſi vt ſingulare, ergo & vt materiale, quoniam per materiam eſt ſingulare. Hoc videns Zabarella lib. illo ſuo vltimo, cap. 5. dixit, eſſe expreſſam contradictionem in dictis Iauelli, dum q. 16. ſeptimi Diuinorum, dicit ſingulare, vt ſingulare poſſe intelligi, non autem vt materiale, q. vero 15. quinti eorundem, docet materiam eſſe principium ſingularitatis, quare idem eſt dicere ſingulare, vt ſingulare, & ſingulare, vt materiale, quocirca idem de vtroque & affirmari, & negari debet; Sed nulla eſt contradictio, & penitus vana, atque philoſopho celebri indigna prorſus inſtantia, & certe ſi Iauellus ſibi contradiceret, idem quoque Auctori eueniret, idipſum docenti. Aliud ſiquidem eſt loqui de ſingulari vt ſic, & aliud eſt loqui de ſingulari tali, hoc eſt materiali, ſingulare vt ſic valet intelligi, ſingulare materiale nequaquam, in illo idem eſt eſſe, vt ſingulare, & vt materiale, quoniam ſingularitas in his prouenit à materia, modo declarando, quæſtione vltima ad ſecundum caput huius libri, at non in quouis ſingulari idem eſt eſſe ſingulare, & materiale, alioquin, & Deus, & Intelligentiæ eſſent materiales, quod eſt fatuum; Quando igitur dicimus, ſingulare vt ſingulare poſſe percipi, loquimur de ſingularitate abſoluta, & vt ſic, quando vero dicimus materiam eſſe principium ſingularitatis, id veritatem non habet in ſingulari vt ſic, ſed in ſingulari tali, nempe materiali; aliquid ergo profertur de illo, quod negatur de iſto; Et quod Iauellus acceperit ſingulare vt ſic, quando dixit ſingulare, vt ſingulare eſſe intelligibile, patet conſpicue ex prima diſtinctione, quam ponit illa quæſtione 7. libri, vbi ait, ſingulare eſſe vt genus ad ſingulare materiale, & ſe loqui de ſingulari præciſe, idipſum patet ex ſecunda probatione, quam adducit in gratiam huius dicti, quod ſcilicet ſingulare vt ſic intelligatur.

Zabarella dicit Iauellũ ſibi contradicere.

Defenditur Iauellus.

De Auctore vero, quod ita acceperit, in dubium cadere non poteſt, quoniam non coniungit ſingulare cum materiali.

At ſtatim ſciſcitaris, quare nequeat noſter intellectus cognoſcere ſingularia, vt materialia ſunt, quare nequeat conditiones indiuiduales percipere. Vt hoc ſcias, notabis quarto ex Auctore quæſt. diſputatis de Verit. q. 2. art. 5. quod quoniã ſimilitudo rei, quæ eſt in humano intellectu eſt accepta à re, quatenus res ipſa agit in illum, agendo prius in ſenſum, materia autem ob ſui eſſe debilitatem, quoniam eſt ens tantum in potentia, vt multis in locis auctor eſt Ariſtoteles potiſſimum 8. ſeptimi Diuinorum, nequit eſſe principium agendi, vnde res quæ agit in animam noſtram, agit ſolum ratione formæ, quocirca ſimilitudo rei, quæ imprimitur in ſenſum, & per quoſdam gradus depurata peruenit vſque ad intellectum, eſt tantum ſimilitudo formæ, omnis autem forma vt ſic eſt vniuerſalis, niſi forte ſit ſubſiſtens, quæ eo ipſo quod ſubſiſtit, eſt incommunicabilis, & ex con-

D. Thom.

Ariſtot.

conſequenti ſingularis, hinc cum ad intellectum perueniat ſimilitudo formæ tantum, non autem materiæ, cognoſcit intellectus ſolum formam, ſolum res vniuerſales, non materiam, non conditiones indiuiduales, non ergo ſingulare, quoniam nihil agnoſcit, niſi cuius ſit in eo ſimilitudo; hoc dicebamus nos ſuperius, repræſentari naturam vniuerſalem, non conditiones indiuiduales, hoc eſt formam, non materiam.

Et hinc naſcitur diſcrimen, quare intellectus diuinus, & angelicus cognoſcant ſingularia, licet & ipſi ſint maxime immateriales, noſter autem intellectus ea non agnoſcat; quoniam noſter accipit ſcientiam à rebus, & res ipſæ ſunt obiecta, quæ mouent, neque poſſunt mouere ratione materiæ, quæ cum nullam ex ſe habeat actiuitatem, nemini illam poteſt impertiri, diuinus vero, & angelicus intellectus non accipiunt ſcientiam à rebus, res non ſunt obiecta motiua illis, ſed ſolum terminatiua, (quamuis primarius terminus diuini intellectus ſit ſua eſſentia,) & quidem ſimilitudo rei, quæ eſt in diuino intellectu eſt cauſa productiua rei, & quo ad formam, & quo ad materiam, diuina nimirum eſſentia, ſimilitudines quoque in angelico intellectu ſunt ſibi à Deo impreſſæ, & quædam participationes ſunt diuinæ eſſentiæ, ideo offerunt ſibi res, nedum quo ad formam, ſed & quo ad materiam; ſic idem Auctor 2. con. Gent. 100.3. ratione, ſpecies rerum intelligibiles peruenire ad nos inquit per viam reſolutionis, ad angelos autem per viam compoſitionis, &c.

Latum diſcrimen inter intellectum diuinum, angelicum, humanum.

D. Thom.

Sic incipit iam patere reſponſio ad quædam argumenta opinionum, quæ nobis aduerſantur, & ſimiliter confirmatio noſtræ; Neque dicat aliquis, ſimilitudinem rei imprimi in intellectu, non à forma, ſed à compoſito, & indiuiduo, quandoquidem forma non agit, ſed ſuppoſitum id eſt quod agit, id namque licet veriſſime ſit dictum, tamen ſuppoſitum aliquo agit, & aſſignandum eſt ei aliquid, quod ſit ei ratio agendi, quod ſanè cum nequeat eſſe materia, vt patuit, & vt apud omnes eſt in confeſſo, erit certe forma, quare ſimilitudo tantum formæ in intellectu imprimetur.

Quomodo agat ſuppoſitum.

Vt ſic arguam pro noſtra concluſione: Illud tantum cognoſcitur ab intellectu ſaltem primo, & directe, cuius ſimilitudo in ipſo recipitur, hæc propoſitio videtur clara, quoniam cum intellectus intelligat beneficio ſolum ſpeciei, & ſimilitudinis, id certe ſolum primo, & directe attinget, cuius ſpeciem habebit, ſed in intellectu non imprimitur ſimilitudo materiæ, vel conditionum indiuidualium, vt probatum eſt, ergo hæc non cognoſcuntur primo, & directe, ergo, &c.

Ratio pro concluſione poſita.

Et quidem numquam non mirabor quoſdam, qui volunt ſingulare primo, atque ex conſequenti directe ab intellectu agnoſci, & tamen docent, non eſſe in intellectu proprias ipſorum ſpecies, inter quos adeſt doctus Fonſeca ſuper ſecundum cap. primi Diuinorum q.3. ſectione 5. Quis enim vmquam credet, quod intellectus primo percipiat id, cuius ſpecies propria non eſt apud ſe, & deinde intueatur illud, cuius propriam habet ſpeciem? hoc certe ægre admodum capio, ac nec capio quidem. Id enim notum omnibus eſſe mihi ſuadeo, primum actum intellectus eſſe directum, cum omnis actus reflexus ſupponat directum, ſic reflexus nequit eſſe primus, directus autem actus eſt, quando per ipſum in oblata ſibi ſpecie cernit intellectus illud, quod proprie, & adæquate per illam ſpeciem offertur, tale autem eſt natura vniuerſalis, apud iſtos etiam, quoniam non admittunt propriam ſpeciem ſingularium, ergo numquam poteſt primo cognoſci ſingulare, minor propoſitio videtur manifeſta, quoniam ſi quid cernitur in ſpecie alterius, profecto non cernitur primo, alioquin id quod cernitur per pro-

Fonſeca.

Qualis ſit actus intellectus directus.

priam ſpeciem, cerneretur ſecundario, & ſic illud, quod caret propria ſpecie, inſpicietur primo, & quod propria ſpecie gaudet, ſecundario, quod omni rationi, & recto ordini aduerſatur, quare enim Theologi omnes primo ſent. diſt. 35. & alij, qui ſcripſerunt ſuper art. 5. & 6. q. 14. p. p. Auctoris, vno ore fatentur, creaturas non immediate, non primo, ſed mediate, ſed ſecundario, cognoſci à Deo, (ſi cum Fonſeca liceat exempla ex ſacra Theologia petere in gratiam horum inferiorum,) niſi, quia propriam non habent ſpeciem, ſed videntur in diuina eſſentia, quæ eſt veluti ſpecies ipſarum repræſentatiua?

Bannes. Hinc ſapientiſſimus Banneſius p. p. loco citato, vbi rem hanc verſat, nimirum q. 86. art. 1. ait, quod qui dicunt ſingularia primo ab intellectu dignoſci, & propriás ipſorum ſpecies in intellectu ponunt, conſequenter loquuntur, quia certe videtur mihi neceſſario aſſerendum, id quod primo cognoſcitur, propria ſpecie cognoſci; Quare ſapientius, ſiue minus inſipienter ſe gerunt illi, qui docentes ſingularia eſſe primo cognita, proprias eorundem ſpecies in intellectu conſtituunt; quoniam tamen primum falſo docent, ideo & ſecundum, quod ex illo conſequitur, abeſt à vero.

Quæ vt apertius agnoſcas, nota quinto, noſtrum intellectum intelligere abſtrahendo, ſic enim fatentur & aduerſarij, immo ex hoc arguunt, quod cognoſcere debeat ſingularia, quoniam ab illis abſtrahit, & non fit ab ignoto abſtractio, vt patuit inter arguendum, &c. Sed cum ponamus, quod abſtrahat, vel quod per abſtractionem intelligat, quid rogo abſtrahet ab indiuiduo, à ſingulari? non formam, tunc enim non reluceret in ſpecie forma, & quidditas, quæ eſt vniuerſalis, & ſic non perciperet intellectus vniuerſale, quod nullus adhuc quem viderim ſomniauit, immo à nullo agnoſceretur vniuerſale, quoniam in nobis non eſt alia vis cognitiua præter ſenſum, cui vniuerſale non ſubijcitur, abſtrahet itaque conditiones indiuiduales, & materiales, quare hæc non intelligentur, & ex conſequenti, neque ſingulare, nihil enim aliud eſt abſtrahere aliquid ab aliquo, quã vnum abſque altero non attingere; Vnde tantum abeſt, vt abſtractio oporteat fieri à re nota, ſaltem in ipſo actu abſtractionis, (quicquid fuerit, an antea abſtractionem agnoſceretur,) quod ex eo, quod aliquid abſtrahitur ab illo, id quod abſtrahitur ſcitur, à quo vero abſtrahitur latet, vt adnotatum quoque fuit ab Archangelo Mercenario prope finem dilucidationum primi ſui voluminis, quãdo diſſerit de modo operandi intellectus agentis; ſic facultas videns, dicitur in pomo abſtrahere rubedinem à dulcedine, quòd illam videt, hac penitus dimiſſa, quare argumentum quod ſumunt aduerſarij ex natura abſtractionis, vt efficiant ſingulare, vel primo, vel directe agnoſci, eoſdem penitus interimit, ex illo enim colligitur, penitus ignorari ab intellectu ſingulare.

Quid ſit abſtrahere.

Mercenar.

Ex his attende ſexto, apertam nimis contradictionem in Zabarella, à qua certe nequit ſaluari, dum cap. 5. libri illius ſæpe recenſiti vult probare, quod ſingulare prius agnoſcatur, pro primo argumento, hoc aſſumit, quod ſcilicet vniuerſale non cognoſcitur, niſi per abſtractionem à ſingulari, ergo neceſſe eſt prius cognoſci ſingulare, quoniam nequit cognoſci abſtractum, niſi cognoſcatur id, à quo abſtrahitur, inferius autem cap. 12. dum quoddam argumentum Scoti contra eundem Scotum reflectit, vt probet prius cognoſci conceptum generis, quam illum ſpeciei, quoniam ille generis eſt facilioris abſtractionis, hæc verba ſcribit: ***Nil enim aliud eſt abſtrahere, niſi apprehendere vnum, non apprehenſis alijs, vt abſtrahere animal ab homine, nil aliud eſt, quam ſolam animalis naturam in homine contemplari, propria hominis natura non conſiderata***; & ſub-

Manifeſta in Zabarella cõtradictio.

dit

dit immediate, *eſt igitur neceſſaria abſtractionis conditio, vt in ipſo abſtrahendi*
actu, reliqua non cognoſcantur, & id ſolum quod apprehenditur intelligatur.
quia ſi in illo actu, alia quoque cognoſcuntur, nulla fit abſtractio, & paulo ſupe-
rius dixerat, aduerſari propriæ naturæ abſtractionis, & ſignificationis huius vo-
cis abſtrahere, dicere ſcilicet, quod cognoſcatur id, à quo abſtrahitur, &c. quare
nihil clarius ab aduerſario poteramus vnquam habere, ad probandum quod
volumus, & ad confutandum ſuum primum argumentum, quando enim dicit,
vniuerſale intelligitur per hoc, quod abſtrahitur à ſingulari, veriſſimum antece-
dens, ergo oportet prius cognoſci ſingulare, falſiſſima conſequentia, & repu-
gnans naturæ abſtractionis, quoniam oportet, vt in illo actu id, à quo abſtrahitur
ſit ignotum, & ſic ex eius doctrina propriam doctrinam deſtruente ſoluitur
ſuum argumentum, & aliorum qui illud adducunt, inter quos fuit Durandus Durandus.
2. ſent. d. 3. q. 7. & erat apud ipſum ſextum in ordine.

Sed & illud maxime vrgere videtur contra Zabarellam, nam eodem cap. & Contra Zabarellam.
14. ſequenti, amplectens Auctoris doctrinam de primo cognito, cognitione con-
fuſa actuali, quam ipſe originalem appellat, ideo ait genus primo cognoſci,
quam ſpeciem, quoniam non eſt capax intellectus in ſui principio, vt conce-
ptum ſpecificum recipiat, ſed oportet per illum generis diſponi, docens in hoc,
quæ antiquiores noſtri tradiderunt, & tamen vult, quod ſingulare prius agno-
ſcatur; At ſi non eſt capax intellectus, vt ſit ſuſceptiuus ſpecifici conceptus,
quoniam eſt contractior, quam ſit ille generis, quomodo erit potens, vt reci-
piat conceptum indiuidui, & ſingularis, qui contractior adhuc eſt, plura vide-
licet continens, quam ſpecies? Neque pro reſponſione poteſt adferri, quod dum
proceditur de ſpecie ad genus, non prætergrediatur ordo intelligibilium, at dum
ex indiuiduo pergitur ad ſpeciem, varietur ordo, à ſenſibili nimirum ad intelli-
gibile, hoc enim veriſſimum eſt, & facit pro me, & illud præcedenti quæſtione
docui, at eſt contra Zabarellam, qui vult ſingulare, nedum ſenſui, ſed & intelle-
ctui ſubijci, non itaque apud ipſum mutatur ſeries obiectorum, & tamen non
vult intellectum primo capere ſpeciem, ſed genus, quoniam hoc eſt commu-
nius, mox docet primo cognoſci ſingulare, quod reſtrictius eſt ſpecie ipſa;
Quod ſi dicat, non valere hunc diſcurſum, quoniam, & ſpecies, & genus cogno- Obiectio.
ſcuntur per abſtractionem, ſingulare vero abſque abſtractione, & quando fit ab-
ſtractio ſpeciei, vel generis, iam præceſſit ſingularis notitia, vt videtur velle,
quando prope finem vltimi cap. eiuſdem libri reſpondet ad quartum Scoti, &
vt quidam alij forte imaginantur; Tunc illi, qui non ponunt proprias ſpecies Soluitur.
ſingularium, hoc nequeunt dicere, volunt enim cognoſci in ſpeciebus vniuer-
ſalium, at ante talem abſtractionem non adſunt ſpecies vniuerſalis, fiunt enim
per illam, & poſt illam, alioquin gratis fierent, ſi prius anteceſſiſſet cognitio;
Qui vero proprias ſpecies ſingularium aſſignant, & ſic dicunt, male dicunt, iam
enim daretur aliqua intellectio, & prima intellectio, quæ facta fuiſſet abſque in-
tellectu agente, hoc autem eſt contra Ariſtotelem 3. de anima 17. conſequentia
patet, quoniam tunc nulla accidiſſet abſtractio, quæ potiſſima eſt eiuſdem intel-
lectus agentis functio, vt expreſſe docet Auerr. comm. 18. ſequenti, & Ariſtote- Auerroes.
les ibidem, ait enim dari intellectum, qui omnia facit, qui eſt intellectus agens, Ariſtot.
pero quid faciat, non res, iam etenim factæ ſunt, certe facit res, quæ non ſunt
intelligibiles, aptas vt intelligantur, quomodo autem faciat, niſi ab ipſis ſpecies
eliciendo? Dum vero elicit ſpecies, in illis ſpeciebus non repræſentatur totum
quod eſt in re, tunc enim fruſtra elicerentur, ſi quicquid eſt in ipſis rebus, eſſet vt

N 2 ſic

ſic intelligibile, neque tunc efficerentur ab intellectu aptæ intellectioni paſſiuæ, & illa formatio ſpecierum non eſſet abſtractio, nam tunc fit abſtractio, quando aliquid elicitur, & aliquid relinquitur, &c. Dicet Zabarella, vt videtur innuere cap. quarto, dum reſpondet ad ſecundum, quod equidem fit abſtractio à materia reali, ſed non à præſentia materiæ, & eius conditionibus, ſed hoc nihil eſt, nam primo manet etiam implicatio illa, quomodo præceſſerit iam cognitio ſingularis, quod contractius eſt ſpecie, & tamen neget poſtea, conceptum ſpeciei ab intellectu obtineri poſſe primo, ſed velit præcedere illum generis, ob debilitatem ipſius intellectus, quem fortiſſimum facit in principio. Deinde illa materiæ præſentia, & illæ conditiones, cum ſint huius materiæ, & ſignatæ, nequeunt intelligi, impedit namque materia cognitionem, vt colligi poteſt ex dictis, & declarabo paulo poſt, quare, & ab his opus eſt, vt fiat abſtractio; Præterea, ſi velit, quæcumque ſunt in ſingularibus ſubijci intellectui, cum in ipſo ſingulari, vt pote inferiori ſint omnia ſuperiora in actu, quid prohibebit, intellectum contemplari omnia illa ſuperiora? & ita vane deinde elicientur ſpecies pro vniuerſalium repræſentatione, ſiquidem iam in ſingulari repræſentantur, immo à fortiori, ſi velit in illa ſpecie videri materiales conditiones, quas ſemper cognitu difficillimas quiſque iudicauit, & nobiliores philoſophi impoſſibiles, quare non videat in eadem ſpecie intellectus ea, quæ agnitu facillima ſunt, conceptus nimirum ſuperiorum, ſpecierum inquam, & generum? Quod ſi dicat, in illa ſpecie ſingularis, (quam neceſſario ponit, cum abſtractionem à reali materia intercedere dicat,) hæc ſuperiora non repræſentari, iam ergo non repræſentatur quicquid eſt actu in ſingularibus, & voluntarie omnino hoc negatur de iſtis, cum apud omnes ſint magis intelligibilia, quam materiæ conditiones; Sed omnia ei demus, quomodo liberabitur à contradictione, dum docet intellectum, prius recepiſſe ſingularium ſpecies contractiſſimas, & deinde diffitetur poſſe obtinere illas ſpecierum, ſed vult primo adeſſe ſpecies generum? potentiſſimum primo vult intellectum, mox infirmiſſimum, vltimo potentem ſatis, quæ ridicula ſunt, & adiniuicem diſſentiunt, &c.

Alia obiectio. *Refutatur.*

Dicunt aliqui, intellectum agentem id in ſingularibus efficere, quod virtutem præbet phantaſmatibus, vt agant, quoniam materiale ex ſe nequit agere in id quod eſt immateriale, ſic abſque abſtractione intelligentur ſingularia; At ſic dicentes non vident, quomodo tunc intellectus agens non faceret intelligibilia, vt vult Ariſtoteles, ſi enim quo ad materiam, & quo ad formam ſunt intelligibilia, iam eiuſmodi ſunt ex ſe, & non fiunt ab intellectu agente, præterea ſciſcitor, quam virtutem tribuat illis phantaſmatibus, vel enim elicitur deinde ſpecies, vel non, ſi elicitur, ſequitur, quod paulo ſuperius de ſpeciebus deducebam, ſi non, iam ergo abſque ſpeciebus intelligentur ſingularia, quod docent ij ſolum, qui ſpecies negant intelligibiles, cum quibus non eſt quæſtio, &c.

Quid aliquibus placeat. *Diſplicet Auctori.*

Audiui alios dicentes, agentem intellectum eſſe neceſſarium in intellectione, vniuerſalium, non in illa ſingularium, ſed tunc non eſſet verum, quod habet Ariſtoteles, illum omnia facere, ſi ſola vniuerſalia faceret, præterea nihil faceret, vnde redundans eſſet, ſi enim haberet cognitionem intellectus de ſingularibus, ex illis notitijs factus in actu, veniret ex ſe in cognitionem vniuerſalium, ſi præſertim ſupponatur, quod permultorum ſingularium notitiam habeat, in quibus vt dicebã actu relucent ſuperiora, & vniuerſalia; Rurſus veritate careret, quod in omni natura reperiatur neceſſario aliquid, quod agat, & aliquid, quod patiatur, vt vult Ariſtoteles ibidem 17. iam etenim in mille intellectionibus ſingularium

Quid velint alij. *Reijcitur.* *Ariſtot.*

non

non datur intellectus agens) tandem agens intellectus non eſſet nobilior poſſibili, quoniam innumeris intellectionibus ex ſe ſibi ſufficeret intellectus poſſibilis; Si dicatur, ſaluari nobilitatem agentis intellectus in illis actionibus, vbi interuenit, tunc enim ſemper agit, poſſibilis ſemper patitur, & agens eſt dignius paſſo, vt ibidem 19. legimus apud Ariſtotelem, is non videt, nobilitatem agentis intellectus incolumem manere, quo ad perpaucas intellectiones, & nihilominus manere ſibi incommoda priora, quæ deducebam; Quamobrem, ſi ſaluari debeat neceſſitas intellectus agentis, ad illum finem, ob quem poſitus fuit ab Ariſtotele, ſingularia, neque primo, neque directe agnoſcuntur.

Obſerua ſeptimo, quod quoniam vnumquodque eatenus cognoſcitur, quatenus participat de ente, non ſimpliciter, ſed de ente in actu, quoniam actus eſt ratio cognoſcendi, & intelligendi ex 9. Diuinorum 20. illud in ſingulari ad extra cognoſcetur, quod habebit rationem actus, & formæ, quod autem rationem ſapiet entis in potentia, nequaquam cognoſcetur; veriſſimum namque eſt, actum & potentiam eſſe differentias entis, & valde oppoſitas, vt ſcripſit Auerroes in fine comm. 6. 1. de anima, quare ſi ratio cognitionis alicuius prouenit ex actu, ratio quod aliquid ignoretur, proueniet ex potentia, hinc de materia, quæ eſt fons, & radix omnis potentiæ, dicebat Ariſtoteles primo phyſicor. 69. non eſſe ſcibilem, niſi per analogiam, & clarius prope finem 35. ſeptimi Diuinor. dixit, materiam ſecundum ſe eſſe incognitam.

Auerroes.

Ariſtot.

In ſingulari igitur, materia, & conditiones indiuiduales non percipientur, ſed ſolum forma, quæ vt in ſuperioribus dicebam ex ſe eſt vniuerſalis; Vnde breui poſſum hoc modo ſyllogizare; Illud ſolum ex ſe percipitur, quod eſt actus, & forma, & illud ignoratur, quod ſapit materiam, & potentiam, ſed natura, quidditas, & forma in re ad extra ſunt actus, principia vero indiuiduantia ſapiunt materiam, & potentiam, ergo forma, & ex conſequenti vniuerſale ſcietur ab intellectu, proprietates vero ſingulares ignorabuntur; maior eſt Ariſtotelis, minor patet, & concluſio eſt pro nobis; Sic patet ſolutio illius argumenti adducti, quo dicebatur, ſingulare habet magis de entitate, &c. eſt verum vtique habere magis de entitate, quam habeat vniuerſale, ſi nomine entis accipiatur illud, quod diſtinguitur contra nihil, nam includit materiam, & formam, vniuerſale autem formam abſque materia illa ſignata, non tamen habet magis de entitate illa, quæ ſit apta intelligi, de actu ſcilicet, & de forma, immo habet entitatem, quæ impedimento eſt intellectioni, quoniam ratione materiæ eſt potentiale, & remotum à cognitione, &c. Quocirca hoc idem argumentum in aduerſarios debet reflecti, ſic dicendo, Vniuerſale magis habet de entitate, quæ eſt ratio intelligendi, quam ſingulare, ergo prius cognoſcitur &c. antecedens innotuit, & conſequentia eſt ratio ipſorum. Neque dicat quis, ſingulare non habet minus de entitate etiã intelligibili, quam forma, quæ eſt vniuerſalis, quoniam includit & ipſam formam, imaginatio enim hæc eſt puerilis ſatis, & mihi iuuat, quoniam vtique eſt intelligibile ratione formæ, quam includit, quod ſi contineat quoque materiam ſignatam, iam entitatem includit, nedum non aptam intellectioni paſſiuæ, ſed repugnantem, quare impedit talis entitas, vt forma quoque ei vnita intelligatur, hinc oportet formam ab illa ſpoliari, & nudari, & ita fiet vniuerſalis, & intelligetur, & doctrina huius ſeptimi notabilis ſeruiat pro concluſione poſita maxime roboranda, ſic breuiter colligendo: Sola forma ex ſe cognoſcitur, materia eſt ignota, ergo ſingulare ratione ſolum formæ, non autem ratione conditionum indiuidualium intelligetur, quod eſt dicere, ſingulare non intelligitur, ſi enim

Alia ratio pro concluſione.

Quomodo ſingulare habeat, & non habeat magis de entitate, quam vniuerſale.

auferas

auferas conditiones illas ſignatas, iam non eſt ſingulare, loquendo de ſingulari materiali, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quorumdam circa prædicta opinio reijcitur.

Nobilis Thomiſtæ ſententia.

VIri nonnulli, ingenij certe perſpicacis, & Auctoris doctrinam profitentes, atque honorantes temporibus iſtis, ponunt noſtrum intellectum percipere ſingulare directe, & hoc dicunt ſe aſſerere abſque præiudicio doctrinæ magiſtri ſui D. Thomæ, & ad loca mille, in quibus Auctor oppoſitum aperte fatetur; quorum permulta & nos allegauimus reſpondent, quod dupliciter poteſt conſiderari ſingulare, primo vt eſt fundamentum vniuerſalis, ſecundo vt eſt in ſeipſo, & Auctorem loqui de ſingulari, vt eſt fundamentum vniuerſalis, quando ait illud non percipi directe ab intellectu, ſed ſingulare in ſeipſo bene percipitur directe, & hoc aiunt ipſum non negaſſe.

Multis impugnatur.

Cæterum percuntor à viro clariſſimo, ſingulare materiale, (de hoc enim loquimur,) vt eſt in ſeipſo, conſtat ne conditionibus indiuidualibus, & proprietatibus materialibus? affirmanter profecto eſt reſpondendum, ſi enim ex his non conſtaret, non eſſet ſingulare, nam principia indiuiduantia ſunt de eius eſſentia, vt ſingulare eſt, immo per hæc fit ſingulare, ergo vt eſt in ſeipſo nequit directe ab intellectu attingi, patet conſequentia, & ex ijs quæ inter obſeruationes adduxi, & potiſſimum ex doctrina Auctoris, qui vbique dum negat ſingulare percipi ab intellectu, nulla alia ratione ducitur, niſi quod oporteat à conditionibus indiuidualibus abſtrahi, id quod à nobis intelligitur, ſic paſſim docet omnibus in locis à me citatis. Neque ſufficit dicere ſatis eſſe, vt ſingulare depuretur à craſſitie, & præſentia exiſtentiæ, & quod remaneat in natura ſua ſingulari, iam enim dum remanet ſingulare, remanet materia, remanent conditiones indiuiduales, & hæc impediunt eius cognitionem, & nedum craſſities illa; ita ſemper arguebat Auctor, materiã non mouere, materiale non agere in immateriale, quare nihil vmquam colligeret, poſſet enim ei dici, materiam quo ad illam craſſitiem non agere, non autem quọ ad illas conditiones, hoc autem ridiculum eſt, quoniam materia ſignata vere, & omnes eius conditiones non poſſunt mouere intellectum, non poſſunt agere, hæc enim materia eſt potentia, in cuius rei ſignum, & omnis ſcientia à tali materia abſtrahit.

Difficultas.

Excluditur.

Locũ D. Thomæ notabilẽ.

Sed locus adeſt inſignis ipſius Auctoris, vbi aperte docet à quibuſcumque conditionibus indiuidualibus abſtrahi oportere, & depurari id, quod ab intellectu directe attingitur. Vide primo cont. Gent. cap. 65. octaua ratione, quem locum in ſuperioribus recenſui, inquit profecto, quod forma rei ſenſibilis, cum ſit per ſuam materialitatem indiuiduata, ſuæ ſingularitatis ſimilitudinem non poteſt producere in hoc, quod ſit omnino immaterialis, ſed ſolum vſque ad vires, quæ organis materialibus vtuntur, ad intellectum autem perducitur per virtutem intellectus agentis, inquantum omnino à conditionibus materiæ exuitur, & ſic ſimilitudo ſingularitatis formæ ſenſibilis non poteſt peruenire vſque ad intellectum humanum; Vbi vides Auctorem nimis aperte docere, quod forma rei ſenſibilis nequeat producere ſimilitudinem ſuæ ſingularitatis, quomodo ergo ſingulare in ſeipſo cognoſcetur, ſi nequeat in intellectu adeſſe ſingularitatis imago?

imago? an forſan quidpiam poſſit cognoſci abſque vlla ſui ſimilitudine?

Et loquitur de illa ſingularitate, per quam ſingulare fit indiuiduum, quam patet, non eſſe ſolam illam craſſitiem, ſed veram ſignatam materiam, has ſcilicet carnes, hæc oſſa, &c. à qua materia manifeſte dicit abſtrahere intellectum quæſt. diſputatis de Veritate q. 2. art. 6. ad primum, quæ tota reſponſio eſt contra doctrinam huius doctoris. Præterea, ſi ſingulare vt eſt in ſeipſo cognoſcitur, licet ſit ab illa craſſitie purgatum, adhuc tamen non eſt omnino ſpoliatum à conditionibus materiæ, immo potiſſimas retinet, cum ſola illa craſſities deſit, & tamen Auctor vult, quod ſi debeat intelligi, exuatur omnino, (nota ly, omnino,) à conditionibus materiæ, beneficio intellectus agentis, & inferius in hoc libro cap. 4. concludit in 3. concluſione 3. partis, iuxta noſtram diuiſionem, naturam habere in intellectu eſſe abſtractum ab omnibus indiuiduantibus, ſi ab omnibus, ergo nedum à terrena illa craſſitie; Denique res clara eſt, quod materia impedit cognitionem, loquendo de materia ſignata, per quam ſingulare materiale eſt ſingulare, & nedum craſſities illa. Sed & videas caput primum tractatus de vniuerſalibus, vbi in exordio, aperte nimis docet, illud quod actu recto ab intellectu percipitur, denudatum eſſe debere à materia, & à conditionibus materiæ, quæ ſunt hic, & nunc, non ab omni ait materia, ſed à materia ſignata, ergo nedum ab illa craſſitie, ſed à ſignata materia, ab eius conditionibus hic, & nunc; quid clarius?

Accedit, quod ſi ſingulare, vt in ſeipſo eſt cognoſceretur abſque præiudicio doctrinæ Auctoris, aliquid certe ipſe de hoc dixiſſet, cum præcipue non vno loco de hac re fuerit locutus, & quidem debuiſſet potius dicere, ſingulare agnoſci, quam hoc de illo negare, magis enim competit aliquid alicui, quod de illo dicitur ſecundum ſuam naturam, quam quod de illo profertur, vt reſpicit alia, ſi autem ſingulare cognoſcitur, vt in ſeipſo, & ignoratur ab intellectu, quatenus eſt fundamentum vniuerſalis, ergo potius debet dici, quod agnoſcatur, quam quod ignoretur, ſiue non attingatur, & tamen Auctor vbique aſſeruit, non cognoſci ſingulare directe, tunc itaque id ſolum in ſingulari aſpexiſſet, quod ei conuenit, quatenus reſpicit alia, ſcilicet vniuerſale, & numquam conſideraſſet illud, quod ſibi ſecundum ſuam naturam conuenit, quod de ipſo à nemine, & multo minus ab eius diſcipulo eſt dicendum.

At videns forte celebris vir præfatam diſtinctionem, ſiue reſponſionem infirmam nimis, aliam excogitauit, dicendo videlicet ad omnia loca Auctoris, quod in hoc ſecutus fuerit Themiſtium, ſed hoc nihil prorſus eſt, vel enim agnouit ſententiam Themiſtij de cognitione ſingularis eſſe veram, vel non veram, ſi veram, verum ergo docuit, dicendo nulla via directa ab intellectu percipi ſingulare, ſi non veram, quis vmquam audeat dicere, ipſum illud docuiſſe, quod non verum eſſe ſciebat? Tantus fortaſſis amor Auctoris in Themiſtium? *Alius dicendi modus. Improbatur.*

An non contra ipſum 3. con. Gent. cap. 45. inuehit circa naturam intellectus? An non contra philoſophos quoſque aliàs grauiſſimos, & Auerroem, & Alexandrum, & Auicennam, & Simplicium, & alios digreditur pro veritate tuenda? Demum, quid Auctori in libris præcipue Theologicis cum Themiſtio, vel cum alio philoſopho? & tamen mille locis in ſacra Theologia iam commemoratis ſemper docuit, non cognoſci ab intellectu ſingulare. *Omnibus Philoſophis pro veritate D. Tho. obijcitur.*

Eapropter tertium dicendi modum adinuenit, vt ſcilicet intelligamus, ipſum dixiſſe, non ſolum intellectum ex ſe percipere ſingulare, ſed ſimul cum cogitatiua, & etiam ſine cogitatiua ſi velit; Sed hæc reſponſio ſeipſam primo infringit, *Tertius modus dicendi. Reijcitur.*

git, nam tandem poteſt hac via noſſe intellectus ex ſe ſolus ſingularia, & tamen in priori parte reſponſionis dicitur, id ex ſe non poſſe, ſed beneficio cogitatiuæ; Accedit, poſterius hoc dictum nimis aperte contradicere Auctori, qui quæſt. diſputatis de Anima art. 20. ad primum eorum, quæ ſecundo loco adduxerat argumenta, vbi dixerat manifeſte, non cognoſcere intellectum directe ſingulare, ſed ſolum reflexe, ſubdit hanc reflexionem compleri non poſſe, niſi per adiunctionem virtutis cogitatiuæ, & imaginatiuæ; Idem aperte ſcribit q. de Veritate 10. art. 5. in corpore, & ad ſecundum, quod cognitio ſcilicet de ſingularibus non fit per mentem, niſi mediante vi cogitatiua, cuius eſt cognoſcere intentiones ſingulares, & ait, non eſſe poſſibile, vniuerſalem ſententiam, applicari ad particularem actum, niſi per aliquam potentiam mediam apprehendentem ſingulare, & hæc potentia media eſt ratio particularis, quam ibidem paucis antepoſitis dixerat cogitatiuam.

D. Thom.

Vbi habes duo, primo quod non cognoſcatur ſingulare directe, & quod ſi debeat cognoſci, neceſſario requiratur vis cogitatiua, vnde nulla eſt hæc tertia explicatio. Sed & rationes iam allatæ militant contra hanc doctrinam, &c.

Motiua pro illa ſententia.

Quod autem pro ſe adducit, quod quis ſtans in vno loco habeat notitiam ſingularis, in alio loco exiſtentis, & ſingulare ens contempletur, ſimiliter, quod hominis iam mortui habeamus idolum, & eius vultus imaginem apud nos, hoc non arguit, quod directe cognoſcatur ſingulare, id enim per reflexionem fieri poteſt, vt circa ſequentem concluſionem declarabo; quod ſi contendat, talium ſingularium imaginem directe à noſtro intellectu poſſideri, id falſum eſt, & ad exempla de homine, vel abſente, vel mortuo, dicitur, quod phantaſia, imaginatiua, & cogitatiua ſunt illæ, quæ tales imagines ſingularium habent, & non eſt intellectus, ſaltem nudus, qui circa huiuſmodi ſe exerceat, ſed ſunt ſenſus nominati, vel homo per illos ſenſus, vt inferius magis patebit.

Confutantur.

Quod ſubnectit, Ariſtotelem tradere ſcientiam de ſingulari, dum in cathegoria ſubſtantiæ, primam ſubſtantiam, quam patet eſſe ſingularem definit, ſimiliter, quod Porphyrius definiat indiuiduum, hoc nihil eſt, numquam enim traditur ſcientia de ſingulari vt ſic, ſed vt ſtat ſub aliquo communi conceptu, & Caiet. Cardinalis pulchre aperuit in prædicamentis, quid in ſubſtantiæ primæ definitione eſſet definitum, aliquid nimirum pertinens ad rationem communem ſingularitatis, quod accepit à magiſtro ſuo p.p.q.29. art.1. ad primum, vbi eandem habet Auctor doctrinam, & ſæpe Ariſtoteles, præcipue 7. Diuinor. 53. docet, ac probat, non poſſe ſingulare materiale definiri.

Caietan.

D. Thom.

Ariſtot.

Maneat itaque, omnino præiudicare doctrinæ Auctoris, ſi quis dicat intellectum noſtrum cognoſcere directe ſingularia, & nedum ipſi, ſed & Ariſtoteli repugnat; Quid enim rogo ſibi voluit quando 3. de anima 15. & 12. Diuinor. 51. dixit, in abſtractis à materia eſſe idem intelligens, & intellectum? cur non dixit in omnibus? quid obſtat in alijs rebus, quin id quod intelligitur, ſit idem cum eo quod intelligit? nihil profecto, niſi materia. Vnde 16. eiuſdem 3. de anima dixit, quod in habentibus materiam, potentia ſolum vnumquodque intelligibilium eſt; quid quæſo impedit, quod habentia materiam non ſint actu intelligibilia? non forma, hæc enim pari ratione in abſtractis à materia obſtaret, ergo materia, ergo talis ſingularitas, materialis ſcilicet non eſt intelligibilis, ſed indiget intellectu agente, qui eam talem efficiat; Et tamen verum eſt, quod dum ego in actu ſecundo contemplor lapidem, ſum lapis in eſſe intelligibili;

quare

quare in omnibus verum eſt, intelligens in eſſe intelligibili eſſe idem, quod res intellecta, ex potentia namque intelligente, & obiecto intellecto non fit vnum, ſed ſunt vnum, & idem, quoniam per idem numero medium actuantur, per eandem ſcilicet ſpeciem, quæ actuat potentiam, & facit eam intelligentem, & actuat obiectum, & facit intellectum, hinc bene dixit Commentator 3. de anima com. 5. Ex intelligẽte, & intellecto magis fieri vnum, quam ex materia, & forma, quoniam materia non fit forma, neque e contra, ſed quid tertium ex vtraque reſultat, at ex intelligente, & re intellecta non prodit aliquod tertium, ſed vnum fit alterum, vt pulchre patefaciebat Caiet. p.p. q.14. art. 1. occaſionem nactus ex verbis profundiſſimis Auctoris, quæ protulit illo art. quod ſcilicet cognoſcens nedum eſt ſeipſum, ſed & alia. Cum igitur in omni intellectione intelligens ſit idem, quod res intellecta, quare id protulit Ariſtoteles ſolum de abſtractis à materia?

Auerroes. Caietan. D. Thom.

Nullo certe alio conſilio, niſi vt inſinuaret difficultatem, quæ eſt in rebus habentibus materiam, vt hoc fiat; cum enim difficultas tota intelligendi proueniat à materia, quæ in abſtractis non inuenitur, ideo ibi non eſt opus aliqua actione, ſed obiectum ex ſe eſt intelligibile, at in nobis oportet remoueri id quod impedit intellectionem, oportet rem ipſam, cum ex ſe non ſit intelligibilis, fieri intelligibilem in actu, per opus intellectus agentis depurantis ipſa phantaſmata; Quocirca propoſitio illa: In abſtractis à materia &c. non eſt particularis, quo ad rem, quoniam vt dicebatur, in omni intellectione hoc verum eſt, ſed eſt propria quo ad modum, quoniam in ipſis intellectum eſt actu intelligibile, & per medium quoque offertur ibi, vel per veram ſpeciem, vti quando intelligit intelligibilia alia à ſe in via Theologorum, & veritatis, (loquendo de Intelligentijs alijs à prima,) vel per eſſentiam propriam, munus gerentem ſpeciei, quando ſeipſam intelligit, at ibi non eſt opus actione agentis intellectus, non illuſtratione phantaſmatum, vt in nobis; Et quidem in abſtractis à materia idem eſt intelligens & intellectum ex natura rerum, & ſecundum ſe, in coniunctis autem materiæ, non niſi in eſſe intelligibili, & per ſimilitudinem, quoniam ſcilicet materia eſt impedimento, quæ in illis locum non habet, de qua propoſitione redibit ſermo infra 4. cap. huius libri, quæſt. quarta, &c.

Quomodo in abſtractis à materia ſit idem intelligens, & intellectũ, & quomodo in alijs.

Si quid ergo peculiare voluit Ariſtoteles de Intelligentijs in illo pronunciato adferre, quemadmodum reuera voluit, hoc non erit, niſi quia careant materia, quare hoc obſtat via expoſita, quod in nobis intelligens, & intellectum ſint idem, quare materiale non intelligetur, non itaque ſingulare, de quo eſt ſermo, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo cognoſcatur à nobis ſingulare.

Sit hæc ſecunda concluſio: Noſter intellectus cognoſcit ſingulare materiale reflexe. Quam vt poſſideas, nota primo ex Auctore quæſt. diſp. de Veritate q. 10. art. 5. quod noſtra mens, ſiue noſter intellectus immiſcet ſe ſingularibus per accidens, & hoc ex eo prouenit, quod intellectus continuatus eſt viribus ſenſitiuis, quæ directe ſingularia percipiunt; hæc autem continuatio fit duplici via, altera eſt, quatenus motus ſenſitiuæ partis terminatur ad intellectum, velut

Concluſio. D. Thom.

in motu illo euenit, qui eſt à rebus ad animam, mouent enim res ſenſus, & hi modo ſuo mouent intellectum, medijs ſcilicet phantaſmatibus, & intellectu agente, ſic intellectus agnoſcit ſingulare per quandam reflexionem, dum enim cognoſcit obiectum ſuum, quod eſt aliqua natura vniuerſalis, redit in cognitionem ſui actus, (ecce reflexionem,) cognoſcit enim ſe intelligere, rurſus redit ad ſpeciem, quæ eſt ſuæ intellectionis principium, & poſtremo ad phantaſma, à quo ſpecies eſt abſtracta, & ita aliquam de ſingulari notitiam adipiſcitur.

Interrogatio. Quod ſi diceres, admiſſo rem ita ſe habere in hoc motu reflexo, quid erit in motu recto, nonne & primo incipit intellectus ſpeculari phantaſma, & deinde ſpeciem, & deinde obiectum, & ſic primo vidit ipſum ſingulare, phantaſma ſcilicet? Reſpondeo, quod in primo motu, eodemque recto, non intuitus eſt intellectus phantaſma, vt res quædam eſt, neque ſpeciem ſimiliter, vt res talis eſt, ſed ſolum tamquam media ad intelligendum, & de ſpecie quidem patet, quod in illo motu non ſe habet vt quod, ſed vt quo intelligitur, ſimilitudo autem, quæ eſt in intellectu, eademet ſcilicet ſpecies non abſtrahitur à phantaſmate, ſicut ab obiecto cognoſcibili, ſed ſicut à medio cognitionis vt idem Auctor ſcribit quæſt. de Veritate q. 2. art. 6. dans exemplum de viſu accipiente ſimilitudinem rei, quæ eſt in ſpeculo, dum enim tendit in illam ſimilitudinem, non eam reſpicit, vt res quædam eſt, (tunc enim directe videretur,) ſed vt eſt imago rei, ſic intellectus ex ſpecie ſumpta à phantaſmate non pergit directe in phantaſma, ſed in rem, cuius eſt phantaſma, quam doctrinam ſimul cum alia ex ibidem q. 10. quæ de Mente inſcribitur, ad longum adfert Capreolus in primo, d. illa 35. q. 2. ad primum Garronis.

Solutio.

D. Thom.

Capreol.

Altera via, qua illa continuatio fit eſt iuxta motum oppoſitum, non ſcilicet rerum ad animam, ſed animæ ad res, qui ſanè motus incipit à mente, & procedit in partem ſenſitiuam, quoniam vires inferiores ſubduntur menti, & ſic cum ſingularibus ſe commiſcet, mouente ratione particulari, cogitatiua ſcilicet. Iſte eſt modus, quo reflexe agnoſcitur ſingulare ab intellectu noſtro.

Genus arguit contra D. Thomam. Marcus Antonius Genua loco ſuperius commemorato, nimirum ſuper octauum tertij de anima dicit, quod hæc reflexio quam ponit Auctor, non eſt peripatetica, & contra ipſam vnico medio inſurgit, inquiens, quando intellectus in reflexione dicitur actum ſuum intelligere, vel intelligit ſuum intelligere prius, vt eſt vniuerſale, vel vt eſt ſingulare, non prius, vt eſt ſingulare, quoniam apud Auctorem, vniuerſale prius intelligitur, ſi vt eſt vniuerſale, quæro, aut intelligit per reflexionem, aut non, ſi per reflexionem, quæram, quid in illa reflexione prius cognoſcat, & ſic idem quod prius, ſi non per reflexionem, iam ergo & alia ſingularia abſque reflexione intelliget, cum non ſit maior ratio de vno ſingulari, quam de alio, &c. At vir grauiſſimus leuiſſimum adduxit argumentum; dico enim primo, quod cognoſcit intellectus actum illum ſuum, vt ſingularis eſt, hoc eſt contemplatur hunc, & illum actum intelligendi, vniuerſale autem prius agnoſcitur in cognitione recta, & motu intelligendi directo, in reflexa autem intellectione intelliguntur & ſingularia modo declarato. Dico ſecundo, quod cognoſcit actum ſuum primo, vt eſt intelligere in communi, & deinde in ſingulari, & hoc ſecundum fit abſque alia reflexione, dico alia, quoniam iam præceſſit reflexio, ex quo primum intellectus ſuum obiectum contemplatus eſt, naturam ſcilicet vniuerſalem, & quando ait, abſque reflexione intelliget alia ſingularia, concedo abſque alia reflexione, & deinde concedo de ſingularibus, quæ ſunt in ipſo, vt ſunt ſpecies, actus intelligendi, & ipſemet intellectus, hæc enim

Soluitur eius argumẽtum.

ſunt

ſunt ſingularia immaterialia, quibus vt ſic non obſtat vt intelligantur, & diuerſum iudicium faciendum eſt de ipſis, atque de ſingularibus materialibus.

Sed ſi breuiori via reſpondere velis, quare noſter intellectus intelligat ſingulare ſolum reflexe, dicito, quoniam illud non intelligit per propriam ſpeciem, vt omnes Thomiſtæ conueniunt, & multi quoque illorum, qui volunt ipſum ab intellectu directe percipi, neque per proprium conceptum, non enim proprius conceptus ſingularis formatur ab intellectu, vt ſequenti concluſione oſtendam, & quoniam id quod per alienam ſpeciem, & alienum conceptum videtur, non inſpicitur directe, propterea reflexe tantum agnoſcitur ſingulare, &c.

Nota ſecundo, quod ex doctrina huius concluſionis ſoluuntur innumera argumenta, quæ probare contendunt, ſingulare cognoſci ab intellectu, concludunt enim de cognitione, quod & nos fatemur; At quando arguunt, cognoſcitur, ergo cognitione directa, negatur conſequentia, & committitur fallacia à ſuperiori ad inferius affirmanter, à cognitione, ad hanc cognitionem, ſic intellectus imponit nomina ſingularibus, ſic ponit differentiam, & comparationem inter vniuerſalia, & ſingularia, ſic corrigere valet ſenſum, quandoque circa ſingularia deceptum, ſic omnia intelligit, ſic quicquid agnoſcit ſenſus, & ipſe agnoſcit, ſed modo altiori, quoniam ſenſus accidentia ſolum ſingularium contemplatur, intellectus autem eorum quidditatem, & eſſentiam abiunctam ab illis conditionibus indiuidualibus; Neque valet, agnoſcit ſenſus ſingularia quo ad has conditiones, ergo & intellectus quo ad hæc cognoſcere debet, quoniam fit tranſitus à cognitione, ad modum cognitionis, à non reſtricto, ad reſtrictum; ſic vbique reſpondebat Auctor ad illud motiuum, quod ſcilicet ſuperior virtus poteſt quicquid poteſt inferior, nimirum quod poſſit modo eminentiori, ſic quæſt. diſputatis de Veritate q. 2. art. 6. ad quartum, & vltimum, & q. 10. art. 5. ad quintum, & p. p. q. 86. art. 1. ad vltimum, & ſi cupis latiorem intelligentiam circa hanc propoſitionem, quæ eſt Boetij quinto de conſolatione philoſophiæ, lege Ferrarienſem primo con. Gent. 65. circa quintam rationem, vbi in illius gratiam multa adfert, quæ iam omnibus prope manifeſta ſunt. D. Thom. Ferrarienſis.

At hæc doctrina de cognitione ſingularium reflexa non videtur ſatisfacere, nam voluntas noſtra appetit hoc, & illud ſingulare determinatum directe, obiectum autem voluntatis eſt id, quod apprehenſum eſt per intellectum, fertur namque voluntas in cognitum, ergo illud idem in quod tendit voluntas, prius fuit cognitum ab intellectu, ſed hoc, & illud ſingulare directe ſæpe numero vult voluntas, vt patet, ergo hoc, & illud ſingulare directe prius eſt cognitum ab intellectu, alioquin non moueret tale obiectum voluntatem. Dubitatio. Obiectum voluntatis, quale.

Huic difficultati, quæ alicui poſſet videri difficilis, facile reſpondebat Caiet. p. p. q. 80. art. 2. in reſp. ad ſecundum dubium, motum ab ipſo circa reſponſionẽ ad ſecundum, & dicebat, quod voluntas ſemper mouetur ab intellectu practico, qui apprehendit ſingularia ſenſibilia reflexe, non enim oportet, quod apprehenſum reflexe, ſit quoque reflexe appetitum, nam multa cognoſcimus reflexe, quæ directe volumus, vt patet de his, quæ ſunt in anima noſtra, quare concedas, id quod vult voluntas, fuiſſe cognitum ab intellectu, ſed quando infertur, hoc appetitur directe, ergo cognoſcitur directe, nega vniuerſaliter conſequentiam, non de cognitione, ſed de modo cognitionis, &c. Remouetur. Caiet.

Sed adhuc dubitas, quomodo practicus intellectus poſſit perfecte mouere voluntatem, vt hoc & illud ſingulare directe velit, ſi ſolum imperfecte, & re- Alia dubitatio.

Aufertur. flexe cognoſcit illud ſingulare? Reſpondeo cum eodem Caiet. ibidem, quod ſi intellectus practicus debeat perfecte voluntatem mouere, ad hoc ſingulare appetendum, oportet, quod in hac motione immiſceatur apprehenſum per cogitatiuam, quam doctrinam accepit ab Auctore p.p.q. 86. art. 1. ad ſecundum, vbi inquit, quod vniuerſalis ratio intellectus practici non mouet, niſi mediante particulari apprehenſione ſenſitiuæ partis; dicebat Caiet. quod quandoque admiſcetur, quod credo dictum, quoniam non ſemper voluntas vult ſingulare, ſed aliquando vniuerſale, eſt enim & ipſa appetitus intellectiuus, atque ideo in vniuerſale poteſt tendere, tunc autem non requiritur, quod admiſceatur quid per cogitatiuam apprehenſum, at ſemper requiritur in motione perfecta, quando voluntas vult ſingulare; Et ſi dixeris, ergo non erit verum, quod docet Auctor illo art. quod ſcilicet motiuum voluntatis ſit apprehenſum per intellectum, motiuũ autem appetitus ſenſitiui ſit apprehenſum per ſenſum, cũ etiam in motiuo voluntatis pluries interueniat apprehenſum per ſenſum, vt pote per cogitatiuam; Huic quoque facit ſatis Caiet. loquitur enim Auctor de motiuo ex ſe, & per propriã virtutem, & quod hoc modo mouet voluntatem, eſt tantum apprehenſum per intellectum, nam apprehenſum per cogitatiuam mouet per coniunctionem, & colligationem cum intellectu, hoc eſt cum eo, quod per intellectum apprehenſum eſt, cogitatiua enim ex ſe numquam moueret voluntatem, ſed id facit ex coniunctione, quam habet ad intellectum, motiuum autem appetitus ſenſitiui eſt apprehenſum per ſenſum, & mouet ex ſe, ac ſecundum propriam facultatem, &c.

Margin: D.Thom. — Tertium dubium. — Soluitur.

Sed vt plenius accipias, quomodo fiat hæc continuatio intellectus cum cogitatiua, (in hoc enim tota ferè huius negotij difficultas poſita eſt,) debes ſcire, quod quoniam ſingularia ſenſu, vniuerſalia intellectu attinguntur, vt pluribus in locis teſtatum reliquit Ariſtoteles, vt primo phyſicorum 49. & 2. de anima 60. & alibi, ideo quando aliquod opus interuenit, in quo ſit directa vtriuſque cognitio, neceſſe quoque eſt, vtramque facultatem concurrere, ſic quando fit exemplum deductum à ſingulari, ad ſingulare probandum, vel inductio, in qua à ſingularibus proceditur ad vniuerſale, vel aliquis ſyllogiſmus, cuius maior ſit vniuerſalis, & minor particularis, vel aliquando ponitur conuenientia, ſiue differentia diſtincta inter vniuerſale, & ſingulare, ſemper adeſt concurſus intellectus pro vniuerſalibus, & ſenſus pro ſingularibus.

Margin: Ariſtot.

Hæc eſt clara Auctoris ſententia locis iam citatis, q. ſcilicet de Anima, art. 2. in reſp. ad primum, ſecundo loco adductorum, & quæſt. de Verit. 2. art. 5. ad ſecundum, & multo clarius ad tertium, vbi ait, hominem cognoſcere ſingularia per ſenſum, & imaginationem, & ideo poteſt applicare vniuerſalem cognitionem, quæ eſt in intellectu ad particulare, non enim inquit proprie loquendo ſenſus, aut intellectus agnoſcunt, ſed homo per vtrumque. Eandem doctrinam expreſſe habet quæſt. de Veritate 10. in fine art. quinti, vbi dicit, vniuerſalem ſcientiam, (& eſt locus adductus præcedenti articulo huius quæſtionis,) quam mens habet de operabilibus, non eſſe poſſibile applicari ad particularem actum, niſi per aliquam potentiam mediam apprehendentem ſingulare, vt ſi fiat quidam ſyllogiſmus, cuius maior ſit vniuerſalis, quæ eſt ſententia mentis, minor autem ſingularis, quæ eſt applicatio particularis rationis, quod & ibidem docet, dum reſpondet ad ſecundum, & quartum. Idem habet p. p. q. 86. art. 6. in reſponſione ad ſecundum.

Margin: D. Thom.

Hanc doctrinam legimus non ſemel apud Capreolum diſt. illa 35. & q. illa 2.

Margin: Capreol.

primi

primi ſent. dum ad argumenta Garronis contra quartam concluſionem, potiſſimum ad tertium, & quartum reſpondet, & ibidem ad argumenta Gregorij de Arimino, ad ſecundum, ad octauum, nonum, & ſemper vſque ad 15. ſi 14. tantum excipias: Hoc ipſum ſcriptum reliquit Caiet. loco allegato p. p. q. 80. art. 2. q. 86. art. 1. & quæſt. 57. art. itidem 1, vbi ait, cogitatiuam eſſe illam, quæ format ſingularem propoſitionem, Idem voluit Ferrarienſis 1. con. Gent. cap. illo 65. quaſi prope finem, & q. 13. ad tertium de anima, ſecunda reſponſione, quam dat quarto argumento, & demum poſteriores Auctoris alumni huic doctrinæ ſe ſubſcripſerunt, vt Iauellus, Dominicus a Flandria, & Aquarius locis iam commemoratis, hac eadem quæſtione. Caiet. Ferrariẽſis. Iauellus. Flandrien. Aquarius.

Quam tamen doctrinam plerique ex recentioribus impugnant, & eam vel ridiculam, vel vanam vocant, & quando contra illam fremunt, nullum argumentum adducunt, quod non fuerit ab eruditiſſimo Capreolo loco relato formaliter confutatum, vnde ſeipſos ridiculos prorſus, & vanos exhibent, & Pererius lib. illo 3. cap. 17. inquit manere firmam, & inuictam ſuam rationem, quam tot annos, & luſtra antea penitus infirmam, & deuictam monſtrauit Capreolus. Pererius.

Arguunt enim, fieri non poſſe, vt inductio, vt diſcurſus aliquis, vt ſyllogiſmus, vt propoſitio fiat à duabus potentijs, quoniam talis ratiocinatio eſt vnus motus, quare vnicus terminus ei eſt præfigendus, & reliqua id genus inania prorſus adferunt, quibus iam ſatisfecit Capreolus dicendo, vel quod cognoſcuntur ſingularia ab intellectu per reflexionem, vel quod non oporteat eſſe eandem virtutem, quæ cognoſcat hoc, vel illud, ſed ſufficit eſſe eundem hominem illa cognoſcentem diuerſis virtutibus, quodammodo continuatis adinuicem, vt vna aliam moueat, ſicut eſt de intellectu poſſibili, & de virtute cogitatiua in nobis, quod etiam clare colligitur ex Auerroe comm. 6. tertij de anima, & comm. 20. eiuſdem, & apertius ex ijs, quæ ſcripſit ſuper librum de ſenſu & ſenſato, vbi ait, quod anima comprehendit intentiones vniuerſales vno modo, & particulares alio modo, vniuerſales autem comprehendit comprehenſione, non communicante cum materia omnino, particulares autem comprehendit per res conuenientes rebus particularibus, per media ſcilicet, & declarat quid per media accipiat, & ait, dico media hoc loco, inſtrumenta ſenſuum, &c. Auerroes.

Subdit Capreolus, quod comprehendit intellectus alietatem, quæ eſt inter formas, & indiuiduum, formas per ſe, indiuiduum per ſenſum, ita quod vtrumque iudicium refertur ad animam, tamquam ad centrum, (ecce vnitatem termini huius motus, intellectionis ſcilicet,) ideo experitur differentiam eorum; neque oportet, quod apprehenſio indiuidui ſit ſubiectiuè in intellectu, ſed ſolum in imaginatione, & tamen intellectus dicitur illa apprehenſione cognoſcere indiuiduum, mediante ſenſu, ex eo quod quodammodo efficitur vna virtus, veluti plures ſenſus efficiuntur vnum in ſenſu communi; vnde intellectus differentiam aſſignans, dicitur formam apprehendere per ſe, indiuiduum autem concomitatiue, ob identitatem animæ, ad quam vtrumque iudicium refertur. Capreoli pulchra, & patẽs doctrina.

Idipſum adhuc repetit, & ait, quod ad hæc omnia ſufficit identitas animæ, habentis duas potentias continuatas, modo expoſito, per quarum vnam format propoſitionem vniuerſalem, per aliam propoſitionem particularem, immo quandoque per vnam potentiam percipit ſubiectum, & per aliam prædicatum, vt dicendo Sortes eſt homo, anima facit hanc propoſitionem, per ſenſum apprehendendo

hendendo ſubiectum, per intellectum prædicatum; ecce formalem reſponſionem ad omnia argumenta aduerſariorum. Quare hanc doctrinam viderunt, vel non viderunt, ſi non viderunt, excuſatos habeamus, ſi viderunt, vel eis placet, vel non, credendum non eſt, quod ipſis placeat, ſi ergo non placet, adferant rationes, quare non placeat, & confutabuntur.

Poſtulant vnitatem termini motus huius, qui eſt intellectio in formatione inductionum, propoſitionum, &c. aſſignauit Capreolus hominem ipſum, vel potius animam per ſuas potentias, hoc numquam impugnarunt; Aſſignatur alius terminus, nimirum intellectus, cum cogitatiua, quæ quodammodo vnum in hoc efficiuntur, nam & cogitatiua ab Ariſtot. 3. de anima 20. vocatur intellectus paſſiuus, & corruptibilis, & Auerroes ſuper illum tex. non longe à fine dicebat, quod hoc nomen intellectus dicitur quattuor modis, de intellectu ſcilicet materiali, de intellectu, qui eſt in habitu, de intellectu agente, & de virtute imaginatiua, ſed hæc dixerim, vt videatur, quomodo, & quadam ratione ſaluetur vnitas potentiæ, ſed quoniam hoc non eſt neceſſarium, ideo habes veram termini vnitatem, ipſam ſcilicet animam.

Auerroes. Quot modis dicatur intellectus.

Voco cum Capreolo, & alijs animam, vel hominem terminum huius motus, qui eſt intellectio, licet re vera terminus intellectionis ſit id, quod per ipſam intelligitur, obiectum videlicet, ſed tunc nulla eſſent argumenta, vnde forſan quærunt vnitatem principij, quando volunt vnam potentiam aſſignari, vel fortaſſe nomine termini, accipiunt ſubiectum, id ſcilicet, in quo recipitur intellectio, & ad quod terminatur, tamquam ad id, à quo incœperit, nam actiones immanentes in eodem ſunt ſubiectiue, à quo fuerunt, tamquam à principio, ſed hoc nihil fuerit, quoniam communicamus in vocibus cum aduerſarijs, vt forſan communicare voluit & Capreolus.

Quis ſit terminus intellectionis.

Bannes. Sed magis miror Dominicum Banneſium p.p. q.86. art.1. dubio ſecundo, dicentem hanc doctrinam eſſe difficilem intellectu, & iuxta ipſam non habere efficaciam analogiam illam Ariſtotelis de iudicio ſenſus communis, qui iudicat differentiam inter ſenſibilia exteriora; vnde ſubdit, quod licet hanc doctrinam tradiderit Auctor q. 2. de Veritate art. 6. ad tertium, tamen poſtea q. 10. art. 5. ad tertium, & p.p. loco præfato ait, quod hanc propoſitionem, Socrates eſt homo, format ipſe intellectus per actum proprium reflexum.

Capreol. At motiuo illi de Ariſtotele circa ſenſum communem, Capreolus eodem loco bis fecit ſatis, dum ſcilicet reſpondit ad quartum Garronis, & ad decimum Gregorij, ait enim rationem Philoſophi efficacem eſſe, quando ſunt actus eiuſdem rationis, cognoſcere ſcilicet hoc, & illud, veluti cognoſcere album, & cognoſcere nigrum continentur ſub ratione cognitionis ſenſitiuæ, nam vtrumque abſoluitur organo corporeo, at res ſecus ſe habet in propoſito, quoniam intelligere fit abſque organo, non autem ſentire, & ideo diſcernere inter album, & nigrum pertinet ad eandem potentiam, non autem diſcernere inter hominem, & hunc hominem, quoniam primum ad intellectum, ſecundum ad ſenſum ſpectat; Rurſus, ſenſus particulares non ſunt adinuicem continuati, niſi ponatur aliqua virtus, quæ ſit tamquam centrum ipſorum, ſenſus videlicet communis; Vnus enim ſenſus particularis non mouet alium, neque eſt ad illum ſuperior, & ideo ſi ſolum eſſent ſenſus particulares, numquam idẽ homo poſſet cogitare differentiam inter album, & dulce, at in propoſito conſtat, cogitatiuam continuari cum intellectu, patet hunc imperio ſuo mouere illam, quare idem homo per has facultates, & eadem anima poteſt percipere ſingulare, quod eſt cogitatiuæ,

gitatiuæ, & vniuerſale, quod eſt intellectus.

Ecce quomodo firmus remanet diſcurſus de ſenſu communi; Ita quando idẽ Pererius, & Fonſeca locis allegatis adducunt tex. illum 146. ſecundi de anima, vbi habet Ariſtoteles, *Neque itaque ſeparatis contingit diſcernere*, &c. Vnde colligunt non poſſe eſſe, vt anima ſeparatis potentijs, intellectu ſcilicet, & ſenſu cognoſcat ſeparata, vniuerſale ſcilicet & ſingulare, legant Capreolum, & videbunt duplici via ſolutam iam inſtantiam hanc, quam adeo amplificant; Et quidem prima via eſt, oportere eſſe idem diſcernens, vel eandem potentiam, quando ſunt actus eiuſdem rationis, nimirum, vel ambo exerciti organo ſenſili, & corporeo, vel eorum neuter, in cuius rei gratiam, ego video Ariſtotelem dare exemplum de dulci, & albo, quorum vtrumque ad ſenſum attinet, hoc vero non contingit in præſentia, quoniam alia via, vt dictum eſt percipitur vniuerſale, alia ſingulare. Alter modus eſt, quod non poteſt ferri iudicium à ſeparatis, hoc eſt ab omnino ſeparatis, & nullam ad ſe continuationem habentibus, ceu ſunt ea, quæ pro exemplo adfert ibi Ariſtoteles, vt vnus homo, ab alio homine, quorum virtutes cognitiuæ nullo modo ſunt vnum, ſimiliter vnus ſenſus cum alio, vt proxime dicebatur; Sed & forſan Ariſtoteles hoc voluit innuere eodem contextu, ait enim, *quare vt dicit, ſic & intelligit, & ſentit*, hinc intelligit, & ſentit, (ecce varias potentias,) & dicit, & Auctor ibidem aiebat, diuerſitatem illam, de qua loquitur Ariſtoteles, ex intellectu, & ſenſu cognoſci, & Simplicius ſuper eundem tex. dicebat, quod vnus, & idem eſt, qui loquitur, & antequam loquatur cognoſcit, ſiue ſentiendo, ſiue intelligendo id agat, vbi apparet, alietatem illam à varijs potentijs percipi, ſed non omnino diuerſis, & ſeparatis, de quibus id negat Ariſtoteles. Dixi forſan Ariſtotelem id velle innuere, ſcio enim hanc expoſitionem non eſſe neceſſariam, & poſſe dici, quod nomine ſentiendi, & intelligendi idem accipiat ibi Philoſophus, cum non aſſignauerit adhuc diſcrimen inter ſenſum interiorem, & intellectum, vel quod verba illa non collectiue; ſed diſtinctiue ſint accipienda, hoc eſt, non quod intellectus, & ſenſus ſimul percipiant illam alietatem, ſed quando vnus, quando alter; Sed quicquid fuerit de hoc, duplici via, & vtraque optima vidimus textum illum nobis non officere; Accedit, Ariſtotelem ibi manifeſte loqui de facultatibus ſentientibus, quorum vnaquæque eſt alligata nimis ita huic obiecto, quod non alteri, ſunt enim virtutes omnino particulares, & organo corporeo exercitæ, & pulchre Albertus magnus ibidem, (ſecundo ſcilicet de anima, tract. 4. cap. 10.) hoc ſemper aperit, ſtando intra limites ſenſuum, quæ ſunt virtutes ſeparatæ per organa, &c. Denique ſi placet, vide Themiſtiũ, (tertio ſcilicet de anima cap. 8.) manifeſtantem erudite, quomodo & ſenſus communis, ad quem ſpectat iudicium de albo, & dulci, & de diſparatis ſit vna quidem re virtus, & tamen quatenus plurium, & ſeparatarum rerum terminis fungitur, ſcindatur, & dehiſcat in plures, &c.

Argumẽtum Pererij, & Fonſecæ.

Iã duplici via à Capreolo cõfutatum.

Prior via.

Poſterior.

D.Thom.

Simplic.

Albertus Magnus.

Themiſt.

Id igitur ſit conſtitutum, numquam haberi perfectam cognitionem de ſingulari, niſi medijs ſenſibus, & maxime quando facit intellectus exempla, inductiones, propoſitiones vniuerſales, adiunctis particularibus, immo propoſitionem, cuius ſubiectum ſit ſingulare, & prædicatum vniuerſale, ſemper inquam adeſt concurſus rationis particularis, vel cogitatiuæ.

Neque hoc appareat mirum, nam & in cuiuſuis rei intellectione fatebuntur omnes, qui Ariſtotelem ſectantur, interuenire duas potentias, intellectum nimirum agentem, & poſſibilem, & tamen vere dicitur anima, & homo per

has

has potentias intelligere, neque obſtat ſi dicatur, alteram eſſe actiuam, alteram paſſiuam, hoc enim non facit, quin reuera duæ potentiæ concurrant, licet ſolus poſſibilis intelligat, per accidens quippe ſe habet ad duarum potentiarum concurſum, quod altera agat, altera patiatur, niſi fiat recurſus ad ſubordinationem, & ad dependentiam vnius ab altera, quod & mihi iuuat, nam & ſenſilis facultas ſubordinatur intellectui, & eius imperijs morem gerit, ſi enim ſenſus exteriores parent nutibus ſenſus communis interioris, & ſunt ei tamquam famuli, ipſe vero quaſi iudex pro tribunali ſedens, & ſpiritu curuli inuectus, vt curioſe ſatis apud Themiſtium loco nominato quis legere poteſt, multo magis ſenſus omnis, & præcipue cogitatiua dicto audient intellectui, cum hic ſit totius animæ gubernator, vt eſt in Phedro apud Platonem, ex perſona Socratis, &c.

Intellectus præſtantia. Plato.

Satis ergo fuerit ad vnitatem actionis, & operationis vnitas termini, aut agentis principalis, quamuis operetur per varia principia, & diuerſas potentias, tamquam per principia proxima, quando præcipue illæ potentiæ, & principia, ſubordinata, & colligata ſunt, tunc enim non ſunt plura ſimpliciter, ſed ſolum materialiter, & abſolute, at non formaliter, vt ad hanc actionem aſſumuntur, ſed vnum fiunt, per concurſum, & communionem.

Et denique peto ab ipſis, an virtus imaginatiua, ſiue cogitatiua poſſit concipere ſingularia, formando de ipſis propoſitiones ſingulares? Hoc non credo ab illis negatum iri, cum & ab Ariſtotele 3. de anima tex. illo 20. vocetur intellectus, quare aliquid ex coniunctione quam habet ad intellectum, cum ſit ſuprema internorum ſenſuum, & ex nomine quod ſortitur, debet habere peculiare, in quo aliqua via fiat ſimilis intellectui, (vnde hoc non erit quærendum in aſtimatiua in brutis,) hoc autem non erit cognoſcere ſingularia, nam cuilibet ſenſui illud commune eſt, quare propoſitiones formabit particulares, quod & docet Ariſtoteles ſexto Ethicorum cap. 11. & manifeſtiſſime Auerroes locis citatis, quod & innuitur à Simplicio ſuper 20. illum tertij de anima, prope finem comm. & docetur ab Auctore p.p.q.78. art.4. & q. 81. art. 3. immo non deſunt aliqui, huic ſenſui diſcurſum tribuentes, vnde & dicitur ratio particularis; Format itaque propoſitiones ſingulares hæc cogitatiua, quod & ipſi videntur concedere, ab ea namque propoſitionum vniuerſalium formationem dumtaxat negant; Si ergo hæc virtus format ſingulares propoſitiones, & iam oſtendimus, non poſſe intellectum percipere directe ſingulare, illud conſequitur, quod vbi elucet aliqua actio, in qua vniuerſale cum ſingulari miſceatur, non ſolus intellectus, non ſolus ſenſus, ſed vterque adſit, &c.

Ariſtot. Quid efficiat cogitatiua in homine. Ariſtot. Auerroes. Simplic. D. Thom.

ARTICVLVS QVINTVS.

Qualis conceptus ſingularis ſit in noſtro intellectu.

Concluſio.

PОno tandem tertiam concluſionem, quæ ferè colligitur ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt: Numquam in noſtro intellectu adeſt proprius conceptus ſingularis; ſed ſicut cognoſcitur per ſpeciem vniuerſalis, ita & per eius conceptum; Hæc eſt Caiet. & Capreoli, & Aquarij locis ſæpe memoratis, & eam abſque dubio credo eſſe Auctoris, tum quoniam nuſquam meminit huius conceptus proprij, qui de ipſo ſingulari habeatur, tum quoniam vbi de perfecta ſingularis notitia verba fecit, ſemper ad cogitatiuam confugit, vt patuit multis

Quod ſit ad mentem D. Tho.

locis

locis iam à me adductis, & tamen ſi adfuiſſet proprius ipſorum conceptus in intellectu, ad ipſum facile confugere, & potuiſſet, & debuiſſet, quemadmodum enim qui hunc conceptum ponunt, ſaluant ex hoc diſtinctam ſingularium notitiam, reflexam tamen, ita & ipſe hoc conceptu id oſtendere potuiſſet, abſque eo, quod ad cogitatiuam recurreret; Præterea, ſi talis conceptus adeſſet, fruſtra, in ſingularis cognitione reflexa diſtincta, adhibenda eſſet cogitatiua, & tamen locis allegatis vult ſæpe, non poſſe haberi diſtinctam de ſingularibus cognitionem, abſque copulatione phantaſiæ ad intellectum; ſignum ergo eſt, quod noluerit eiuſmodi conceptum dari, quod autem in illis euentibus, gratis requireretur cogitatiua, patet ex illis, qui hunc conceptum ſtatuunt, quippe qui talem cognitionem ponunt, abſque recurſu ad phantaſiam; Neque iudicio meo ſatiſfacit Ferrarienſis 1. con. Gent. cap. illo 65. prope finem octauæ rationis, quando ait, quod licet adſit proprius conceptus ſingularis, adhuc tamen requiritur opus cogitatiuæ, vt docet Auctor, hoc modo ſcilicet, quoniam ſicut in cognitione directa exigitur opus imaginatiuæ, vt phantaſma in actu conſtituat, ita etiam in cognitione reflexa, qua cognoſcitur ſingulare, ob colligationem intellectus in intelligendo cum viribus ſenſitiuis; Hæc inquam ſolutio videtur mihi multipliciter deficere, nam in cognitione reflexa, vel requiritur cogitatiua, vt conſtituat phantaſma in actu, vel propter aliquid aliud, non primù, quoniam non præceſſiſſet directa cognitio, niſi iam phantaſma fuiſſet in actu ſufficienti, ergo ob aliquid aliud; hoc autem, fingendi quoque data licentia, nihil aliud eſt, niſi vt ipſa cogitatiua formet conceptum, & propoſitionem de ipſo ſingulari, ergo in intellectu non erat, neque eſt talis conceptus; Si dicatur requiri ob colligationem, quæro de hac colligatione, vel eſt ex eo quoniam ſecundum rem cogitatiua eſt coniuncta intellectui, & hoc non, quoniam ſic & alij ſenſus interiores colligati ſunt, ergo aliquid vltra talem colligationem ponendum eſt, ratione cuius ſit neceſſaria hæc cogitatiua in ſingulari cognoſcendo, hoc autem non erit, niſi quia ipſa circa ſingulare contempletur, vt ad ſecundam concluſionem dictum eſt, &c. Præterea, ſi requiritur cogitatiua ob illam ſolam colligationem, tunc non haberetur notitia confuſa, & imperfecta ipſius ſingularis, ſed diſtincta abſque ipſa cogitatiua, iam enim per te adeſt conceptus proprius ſingularis in intellectu, quem dicis ſufficere ad cognitionem diſtinctam, licet non quidditatiuam, hoc autem aduerſatur Auctori quæſt. diſputatis, locis memoratis, vbi ponens reflexionem, ſemper ait intellectum habere quandam notitiam ſingularis, ſi foret perfecta, non ſemper poneret ly, quandam, quæ eſt conditio valde diminuens; Sed quid moror? Expreſſe ait q. de Veritate 10. art. 5. non eſſe poſſibile, applicari vniuerſalem ſententiam ad particularem actum, niſi per aliquam potentiam mediam apprehendentem ſingulare, vult igitur, quod cogitatiua apprehendat ſingulare, & vbique ait, quod ipſa format propoſitiones ſingulares, quod ſi iam præexiſteret conceptus proprius ſingularis in intellectu, quorſum cogitatiua poſtea formaret, & vnde eſſet tanta eius neceſſitas, ſi volunt iſti, conceptum illum proprium ſufficere? Argue igitur breui ſic, In cognitione diſtincta ſingularis requiritur ſemper cogitatiua, ergo non adeſt in intellectu proprius eius conceptus, antecedens, & conſequens patuerunt. Neque valet dicere, Auctorem loqui de cognitione directa, quando confugit ad cogitatiuam, non autem de reflexa, nam clare nimis habet quæſt. de Anima art. 20. in reſponſione ad primum ſecundo loco, quod intellectus non cognoſcit ſingulare

Ferrarienſis doctrina.

Impugnatur.

D.Thom.

Obiectio.

Improbatur.

P directe,

directe,ſed reflexe,& ſubdit, quod hæc reflexio nequit compleri,niſi per adiunctionem virtutis cogitatiuæ, quæ adiunctio non eſt ob aliam cauſam, niſi quoniam ipſa format conceptum ſingularis, vt iam declaraui,quocirca neque in reflexa cognitione adeſt proprius ſingularis conceptus in intellectu; & iure Caiet. acutiſſimus locum ſolum, modo citatum adduxit, præuidit enim ſibi potuiſſe dici, illum alijs locis loqui de cognitione directa, dum ad cogitatiuam recurrit, at locus adductus nequit vllo modo hanc ſubire explicationem;Si itaque adeſt in illa reflexione côceptus proprius ipſi intellectui,quomodo non erit perfecta hæc reflexio abſque cogitatiua? Quare id mihi certo ſuadeo, Auctorem nullatenus poſuiſſe, vel vmquam voluiſſe hunc proprium ſingularis conceptum, &c.

Caiet.

Neque obſtat, quod quæſt. diſputatis q. de Veritate 10. art.5. ad tertium,& p. p. q. 85. art. 1. dicat intellectum formare propoſitionem ſingularem, vel hanc propoſitionem, Socrates eſt homo,iam enim Caiet. ad hæc reſpondit, non ſequi ex hoc dari proprium conceptum ſingularis, quoniam per illum conceptum confuſum ipſius ſingularis, & proprium vniuerſalis,per conceptum inquam ſingularis ſuum, & non ſuum, ſuum arguitiue, non ſuum directe,poteſt formare intellectus ſingularem propoſitionem; Quod ſi dicas, tunc non habebitur ab ipſo intellectu notitia ipſius ſingularis diſtincta, ſed ſolum in confuſo, & ſub quadam ratione ſingularis vagi; Hoc nedum concedo,ſed & doceo, neque vmquam habebit propriam, & diſtinctam notitiam ipſe intellectus de hoc ſingulari ex ſe, & præciſe, ſed oportebit, vt ſemper coniungatur cogitatiuæ, veluti de perfecta cognitione loquens Auctor docet in reſponſione ad ſecundum eiuſdem art. p. p. Neque dicas, illum loqui de cognitione directa ſolum,id enim iam reieci; Quod ſi dicatur vt arguit Ferrarienſis, loqui de cognitione diſtincta, quando ait intellectum formare illam propoſitionem ſingularem, dico quod loquitur de cognitione diſtincta, quæ ſufficit ad propoſitionem illam formandam, in qua ſat eſt habere conceptum vniuerſalis, non enim in illa propoſitione conſideratur Sortes vt ſic, vt diſtincte hoc indiuiduum eſt, ſed ſolum vt eſt homo,vt conuenit in hoc vniuerſali prædicato, quod eſt eſſe hominem, & vt continetur in conceptu vniuerſalis hominis, vt patet ex prædicato propoſitionis, quod ei tribuitur, quippe quod non conuenit ſibi, vt eſt ab alijs indiuiduis naturæ humanæ diſtinctus, (ſic enim ſolus Sortes eſſet homo,) ſed vt conuenit cum alijs in vniuerſali ſpeciei humanæ; Hinc non videbis Auctorem dicere,intellectum formare hanc propoſitionem,Sortes eſt hoc indiuiduum,habet has indiuiduales proprietates, &c. non enim concipitur ſingulare quo ad omnino propria ab intellectu, ſed ſolum vt ſtat ſub aliquo conceptu communi ſpecifico, ad quod ipſius ſpeciei conceptus ſufficit. Quod ſi quis proteruire velit, ipſum loqui de cognitione penitus diſtincta ipſius ſingularis, præterquam quod exemplum de propoſitione ſibi aduerſaretur, vt aperui,tamen tunc dico, quod ad hoc requiritur cogitatiua, vt idem docet ad ſecundum,& doctrinam reſponſionum ad argumenta, patet eſſe conformem doctrinæ traditæ in corp. articuli, &c.

Obiectio.

Iam à Caiet. ſoluta.

Alia obiectio.

Diluitur.

Ferrarien.

Quomodo ab intellectu concipiatur ſingulare.

Miror autem, quod adducatur ille locus ex quæſtionibus diſputatis, cum expreſſe Auctor in fine illius art. doceat,(vt ſæpè adductum eſt,) non poſſe fieri applicationem vniuerſalis ad particulare, niſi media cogitatiua, & idem dicat in reſponſione ad ſecundum,& quartum. Quod autem reſpondendo ad tertium, dicat intellectum formare illam propoſitionem ſingularem, certe accipiendum eſt conformiter doctrinæ immediate antecedenti,& immediate ſubſequenti, vt nimirum ſi ſermo fuerit de cognitione omnino abſoluta, requiratur cogitatiua, ſed

D.Thom.

ſed optime iudicio meo dicitur, loqui de cognitione qualis requiritur in formatione propoſitionum adductarum, quod ſcilicet Sortes ſit homo, ad talem enim notitiam ſufficit cognoſcere ſingulare in conceptu alieno, & non ſibi proprio, niſi arguitiue.

Sed arguo vt hoc ipſum probem, argumento Caiet. Si proprius conceptus ſingularis haberetur, ergo teneret intellectus cognitionem ſingularis vt ſic quidditatiuam, quod nullus ſaltem Thomiſta afferet, quoniam ſi definiretur ſingulare, caderet in tali definitione ſignata eius materia, exiſtentia hic, & nunc, nam omnia hæc ſunt de quidditate ſingularis materialis vt ſic, quæ tamen ab intellectu non attinguntur, conſequentia probatur, quoniam nihil aliud eſt noſſe quod quid eſt alicuius, quam illud, ſecundum eius proprium conceptum vt ſic concipere; Sed implicite reſpondet Ferrarienſis, & alij poſt ipſum magis explicant, quod ſcilicet non ſit ſermo de conceptu definitiuo, quem habere non poſſumus, niſi vltimam rei differentiam habeamus, ſed de conceptu ſimplici, qui definitiuum præcedit; Sed ob hoc non tollitur ratio Caiet. peto enim de illo conceptu ſimplici, vel eſt quid nominis, vel quid rei, non quid nominis, quoniam volunt, per illum conceptum haberi notitiam diſtinctam ipſius ſingularis, quam non parit cognitio quid nominis, ergo quid rei, ergo definitiuus eſt conceptus, quid enim eſt habere quid rei alicuius, niſi eius quidditatem, ac definitionem? Et quamuis dentur conceptus quid rei, per quos tamen non penetrentur quædam res à prima potentia, vſque ad vltimum actum, numquam tamen habebitur proprius alicuius conceptus, quo ad quid rei, quin habeatur eius definitio, ſaltem per genus proximum, & differentiam, dummodo differentiæ ſint nobis notæ; quod enim quarumdam rerum vltimas ignoremus differentias, non eſt, quia careamus proprijs ipſarum conceptibus, ſed quoniam nequeunt nobis vllo conceptu præſentari, cuius rei argumentum eſt, quod neque per alios poſtea conceptus, eas exploratas habemus; & ſi non ignorarentur, per proprium certe conceptum quid rei innoteſcerent, cum ergo prædicata quidditatiua ſingularis vt ſic, non ſint eiuſmodi, vt à nobis omnino ignorentur, (nam per intellectum cogitatiua adiutum ea tenemus,) profecto per talem conceptum ſibi proprium, ſi ſit quid rei, vt iſti volunt ſcirentur, & ſic per intellectum haberemus cognitionem quidditatiuam ſingularis materialis vt ſic, quod eſt falſum; Et ſi hæc bene inſpiciantur, iam nulla apparebit illa inſtantia, qua dicitur, nos habere proprium conceptum mentium abſtractarum, quo tamen eas non nouimus quidditatiue, nam illorum entium notitia nobis non eſt poſſibilis, & ſi eſſet, iam in illo conceptu reluceret, præterea non cadunt ſub ſenſu, atque ideo ab ipſis nequeunt abſtrahi ſpecies propriæ, ex quibus deinde formando conceptus proprios, in illis earum quidditates fulgeant, ceu contingit in ſingularibus materialibus, vnde ſi ipſorum proprij conceptus formarentur, nulla poſſet aſſignari ratio, cur in tali conceptu, eorum prædicata quidditatiua non collucerent; & deinde, licet talia entia abſtracta non cognoſcantur quidditatiue, multa tamen eorum quidditatiua prædicata habentur, quod ſufficeret meo diſcurſui, oporteret enim tenere prædicata quidditatiua ſingularis materialis vt ſic, &c.

Arguo vlterius alio argumento Caiet. Si intellectus haberet huius hominis cognitionem per conceptum proprium, iam per illum conceptum eſſet intellectus hoc materiale ſignatum, quod eſt penitus abſurdum, probo conſequentiam, quoniam talis conceptus eſſet materialis, &c. Reſpondet Ferrar. & alij, hoc non ſequi, quoniam ille conceptus eſt immaterialis in eſſe, licet repræſen-

Arguit Auctor argumẽtũ Caiet.

Quomodo quod quid eſt alicuius noſcatur.

Ferrarieñſis, & aliorum poſt ipſum reſpõſio ad argum. Caiet. Confutatur.

Reſponſio ſimiliter & Ferrar. & aliorũ.

Remouetur. tet res materiales, vnde materiale immaterialiter repræſentat; Sed nullo modo infirmatur ex hoc ratio Caiet. non enim eſt conſiderandus ille conceptus, vt res eſt, ſed formaliter, vt repræſentans eſt, per hunc enim hoc modo acceptum, & non materialiter, vel in eſſe percipit intellectus ſingulare, cum præcipue ceſſet talis conceptus, ceſſante intellectione, hinc nequit conſiderari niſi in repræſentando, quo modo eſt materialis; quando enim ſumitur aliquis conceptus in repræſentando, & formaliter, non habet amplius in eo locum diſtinctio rei, & repræſentatiui, ſiue materialis, & formalis, ſiue formaliter, & obiectiue, patet autem, quod hoc modo eſt materialis talis conceptus, quare & intellectus eſſet hoc conceptu, hoc materiale ſignatum; Accedit quod vidimus circa finem primæ aſſertionis, ex intelligente, & re intellecta fieri vnum, quare cum talis conceptus intellectus, vt intellectus ab ipſo, vt repræſentatiuus, ſit materialis, ſit ſignatus, quomodo non erit intellectus materialis, & ſignatus, ſi iam in eſſe intellecto eſt vnum, & idem cum illo? & motiuum hoc, ſeu hæc ratio Caiet. tantam

Auerroes. vim longe antea apud Auerr. obtinuit, vt in comm. libri de ſomno & vigilia, parum à medio dixerit, quod ſi intelligentiæ abſtractæ comprehenderent indiuiduum, tunc neceſſario eſſent materiales, non enim agnouit infuſas ſpecies, quas Theologi locant in mentibus angelorum, &c.

Demum arguo alio argumento Caiet. Non dantur in intellectu ſpecies propriæ ſingularium, ergo neque conceptus proprij, antecedens docetur ab omnibus Thomiſtis, & à multis quoque, qui volunt ſingulare primo cognoſci, conſequentia probatur, quoniam velut oppoſitum ſuſtinentes, dicunt non dari actũ intelligendi, qui non producat conceptum, aut verbum, ita certe non datur actus intelligendi, qui non producatur ab intellectu conſtituto in actu per ſpe-

Quid ſit ſpecies impreſſa. ciem, eſt enim ſpecies impreſſa principium formale, quo fit quæuis intellectio, & exploratius eſt dari ſpecies impreſſas, quam expreſſas apud permultos, ſi ergo ob neceſſitatem termini actus intelligendi, volunt dari proprium conceptum ſingularis, ergo ob neceſſitatem principij eiuſdem actus, oportet dari ſpecies.

Obiectio. Dicent, ad talem intellectionem initiandam ſufficere ſpeciem vniuerſalis, & ego

Cadit. dicam, ad eandem terminandam, ſat eſſe conceptum ipſius vniuerſalis; Equidem non video, quomodo ſi concludat ratio eorum pro termino intellectionis, de cõceptu proprio ſtatuendo, non ſit efficax mea ratio, immo vero ratio Caietani, quam defendo, de ſpecie aſſignanda, pro eiuſdem intellectionis principio; confugiunt illi ad ſpeciem vniuerſalem, recurro ego ad conceptum vniuerſalis.

At ſumma, & forſan inſolubilis hos manet difficultas, qui volunt intellectum per ſpeciem vniuerſalem formare conceptum proprium ſingularis; quomodo enim in illa ſpecie, ex ſe ad omnia ſua ſingularia indifferenti, intuetur hoc, &

Fonſecæ cogitatio. illud ſignatum ſingulare? Reſpondent, & præcipue Fonſeca ſectione 6. illius ſuæ quæſtionis, hanc determinationem fieri ope phantaſmatum ipſorum ſingulariũ, quippe quæ phantaſmata ſupplent ſpecies ipſorum ſingularium, & eorundẽ repræſentationem; ſe habent enim tãquam formæ, ſuo modo coniunctæ intellectui,

Non placet. ad conceptus rerum ſingularium efformandos; Sed hanc doctrinam, & reſponſionem fatetur allegatus auctor difficilem eſſe intellectu, ego vero addo, eſſe prope impoſſibilem captu, & licet in omnẽ latus ſe vertat, vt eam ſuadeat, nihil tamen efficit, nam poſtulo ego, vel aliquid hæc phantaſmata faciunt in ſpecies vniuerſales, vel non, ſi nihil agunt, iã ſpecies illas nequeunt determinare, ad huius, vel illius ſignati ſingularis repræſentationem; agunt igitur, ſed quis rogo huiuſmodi actionem percipiet, cum ipſa phantaſmata ſedem ſemper habeant in orga-

organo corporeo, ſpecies vero in intellectu reſideant? quomodo corporeum poteſt agere in id, quod à ſe diſtat? licet enim verum ſit, formam non ſemper ei cuius ſit forma debere inhærere, (quamuis & hoc perraro eueniat,) oportet tamen de neceſſitate, vt forma ſit vnita, & proxima ei cuius eſt forma, ſic enim diuina eſſentia, (quod in exemplum ipſe adfert,) quamuis creato intellectui non inhæreat, cuius in eſſe intelligibili eſt forma, tamen eſt intellectui beato maxime vnita, & propinqua, nam ob hanc rationem dicitur gerere vices ſpeciei intelligibilis, quoniam ſeipſam intime vnit cum intellectu cuius eſt forma, ſed phantaſmata nedum non inhærent intellectui, (hoc enim & ipſi fatentur,) ſed neque ipſi, neque ſpeciei in quam oportet vt agant, ſunt proxima, cum illa ſint in phantaſia, organo corporeo, ſpecies autem in intellectu, vnde talis actio non eſt perceptibilis, non enim ſufficit dicere, quod aſſiſtant, cum in eis tanta vis non inſit, vt ex eorum aſſiſtentia determinent ſpeciem, & præterea ſi ſolum aſſiſterent, non vocarentur ab eis formæ, quare oportet, vt agant actione phyſica, ipſas ſpecies determinando, quomodo autem agent? *Quomodo diuina eſſentia ſit beato intellectui vnita.*

An non conſentiunt omnes, non poſſe agere phantaſmata in poſſibilem intellectum, niſi ea iuuet lumen intellectus agentis? quomodo ergo nunc agent proprijs viribus? tunc enim non adiuuantur ab agente intellectu, nam fierent nouæ abſtractiones, nouæ ſpecies, non agent ergo, & quoniam ſunt corporea, & quoniam diſtant à ſpeciebus, in quas oportet, vt agant. Præterea, ſi hæc phantaſmata tantam habent virtutem, vt ad formationem horum conceptuum concurrant, cur non concurrent quoque ad formationem ſpecierum ipſorum ſingularium? Hoc etiam aiunt difficile eſſe docere illimet, qui hoc volunt docere, (ac proinde conſultius ſecum egiſſent, ſi in re facili, à tot difficilibus doctrinis abſtinuiſſent,) tamen rationes tres adducunt, quarum prima deſumpta eſt ex naturæ conſuetudine, quæ pluribus non facit id, quod paucioribus poteſt præſtare, ſi autem per ſpecies vniuerſalium repræſentantur ſingularia, in caſſum fierent ſpecies propriæ ipſorum ſingularium, vnde ex præſtantia ſpecierum ſumunt ſecundam rationem, cum rationi non ſit conſentaneum, vt ſpecies adeo debiles ſint, vt quælibet earum vnius rei dumtaxat ſit expreſſiua; tertiam rationem adferunt ex intellectus nobilitate, in quo dignum non videtur, vt inſint ſpecies, ſiue formæ nullum ordinem inter ſe habentes, quales eſſent ſpecies ſingularium; Et quoniam ſibi poterat obijci de eorundem conceptibus, nullum perinde ordinem inter ſe habentibus, reſpondent huic tacitæ obiectioni, indignum eſſe, vt illæ formæ per modum habitus ſibi inhæreant, quales forent ſpecies, non eſt autem indignum, quod inſint per modum tranſeuntis actus, quales ſunt conceptus, quos ponunt. *Tres rationes adfert Fonſeca, vt quæ dicit ſuadeat.*

Sed quo plura adducunt, vt rem difficilem, facilem reddant, iſtam rem difficilem, impoſſibilem prorſus quaſi faciunt, cum nulla probabilitas appareat eorum, quæ dicunt, vt illam ſuadeant, prima namque ratio, vel nihil concludit, vel oppoſitum, vti enim fatetur nobilis auctor, per ſpecies vniuerſalium repræſentari ſingularia, ſic & nos per conceptus eorundem vniuerſalium, ſingularia repræſentari docemus. Rurſus, natura nihil facit fruſtra primo de cœlo 32. ſecundo eiuſdem 50.59. tertio eiuſdem 24. octauo Phyſ. 15. tertio de anima 45. & 60. lib. de reſpiratione animalium cap. 11. primo de partibus eorundem cap. 5. & primo Politicorum cap. 5. (quoniam enim hæc propoſitio millies aſſumitur, libuit varia eius loca in Ariſtotele commemorare,) quod & ipſi aſſumunt, ſed fruſtra fiunt hi conceptus ſingularium proprij in intellectu, ergo non eſt dicendum, *Deſtruitur prima ratio.* *Plura Ariſtotelis loca.*

dum, quod fiant, cum illud ſit naturæ ingenium, vt pluribus non efficiat, quod poteſt paucioribus; probo minorem, nam vel eſt ſermo de conceptu, in quo confuſe videatur ſingulare, vel omnino diſtincte, ſi primum, ad hoc ſufficit conceptus vniuerſalis ſui, vt illimet aſſerunt, ſi ſecundum, hic conceptus formatur à cogitatiua, vt oſtenſum eſt in ſuperioribus, quare vane fiunt conceptus illi proprij ab intellectu, ſic prima ratio auctores ſuos angit, & eneruat.

Euertitur ſecunda. Nobilitas quoque ſpecierum facit pro me, non enim eſt credendum, quod ſint adeo imbecilles, vt in ipſarum conceptu non inhæreant aliquo modo ſingularium conceptus, & eiuſmodi, vt ſufficiant ad hoc, vt quædam de ipſis pronunciata formentur, quare nos magis euehimus ipſas ſpecies, & earundem conceptus, quam faciant illi, qui ad conceptus ſingularium proprios recurrunt, quod ſi ad diſtinctum conceptum confugiant, iam pluries iterauimus, hunc à ratione particulari, aut cogitatiua formari. *Et tertia.* Quod autem adducitur pro tertia ratione, eſt penitus infirmum, nulla enim foret indignitas intellectus, vt in eo eſſent ſpecies ſingularium, quæ licet adinuicem ordinem non haberent, tamen illum haberent ad vniuerſalem ſpeciem, cuius eſſent ſingularia, neque foret hic ordo ſpectandus, ſed perfectio ipſius intellectus poſſibilis, qui eſt illius naturæ, *Natura poſſibilis intellectus.* vt ſit omnia per receptionem, vt habetur 3. de anima 18. & præterea conceptus illi, quos iſti ponunt, licet ſint formæ per modum actus tranſeuntis, ſemper tamen eſſet intellectus quaſi ſub aliquo illorum, vnde ſucceſſiue, & collectiue, ſe haberent inſtar formæ permanentis, ſed vt dixi, hic ordo, vel non ordo ſpecierum, intellectus nobilitati nihil derogaret.

Cum ergo nulla adferatur ratio, cur magis ad formandos hos conceptus, quã ad ſpecies effingendas phantaſmata concurrant, veluti negamus nos, & ipſimet concurrere ad effectionem ſpecierum, ita dicamus quoque, locum non habere in formatione conceptuum; immo difficilius apparet, vt ad formationem horum conceptuum concurrant, quam ad illam ſpecierum, cum hi conceptus ſint expreſſiui in actu ſecundo completo, ſpecies autem in habitu, & actu primo imperfecte; cumque alia via nequeant hi conceptus formari, ſupereſt, quod numquam formentur, & ex conſequenti, quod nulla via ſint in intellectu; Vnde ex cognitione conceptus vniuerſalis, intellectus ipſe arguet hoc, & illud ſingulare in confuſo, ſi vero diſtinctam de ipſis notitiam habere voluerit, praſto ei erit cogitatiua.

Quando autem quærit Fonſeca, ſectione tertia à Caiet. de modo illo, quo cognoſcit intellectus ſingulare arguitiue, quomodo cognoſcat naturã, non exiſtere ſeparatam, hoc enim non eſt, niſi quia videat eam extra hoc, & illud non exiſtere, tunc inquit, quomodo poteſt cognoſcere, non exiſtere extra hoc, & illud, ſi hoc, & illud non cognoſcat? quare gloriatur, ſe ex ratione ipſiuſmet Caiet. colligere oppoſitum, quod docet Caiet. non videns quomodo idem Caiet. huic inani interrogationi iam reſpõderit, (vnde inanis deprehenditur gloria illa,) fatebitur, enim, quod cognoſcit hoc, & illud, ergo proprijs conceptibus, negatur conſequentia, quam tamen non probat; Si dixerit, non cognoſci hoc, & illud ſub ratione ſignati indiuidui in conceptu vniuerſali, hoc nihil eſt, ſufficit, quod cognoſcantur eatenus, quatenus ab illa natura communi differunt, quod euenit etiam, ſi cognoſcantur indiſtincte, & quaſi ſub quadam ratione indiuidui vagi, quando autem id exacte percipere voluerit, ad cogitatiuam recurret, &c. *Fruſtra de Caietan. exultat Fonſeca.*

Cognoſcet ergo intellectus noſter ſingulare materiale, non primo, non directe.

cte, ſed reflexe, ita tamen, quod eius conceptum proprium non formabit, ſed illud intuebitur in conceptu vniuerſalis, & erit cognitio arguitiua, ſic vocata à Capreolo, Caiet. & Aquario locis allegatis, vt enim ait Caiet. dum concipio hominem, & ſingularitatem, & quod homo non ſubſiſtit per ſe, arguit, & concludit intellectus, quod ſit in rerum natura res quædam ſingularis, differens ab vniuerſali ſibi oblato per differentiam, quam non agnoſcit intellectus quidditatiue, vbi patet Caiet. concedere, quod habeatur notitia de ſingulari, quatenus differt ab illo vniuerſali, quod cognoſcit, non autem haberi notitiam diſtinctam eiuſdem, ad hanc etenim, etiam in reflexione, oportet interuenire cogitatiuam, vt patet ex ijs, quæ dicta fuere.

Qualis notitia de ſingulari adſit intellectui.

Caietanus.

De opinione eorum, qui dicunt nullo modo ſingulare percipi ab intellectu, non eſt vt laborem, nil enim aliud credo auctores illos ſibi velle, niſi quod neque propria ſpecies, neque proprius conceptus ſingularium ſit in noſtro intellectu, quod meam ſententiam iuuat, quæ eſt Caiet. Quod ſi reflexio illa, quam poſuimus in ſecunda concluſione, Genuæ non placuit, oſtendimus eius impugnationem nullam eſſe, neque argumentum credo adduci poſſe, vt probetur, nullo modo poſſe ab intellectu percipi ſingulare, quod facillime non ſoluatur, ſi illud conſideratum fuerit, numquam cognoſci in ſe, ſed arguitiue tantum, in ſpecie nimirum, & conceptu ſui vniuerſalis.

Et hæc pro dilucidatione veritatis, quæ etiam ſufficerent pro confirmatione concluſionum, cum varijs vijs ſint probata, quæ docent hæ tres aſſertiones. Nihilominus probatur adhuc prima concluſio auctoritatibus Ariſtotelis 1. Phyſicorum 49. 2. de anima 60. vbi ait, vniuerſale cognoſci ab intellectu, ſingulare à ſenſu, & primo de anima 27. alia docet iudicari ſenſu, alia intellectu, & alibi, ſingularia tribuit facultati ſenſili, vniuerſalia intellectili; Sed reſpondent qui ſunt in ſententia contraria, quod noluit dicere Ariſtoteles, non agnoſcere intellectum ſingulare, ſed voluit ponere diſcrimen inter intellectum, & ſenſum, quoniam ſenſus ſingulare tantum, intellectus vero vtrumque agnoſcit; Sed certe mira res eſt, quod velit Ariſtoteles intellectum percipere vtrumque, & tamen ſemper vniuerſale ſolum ei tribuat, nulla habita mētione de ſingulari, immo hoc condiuidit, & tribuit ſenſui, quod magis videtur vrgere contra illos, qui volunt, ſingulare eſſe primo notum intellectui, tunc enim Ariſtoteles primum obiectū intellectus reticuiſſet, & ſemper aſſignaſſet illud, quod poſt primum cognitum apprehenditur. Sed adeſt locus apud Ariſtotelem, clare oſtendens, ſingularia nedum non primo, ſed neque directe percipi ab intellectu, legimus enim 35. ſeptimi Diuinorum, ſingularia quando abeunt non eſſe nota, quare ſpectant ſolum ad ſenſum, qui eſt de præſentibus, non autem vlla via ad intellectum, hic enim cognoſcit ea quoque, quæ non ſunt in actu exiſtentiæ, & abeuntia ſunt, &c.

Probationes primæ concluſionis.

Ariſtot.

Obiectio.

Aufertur.

Ariſtot.

Alexander quoque Aphrodiſæus tanti nominis apud peripateticos, 12. Diuinorum 37. declarans illa verba, *atque altera ſeries per ſeipſam intelligibilis eſt*, nimis profunde docet, quomodo formæ, quæ materiales ſunt, & in materia eſſe ſuum obtinent, fiant ab intellectu intelligibiles, quia nimirum intellectus eas ſequeſtrat à materia, cum qua ipſis eſſe ſuppetit, (ſimul enim cum materia formæ materiales eſſe habent,) & ſic quæque ipſarum eſt intelligibilis actu, at non ante, & rurſus ſubdit, quod intellectus ſumens rei intellectæ formam, ipſamque à materia ſecernens, (quid clarius?) actu intelligibilem facit; Idem docet inferius 39. dicens, intellectum intelligere formas abſque materia, & ne dicatur, quod

Alexander.

poſſit

poſſit tamen intelligere ſingularia, ait manifeſte, quippe qui non hoc intelligit, ſed huius eſſe, & remittit ſe ad mox antea dicta.

Themiſt. Themiſtius etiam 3. de anima cap. 22. & 24. ait, ſpecies formarum materialium ex ſua natura non eſſe intelligibiles, ſed oportere eas materia exui, & expoliari, Auerroes autem ſuper quintum tertij de anima dicebat, differre intellectum poſſibilem à materia, quoniam hæc recipit formas indiuiduales, & iſtas, intellectus vero vniuerſales, & cum non in eſſe, hæc enim non dantur, ergo in repræſentari, ergo formæ intellectus, ſpecies ſcilicet repræſentant tantum vniuerſale; Vide ipſum ibidem probationes huius ſui veriſſimi dicti adducentem, & deinde comm. 92. primi de cœlo clamantem, omne intelligibile eſſe ſecundum formam, ſenſibile vero ſecundum materiam, & denique magnus Albertus lib. 1. de intelligibili tract. 2. cap. 1. docet, & probat, ſolum vniuerſale eſſe intelligibile, & nullum particulare omnino, quam opinionem primis verbis illius cap. ait eſſe Ariſtotelis, Boetij, & Auerrois, & circa medium eiuſdem cap. inquit, hanc ſententiam tradi concorditer à tota ſecta peripateticorum; Vnde alienæ nimis, & repugnantes ſunt interpretationes illorum, qui dicunt, veteres peripateticos ſenſiſſe, ita vniuerſalia percipi ab intellectu, vt tamen ſingularia excludere noluerint, vel quod voluerint non ſolum intellectum, ſed ſenſibus adiutum ſingularia capere, nam quo ad primum, ita volunt vniuerſalia percipi, quod nulla via ſingularia directe poſſideantur, nam & excluſionem ponunt, & probant non attingi ſingularia, quo ad ſecundum, requiruntur certe ſenſus, & nihil ad intellectum tranſmittitur, niſi ſenſibus præuijs, & hoc norunt omnes, & tamen abſolute negarunt intellectum noſſe ſingularia, & ſi quiuis ſenſuum concurſus ſufficiens eſſet, vt ob illius interuentum, deberet negari ſolus intellectus aliquid cognoſcere, iam diceremus intellectum non cognoſcere vniuerſalia, ſiquidem & ad hæc agnoſcenda, concurrunt ſenſus, &c.

Auerroes. Albertus Magnus. Falſo quidam accipiunt veteres peripateticos, circa notitiam intellectus de vniuerſalibus.

Si vis alias rationes, vltra illas, quas adduxi ego in gratiam primæ concluſionis, vide Paulum Soncinatem quæſt. 12. ſeptimi Diuinorum, vbi ſex rationes inuenies, & Aquarius etiam dilucid. 13. ſuper eundem librum, quaſdam alias adfert, &c.

Soncinas. Aquarius.

Secundam concluſionem, & probatam reliquimus, & probant omnia prope argumenta in principio quæſtionis adducta, tertia poſtremo aſſertio ſufficienter comprobata fuit paulo ante, &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

Confutantur argumenta in oppoſitum.

IN primo argumento continebantur octo motiua, quorum primum deſumebatur ex eo quod maiorem entitatem habet ſingulare, ſed ſeptimo notabili circa primam concluſionem vidimus, non modo eius confutationem, ſed & quomodo reflectatur, quoniam vniuerſale magis habet de entitate illa, quæ eſt intelligibilis; ſimiliter ruit ſecundum motiuum, nam ſi ſingulare minus habet de entitate apta paſſiuæ intellectioni, eſt difficilius cognitu, præterea, cum intellectus abſtrahendo intelligat, etiam ſi in ſe eſſet facilioris notitiæ, abſtractio illa obſtaret: Addebatur, quod ſcientiæ pendent ex principijs, & quod principia ſiunt ex inductione ſingularium, millies dictum eſt, talem inductionem non

fieri

fieri ab intellectu ſolo, ſed adiuto à ſenſibus, & potiſſimum à cogitatiua, quo etiam modo, ex ſingularibus colligitur vniuerſale, vt dicebat quintum motiuũ, quartum autem iam corruit, vidimus enim, conuerſionem illam ad phantaſmata, non eſſe intellectionem, quoniam ſunt media cognitionis, non obiecta cognoſcibilia, præterea non ait Ariſtoteles, intellectum ſpeculari phantaſmata; ſed intelligentem, hominem videlicet, vel animam per cogitatiuam, nam & antea eodem lib. tex. 30. dixerat, nihil ſine phantaſmate intelligere animam. Quod autem ſenſus terminetur ad ſingulare, & proinde ab illo debeat incipere intellectus, id admittatur de intellectu agente, qui circa phantaſmata ſe exercet, ſed tunc nulla ſurgit intellectio, falſum vlterius eſt, quod debeat potentia poſterior incipere à termino prioris, tunc enim argueretur imperfectio in priori potentia, ſed incipere debet à proximo ſibi, &c. ſimiliter vniuerſale præcedit potentiam paſſiuam, poſſibilem ſcilicet intellectum, quod ſat eſt ad obiectum, non præcedit autem potentiam actiuam, immo per eam fit, cum eatenus dicatur actiua, ſic vniuerſale obiectum intellectus poſſibilis fit ab intellectu agente; tandem ex eo quod fiat abſtractio à ſingularibus, quod erat octauum, & vltimum motiuum, non ſolum non ſequitur, debere prius cognoſci ſingularia, ſed nullo modo in illo actu cognoſci poſſe, vt copioſe oſtendimus 5. & 6. notabili circa primam aſſertionem, & modo addo, quod cum abſtractio fiat in gratiam intellectionis, & intellectio ſubſequatur abſtractionem, (alioquin vane fieret abſtractio.) fieri non poteſt, vt in illo actu abſtrahendi ſit cognitio, &c.

Quis ſpeculatur phantaſmata.

Ad argumentum ſecundum, in quo itidem claudebantur octo motiua, quæ videbantur eſſe contra concluſiones primam, & ſecundam, non eſt vt aliter reſpondeam, iam enim ſecunda obſeruatione circa concluſionem ſecundam declaraui, huiuſmodi argumenta probare quidem haberi cognitionem de ſingularibus ab intellectu, non tamen directam, vnde probant ſecundam concluſionem; Pro formali tamen confutatione vltimi motiui ſcias, non ſemper effectum repræſentare primo cauſam ſuam, quando ille effectus non eſt productus primaria intentione vt ſit, ſed vt repræſentet, ſic enim oportet, quod primo repræſentet id cuius eſt imago, applica phantaſmati, quod licet cauſatum ſit à ſingulari; quoniam tamen productum eſt, non vt ſit, ſed vt actum repræſentandi præcipue exerceat, & in actu directo intellectionis non conſideratur vt res eſt, ſed vt imago ipſius vniuerſalis, ideo non illud, ſed hoc in tali actu repræſentat. Addo ego, quod cæteris paribus, & ſi nihil obſtet, debet effectus primo repræſentare ſuam cauſam, in præſenti autem obſtat abſtractio, ſine qua nequit poſſibilis intellectus intelligere, ſi neceſſaria abſtractio, ergo non repræſentabitur ſingulare, ab hoc enim fit abſtractio, &c. Tandem phantaſma non eſt cauſa ſpeciei, ſed potius materia & occaſio, cauſa enim vera, eſt intellectus agens, vt quarto cap. huius libri ex inſinuatione videbitur circa tertiam concluſionem tertiæ partis; At admiſſo, phantaſma eſſe cauſam ſpeciei, vt ad hominem, ſiue ad homines arguam, non cauſat natura illa in phantaſmate ſpeciem ſecundum ſe totam, ſed ſolum quatenus eſt abſtracta ab indiuidualibus conditionibus, cauſat enim quatenus eſt in actu, & fit in actu ab intellectu agente, ſolum ratione ſui vt ſic, ſeiunctis indiuidualibus conditionibus, hæ enim non apparent in phantaſmate illuſtrato, ſic cauſat ſpeciem repræſentantem naturam ſolum, non indiuiduales affectiones, debet enim effectus ſuam cauſam repræſentare, vt cauſam formaliter, cauſat autem vt natura, non vt hæc natura indiuiduata in illo actu, ſic nedum ſoluitur, ſed reflectitur argumentum.

Quando effectus non repræſentet primo ſuam cauſam.

Quæ ſit vera cauſa ſpeciei.

Q Ad

Ad tertium principale, in quo fiebat interrogatio, reſpondeo, quod ſingulare vt ſic nequit intelligi, & ratione materiæ, & ratione agentis intellectus, & ratione ſpeciei intelligibilis; Ad primam impugnationem fuſius patuit in quæſtione, quomodo non ſolum ab illa præſentia, & exiſtentia, ſed & ab omni ſignata materia oporteat eſſe abſtractum, id quod intelligitur, hæc enim ſecundum ſe nequit cognoſci, vnde per hoc ipſum patet ad id, quod addebatur de vniuerſali in quo eſt materia, quoniam non materia communis, quæ eſt in vniuerſali impedit cognitionem, alioquin de rebus naturalibus non haberetur ſcientia, at ſignata materia eſt illa, quæ nequit intelligi, & à qua oportet abſtrahere intellectum, & miror Toletum, & Gregorium de Valentia, argumĕtum hoc de materia, quam includit vniuerſale adferre contra Auctorem, cum huic eidem motiuo fecerit ipſe ſatis formaliter, vltima parte cap. ſecundi, huius libri, &c. Ex hoc ruit id quod ſubinferebatur, quod ſcilicet ſingulare ſit ſatis depuratum, quando exutum eſt illa ſola craſſitie, oportet enim ab omnibus materiæ conditionibus ſpoliari, vt pluribus oſtendi circa quartum art. quæſtionis; Quod demum dicitur, non eſſe de eſſentia ſpeciei, vt ſit vniuerſalis, ſed ſolum vt ſit repræſentatiua, dico accidiſſe æquiuocationem viris clariſſimis in ly, vniuerſalis, licet enim non ſit forſan de eſſentia ſpeciei, quod ſit vniuerſalis, hoc eſt quod plura exprimat extĕſiue, eſt tamen de eius eſſentia, quod ſit vniuerſalis, hoc eſt, quod naturam vniuerſalem repræſentet, abiunctam ſcilicet à conditionibus materiæ, adeoquod, hæc vniuerſalitas non attendatur penes communitatem plurium repræſentatorum, ſed penes remotionem principiorum ſingularium, iam enim ſecunda obſeruatione circa primam concluſionĕ abunde explicaui, quale ſit vniuerſale, quod ab intellectu intelligitur; &c. Dico deinde, quod cum in noſtro intellectu non ponantur ſpecies ſingularium, & aliquo modo per reflexionem in ſpeciebus, & conceptibus vniuerſalium cognoſcantur ab ipſo ſingularia, oportet dicere, quod ſit eſſentiale ſpeciebus vniuerſalibus in noſtro intellectu, quod aliqua via plura repræſentent, ea nimirum, quæ ſub illis continentur, prima tamen ſolutio tamquam ſubtilior, & penitus argumentum comminuens mihi magis placet.

Quæ materia impediat, & non impediat cognitionem.

Quomodo ſit de eſſentia ſpeciei, vt ſit vniuerſalis in repræſentădo.

Ad quartum reſpondeo, quod non cognoſcere ſingularia omni modo, & ſcilicet quo ad naturam, & quo ad accidentia, conuenit noſtro intellectui, ratione ſuæ imperfectionis, vt intellectus eſt, accipit enim ſcientiam à rebus, quæ quoniam quo ad ſingularitatem nequeunt mouere, ideo quo ad illam, ab ipſo non attinguntur, intellectus autem diuinus, & angelicus, quorum ſcientia non ſumitur à rebus, res ipſas quo ad omnia cognoſcunt, vt dicebam quarta obſeruatione ad primam concluſionem; Quando autem dicitur, quod ſenſus nouit ſingularia, patet quomodo noſcat illa, nimirum quo ad accidentia, & materiam, &c. Intellectus vero ſenſu perfectior attingit id quod perfectius eſt in ſingulari, naturam ſcilicet, & quidditatem, quare iam argumentum retorquebitur, quoniam enim intellectus noſter eſt imperfectior angelico, & diuino, ideo nequit abſoluta illa cognitione potiri, qua illi, quoniam autem eſt perfectior vi ſenſili, ideo nobiliori via cognoſcit, quam illa; & ita ruit quoque confirmatio, patet namque quomodo intellectus noſter medius inter angelicum, & ſentientem cognitionem participet de vtroque extremo, quin aperte reflectitur, quoniam ſi agnoſceret ſingularia quo ad omnia, quæ ſunt in illis, iam non participaret de extremo primo, ſed eſſet ſicut ipſum extremum, participat autem, ideo partem illius capit, dum nimirum in ſingularibus naturam agnoſcens, indiuidualia, & acci-

Quomodo sĕſus noſcat ſingulare.

Quomodo intellectus.

Retorquetur argumĕtum.

Et etiam cõfirmatio.

dentia

dentia reliqua ignorat, &c.

Ad ea, quæ contra tertiam aſſertionem facere videntur, abunde reſponſum eſt, & breui ſunt applicanda, eſt enim falſum, quod in intellectu ſit verbum mentale ipſius ſingularis proprium, ſed ratiocinatur de illo intellectus, quatenus aliquo modo lucet in verbo vniuerſali; Ita adſunt voces explicantes conceptum ſingularis, non proprium, ſed quatenus continetur in conceptu vniuerſalis, qui eſt ſingularis arguitiue, ſic recte iudicat ſufficienti rectitudine, quo ad ea, quæ de ſingulari profert intellectus, quod ſi iudicium abſolutum omnino exigatur, iam ſit recurſus ad cogitatiuam; idem dicas de practico intellectu, ſe exercente erga ſingularia, hunc enim cum Auctore docuimus numquam perfecte operari, niſi adiuuetur à particulari ratione; quod vero non detur actus intelligendi abſque conceptu, hoc nihil obſtat, datur enim conceptus vniuerſalis, in quo ſingulare attingitur, veluti & intellectus ſingulare per vniuerſale modo explicato agnoſcit. Denique, quomodo debeat accipi Auctor quando dixit, intellectum formare propoſitionem ſingularem, iam explicatum reliquimus, Quare hic ſit finis huius quæſtionis, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

Num ſint eadem, quæ nota ſint nobis, & naturæ.

CIRCA id, quod tertia parte procemij dicebamus ex Auctore, nos ex poſterioribus deuenire in cognitionem priorum, moueo quæſtionem breuem, num reuera aliqua ſint notiora, & priora naturæ, & aliqua poſteriora, & ignotiora nobis, an potius ea, quæ ſecundum naturam ſunt priora, & notiora, ſint quoque notiora, & priora nobis, ſi enim idem eſſet notius ſecundum naturam, & quo ad nos, nihil diceretur illa tertia parte literæ, dum ſit auditor docilis; Et quoniam hæc difficultas late à permultis, qui ſuper ſecundum primi Phyſicorum ſcripſerunt verſata iam eſt, ideo breui ab ipſa me expediam.

Apparet certe, quod idem ſit notius naturæ, & nobis, nam albedo eſt notior nobis, quam ſimilitudo, cuius eſt cauſa, bene etenim cognoſco albedinem, non autem ſimilitudinem, eſt quoque notior naturæ, quoniam eſt cauſa, & ſecundum naturam cauſa eſt notior, quam effectus, ergo idem eſt notius naturæ, & nobis.

Vlterius, in demonſtratione propter quid, quæ formatur in regreſſu, vbi inuentis principijs, formamus demonſtrationem propter quid, & ſic procedimus per cauſam, & principia, quæ ſunt notiora natura, vt patet, & nobis quoque, alioquin ex eis non procederemus, ergo eadem naturæ, & nobis ſunt nota.

Tertio, docet Commentator primo Phyſicorum tex. illo ſecundo, quod demonſtrationes mathematicæ procedunt ex cauſis, quod etiam innuit ſuper decimum ſeptimi Diuinorum, & Auctor ibidem in fine commenti clare docet, ergo ex notis nobis, ſed hæ eædem cauſæ ſunt & notiores natura, vnde idem Auerroes principio commenti vltimi ſuper ſecundum Diuinorum dicebat, demonſtrationes mathematicas eſſe in primo gradu certitudinis, ergo idem quod prius. Auerroes. D. Thom.

Vltimo, videtur vana hæc quæſtio, ſiue diſtinctio, ex qua oritur quæſtio, quoniam nihil eſt notius naturæ, cum natura ſit agens carens cognitione, &c.

Agēda in hoc quæſito.

Vt materiam hanc definiam, oſtendam paucis, quid ſit notius nobis, mox quid notius natura, deinde nonnulla obſeruabo, & vltimo confutabo, quæ adduxi argumenta.

Ariſtot.

Primum nos clare docuit Ariſtoteles Poſteriorum 1. tex. 5. ſiue cap. 2. quando deſcripſit notius nobis dicens, notiora nobis eſſe illa, quæ ſunt propinquiora ſenſibus noſtris, quare illa dicuntur priora, & notiora nobis, quæ magis mouent ſenſus noſtros, quod quomodo ſit intelligendum, tum in notitia ſenſili, tum in intellectuali, ante habitis quæſtionibus abunde explicatum eſt: Hinc illorum ſententia non eſt approbanda, qui dicunt, non eſſe nobis determinata, & definita ea, quæ nobis notiora ſunt, ſed pro temporum varietate, varia quoque eſſe nobis notiora, quibus viſus eſt fauere Ariſtoteles ſexto Topicorum cap. 3. dum ait, eiſdem alia interdum, alia magis nota, nam principio quidem ſenſibilia, inſtructioribus autem factis, contra; Profecto ratio, & definitio per quam aliquid dicitur nobis notius eſt certa, ac definita, ergo determinatum quoque, ac certum eſt, eſſe nobis prius, & notius, quæ namque maxime mouent ſenſum, ſunt definita, & hæc eadem dicuntur nobis nota. Ariſtoteles autem id ſolum indicare voluit ibi, quod cum abſolute ſint nobis notiora, ac priora, propinquiora ſenſibus, tamen deinde principia, & cauſæ, quoniam diſtincte cognoſcuntur, & diſtinctam pariunt cognitionem, dicuntur à nobis magis cognoſci, ſed non propterea dicuntur abſolute priora, & notiora nobis, & certe Ariſtoteles ſi bene inſpiciatur, eſt illis contrarius, quoniam ait, ſenſibilia eſſe prius nota, inſtructioribus autem e contra, quare principia inſtructioribus tantum ſunt notiora, ergo ante inſtructionem non erant nota, hæc autem prouectio, & inſtructio acquiſita fuit per aliquas notitias priores, in quibus notitijs non erant magis nota principia, ergo ſenſibilia ſemper ſunt nobis notiora, & priora abſolute, ſic exponere videntur omnes antiquiores circa allegatum tex. primi Phyſicorum, nam Simplicius, & Themiſtius, & Auerroes, & Albertus magnus, & Auctor dicunt, notiora nobis eſſe compoſita, ſiue confuſa, ſiue communia, quæ vtique conſtat eſſe magis ſenſibilia, & ſenſibus propinquiora, quos & multi recentiores ſequuntur, &c.

Quorundam ſententia.

Ariſtot.

Improbatur.

Grauiorū Ariſtotelis expoſitorū interpretatio.

At vero ſecundum manifeſtare, videtur magis difficile, cum enim vt diceba-tur in quarto argumento, natura agat ſine cognitione, velut ignis calefaciens aquam, agit per naturam abſque cognitione, non apparet, quod aliquid poſſit vocari natura notius: Hinc varij modi dicendi emerſerunt, aliqui enim dixerunt, hoc pronunciatum, non abſolute, ſed ex ſuppoſitione fore accipiendum, videlicet, ſi natura cognoſceret, quoniam enim orditur à cauſis, cauſæ eſſent primo notæ, vt aliquo modo poteſt colligi ex Auerroe, ſuper tertium primi Phyſicorum. Sed hæc interpretatio eſt reijcienda, tum quoniam ſententia, quæ abſolute ab Ariſtotele profertur, dum abſolute poteſt intelligi, non eſt vt ad ſuppoſitionem confugiatur, tum quoniam ſi natura cognoſceret, primo diceretur cognoſcere finem, in quem tendit, non autem principia, artifex enim conſideratus vt cognoſcens, primo reſpicit finem, deinde ordinat ad illum, vnde à principijs ſolum dicitur ordiri, non autem, quod primo ab illo cognoſcantur, quoniam finis eſt primum in intentione & cauſa eſt omnium, quæ fiunt, vt pleriſque in locis auctor eſt Ariſtoteles, præcipue ſecundo Phyſicorum 29. quinto Diuin. 2. primo de partibus animalium cap. 5. & primo Ethicor. cap. 7. hunc ergo primo cogno-

Primus modus dicendi, quid ſit notius natura.

Excluditur.

Quid ſit finis

Ariſtoteles.

cognoſceret natura, ſi cognoſceret, vt videtur colligi ex Auicenna cap. 1. primi de ſufficientia, quoniam tamen in ſerie cauſarum finis eſt princeps, non male dicitur, quod ſi natura cognoſceret, cauſæ eſſent ſibi primo notæ, hoc eſt aliqua cauſa, hic tamen non eſt ſenſus huius dicti; Dixerunt alij, aliquid dici notius natura, non quia cognoſcat natura, ſed quoniam operatur, ideo illud dicitur notius ſibi, quod ei primo occurrit; Sed neque hoc cum ratione profertur, tum quoniam non vere, ac proprie ſaluatur aliquid eſſe notius, ſed abuſiue nimis, cum ſola prioritas, & nullus ordo ad notitiam interueniat, tum quoniam materia eſſet notior, quam forma, ſiquidem illa primo occurrit naturæ, quam deinde elaborat, vt in ea formam poſſit inducere, & materia ſecunda eſſet notior, quam prima, & prior, quoniam illa primo agenti occurrit, tum denique quoniam cum dicant omnes, id alicui eſſe notius, quod prius, & ignotius, quod poſterius, ſic dicendo, idem per idem aſſignatur. Auicenna. Secundus modus. Remouetur.

Putarunt alij, aliquid eſſe notius natura, idem eſſe, quod eſſe notius Deo, qui eſt opifex ipſius naturæ, & conſueuit dici natura naturans; At falſiſſimum eſt hoc commentum, tunc etenim aliquid eſſet nobis notius, quam Deo, quod eſt erroneum, nedum in ſacra Theologia, ſed & in Philoſophia, non habet quippe locum in Deo diſtinctio hæc, maioris, & minoris cognitionis, cum omnia lucidiſſime in ſua eſſentia, & per ſuam eſſentiam intueatur. Tertius. Damnatur.

Nos itaque dicamus cum ipſomet Ariſtotele, qui ibidem declarauit, quid ſit notius natura, quando ſtatim ſubintulit, non eadem ſunt nobis nota, & ſimpliciter, quare quod prius dixerat notiora naturæ, mox vocauit nota ſimpliciter; ita etiam 10. ſeptimi Diuin. quod prius vocat notum natura, mox dicit notũ ſimpliciter. Illud igitur quod ex ſui natura & conditione erit notius, dicetur notius natura; quod aperuit Auctor, quando in expoſitione illius tex. dixit, non dicere Ariſtotelem, nota naturæ, quia natura cognoſcat ea, ſed quia ex ſe, & ſecundum naturam ſuam ſunt nota, & Bucaferrus lectione 22. ſuper primum Phyſic. clarius id expreſſit, dicendo, alios errare in hoc, quoniam capiunt datiuum, pro ablatiuo, exponentes ſcilicet notius naturæ, cum tamen intelligendum ſit notius natura, vt multi textus habent, quod ſi in nonnullis tranſlationibus legatur notius naturæ, id forte dixit Ariſtoteles, vt reſponderet ei, quod dixit notius nobis, ſed ſtatim vt dicebam, ſeipſum explicauit. Verus modus Ariſtot. D. Thom. Bucaferr.

Cæterum mox ſciſcitaris, quid eſt hoc notius natura ſecundum ſe, & ſimpliciter? Aduerte primo facile, quod ſimpliciter hoc in loco non accipitur pro vt idem ſignificat, quod notum omnibus, in quo ſenſu diſtinguitur ab eo, quod eſt notum ſolummodo huic, vel illi, quomodo declarabat Ariſtoteles 6. Topic. cap. relato, dum dixit; *Fortaſſe, & quod ſimpliciter notum, non eſt id quod omnibus notum, ſed quod bene diſpoſitis intellectu, ſicut & ſimpliciter ſalubre, ijs qui bene affectum habent corpus*, ſed ſimpliciter hoc loco condiſtinguitur ei, quod notum eſt nobis, quouis modo conſideratis, & nil aliud importat, quam notum ſecundum ſe, & ex ſui natura, vt dicebatur; Vt poſſimus ferè dicere, ſimpliciter, in hac parte accipi, veluti definiebatur ab Ariſtotele 2. Topicorum, prope finem cap. quarti, & vltimi, hoc eſt, nullo addito, ſed abſolute, &c. Ariſtot.

Tunc dico, quod illud eſt ex ſui natura & ſimpliciter notius, quod magis habet de entitate, & magis eſt in actu, hæc enim ex ſui natura notiſſima ſunt, veluti ea nobis ſunt nota, quæ parum, aut nihil entis participant, vt dicebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 10. ſiue etiam parum veritatis, aut nihil, nam ſæpe ens pro vero, & non ens, pro falſo vſurpat Ariſtoteles, vt ſuper tex. illum Quid ſit ex ſui natura, ac ſimpliciter notius. Ariſtot.

dicebat

Alexander. D. Thom. dicebat Alexander. Et ſic notius natura exponebat Auctor primo Phyſicorum, loco memorato, hæc autem quæ magis habent de entitate, quæ plus participant de actu, erunt quæ ſunt ſimpliciora, & à materia elongatiora, ſic enim procul valde elogantur ab eo, quod eſt cauſa, & non entitatis, & potentialitatis,& præterea ſimpliciora in ſui cognitione non pendent à compoſitis, ceu hæc pendent ab illis.

Bucaferrus,& alij obijciunt D. Thomæ. Nulla autem eſt obiectio,quæ illo loco à Bucaferro, & ab alijs ſuper primum Phyſicorum adfertur contra Auctorem,quando dicunt, ſi illud eſt notius natura, quod plus participat de entitate, ergo iam compoſitum, quod magis participat de entitate,quam faciat forma,vel materia, erit natura notius,& ſic non erit verum, quod docent omnes, & ipſemet Auctor, cauſas eſſe notiores natura,quam Refelluntur multipliciter. effectus; Multis quippe modis poteſt hæc obiectio penitus comminui, & primo nego compoſitum magis participare de entitate, ſiue eſſe magis ens,quam for- Auerroes. mam, ſentio enim ipſe cum Auerroe ſeptimo Diuinorum 7. ſecundo Phyſic. 4. Caiet. & cum Caiet. prologo primi de anima, & cum Zimara theoremate 10.& cum Zimara. Aquario quæſtione ſua ſpeciali de formæ præſtantia ſupra compoſitum, & di- Aquarius. lucidatione 5. ſuper eundem ſeptimum Diuinorum, & cum alijs, formam eſſe Cum his conuenit Auctor in præſtantia formæ ſupra compoſitum. magis ens, quam compoſitum, cum quicquid perfectionis, & eſſe habet compoſitum, habeat à forma, ſed de hoc aliàs Deo dante,ideo argumentum nullum eſt, ſed dato etiam, quod compoſitum haberet màgis de entitate, quam forma, adhuc argumentum non concludit, quoniam Auctor nomine magis entium, non accèpit indiſcriminatim omnia magis entia, ſed illa, quorum eſſe non dependet ab alio,(excepta dependentia à primo ente,quæ ſemper ſupponitur,) rurſus illa entia, quæ aliquo modo ſunt cauſa reliquorum, & denique illa entia, quæ magis remota ſunt à non ente, à potentia, & à materia, cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ, ſic ipſemet exemplum tulit de ſubſtantijs abſtractis, & allegati auctores dicunt, ſimplicia eſſe notiora natura, hoc eſt cauſas, vnde id manifeſtant de ijs ſimplicibus, quæ alia componunt, & ex conſequenti eorum ſunt cauſæ, vt habes apud Themiſtium, Simplicium, &c. Ex quo patet,nullum effectum vt ſic, (quicquid fuerit de effectu,quatenus eſt ab agente intentus,) eſſe natura notiorem.

Vidimus quid ſit notius nobis, & quid natura, nunc vt ſcias quomodo non Vbi vera ſit hæc propoſitio: Non ſunt eadem nobis, & naturæ nota. eadem ſunt nota nobis & naturæ, aduerte, quod talis propoſitio habet veritatem in naturalibus, (vt colligis ex omnibus ferè, qui hanc quæſtionem tractant,) non autem in mathematicis, quoniam in his quatenus demonſtrantur, eadem ſunt, & natura, & nobis nota,quoniam illorum cauſæ ſunt nobis notiores,quam paſſiones, & ſimiliter illæmet cauſæ ſunt natura quoque notiores, quare &c.

Dixi autem potiſſimum in naturalibus, non tamen ſemper, quoniam aliquando eadem erunt nobis, & natura nota, ſi enim ſit aliquando demonſtratio, quæ procedat à cauſa, tunc illa cauſa eſt notior nobis, & eſt quoque notior natura; illæ tamen cauſæ erunt nobis notiores, quo ad eſſe, non quo ad eſſe cauſas, hoc enim in illa demonſtratione concluditur,cuius oppoſitum deprehenditur in demonſtratione propter quid in regreſſu, de qua loquebatur ſecundum argumentum, tunc enim ex principijs inuentis procedimus, ſed tunc illa principia, & cauſæ ſunt nobis notiores, quo ad eſſe cauſas, non quo ad eſſe, notiores quidem quo ad eſſe cauſas, quoniam iam hoc per priorem demonſtrationem vidimus, eas ſcilicet eſſe cauſas, non autem notiores, quo ad eſſe ſimpliciter, quoniam iam per effectus in priori demonſtratione eas ſumus venati;

qua-

quapropter abſolute, prius effectus ipſi fuerunt notiores, In cuius rei euidens ſignum, in tali demonſtratione non concluditur, vel manifeſtatur eſſe ipſius effectus, ſed tantum cauſa, & propter quid, ita vt quemadmodum prius ex eſſe effectus cognouimus eſſe cauſæ, ita deinde ex eſſe cauſæ nobis notiori, non quo ad eſſe, ſed quo ad eſſe cauſam, non abſolute, ſed tunc venimus in cognitionem propter quid ipſius effectus, & non in eſſe effectus, hoc enim vt dicebam, fuit prius notius, & ita notius, vt in agnitionem cauſæ nos deduxerit; quod aliquo modo videtur adumbraſſe Auerroes ſecundo de cœlo, & mundo 35. & videtur voluiſſe Ariſtoteles loco illo Topicorum memorato, quando dixit, Cum fuerimus inſtructi, hoc eſt cum ſciuerimus principia, tunc illa principia, quæ ſunt notiora natura, erunt quoque & nobis notiora, modo declarato, &c. Auerroes. Ariſtot.

Scias vlterius, nos procedere ex effectibus, qui vt plurimum ſunt nobis notiores, quam ipſæ cauſæ, potiſſimum intrinſecæ, materia ſcilicet, & forma, nam aliquando eſt mihi notior cauſa efficiens, ſi præcipue fuerit ſenſata, & finalis quoque, quam ſit aliquis effectus, nam albedo, quæ eſt cauſa efficiens, & directe ſub ſenſum cadit, eſt mihi notior, quam ſit ſimilitudo, quæ eſt eius effectus, vt primo loco in arguendo obijciebatur, ſimiliter, ego ſum finis quarundam mearum operationum, (quædam vtique ob me operor,) & tamen mihi ipſe ſum notior, quam multæ meæ operationes, ſed ſemper mihi eſt effectus notior, quam ſit, vel eius materia, vel forma vt ſic, &c.

Et quidem à principio progreſſuum, & in via procedendi, numquam ſunt eadem nobis, & natura nota, ſed ſemper ex notis nobis, venimus ad ea, quæ nobis ſunt ignota, & natura nota, vt dicebat Ariſtoteles 1. Phyſicor. tex illo 2. & 2. de Anima 12. & ſeptimo Diuinorum 10. quo loco præſertim, hoc diffuſe docet, dicens in fine, neceſſe ex male notis ſecundum naturam, nobis vero notis procedere, &c.

Tandem aduerte, non eſſe intentionem Ariſtotelis, quod ea quæ ſunt nota natura, nullatenus ſint nota nobis, id enim eſſet falſum, vel enim nota naturæ ſint cauſæ, patet nos aliquam de illis habere cognitionem, vel ſint ea, quæ plurimum de actu participant, ſicut abſtracta, ea quoque vtcumque attingimus, iam enim 9. Diuinorum 22. docuit Ariſtoteles, non ſe habere noſtrum intellectum ad abſtracta, ſicuti cæcitatem, ſed ſermo ipſius comparatiue accipiendus eſt, quod nimirum, ea quæ notiora ſunt natura, non tam ſint nota nobis, ſed ignota, at non penitus, & ſimiliter ea quæ nobis ſunt notiora, eſſe ignotiora ſecundum naturam, hoc eſt non adeo nota, cum perparum de actu participent. Ita legis Ariſtotelem comparatiue hæc proferre, & Auctorem etiam in hac parte, quod & ab Alexandro decimo illo ſeptimi Diuinorum animaduerſum fuit, &c. D.Thom. Alexander.

Collige ergo, notius nobis illud eſſe, quod magis mouet ſenſus noſtros, quodque magis ſenſibile eſt, notius natura, quod magis participat de entitate à materia ſecreta, quæ non ab alijs, ſed à qua potius aliquo pacto alia dependeant; collige, in mathematicis eſſe eadem nobis, & natura nota, non autem in naturalibus vt plurimum, & præcipue in via procedendi, nam in via demonſtrandi, varijs vijs poſſunt eſſe eadem, & natura, & nobis nota; Sic optime dicebat Auctor, ſe velle procedere ex poſterioribus natura, & compoſitis, ad priora, & ſimplicia, iam enim non eſt in mathematicis, & eſt in via procedendi. Epilogus dictorum. D.Thom.

Ad argumenta non eſt vt reſpondeatur, iam enim ex doctrina allata, eorum

vires

vires confractas vidimus, quoniam primum deſumebatur ex cauſa efficiente, & ſenſata, quam nihil prohibet aliqua via, & natura, & nobis eſſe notiorem.

Secundum, ex cauſis notioribus, non quo ad eſſe, ſed quo ad eſſe cauſas, & etiam ſumitur ex ordine demonſtrandi.

Tertium, ex diſciplinis mathematicis, apud quas locum non habet talis diſtinctio.

Quartum demum petit, quomodo natura cognoſcat, quod non eſt ad propoſitum, cum nihil ſit notum naturæ cognoſcenti, ſed natura, hoc eſt ex ſe, & ſimpliciter.

Et hæc in gratiam prooemij, & primæ partis huius libri; Iam ad narrationem, quæ eſt altera pars accedamus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

1 SCIENDVM eſt, quod ſicut in quinto Metaphyſicæ * Philoſophus dicit, ens per ſe dicitur dupliciter, vno modo, quod diuiditur per decem genera, alio modo, quod ſignificat propoſitionum veritatem. *tex.14.

2 Horum autem differentia eſt, quia ſecundo modo poteſt dici ens omne illud, de quo affirmatiua propoſitio formari poteſt, etiam ſi illud in re nihil ponat, per quem modum priuationes, & negationes entia dicuntur, dicimus enim, quod affirmatio eſt oppoſita negationi, & quod cæcitas eſt in oculo; ſed primo modo non poteſt dici aliquid quod ſit ens, niſi quod in re aliquid ponat; Vnde primo modo cæcitas, & huiuſmodi non ſunt entia.

3 Nomen igitur eſſentiæ non ſumitur ab ente ſecundo modo dicto, aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ eſſentiam non habent, vt patet in priuationibus, ſed ſumitur eſſentia ab ente primo modo dicto. Vnde Commentator in eodem loco * dicit, ens primo modo dictum eſt, quod ſignificat ſubſtantiam rei. * vbi ſupra. com. illius 14.

4 Et quia vt dictum eſt, ens hoc modo dictum diuiditur per decem genera, oportet, quod eſſentia ſignificet aliquod commune omnibus naturis, per quas diuerſa entia in diuerſis generibus, & ſpeciebus collocantur, ſicut humanitas eſt eſſentia hominis, & ſic de alijs.

5 Et quia illud per quod res conſtituitur in proprio genere, vel ſpecie, eſt quod ſignificamus per diffinitionem indicantem quid eſt res, Inde eſt, quod nomen eſſentiæ à philoſophis in nomen quidditatis mutatur; Et hoc eſt, quod Philoſophus in ſeptimo Metaphyſicæ * frequenter nominat quod quid erat eſſe, id eſt, hoc per quod aliquid habet eſſe quid. Dicitur etiam forma, ſecundum quod per formam ſignificatur per- *tex.7. & deinde.

fectio, vel certitudo vniuſcuiuſque rei, ſicut dicit Auicenna in ſecundo Metaphyſicæ ſuæ. * Hoc etiam alio nomine natura dicitur, accipiendo naturam ſecundum primum illorum quattuor modorum, quos Boetius de duabus naturis * aſſignat, ſecundum ſcilicet, quod natura dicitur eſſe illud, quod quocumque modo intellectu capi poteſt, non enim res intelligibilis eſt, niſi per ſuam diffinitionem, & eſſentiam; Et ſic etiam dicit Philoſophus in quinto Metaphyſicæ * quod omnis ſubſtantia eſt natura; Nomen autem naturæ hoc modo ſumptæ videtur ſignificare eſſentiam rei, ſecundum quod habet ordinem, vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria deſtituatur operatione. Quidditatis vero nomen ſumitur ex hoc, quod per diffinitionem ſignificatur, ſed eſſentia dicitur, ſecundum quod, per eam, & in ea res habet eſſe.

Elicitur ex cap. 1.

cap. 1.

tex. 5.

SVMMA CAPITIS.

Diuidit ens, & ſecundum quod duobus modis dicitur, aſsignat differentiam inter duas illas entis acceptiones, ex quibus colligitur, quid ſignificetur nomine entis, de quo loquimur, & à quo ente originem ſumat eſſentia; manifeſtatur quoque, quid ſignificet eſſentia proportione ad ipſum ens, & quinque nomina, quibus diuerſimode conſueuit nominari eſſentia, in medium adducit.

DIVISIO.

Hic incipit ſecunda pars principalis huius tractatus, narratio ſcilicet, quam aliàs diximus duplici præcipua parte conſtare, quarum prima abſoluitur hoc vnico capite; cuius quinque facimus partes, in prima namque adfert Auctor diuiſionem entis, quam ab Ariſtotele hauſit, in ſecunda ponit id, in quo diſcriminantur membra illius diuiſionis, in tertia aperit à quo ente ſumatur eſſentia, vnde habetur quid nomine entis importetur, in quarta declarat quid ſibi velit eſſentia, & quid ſignificet, in quinta varia eſſentiæ nomina in medium adferuntur.

Quinque ſūt huius capitis partes.

Prima. Aristot.

Quo ad primum, diuiſio entis, vt idem Auctor ait eſt illa, quam poſuit Ariſtoteles 5. Diuinorum 14. duplici enim modo aliquid dicitur ens, primo quod diuiditur per decem genera, quod ſcilicet collocatur in prædicamentis, quod ibi

Ariſto-

Ariſtoteles dicebat ſignificare figuras prædicationis, ſecundo quod ſignificat veritatem propoſitionum, compoſitionem nimirum propoſitionum, quam facit intellectus, dum componit, ſiue diuidit, hoc eſt, dum affirmat, vel negat.

Quo ad ſecundum, differentia eſt inter hæc entia, quod aliquid non poteſt ſubire denominationem entis primo modo accepti, niſi aliquid in re ponat, cum enim hoc modo illud dicatur ens, quod reponitur in genere reali, & prædicamento, certe quod erit hoc modo ens, aliquid reale neceſſario ponet in re; Vt autem aliquid dicatur ens ſecundo modo, non eſt neceſſe, vt quid in re ponat, ſed ſat eſt, vt de illo poſſit formari propoſitio, quo modo priuationes, & negationes dicuntur entia, non quia aliquid in re ponant, ſed quoniam de ipſis format intellectus propoſitiones, eas donando nomine quandoque ſubiecti, quandoque prædicati, quippe quæ nequeunt dici entia primo modo. Secunda.

Quo ad tertium, ait nomen eſſentiæ non ſumi ab ente in ſecunda acceptione, & ratio eſt, quoniam aliqua hoc modo dicuntur entia, quæ non habent eſſentiam, veluti ſunt priuationes, quare ſumitur ab ente in priori ſignificatione, quippe quod neceſſario eſſentiam includit, & rei ſubſtantiam ſignificat, quod firmat Auerrois teſtimonio, &c. Tertia.

Quo ad quartum, docet quod eſſentia ſignificat quoddam commune omnibus naturis omnium entium, cum enim ens à quo ſumitur eſſentia, per decem prædicamenta partiatur, & ſignificet aliquod commune omnibus exiſtentibus, quoniam omnia quæ exiſtunt, ſunt hoc modo entia, ita eſſentia ſignificat aliquod commune omnibus generibus, & ſpeciebus, & velut ens ſignificat id quod eſt in genere quocumque, & ſpecie, ita eſſentia ſignificabit illud, per quod aliquid eſt in genere, vel ſpecie; cum autem vnumquodque reponatur in genere, & ſpecie per ſuam naturam, (ideo namque homo in alia cathegoria collocatur, ab ea in qua reponitur albedo, quia aliam habet naturam, à natura albedinis,) requiritur, quod eſſentia ſignificet aliquod commune omnibus naturis rerum. Quarta.

Quo ad quintum, vltra nomen proprium, quo eſſentia nuncupatur, vocatur ſecundo quidditas, tertio quodquid erat eſſe, quarto forma, quinto, & vltimo natura, quoniam enim eſſentia eſt illud, per quod res vt dicebamus conſtituitur in proprio genere, vel ſpecie, & hoc quo quid in genere, vel ſpecie reponitur, eſt illud, quod explicamus per definitionem indicantem eſſe rei, & definitio rei vocatur eiuſdem quidditas, de primo ad vltimum ſequitur, quod iure philoſophi vocent eſſentiam quidditatem, vt patet præcipue ex ijs, qui ſuper ſeptimum Diuinorum ſcripſerunt; ſic adeſt ſecundum nomen, ex quo effectum eſt, quod hanc eſſentiam, hanc quidditatem vocet ſæpius Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum quodquid erat eſſe, hoc eſt, illud, per quod aliquid habet eſſe quid, (ſic tex. 7. 10. 11. bis, 12. ſexies, & ferè in omni deinde contextu illius libri ſeptimi,) quod eſt tertium nomen; vocatur quarto forma, quatenus nomine formæ exprimere volumus perfectionem, vel certitudinem rei, vt ſcripſit Auicenna citatus in litera, ſecundo ſuæ metaphyſicæ, (& Ariſtoteles eodem ſeptimo, textibus 33. 34. 35. id quod dixerat quodquid, vocat formam,) tandem dicitur natura, accipiendo naturam, pro eo quod quouis modo poteſt ab intellectu attingi, qui eſt primus modus illorum quattuor, quos aſſignauit Boetius lib. de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, quos ſi placet vide in ipſo Boetio, cap. 1. qui licet primo dicat, naturam tribus modis capi poſſe, tamen in fine capitis, quartam eiuſdem acceptionem adiecit, & in Auctore 2. ſent. diſt. 37. q. 1. art. 1. & in Caiet. hoc loco, neque enim res eſt intelligibilis, niſi per ſuam eſſentiam, & definitionem Quinta. Quinque nomina eſſentiæ. Plura Ariſtotelis loca. Boetius.

vnde & Ariſtoteles quinto Diuinorum contex. 5. per totum, præcipue in principio, & fine tex. ait, omnem ſubſtantiam eſſe naturam, vbi & ſeptem modos quibus conſueuit ſumi natura ponit, licet quinque primi ſint veluti principales, & vltimi duo acceſſorij, & ſubdit Auctor, nomen naturæ hoc modo acceptum importare eſſentiam rei, quatenus eſt ordinata ad proprium opus, cum vnumquodque ſit ob ſuam operationem, ex ſecundo de cœlo, & mundo, decimoſeptimo, &c.

ANNOTATIONES.

Sciendum eſt, quod ſicut in quinto Metaphyſicæ, &c.

Ariſtot.

CIRCA primam partem obſerua, quod diuiſio entis allata, non eſt totalis illa, quam attulit Ariſtot. quinto Diuin. dum diuidebat ens, quoniã tex. 13. diuiſit ens primo in ens per ſe, & ens per accidens, & tres modos aſſignauit entis per accidens, vt quãdo accidens dicitur de accidente, vt iuſtum de muſico, aut quando accidens dicitur de ſubiecto, vt homo eſt muſicus, aut e contra, quando ſubiectum dicitur de accidente, vt muſicum eſt homo, quæ diuiſio non eſt eadem cum illa, qua diuiditur ens in ſubſtantiam, & accidens, alioquin ſi ens per ſe eſſet idem, quod ens ſecundum ſubſtantiam, non diuideretur deinde ens per ſe in decem genera, quoniam nouem eorum ſunt accidentia, hinc diuiſio entis in ſubſtantiam, & accidens attenditur ſecundum quod aliquid eſt in natura ſua, vel ſubſtantia, vel accidens, illa autem entis ſecundum ſe, & ſecundum accidens ſpectatur ſecundum quod aliquid dicitur de aliquo, vt illo tex. notabat Auctor, quem ibidem Sueſſanus approbabat. Quapropter Auctor accepit partem diuiſionis, quam fecit Ariſtoteles, ſiue ſubdiuiſit partem diuiſionis; Ariſtoteles enim, vt dicebatur diuiſit ens in ens ſecundum ſe, & ſecundum accidens, omiſſo ente ſecundum accidens, Auctor accepit ens ſecundum ſe, vnde notanter dixit, quod ens per ſe, (ecce ſubdiuiſionem diuiſionis Ariſtotelis) dicitur dupliciter, &c. Noluit autem meminiſſe de ente per accidens, quoniam tale ens non conſideratur à ſcientifico, & nulla circa ipſum eſt ſpeculatio, vt docet, & probat Ariſtoteles ſexto Diuinorum, quarto; loco vero memorato quinti eorundem, huius entis per accidens mentionem habuit Philoſophus, quoniam Metaphyſicus eſt artifex vniuerſaliſſimus, ad quem ſpectat conſideratio aliquo modo cuiuſlibet entis, quod tamen deinde à metaphyſica ſpeculatione reiecit octauo, & vltimo ſexti eorundem, ſaltem à principali conſideratione, vt ſuper illum tex. ſcripſit Auctor. At qua via cuiuſlibet entis, & entis, qua ens eſt, ſpectet ad metaphyſicum contemplatio, non eſt præſentis loci videre.

Partitio entis in ſubſtantiã, & accidẽs iuxta quid attendatur.

Iuxta quid illa in ens ſecũdum ſe & ſecundum accidens.

Ariſtot.

Qualis artifex Metaphyſicus.

Circa eandem partem, & diuiſionem obſerua adhuc, quod neque totam Ariſtotelis ſubdiuiſionem accepit, hoc eſt non omnes modos entis ſecundum ſe conſiderauit, vt enim ibi in Ariſtot. eſt videre tex. 14. tres modos ponit entis ſecundum ſe, & primus eſt, ſecundum quem ens dicitur de decem generibus, ſecundus, qui veritatem propoſitionum ſignificat, tertius eſt de ente in actu, & ente in potentia, dicitur namque aliquis ſcire, & quia poteſt vti ſcientia, & quia ea vtitur, patuit autem Auctorẽ primum tantum, & ſecundum modos accepiſſe, omiſſo tertio, quod ea de cauſa ab ipſo factum mihi ſuadeo, quoniam eius intentio

Ariſtot.

tentio eſt agere de ente perfecto, & de illo, quod reſpondet eſſentiæ, & à quo ſumitur eſſentia, tale autem non eſt ens potentiale, hoc enim eſt, & imperfectum, & diminutum, & ſecundum quid tantum, & communius ente perfecto, vt idem ibidem dicebat. Ariſtoteles autem de omni ente in metaphyſicis, vt dixi meminiſſe debebat. Intentio D. Thomæ.

Quod ſi dicas, pari ratione non debebat adferre ſecundum modum entis, quoniam neque ab illo ſumitur eſſentia, neque eſt ens perfectum, cum etiam priuationes ſint illo modo entia, vt dictum eſt; Dico non eſſe parem rationem de ſecundo, & de tertio modo entis, nam licet ab ente ſecundo modo accepto, non neceſſario ſumatur eſſentia, poteſt tamen ſumi, ſed ab ente in potentia, neque ſumitur, neque poteſt ſumi, quoniam eſſentia eſt tantum rerum in actu, & non loquor de actu exiſtentiæ, ſed de actu ſpecifico quidditatis, & naturæ. Dixi, quod ab ente ſecundo modo accepto non neceſſario ſumitur eſſentia, ſi enim neceſſario ab ipſo deſumeretur, tunc ab omni, quod eſſet illo modo ens deſumeretur, & ſic à priuationibus, quæ illo modo ſunt entia deſumeretur eſſentia, quod eſt falſum, nulla namque eſſentia huiuſcemodi gaudent; Dixi, quod poteſt ſumi, quoniam multa, quæ vere ſunt entia, & à quibus ſumitur eſſentia, ſunt quoque entia ſecundo modo, hoc eſt fundant veritatem propoſitionum, immo omnia entia primo modo, ſunt quoque entia ſecundo modo, hoc eſt fundant veritatem propoſitionum, ſed non e contra, quoniam de aliquo poteſt formari ab intellectu propoſitio, & ſic erit ens ſecundo modo, quod tamen nihil reale ponet in re, vnde non erit ens primo modo, ſic videbis in ſecunda parte literæ non dici, quod ens ſecundo modo ſit illud, quod nihil in re ponit, hoc enim eſſet falſum abſolute, & vniuerſaliter prolatum, cum multa ſint entia fundantia veritatem propoſitionum, quæ tamen aliquid reale ponunt, omnia nimirum entia primo modo, ſed leges, quod ſecundo modo poteſt dici ens omne illud, de quo propoſitio poteſt affirmari, etiam ſi nihil in re ponat, vbi dicitur poſſe dici, non quod vniuerſaliter dicatur, & eſt ac ſi diceretur, ens ſecundo modo non eſt neceſſario id, quod nihil in re ponat, ſed permiſſiue; ſimiliter leges tertia parte literæ, quod nomen eſſentiæ non ſumitur ab ente ſecundo modo, quoniam aliqua hoc modo dicuntur entia, quæ eſſentiam non habent, dixi aliqua, non omnia, quoniam non tota latitudo entis ſecundo modo accepti, eſt latitudo entis primo modo, veluti tota latitudo entis primo modo, eſt illa quoque ſecundo modo, &c. Difficultas. Aufertur. Quorum ſit eſſentia.

Hinc colligere potes, quod illi duo modi entis, de quibus litera in præſenti, & Ariſtoteles loco memorato loquitur, non ſunt oppoſiti, vel diſparati, ſed ſe habent vt communius, & minus commune, vt includens, & incluſum, quoniam ſecundus modus eſt latior, & includens primum, primus autem preſſior, & minus communis, & incluſus; Idem obiter dicas de tertio modo ibi ab Ariſtotele poſito, eſt enim includens, ac latioris ambitus reſpectu duorum præcedentium, quoniam ens vel actu, vel potentia, (qui eſt tertius modus) dicitur & de illo, quod aliquid in re ponit, & de illo, quod veritatem fundat propoſitionis, non autem hæc dicuntur de ente in actu, vel in potentia, ſed tantum de ente in actu, ſi enim fuerit aliquid in decem genera diuiſum, & quod aliquid in re ponat, & ſi propoſitio de aliquo formabitur, certe vtrumque erit in actu, & neutrum vt ſic potentiale, &c. Comparatio inter duos modos entis, qui habentur in litera.

Circa eandem diuiſionem, quæ habetur in prima parte, nota tertio quantum ſpectat ad propoſitum, & ad eorum notitiam, quæ in gratiam illius diuiſionis

initio

initio dixi, quod veriſſimum eſt, ens diuidi per decem genera rerum, licet etenim ſint duo tantum entia in mundo, abſolute loquendo, ſubſtantia ſcilicet, & accidens, tamen dicimus eſſe decem prædicamenta realia, quoniam diſtinctio prædicamentorum ſumitur, non penes res, ſed penes diuerſos modos, quibus aliquid ſit, vel vt multi loquuntur, iuxta diuerſos modos eſſendi radicaliter, & fundamentaliter, & penes diuerſos modos prædicandi proxime, & formaliter, quoniam enim ens non eſt genus, vt docuit Ariſtoteles tertio Diuinorum, in calce tex. 10. non deſcendet, vel contrahetur ad inferiora per differentias, tunc enim ea per quæ deſcenderet, eſſent quid extra ipſum, & ita contraherent, & non contraherent, contraherent, vt ponitur, non contraherent, quoniam nihil eſſent, ſi enim eſſent differentiæ entis, eſſent præter naturam ipſius, ergo eſſent nihil, prima conſequentia patet, quoniam differentiæ ſunt extra eſſentiam generis, ſecunda quoque eſt clara, quoniam quod eſt extra naturam entis, non eſt ens, iccirco deſcendit ad inferiora per diuerſos modos eſſendi, & per hos diſtinguuntur prædicamenta, vt enim inferiora animalis, eius ſcilicet ſpecies diſtinguuntur per id, quo animal deſcendit ad ipſas, per rationale ſcilicet, & irrationale, diuerſi autem illi modi eſſendi dicuntur diuerſi inter ſe, non autem in ordine ad ens, & ſunt diuerſi, quatenus expreſſum aliquem modum ſpecialem entis exprimet hic, & ille, qui modus non exprimetur nomine ipſius entis; ſubſtantia enim non addit ſupra ens aliquam differentiam, quæ ſignificet aliquam naturam enti ſuperadditam, ſed nomine ſubſtantiæ quidam modus ſpecialis ipſius entis exprimitur, qui nomine entis non importatur, & hic modus eſt eſſendi in ſe, ſic alia nouem genera alios modos exprimunt, vt ſcite docuit Auctor quæſt. diſput. de Veritate q. 1. art. 1.

Vnde prædicamentorum diſtinctio.

Ariſtot.

Per quæ ad inferiora deſcendat ens.

Quid nomine ſubſtantię exprimatur.

D. Thom.

Per hos igitur varios eſſendi modos diſtinguuntur primo, & fundamentaliter genera rerum, at formaliter, & proxime iuxta varios modos prædicandi de prima ſubſtantia, loquendo de generibus rerum, non primo intentionaliter, hoc eſt pro rebus ipſis pure, neque ſecundo intentionaliter, hoc eſt pro illo ordine, qui eſt in vnoquoque ipſorum, inter genera ſcilicet, & ſpecies, ſed ſumendo res ipſas, vt ſtant ſub intentionibus ſecundis.

Dico, quod fundamentaliter diſtinguuntur iuxta varios eſſendi modos, formaliter autem iuxta variam, quam de ſubſtantia prima ſubeunt prædicationem; quoniam modus eſſendi fundat modum prædicandi, non enim quid de aliquo prædicaretur, niſi eſſet in illo, neque hoc, vel illo modo prædicaretur, niſi hoc, vel illo modo eſſet; formalitas autem prædicamentorum vt ſic, ſtat in prædicari, in dici de, hinc formaliter, & proxime per varios modos prædicandi ſecernuntur. Ita collige, quod mille res ſi vno, & eodem modo dicantur de ſubſtantia prima, & eadem via illam denominent, ad vnicum, idemque prædicamentum attinebunt; & e contra, ſi vna, & eadem res numero varia denominatione denominet primam ſubſtantiam, ad varia quoque prædicamenta attinebit, & fundamentum iam allatum eſt, quoniam non penes hanc, vel illam entitatem, neque penes hunc, vel illum eſſendi modum abſolute, ſed ſolum iuxta illum eſſendi modum, qui varium fundet modum prædicandi, diſtinguuntur prædicamenta; Vnde nulla eſt illatio à diſtinctione rerum, ad diſtinctionem prædicamentorum, vel e contra, & licet bona ſit hæc collectio, adeſt res, ergo & prædicamentum, quoniam vnumquodque quod eſt, vel eſt ſubſtantia, vel aliqua via illam denominat, non tamen valet, ſunt hic plures res, ergo plura prædicamenta, quoniam ſtat, quod eodem modo reſpiciant ſubſtantiam primam, vnde vnicum ex illis conſti-

conſtituetur prædicamentum, ſimiliter non valet, adeſt vna res, ergo vnum tantum prædicamentum, quoniam ſtat, quod in illa re ſint varij eſſendi modi, quibus diuerſimode primam ſubſtantiam reſpiciat, & ex conſequenti plura conſurgant prædicamenta; varij inquam modi eſſentialiter diſtincti, & plures, non res, ſed realitates conſtituentes. Ita motus eſt vnica res, quoniam tamen in illo ſunt plures modi eſſendi, qui fundant diuerſos modos prædicandi, eapropter duo ex ipſo emergunt prædicamenta, quoniam idem motus modo denominat ſubſtantiam primam, à qua aliquid proficiſcitur, & ſic adeſt prædicamentum actionis, quando eandem denominat, vt in qua aliquid recipitur, & ita conſtituitur prædicamentum paſſionis: Hinc ſi actio ſpectabitur quo ad rem, importabit primario motum; ſi vero quatenus eſt prædicamentum, ſignificabit primario reſpectum illum à quo, licet enim ab hoc reſpectu à quo, non habeat quod ſit, ſed illud habeat a forma illa, quæ fluit, habet tamen ab ipſo, vt ſit actio, vt denominet ſubſtantiam primam agentem, vt ſit prædicamentum. Idem dicito de paſſione in ordine ad reſpectum in quo, habet enim à motu, quod ſit res quædam, ſed habet ab ipſo reſpectu, quod ſit paſſio, motus enim dat eſſe materiale actioni, & paſſioni, immo materialiter eſt actio, & paſſio, ſed non dat ipſis eſſe tale, vel actionis, vel paſſionis vt ſic, motus enim non eſt eſſentialiter actio, alioquin omnis motus foret actio, neque eſſentialiter paſſio, alioquin nullus motus foret actio, ſed abſtrahit ab vtroque, & eſt vtrumque permiſſiue.

Quomodo ex motu conſurgat prædicamentũ actionis, & paſſionis.

Quale eſſe tribuat, & non tribuat motus actioni, & paſſioni.

Quod ſi bene aduertatur id quod docui, vnde nam ſumatur fundamentalis, & formalis ratio diſtinctionis prædicamentorum, nihil fortaſſis erit in hac re, quod minimo negotio non diſſoluatur, quatenus ad præſens inſtitutum attinere videbitur, & nulla eſſe comperies argumenta Ioannis Andreæ inter Scotiſtas celebris, quæſtione ſua ſeptima quinti Diuinorum, vbi licet concedat ſumi prædicamenta penes diuerſos modos eſſendi, negat tamen ſumi penes modos prædicandi.

Mens Ioannis Andreæ.

Quam vero attulimus doctrinam innuit Ariſtoteles quinto Diuinorum duodecimo, quando dixit illa eſſe vnum genere, quorum eadem eſt prædicamenti figura, hoc eſt, quæ habent vnum modum prædicandi, vt exponebat Auctor, & Sueſſanus, vnde non erunt vnum genere illa, ſed ad diuerſa prædicamenta ſpectabunt, quæ diuerſimode de prima ſubſtantia prædicabuntur, iuxta maximam eiuſdem Ariſtotelis primo Poſteriorum cap. 10. ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio negationis, &c.

Ariſtot.
D. Thom.
Sueſſanus.

Quoniam ergo decem ſunt modi, quibus poteſt fieri prædicatio de prima ſubſtantia, ideo bene dicebat Auctor ex Ariſtotele, ens diuidi in decem rerum genera, quod autem tot ſint modi, vide eundem Auctorem ſuper illum tex. 14. quinti Diuinorum, & ſuper 22. tertij Phyſicorum, vbi aſſignat ſufficientiam prædicamentorum; Idipſum, ſed alio modo declarat Simplicius in antepraedicamentis, circa diuiſionem illam vltimam poſitam ibi ab Ariſtotele, vbi aliam prædicamentorum ſufficientiam affert ex Iamblico, & breuiſſimam aliam ſubdit ipſius Architæ.

D. Thom.
Simplic.

Nomen igitur eſſentiæ non ſumitur ab ente ſecundo modo, &c.

Circa tertiam partem notabat facile Caiet. merito dici nomen eſſentiæ ſumi à nomine entis, quoniam vt patuit ex procemio, notitia quoque ipſius eſſentiæ ſumitur ab illa entis, iam enim docuit Ariſtoteles primo de Interpretatione

Caietanus.
Ariſtot.

tione, primo, voces eſſe ſigna earum, quæ ſunt in anima paſſionum, quare ita nominamus, veluti concipimus, nam nomina ſunt in gratiam conceptuum, & vt explicent, quæ agnoſcimus, neque enim feruntur immediate in res, ſed in conceptus, & hi in res, vt docebat Auctor p.p.q.13.art.4. quo fit, vt voces variæ licet eandem rem importent, non ideo erunt ſynonimæ, dum illam varijs conceptibus exprimunt, cum diſtinguantur nomina, non penes res, (alioquin vnius rei non poſſent haberi plura nomina,) ſed penes conceptus, cum ergo concipiatur à nobis, & cognoſcatur eſſentia per ipſum ens, ſimili ratione quoque per idem nominabitur, & nomen eſſentiæ ſumetur à nomine entis, vt dicitur in litera.

D.Thom.

Penes quid diſtinguantur nomina.

Sententia Scoti.

Contrarium docuit D.Thomas, & alij.

Hinc collige, non eſſe verum, quod docebat Scotus primo ſent. diſt. 22. quæſtione vnica, quaſi ſub initium, quod aliquid ſcilicet poſſit magis diſtincte nominari, quam concipi, vnde aiebat, Deum poſſe à nobis aliquo nomine diſtincte exprimi, licet non poſſit concipi conceptu vllo diſtincto; oppoſitum ſentit Auctor quinto Diuinorum, in fine expoſitionis tex. 5. & primo con. Gent. 34. & p.p.q.13.art.1. & Caiet. ibidem, & hoc loco illud innuit, & Durandus in primo diſt. citata, q. 1. & Capreolus eadem diſt. q. 1. concluſione tertia, & Ferrar. 1. con. Gent. cap. 30. & Alenſis decimo Diuinorum, prope finem tex. 9. & Banneſius p.p. loco relato in prima concluſione, & ibidem Gregorius de Valentia; Et certe neque animo capi poteſt, quod ego rem aliquam melius, ſiue diſtinctius nominem, quam illam conceperim, vel enim hoc nomen eſt alicuius ſignum, vel non, non eſt dicendum, quod non, alioquin nihil eſſet, vel certe vanum, cum eatenus formetur, quatenus ſignificet, ergo eſt ſignum, & certe conceptus, à conceptu itaque pendet, & eſt in gratiam ipſius, quomodo ergo poteſt eſſe ipſo diſtinctius? Vnde nulla ſunt illa argumenta, quando dicitur, quod quis per nomen ab aliquo prolatum poteſt aliquid diſtincte magis exprimere, quam conceperit ille, qui nomen protulit, nos enim loquimur de eodem concipiente, & exprimente, & dicimus, quod exprimens nequit tali nomine quid explicatius percipere, vel proferre, quam ipſe mente conceperit, adeoquod ex parte concipientis pugnat, quod adſit nomen diſtinctius exprimens, quam fuerit conceptum aliquid; ex parte autem rei, nihil obſtabit, dari aliquod nomen explicatius referens, quam res poſſit concipi, ſed tamen qui pronunciabit hoc nomen, non aliquid per illud magis dicet, quam conceperit, licet vel nomen in ſe, vel ab alio auditum id poſſit efficere; Et hoc iudicio meo voluit Ferrarienſis loco allegato, quando ſub vno ſenſu poſſe veram eſſe Scoti ſententiam docuit, ex parte ſcilicet rei, non autem concipientis; & ſi hoc vult Ludouicus Molina vir acutiſſimus, qui ſuper p.p. loco recenſito ſcripſit, iam ei aſſentio, ſed ſi velit innuere; quod quis concipiendo, & nominando, per aliquod nomen ex parte ſui, magis diſtincte exprimat, quam fuerit eius conceptus, certe audiendus non eſt;

Contra Scotū.

Ferrarieſis.

Molina.

Caietan.

Id quod docui, credo voluiſſe Caiet. quando loco præfato p. p. dixit, quod ſi quis diſtincte magis audito nomine perceperit eius ſignificatum, id non eſt ex vi vocis, (intellige, vt à concipiente exprimitur,) ſed ex ingenio addiſcentis vocem, quod eſt dicere, ex voce, non vt ab illo prolata fuit, ſed vt ab hoc alio percipitur, &c.

Num autem poſſit dari aliquod nomen, quod diſtincte exprimat Deum, quamuis diſtincte nequeat cognoſci, non eſt in præſenti diſcutiendum, ſat ſit, vt noſcatur vera pars negans, immo potius eueniet, quod magis poſſit concipi, quam exprimi, quoniam expreſſio ſupponit conceptionem, non conceptio expreſſio-

preſſionem, hinc difficilius eſt exprimere, quam concipere; quare ſi non præceſſit explicata conceptio, nequit ſubſequi diſtincta expreſſio; Hinc iure diuinus Plato in Timeo ex eiuſdem Timei perſona dixit, opificem, ac patrem mundi difficilem eſſe inuentu, at inuentum, impoſſibilem explicatu, &c. Vnde maneat, quod eo modo nominamus, quo concipimus, & quoniam eſſentiam per ens concipimus, ideo & per illud eam exprimemus, vnde ab illius nomine, nomen huius ſumitur, &c. Plato.

Circa eandem tertiam, & quartam partem colligere perbreui potes, quid nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur, nam ens ſignificat illud, quod eſt in cathegoria prædicamentali, quod rei ſubſtantiam importat, & à quo nomen eſſentiæ ſumitur; Hæc vero importat illud, non quod eſt in genere, vel ſpecie, ſed id per quod aliquid conſtituitur in ſpecie, & genere, vnde ſe habent adinuicem, vt quo, & vt quod, ens ſiquidem vt quod, eſſentia vt quo, &c. Quid ſignificet Ens. Quid Eſſentia.

Et quia illud, per quod res conſtituitur, &c.

Circa quintam partem, vbi habentur quinque illa nomina eſſentiæ, notare facile potes, non differre nomina illa, niſi ſecundum rationem, & quidem, quod non differant realiter, apertiſſimum eſt, tunc enim non forent nomina vnius, & eiuſdem rei, ratio tamen ſecundum quam differunt, habet fundamentum in re, nam eſt in ipſa eſſentia vere, ac realiter, vnde nomina illa ſibi tribuantur, eſſentia enim vere eſt rei definitio, & quodquid eſt rei, ſimiliter eſt rei certitudo, & principium operationis; ſic & Romanus Ægidius q. 4. ſeptimi Diuin. dixit, eſſentiam, quidditatem, & naturam idem eſſe, & forte ſecundum rationem differre, & ait dici eſſentiam, quatenus dat eſſe, (intellige, qua res formaliter habet eſſe,) quidditatem, prout eſt obiectum intellectus, (verſatur quippe intellectus circa definitiones, ex his enim res omnes explicantur,) vnde ex hac rationis diſtinctione negat quidditatem quidditatis, vt res, concedit autem quidditatem quidditatis, vt quidditas eſt, quatenus ſcilicet circa ipſam negotiatur intellectus, non tamen in eo quod quidditas eſt vt ſic, alioquin procederetur in infinitum, naturam deinde, quatenus eſt principium motus, ſiue operationis. Neque eſt, quod corrigatur hæc explicatio naturæ, vt ſcilicet non dicatur quatenus habet ordinem ad propriam operationẽ, cum hoc valde improprie de omni entitate dicatur, cum nulla ſit entitas, quæ aliquam proprietatem non habeat, ſed potius dicatur, vt ab ea aliquid proprium naſcitur, vt corrigere viſus eſt Fonſeca quæſtione ſua tertia ſuper cap. ſecundum quarti Diuinorum, ſectione ſecunda, vbi locum hunc Auctoris refert, quamuis etenim nulla res propria operatione ſit deſtituta, vt dicitur quoque in litera, tamen & hoc ipſi naturæ erat tribuendum, & de ea pronunciandum; adde, quod non eodem modo omnia habent ordinem ad operationem, ſed quædam, vt quæ, alia, vt quibus, & natura eſt in hac ſerie poſteriori; rurſus, licet quæuis entitas reſpiciat operationem, non tamen vt principium; Sed & Ariſtoteles notificauit naturam per ordinem principij ad motum, & quietem, ſecundo Phyſicorum 3. & 3. de cælo 28. & motum patet eſſe operationem, tandem moderatio illa nulla eſt, nam ab omni quoque entitate, quæcumque illa fuerit, aliquid quaſi proprium naſcitur, ſaltem aliqua certe operatio, &c. Ægidius. Contra Fonſecam. Ariſtot.

Circa quintum nomen eſſentiæ, quod habetur in eadem vltima parte, quod eſt

nomen naturæ, & primum inter illa quattuor, quæ loco ibi allegato poſuit Boetius, notabat Caiet. Auctorem accepiſſe tantum primum modum illum, quatenus ſcilicet natura denotat omne intelligibile, non autem accepit vel ſecundum modum, qui ſcilicet eſt denotatiuus omnis ſubſtantiæ, vel tertium, qui dicit principium intrinſecum motus, vel quartum, qui dicit ſpecificam eſſentiam, ſeu differentiam, & cauſam reddebat, quoniam natura primo modo eſt communis eſſentijs ſubſtantialibus, & accidentibus, genericis, & ſpecificis; omne namque ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, ſiue genus, ſiue ſpecies, eſt aliquo modo intelligibile, & quoniam de eſſentia vt in omnibus his reperitur, eſt ſcopus Auctoris agere, vt iam dictum fuit, immo vero, vt ipſemet dixit in procemio; ideo iure ex modis allatis à Boetio, illum duntaxat ſelegit, qui his omnibus enumeratis conuenire modo ſuo poſſit, quod ſi accepiſſet nomen eſſentiæ, ſignificatum nomine naturæ, vt dicit ſubſtantiam, vt principium intrinſecum motus, vt demum ſpecificam eſſentiam, ſiue differentiam, non licuiſſet deinde ei applicare tale nomen accidentibus, vel generibus, vel ſpeciebus, quoniam ſola ſubſtantia participat ſecundum nomen, vt clare patet, ſimiliter ſola ipſa eſt principium intrinſecum motus, ſaltem primum, quale ponitur in definitione naturæ, quamuis enim grauitas ſit principium motus deorſum in lapide, non tamen eſt primum, cum ſit media forma ſubſtantiali ipſius lapidis, & pari modo ſubſtantia ſola eſt differentia, ſiue eſſentia ſpecifica.

Caietan. — *Quomodo grauitas ſit principiũ motus in lapide.*

Hinc collige, quod alia illa quattuor nomina, eſſentia ſcilicet, quidditas, quod quid erat eſſe, & forma, non fuerunt accepta ab Auctore, vt dicuntur ſubſtantialiter ſolum, tunc enim non oſtenderet, quomodo talis eſſentia locum haberet in accidentibus, & in intentionibus ſecundis, ſed accepta fuerunt, vt abſtrahunt à ſubſtantia, & ab accidente, & quamuis primo dicantur de ſubſtantia; immo ſolum de ipſa, ſi proprie loquamur, eo quod accidentia non ſunt entia, niſi quia entis, ex ſeptimo Diuinorum 2. aliquo tamen modo dicuntur quoque de accidentibus, & cap. vltimo huius libri oſtendetur, quomodo habeant eſſentiam, quidditatem, quodquid erat eſſe, & reliqua, veluti etiam patebit de ſecundis intentionibus.

Ariſtot.

Quod autem ita ea acceperit Auctor, colligo nedum ex ratione memorata; quæ tamen vna conuinceret, ſed etiam ex duplici alio capite; & primo, quoniam primis verbis cap. ſequentis ait, quod eſſentia proprie, & vere eſt in ſubſtantijs, ſed in accidentibus eſt quodammodo, & ſecundum quid; ſimiliter principio quarti cap. ait, ſe velle ſcrutari, quomodo eſſentiæ conueniat eſſe genus, & ſpecies, hæc autem non poſſet iure facere, ſi de eſſentia, vt de ſubſtantia ſolum dicitur hic loqueretur, hæc enim nullo modo competit accidentibus, neque partibilis eſt, vt patet, ſimiliter non competit intentionibus ſecundis, niſi quatenus ab intellectu concipiuntur, &c. ſecundo idipſum colligo, quoniam iam in hoc cap. dixit, ab ente primo modo dicto ſumi eſſentiam, patebat autem, ens primo modo, illud eſſe, quod in decem genera diuidebatur, quare & de ſubſtantia, & de accidente dicetur, ita pari modo dicetur & eſſentia ab illo ſumpta, quod ſi dicitur de ſubſtantia, & de accidente, iam ergo ſumitur, vt communis vtrique, velut ab vtroque abſtrahens, nam eſſentia dicta de ſubſtantia tantum, non ſumitur ab illo ente communi decem generibus, ſed ſubſtantiali ſolum, &c.

Circa omnia nomina illa eſſentiæ collectiue, potes ea ſic connectere, vt dicas, eſſentia ſignificat illud, per quod aliquid in proprio genere, vel ſpecie locatur, ergo eſt quidditas, ergo quodquid erat eſſe, ergo forma, ergo natura, antecedens

patet

patet ex quarta parte literæ, prima conſequentia probatur, quoniam id quo quid locatur in genere, explicatur per diffinitionem, quæ eſt rei quidditas, ſecunda, quoniam quidditas rei nil aliud eſt, niſi id quo habet aliquid eſſe, quod eſt ipſius quodquid eſt, tertia deducitur, quoniam & forma eſt ratio certitudinis, & cognoſcibilitatis rei, ex conſequenti diffinitionis, quidditatis; & quod quid erat eſſe, vltima patet, quoniam & natura de qua loquimur, illa eſt, qua quidpiam intelligitur; quod non eſt, niſi per diffinitionem, quidditatem, quodquid erat eſſe, & formam, &c. Quid ſit rei quidditas.

QVÆSTIONES.

Num priuationes, & negationes habeant aliquod eſſe reale.

CIRCA ſecundam partem, in qua docetur priuationes, & negationes non eſſe entia, non habere eſſentiam, nihil reale in rebus ponere, moueo quæſtionem de veritate horum dictorum, num ſcilicet priuationes habeant aliquod eſſe reale, & aliquid in re ponant, & quoniam clarum eſt id quod inueſtigatur, ideo ſufficiet nonnulla primo adducere argumenta, quæ rem ancipitem reddere videntur, deinde veritatem declarare, & tertio diluere rationes, quæ veritati determinatæ officere videbuntur. Partes huius quæſtionis.

Quo ad primum, Videtur priuationes importare aliquid reale, & eſſe vere entia, nam priuatio primo phyſicorum perſæpe ponitur ab Ariſtotele principium rerum naturalium, & realium, vt tex. 50.56.60.67.68. & 69. nequit autem eſſe, quod aliquid non reale ſit principium entis realis, ſi enim primo phyſicor. 52. arguebat Ariſtoteles, quomodo ex non ſubſtantijs poſſet eſſe ſubſtantia, à fortiori arguam ego, quomodo realium entium poteſt eſſe principium ens non reale? certe magis conueniunt ſubſtantia, & accidens, quam ens reale, & ens rationis, quod ſi accidens nequit eſſe principium ſubſtantiæ, multo minus, ens rationis, poterit eſſe principium entis realis, &c. Ariſtot.

Secundo, Priuationes corrumpuntur, ergo ſunt entia realia, antecedens patet ex primo Phyſic. 82. vbi docet Ariſtoteles, priuationem corrumpi, immo materiam per illam corrumpi, conſequentia eſt clara, quoniam 5. Phyſic. 4. corruptio eſt in id, quod non eſt, quare non corrumpitur aliquid, niſi ſit, ex eo enim quod eſt mutatur id, quod corrumpitur, vt ibidem ait Ariſtoteles, &c.

Tertio, Docet Auctor pluribus in locis, potiſſimum prima ſecundæ q. 18. art. 8. ad primum & q. 73. art. 2. & quæſt. diſputatis, de malo q. 2. art. 9. quod duplex eſt priuatio, quædam, quæ omnino tollit habitum, quædam, quæ quo ad partem tantum, & prima dicitur conſiſtere in corrupto eſſe, ſecunda in corrumpi, ergo ſaltem ſecundi generis priuationes, quæ aliquid relinquunt, erunt quid reale, & ſic non bene apparet ipſum protuliſſe abſolute hoc loco, priuationes eſſe non entia. D.Thom.

Quarto, Illud quod nullo intellectu conſiderante habet eſſe, eſt quid reale, nam entia rationis ſunt illa, quæ pendent ab intellectu; ſed priuatio ſemoto quocumque actu intellectus habet eſſe, quoniam ſiue intellectus conſideret, ſiue non,

Talius vere eſt cæcus, vt etiam docet hoc loco Caiet. ergo, &c.

Quinto, Mala in genere moris, hoc eſt peccata, ſunt priuationes, & tamen videntur eſſe aliquid poſitiuum, habet enim Auctor p.p.q.48. art.1. ad ſecundum & 3. con. Gent. cap. 9. ſub initium, quod malum in moralibus formaliter eſt ens poſitiuum, & bonum in ſe, quamuis ſit malum homini, ſecundum rationem, & ita expreſſe ſuſtinet Caiet. prima ſecundæ q. 18. art. 5. ad ſecundum, vbi idipſum poteſt forſan colligi ex Auctore, & eadem p. ſecundæ q. 71. circa art. 6. ergo ſaltem ad mentem Caiet. (cui & Medina loco nunc vltimo allegato adhæſit) aliqua priuatio, erit natura poſitiua, & ex conſequenti quid reale, &c.

Caiet.

Medina.

Quo ad ſecundum: Ne ſimus in ambiguo, obſeruo primo, quod hoc loco non inquiro de priuatione morali, quæ dicitur deformitas, & peccatum, talem namque conſtat eſſe actum quendam inordinatum, circa obiectum diſſonum rationi, vbi merito illius actus, patet eſſe quid poſitiuum, vnde nequit dici mera priuatio, licet habeat priuationem annexam, ſed loquor de priuationibus naturalibus, quæ non ponunt aliquid in ſubiecto, ſed remouent, veluti ſunt cæcitas, & mors, illa enim viſum, hæc vitam aufert; Hinc dicebat Caiet. p. ſec. q. 18. art. 5. circa reſp. ad ſecundum, quod malum eſt æquiuocum ad malum vere, & proprie, & ad malum, quod eſt genus, ſiue differentia, ſiue ſpecies moralium, quoniam malum abſolute loquendo, ſignificat priuationem boni debiti, &c. In moralibus autem præter hoc, importat quoque formaliter ipſum ens contrariũ actui, vel habitui bono, idipſum affirmauit eadem p. ſec. q. 71. art. 6. vbi addidit, quod malum abſolute eſt formaliter nullius naturæ, malum autem morale eſt multarum naturarum; Num autem ratio mali formalis ſit eſſentialiter in illa priuatione, vel in illa entitate poſitiua, contraria actui bono, quod eſt dicere, num formaliter ſit in auerſione, vel in conuerſione, non eſt huius loci definire, vbi ſolum de priuatione naturali, omiſſa morali eſt diſputatio, ſufficiat tamen, quod etiam malum morale, ex parte priuationis, quam includit, pure conſideratum eſt nihil, vnde ſemper priuatio quæcumque caret eſſe, & eſt nihil, modo declarando.

Caiet.

Quid ſupponat nunc Auctor.

Noto ſecundo, quod in præſenti ſuppono id quod veriſſimum eſt, priuationem ſcilicet non eſſe formam inchoatam, aut latitantem in materia, vt nonnulli poſuerunt, tunc enim priuatio neceſſario eſſet aliquod ens reale, licet diminutum, ſed hæc poſitio eſt plena falſitatis, iam enim per totum ferè primum phyſ. docuit Ariſtoteles, priuationem contrariari formæ, non manere in re facta, eſſe non ens, quorum nullum veritatem haberet, ſi priuatio ſtatuatur forma in eſſe diminuto, ſic enim eſſet aliquid ſibi ipſi contrarium, & maneret priuatio, immo magis maneret, & vere eſſet ens, at non eſt locus iſte, vbi hæc imaginatio impugnetur.

Ariſtot.

Quid dicat negatio.

Quid priuatio.

D. Thom.

Noto tertio ex Ariſtotele quarto Diuinorum 4. & ex omnibus expoſitoribus ibidem, & alibi ſæpe, quod differt negatio à priuatione, quoniam negatio dicit ſolum abſentiam illius quod remouet, aut negat abſque vlla determinatione ſubiecti, priuatio autem & ipſa dicit abſentiam formæ, in quo conuenit cum negatione, ſed tamen ſubiectam quandam ponit naturam, de qua ipſa priuatio dicitur; Vnde vt ibi dicebat Auctor, abſoluta negatio poteſt reddi vera, tam de non ente, quod non eſt natum habere formam aliquam, quam de ente, quod capax vtique eſt illius formæ, ſed tamen illa eſt deſtitutum, ſic non videns poteſt dici & lapis, qui nullo modo valet eſſe capax facultatis videntis, & homo cæcus, qui tamen aptus eſt, vt viſum habeat; priuatio autem importat, vt dicebatur quan-

dam naturam determinatam, de qua dicitur, hinc non omne non videns poteſt dici cæcum, ſed illud ſolum ens, quod capax eſt viſus; Ita colligitur, priuationem eſſe tamquam ſpeciem negationis, cum ſemper inferat illam, negatio autem non inferat de neceſſitate priuationem, valet enim, priuatio eſt, ergo negatio, non autem verſa vice, & ratio eſt, quoniam aliquid addit priuatio ſupra negationem, per quod negatio contrahitur, vt homo addit rationale animali, ac proinde eſt eius ſpecies, &c. Quomodo ad inuicem ſe habeat priuatio, & negatio.

Priuatio autem ipſa multipliciter dicitur vt habes ab Ariſtotele 5. Diuinorum 23. eſt enim priuatio in ente, in genere, & in hoc, vt aperte quoque legis apud Auctorem, nedum in illius loci expoſitione, ſed & p. p. q. 33. art. 4. ad ſecundum, & de quauis priuatione idem erit iudicium, quo ad habere, & non habere entitatem. Ariſtot. D. Thom.

Noto quarto, quod nomine priuationis quattuor importantur, primum eſt negatio, ſecundum aptitudo, tertium forma illa, qua priuat, quartum ſubiectum, à quo talis forma negatur, exempli gratia, ſurditas importat primo negationem facultatis auditiuæ, ſecundo aptitudinem ad ipſam facultatem, tertio facultatem ipſam, ſiue eandemmet auditionem, quarto autem, quæ eſt ſubiectum proximum, à quo auditio remouetur; ex his quattuor, primum ſignificat, quatenus eſt negatio, & cum illa conuenit in genere, ſecundum, quatenus eſt priuatio, vt ſic, per id ſcilicet, quo formaliter diſtinguitur à negatione, tertium autem, & quartum connotatiue, & ex quadam vt ita loquar continuitate. Quot, & quæ nomine priuationis ſignificentur.

Tunc pono tres concluſiones, & prima eſt, Negationes, & priuationes, quo ad negationem, quam formaliter dicunt, ſunt non entia primo modo, hoc eſt, nihil reale ponunt, ſed ſunt entia tantum ſecundo modo, hoc eſt, poſſunt fundare veritatem propoſitionum. Hæc concluſio ponitur in hac litera, & à Caiet. explicatur, & quidem quo ad primam partem manifeſtiſſima eſt, ſi enim negatio nil aliud eſt, quam pura carentia, & negatio, vt ipſa vox refert, certe tantum abeſt, vt aliquid reale ponant, quod omne ens, & omnem realitatem penitus adimunt; ſed & quo ad ſecundam partem clara eſt, patet enim, intellectum formare propoſitiones, in quibus, vel pro ſubiecto, vel pro prædicato aſſumit negationes, & priuationes, vt dicendo, homo non eſt non ens, Alexander eſt cæcus, ſic intellectus fit conformis his propoſitionibus, & ſeipſum adæquat rebus per ipſas expreſſis, in quo ſtat ratio veritatis; Vnde patet, negationes, & priuationes eſſe entia modo illo ſecundo, & ita ſunt hoc modo entia, quod nullo alio modo rationem obtinent entitatis, nulla enim alia entitate fruuntur, niſi vel ſubiecti, vel prædicati; quam patet mox ceſſare, vbi ſiſtit actus intellectus, ſed dum ab intellectu aſſumuntur, formante de ipſis pronunciata varia, iam fiunt vel ſubiecta, vel prædicata, iam dicuntur eſſe, iam fiunt entia, hoc enim eſt eorum eſſe, fundare ſcilicet propoſitionum veritatem, & intellectus conformitatem. Prima concluſio. Quam entitatem obtineant negationes, & priuationes.

Hinc dicebat Auctor ſuper ſecundum quarti Diuinorum, quod eſſe negationum, & priuationum eſt tantum in ratione, quoniam ratio de eis negotiatur, quaſi de quibuſdam entibus, dum de eis aliquid vel affirmat, vel negat, quod ipſum docuit p. p. q. 13. art. 7. Neque inferas, decipi intellectum, ſeu propoſitiones, quas ipſe de his format, eſſe vanas, quoniam vt bene docebat Ferrarien. circa finem noni cap. lib. 3. con. Gent. quando intellectus format enunciata de negationibus, & priuationibus, non intelligit huiuſcemodi entia habere eſſe reale, & poſitiuum in natura, tunc enim vane, & falſo intelligeret, ſed intelligit D. Thom. Ferrarien.

habere

habere eſſe vtcumque, hoc eſt tale, quale ſibi ab eodem intellectu tribuitur, & intelligit habere eſſe negatiuum, & illa auferre aliquid, non autem ponere; hoc eſt, cum aliàs per ſpecies affirmationum, & habituum cognouerit intellectus negationes, & priuationes, (hæc enim per eis contraria intelligi, habemus 3. de anima 25.) ſcit omni eſſe reali illas carere, quare deinde formans de ipſis propoſitiones, nouit aperte, quod hoc ſit earum eſſe, nimirum intelligi.

Aliæ Ferrar. reſponſiones minus aptæ.

Duas alias reſponſiones dat ibidem Ferrar. huic motiuo, ego elegi hanc ſecundam in ordine, quæ mihi magis placet, immo vero neque prima neque tertia mihi omnino ſatisfaciunt, nam ex prima habetur quidem, non requiri aliquod reale correſpondens ſemper intellectui, ſed ſufficere conformitatem illam, & veritatem, quod vtique verum eſt, oportet tamen aſſignare aliquod eſſe, aliquo modo tali intellectioni reſpondens, vnde veniendum eſt ad reſponſionem ſecundam iam datam; tertia vero, quà dicitur reſpondere intellectionibus iſtis ſubiectum ipſum carens forma, vera quidem eſt, ſed nihilominus confugit ad id, quod importat connotatiue negatio, & priuatio, de quo non eſt dubium, at modo ſermo eſt de eo, quod formaliter per ipſas importatur.

Quale eſſe intelligendũ ſit tribui negationibus, & priuationibus.

Alexander.

Quando ergo audis ab Ariſtotele ſecundo quarti Diuinorum, & alijs locis allegatis, vbi loquitur de priuationibus, & negationibus aliquod eſſe tribui ipſis, vel alios doctores hoc ipſum aſſerentes, explica ſemper de eſſe, quod fundare poteſt intellectus compoſitionem, non autem de eſſe, quodquid ponat in re, explica breuius, & facilius de eſſe negatiuo, non poſitiuo, ſic dicebat Alex. in expoſitione illius tex. 2. quod cæcitas eſt quoddam ens, quoniam ſubſtantiæ aliquid eſt, nam eſt priuatio ſubſtantiæ, & inferius prope finem comm. dicebat, negationes ſubſtantiæ, eiuſque accidentium, etiam ſi ea, quorum negationes ſunt tollant, quoniam tamen habitudinem quandam ad ſubſtantiam habent, entia ipſa quoque dicuntur, negatio enim alicuius entis eſt, & iccirco negationes entia nuncupantur.

Neque te moueat, quod nullo intellectu conſiderante Alexander ſit cæcus, licet enim id verum ſit, tamen verum quoque eſt, cæcitatem nullum habere eſſe, niſi per opus intellectus formantis de ipſa aliquod enunciatum; quando etenim dicis aliquem eſſe cæcum, nullum eſſe reale dicis, non ſubſtantiale, vt patet, neque accidentale, quoniam nullam eſſentiam habet cæcitas, & quis ſit cæcus, non quòd aliquid acquirat, ſed quoniam aliquo priuatur, vnde ſi vis omnem tibi auferri dubitationem, explica neganter propoſitiones huiuſmodi, Alexander eſt cæcus, dic, Alex. caret virtute viſiua, tenebræ ſunt in hoc loco, dic, locus iſte caret luce; Ita clare vides, has priuationes nullum eſſe ponere, ſed aliquod auferre, quod ſi affirmanter profers in voce, memento, quod in re nihil ponis, ſed tollis eſſe, vnde nullum aliud eſſe relinquitur, quam illud propoſitionis, cuius negationem, aut priuationem ſtatuis ſubiectum, aut prædicatum, nam eſſe reale aufertur, & paucis verbis voluit Auctor hoc innuere, quando ſecundo illo tex. quarti Diuinorum dixit, hæc entia non habere eſſe, niſi in ratione, quod & Caiet. hoc loco aperuit, & attulit appoſitum exemplum de naui carente gubernatore, quomodo habeat, & non habeat eſſe, &c.

D.Thom. Caietan.

Ex his collige, nedum hanc propoſitionem, Alexander eſt cæcus, pendere ab intellectu, ſed & ipſius ſignificatum, ſi enim ſola propoſitio ab intellectu penderet, nil peculiare in hoc negotio diceretur, nam omnis propoſitio pendet ab intellectu, quo ad illam formalitatem, nullo enim intellectu exiſtente, non erit hęc propoſitio, homo eſt animal, cum deficiat eius formatiuum, ſed etiam ſignificatum

Quomodo ab intellectu pẽdeat propoſitio.

catum

catum propoſitionis pendet ab intellectu, quod non eſt verum in hac enunciatione, homo eſt animal, ſiue enim adſit intellectus, ſiue non, ſemper eſt verum, hominem eſſe animal, & datur eſſe reale, tum hominis, tum animalis, hæc enim non pendent ab intellectu, at in propoſitione, qua exprimitur aliquid aliquo priuatum, nedum ipſa propoſitio pendet ab intellectu, ſed & ipſius ſignificatum, loquendo de eſſe poſitiuo, licet enim nullo intellectu conſiderante, aliquis ſit cæcus, tamen nullum tunc adeſt eſſe poſitiuum, quoniam vt dicebam, eſſe cæcum non eſt habere aliquod eſſe, ſed carere facultate viſili, & cum nullum aliud poſſit habere eſſe poſitiuum, niſi illud, quod fundat veritatem propoſitionum, relinquitur, quod ceſſante opere intellectus, ceſſet quoque illud eſſe hominis cæci, non quin homo ſit cæcus, ſed quod tale eſſe deſinat, quo ad poſitiuum.

Vnde potes breui dicere hunc in modum, eſſe poſitiuum non habet priuatio, niſi illud quod ſignificat veritatem propoſitionum, ſed tale eſſe non adeſt, niſi beneficio intellectus, ergo intellectu deſinente, deſinit nedum propoſitio de aliqua priuatione, ſed & ipſius ſignificatum, diſcurſus eſt clarus, & vtraque præmiſſa iam innotuit.

Quod ſi in his decipi non velis, ceſſante intellectu, non dicas aliquem hominem eſſe cæcum, ſed non eſſe videntem, aut luce orbatum, & ſic videbis, nullum eſſe poſitiuum remanere, de quo loquor, Hinc omnia præuidit Caiet. quando hoc loco dixit, dubitationem in hac re accidere, quoniam non recte inſpicitur, quod eſſe cæcum, non eſt eſſe aliquid, ſed carere virtute vidente; Non eſt autem eadem ratio de hoc pronunciato, homo eſt animal, & de alijs, in quibus ſubiectũ, & prædicatum aliquid in re ponunt, quoniam hæc duplici eſſe gaudent, & poſitiuo in re, & etiam fundante veritatem propoſitionum, quo fit, vt ceſſante intellectu, ceſſet ſecundum quo ad formale, (ſcio enim in eis remanere, vt poſſint fundare, ſed non fundant,) remanet vero primum, quippe quod ab intellectu non pendet, &c. Caietan.

Sit ſecunda concluſio de priuationibus: Priuatio quo ad illam aptitudinem, quam ſecundario importat, nullum ſimiliter ponit eſſe reale poſitiuum, ſed ſolum eſſe priuatiuum. Concluſio hæc quo ad vtramque partem eſt mihi certiſſima, quod enim non importet aliquid poſitiuum, patet, nam cum aptitudinem illam formaliter importet priuatio, & magis formaliter, quam negationem, vt ſic, quoniam penes ipſam ſecernitur à negatione, ſi talis aptitudo eſſet quid poſitiuum, tunc formalitas priuationis eſſet poſitiua, tunc priuatio non priuaret, ſed poneret, quæ implicant in adiecto; Hinc non condiſtinguitur priuatio à negatione ex hoc, quod quid poſitiuum importet, quod non faciat negatio, vt quidam imprudenter valde intellexerunt, ſed per hoc, quod vt ex Ariſtotele retulimus, negatio negat abſolute, priuatio autem & ipſa negat, (ecce nil poſitiuum per illam exprimi,) ſed in natura determinata, adeo quod, non ſtat diſtinctio penes negationem, ſed penes naturas, à quibus fiunt hæ negationes, quod eſt dicere, penes connotata, quoniam natura à qua in negatione fit negatio, eſt omnis natura indiſcriminatim, natura vero à qua fit priuatio, eſt natura capax, & primo noſtro modo loquendi importat negationem ipſa priuatio, deinde aptitudinem; per quod videtur ſecundum rationem diſtingui à potentia, quæ primo importat aptitudinem, deinde carentiam, ſiue negationem. Neque te turbet, quod illa capacitas, illa aptitudo videatur tibi aliquid reale eſſe, hoc enim veriſſimum eſt, homo enim cæcus realiter habet aptitudinem ad viſum, & illa aptitudo eſt quid reale, ſed eſt reale priuatiuum, quoniam eſſe capax alicuius, habere aptitudinem

Secunda concluſio.

Per quid differant negatio, & priuatio.

Quid primario importet priuatio.

Quid potentia.

nem

nem ad aliquid, poſſe illud habere, eſt non habere, eſt illo priuatum eſſe, & orbatum; potentia namque vt potentia non eſt, niſi quando remota eſt ab actu, hoc eſt, quando præcedit actum, non enim proprie eſt potentia, vel in ſtatu potentiæ, quando eſt iam ſub actu, vt docebat Caiet. p.p.q.66. art. 2. & vt res ipſa docet; Scio tamen vocari quoque coniunctam actui, quæ eſt potentia pure receptiua, quam in cœlo locamus reſpectu formæ ſubſtantialis ſuæ. Quare ex eo quod priuatio importat carentiam illam formæ, & aptitudinem, habetur manifeſte, quod ſignificet quid non poſitiuum, ſed priuatiuum, vt dicebat ſecunda pars concluſionis; Conſueuit autem hoc priuatiuum vocari aliquando reale, in eo ſcilicet ſenſu, quod ſubiectum illud, cuius hoc priuatiuum enunciatur, realiter caret tali forma, tali præſentia, quam aufert priuatio, realiter etenim aliquis eſt cæcus, aliquis locus eſt in tenebris, nullo conſiderante intellectu.

Caietan.

Dubitatio. Quod ſi dicas, quomodo fieri poſſit, vt aliquid ſit in potentia, & aptitudine ad aliquid, niſi illud quid ſit in rerum natura vere, ac poſitiue, cum eſſe aptum ſupponat iam eſſe? ſed hæc omnia facile ruunt, nam hoc, & his ſimilia arguunt ſubiectum quidem eſſe in rerum natura, & id quod connotatur per ipſam priuationem, non autem ipſam priuationem formaliter, verum quippe fuerit, quod ſi ego ſim in potentia ad aliquid, iam ſum in rerum natura, ſed tamen vt ſum in hac potentia, non ſum, careo enim illo, ad quod in potentia ſum, &c. Veluti motus dicitur eſſe actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia, nam motus nequit eſſe, niſi rei quæ ſit in actu, cum moueri ſupponat eſſe, tamen non mouetur, quatenus eſt in actu, ſed quatenus eſt in potentia, &c.

Remouetur.

Neque dicas priuationem importare duas negationes, illam ſcilicet, quam dicit vt negatio, & eam quam dicit, vt formaliter eſt priuatio, vt quondam audiui à nonnullis affirmari, hoc enim procedit ex rudi, & falſo intellectu naturæ ipſius priuationis, nam ſimplicem importat negationem, & illam, quam ſignificat ipſa quoque negatio, non enim penes negationem diſtinguitur à negatione priuatio, vt ſuperius quoque dicebam, alioquin non eſſet ſpecies negationis, veluti ſi homo non eſſet animal, non eſſet ſpecies animalis, oportet enim in ſpecie ſaluari totam eſſentiam generis, quare priuatio eſt ſimplex negatio, ab ea tantum ratione connotati differens, &c.

Ita perſpice, verum eſſe, quod à grauiſſimis philoſophis edocetur, nimirum priuationem non diſtingui à materia in qua eſt, vt in ſubiecto, tamquam ens ab ente, ſed tamquam non ens ab ente, quoniam materia eſt ens, priuatio, non ens, quod vt facile capias, (adeſt enim nonnihil difficultatis,) ſcias, materiam, & priuationem abſolute eſſe vnum, & idem re, quoniam materia in ſui natura conſiderata, habet carentiam omnium formarum, & aptitudinem ad ipſas, ſic idipſum dicit priuatio abſolute, ſicut enim hæc materia eſt ſub hac forma, & eſt alia forma carens, in potentia tamen ad illam, (loquendo de materia ſublunarium,) materia autem in communi, & prima ſub nulla forma eſt, quantum eſt ex ſe, ſed omnibus carens, ad omnes eſt in potentia, ſic de priuatione ego ſpeculor, & dico, quod ſicut hæc priuatio eſt carentia huius formæ, & aptitudo ad ipſam, ſic priuatio in communi, & abſolute, eſt carentia omnium formarum, & aptitudo ad eaſdem, quod eſt in hoc eſſe vnum, & idem cum materia, quo ad rem, hinc Ariſtoteles primo Phyſicor. 60. & 66. dicebat, priuationem eſſe numero vnum cum materia; exponebat Auctor, & alij, eſſe vnum ſubiecto, quoniam priuatio eſt in materia, tamquam in ſubiecto, non quidem more albedinis in pariete, quoniam albedo ponit aliquam naturam realem in pariete, priuatio autem nullum

Identitas materiæ & priuationis.

Ariſtot.

D.Thom.

lum eſſe ponit, hinc albedo differt à pariete, tamquam res à re, quo ad eſſentiam, licet non quo ad exiſtentiam, (quoniam eadem exiſtentia exiſtit paries, & albedo, quæ eſt in ipſa, hoc eſt accidens exiſtit per ſubiectum,) priuatio autem differt a materia, tamquam non ens ab ente, quoniam licet materia in ſui natura ſit cum carentia omnium formarum, atque ideo ſit & ipſa non ens tale, vllius ſcilicet formæ, eſt tamen aliqua natura poſitiua, quamuis potentialis, priuatio autem formaliter nullum prorſus poſitiuum, ſiue actuale, ſiue potentiale dicit, ſed priuat, & negat, ſic non ponit in numero cum materia, quoniam non ens, non ponit in numero cum ente, ſed eſt vnum cum ipſa, modo explicato, & differt id quod explicatur nomine priuationis formaliter ab eo, quod exprimitur nomine materiæ, quoniam formaliter per priuationem nil importatur, niſi carentia, niſi non eſſe, per materiam autem, natura poſitiua potentialis; eapropter non erit compoſitio realis cum materia, & priuatione, tunc enim oporteret, quod eſſent duæ res poſitiuæ, nam compoſitio nil aliud eſt, quam ſimul poſitio, & compoſitio realis, ſimul poſitio rerum realium poſitiuarum, nam poſitiua duntaxat ponunt, priuatiua autem, & negatiua non ponunt, ſed negant, quare eſt compoſitio, ſiue additio ſecundum rationem, fit enim additio relationis ad formam, quod enim materia ſit in potentia ad formas, prouenit, quoniam eſt illis priuata, ecce priuationem, quæ licet ſit eadem natura materiæ, tamen nomine priuationis clarius exprimitur. Poteſt nihilominus talis compoſitio dici realis, in hoc ſenſu, quod eſt fundata in natura rei, & rurſus realis, quoniam ponit priuatio realiter aptitudinem in materia ad formas, quamuis etenim materia ſecundum ſe careat forma qualibet, non tamen eſt in potentia ad ipſas, & in aptitudine, niſi merito ſibi annexæ priuationis, quæ ſanè aptitudo, vel capacitas, ſiue ſit proxima, ſiue remota, nihil facit ad rem, nam datur priuatio vtraque, ita tamen remota, quod ſit ſemper capax, non enim pono in lapide priuationem remotam, reſpectu formæ hominis, ſed remota, hoc eſt, quod non vna transmutatione, ſed duabus, vel pluribus ſuccedet forma, veluti ſemen dicitur priuatio propinqua reſpectu hominis, ſed magis propinqua eſt embrio, & ſemen comparatum embrioni, poteſt dici priuatio remota, non quod ſemen ſecundum ſe totum, vel embrio ſecundum ſe totum ſit priuatio, nam patet, quod ſunt formæ quædam in ſe, licet imperfectæ, ſed per quandam comitantiam neceſſariam, quoniam neceſſario forma ſeminis, & embrionis, coniunctam habent priuationem formæ hominis, cum potentia ad eam, in quo ſenſu dixit Ariſtoteles primo Phyſicorum 62. plantas, & animalia fieri ex ſemine, clarum enim eſt, non accepiſſe ibi Ariſtotelem pro toto ſemine, hoc eſt pro forma, ſed ſolum in eo ſenſu, quod habet priuationem formæ plantarum, & animalium, & poteſtatem ad illas; Quod ſi Iacobus Zabarella quando lib. 1. rerum naturalium cap. 7. dixit, poſſe abſque vlla abſurditate, priuationem poſitam ab Ariſtotele principium rerum naturalium, dici formam ſubſtantialem, alteri formæ contrariam, nil aliud voluerit docere, niſi neceſſariam illam comitantiam, quod ſcilicet forma habet neceſſario comitem ſibi abſentiam formæ contrariæ, proxime in materia inducendæ, nihil abſurdi docuit, licet non nimis vſitatum modum loquendi in hoc negotio vſurparit, & ſic credo illum ſenſiſſe, nihilque aliud voluiſſe, ſubdit enim ibidem; quod priuatio formaliter eſt abſentia formæ, & eſt nihil, ſed per neceſſariam comitantiam eſt alia forma, hoc eſt, dico ego, infert aliam formam contrariam formæ, quæ inducenda eſt; & ita de neceſſitate dicendum eſt, cum enim ſæpe doceat Ariſtoteles primo phyſicorum, priuationem eſſe contrariam for-

Earundem diſcrimen.

Quid ſit compoſitio.

Duplex priuatio.

Ariſtot.

Zabarella.

Ariſtot.

T mæ,

mæ, hæc contrarietas nequit ei conuenire, niſi priuatiue, quatenus formaliter priuatio eſt, poſitiue autem merito formæ, quam infert, cui alia forma eſt contraria, & hæc vera ſunt, quoniam numquam materia eſt ſine aliqua forma, quare numquam alia inducetur, niſi contraria illi, ſub qua eſt, quicquid enim fit, ex contrarijs fit, ex eodem primo phyſicorum 42. & deinde, & ex Socrate apud Platonem in Phædone inductione probatum, vnde priuatio conſequenter, & ex neceſſaria comitantia ponit oppoſitam aliquam formam in materia, vnde non homo eſt homo, ſemen ſcilicet, non aqua eſt aer, ſiue quoduis aliud, quod in aerem transmutatur; At ſi puram eſſentiam generationis, & aliarum mutationum, ſeu motuum conſideremus, priuatio non ponit aliquam formam præcedentem in ſubiecto, ſed hoc tantum, quod nondum ſit id quod debet fieri, ecce negationem, ponit namque ſubiectum cum aptitudine, & aptitudinem dicit formaliter, ſubiectum vero connotatiue, ſed quoniam ſubiectum illud, quod ponit, (materia ſcilicet) numquam eſt ſine oppoſita aliqua forma ei, quæ induci debet, ideo de neceſſitate conſequentiæ, vt ita dixerim, ponit priuatio aliquam oppoſitam formam in materia; Cum quibus omnibus ſtat, ſemper priuationem formaliter importare negationem, & nihil poſitiuum, quo modo loquimur in concluſione; De connotatis autem quæ importat.

Plato.

Quid neceſſario conſecutiue ponat priuatio.

Tertia concluſio.

Eſt tertia concluſio: Priuationes, & negationes quo ad formam, & quo ad ſubiectum, quæ connotant, aliquid reale poſitiuum dicunt. Hæc concluſio manifeſtiſſima eſt, cæcitas enim importat connotatiue formam viſiuam, quam priuat, & oculum, tamquam ſubiectum, quod tali forma priuat; quod autem, & oculus, & illa forma viſus ſint quid reale poſitiuum, qui horum probationes quærit, eſt abſque oculis, & abſque viſu ſenſibili, & intellectuali; ſimiliter quando dico, homo non eſt lapis, ſubiectum eſt homo, à quo nego formam lapidis, quippe quæ forma eſt lapidis natura, vel lapideitas, quam nego ab homine, & horum vtrumque, quis dubitet eſſe quid reale poſitiuum? Rurſus, quando dico, materia eſt priuata forma hominis, vides illa quattuor, quæ in priuatione dixi importari in quarto notabili, habes enim negationem formæ humanæ, habes aptitudinẽ, quoniam materia dicitur priuata, non negata forma hominis, habes formam, quam priuat, ſcilicet humanitatem, habes & ſubiectum, quod eſt priuatum, materiam ſcilicet. At quoniam hoc ſubiectum, hæc materia eſt ſub forma oppoſita, (aliter numquam in illa induceretur proxime forma hominis,) ideo & ex illa neceſſaria comitantia, ponit formam quoque oppoſitam humanitati. Conſulto autem non commemoraui hoc quintum in ijs, quæ nomine priuationis importantur, quoniam accidit omnino priuationi vt illud dicat, ſi namque ſubiectũ, aut materia, in qua eſt inducẽda forma aliqua; poſſet eſſe abſque forma, & poſſet fieri tranſmutatio, abſque eo quod forma ſubſecutura, eſſet cõtraria formæ, quæ præexiſtit, optime adhuc ſaluaretur ratio priuationis & quo ad formale, & quo ad materiale, vt patet; Quamuis autem forma, & ſubiectũ non formaliter, ſed connotatiue ſolum in priuatione includantur, neceſſario tamen ab ipſa connotantur, quoniam omnis priuatio aliquid priuat, ecce ſubiectum, & aliquo priuat, ecce formam, quod autem ſubiectum, quod priuat ſit ſub alia forma, eſt omnino extraneum à natura priuationis; hinc non erit tibi in admiratione, ſi à nemine ferè, quando de priuatione agitur, huius oppoſitæ formæ fiat mentio.

Ex illis vero quattuor nomine priuationis importatis, & ex tribus nomine negationis, (ab hac enim ſubtrahas oportet ſecundum, aptitudinem ſcilicet illam) cuique iam conſtare poteſt, primum, & ſecundum priuationis, eſſe nihil reale

poſiti-

poſitiuum,ſed ſolum quid negatiuum, tertium vero,& quartum eſſe quid reale poſitiuum, ſimiliter primum tantum in negatione eſſe negans, reliqua vero duo ponere, &c.

Hinc prudens lector commode habes, quomodo varia dicta Ariſtotelis, Auctoris, Alexandri,& aliorum accipere debeas, dum dicunt priuationes eſſe non entia, & dum ijdem affirmant illas eſſe entia, & quamuis diſcernere poſſis,& bene inter ea,quæ formaliter,& ea quæ connotatiue dicunt,quoniam tamen vbi fieri poteſt, ſermo formalis ſemper eſt eligendus, melius,atque ſubtilius,& conformius Auctori in hac parte, & Ariſtoteli quinto Diuinorum 14. dices, priuationes eſſe non entia realia, & eſſe entia, quatenus fundare poſſunt veritatem propoſitionis, ſic enim vt vides, ſtas ſemper in formali earum ſignificato, & vt Auctor habet 2. ſent. diſt.37.q.1. art.1. quoniam res per ſuam eſſentiam cognoſcibilis eſt,ideo tranſumptum eſt nomen rei ad omne illud,quod in cognitione, vel intellectu cadere poteſt,iuxta quem modum,priuationes,& negationes poſſunt dici entia, &c. Intelligentiſ eorum, quę vi ri graues in hoc dicunt. D.Thom.

Quo ad quartum, Confutandum eſt primum argumentum ex doctrina communi, & vera, quod purum non ens nequit eſſe principium entis realis, & ſi dicatur, quod priuatio formaliter eſt nihil reale,& tamen vt ſic ponitur principiũ, Reſpondeo, quod priuatio non eſt principium rei, ſed factionis rei, non in eſſe, ſed in fieri, adeoquod non eſt principium tale, quod influat, ſed requiſitum ſolum, tamquam cauſa ſine qua non, quoniam non fieret tranſmutatio, niſi in ſubiecto adeſſet priuatio formæ inducendæ, quod eſt dicere, niſi illa careret, & ad eandem eſſet in potentia, hoc autem modo, principium poteſt eſſe aliquid non poſitiuum. Diſcurſus autem Ariſtotelis primo Phyſicorum 52. erat de vero principio permanente in re facta, & influente. Quomodo priuatio ſit principium.

Ad ſecundum dico, quod priuatio eſt corruptibilis, ſumpta pro formali, & quando dicitur non ens,non poteſt corrumpi, poteſt dici, id verum eſſe de ente reali, ſed ens rationis corrumpitur, veluti corrumpitur tenebra in aduentu lucis, & ſilentium, quando quis incipit loqui, melius tamen dicetur priuatio incipere, & deſinere eſſe,quam fieri,& corrumpi; At melius, & ſubtilius reſpondeo,quod priuatio non corrumpitur vere, ac proprie ſecundum eſſe,cum omni eſſe poſitiuo careat,& talis propria corruptio enti ſolum reali conuenit,cum corruptio ſit tranſitus de eſſe,ad non eſſe,ſed dicitur fieri, & corrumpi ſecundum denominationem,quatenus quando eſt præſens,denominat materiam priuatam,ipſa autem recedente, non eſt amplius materia priuata, illa priuatione numero, qua antea, Ideo quo ad denominationem intellexit Ariſtoteles corrumpi priuationẽ,quando eam corrumpi docuit, non autem, quo ad eſſe vere,ac proprie, cum hoc non poſſit amittere, numquam illud habendo. Quid ſit corruptio. Quomodo dicatur priuatio corrumpi.

At rogabis, quare materia dicatur ab Ariſtotele corrumpi,merito priuationis cum quando corrumpitur, adueniat forma, vnde potius deberet dici, quod tunc materia generatur; clara eſt ſolutio, quoniam licet generetur, ſeu denominetur ſubiectiue generari merito formæ, quæ ſubſequitur, tamen corrumpitur merito formæ, quæ abijt, nam adueniente forma, priuatio ad illam perit. Sed ſubtilius inſtabis, quare non dicatur corrumpi materia merito formæ, quæ corrumpitur, ſed denominatur corrumpi, merito priuationis,cum tam forma, quam priuatio ſint in materia, & forma vere corrumpatur, amittendo ſcilicet eſſe, priuatio autem ſolum improprie? At ſi ea quæ dicta ſunt applicentur, facilis eſt reſponſio,iam enim diximus,priuationem eſſe vnum numero cum ma- Interrogatio; Reſponſio.

teria, eſſe eandem materiam, licet aliquid exprimatur nomine priuationis, quod non ita formaliter fiat nomine materiæ, carentia ſcilicet illa, & aptitudo, (quam aptitudinem vere addit priuatio ipſi materiæ,) forma autem eſt extrinſeca materiæ, licet in ea ſit, & ab illa realiter ſecernitur, patet autem, debere fieri denominationem à ſibi intimiori, cuiuſmodi eſt priuatio, in ordine ad materiam, quæ eſt ei adeo intima, vt ſit idem cum ea, vnde & materia quo ad illum reſpectum, & aptitudinem corrumpitur, præterea, quando corrumpitur forma, tantũ abeſt, quod materia corrumpatur, quod potius dicatur generari, quoniam corruptà forma, conſurgit in materia potentia, & aptitudo ad aliam formam, quæ potentia, quæ aptitudo eſt natura ipſiuſmet materiæ, vnde dum generatur potentia, & aptitudo, quod fit ad corruptionem formæ, dicitur quodammodo & materia generari; ſimiliter, quando generatur forma, ceſſat illa aptitudo, quam habebat ad formam, atque ideo aliquo pacto videtur corrumpi natura materiæ, quæ eſt pura potentia, & hunc dicendi modum clare, & copioſe ſatis adducit Archangelus Mercenarius, philoſophus diebus ſuis magni nominis, præcipue in Academia Patauina 16. ſua dilucidatione ſecundi ſui voluminis, quæ tamen doctrina ſane venit intelligenda, nam potentiæ, & aptitudines illæ ad hanc, vel illam formam, non ſunt eſſentia materiæ, alioquin materia ſecundum ſe millies generaretur, & corrumperetur, ſed potentia ſolum ad formam ſubſtantialem vt ſic, eſt materiæ eſſentialis, & hæc numquam corrumpitur; Rurſus, dum vna illarum potentiarum particularium corrumpitur, mox alia gignitur, ad formam ſcilicet oppoſitam, quæ erit introducenda; quoniam tamen natura materiæ ſtat in poſſe, & in potentia, aliquo pacto poteſt ſemper materia dici, quod corrumpatur, dum aliqua potentia, & aptitudo quæ in ea ineſſet corrumpitur, &c.

Mercenar.

Quę potentia ſit materiæ eſſentialis.

Ad tertium patet, quomodo omnia loca intelligantur, in quibus D. Tho. habet priuationes quaſdam eſſe in corrumpi, vt infirmitates, &c. Si enim aliquid ponunt, illud eſt connotatiue, non formaliter, nam infirmitas quoque accepta, vt eſt priuatio ſanitatis, nihil eſt formaliter poſitiuum, ſed aufert illam debitam humorum commenſurationem. Quod ſi dicas, relinquit nonnihil illius commenſurationis, alioquin eſſet mors, iam recurris ad formam, quam connotat, non ad illud, quod formaliter vt priuatio importat, hoc enim ſemper eſt non ens, & quoniam Auctor hoc in loco loquebatur de priuationibus formaliter, ideo iure abſolute protulit, eas eſſe non entia.

Ad quartum iam reſponſum eſt, verum quippe eſt, nullo intellectu conſiderante Lælium eſſe cæcum, ſed tamen, ſic eſſe, non eſt aliquod eſſe, ſed ipſum carere, & priuatum eſſe aliquo eſſe, &c.

Ad quintum patuit ſolutio ex primo notabili, iam enim diximus mala moralia, ex ea parte qua includunt priuationem, eſſe non entia, eſſe nihil poſitiuum, num autem aliquid poſitiuum quoque includat, in quo formaliter ſiſtat ratio mali moralis, neque ad hanc quæſtionem facit, neque eſt omnino facile definire, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA.

Num ens mediate, vel immediate ſignificet ſubſtantiam, & accidens.

CIRCA quartam partem, vbi dictum fuit, ens ſignificare omnia exiſtentia, & diuidi in prædicamenta, & eſſentiam quoque ſignificare eorundem naturas, moueo quæſtionem cum Caiet. num ita ſignificet prædicamentales ipſas naturas, vt ſeipſis, & immediate id fiat, an potius mediata ſignificatione, & per aliquid aliud ea ſignificet, quam quæſtionem iure vocabat valde difficilem? In cuius gratiam ſex faciam, primo declarabo ſenſum ipſius, & adferam opinionem minus veram, cum rationibus validioribus, ſecundo conceptum entis formalem patefaciam, tertio eiuſdem conceptum obiectiuum, quarto manifeſtabo abſtractionem entis à ſubſtantia, & accidente, & declarabo cuiuſmodi ſit, quinto contra aſſignatam abſtractionem dubitabo, & dubitationes remouebo, vltimo diluam rationes principio adductas, &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid quæratur, quidque alijs placuerit.

VEre, & facile notabat Caiet. dum quærimus, an ens ſignificet mediate, vel immediate genera rerum, ſit quærere, num illa ſignificet mediante aliqua realitate ſuperiori, an non media aliqua huiuſcemodi realitate, ſed per ſeipſum primo, hoc enim eſt ſignificare immediate, quod per ſeipſum, & hoc eſt ſignificare mediate, hoc eſt non per ſeipſum primo, ſed aliquo alio, quod mediet, vt voces ipſæ referunt, Ita animal ſignificat hominem, non per ſeipſum primo, ſed natura ſenſitiua media; non enim homo eſt animal, niſi quia eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, e contra, idem animal ſignificat naturam ſenſitiuam per ſeipſum, nullo alio interueniente medio, &c. Caietanus.

Nota deinde, quod nomine huius ſuperioris, quod dicimus mediare in ſignificatione mediata, omne ſuperius accipimus, dummodo ſit reale, vel inquam ſit natura, vel aliquis gradus, vel aliqua res, vel aliqua realitas, vt ſub initium cap. quarti, tractatu de analogia nominum docebat Caiet. quod & in hac parte innuit, adde tamen, quod tale ſuperius, de quo eſt quæſtio, oportet vt ſit eſſentiale, & eſſentialiter medians inter id quod ſignificat, & quod ſignificatur, veluti inter animal, & Socratem eſt media natura humana eſſentialiter, & inter genus, & indiuiduum, eſſentiali interuentu cadit ſpecies, &c. Si ergo à ſubſtantia, & ab accidente ſit quid reale, modo dicto abſtrahibile ipſis ſuperius, iam ens non ſignificabit immediate naturas prædicamentales, ſed mediante illo ſuperiori ad ipſas, quod ab ipſis abſtrahetur, hoc enim medium erit inter ens, (inferius ſiquidem ipſo exiſtens,) & inter naturas illas, vt pote illis ſuperius, ſin autem nullum eiuſmodi ſuperius poſſit ab illis abſtrahi, immediate, & ſeipſo eas dicet.

Noto

Noto vlterius, idem eſſe quærere, num ens immediate ſignificet decem prædicamenta, & quærere, num dicat conceptum, vel formalem, vel obiectiuum præciſum à ſubſtantia, & accidente, nam ſi talem, vel tales conceptus diceret, profecto illos primo diceret, & illis medijs, prædicamenta, quod ſi non dicet, oportebit, quod immediate importet ipſa rerum genera, quare à varijs ſub varijs verbis idem inueſtigatur. Vltimo potes aduertere, quod aliquando dicentur nonnulla in hac quæſtione, in quibus ſupponetur ens eſſe analogum, & ſubſtantiæ, & accidenti, cuius probatio quamuis ex hac eadem quæſtione haud inualide poterit colligi, quæſtione tamen ſequenti, vbi entis analogia propriam habebit ſedem, manifeſtius, & concludetur, & docebitur, cum tamen præſens quæſtio ſit ceu præparatio quædam ad ſequentem, nonnulla forſan ad perfectam ipſius notitiam poterunt deſiderari, quæ ex illa petenda erunt, &c.

Quid velit Scotus.

His conſtitutis: Videtur fuiſſe ſententia Scoti, primo ſent. diſt. 3. q. 1. & 3. vt ex his locis obſcure ſatis poteſt colligi, quod non immediate, ſed mediate ens ſignificet ſubſtantiam, & accidens, ſiue quod idem eſt, decem prædicamenta, credit enim, quod quotieſcumque dantur aliqua ſimilia in aliquo vno, poſſit ab eis abſtrahi vna realitas quæcumque illa ſit, obiectiua, quæ ſit vtriſque communis, & eiſdem prior, quare cum ſubſtantia, & accidens conueniant in ente, & in ipſo ſint ſimilia, ab ipſis erit abſtrahibilis conceptus aliquis obiectalis, vtrique communis, & vtroque prior, quippe qui conceptus, ſiue realitas nomine entis ſignificabitur, quare non ſubſtantia, non accidens, non rerum decem genera immediate ſignificabuntur ab ente, ſed illa ratio communis ipſis, & ipſa media, deinde exprimentur rerum cathegoriæ. Si vis autem clarę videre proceſſum varium diuerſarum abſtractionum, vide Caiet. hoc in loco, id patefacientem.

Caietanus.

Argumenta pro Scoto.

Vnde pro huius opinionis confirmatione ſit primum argumentum id, quod modo dicebatur, quod videlicet ab omnibus ſimilibus in aliquo, & in alio differentibus poteſt abſtrahi aliquod reale commune ipſis, & eiſdem prius, ſed ſubſtantia, & accidens conueniunt in ente reali, & non in ente rationis, ergo ab ipſis poterit quid reale ipſis ſuperius abſtrahi, & hoc immediate ſignificabit ens, non autem ipſas naturas prædicamentales, &c.

Secundo, Hæc propoſitio eſt vera, ſubſtantia eſt magis ens, quam accidens, hoc enim perſæpe dicitur ab Ariſtotele, vt quæſtione de analogia videbimus, ly ergo magis ens, aut denotat conceptum propriũ ſubſtantiæ, aut proprium accidenti, aut vtrique communem, non primum, quoniam ridicula foret propoſitio, eſſet enim ſenſus, quod ſubſtantia eſt magis ſubſtantia, quam accidens, & præterea, abuſiua eſſet comparatio, nam accidens non conuenit in ente, vt dicitur de ſubſtantia, non ſecundum, quoniam falſa penitus eſſet pronunciatio, ergo ly ens ſupponit pro aliquo tertio, communi ſubſtantiæ, & accidenti ergo, &c.

Confirmari poteſt hæc ratio ex natura comparationis, quæ ſemper fit in aliquo tertio, communi rebus comparatis, quare cum ſubſtantia, & accidens comparentur in ente, vt habet propoſitio adducta, oportet, quod illud ens ſit tertium quoddam, vtrique commune; Neque putet quis ſe ſatisfacere huic argumento, & confirmationi dicendo, vtique comparari in aliquo tertio, non tamen vniuoco, ſed analogo, hoc enim non verſamus in hac quæſtione, ſed num ens immediate ſignificet ſubſtantiam, & accidens, vel aliquid prius illis, ſufficit enim huic argumento cum confirmatione, ens ſignificare aliquid ſuperius ſubſtantia, & accidente, vel illud fuerit vniuocum, vel analogum, &c.

Tertio & vltimo, Conceptui formali reſpondere debet obiectiuus, alioquin

vanus,

varius, immo nullus eſſet ille formalis conceptus, ſed datur conceptus formalis ipſius entis, communis ſubſtantiæ, & accidenti, vt noſipſi docemus, ergo debet quoque dari obiectiuus, ſed conceptus obiectiuus, nil aliud eſt in propoſito, quam aliqua res, aut realitas, ergo iam dabitur aliquod reale, commune decem generibus, ergo hoc primo importabitur ab ente, ergo medio ipſo ſignificabuntur prædicamenta, ergo non mediate, omnes conſequentiæ patent, & quod infertur, eſt poſitio Scoti, &c.

Et hæc quo ad primum, quamuis enim perplura alia argumenta poſſent adferri, qui tamen hæc nouerit confutare, & præcipue quod primo loco allatum eſt, in quo ſtat celebris difficultas, & tertium quoque, quod neceſſariam præbet occaſionem, vt elucidetur conceptus, tum formalis, tum obiectiuus entis, quibus tota ferè controuerſia conſtituta eſt, non graui negotio alias omnes difficultates circa entis conceptus emergentes, circa quas præclara ingenia inſudarunt, confutare valebit; Quod ſi quis cupiat videre plura argumenta, conſulat omnes ferè, qui quæſtiones inſtituerunt ſuper quartum Diuinorum, & potiſſimum Dominicum à Flandria quæſt. 2. ibidem art. 5. qui 23. argumenta adfert. Flandrien.

ARTICVLVS TERTIVS.

De conceptu entis formali.

SVſtinent Thomiſtæ omnes nobiliores, ens ſignificare immediate naturas prædicamentales, & nullum ſuperius ipſis adeſſe, vel gradum, vel conceptum, non enim analogia, quę eſt inter ſubſtantiam, & accidens, eſt duorum ad tertium, ſed vnius ad alterum, adeoquod nihil ſuperius ſubſtantiæ, & accidenti importetur ab ente, ita vt nullus detur conceptus, vel obiectiuus, vel formalis, præciſus à ſubſtantia, & accidente. Ita colligitur ex Auctore 1. con. Gent. 34. & quæſt. de Potentia Dei q. 7. art. 7. in fine, vbi ait, ens dici analogice de ſubſtantia, & accidente, non analogia ad vnum tertium, ſed vnius ad alterum, quod ſi nullum tertium adeſt, quod prædicamenta reſpiciunt, iam immediate exprimuntur nomine entis; Ita docet Caiet. hoc loco, & tractatu illo ſuo numquam ſatis laudato de nominum analogia cap. 4. & 5. Ita Capreolus 1. ſent. d. 2. q. 1. Ita Ferrarienſis primo con. Gent. cap. relato, ita Paulus Soncinas, quarto Diuinorum q. 2. ita Dominicus à Flandria vbi ſupra, ita Aquarius, eodem quarto lib. dilucidatione 1. ita alij quoque, & multi extra ſcholam noſtram docuerunt. (Thomiſtarum ſententia. D.Thom. Caietan. Capreol. Ferrarienſis. Soncinas. Flandrien. Aquarius.)

Vt itaque rem aggrediamur, & conceptum entis formalem explicemus, noto ex Caiet. in præſenti, & ex alijs permultis, qui in hac materia ſcripſerunt, quod duplex eſt conceptus alicuius rei, quidam dicitur formalis, quidam obiectiuus, ſiue obiectalis; Conceptus formalis, eſt intentio quædam, idolum, ſimulachrum, imago, ſimilitudo, ſpecies expreſſa, (hæc quippe omnia idem in propoſito ſibi volunt,) quam format in ſe, & exprimit poſſibilis intellectus, vbi conſtitutus eſt in actu primo, per ſpeciem ſibi ab obiecto, ope intellectus agentis, & phantaſmatum impreſſam, & omnibus illis vocibus, quas audiſti nominatur à Philoſophis, à Theologis autem dicitur verbum; Differt autem conceptus iſte, ſiue ſimilitudo, ab alia illa ſimilitudine, quæ dicitur ſpecies impreſſa, quoniam iſta repræſentat obiectum intellectui in actu primo & in habitu dumtaxat, & concurrit, vt comprincipium ad intellectionem, vt vtar verbo Caiet. p. p. q. 27. art. 1. (Cõceptus formalis, qualis. Munera ſpeciei impreſſæ, & cur dicatur impreſſa.)

art. 1. & dicitur impreſſa, quoniam ab obiecto, vt dicebatur imprimitur in ipſo intellectu, per quam nulla eſt actualis intellectio, ſed ſolum habitualis, & in fieri vt ita loquar, quam ideo cenſeo, & à Caiet. & ab alijs in hoc negotio fuiſſe inuolutam ſilentio, quoniam ſermo eſt de intellectione, quam facit intellectus actu de ipſo ente, vbi locum non habet ſpecies vt ſic impreſſa, vt innuit Ariſtoteles 3. de anima 8. quando de intellectu loquens dixit, cum factus fuerit ſingula ſciens, tunc poterit intelligere, & operari per ſeipſum, & eſt quidem tunc potentia quodammodo, non tamen ſimiliter, veluti ſcilicet erat, antequam ſpecies impreſſas reciperet, vbi clare inquit Ariſtoteles, intellectum actuatum illis ſpeciebus, (ſic enim fit ſingula,) eſſe adhuc in potentia, & non operari, ſed poſſe operari. Vel dicamus, huiuſcemodi ſpeciem fuiſſe virtute, & implicite recenſitam, nimirum in ſpecie expreſſa, & formali conceptu, hic enim talis eſt, qualis formatur ab intellectu, cum ſpecie illa impreſſa, reſpondet enim terminus principio ſuo, tamquam effectus vniuocus ſuæ cauſæ, adeo vt ſi non habet ens vnum conceptum formalem, neque etiam habebit vnam ſpeciem impreſſam, &c.

Ariſtot.

Qua ratione conceptus formalis dicatur expreſſus.

Hic vero conceptus formalis dicitur expreſſus, non in ordine ad obiectum, quoniam ab ipſo non exprimitur, ſed comparatione ad intellectum, à quo, vt dictum eſt exprimitur, licet etiam in eo ſenſu queat dici expreſſus in ordine ad obiectum, quatenus de ipſo ab intellectu exprimitur. Conceptus vero obiectiuus, aut obiectalis, eſt res ipſa ad extra, non quatenus ad extra eſt, ſic enim cum non poſſit mouere intellectum, nequit eidem obijci, ſed quatenus iam ab intellectu intelligitur, & dicitur conceptus obiectiuus, quoniam eſt ipſummet obiectum conceptum. Vt dum ego ſpeculor naturam humanam, factus in actu iam per ſpeciem receptam ab obiecto, atque ideo eius habitualem notitiam tenens, dum actu volo illam contemplari, exprimit meus intellectus ſpeciem aliam, conceptum ſcilicet formalem, & ſimilitudinem illam actualem, in qua naturam humanam intuetur, illa ſimilitudo, eſt conceptus formalis, natura humana; eſt conceptus obiectalis, neque in tali intellectione ſunt duo, quæ intelligantur, illa ſcilicet ſimilitudo, & natura ad extra, quoniam tunc ſimilitudo ſi in eſſe rei ſpectetur, non eſt quod intelligitur, ſed quo, non quidem vt principium, ſed vt terminus, natura vero ipſa ea eſt, quæ in illo conceptu intelligitur; At reuera tunc non inſpicitur conceptus ille, vt accidens quoddam, & qualitas, ſiue res eſt, materialiter, ſed formaliter, vt actum exercet ſimilitudinis, & imaginis in repræſentando, & vnuſquiſque nouit, ab Ariſtotele ſecundo de memoria, & reminiſcentia cap. 1. edoctus, eundem eſſe motum in imaginem, & in rem cuius eſt imago; Similiter quando dicitur ab omnibus, & vere, nomen ſignificare conceptum, non cenſeas, quod ſignificet conceptum formalem tantum, ſed vtrumque, nam & obiectiuum ſignificat, & quidem formalem, vt medium, ſeu quo, obiectalem vero, vt vltimum, ſiue quod, in gratiam ſiquidem obiectiui conceptus exprimitur formalis; Poſſumus quoque dicere, nomen ſignificare ſolum conceptum formalem, ſed quoniam iſte alicuius rei eſt conceptus, alioquin eſſet nihil, ea propter ſignificando illum, ſignificat & obiectiuum, nam iſte eſt res in illo relucens; Quocirca idem eſt loqui de conceptu entis, & de eius ſignificatione, quoniam in nomine, vel ſignificatione importatur vterque illius conceptus, modo declarato, &c.

Quis ſit conceptus obiectiuus.

Cur ita dictus.

Ariſtot.

Duplex conceptus conſideratio.

Noto vlterius, quod veluti conceptus omnis dupliciter poteſt conſiderari, quo ſcilicet ad eſſe materiale, & quo ad eſſe formale, vel vt res eſt, & vt repræſentatiuus eſt, vt dictum eſt, ita & eiuſdem conceptus vnitas ex duplici capite

poteſt

poteſt attendi, & ex vnitate ſcilicet materiali, & rei, & ex vnitate formali, & repræſentatiui; quando namque intellectus format aliquam propoſitionem, illa propoſitio eſt vnus conceptus re, eſt enim ſimplex qualitas, quæcumque formetur continuata enunciatio, & non interrupta, in illa tamen propoſitione poſſunt plura repræſentari, vnde conceptus ille eſt vnus vnitate rei, & materiali, non repræſentatiui, & formali, & hoc in conceptu entis erit diligenter aduertendum.

Noto poſtremo, quod duplex poteſt eſſe conceptus formalis, & repræſentatiuus, alter totalis, perfectus, & adæquatus, alter partialis, imperfectus, & inadæquatus, & quemadmodum vna res ſolum aliquando, & aliàs plures res, vno, & eodem conceptu poſſunt repræſentari, ob aliquam, quam adinuicem habent affinitatem, & conuenientiam, ita dupliciter fieri poteſt, vt vtrumque repræſentetur, perfecte ſcilicet, & adæquate, & imperfecte, ac inadæquate, ſic natura humana hoc conceptu *humanitas*, perfecte repræſentatur, quoniam in illo, quæ omnia ad eſſentiam naturæ humanæ vt ſic ſpectant elucent, ſi autem repræſentetur hoc conceptu *animalitas*, non perfecte, non adæquate repræſentatur, quoniam non totum illud, quod eſt in natura humana inuenitur actu in animalitate, vt patet; ſimiliter multa repræſentata vno conceptu, poſſunt, & adæquate, & minus adæquate per illum conceptum offerri, & repræſentari. Duplex conceptus formalis.

His prænotatis, loquendo de conceptu formali entis pono hanc concluſionem: Ens habet conceptum vnum vnitate rei, & repræſentationis, communem ſubſtantiæ, & accidenti, inadæquatum, & imperfectum. Prima Concluſio.

Declaro ſingula, quod enim ſit vnus vnitate rei, ex eo liquido patet, quod dicendo intellectus, ſeu concipiendo ens eſſe illud, cui debetur eſſe, vel quod habet eſſe, vnum conceptum materialiter, & vnam qualitatem format; Quod etiam ſit vnus vnitate repræſentationis, conſtat, quoniam in eſſe, quod eſt conceptus formalis ipſius, repræſentatur ſubſtantia, & accidens, & hæc eſt concluſio Caiet. prima, in hac quæſtione, quam probat hac ratione in breuem formam redacta; Omnia ſimilia, quatenus ſimilia, poſſunt vna, & eadem imagine repræſentari, ſed omnia genera rerum, quatenus ſunt entia, ſimilia ſunt inter ſe, ergo poſſunt vna, eademque imagine repræſentari; imago illa, aut ſimilitudo eſt conceptus formalis entis, ergo ens habet vnum conceptum formalem, communem ſubſtantiæ, & accidenti, vel naturis prædicamentalibus, &c. maior huius rationis manifeſtatur, quoniam quotieſcumque agens producit ſui ſimilitudinem in alio, ſi hoc aliud producat aliud tertium ſimile ſibi, ſecundum illud, in quo ipſum eſt ſimile primo, oportet profecto tertium aſſimilari vtrique, quoniam ſimilatur ſecundo, non materialiter, ſed formaliter, quatenus ſcilicet eſt ſimile primo, ſi namque pater patris mei aliquid produxit in patre meo, per quod ipſe ſimilis ei eſſet, & pater meus id, iuxta quod attenditur ſimilitudo produxit in me, profecto ego, qui ſum tertius, ſimilis fio vtrique, & patri ſcilicet meo, & patri patris mei, quicquid enim eſt ſimile alicui in eo quod illud eſt alteri ſimile, (ecce quod formaliter accipitur,) eſt ſimile vtrique; Cum ergo eſſe accidentale aſſimiletur eſſe ſubſtantiali, à quo profluit, & cauſatur, ſimilitudo quæ producitur in intellectu, vel producatur ab eſſe ſubſtantiali, vel ab eſſe accidentali, erit vtriuſque repræſentatiua, penes id, in quo ſunt ſimilia, quod eſt in eſſe, cumque eatenus ponatur formalis conceptus in intellectu, quatenus rem obiectaliter faciat præſentem, vnico conceptu tendet intellectus in ſubſtantiam, & accidens, neque oportebit, (non dico, quin poſſit) alium poni conceptum ſubſtantiæ, Probatur argumento Caietani. Ratio ponendi conceptũ formalem.

alium accidentis; ſi enim alij ponerentur conceptus, ad hoc certe ponerentur, vt repræſentarent, at ſi conceptus ille vnicus hoc præſtat, vt probatum eſt, fruſtra alter conceptus poneretur, & tamen natura nihil otioſum facit, vt ex Ariſtotele millies patuit quæſtione 2. ſuper procemium: Hanc rationem vide hoc loco in Caiet. fuſius, & facillime deductam, accommodatamque Deo, & creaturis, nam in hoc eſt eadem de his ratio, cum tum Deus, tum creatura aliquo modo ſimilentur in eſſe, ac proinde quatenus ſimilia, eadem imagine, & conceptu poſſunt repræſentari.

Ariſtot.

De conceptu autem formali perfecto, & adæquato eiuſdem entis in repræſentando, pono ſecundam concluſionem: Ens non habet vnum conceptum formalem, qui adæquate repræſentet ſubſtantiam, & accidens, ſiue naturas cathegoriarum.

Secunda Cōcluſio.

Hanc docet Caiet. tractatu de nominum analogia cap. 4. 5. & 6. & Ferrar. loco ſuperius allegato, & colligitur etiam ex prima concluſione eiuſdem Caiet. poſita in hac parte, quando enim probabat dari conceptum illum vnum formalem, iam explicatum, dicebat ſemper, illum eſſe repræſentatiuum ſubſtantiæ, & accidentis, quatenus ſunt ſimilia in eſſe, ex eo innuens, penes hoc tantum, (vti reuera eſt) illum eſſe repræſentatiuum, quare non adæquate, non perfecte.

Caiet. Ferrarien.

Hoc autem docte patefaciebat ipſe quarto cap. citato dicens, verum eſſe, & quod analogum habet vnum mentalem conceptum, & plures, ſubdebat tamen, quod ſimpliciter loquendo, magis dicendum eſt, analogi eſſe plures conceptus; Declaro omnia ex eodem Caiet per differentiam, quæ inuenitur in conceptu vniuoci, & in conceptu analogi, quoniam enim fundamentum vniuocæ ſimilitudinis, quod eſt illud, quod ſignificato formali nominis vniuoci ſignificatur, eſt vnius penitus rationis in omnibus vniuocatis, ideo in vno repræſentato, omnia oportet repræſentari, vniuoca quippe ſimilitudo eſt gratia exempli animalitas, fundamentum huius animalitatis, eſt natura ſenſitiua, quæ licet differens numero, & ſpecie inueniatur in homine, leone, & boue, eſt tamen vnius, & eiuſdem penitus rationis in omnibus; æque namque omnes participant naturam ſenſitiuam, neque vnum in eo quod animal aliquid habet, quod non habeant omnia alia, licet vt hoc animal aliquid proprium habeat, per quod differat à reliquis, at hoc nihil ad rem, quoniam non fundant vniuocationem animalitatis, vt talia animalia, ſed vt animalia abſolute, & ratio eſt in promptu, quoniam in eo quod ſimilia, non in eo quod differentia, debent fundare vniuocationem, hinc aperte ſequitur, quod in altero eorum vt ſic repræſentato, reliqua etiam repræſententur, quoniam vt dicebam, in hoc eſt penitus ſimile reliquis; ſic vniuocum, & omnia vniuocata vt ſic ſemper formaliter loquendo vnum tantum conceptum habent ipſa perfecte repræſentantem, & adæquate eis reſpondentem; In conceptu ſiquidem naturæ ſenſitiuæ, (ecce fundamentum animalitatis,) omnia animalia vt ſic abſolute, & omnino repræſentantur, quod ſi alij ſtatuerentur conceptus, puta ille hominis, ille leonis, ille bouis, ad hoc quippe ponerentur, vt eos repræſentarent, at iam in illo vno naturæ ſenſitiuæ plene exprimuntur, quare gratis prorſus adhiberentur, &c.

Caiet.

Conceptus vniuoci, & vniuocatorū.

Quoniam autem in analogis, illa quæ ſimilitudinem analogam fundant, tantum abeſt, vt ſint vnius omnino rationis, quod rationum ſunt ſimpliciter diuerſarum, & vnius tantum rationis ſecundum quid, hoc eſt proportionaliter, ideo conceptus analogi diſtinguendus eſt, per perfectum, & imperfectum, veluti prænotauimus tertia obſeruatione, & dicendum eſt, quod analogum, & ſua analogata

logata habent vnum conceptum imperfectum mentalem, vel formalem, & tot perfectos conceptus, quot ſunt ipſæ res, quæ analogantur; & hoc conſequenter loquimur, quia etenim analogata aliquo modo ſunt ſimilia, ideo aliquo modo, vnum repræſentabit aliud, & analogum analogata, in eo ſcilicet, quod ſunt ſimilia, ecce imperfectum conceptum, quoniam vero vnum analogatum eſt diuerſum ſimpliciter ab alio, ideo vnum nequibit eſſe alterius expreſſiuum, ſed ſi perfecte vnumquodque erit repræſentandum, oportebit vniuſcuiuſque proprium adeſſe conceptum, non enim vnum per aliud valet perfecte exprimi, cum vnum non ſit perfecte ſimile alteri, cumque ponatur conceptus in gratiam repræſentationis, tot erunt aſſignandi conceptus, quot erunt analogata, quæ perfecte erunt repræſentanda. Cōceptus analogi. Cur ponatur conceptus.

Quod autem res fundantes analogiam, ſint ſolum ſecundum quid, hoc eſt ex proportione ſimiles, & ſimpliciter diuerſæ, præterquam quod, hoc veræ analogiæ vox refert, (idem namque eſt dicere analogum, quod plura vt ſimilia,) ſuadet & exemplum, ſubſtantia enim, qualitas, & quantitas fundant analogiam, non quidem materialiter, vt res tales ſunt præciſe, ſic enim in nullo conueniunt, ſed quatenus ſunt proprijs eſſe commenſuratæ, veluti ſcilicet ſubſtantia ſe habet ad eſſe ſuum, quantitas ad ſuum, & ſimiliter qualitas; In his ergo duo contemplaris, & maximam diuerſitatem, quæ eſt pluſquam genere in ipſis, & aliquam ſimilitudinem, quæ eſt in hoc, quod vnumquodque ipſorum modo ſuo ſe habet ad eſſe; ratione primi, vnum nequit repræſentare aliud, quoniam in hoc, nullo modo ſunt ſimilia, ratione ſecundi, poteſt vnum per aliud repræſentari, ſed non perfecte, quoniam non eodem prorſus modo ſe habent ad eſſe, velut eodem modo penitus omnia animalia habebant naturam ſenſitiuam, quocirca imperfecte vnum per aliud repræſentabitur, quod ſi eorum perfectam cupis notitiam, vniuſcuiuſque proprius exigitur conceptus. Conuincit hoc ipſum ratio, nam vt ſiſtam in eodem exemplo, ſubſtantia ſe habet ad eſſe ſuum hoc modo, quod eſt ens in ſe exiſtens, accidens hoc modo, quod eſt exiſtens in alio, hæc quatenus ſe habent ad eſſe, fundant hoc analogum, quod eſt *ens*, cuius formalis conceptus eſt habere eſſe, patet autem, quod in tali conceptu non perfecte relucent analogata, quoniam in hoc quod eſt habere eſſe, non ſufficienter exprimitur, vel ſubſtantia, vel accidens, nedum in eo quod entia, hoc enim nihil huic inſtituto ſeruiret, nam neque homo, neque leo, vt hæc animalia perfecte in conceptu animalis exprimũtur, ſed neque in eo quod analogata ſunt, vel in eo quod fundant analogiam; Et quamuis aliquo modo poſſet admitti, quod perfecte in illo conceptu repræſentatur ſubſtantia, quoniam ſola ſubſtantia eſt vere ens, accidentia autem eatenus entia, quatenus entis, ex ſeptimo Diuinorum 2. non tamen perfecte exprimitur accidens, quoniam ſi debeat definiri, oportet ſubſtantiam interuenire, vt ibidem tex. 3. ſubditur, quod ſanè conſtat non repræſentari perfecte in illo conceptu formali entis. Dixi, quod aliqua via in tali conceptu entis repræſentatur ſubſtantia, quoniam hoc veritatem habet, ſi ſpectetur analogia attributionis, quæ eſt inter ſubſtantiam, & accidens, tunc enim dicitur accidens ens merito ſubſtantiæ, & in hac analogia, analogum ſimpliciter prolatum ſtat pro primo, vnde ſupponet ens pro ſubſtantia, quando abſolute enunciabitur, in analogia vero proportionis, quæ potiſſima eſt, immo ſola vere, ac proprie eſt analogia, omnia analogata ſignificantur nomine analogi, vt proportionalia ſunt. Vnum autem analogatum, multo minus perfecte exprimet reliquum, quoniam perfectus conceptus ſubſtantiæ, non eſt ſe habere ad eſſe ſimpliciter, ſed hoc modo, in ſe Quomodo prędicamenta fundent entis analogiam. Ariſtot.

videlicet,patet autem,quod licet merito primi,quod eſt ſe habere ad eſſe,aliquo modo repræſentet accidens, in hoc enim ſunt ſimilia, (ecce conceptum imperfectum,) tamen merito ſecundi,tantum abeſt, vt ſit ſimile, quod potius opponatur, quoniam ſubſtantia in ſe, accidens in alio,vnde ratione illius, in quo ſtat perfectus conceptus, fieri nequit, vt vnum per aliud exprimatur.

Diſcrimē inter vniuoca, æquiuoca, & analoga, quo ad repræſentari.

Medio ergo modo ſe habent analoga inter vniuoca, & pure æquiuoca, quoniam vniuoca vnico conceptu perfecte repræſentantur, æquiuoca nullo penitus conceptu poſſunt inuicem repræſentari, ſed ſola voce communi gaudent,analoga vero vnico conceptu imperfecte exprimuntur, ſed pluribus perfecte, & iure, quoniam repræſentatio multorum in aliquo vno ſequitur ſimilitudinem, eatenus namque in vno repræſentantur, quatenus ſunt ſimilia, ſed vniuoca omnia, ſiue vniuocata vt ſic, omnino ſimilia ſunt,æquiuoca in ſolo nomine conueniunt, analoga vltra nomen, habent & aliquo modo rationem eandem,ideo vniuoca in vno conceptu adamuſſim relucent, æquiuoca in nullo, analoga aliquo modo in vno; ſed quoniam & hæc ſunt ſimpliciter diuerſa, ideo ad eorum plenam expreſſionem, tot indigent conceptibus, quot ſunt analogata; & quoniam dum de aliquorum repræſentatione eſt ſermo, id accipi debet de perfecta repræſentatione,niſi aliud obſtet, iccirco bene dixit Caiet. quod ſi ſimpliciter loquamur, magis dicere debeamus, analogi plures eſſe conceptus, quam vnum tantum.

Entis conceptus quomodo vnus,& nō vnus.

Patet itaque quomodo ens,quod eſſe analogum ſupponimus,infra probaturi habeat, & non habeat vnum conceptum formalem, habet ſemper vnum vnitate rei, & qualitatis, habet vnum in eſſe repræſentatiuo, ſed imperfectum,& non habet vnum perfectum, & adæquate analoga exprimentem; Quapropter concluſionem Caiet. primam in hac quæſtione explica, vel de vnitate rei, vel quoniam id nimis clarum eſt, dic ſubtilius, & magis ad eius mentem, de conceptu imperfecto, vt iam patefeci, ipſum in præſenti innuere voluiſſe,quod late deinde

Caietan.

manifeſtauit tractatu ſuo ſexto de conceptu entis, quem ad Franciſcum Ferrar. miſit, vbi clare ponit conceptum imperfectum formalem entis vnum, perfectos plures, iuxta ea, quæ prædocuerat tractatu de nominum analogia, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

De conceptu eiuſdem obiectiuo.

Concluſio.

IN gratiam conceptus obiectiui ipſius entis adfero ſecundam concluſionem Caiet. in hac quæſtione,& eſt de mente Ferrar. vbi ſupra & omnium prope illorum, quos ſuperius commemoraui: Ens ſignificat vt obiectalem conceptum, aliquod, quod realiter inuenitur in omnibus generibus, quod ſanè reale,diſtinctum eſt ſecundum rationem à proprijs conceptibus obiectiuis ſubſtantiæ, & accidentis,ſiue omnium generum,& nullum gradum exprimit ſupra naturas,vel genericas, vel ſpecificas, vel indiuiduales.

In hoc aſſerto clauduntur tria, quorum duo priora facillima ſunt, iam enim diximus,conceptum obiectalem entis eſſe id,quod per eius formalem conceptū exprimitur, veluti omnis conceptuus obiectiuus,eſt res per formalem repræſentata; diximus quoque,conceptum illum entis formalem repræſentare id,in quo ſubſtantia, & accidens, aut omnia genera ſunt ſimilia, & hoc dictum fuit, quod ſit eſſe, nam in hoc conueniunt, modo addimus, id quod manifeſtiſſimum eſt,

nimirum

nimirum hoc eſſe in ipſis realiter inueniri, illud ergo conſequitur, quod conceptus obiectalis entis ſit aliquod reale in omnibus generibus inuentum, quæ eſt prima pars concluſionis; Vnde breui digredere hunc in modum, omnia genera conueniunt in eſſe, hoc repræſentatur in conceptu formali entis, hoc ſpectat ad eius conceptum obiectiuum, hoc eſt realiter in ipſis, ergo conceptus entis obiectiuus eſt aliquid reale in decem generibus inuentum. Colligitur prior pars cõcluſionis.

Secunda pars aſſerti facilior quoque eſt, & patet ex proxime dictis, ſi namque conceptus obiectiuus entis eſt in omnibus, & nullus conceptus obiectiuus proprius ipſorum generum eſt in omnibus, nam conceptus proprius obiectiuus ſubſtantiæ, certe non eſt in accidente, alioquin non foret illi proprius, multo minus conceptus proprius accidentis eſt in ſubſtantia (quoniam aliquo modo in accidente cadit ſubſtantia, non e contra,) illud pro comperto relinquitur, quod conceptus obiectalis entis, ratione ſaltem differat à conceptibus proprijs ipſorum generum, quæ erat ſecunda pars aſſertionis, & breui potes ita ſyllogizare; Illud quod ad plura ſe extendit, ſaltem ratione differt ab eo, quod in paucioribus inuenitur, ſed conceptus obiectalis entis ad plura ſe extendit, conceptus autem proprij ipſorum generum, in paucioribus inueniuntur, ergo ſaltem ratione diſcriminantur. Concluditur ſecunda.

Pro notitia autem tertiæ partis, in qua eſt grauis controuerſia, dum dicimus, conceptum entis obiectalem, nullum gradum exprimere ſupra prædicamentales naturas, ſcire oportet, quod conceptus obiectalis entis eſt eſſe, aut entitas omnibus naturis communis, nullum dicens gradum ſupra ipſas, quoniam nihil aliud eſt, quam ipſæ naturæ, vt habentes eſſe, non enim à ſubſtantia, & accidente poteſt aliquid abſtrahi, entitas ſcilicet, quoniam ſupra ſubſtantiam nil amplius manet, quare nullus gradus reperiri valet ſupra genera decẽ, veluti ſupra hominem, equum, & bouem, reperitur gradus animalitatis, aut naturæ ſenſitiuæ omnibus communis, quapropter fundant ipſæ rerum naturæ conceptum obiectalem entis, non ſecundnm aliquam rem eiuſdem rationis, quæ in eis inueniatur, vt fundant homo, & leo ſecundum naturam ſentientem, quæ eſt eiuſdem rationis in ipſis vniuocationem, ſed ſecundum proprias quidditates, vt ſunt commenſuratæ proprijs eſſe; cumque non ſit aliquid in ipſis eiuſdem rationis, nequeunt ad aliquid vnum ſimpliciter adunari, ſed ſolum ad aliquid idem ſecundum proportionem, vnum ſiquidem ſimpliciter, numquam reſultabit ex aliquibus, niſi illa penes aliquid omnino conueniant, in nullo autem omnino rerum naturæ conueniunt, quamuis enim communicent in eſſe, non tamen eodem modo, vt iam patuit, vnde aliquid vnum ſimpliciter non poterunt reſpicere, ſed tot reſpicient, quot ſunt ipſæmet naturæ, tot nimirum modos habendi eſſe, & eos reſpicient, velut quidditates abſolute, ſeipſas vt proprijs eſſe commenſuratas intuentes, non enim vt tales quidditates, ſed vt ſuo eſſe appropriatæ, ſunt analogæ. Quomodo rerum naturæ fundent conceptum entis obiectalem.

Hoc autem haud obſcuræ poteſt colligi ex ijs, quæ circa formalem conceptum diximus, cum enim obiectalis ſit cauſa conceptus formalis, (in gratiam quippe repræſentationis conceptus obiectiui, exprimitur formalis,) ſi tot ſunt conceptus formales, quot ſunt ipſa analogata, totidem erunt & conceptus obiectales, quot res ipſæ, vt etiam fundant analogiam, nam effectus eſt correſpondens cauſæ ſuæ, iam itaque ad aliquem vnum tertium conceptum non adunabuntur, iam nullus gradus erit ſupra ipſas, iam conceptus obiectalis entis, nullum gradum ſupra ipſas naturas exprimet, ſed eas ſimul dicet.

Quod

Difficultas. Quod ſi dixeris, dum tot ponis conceptus obiectales, quot ſunt ipſa analogata, iam ergo nullus datur conceptus obiectalis analogi, iam non differt analogum ab æquiuoco. Soluitur. Dico veriſſimum eſſe, non dari vllum conceptum ſimpliciter vnum analogi, ſed vnum dumtaxat proportione, quoniam conceptus obiectales analogi, ſunt ipſæmet res, vt ſimiles, multæ ſimpliciter, ſed eædem proportione, differentes à ſeipſis abſolute, & ſecundum proprias quidditates, conſideratis, ſic enim diſtinguitur analogum ab analogatis, non enim ſecernitur ens à quantitate, & ſubſtantia, quia quandam rem eis communem ponat, vt diſtinguitur animal à leone, & boue, ponendo illis naturam ſenſitiuam communem, ſed quia ſubſtantia importat ſolum quidditatem ſubſtantiæ, ſimiliter quantitas, illam tantum quantitatis, ens autem ſignificat vtramque quidditatem, vt ſimiles ſunt, vt ſcilicet ſe habent ex proportione ad eſſe, quod eſt dicere, vt diuerſas ſimpliciter, & vt ſecundum quid eaſdem, ſic non eſt idem analogum, quod æquiuocum, nam canis nihil ſignificat commune ſyderi, animali latranti, & piſci, niſi vocem, analogum autem, vltra vocem, rationem quoque ſecundum quid communem dicit, at dilucidius hoc reddetur, quando paulo inferius loquemur de abſtractione analogi, &c.

Quo pacto diſtinguatur ēs à ſubſtantia, & quantitate.

Erit ergo diſcrimen inter vniuoca, & analoga, quod vniuoco aſſignatur aliquid tertium commune, quod eſt diſtinctum ab vniuocatis, quodcumque illud fuerit, ſignificat enim ſpecies ſuas, medio aliquo communi, quoniam aliquid vnum dicit indifferens ad omnes ſuas ſpecies, quippe quod, licet diuerſificetur in ſpeciebus, merito differentiarum diuidentium, per quas ad ſpecies contrahitur, tamen ſi conſideretur in ſe, & quo ad ſuam rationem, non permutatur, ſed idem manet, & huius cauſa eſt, quod talis diuiſio non ineſt ſibi ratione eorum, quæ ſibi ex ſui natura inſunt, ſed ratione illorum, quæ ſibi adueniunt, per quæ deſcendit ad inferiora ſua, non fit inquam hæc diuiſio ab his, quæ habent vim ipſum conſtituendi, tunc enim in ſeipſo quoque diuideretur, ſed ab his, quæ habent vim illud in inferioribus diuidendi, vt videre eſt in animali, quod ſignificat leonem, & bouem, non immediate, tamquam plura ſignificata, tunc enim non foret vniuocum, ſed tanquam ſubiectiuas partes, medio aliquo communi, natura ſcilicet ſenſitiua, ideo namque continentur ſub animali, quoniam naturam habent ſenſitiuam, quippe quæ in ſe, & quo ad naturam ſuam conſiderata, non variatur, ſed manet eadem, quoniam diuiſio illa non ei conuenit merito eorum, quæ ad illam vt ſic attinent, alioquin numquam vna inueniretur, ſed ei accidit, ratione differentiarum, quæ ſibi adueniunt, ratione inquam eorum, quibus diuiditur, non quibus conſtituitur, ſi enim per hæc conſtitueretur, non aduenirent illi, quoniam conſtituens non aduenit conſtituto, ſed ipſum ſecundum rationem ſaltem præcedit, differentiæ autem non ſunt in ipſa actu, aliter contraria eſſent in eodem, vt arguebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 42. & Porphyr. cap. de differentia, ideo quamuis animal re, & ſpecie differat in homine, & leone, quia hic rationis expers, ille compos, tamen quatenus eſt ſubſtantia animata ſenſitiua, indiuiſuum remanet, quoniam merito huius non partitur, hinc bene dicunt omnes, genus totum ſecundum eſſentiam inueniri in vnaquaque ſpecie; Analogum autem non aliquo medio, ſed immediate ſignificat ſua analogata, & diuiditur, nedum ex parte ſubiectorum, in quibus reperitur, ſed etiam ex parte ſui, & ſecundum ſuam naturam, vnde neque ipſum commune vt ſic permanet abſque varietate, immo in ſeipſo permagnam ſubit mutationem, vt erudite docuit Simplicius, ſuper ſecundum ſecundi de anima, vbi dicebat analogicum genus, (quod

Quomodo ſe habeant conſtituens, & cōſtitutum.

Ariſtot.

Porphyr.

Commune dictum de genere.

Simplicij elegans doctrina.

appel-

appellat illud, quod ſecundum vnamquamque formam variatur,) non permanere commune, non ſolum, vt ſpectat ad illas differentias, quæ diuidunt eodem ordine, ſed etiam in profunditate valde permutatur, hoc eſt in ſui natura, vt ens, nedum differt per hoc, quod eſt in ſubſtantia, & accidente, ceu differebat animal, ex eo quod erat in homine, & leone, ſed etiam ipſiuſmet communitas, & vniuerſalitas ſecundum ſe differt, quippe quæ intenſius à ſubſtantia, remiſſius ab accidente participatur, quod nequit dici de animali, & hoc ipſum docte repetit inferius in expoſitione 30. eiuſdem libri; Ratio autem eſt, quoniam in analogo non inueniuntur duo eſſe, quorum altero conſtituatur, altero diſtinguatur, tunc enim per primum, aliqua fieret natura, ſed idemmet eſſe quo conſtituitur, eſt etiã id, quo diuiditur & cum hoc ſecundum de neceſſitate differat, differet & primum. In animali autem, aliud erat eſſe, per quod conſtituebatur, & aliud, per quod diuidebatur, hinc ſtat, quod permutetur hoc ſecundum, primo in ſua profunditate, vt cum Simplicio loquar, inuariabili remanente; conſtituebatur quidem per ſenſibile, quod eſt differentia diuiſiua corporis animati, vel viuentis, & ipſius animalis conſtitutiua, diuidebatur autem per rationale, & irrationale, quod eſt animalis diuiſiuum, & hominis, ac bruti conſtitutiuum, analogum vero conſtituitur, & diuiditur eodem, quoniam non eſt res quædam extra ſua analogata, vt ens conſtituitur per eſſe, & per hoc idem partitur in ſubſtantiam, & accidens, hinc nequit dari conceptus obiectiuus ipſius entis vnus ſimpliciter, vel qui vllũ gradum dicat ſupra naturas, quod erat tertia pars aſſertionis, quoniam nullum aliud habet eſſe, quam in inferioribus, eſſe inquam eſſentiæ, ſeu naturæ, ſeu cuiuſuis gradus, non autem loquor de eſſe exiſtentiæ, hoc enim modo, neque animal, aliud habet eſſe, quam in ſuis ſpeciebus, ſiue indiuiduis.

Conſtitutiuũ animalis.

Diuiſiuum.

Id autem probabat Caiet. in hac parte, nam ſi aliquem gradum, ſeu præciſum conceptum ſupra naturas prædicamentales diceret ens, tunc acceptis gradibus ſpecificis, & genericis, cum eorum præciſe paſſionibus, non eſſent boni, non veri, non vnitate gauderent, demum non inuenirentur in ipſis vt ſic paſſiones entis, probatur conſequentia à ſimili, quoniam enim animal alium gradum præciſe importat à ſibi inferioribus, ideo ipſis inferioribus vt ſic conſideratis, præciſe iuxta conceptum vltimum proprium differentiæ ipſorum conſtitutiuũ, non conueniunt proprie paſſiones animalis vt ſic, quæcumque ſint illæ, non enim eſt verum dicere, quod homo, vt rationalis, (ecce eius differentialem conceptũ,) ſit piloſus, circumſcribendo in præſenti per ly, *piloſus*, propriam paſſionem animalis, falſitatem tamen conſequentis, nemo eſt qui non videat, homo namque rationalis eſt vnus, quoniam indiuiſus formaliter, & alijs paſſionibus entis gaudet, vt cap. 4. huius operis explicatius dicetur, omnem ſcilicet naturam vt ſic eſſe vnam, &c.

Caietani probatio pro tertia parte concluſionis.

Certe ſi aliquod ſuperius dicat gradum ex ſe, ille participabitur à ſuis inferioribus, non abſolute, & præciſe, ſed quatenus ſunt ſub illo ſuperiori, quod ſi numquam poſſint, vel concipi abſque ijs, quæ conſequuntur gradum illum ſuperiorem, certe ille gradus, nihil eſt præter ipſa, ſed eſt neceſſario ipſamet inferiora; ſic autem eſt de ente, numquam enim eius analogata, quocumque modo conſideres, immunia à paſſionibus entis videbis, quoniam quicquid entis rationem habet, comperies illud eſſe vnum, verum, bonum, aliquid, &c. & nihilominus ſi aliquem gradum ſuperiorem diceret ens ad ſubſtantiam, & accidens, non diceret totum illud, quod dicunt inferiora, ſed quid ei proprium eſſet, quod talem gradum inſequeretur, & quod non in omnibus vt ſic reperiretur; Quod ſi

Dubitatio.

quis

quis dixerit, hoc vtique verum eſſe, at non prouenire ex eo, quod ens non dicat gradum ipſis ſuperiorem, ſed quoniam nihil poſſit concipi, niſi fuerit ens, & ratione entis neceſſario incluſi, habeat quoque eiuſdem paſſiones, aliquid autem poteſt concipi non vt animal, & proinde vt ſic non inueniuntur in eo paſſiones animalis; Qui ita diceret, faueret mihi, ſi enim nihil poſſit concipi, quin ſit ens, vbi erit hic gradus præciſus entis, vt ſic, ſi neceſſario ab omnibus participetur? quomodo præciſus, ſi neque intellectu poteſt à quopiam ſeparari?

Tollitur.

Præterea, licet verum ſit, multa poſſe concipi abſque eo quod animalis conceptum in ſe claudant, vt res clariſſima eſt, tamen de his, quæ ſub ipſo vniuocata ſunt, id veritatem non habet, neque enim homo, vel leo poſſunt concipi, non vt animalia, & tamen vt ſic ſecundum gradum differentialem, non includunt differentias animalis, quoniam illa animalitas eſt natura quædam, ergo ſi & ens aliquem gradum vt ſic abiunctum diceret, profecto ille non inueniretur in ſuis inferioribus præciſe acceptis, quid enim præciſe hoc loco volumus, niſi præſcindendo à ſuperiori? & tamen quouis modo præſcindas, ſemper in ſubſtantia, & accidente, modo ſuo deprehendes paſſiones entis, quare nullam paſſionem habet in ſe ens vt ſic, quæ non inueniatur in ſuis inferioribus, ſi nulla ſecundum ſe paſſione gaudet, nullam quoque ſecundum ſe dicit naturam, nullum gradum, &c.

Analogi natura.

Perpende bene quod attuli, non eſſe aliud in analogo, per quod conſtituatur, & per quod in ſuis inferioribus diuidatur, quare nulla alia poteſt gaudere natura, niſi illa, quæ eſt in ſuis inferioribus, quod ſi aduerſarij dicant, aliud eſſe inueniri, illud quæſo patefaciant, eius rogo vt ſic oſtendant paſſiones, explicent amabo, quale nam proprium prædicatum illud inſequatur; quod ſi hæc, & his ſimilia non oſtenderint, vt certe nequeunt oſtendi, vel fateantur dari gradum, ſeu naram, ſeu conceptum, ſeu realitatem otioſam omnino, & inanem, quod cum inane prorſus, & otioſum ſit aſſerere, illam tandem penitus e medio tollant, & viam ſequantur, quam Ariſtoteles, & omnes eius priſci, ac illuſtres expoſitores docuerunt, nullum videlicet dari conceptum realem præciſum entis à prædicamentalibus naturis, nullum inquam gradum ens dicere ſupra ipſas naturas genericas, ſpecificas, vel indiuiduales, quæ erat tertia pars aſſertionis.

Soncinas. Si vis alias huius veritatis confirmationes videre, lege Paulum Soncinenſem quarto Diuinorum q. illa 2. ſex rationes efficaces ſatis ad hoc adferentem, nullum ſcilicet dari entis conceptum præciſum à rerum naturis, & ex conſequenti, ens immediate dicere naturas prædicamentorum, hoc enim eſt principale huius quæſtionis inſtitutum; alias quoque probationes habebis apud Dominicum à Flandria, ſuper eundem librum, quæſtione 2. art. 5. Aquarius etiam dilucidatione prima ſuper eundem librum, nonnullas adfert rationes antiquorum, eaſque tuetur à quibuſdam reſponſionibus, quæ ipſis adhiberi conſueuerunt.

Flandrien.

Aquarius.

Ariſtot. Vide auctoritatem expreſſam Ariſtotelis, quam citat hoc loco Caiet. deſumptam ex principio tex. 16. & vltimi octaui Diuinorum, vbi ait, ens ſtatim ſeipſo eſſe hoc aliquid, ſubſtantiam ſcilicet, & qualitatem, & quantitatem, ſi ſtatim, non ergo vllo medio conceptu. Vide auctoritatem Auerr. ab eodem Caiet. adductã, qui com. 8. decimi Diuinorum, ait ex Ariſtotele ibidem, eſſentias, & quidditates prædicamentorum eſſe diuerſas, & nihil eis eſſe commune, quoniam ſi ita eſſet, tunc hoc nomen *vnum*, non ſignificaret illud, quod ſignificat in prædicamento ſubſtantiæ, aut qualitatis, aut quantitatis, prima ſignificatione, & ſine medio, &c.

Auerroes.

Ariſtot. Vltra hæc, vide Ariſtotelem 12. Diuinorum 19. aperte dicentem, extra ſubſtantiam,

tiam, & reliqua prædicamenta nihil eſſe commune, ſi nihil commune, quomodo ens aliquid dicit commune ſubſtantiæ, & accidenti? Hinc deprehenditur nulla eſſe reſponſio illa, qua ſolet dici, genera ſuprema nihil habere commune ſubiectiuum, ſed tamen aliquid obiectiuum, ita vt diſtinguantur ſe totis ſubiectiue, ſed non obiectiue, nam omnia communia indifferenter à generaliſſimis excludit Ariſtoteles, & græci expoſitores & Auerr. ita vt, neque in natura vlla, neque in conceptu aliquo conueniant, præterea conceptus ille, vel eſt fictitius, vel verus, ſi fictitius, fictitia eſt eorum doctrina, ſi verus, omnis verus conceptus fundatur in aliqua re, & illam reſpicit, tamquam effectus cauſam, aſſignent itaque hanc rem, hoc ſubiectum, quod fundet hunc conceptum, fruſtra illud quærent, & contra ſeipſos, iam enim docent, in nullo ſubiecto conuenire, cum ſubiectiue ſe totis diſtinguantur, quod ſi ſubiectiue, & obiectiue, quoniam nullum obiectum datur, ſiue conceptus, cui non ſit fundamentum aliqua natura, vel ſubiectum, ſi dixerint, huiuſcemodi conceptum fundari in ſubſtantia, & accidente, vt conueniunt in ente, iam itaque non erit ab ipſis generibus præciſus. Vide eundem Ariſtotelem primo Phyſicorum 13. dicentem, ens eſſe, aut ſubſtantiam, aut quantum, aut quale, & apertius in diuiſione illa antepræd icamentali, qua diuidebat incomplexa, mox dicere, quædam eſſe ſubſtantias, quædam qualitates, &c. Eandem diuiſionem poſuit quinto Diuinorum 14. & 7. eorundem 16. & nono ſimiliter eorundem primo, quod ſi aliquid prius his generibus ſignificaretur ab ente, id certe Ariſtoteles recenſuiſſet, & male diuiſiſſet ens immediate in prædicamenta, ſi illa non ſignificet mediate, quocirca non facio vim ſolum in argumento ab auctoritate negatiue, (ſcio enim ſæpe non concludere,) ſed intelligo, quod falſo fuiſſet toties ab Ariſtotele ens partitum immediate in cathegorias, ſi quid ipſis prius adeſſet. Vide Alexandrũ ſuper illum tex. vltimum 8. Diuinorum ſcribentem, non eſſe aliam cauſam, quare ſubſtantia, quantitas, & cætera ſint entia, quoniam ſtatim ſunt ens, & vnum, ſi ſtatim, non igitur aliquo, quod inter ens, & ipſa mediet, idipſum confirmat ſuper illum 19. 12. Diuinorum dicens, nihil eſſe prius ſubſtantia, & reliquis prædicamentis; vide Auicennam primo ſuæ metaphyſicæ cap. 2. dicentem, quod ens non eget diuidi in alia, priuſquam in prædicamenta, vt ſubſtãtia eget diuidi in alia, antequam perueniat ad diuidi in hominem, & non hominem. Vide adhuc Auerr. vltimis verbis comm. 26. & vltimi, decimi Diuinorum, vbi inquit, illa quæ diſtant ſecundum genus, non conuenire omnino in vna natura, patet autem ſubſtantiam, & accidens differre genere, &c. Vide tandem Porphyrium cap. de ſpecie, ponentem prædicamenta ſuprema, & nihil illis aut commune, aut prius.

Modus dicẽdi quorundam.

Reijcitur.

Ariſtotelis 2 loca.

Alexander. 3

Auicennas.

Auerroes.

Porphyr.

Cum igitur conceptus obiectalis entis ſignificet aliquod reale in ipſis prædicamentis, vt dicebat prima pars aſſertionis, cumque tale reale nomine entis ſignificatum, non ſit gradus ſpecificus ſupra genericos, ſeu ſpecificos, ſciſcitatur aliquis quidnam ſit; Cui facile occurrit Caiet. & iam quiſquis ex ſe, ſi ſpectet quæ dicta ſunt, occurrere poteſt, hoc enim nil aliud eſt, niſi ipſamet naturæ genericæ, ſpecificæ, differentiales, & indiuiduales, quatenus nomine entis ſignificantur, ſic enim ſpectant ad conceptum obiectalem entis, vt eſſe habent, & quælibet ex ſe eſt pars conceptus obiectalis entis, ſimul autem omnes in vnum redactæ, totum illum conceptum integrant, vnum ſolum proportione, vnde tot conceptus obiectales perfectos dicit ens, quot ſunt naturæ, quas dicit, veluti ſuperius dictum fuit de formali conceptu. Quamobrem vnaquæque res quattuor conceptibus gaudebit, formali ſcilicet, & obiectali, ſpectantibus ad ipſam, quatenus res

Conceptus entis obiectalis.

Quot cuiuſq; rei conceptus.

quædam eſt propria abſolute, & alio formali, & obiectali, qui ad eandem attinebunt, vt ens eſt, vt ad conceptum obiectalum entis ſpectat, animalitas ſiquidem, (quæ eſt natura generica) ex ſua propria, & formali quidditate, per quam diſtinguitur contra omne illud, quod non eſt animal habet quod nomine proprio, ſcilicet animalitatis exprimatur, & eſt quoque conceptu obiectalis illius nominis, ſiue ſignificati ſiue formalis conceptus; rurſus eadem animalitas, quoniam habet, vt ſibi debeatur eſſe ſuum quidditatiuum genericum, & exiſtentiæ quoque in ſuis inferioribus, conſiderata ſub hac ratione, vt ei debetur eſſe, repræſentatur per conceptum formalem entis, tamquam pars ſui obiectalis, & vt ſic non exprimitur nomine animalitatis, ſed entis, ſic patet ſolutio tertij argumenti, quid nimirum reſpondeat conceptui formali entis, quis conceptus obiectalis, quid ſit illud reale importatum per conceptum obiectalem entis, naturæ ſcilicet ipſæ, ſubſtantia, & accidens, non abſolute, ſed vt habent eſſe, quocirca non reſpondet conceptus vnus vnitate formæ, tum enim aliquid præciſum à naturis diceret ens, ſed vnus vnitate analogiæ, & comparationis, hoc eſt multæ naturæ, vt ſimiles.

Soncinatis ſententia. Et quamuis Paulus Soncinas q. 3. quarti Diuinorum cenſeat, conceptum entis non eſſe vnum vnitate analogiæ, vel comparationis, ſed diſiunctionis, vult enim, quod eius conceptus non ſint ipſæ naturæ, ſed hoc diſiunctum; ſubſtantia; vel accidens, tamen magis mihi arridet modus loquendi Caiet. & aliorum, quod nimirum explicetur conceptus entis per copulationem, & collectiue, dicendo ipſas naturas ſimul, ſubſtantia ſcilicet, & accidens; Neque rationes, quas ipſe adfert contra hunc loquendi modum quicquam concludunt, quando enim ait, fieri non

Eius rationes. poſſe, vt intellectus aliquem terminum communem diſtribuat, niſi apprehendat totum eius primum ſignificatum, tranſeat hæc maior propoſitio, quando ſubdit in minori, quod intellectus dicendo omne ens, non apprehendit actu de-

Soluuntur. cem genera prima, dico quod confuſe immediatum entis ſignificatum apprehenditur, & hoc ſufficit ad diſtributionem termini communis analogi, dicendo namque intellectus omne ens, concipit ſubſtantiam, & accidens, quod ſat eſt, non enim requiritur, quod actu nouem genera accidentium tunc concipiantur, ſcit vtique non omne ens eſſe ſubſtantiam, nec ſimiliter omne ens eſſe accidens, quare vtrumque concipit, ſed ſi argumentum contra nos quid roboris haberet, non video, quomodo & contra auctorem ſuum non militaret; quemadmodum enim dicit, non poſſe concipi coniunctionem multorum, niſi concipiantur, quæ dicuntur coniuncta, certe neque poterit concipi diſiunctio, niſi intelligantur & diſtincta, diſtincta hæc ſunt decem prædicamenta, quæ ipſe ait non concipi ab intellectu, quare &c. Quod ſi dicat, diſiunctum hoc ſuum non eſſe omnia prædicamenta, dicendo vel ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas, vel relatio, &c. ſed ſolum vel ſubſtantia, vel accidens, hoc ipſum dicimus & nos, noſtrum ſcilicet coniunctum, eſſe ſolam ſubſtantiam, & accidens, &c. Quando ſecundo, & vltimo arguit, in omni vera prædicatione eſſentiali, prædicatum debere conuenire ſubiecto, ſecundum totum ſignificatum prædicati, cum omne ſuperius quidditatiue includatur in ſuis inferioribus, & nullam rem eſſe, de qua vere decem prædicamenta dicantur, ergo ens non ſignificat ipſa determinate ſua prima ſignificatione: Reſpondeo ad maiorem, quod in omni vera, ac eſſentiali prædicatione conuenit prædicatum ſubiecto ſecundum totum ſuum ſignificatum, non rei;

Quis ſenſus huius propoſitionis, homo eſt animal. ſed rationis, quando enim dico; homo eſt animal; ſenſus eſt, quod tota ratio animalis dicatur de homine, non autem omne illud, quod re eſt animal, alioquin homo eſſet bos, & leo, ſic quando dicimus, homo eſt ens, non requiritur, vt omne

illud

illud quod reipſa eſt ens, ſit homo, ſed ſufficit, quod tota ratio entis dicatur de homine, tota inquam, non ſimpliciter, ſed ex proportione, iam enim ens non eſt prædicatum vnum ſimpliciter, ſed vnum analogia, & ita verum eſt, totam rationem entis analogicam dici de omni quod eſt ens, quoniam dicendo, homo eſt ens, ratio ſubſtantiæ dicta de homine eſt eadem proportionaliter, & analogice, cum ratione nouem generum. Sed hanc eandem difficultatem ipſemet Soncinas patitur, nam de nulla re dicitur quidditatiue illud diſiunctum, ſed altera pars tantum, reliqua autem dicuntur tantum in voce, ſaltem affirmatiue loquendo, nam negatiue, per eandem quidditatem, qua aliquid eſt ſubſtantia, eſt quoque non accidens, & e contra.

Dixi modum loquendi Caiet. mihi magis probari, quam modum loquendi Soncinatis, appello has vias modos loquendi, quoniam certe nullam inter ipſas contrarietatem intueor, ſed tantum nonnullam diuerſitatem, immo vero potius in verbis, quam reipſa adinuicem diſſidere conſpicio, clarum namque omnibus eſt, quod dum dicimus, conceptum entis eſſe ipſas prædicamentales naturas, puta ſubſtantiam, & accidens, non intendimus dicere, quod aliqua natura ſit vtrumque, id enim falſiſſimum eſt, cum nulla res, vel creata, vel increata ſit formaliter ſubſtantia, & accidens, ſed volumus, quod ens dicat has naturas ſimul, quæ poſtea diuerſimode participantur ab inferioribus, nam quædam ipſarum ſunt ſubſtantiæ, quædam accidentia. Hoc autem & nihil aliud voluit fortaſſis Soncinas, vt ex eius argumentis, & præcipue ex ſecundo poteſt colligi; Cumque modus loquendi Soncinatis ſit probabilis, tollenda ſunt e medio nonnulla argumenta, quæ contra talem conceptum ſub diſiunctione explicatum affert eruditiſſimus Ponſeca q. 2. quarti Diuinorum lectione nona; arguit enim primo, quod diſtinctio eſt in ipſa intellectus indeterminatione, non autem in rebus, conuenientia autem omnium rerum, quatenus entia ſunt eſt in ipſis rebus; ſed hoc motiuum vel loquitur de relatione conuenientiæ, & diſtinctionis formaliter, vel fundamentaliter, ſi primo modo, vtraque eſt in intellectu, ſi ſecundo, vtraque eſt in rebus, quoniam vt paulo ante dicebam, per idem res conſtituitur in eſſe, & ab alijs differt, ab eodem namque habet aliquis, vt ſit homo, atque ideo cum alijs hominibus conueniat, & ab eodem habet, vnde diſtinctus ſit, aut differens ab omni alio ab homine. Arguit ſecundo, quod vnitas diſiunctionis pari modo poſſit tribui æquiuocis, vt ſi quis diceret, conceptum canis eſſe, vel piſcem, vel latrans animal, vel aſtrum, &c. Hoc quidem verum eſt, ſed tamen illa æquiuoca conueniunt dumtaxat in voce, ſubſtantia autem, & accidens, conceptu illo diſtincto explicata, conueniunt in alio vltra nomen, & noluit auferre Soncinas conuenientiam, quæ eſt inter naturas prædicamentales, ſed eas diſiuncto conceptu voluit explicare, & diſtinctionem rerum, non rationum inſinuauit; Vnde ruit tertium, in quo infert, tunc auferri omnem vnitatem analogicam, quam tamen tex. 12. quinti Diuinorum connumerabat Ariſtoteles cum reliquis vnitatibus, non enim vnitas proportionalis rationum ſubſtantiæ, & accidentis, (vbi poſita eſt analogia) per conceptum illum diſiunctum tollitur, ſed rerum diſtinctio, vt dicebam ſignificatur. Dum addit quarto, quod quando conceptu penitus confuſo dicimus aliquid eſſe ens, nihil tunc cogitamus de ſubſtantia, aut de accidente, dico eſſe in præſenti ſermonem, non de conceptu formali, ſed obiectiuo, qui eſt res ipſa, omnis autem res, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, falſum quoque eſt, quin ſaltem implicite dicendo ens, intellectus currat ad naturam, vel ſubſtantiæ, vel accidentis. Quintum argumentum totum conceditur,

Ad bonũ ſenſum reducitur opinio Sõcinatis.

Sex argumẽta Fonſeca contra modũ loquendi Soncinatis.

Confutantur ſingula.

Ariſtot.

vbi dicitur, pertinens ad eſſentiam rei determinatæ, non eſſe poſitum in diſiunctione, quæ nihil determinatum dicit, quælibet autem res eſt eſſentialiter ens, ſed oportet addere, quod eſſentialiter vnumquodque eſt vel ſubſtantia, vel accidens, non coniunctim vtrumque, vt patet quo ad rem, &c. Quando poſtremo inquit, ex huius diſiuncti poſitione, varia deſtrui pronunciata ab omnibus recepta, quod ſcilicet ens eſt obiectum intellectus, eſt ſubiectum diuinæ Philoſophiæ, eſt rebus omnibus commune, &c. negatur hæc ſequi, quoniam numquam vt dictum eſt excluditur proportio, & vnitas rationum, ſed aperitur diſtinctio rerum, ob vnitatem vero rationum entium omnium expreſſarum hoc nomine *ens*, vera ſunt illa, & alia pronunciata, & certe ens, quod eſt obiectum intellectus, eſt vel ſubſtantia, vel accidens, non quod obiectum ſit illa diſiunctio, id enim eſſet ſtultum, & tamen hoc prope dixerim videtur omnino impugnari, ſed quæ ſtant ſub illa diſiunctione, quæ per illam diſiunctionem exprimuntur, ſubſtantia ſcilicet, accidens, naturæ prædicamentales, &c.

Accommodatius loquimur cum Caietano.

Licet tamen modus loquendi Soncinatis ſit aptus, aptior tamen mihi videtur ille, quem cum Caiet. proferimus, dicendo, conceptum obiectiuum entis, eſſe non hanc, vel illam naturam, ſed hanc, & illam, & omnes ſimul, nullus enim negabit, quod ſic loquendo ex vi vocis non magis exprimatur conuenientia naturarum, quæ tamen in analogia eſt valde penſanda, cum penes conuenientiam, non iuxta diſiunctionem fundent illæ naturæ analogiam, ſed hoc, vt dicebam proficiſcitur ex modo loquendi, & ex vi vocis conceptum exprimentis, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qualis ſit abſtractio entis à ſubſtantia, & accidente.

SCire oportet, quod materia hæc ex ſe apprime difficilis, in qua egregie laborauit Caiet. cap. 5. tractatus de nominum analogia, iam facilis ex parte reddita eſt, ob ea, quæ circa conceptum vtrumque entis attulimus; iam enim dictum fuit, formalem analogi conceptum perfectum, non poſſe vnum eſſe, ſed tot neceſſario, quot ſunt analogata, idem diximus de conceptu obiectali, non eſſe ſcilicet rem vnam ſimpliciter, ſed proportione ſolum, hoc eſt multa, vt ſimilia, quare hoc ipſum de abſtractione eſt neceſſario dicendum, nimirum ab analogatis non poſſe abſtrahi rem vnam ſimpliciter, ſed ſolum vnam proportione, cumque abſtrahere, nil aliud ſit, quam attingere vnum, non attingendo aliud, intelligere ſcilicet illud, quod abſtrahitur, non intellecto illo, à quo abſtrahitur, quando dicimus abſtrahi analogum ab analogatis, & ens à prædicamentis, idem eſt ac ſi dicamus, intelligi analogum abſque analogatis, & ens abſque ſubſtantia, & accidente. Sed quoniam vt dicebatur, analogata ad aliquid vnum ſimpliciter non adunantur, ideo tale vnum nequit ab ipſis abſtrahi, & quoniam adunantur ad tot rationes, quot ſunt ipſa analogata, eapropter quando intelligentur illæ rationes, non intellectis illis rebus, quæ fundant materialiter illas rationes, hoc eſt, quando intelligentur illæ res, vt ſimiles, non intellectis eiſdem, vt res quædam ſunt abſolute, intelligetur analogum, abſque eo quod intelligantur analogata, & ex conſequenti illud tunc ab iſtis abſtrahitur; Quare abſtractio analogi non eſt in eo poſita, vt cognoſcatur vnum, & non cognoſcatur aliud, tunc enim analogum diceret aliquid præciſum ſupra analogata, id ſcilicet, quod intelligeretur,

Vbi ſit analogi ratio conſtituta.

retur; ſed conſiſtit in intellectione vnius modi, & non intellectione alterius modi eiuſdem rei, quando namque aliquæ res analogatæ concipiuntur vt proportionales, & formaliter vt analogatæ ſunt, & eædem non conſiderantur abſolute, ſeu materialiter, tunc eſt abſtractio analogi, quippe quod nil aliud eſt, quam omnia analogata formaliter accepta, hoc eſt rationes ipſorum; ſæpius etenim dictũ eſt, nullam realitatem dicere ſupra analogata ipſum analogum, quare nihil ſibi conuenit vt ſic abſtracto ab inferioribus ſuis, cum nequeat adeo abſtrahi, quin inferiora illa includat.

Quid ſit analogum.

Rationes quidem rerum, quæ analogantur, fundantur in ipſis rebus, ipſæ autem rationes vt ſic collectim acceptæ, intrinſece clauduntur in ratione analogi, & ſunt ipſummet analogum; Ita analogum in noſtro propoſito eſt ens, eius rationes ſunt hoc, & illo modo ſe habere ad eſſe, analogata in quibus ſunt hæ rationes, ſunt ſubſtantia, & accidens, quare analogum nil aliud eſt quam rationes ſubſtantiæ, & accidentis, quæ omnes importantur hoc nomine *ens*, poſſunt quoque dici analogata ipſa formaliter, licet in ipſis materialiter acceptis fundentur; Ita quando diuiditur ens in ſubſtantiam, & accidens, id quod diuiditur eſt ens, hoc eſt rationes, entis nomine expreſſæ, quæ vnum ſunt proportione, diuidentia ſunt hæc, & illa ratio, eſſe ſcilicet in ſe, & eſſe in alio, quæ vero conſtituuntur per hæc diuidentia, ſunt ſubſtantia, & accidens, ex quo apparet, hanc diuiſionem, eſſe longe aliam ab illa, qua diuiditur vniuocum, tum quoniam hoc diuiſum eſt quid vnum ſimpliciter, puta natura ſenſitiua in animali, quæ ipſum diuidunt, ſunt extra eius conceptum, vt rationale, & irrationale relatione ad animal, at in analogo, id quod diuiditur non eſt vnum niſi proportione, & quæ ipſum diuidunt, ſunt omnino de eius conceptu, immo omnia ſimul nil aliud ſunt, quam ipſummet analogum, vt omnia hæc ſenſu nobili obſeruauit Caiet. cap. 9. tractatus illius de analogia nominum.

De diuiſione entis in ſubſtantiam, & accidens.

Caietan.

Abſtractio itaque entis ea eſt, quod naturæ prædicamentales intelliguntur, vt ſe habent ad propria eſſe, (in hoc enim ſtat analogia,) & eædem naturæ, puta ſubſtantia, quantitas non intelliguntur abſolute, non autem eo modo erit entis abſtractio, vt intelligatur entitas, non cointellectis naturis prædicamentalibus, non enim datur talis entitas, talis gradus, talis realitas ſupra prædicamenta, vt iam oſtenſum reliqui. Hinc iuxta varium ſenſum dicemus, quod analogum abſtrahit, & non abſtrahit ab analogatis, vt eleganter docebat cap. 5. ibidem Vir Illuſtriſſimus. Abſtrahit namque modo expoſito, quatenus nimirum res vt ſic alteri formaliter proportionalis, abſtrahit à ſe abſolute accepta, non abſtrahit autem, quatenus res vt ſic alteri proportionalis, ſeipſam neceſſario includit, & abſque ſeipſa nequit intelligi, atque ideo non erit abſtracta, cum in hoc vere diximus abſtractionem eſſe conſtitutam, vt alterum abſque altero intelligatur.

Quomodo abſtrahat, & non abſtrahat analogum ab analogatis.

Oppoſitum huius videmus in vniuocis, rem namque vniuocam, ſcimus omnino abſtrahere ab vniuocatis, cum perfecte abſque illis intelligatur, vt pote in ſui intellectu illa nullo modo actualiter includens, animalitas namque, vel natura ſenſitiua, omnino abſtracta eſt à leone, & boue, nam perfecte abſque ipſis intelligitur, quippe quæ ipſos nulla via actu continet; ratio autem non ſemel allata eſt, quoniam ſupra animalis ſpecies datur aliqua natura ſuperior, ſenſitiua ſcilicet, quæ ex ſe poteſt terminare intellectum, atque præciſe accepta intelligi, & ex conſequenti ſimpliciter abſtrahi, analogum vero non gaudet proprio eſſe, per quod abſque inferioribus queat intelligi, niſi modo declarato. Iam ergo patere poteſt, qualis ſit abſtractio analogi ab analogatis, & entis à naturis prædicamen-

dicametalibus, non enim eſt vnius rei, ſiue gradus ſimpliciter, ſed vnius proportione, hoc eſt multorum, vt ſimilia, à ſeipſis abſolute, & materialiter conſideratis; Quare dum fit argumentum, ab omnibus ſimilibus eſt aliquid vnum abſtrahibile, ergo & ab analogatis aliquid vnum abſtrahetur, concedatur, ſed quando vlterius pergitur, ergo vnum ſimpliciter, nega conſequentiam, fit enim tranſitus ab vno, ad tale vnum, nam & vnum proportione, vel analogia numeratur inter ea, quæ dicuntur vnum, vt dicebatur ex Ariſtotele quinto Diuinorum 13. quippe quod vnum pluralitatem aliquorum, vt ſimilium neceſſario includit, idem namque non eſt ſimile, vel proportionale ſibi ipſi, & catenus dicitur vnum, quatenus eſt indiuiſum proportionibus diſſimilibus, quæcumque enim diuiſionem non habent, ea ratione, qua non habent, vnum dicuntur, vt clare legitur apud Ariſtotelem ibidem tex. 11. proxime præcedenti. Ea quippe quæ analogantur, ſimpliciter diuiſa ſunt, non ſunt autem diſſimilia in proportionibus, merito quarum fundant analogiam, alioquin non eſſent ſimilia, non analoga; Et velut quieſcit intellectus, inſpiciendo quod vnum proportionale de neceſſitate includit multa ſimilia, quoniam in hoc ſtat proportio, ita in abſtractione à multis ſimilibus proportionaliter, non debet vlterius progredi ad aliud vnum quærendum, quam vnitate proportionali, hoc enim in ſui ratione intrinſeca vindicat ſibi ſimilitudo proportionis, diuerſitatem inquam naturarum, vt ſimiles ſunt, &c.

Vnde dicatur vnum analogum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Mouentur dubia contra prædicta, & remouentur.

Rogabit aliquis, an eſto quod nequeat ab analogis abſtrahi res vna ſimpliciter, poterit ne ſaltem abſtrahi conceptus vnus ſimpliciter? Hoc certe non apparet negandum, nam analogum nomen importat in confuſo omnes proportiones, & nullam proportionem particularem deſignat, ſed ſolum præſefert diſtincte proportionem in communi, quæ ſanè æque videtur abſtrahere à quibuſuis proportionibus inferioribus, veluti animal à leone, & boue, vt enim animal non dicit bouem, aut leonem, ita proportio quam importat ens, non dicit proportionem ſubſtantiæ, vel accidentis, quoniam ſubſtantia dicit proportionem ad eſſe in ſe, accidens ad eſſe in alio, neutram importat ens, ſed ſolum proportionem in communi, hoc eſt habere ſe ad eſſe abſolute, non hoc, vel illo modo. Conueniunt quippe in hoc ſubſtantia, & accidens, quod vtrumque eſt proprio eſſe commenſuratum, licet diuerſimode, quare ergo ab his ſpecialibus proportionibus nequeat abſtrahi proportio in communi, quæ nomine analogo ſignificetur?

Ratio prioris dubitationis.

Et tunc aderit conceptus vnus, qui confuſe, & in potentia complectetur ſpeciales proportiones analogatorum, quique primo importabit rem, ſiue quidditatem, proportionem aliquo modo ad eſſe habentem, & hoc erit primarium ſignificatum ipſius entis, in quo deinde, proportiones ſpeciales omnium cathegoriarum potentia claudentur, & ſic non immediate ens ſignificabit genera rerum, vt facile patet, &c.

Subtilis quippe eſt hæc difficultas, quam ſubtiliter, & profunde verſat ibidem Caiet. quæ profunditas, eo profundior efficitur, quo obſcura etiam ſatis eſt. Vt tamen negotium hoc claritatem quam poteſt habeat, dico fieri nulla via poſſe talem abſtractionem proportionis in communi à proportionibus particularibus,

Caietanus. Reſolutio dubitationis.

bus, nam hæc proportio, alicuius certe rei, aut gradus, aut quidditatis deberet eſſe proportio, ſupra ſubſtantiam vero, & accidens eſt impoſſibile hæc inueniri, etiam in eſſe cognito, niſi ſit veluti chimera, vt mons aureus, præterea, tunc nomina proportionalia, ſeu analoga, eſſent vniuoca, conuenirent enim in nomine, vt patet, & etiam in ratione, in illo ſcilicet conceptu, in illa proportione, per illum conceptum expreſſa, quamuis enim alia eſſet adhuc huius, & alia illius proportio, hoc tamen vniuocationē non tolleret, ſi commune illud ſuperius reſpicerent, & ſic nomina hæc eſſent analoga, eo quod eſt quæſtio, num ab analogatis ſit talem conceptum abſtrahere, & illo conceptu poſito non eſſent analoga, quod contradictionem inuoluit. Tandem omnibus eſt compertum, analoga magis differre, quam ea, quæ genere differunt, hæc autem conueniunt in aliqua vna natura ſolum generica, quare hæc quoque conuenientia neganda eſt ab analogis, adeo vt in nulla natura, in nullove conceptu reali conueniant, qui eis ſit communis, quod expreſſum voluit Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 6. quando analogis, de quibus loquimur vnitatem ſolum proportionis tribuit, adiiciens exemplum de viſu in corpore, & de mente in anima, & res clara eſt, in nullo alio communi viſum, & mentem participare, quam proportione luminis corporis, & animæ: Hoc ipſum ſe velle patefecit, ſecundo Poſteriorum cap. 16. vbi docens modum venandi problemata, & media inueniendi ad ea, quæ proponuntur demonſtranda, vbi attulit normam adducendi communia, & primo quæ nomen habent, & deinde nomine carentia, dixit ſumendum, & eligendum eſſe id quod eſt proportionale, & ait, vnum enim accipere non eſt idem, ſubinferens exemplum de ſæpio, ſpina, & oſſe, vt enim os in terreſtribus, ita ſpina in piſcibus, & ſæpium in quoddam particulari piſce, quibus patet nihil prorſus eſſe commune tertium, & in nullo conuenire, præterquam in proportione ſuſtentandi; Et quinto Diuinorum 12. deſcribens quæ ſint vnum analogia, dicebat ea eſſe, quæ ſe habent vt ad aliud, dixit ad aliud, quoniam eorum vnitas ſtat in proportione, quæ alia à ſe reſpicit, quod ſi in aliquo tertio communi conuenirent, certe dixiſſet, quod ſunt vnum in alio, non ad aliud; ſubdebat quod priores modi vnius ſequuntur poſteriores, quod enim eſt vnum numero, eſt vnum ſpecie, non e contra, ſimiliter quod eſt vnum ſpecie, eſt vnum genere, non e contra, quod eſt vnum genere, eſt vnum proportione, non e contra, adeo quod ex Ariſtotele analoga neque in genere participant, ſi non in genere, certe in nullo communi, vbi Auerr. dicebat, quod æqualitas, hoc eſt proportio non eſt aliquod genus, & Alex. ibidem dabat exemplum de iis quæ ſunt vnum proportione, vti fons ad amnem, ſic cor ad animal, (quo exemplo etiam vſus eſt Simplicius, dum expoſuit definitionem æquiuocorum in antepræ dicamentis,) & ſubdebat non eſſe eiuſdem generis fontem, & cor, vel amnem, & animal, in nullo quippe conueniunt, niſi in proportione originis, & principij, & Auctor dabat exemplum de tranquillitate in mari, & ſerenitate in aere, quæ vt ſic accepta in nullo conſtat participare, niſi in proportione quietis. Demum, ſuperius ſatis oſtenſum arbitror, in nullo reali præciſo, vel abſtracto poſſe conuenire analoga vt ſic, & nota hanc reduplicatiuam, quod enim aliqua, quæ analogice dicuntur, materialiter accepta, & vt res quædam ſunt, in aliquo communicent, vt videre, & intelligere in genere actionis, ſeu potius qualitatis, hoc nihil ad rem. vbi formaliter de analogis loquimur; quamuis analogum de quo eſt ſermo, ſcilicet ens, neque ſi materialiter inſpiciatur, in aliquo conueniat, cum ſupra ſubſtantiam nihil relinquatur, ſecus prædicamenta non forent ſuprema, & altiſſima genera, vt ab Ariſtotele, & omni-

Ariſtot.

Auerroes.
Alexander.
Simplic.

D. Thom.

Quomodo intelligatur, analoga in nullo conuenire.

omnibus qui bene philoſophantur ſæpe dicitur.

Idem prorſus eſt dicendum in analogia, quæ fit ſecundum attributionem, vbi omnia analogata vnũ primum reſpiciunt, quamuis enim conueniant in termino, & in reſpectu ad illum terminum, licet varijs vijs varia analogata illum reſpiciant, vt eſt videre in medicina, in dieta, in lotio reſpicientibus animal, ab his tamen reſpectibus, non eſt vt abſtrahatur reſpectus in communi, qui nomine ſani primo importetur, præcipue ob primam rationem, quoniam tunc reſpectus ille vniuoce diceretur de reſpectibus illis inferioribus, vt patet, quare periret analogia attributionis, neque hoc vmquam ab aliquo graui auctore edoctum eſt, & vane penitus adeſſet talis reſpectus in communi, vt pote qui de nullo vt ſic diceretur, nihil enim reſpicit in communi ſanitatem, ſed determinato reſpectu, vel factiui, vel conſeruatiui, vel indicatiui, vel ſubiecti capacis, vt quarto Diuinorum 1. dicebat Ariſtoteles. Quocirca dicendum eſt, quod confuſio analogi importans ſpeciales propoſitiones, non eſt confuſio, qua plures conceptus in vno confundantur, ſed eſt confuſio, qua plures ſignificationes clauduntur in vna voce, & idem dicas de confuſione ſpecialium habitudinum, ſiue reſpectuum in analogo per attributionem, licet in ſignificationum confuſione hinc, & inde ſit nonnihil diſcriminis, nam in analogia attributionis, analogum nomen diſtincte ſignificat primum, reliqua vero in confuſo, in illa vero proportionis, analoga vox indiſtincte, & indiſcriminatim ſignificationes omnes ſuas importat.

Qualis analogi confuſio.

Secunda difficultas.

Cæterum dubitabit quis contra ea, quæ in analogi abſtractione inculcauimus, & principaliter docuimus, quod ſcilicet analogi rationes, vt eædem proportionaliter, non abſtrahant à ſeipſis, ſecundum ſe acceptis, videmus enim, quod ſi conſiderantur vt ſimiles, aliqua eis tribui, & conuenire, quæ nullatenus eiſdem conueniunt, materialiter, & vt res quædam ſunt conſideratis, dicimus quippe, ſubſtantiam eſſe eandem proportione cum quantitate, eodem modo ſe habere ad eſſe, quod verum eſt, ſi ſumantur rationes ſubſtantiæ, & quantitatis, vt ſimiles, falſum autem, ſi ſpectentur abſolute ſecundum ſe, oportet ergo, quod vt ſimiles abſtrahant à ſeipſis abſolute, aliàs de vna, & eadem re oppoſita pronunciabuntur. Reſpondere facile poſſemus, quod licet rationes analogi vt eædem, non abſtrahant à ſeipſis abſolute, quoniam tamen eſt rationis differentia inter ipſas ſumptas, vt eædem ſunt, & inter ipſaſmet, vt diuerſæ, ideo propter hanc rationis diſtinctionem, aliquid tribuitur ipſis ſub vna conſideratione, quod non ſub alia, & ſufficiens foret hæc reſponſio ad argumentum confringendum, Caiet. tamen rem hanc altius contemplatus dicebat, quod hæc, quæ tanguntur in argumento, & quæ ſecundum apparentiam ſecum pugnare videntur, nedum poſſunt de rationibus analogi enunciari, ſed neceſſario proferenda ſunt, quoniam enim vnitas proportionalis habet duo, primo, vt non patiatur extrema prorſus vniri, ſecundo, vt eadem aliquo modo indiuiſa, & vnita ponat, eapropter, ratione primi, non poſſunt rationes analogi à ſeipſis omnino abſtrahere, tunc enim penitus vnirentur, & eſſent vniuoca, in aliquo vno nimirum prorſus vnita, ratione ſecundi, eaſdem rationes vt eaſdem conſiderabiles, & reduplicabiles poni, & aſſignari cernimus. Analogum ergo vtrumque claudit in ſe, & identitatem, & diuerſitatem ſuorum analogatorum, vnde conſideratum ſecundum identitatem quam claudit, ſi comparetur ſibi ipſi, vt diuerſitatem quoque rationum in ſe complectitur, admittit abſtractionem quandam, ſeu potius quendam abſtractionis modum, ratione cuius, nedum ab analogatis, ſed & ab ipſis etiam rationibus, vel diuerſitate rationum abſtrahere dicitur. Vt gratia exempli,

Facilis ſolutio.

Altior ex Caiet. doctrina ſolutio.

Quæ, & quot dicat analogum.

pli, (eſt enim res difficilis ſatis) ens eſt analogum, quod in ſe includit, & identitatem ſubſtantiæ, & accidentis, & etiam rationes eorundem diuerſas, hoc eſt dictu, amplectitur ſubſtantiam, & accidens, & penes ea, quibus fundant analogiam, & penes ea, quibus differunt, quoniam illæmet res vt fundant analogiam, ſeipſas quoque vt diuerſificantur includunt; tunc ſi comparetur ens, vt includit identitatem proportionalem ſubſtantiæ, & accidentis cum ſeipſo, vt eorundem diuerſitatem colligit, videbimus in ipſo quendam abſtractionis modum, ob quem, non tantum abſtrahet à ſubſtantia, & accidente, quæ ejus ſunt analogata, ſed etiam à rationibus eius, rationis ſcilicet entis in ſubſtantia, & rationis entis in accidente hoc modo nimirum, quod quoniam rationes illas analogice connectit, hoc eſt quo ad proportionem ipſas offert conſiderandas, vt ſcilicet ſunt coniunctæ, & vnitæ, & eædem proportionaliter, & licet quoque adinuicem ſint ſimpliciter diuerſæ, & hanc quoque diuerſitatem vt dixi includat, tamen adeo proportionaliter vnit, vt non manifeſtando illam diuerſitatem, ſed eam quaſi remouendo, (non quo ad eſſe, ſed quo ad repræſentationem,) illas rationes, vt ſimiles ſubijciat intellectui, quaſi illâ rationum diuerſitatem confundendo, hoc eſt offerendo vnam, tamquam alteri quoque conuenientem, quoniam eas, vt dicebam præcipue repræſentat in eo quod ſimiles, quo modo patet, vnam eſſe quoque omnium aliarum proportionaliter, & in hoc ſtat hæc aliqualis confuſio, ſeu permixtio rationum, non autem in eo quod analogum, vel quandam rationem communem rationibus particularibus ponat, vel rationes illas penitus vniat, iam enim vtrumque improbatum eſt.

Quapropter videbimus, non tantum puram confuſionem ſignificationum in voce reperiri, ſed & quandam confuſionem conceptuum, quæ fit in eo, in quo proportionaliter conceptus illi conueniunt, ita tamen, vt non tam conceptus, quam eorum diuerſitas confundatur, hoc eſt, non confundantur ipſi conceptus analogatorum proprij, hi enim remanent, ſed fit confuſio in diuerſitate ipſorum conceptuum, hoc modo, quod non inſpiciuntur conceptus illi, penes id, in quo adinuicem diſſident, ſed iuxta ea, in quibus communicant proportionali identitate, & ſi cernuntur conceptus illi ſecundum ea quibus non conueniunt, tamen magis objiciuntur intellectui, iuxta ea in quibus ſunt vniti, ideo non proprie confunduntur conceptus, ſed ipſorum diuerſitas ea eſt, quæ permiſcetur, quæ occultatur, quoniam magis elucet id, in quo ſunt annexi, & ipſorum identitas, quam eorundem diuerſitas; Et quoniam analogi præcipua ſignificatio eſt talis identitas, (in hoc enim ſtat analogia formaliter, licet ex conſequenti plura oporteat eſſe, & ea non penitus eadem, quæ analogiam conſtituunt,) & talem quoque confuſionem ſæpe exprimimus, dum dicimus, analogum abſtrahere ab omni rationum diuerſitate, affirmantes, quod confuſe pro omnibus ſupponit, ideo ſumma animi attentione opus eſſe monebat Caiet. ne analogum fieri contingat vniuocum, hoc eſt, ne ipſi de analogo digredientes, eidem vniuocationem tribuamus. Hinc tutior ſaltem pro ijs, qui tanto non pollent ingenio eſſet modus loquendi circa analogum, ſi non aliquid vnum exprimeretur, ſed res ipſæ ſimul, quæ analogatæ ſunt, vt dicendo ſubſtantia, & accidens ſunt analogum, non autem ens, nam illa vnica voce poteſt videri, vt importetur vnitas, & conceptus, & rei, de quibus tamen nihil dubitat vir doctus, qui naturam analogi probe tenet, numquam extrema penitus vnita ponentis, ſed ea diuiſa ſimpliciter relinquentis, & proportionaliter dumtaxat coniungentis.

Qualis ſit in analogo confuſio.

Modus loquendi de analogo pro iunioribus.

Dixi cum Caiet. in analogo, vt continet in ſe identitatem, ſibimet comparato,

ratione diuerſitatis rationum, quam ſimiliter colligit, adeſſe quandam abſtra-ctionem, quæ potius eſt quidam abſtractionis modus, quoniam reuera abſoluta abſtractio ſtat in eo, vt alterum abſque altero omnino apprehendatur, quod non contingit in rationibus illis vt eædem, & vt diuerſæ ſunt, non enim ſimpliciter concipiuntur vt eædem, & nullo modo vt diuerſæ, vt iam pateſeci; Accedit, quod perfecta abſtractio, ſi vis fiat in verbo, ſtat in eo quod, vnum abſque alio attingatur, non autem in eo, vt ratio vnius, & eiuſdem rei apprehendatur, & relinquatur altera eiuſdem rei ratio, hæc enim abſtractio cum illa comparata, videtur eſſe quidam modus abſtractionis, veluti & illa, qua non ſimpliciter vna ratio apprehenditur abſque altera eiuſdem quoque rei, modus quidam adhuc eſt huius abſtractionis ſecundæ, quæ eſt modus, ſi cum prima conferatur. In propoſito noſtro, neque vnum abſque alio, neque ratio vnius abſque alia eiuſdem ratione omnino concipitur, ſed vnius, & eiuſdem ratio abſque alia ratione partim inſpicitur, &c.

Tertia difficultas.

Denique circa doctrinam noſtram, & Caiet. poſſet quis dicere, eam ſibi non conſtare, cum de abſtractione conceptus loquentes dixerimus, in analogo non eſſe confuſionem conceptuum, ſed ſignificationum in vna voce, deinceps vero docuerimus, in eodem analogo reperiri, non tantum ſignificationum confuſionem in voce, ſed & quandam conceptuum, &c. Sed qui bene perpendit quæ dicta ſunt, nulla eſt contradictio, longo enim diſtant interuallo hæc duo, quod analogum importet confuſionem conceptuum in vno communi, & tertio conceptu, & dicere, quod analogum importet quandam conceptuum confuſionem; primum negauimus, & efficaciter ni fallor reiecimus, ſecundum merito docemus. Et hæc quo ad abſtractionem analogi ab analogatis, in quo ferè dixerim; omnes de natura analogorum contineri potiores difficultates.

Remouetur.

ARTICVLVS SEXTVS.

Diſſoluuntur, quæ ſunt in contrarium.

QVomodo primum argumentum corruat, longo proceſſu patuit, quid ſcilicet abſtrahibile ſit à ſubſtantia, & accidente, quatenus ſimilia ſunt in eſſe, non debet etenim abſtrahi quid vnum ſimpliciter, ſed quid vnum proportione, multa videlicet ſimilia, & hæc ſunt ipſæmet rerum naturæ, vt proprijs eſſe commenſuratæ, à ſeipſis abſtractæ, vt abſolute ſpectantur. Sed poſſum retorquere argumentum, & dicere hoc modo, qualis præcedit ſimilitudo, talis ſubſequitur abſtractio, ſed ſubſtantiæ, & aliorum generum non præceſſit omnimoda ſimilitudo, ſed ſolum proportionalis, ergo debet ſequi abſtractio, non rei, quæ ſit penitus vna, ſed rei ſimilis proportionaliter, hoc eſt cuiuſdam analogi, non vniuoci, &c.

Reflectitur hæc ratio.

Secundum argumentum petit difficultatem illam, quomodo fieri poſſit in analogis comparatio, de qua loquitur Caiet. cap. 8. illius tractatus; Dicas tu breuiter, (omiſſis quibuſdam vijs reſpondendi, quæ non placent, quas adfert Iandunus q. ſua 1. ad quartum Diuinorum;) quod ſubſtantia, & accidens comparantur in ratione vna, & communi proportionaliter, quam rationem ipſum ens quod eſt analogum dicit, & fit ipſorum comparatio, iuxta ſuas rationes proportionaliter, hoc eſt, quatenus analogatæ ſunt, quæ ſcilicet ratio ſit earum perfectior,

Caietan.

Iandunus.

fectior, ſic dicimus ſubſtantia eſt magis ens, vel perfectius ens accidente, hoc eſt, ſubſtantia habet perfectiorem rationem ſecundum nomen entis quam habeat accidens, ly ergo *ens*, non dicit tertiam rationem, ſed eandem rationem ſubſtantiæ, quæ eſt etiam proportionaliter eadem cum ratione accidentis, & quoniã hoc ſe habere ad eſſe ſaluatur perfectius in ſubſtantia, quam in accidente, ideo dicitur ſubſtantia magis ens, quam accidens, &c.

Ad tertium, deciſio quæſtionis manifeſtauit quid ſit dicendum, vidimus enim, qualis ſit conceptus formalis entis, & qualis obiectalis ei reſpondens, immo illum fundans, numquam vnus ſimpliciter, ſed vnus proportione: Vnde arguo pro noſtra ſententia eodem argumento in hunc modum: Qualis eſt conceptus formalis alicuius, talis eſt & obiectiuus, ſed formalis conceptus entis perfectus non eſt vnus, ergo neque obiectiuus erit vnus, ſed erunt ipſæ naturæ vt habentes eſſe; ſic enim analogiam fundant; maior, & minor patuerunt, & concluſio quæ ſequitur eſt intentum noſtrum principale in hac quæſtione, vbi vidimus, nullum dari conceptum, vel formalem, vel obiectalem entis præciſum à decem cathegorijs, atque ideo ens, & eſſentiam immediata ſignificatione ſignificare prædicamenta, non ponendo eis aliquod commune; Sic accipe Auctorem, dum quarta parte literæ huius, circa quam hanc quæſtionem formaui inquit, eſſentiam ſignificare aliquod commune omnibus naturis, hoc eſt ſignificat ipſas naturas, vt conueniunt in eſſe, non quod aliquod commune eis dicat. D.Thom.

Et hic ſit finis huius quæſtionis, cuius dicta illuſtratiora, & firmatiora adhuc erunt, quando ſequẽti capite, concluſum relinquemus, ens analogice dici de ſubſtantia, & de accidente. Atque hæc de primo hoc capite, in quo licet poſſet indagari, quale nam ſit illud ens, quod dicebat Auctor ex Ariſtotele, & nos ſæpe iterauimus diuidi in decem genera, commodius tamen id videbimus cum Caiet. quarto capite huius operis, quæſtione noſtra prima, &c.

CAPVT SECVNDVM.

1 SED quia ens abſolute, & primo dicitur de ſubſtantijs, & poſterius, & ſecundum quid de accidentibus, inde eſt, quod eſſentia proprie, & vere eſt in ſubſtantijs, ſed in accidentibus eſt quodammodo, & ſecundum quid, &c.

2 Subſtantiarum vero, quædam ſunt ſimplices, & quædam compoſitæ, & in vtriſque eſt eſſentia, ſed in ſimplicibus veriori, & nobiliori modo, ſecundum etiam quod habent eſſe nobilius, ſunt etiam cauſa eorum, quæ compoſita ſunt, ad minus ſubſtantia prima, ac ſimplex, quæ Deus eſt:

3 Sed quia illarum ſubſtantiarum eſſentiæ ſunt nobis magis occultæ, ideo ab eſſentijs compoſitorum incipiendum eſt, vt à facilioribus conuenientior fiat diſciplina; In ſubſtantijs igitur compoſitis forma, & materia notæ ſunt, vt in homine anima, & corpus. Non autem poteſt dici, quod alterum eorum tantum dicatur eſſentia; quod enim materia ſola non ſit eſſentia, planum eſt, quia res per ſuam eſſentiam cognoſcibilis eſt, & in ſpecie ordinatur, vel in genere, materia autem non eſt cognitionis principium, nec ſecundum ipſam aliquid ad ſpeciem, vel ad genus determinatur, ſed ſecundum id ſolum, quo in actu aliquid eſt.

4 Neque etiam forma tantum, ſubſtantiæ compoſitæ eſſentia dici poteſt, quamuis quidam hoc aſſerere conentur; Ex his enim quæ dicta ſunt patet, quod eſſentia eſt id, quod per diffinitionem rei ſignificatur, diffinitio autem ſubſtantiarum naturalium, non tantum formam, ſed & materiam continet, aliter enim diffinitiones naturales, & mathematicæ non differrent.

5 Nec etiam poteſt dici, quod materia in diffinitione ſubſtantiæ naturalis ponatur, ſicut additum eſſentiæ eius, vel ens extra illam naturam, vel eſſentiam eius, quia

hic modus proprius eſt accidentibus, quæ eſſentiam perfecte non habent, vnde oportet, quod in diffinitione ſua ſubſtantiam, vel ſubiectum recipiant, quod eſt extra genus eorum, patet ergo, quod eſſentia comprehendit materiam, & formam.

6 Non etiam poteſt dici, quod eſſentia ſignificet relationem, quæ eſt inter materiam, & formam, vel aliquid ſuperadditum illis, quia hoc de neceſſitate eſſet accidens extraneum à re, nec per eam res cognoſceretur, quæ omnia eſſentiæ conueniunt, per formam enim, quæ eſt actus materiæ, materia efficitur ens actu, & hoc aliquid, vnde illud quod ſuperaduenit, non dat eſſe materiæ actu ſimpliciter, ſed eſſe actu tale, ſicut accidentia faciunt, vt albedo facit actu album, vnde quando talis forma acquiritur, non dicitur generari ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

7 Relinquitur ergo, quod nomen eſſentiæ in ſubſtantijs compoſitis ſignificet illud, quod eſt ex materia, & forma compoſitum, & huic poſitioni ſonat verbum Boetij in commento prædicamentorum, vbi dicit, quod ouſia ſignificat compoſitum; ouſia enim apud Græcos idem eſt, quod eſſentia apud nos, vt ipſemet in libro de duabus naturis * fatetur; Auicenna autem * dicit, quod quidditas ſubſtantiarum compoſitarum eſt ipſa compoſitio formæ, & materiæ; Commentator autem dicit ſuper ſeptimo Metaphyſicæ * natura quam habet ſpecies in rebus generalibus, eſt aliquod medium, id eſt compoſitum ex materia, & forma. Huic etiam ratio concordat, quia eſſe ſubſtantiæ compoſitæ non eſt tantum formæ, nec tantum materiæ, ſed ipſius compoſiti, eſſentia autem eſt ſecundum quam res dicitur eſſe. Vnde oportet, vt eſſentia qua res denominatur ens, non tantum ſit forma, nec tantum materia, ſed vtrumque, quamuis huiuſmodi eſſe, ſiue eſſentiæ ſola forma ſuo modo ſit cauſa. Sicut enim in alijs videmus, quæ ex pluribus principijs con-

* cap. 5.
* 5. Metaphyſicæ cap. 5. verſus finem.
* com. 27.

conſtituuntur, quod res non denominantur ex altero illorum principiorum tantum, ſed ab eo quod vtrumque complectitur, vt patet in ſaporibus, quia ex actione calidi digerentis humidum cauſatur dulcedo, & quamuis hoc modo calor ſit cauſa dulcedinis, non tamen denominatur corpus dulce à calore, ſed à ſapore, qui calidum, & humidum complectitur.

8 Sed quia indiuiduationis principium eſt materia, ex hoc forte videtur ſequi, quod eſſentia, quæ complectitur in ſe ſimul & formam, ſit tantum particularis, & non vniuerſalis, ex quo ſequeretur, vniuerſalia diffinitionem non habere, ſi eſſentia eſt id quod per diffinitionem ſignificatur, & ideo ſciendum eſt, quod materia non quomodolibet accepta eſt principium indiuiduationis, ſed ſolum materia ſignata; Et dico materiam ſignatam, quæ ſub certis dimenſionibus conſideratur; hæc autem materia in diffinitione hominis inquantum homo non ponitur, ſed poneretur in diffinitione Socratis, ſi Socrates diffinitionem haberet; in diffinitione autem hominis ponitur materia, non ſignata, non enim in diffinitione hominis ponitur hoc os, & hæc caro, ſed os, & caro abſolute, quæ ſunt materia hominis non ſignata.

SVMMA CAPITIS.

Comparationem facit inter eſſentias ſubſtantiarum, & accidentium, & inter eſſentias ſubſtantiarum compoſitarum, & ſimplicium, aperit deinde, qualisnam ſit compoſitarum eſſentiarum ſubſtantia, docendo, & probando, non eſſe materiam ſolam, non formam ſolam, non aliquam relationem inter materiam, & formam conſurgentem, non aliquid materiæ, & formæ ſuperadditum, ſed eſſe ipſum compoſitum ex materia, & forma, & cum duplex poſſit eſſe materia, declarat qualisnam ea ſit, quam dixerat eſſe partem eſſentiæ ſpecificæ, ex qua declaratione, quæ orta erat difficultas, e medio auſertur.

DIVISIO.

HÆc eſt ſecunda pars principalis narrationis, in qua vt prædiximus declaratur, quonam modo eſſentia in varijs rebus diuerſimode inueniatur, iam enim primum abſolutum eſt, cum declaratum fuerit, quid nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur, poteſt autem accommodate hæc pars diuidi in tres, in quarum prima manifeſtatur, quomodo eſſentia inueniatur in ſubſtantijs compoſitis, quæ manifeſtatio abſoluitur tribus his capitibus ſe proxime ſequentibus, in ſecunda, quomodo in ſubſtantijs ſimplicibus, vel abſtractis, & hoc fit per duo alia capita, in tertia, quomodo in accidentibus, quod vnico capite peragitur. Tripliciter itaque partitur prima pars huius ſecundæ partis principalis, quoniam in prima oſtenditur, qualis nam ſit ſubſtantiarum compoſitarum eſſentia, in ſecunda, quomodo ſe habeat ad nomina primæ intentionis, in tertia, quomodo ad nomina intentionis ſecundæ. In hoc igitur capite, quod eſt prima eius pars, aperit Auctor, qualis ſit compoſitarum ſubſtantiarum eſſentia, circa quod octo præſtat, primo namque comparat adinuicem eſſentias omnes, quæ ſunt in vniuerſo, ſubſtantiarum nimirum, & accidentium, ſecundo relicta in præſenti eſſentia accidentium, comparat inter ſe variarum ſubſtantiarum eſſentias, tertio illam ſimplicium nunc relinquendo, & illam compoſitarum venando, reijcit modum quendam, quo poſſet quis aſſignare quod quid eſt eſſentiæ ipſarum, quarto alium falſum modum reſpuit, quinto impugnat reſponſionem quandam, quæ adferri poſſet ad impugnationem illius ſecundi modi, ſexto aliam dicendi viam repudiat, ſeptimo ipſarum eſſentiam pro veritate docet, octauo, & poſtremo dubium mouet contra ſuam determinationem, atque diſſoluit. *Huius capitis partes.*

Quo ad primum: Cum ens illud quod diuiditur in decem prædicamenta dicatur de ſubſtantia, & de accidente, vtrumque erit ens, & ex conſequenti habebit eſſentiam, iam enim præcedenti capite vidimus, ab illo ente deriuare eſſentiam, & eo modo quo iſta participabunt ens, participabunt quoque eſſentiam. Ait ergo, quod quoniam ens abſolute, & primo dicitur de ſubſtantijs, poſterius vero, & ſecundum quid de accidentibus, ex hoc fit, vt ſimili modo eſſentia vere, & proprie ſit in ſubſtantijs, in accidentibus autem quodammodo, & ſecundum quid; Ita habetur comparatio ſubſtantiæ, & accidentis quo ad participationem eſſentiæ. *Prima.*

Quod ad ſecundum, quoniam accidentia improprie ſolum participant eſſentiam, ideo eorum eſſentia in hac parte ſilentio inuoluta, de qua poſtea vltimo capite huius libri erit ſermo, quoniam ſubſtantiæ ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt ſimplices, hoc eſt non includentes materiam, quædam autem compoſitæ, materiam nimirum concernentes, & in vtriſque inuenitur eſſentia ait, quod modo digniori inuenitur in ſimplicibus, tum quoniam nobilius ſubſtantiæ ſimplices habent eſſe, & iam diximus, vnumquodque ita participare eſſentiam, veluti participat eſſe, ergo nobilior in eis inerit eſſentia, tum quoniam ſunt cauſa ſubſtantiarum compoſitarum, ſaltem ſubſtantia prima, & ſimplex, Deus ſcilicet glorioſus, cauſa autem eſt nobilior effectu, ergo &c. Ita habetur comparatio ſubſtantiarum in participatione eſſentiæ. *Secunda.*

Quo ad tertium, incipiendo ab eſſentia compoſitarum, quoniam illa ſimplicium non adeo nobis innoteſcit, & aptior efficitur diſciplina, quando ex facilioribus *Tertia.*

cilioribus procedimus; cum in compoſitis ſubſtantijs formam, & materiam cognoſcamus, veluti in homine animam, & corpus, non poteſt dici, quod materia ſola ſit ipſarum eſſentia, tum quoniam materia ſola non eſt principium cognoſcendi, actus enim ille eſt, qui radix eſt cognoſcendi, (auctore Ariſtotele 9. Diuinorum 20.) ergo nequit ipſa eſſe eſſentia, patet conſequentia, quoniam vnumquodque cognoſcibile eſt per ſuam eſſentiam, loquendo de quidditatiua cognitione, tum quoniam materia ſola non eſt id, quo res collocatur in genere, vel in ſpecie, tale namque oportet eſſe principium quoque diſtinguendi rem ab alijs ſpeciebus, & ipſam in tali genere collocando, quoniam eodem quidpiam conſtituitur in eſſe, & ab alijs ſecernitur, actus autem is eſt, qui ſeparat, & qui diſtinguit, (ex ſeptimo Diuinorum 49.) ergo ipſa non eſt eſſentia, illatio patet, quoniam per ſuam eſſentiam aliquid ponitur in genere, vel ſpecie, per naturam ſiquidem humanam collocor ipſe in ſpecie hominis, & in genere animalis, &c.

Ariſtot.

Quarta. Quo ad quartum: Nequit ſimiliter dici, ſolam formam eſſe eſſentiam, vt nonnulli aſſerunt, quoniam non ſola forma per diffinitionem ſubſtantiarum naturalium importatur, ergo &c. Antecedens eſt Ariſtotelis ſecundo Phyſicorum 21. & probatur, quoniam hoc differt definitio mathematica à naturali, quod illa formam abſque materia ſenſibili ſignificat, hæc vero formam, & materiam ſenſibilem complectitur, conſequentia deducitur ex his, quæ dicta ſunt cap. præcedenti, eſſentiam nimirum eſſe id, quod ſignificatur per rei definitionem, &c.

Quinta. Quo ad quintum, poſſet aliquis dicere rationi præfate, vtique materiam poni in rerum naturalium definitione, at non veluti partem rei definitæ, ſed tamquam quid additum eſſentiæ, vel tamquam quid extra naturam, ſiue eſſentiam rei definitæ, puta tamquam ſubiectum ipſius, vel tamquam ipſam deferens, (vt explicat Caiet.) Reijcitur hæc reſponſio, quoniam hoc eſt proprium accidentibus, eo quia eſſentiam perfecte non habeant, vt in eorum definitione ponatur aliquod additum, & extra ipſorum eſſentiam, (vt habemus ſeptimo Diuinor. 15. & 16.) hoc igitur nequit tribui in ſubſtantijs compoſitis, quæ eſſentiam perfectam habent, vt enim bene inquit Caiet. quod eſt proprium alicui ex ſua imperfectione, non conuenit alteri, in quo eſt perfectio illa, quæ illi imperfectioni opponitur, quare firma manet ratio, vt in rerum naturalium definitione ponatur materia, tamquam pars rei definitæ.

Ariſtot.

Caietan.

Sexta. Quo ad ſextum: Poſſet quis fortaſſe dicere, quod licet non materia ſola, non forma ſola ſit eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum, illud tamen poterit eſſe vel aliqua relatio inter materiam, & formam, vel aliquid ſuperadditum compoſito ex materia, & forma, ſed & hoc falſo diceretur, tum quoniam & illa relatio, & illud additum eſſet accidens extraneum, quoniam ſuperueniret enti compoſito in actu per formam, atque ideo ſimpliciter, quare non daret eſſe actu materiæ ſimpliciter, alioquin vna res haberet duo eſſe ſimpliciter, quod pugnat, ſed daret eſſe actu tale, velut faciunt accidentia, quando enim quis acquirit formam albedinis, non dicitur ſimpliciter generari, iam enim præexiſtebat, (aliâs non potuiſſet moueri ad albedinem,) ſed dicitur fieri albus, conſtat autem, nullum accidens, nullum extraneum, poſſe eſſe ſubſtantiæ eſſentiam, quare &c. tum quoniam iam tertia parte huius capitis diximus, per eſſentiam ſuam vnumquodque cognoſci, relatio autem illa media, vel quoduis ſequens compoſitum, nequit eſſe ratio perfecte cognoſcendi ſubſtantiam, &c.

Septima. Quo ad ſeptimum, aſſignatur tandem vere, & ex proprijs, quid ſit eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum, dicendo illud eſſe, quod ex materia & forma compoſitum

poſitum eſt, quod tripliciter probatur; primo per locum a diuiſione; ſecundo auctoritatibus Boetij, Auicennæ, & Auerrois; tertio ratione, locus à diuiſione clare ex dictis concluditur, vnde ait, *relinquitur ergo*, & iure, non enim in ſubſtantijs compoſitis poteſt quis imaginari aliquid adeſſe, quod poſſit eſſe ipſarum eſſentia, niſi vel forma, vel materia, vel aliqua relatio inter materiam, & formam, vel aliquid quod compoſito addatur, vel demum ipſum compoſitum ex materia & forma; neque vmquam aliquid vltra hæc poterit videri in ſubſtantia compoſita, ſed quattuor priora improbata ſunt: relinquitur ergo, quod ſit hoc vltimo prolatum. Auctoritates ſunt Boetij, qui ſuper prædicamenta ſcribens dixit, ouſiam, hoc eſt eſſentiam, vt ipſemet declarat lib. de duabus naturis & vna perſona Chriſti cap. 3. ſignificare compoſitum; Auicenna quoque 5. Metaph. cap. 5. verſus finem, dicit quidditatem ſubſtantiarum compoſitarum eſſe ipſam compoſitionem formæ, & materiæ, (intellige fundamentaliter, hoc eſt formam cum materia vnitam, ſecus formaliter illa compoſitio eſt relatio.) Auerr. etiam comm. 27. ſeptimi Diuinorum ſcripſit, quod natura, quam habet ſpecies in rebus generabilibus, eſt aliquod medium, hoc eſt compoſitum ex materia, & forma. Ratio vero hoc ipſum probat, quoniam eſſentia eſt illa, ob quam aliquid complete denominatur ens, dicitur enim quodlibet ens per eſſentiam ſuam, ſed compoſita ſubſtantia denominatur ens, tum ex materia, tum ex forma, ergo materia, & forma, hoc eſt compoſitum, eſt eſſentia compoſitarum ſubſtantiarum, probatur minor, quoniam dum aliquid ex pluribus principijs conſtituitur, non eſt tale ex altero ſolum eorum, tamquam ex principio completo, ſed ex eo, quod vtrumque complectitur, at compoſita ſubſtantia eſt ens, quod conſtituitur ex pluribus principijs, ex materia ſcilicet, & forma, (licet forma ſola modo ſuo ſit cauſa eſſe, ſiue eſſentiæ,) ergo non debet dici ens ex altero dumtaxat, velut ex principio completo, hoc eſt ex materia ſola, vel ex forma ſola, ſed ex complectente vtrumque, ex compoſito videlicet, maior huius ſyllogiſmi declaratur in litera accommodato exemplo in ſaporibus, qui ſiunt ex calido & humido, & non denominatur corpus dulce a calore, licet ex huius actione, qua digerit humidum cauſetur, ſed à ſapore calidum, & humidum complectente, &c.

Boetius.

Auicenna.

Auerroes.

Quo ad vltimum, videtur contra hanc determinationem eſſe difficultas: ſi enim eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſt materia, & forma, ergo non dabitur eſſentia vniuerſalis, ergo vniuerſalia naturalia non ſunt definibilia, vtraque conſequentia ſimul probatur, quoniam tunc eſſentiæ ſubſtantiarum includerent principium particularitatis, quod eſt materia, & ita eſſent particulares, & ex conſequenti non definibiles, non enim particularium eſt definitio. Reſpondet, quod duplex eſt materia, ſignata nimirum, & non ſignata, illa quæ eſt principium indiuiduationis eſt ſignata materia, conſiderata ſcilicet ſub certis dimenſionibus, & hæc non ponitur in definitione eſſentiæ ſpecificæ, ſed poneretur in definitione indiuidui, ſi definitionis eſſet capax: non ſignata autem ponitur in definitione vniuerſalium, ſed hæc non eſt principium particularitatis; ſtat ergo, quod eſſentiæ ſubſtantiarum compoſitarum includant materiam, & ſint vniuerſales, atque ideo definibiles.

Octaua.

ANNOTATIONES.

Sed quia ens, & abſolute, & primo dicitur de ſubſtantijs, &c.

CIRCA primam partem, in qua dicitur accidẽtia habere, & eſſe, & eſſentiam quodammodo ſolum, & ſecundũ quid, cum tamen videamus albedinem veram habere eſſentiam, verum habere eſſe, licet accidentale, & vere, ac proprie denominare ſubiectum, cui inhærent, videndum eſſet, quomodo accidentia ſint entia, quomodo gaudeant eſſentia, At quoniam de natura accidentium 7. cap. data opera differitur, & hæc in loco iſto adferũtur, vt ſolum notificetur eſſentia ſubſtantiarum, quæ plurimum dignoſcitur, cum illa accidentium comparata, ideo in præſenti hæc ſilentio ſunt inuoluenda, & eadem ratione, aut eiſdem rationibus, quæ inferius hoc eodem capite traduntur de accidentibus, vt quinta parte, dum dicitur, in ipſorum definitione poni neceſſario ſubiectum, & ſexta, quando de eiſdem profertur, quod non dant eſſe ſimpliciter, ſed hoc, vel illud, reticebimus, omnia hæc, & alia multa ad perfectam accidentium notitiam cap. illo 7. accurate conſideraturi.

Multa quæ de natura accidẽtium hic inſinuantur, ad 7. cap. lib. remittuntur.

Subſtantiarum vero, quædam ſunt ſimplices, &c.

CIrca ſecundam rationem, quæ habetur in ſecunda parte, qua probabatur ſubſtantiarum ſimplicium eſſentiam nobiliorem eſſe, quam illam compoſitarum, eo quoniam illæ ſunt cauſæ iſtarum, & cauſa eſt nobilior effectu, aduerte primo modum loquendi Auctoris, nam cum protuliſſet ſubſtantias ſimpliciter eſſe cauſas cõpoſitarum, mox addidit, ad minus ſubſtantia prima, & ſimplex, quæ Deus eſt, licet enim nonnulli philoſophi poſuerint alias quoque intelligentias præter primam eſſe cauſas rerum, immo vnam intelligentiam cauſare aliam, vt
Auicenn. poſuit Auicen. nono ſuæ Metaphyſicæ cap. 4. motus præcipue propoſitione illa,
Ariſtot. quæ colligitur ex Ariſtotele 2. de generat. 56. qua dicitur, Ab vno inquantum
Auerroes. vnum procedere niſi vnum, cuius poſitionem reijcit Auerr. 44. com. 12. Diuinorum, de quo negotio inferius cap. 5. quæſt. 5. erit ſermo, veritas tamen catholicæ fidei eſt, quod à prima ſolum ſubſtantia ſimplici, Deo ſcilicet Opt. Max. omnia alia effectiue emanarunt, quid vero de hac re ſenſerit Ariſtoteles, eadem quæſtione videbimus. Hinc propoſitio hæc: Subſtantiæ ſimplices ſunt cauſa eorum, quæ compoſita ſunt, ſi de vera cauſalitate, & quo ad eſſe productione accipiatur, erit hoc modo intelligenda, quod in latitudine ſubſtantiarum ſimplicium, eſt aliqua ſubſtantia, quæ eſt cauſa rerum, velut & aliæ propoſitiones à nonnullis ſolent explicari, vt illa quæ habetur ſeptimo Diuinorum 4. dum dicitur, Subſtantia eſſe prior tempore accidente, & illa quam profert Auctor prima parte quæſt. 3. art. 1. dicendo, Corpus viuum eſſe nobilius non viuente, &
Ariſtot. illa ex 12. Diuinorum 51. qua dicitur, In intelligentijs idem eſt intelligens, res intellecta, & intellectio, &c.

Dixi, ſi ſit ſermo de vera cauſalitate quo ad eſſe, nam quo ad productionem multorum effectuum, motus ſcilicet, generationis, & vitæ, dicitur, quod cœlum eſt cau-

eſt cauſa in virtute Intelligentiæ ſibi vnitæ, vt colligitur ex Ariſtotele 2. cœli 17. & 21. & primo de generatione animalium cap. 2. refert antiquos, qui appellabant cœlum, ac Solem, & reliqua aſtra loco progenitoris, terram vero, loco matris, & primo Metheororum cap. 2. ſummæ 4. effectus pleroſque in his inferioribus aſcribit Soli, & Auctor p. par. quæſt. 70. art. 3. ad 3. docet, cœlum ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia viuens, cauſare vitam, ratione itaque horum effectuum poſſumus dicere, ſubſtantias ſimplices eſſe cauſas ſubſtantiarum compoſitarum, & quo ad eſſe ſimpliciter, quod ſtat in materia, & forma coniunctis, ſola autem prima ſubſtantia ſimplex, eſt prima omnium cauſa, &c. D. Thom.

Aduerte ſecundo, pro veritate illius propoſitionis, Cauſa eſt nobilior effectu, quod cum quattuor ſint genera cauſarum per ſe, vt patet ex Ariſto. 2. Poſter. cap. 11. ſecundo Phyſic. 30. 31. & 32. & de ſomno & vigilia cap. 3. & primo Diuinorum cap. 4. & denique quinto eorundē 2. vt 23. duodecimi eiuſdē ſcientiæ, & alia loca omittam, cauſa ſcilicet efficiens, finalis, formalis, & materialis, & prima dicatur à qua, ſecunda ob quam, tertia per quam, quarta ex qua, tres priores cauſæ ſunt ſuis effectibus nobiliores, vnde quicquid in ipſis inuenitur, nobilius eſt, quam in ipſarum effectu, at in cauſa materiali res e contrario ſe habet, vt docet Auctor quæſt. diſp. de Verit. q. 7. cui titulus eſt de libro vitæ, art. 7. ad primum, & quoniam res nimis dilucida eſt, Deum non eſſe cauſam materialem, cum ſit actus primus, ac ſimpliciſſimus, ſimiliter cum Intelligentiæ aliæ omnes careant materia, vt docet Ariſtoteles 12. Diuinorum 43. ideo bene ex hoc quod ſunt cauſæ ſimplices, intulit Auctor eas nobiliorem quoq; eſſentiam participare. Rurſus, cum duplex ſit cauſa, & principalis ſcilicet, quæ propria agit virtute, ab alio agendi vim non accipiens, & inſtrumentalis, quæ in virtute principalis agit: & eatenus mouet, quatenus mouetur, (non præciſe, aliàs nihil ageret, & ſic non eſſet cauſa, vt notabat Caietanus p. par. q. 19. art. 8.) ſed non cauſaret, niſi virtutem ab alio acciperet, quando dicitur cauſa eſſe nobilior effectu, id venit intelligendum de cauſa, non inſtrumentali, ſed principali, ſemper enim cauſa principalis dignior eſt ſuo effectu, non autem ſemper inſtrumentalis, vt docet Auctor 1. 2. q. 165. art. 2. ad primum, & quæſt. de malo q. 4. art. 1. ad 15. immo vero cauſæ inſtrumentales, quibus effectuum formæ non ſunt ſimiles, neque vniuoce, neque imitatiue ſunt proprie cauſæ efficientes, ſed ipſarum inſtrumenta, vt ſcripſit Auerroes 12. Diuinorū com. 24. quapropter ad genus efficientis cauſæ ea reduxit Ariſtoteles quinto Diuinorum loco relato, & ſecundo Phyſicor. 29. Et quoniam manifeſtiſſimum erat, ſimplices ſubſtantias non eſſe cauſas inſtrumentales, & præcipue primam, cum ſit mouens non mota, æterna ſubſtantia, & actus ex 12. Diuinorum 35. & ab illa omnia pendeant, & natura, & cœlum ibidem 38. ideo bene ex hoc quod ſubſtantiæ ſimplices ſunt cauſæ effectrices principales, comparatione ad ſubſtantias compoſitas, intulit earum ad iſtas præſtantiam. At vero, cum hæc cauſa principalis effectrix, duplex eſſe queat, & vniuoca videlicet, & æquiuoca, vt docebat Auctor p. par. q. 25. art. 2. ad ſecundum, hæc eſt ſemper dignior ſuo effectu, quoniam effectus diuerſos producere poteſt, atque ideo hoc, & illo eſt ſublimior, hinc nō tota eius vis in ſuo effectu manifeſtatur, (ſecus alios, diuerſos ſaltem producere non poſſet,) illa vero non eſt præſtantior ſuo effectu, ſed æque præſtans, oportet enim, vt effectus illam exæquet, ſi inter ipſa vniuocatio eſſe debeat, atque ideo tota eius virtus in ſuo effectu manifeſtatur; homo ſiquidem genitus adæquat in nobilitate hominem, à quo genitus eſt, neque aliquid amplius poteſt generare homo, quam hominem, & licet hunc, & illum homi-

Ariſtot. loca.

Quæ, & quot cauſæ.

D. Thom.

Duplex cauſa

Caietan.

D. Thom.

Auerroes.

Ariſtot.

Cauſa principalis duplex.

nem gignat homo, hæc tamen eſt diſtinctio effectuum numerica, de qua non loquimur, adde, quod hic, & ille homo genitus adæquat hominem gignentem, &c.

D. Thom. Hinc idem Auctor docuit p.p. q. 4. art. 2. quod omne illud, quod eſt perfectionis in effectu, oportet quoque ineſſe in cauſa effectrice, vel ſecundum eandem rationem, ſi fuerit agens vniuocum, vel eminentiori modo, ſi æquiuocum; & poſtea ſubdit, quod præexiſtere in virtute cauſæ agentis, non eſt præexiſtere imperfectiori, ſed perfectiori modo, vbi dubitabat Caietanus, quomodo hæc duo ſtarent ſimul, quod ſcilicet effectus aliquando inueniatur in cauſa ſecundum eandem rationem, & quod effectus perfectiori modo in cauſa præexiſtat, ſi ſecundum eandem rationem, quomodo via perfectiori? Et quamuis facile, ac vere dici poſſet, quod ly, *perfectiori*, diſtribuat ſolum pro cauſa æquiuoca, quoniam antea immediate diſtinxerat de cauſa, & dixerat, vt fuit adductum, quod in vniuoca, ſecundum eandem rationem, in æquiuoca autem, modo eminentiori præexiſtat, ſubtilius tamen Caiet. conſiderabat ly, *perfectiori modo*, & dicebat, bifariam poſſe explicari, comparatiue ſcilicet, vt vox ſonat, & poſitiue, hoc eſt æque perfecte, & non imperfectiori modo, & iuxta primam viam, permiſſiue id accipias, vt ſcilicet effectus poſſit eſſe perfectiori via in cauſa, iuxta ſecundam, id neceſſario intelligas, numquam enim effectus præexiſtit in cauſa modo imperfectiori, ſed ſemper æque perfecte, nonnunquam perfectiori modo.

Dubitatio.

Solutio ex Caietano.

Sed optimæ huic expoſitioni addo ipſe aliam, & eſt, quod ſemper effectus habet nobiliori modo eſſe in cauſa ſua, ſiue æquiuoca, ſiue vniuoca, quam in ſeipſo, quoniã in cauſa habet eſſe cauſatiuum, & productiuum, in ſeipſo autem eſſe cauſatum, & productum, & nullus addubitabit, quin nobilius ſit producens, & cauſans vt ſic, quam productum, & effectum, maxime ſi illud productũ differat ſubſtantialiter à producente, & ipſo ſit duratione poſterius, quod dixerim ob Filium, & Spiritum ſanctum in diuinis, quorum ille à Patre, iſte à Patre, & à Filio producitur, & tamen æque nobilis eſt Filius, atque Pater, & Spiritus ſanctus, atque Pater, & Filius, præterquam quod loquimur de cauſa, & effectu proprie, quæ voces non habent locum in Deo ad intra, ſi preſſius velimus loqui, vt monet Auctor

D.Thom. p. p. q.33. art. 1. ad primum, & ſecundum. Quod autem cauſans ſit dignius effe-

Ariſtot. cto, & cauſato, haberi poteſt ex Ariſtotele 3. de anima 19. vbi habet, honorabilius ſemper agens eſſe paſſo. Et hanc interpretationem videor mihi colligere ex Auctore quæſtionibus de malo, quæſt. illa 4. & art. illo primo ad 15. vbi ait, quod cauſa principalis eſt nobilior, quam effectus, inquantum cauſa eſt, vbi illa reduplicatio, ſeu etiã ſpecificatio videtur docere cauſam vt ſic ſemper eſſe ſuo effectu digniorem, cumque effectus in cauſa ſemper ſit cauſa, in ſeipſo effectus, in omni cauſa, vel æquiuoca, vel vniuoca, vera relinquitur hæc explicatio. Neque obſtat, Auctorem aliquando dixiſſe, effectum eſſe ſecundum eandem rationem in cauſa, puta vniuoca; hoc enim in eo ſenſu veriſſimum eſt, quod effectus qui producitur à cauſa vniuoca, erit æque perfectus, ac ſua cauſa materialiter, hoc eſt res illa, quæ erit effectus, & res illa, quæ erat cauſa, & totam cauſæ virtutem exæquabit, ſed formaliter nobiliori modo erat in cauſa, quoniam vt ſic habebat eſſe cauſatiuum; Eapropter ex eſſe cauſatiuo ſubſtantiarum ſimplicium, recte collegit litera nobiliorem earum eſſentiam, quoniam omnis cauſa vt ſic eſt dignior ſuo effectu, & ex conſequenti, effectus quiſque dignius habet eſſe in ſua cauſa; & quoniam id lucidiori via conſtat de cauſa æquiuoca, cum pateat, ſubſtantias ſimplices, & ipſarum primam, eſſe cauſam æquiuocam ſubſtantiarum compoſitarum,

D.Thom. ideo ratio literæ manifeſtior quoque apparet. Nec te moueat, ſi Auctor primo

ſentent.

ſentent. diſt. 8. q. 1. art. 2. dixerit, Deum non eſſe cauſam æquiuocam, ſed analogam; nil enim aliud ſibi voluit, niſi quod eſt cauſa diuerſarum rationum ab effectibus productis, non eſt autem æquiuoca, quaſi quod in nullo conueniat, nam analogice conuenit in eſſe, nos vero æquiuocam dicimus, hoc eſt non vniuocam.

At dices, qui fieri poſſit, quod effectus dignius habeat eſſe in cauſa, quam in ſeipſo, ſi in cauſa tantum abeſt, vt præſtantius habeat eſſe, quod non habet eſſe? effectus ſiquidem nihil ponit diſtinctum in cauſa, dum eſt in ipſa, ac proinde nihil eſt ab ea diſtinctum, ergo nedum non habet dignius eſſe, ſed neque eſſe, vnde neque gaudere debet nomine effectus, quare vocandus eſſet cauſa, & ſic ruunt, quæ dicta ſunt. Vlterius, quod eſt in actu, nobilius eo eſt, quod eſt in potentia, nam actus eſt nobilior potentia, ſaltem in bonis ex 9. Diuinornm 19. ſed effectus in ſeipſo eſt in actu, in cauſa in potentia, ergo præſtantius in ſe, quam in cauſa habet eſſe. Poſtremo Deus, & natura nihil agunt fruſtra, primo de cœlo 32. ergo ſi effectus iam habet eſſe in cauſa, vane producitur ad extra, & non ſolum vane, ſed male; quoniam ſi nobilius habet eſſe, quando producetur, amittet illud eſſe ſublimius, & deteriorem induet ſortem, vnde non eſt, quod producatur. Sed ruent hæc motiua, ſi conſideretur doctrina Auctoris p. p. q. 18. art. 4. ad tertium, ſi bene fuerit applicata, ibi namque pereleganter docet, duplex eſſe rerum, quoddam enim eſt eſſe ſimpliciter, quoddam eſſe hoc, & ait, quod res naturales habent ſublimius eſſe ſimpliciter in Deo, quam in ſeipſis, quoniam in mente diuina habent eſſe increatum, in ſeipſis vero creatum, eſſe autem hoc, verius habent in ſeipſis, quam in mente diuina, quoniam ad veritatem ipſarum requiritur materia, (& materiæ nomine, accipe omne quod ſe tenet ex parte materiæ, potentiam ſcilicet, vt ibi obſeruabat Interpres;) quam non habent in Deo, & ſubdit exemplum de domo, quæ nobilius habet eſſe in mente artificis, quam in materia, verius tamen dicitur domus, quæ eſt in materia; quam quæ eſt in mente, quoniam hæc eſt in potentia, illa vero in actu.

Difficultates.

Soluuntur ex doctrina D. Thomæ.

Duplex eſſe rerum.

Caiet.

Ex qua docta doctrina colligo, quod de effectu poſſumus loqui dupliciter, vel primo quo ad eſſe materiale, vel ſecundo quo ad eſſe ſimpliciter, ſi primo modo loquamur, profecto nobiliori modo eſt in ſe, quoniam ad eſſe ſuum hoc, ad eſſe materiale, multa requiruntur, quæ non habet in cauſa, ſed ſolum quando eſt productus, conſtituitur namque in eſſe per eſſe effectus, vt patet, quod ſanè non habet in cauſa, niſi in potentia, quoniam tunc non eſt effectus, ſed cauſa: ſi autem poſteriori ſenſu loquamur, digniori modo eſt in cauſa, quoniam dignius habet eſſe, cauſæ videlicet, quod patet eſſe quoddam eſſe, & excellentius, quam eſſe effectus; ſic ruunt duo priora argumenta; non enim probant, quod non habeat effectus vllo modo dignius eſſe, ſed quod non habeat hoc eſſe, & materiale, nimirum eſſe effectus; quod conceditur & docetur, neque vana ſunt quæſita, quoniam res illa, quæ in cauſa eſt cauſa, erit effectus, quando erit producta, & licet nihil reale in cauſa, à cauſa diſtinctum ponat, denominat tamen ipſam, vt potens eſt effectum producere, & ſeipſum ponit, non quidem productum, ſed poſſibilem produci; quod ipſum forte voluit Auctor tabulæ operum D. Thomæ quando & in tabula, & in concordantijs verbo, *cauſa*, dubio 326. dixit, effectus nobilius eſſe habere in cauſa cauſaliter, dignius vero in ſeipſis formaliter. Neque ſequitur, quod vane, aut male producatur effectus, vt dicebatur in tertia obiectione, quoniam producuntur, vt habeant eſſe illud materiale, & à cauſa diſtinctum, qnod ante ipſorum productionem non habent, & perfectio cauſarum, puta naturæ, & Dei declaratur ex varijs effectibus ab ipſis productis; Dico ex effectuum produ-

Quomodo effectus habeat nobilius eſſe in ſe.

Quomodo in cauſa.

Petrus de Bergomo.

productione declarari perfectionem Dei, non autem dico talem productionem eſſe Dei perfectionem.

Caietani doctrina.

Quamuis etenim Caiet. ſubtiliſſimus p. p.q.19.art.2.docuerit, Deum velle alia à ſe, eſſe perfectionem ipſius Dei voluntariam, ac omnino liberam, quæ conditiones rationem perfectionis longe diminuunt, tertia tamen par. q. 1.art.1. docuit, quod dum aliquod bonum communicat ſe, communicatio illa dicit quidem perfectionem, at non in communicante, ſed in eo cui fit communicatio illa, qui modus dicendi apparere forſan poteſt aptior illo priori, cum poſterius fuerit à Caiet. edoctus, nihilominus & prior poteſt optime ſuſtineri, eo vel maxime, quoniam ipſemet p.p.q. illa art.3. mox ſequenti declarauit explicatius, quid nomine illius perfectionis liberæ, ac voluntariæ 2. art. accepiſſet, perfectionem inquam extenſiuam, non enim volitio creaturarum in Deo ponit aliquam perfectionem intenſiue, ſed ad alia obiecta extendit; Eſſe profecto Deum volitiuum, dicit perfectionem neceſſariam, at quod actu velit alia à ſe, liberum eſt, adeo vt velle ſit actus in ſe neceſſarius, at libere huic, & illi obiecto applicatus, & docet, quod ſi quandoque inueniatur ſcriptum, quod modus quo extenſiue aliquid volitum eſt, ad perfectionem pertineat, id intelligendum ſit de perfectione non ſimpliciter, ſed extenſiua, quatenus ſcilicet ad hoc, & illud obiectum volitum libere ſe extendit, Cumque hoc veriſſimum ſit, immo neceſſarium aſſerere, & ex Auctore aperte colligatur art. illo 2. & ex 75. primi contra Gent. iniuſte omnino, & peſſime, ne aliud dicam, modus ille loquendi prior à quibuſdam vocatur abſurdus, veluti à Gregorio de Valentia ibidem, & longe deterius, ac iniuſtius Ludouicus Molina eũdem parum ſecurum in fide, & pias aures offendentem vocat, Iam enim mox art. ſequenti patefecit, quid nomine perfectionis illius liberæ intelligat, vnde idem Gregorius poſtea in com.3.art. dixit, Caietanũ obſcure ſatis, & incommode ſententiam ſuam explicaſſe, ſed nullam ego obſcuritatem, nullumve incommodũ video, cum quo ad primum, nedum ſeipſum declaret, ſed & quomodo alij ſint intelligendi doceat, quo ad ſecundũ, id tradat, quod ipſimet rei veritate coacti amplectuntur, ſed ei condonemus, quod aliqua ibi fuerit obſcuritas, (quem obſcuriorem aliàs, ò vtinam non eſſem expertus,) cur non vidit lucidiſſimam hac in re lucem, quæ illo loco ex tertia parte allegato continetur? Quare ſi recenſet loca Caiet. quæ ei obſcure ſuorum dictorum explicatiua apparent, non rememoret ſubinde loca, in quibus illa manifeſtiſſime manifeſtat? ſed omnis maior abſurditas illi contigit, qui dictum illud parum in fide ſecurum, & aurium piarum læſiuum appellauit, cum neque locum ſequentis art. vbi id docet, quod omnes recipiunt, neque alium iam tertia parte commemoratum animaduerterit. Accedit, tota Caietani commentaria in Auctoris Theologicam ſummam tempore Pij V. Pont. Max. fœliciſſimæ recordationis à viris acerrimis adamuſſim librata fuiſſe, (vnde & nõnulla, quibus videtur ab Auctore diſcedere ſubtraxerunt,) à quibus nihil circa hoc vel adnotatum fuit, quocirca numquam dictum, vel abſurdum, vel multominus parum in fide tutum, vel pias aures lædens, integrum omnino reliquiſſent, At de hac re aliàs forſan vberius.

Ab ipſomet clare explicata.

A nonnullis male accepta.

Defenditur.

Vltimo aduerte circa eandem propoſitionem, & Auctoris probationem, quod ſcilicet cauſa eſt dignior effectu, (à qua paulo me diuertit amor in veritatem, & Caiet.) quod duplex adhuc eſt cauſa, quædam enim eſt perficiens, quædam vero eſt diſponens, illa ſemper eſt perfectior ſuo effectu, non iſta; tunc enim calor ignis eſſet potior, quam anima, ad quam diſponit materiam, vt ſcribebat Auctor p. ſec. q.86. art. 6. ad tertium. Vnde Caiet. eodem libro q.3.art.5. docebat, quod

Rurſus duplex cauſa.

D. Thom.

Caiet.

quod ſi aliqua datur cauſa, quæ ſimul ſit actiua, & diſpoſitiua, quatenus actiua, numquam eſt imperfectior, ſed vel magis, vel æque perfecta, quatenus tamen diſpoſitiua eſt imperfectior, quoniam ad id pro quo diſponit, tamquam ad finem ordinatur; ſubtiliter tamen addebat, aliud eſſe comparare cauſam actiuam effectui, & aliud actioni, quoniam ad effectum comparatur, aut magis, aut æque perfecta, ad actionem vero, vt imperfectior, quoniam actio eſt ipſius cauſæ actiuæ actus, & perfectio, vnde comparatione ad ipſam, ſe habet cauſa, tamquam potentia ad actum, ac proinde vt ignobilius, ad nobilius, poſſumus quoque addere, actionem eſſe finem cauſæ actiuæ, vt enim dicitur 2. cœlo 17. vnaquæque res eſt ob ſuam operationem, quare ſi actio eſt finis agentis, erit quoque eius actus, & perfectio. Hanc tamen Caiet. doctrinam formaliter ego accipio, quod nimirum, ſi comparetur cauſa actiua ad actionem, vt potentia ad actum, & finem ſuum, ſic actio eſt nobilior illa, ſed ſi ex alia parte conſideretur cauſa agens, vt eſt elicitiua, vt productiua illius actionis, ſub hac ratione cauſa eſt nobilior actione, quoniam iam & illa actio eſt effectus, (latius nomine effectus accepto, ſcio enim, quod proprie ordinatur ad effectum) ipſius cauſæ, quare vt ſic eſt ignobilior cauſa, quoniam vt docui, ſemper cauſa vt ſic eſt præſtantior effectu. Illa vero propoſitio, qua dicitur, Aliquid comparatum alicui, vt potentia ad actum, eſt imperfectius illo, vera eſt formaliter, & vt ſic præciſe, ſi autem illudmet comparetur, nedum vt potentia, ſed etiam vt cauſans in ordine ad illum actum, ſub hac ratione dico, quod eſt potius illo; Adde, quod non inuenies cauſam vere principalem, & effectricem, quæ non ſit ſubſtantia, effectus vero pleroſque comperies accidentia, quare & ex hac parte colligi poteſt præſtantia cauſæ ſupra effectum, at dum dicis, cauſa vt cauſa, ſubtilius, formalius, vniuerſalius, & verius loqueris, ex quo omnis dubitatio remouetur, & illa etiam, quæ deſumitur ex eo quod cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, vt legitur ſecundo Phyſicorum 30. & quinto Diuinorum 2. vnde effectus iam producti, ſunt in alio genere cauſæ ſuarum cauſarum, atque ideo eis nobiliores, hoc enim dicta noſtra confirmat, tunc enim licet ſint res illæ, quæ ſunt, ſeu potius, quæ fuerunt effectus, tamen ſunt nobiliores, in eo quod cauſæ, & cauſæ iam ipſorum, hoc eſt quæ fuerunt cauſæ, ſunt ignobiliores ipſis, non vt cauſæ, ſed in eo quod effectus, &c. Neque turberis, ſi Caiet. p.p.q.52.art.2. dixerit, dari triplicem effectum in ordine ad aliquam virtutem, adæquatum ſcilicet, defectiuum, & exceſſiuum, vbi apparet, dari effectum excedentem cauſam, & ex conſequenti nobiliorem, nos enim loquimur de effectu, qui reuera producitur à cauſa, ille autem exceſſiuus numquam producitur ab illa cauſa vt ſic, quare eſt effectus alterius cauſæ, qui alteri comparatus, eſſet exceſſiuus, in quem cauſa non poſſet, quod ſi non poſſet, iam non eſt eius effectus. Cumque ſubſtantiæ ſimplices ſint cauſæ compoſitarum, & numquam iſtæ ſint illarum cauſæ, bene cum litera ex hoc intulimus, illas his eſſe præſtantiores, & digniorem eſſentiam obtinere.

Quomodo cauſa reſpiciat actionem ſuam.

Ariſtot.

Obiectio. Caiet.

Aufertur.

Collige itaque ſenſum huius propoſitionis, Cauſa eſt nobilior cauſato, multipliciter verum eſſe, primo de cauſa efficiente, finali, formali, non materiali, ſecundo de principali, non inſtrumentali, tertio de æquiuoca, non vniuoca, quarto de perficiente, non præparante, aut diſponente, vltimo de cauſa formaliter accepta, & vt ſic; quod ſi alia circa hoc noſſe cupias, vide Zimaram theoremate 69. vbi concludit præfatam propoſitionem, veritatem habere in agente æquiuoco, & fine extrinſeco, ſed quamlibet interpretationem ſequaris, veram comperies in

Quomodo varijs vijs cauſa ſit dignior effectu.

Zimara.

propo-

propoſito noſtro, de ſimplicibus ſubſtantijs relatione ad compoſitas, veluti in ipſis interpretationibus adducendis pateſeci, &c.

Sed quia illarum ſubſtantiarum eſſentia, &c.

Circa tertiam partem, in qua probatur, materiam non eſſe eſſentiam, quoniam materia non eſt principium cognoſcendi, aduerte veriſſimum eſſe hoc aſſertum, neque quod memoria teneam, vidi aliquem docentem, materiam eſſe principium, aut rationem intelligendi, id enim ſemper actui tribuunt, Ariſtotelem imitati, qui 9. Diuinorum 20. protulit, & repetijt, actum eſſe rationem intelligendi, probans ibidem nobilitatem actus ſupra potentiam, ea ratione, quoniam res non cognoſcuntur dum ſunt in potentia, ſed ſolum dum ſunt in actu, quod efficit inducendo in mathematicis, quare nulla probatione eget hoc dictum.

Ariſtot.

Sed ea eſt eius veritas mihi certiſſima, vt cenſeam, nedum materiam non eſſe principium cognitionis, ſed neque vmquam eam poſſe ex ſe cognoſci, ſed velut in ſe entitas eſt pure potentialis, cuius nimirum ſubſtantia eſt in poſſe, vt dicebat Auerr. 1. cap. lib. de ſubſtantia orbis, ita ſuſtineo, quod numquam poſſit cognoſci abſque habitudine ad formam; Ita docet Auctor octauo Diuinorum circa tex. tertium, & lectione 16. & vltima ſuper quartum Metheororum, & p.p. q.15.art.3. ad tertium, & q.66. art.1.& 87. art. ſimiliter primo, & alibi, & Auerr. loco allegato, & primo Phyſicorum in principio comm. 69. Ita thomiſtæ omnes, vt Capreolus in 2.diſt.17. q. vnica in reſp. ad tertium Aureoli contra ſecundam concluſionem, vbi licet doceat, materiam habere propriam intentionem, & rationem, ſubdit tamen, hanc intentionem, vel rationem, eſſe in ordine ad formam, quamuis de hoc videatur fuiſſe dubius in primo d. 22. q. 1. ad tertium Aureoli contra quartam concluſionem, & Caiet. p.p. q.77. art. 3. vbi docet, potentiam ita eſſentialiter dicere ordinem ad actum, vt abſque ipſo nequeat etiam prima intellectus operatione intelligi, & ſubdit ſic eſſe vltimate, & reſolute dicendum de motu, de materia prima &c. quod ipſum confirmat p. ſec. q.1.art.3. circa reſp. ad primum, vbi ſeipſum loco nunc ex p. p. adducto refert; & Dominicus à Flandria q.1. ſuper octauum Diuinorum art. 3. Paulus Soncinas q. 2. ſuper eundem librum, & ſeptimo eorundem q. 33. ad ſecundum, Iauellus q.1. einſdem octaui, Aquarius q. ſua ſpeciali de natura materiæ; Sic mille extra Auctoris ſcholam, vt Iandunus q. 1. ſuper eundem octauum, licet videatur dictum ſuum reſtringere ad notitiam ipſius materiæ perfectam, quæſtione tamen ſexta ſecundi Phyſicorum ad primum, abſolute inquit, materiam non poſſe abſque alio cognoſci, quod clarius repetit quæſt. vltima primi de anima, ad primam rationem, Zimara theoremate ſuo primo, licet deinde in hoc aliquo modo videatur varius theoremate 36. Archang. Mercenar. lib. 2. ſuarum dilucidationum, dilucid. 13. Ægidius Rom. quolib. 2. q.13. docet, & probat materiam non poſſe per ſe intelligi, Albertus Magnus quinto Diuinorum tract. 6. cap. 10. inquit materiam in ſe ſubſiſtentem non intelligi, niſi per analogiam ad formam, & poſt nonnulla ſubdit, id quod nec forma eſt, nec formam habet, neque habet analogiam ad formam, non eſſe deſignabile per nomen aliquod, & ſui nullam poſſe eſſe penitus notitiam, Alex. quoque Aphrodiſeus ſeptimo Diuinor. in fine comm. 35. ait, materiam eſſe ignotam, & nono eorundem 13. habet, potentiam cognoſci per actũ,

D.Thom. Auerroes. Capreol. Caietan. Flandrien. Soncinas. Iauellus. Aquarius. Iandunus. Zimara. Mercenar. Ægidius. Albertus Magnus. Alexander.

& 12.

& 12. eiuſdem ſcientiæ 30. ait, materiam ex proportione,& nota,ac ſuppoſitia conſideratione intelligi, vt inquit eſt apud Platonem, intellige tu in Timæo, vbi docet,materiam eſſe adulterina quadam ratione vix opinabilem, (quæ Platonis verba referunt Themiſtius,& Simplicius,ille 3. de anima cap. 44. iſte primo Phyſicorum ſuper tex. 32.) Ariſtoteles demum primo Phyſicorum 69. ait,materiam eſſe ſcibilem analogia, & ne poſſit dici, quod & alio modo, ſecundum ſe nimirum ſit cognoſcibilis, adeſt 35. ſeptimi Diuinorum, vbi habet manifeſte, materiam ſecundum ſe eſſe ignotam, & 24. decimi eorundem inquit, materiam negatione cognoſci, quod ſeptimo eiuſdem ſcientiæ patefecit, quando tex. 8. eam per negationem definiuit, aut deſcripſit dicens, eam eſſe, nec quid, nec quale, nec quantum, &c. Plato. Themiſt. Simplic. Ariſtot.

Tot,& tantorum virorum opinionem eo animo ſemper ſum amplexatus, vt oppoſitum numquam vel concipere valuerim, quemadmodum enim via tranſmutationis inuenta eſt, & cognitum fuit eam dari,vt docent omnes, & præcipue Auerr. comm. vltimo primi Phyſicorum,ita adhuc vbi inuenta eſt,numquam ex ſeipſa poteſt agnoſci, nedum in hoc ſenſu, quod non mouet intellectum noſtrum ad ſui cognitionem,(hoc enim & nulla via fieri poteſt,& neminem vidi ſomniaſſe,) ſed neque vt poſſit proprio conceptu agnoſci, qui ſanè ita ſit ei proprius,vt in eo forma, ſiue ad ipſam reſpectus non includatur,vel perfecte, ac diſtincte,vel in communi, & confuſe,& in hunc modum Auctor tabulæ operum D.Tho. eundem explicat, quando,(at perraro) dixit, materiam poſſe ex ſe apprehendi, & ſecundum rationem à forma ſeparari, inquit enim,ipſum voluiſſe, vt poſſit cognoſci abſque eo quod diſtincte cognoſcatur forma, non autem abſque qualicũque formæ notitia, quam explicationem non damno, ſed mihi lubet magis dicere, aliud eſſe, vt aliquid ſit intelligibile ſine alio, & aliud, vt aliquid habeat diſtinctum conceptum ab alio,numquam materia eſt intelligibilis ſine alio,habet tamen conceptum diſtinctum, & proprium, dicitur namque de ea,quod eſt pura potentia,quod ſubiectum primum tranſmutationis,quod ex ea inexiſtente fit aliquid, quippe qui conceptus ipſi vni congruunt, & in hoc ſenſu per ſe intelligitur, non tamen ſine alio, quoniam in omnibus his conceptibus de neceſſitate cadit forma, vel ad ipſam habitudo, aliàs non intelligeretur, Et ex hac doctrina concilia Auctorem & mille aduerſariorum argumenta diſſolue, vel enim numquam probant materiam ex ſe intelligi, vel ſolum oſtendunt intelligi aliquo conceptu proprio, non tamen, quin in tali conceptu aliquid aliud includatur. Auctoris mẽs circa materiæ cognitionẽ. Petrus de Bergomo. Quæ de materia enunciẽtur.

At dices,hæc videntur pugnare ſimul, quod ſcilicet ſit aliquis proprius materiæ conceptus,& quod in tali conceptu aliquid includatur extra eam, ſed poſſem dicere primo,quod eſt proprius ei, ſed non ſoli, nam & aliquid iuxta Porphyr. cap. de Proprio eſt proprium omni, ſed non ſoli, verum his omiſſis, dico, quod eſt proprius materiæ, quoniam eius naturam explicat,at quoniam in hac natura, aliquid extrinſecum connotatiue neceſſario clauditur, ſiue aliquis ordo ad aliquid, extrinſecum quidem à re, ſed non à conceptu rei, nam materia habet propriam eſſentiam diſtinctam à forma, quare forma eſt ei extrinſeca, illa tamen materiæ eſſentia habitudinem dicit eſſentialem ad actum, ſeu ad formam, habitudinem inquam, non relationis prædicamentalis, ſed tranſcendentalis, ideo oportet, hunc ipſum reſpectum in illo conceptu intelligi; eſt enim materia entitas talis, quæ licet abſoluta ſit à relatiuo, & termino, non tamen ab actu, veluti neque ſcientia ab obiecto,& de natura huiuſcemodi entitatum,quæ mediam Dubium. Remouetur. Porphyr.

ſedem tenent inter pure abſoluta, & pure reſpectiua, latius diſſerui prima quæſtione meorum præludiorum, quando erat ſermo de vnitate ſcientiarum, quæ ab obiectis pendebat.

Zabarellæ argumentum.

Ex his ruit argumentum, quo conuictus fuit Zabarella, ad aſſerendum dari notitiam aliquam abſolutam ipſius materiæ, abſque vllo ordine ad actum, dicebat enim cap. 6. ſecundi libri de rebus naturalibus, quod ſi eſſentia materiæ nihil habeat abſoluti, tunc vel non erit ſubſtantia, vel dicendum erit, aliquam vere ſubſtantiam eſſe proprie in cathegoria ad aliquid, ſed inane prorſus eſt argumentum, & confutatum manet ex doctrina allata, quæ eſt antiqua, nimirum Caiet. locis memoratis, eſt enim materia ſubſtantia, abſoluta à termino, non ab actu, ita non eſt in prædicamento relationis, cum potiſſimum actus, quem reſpicit, ſit de genere ſubſtantiæ, qui licet terminet habitudinem materiæ, non tamen terminat vt terminus, & differunt valde hi duo modi loquendi, hoc terminat, & hoc terminat, vt terminus, vt acute dicebat Caiet. inferius cap. 7. ſed reuera ſubtilitates Caiet. non videntur ab aduerſarijs, vel ſi videantur, non penetrantur, vel nolunt penetrari. Materia ſiquidem habet eſſentiam a forma diſtinctam, & abſque forma habet ſuam eſſentiam, quod nequit dici de ijs, quæ ſunt in genere relationis, horum enim eſſe in nullo alio eſt, quam ad aliud ſe habere, & hoc perempto, perimitur illud, vt eſt videre in patre, ac filio formaliter acceptis, & iam Alex. lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 9. docuit, non mox aliquid eſſe in genere relationis, licet illud alicuius ſit, quare dicimus, materiam propria eſſentia potiri, quæ tamen de neceſſitate nobis innoteſcit per ordinem, quem ad aliud importat. Secundum quoque eius argumentum, quo poſt longam conſiderationem ait, ſe vt hoc aſſereret fuiſſe ductum, iam confutatum eſt, & à noſtris, & à Zimara theorem. 1. Ait enim omne quod eſt, cognoſcibile à nobis eſſe, materia autem eſt, quare &c. Sed mille ſunt ad hoc reſponſiones, & prima, eademque optima, quod cognoſcibilitas non ſit paſſio entis vt ſic, ſed entis in actu, quod colligitur aperte ex Ariſtotele locis commemoratis, veluti etiam quæſt. 2. ſuper proœmium dicebam, & ex Auerroe confirmabam. Secunda reſponſio ſit, quod omne quod eſt, eo modo quo eſt, cognoſci debet, ſi abſolutum, & nihil extra ſe reſpiciens, pari modo agnoſcitur, at ſi quid extra ſe neceſſario reſpiciat, & non ſit abſolutum, vel à termino, vt relatiua, vel ab actu, vt materia, vel ab obiecto, vt ſcientia, abſque his non valebit agnoſci; Tertio dicatur, omne quod eſt, poſſe cognoſci aliquo conceptu proprio, non tamen ſine alio, modo iam explicato, & ſic etiam patet ſolutio ad rationes Flaminij Vicentini, qui quæſtionibus quibuſdam ſuis, q. 4. idipſum quod Zabarella affirmauit.

Caietani ſubtilitates à multis non conſiderantur.

Alexander.

Aliud Zabarellæ argumẽtum

Variæ ſolutiones.

Flaminius Vicẽtinus.

Sed vellem ego ſcire à viris doctiſſimis, qualis ſit hæc abſoluta de materia notitia, quod prædicatum de ipſa pronuncient, quid ſibi tribuant; Certe Zabarel. ait, quod debilis, & abſcondita materiæ entitas, eſt in cauſa, vt ſemper concipiatur cum relatione ad alia, ac videatur nullo alio modo concipi poſſe, vnde nequimus niſi magna cum difficultate naturam eius abſolutam comprehendere, ſubdit autem, quod ij qui mediocri ingenio vigent, ſi mentis aciem in ea figant, poſſunt naturam eius abſolutam penetrare; At duo ipſe in hoc homine vehementer admiror, primo, quod viri vndequaque doctiſſimi à me recenſiti, potiſſimum Auctor, Ariſtoteles, Plato, Alex. Auerr. Alber. Magnus, & Caiet. non mediocri modo, ſed maxima ingenij luce fulgentes, ſcientiarum multarum auctores, & magiſtri, nũquam aliquid de hac abſoluta materiæ notitia tradiderint, ſed omni aſſeueratione docuerint, eam vel ignorari, vel non niſi analogia, & ad alia

Zabarellæ dicta.

Admirationẽ præbent Auctori.

alia comparatione cognoſci, magis tamen eundẽ Zabar. deinde ſuſpicio, qui cum hæc dicat, tamen hanc abſolutam materiæ notitiam non pandit, & nihilominus ingenio certe, quod mediocre excedebat præditus erat, ſed neque lumina illa philoſophiæ, neque ipſe, neque alius quiſque hoc tradere valebit, quoniam ab intellectu nequit percipi, & certe fateri, apprime arduum eſſe, mente concipere materiam, abſque reſpectu ad aliud, poſſe tamen vtcumque fieri, (quod tamen à nullo hactenus factum vidimus,) & non aſſignare, quomodo hoc fiat, non adducere, quid ſibi in illo conceptu abſoluto tribuatur, vanitas vaniſſima mihi videtur; Neque eſt dicendum, talem notitiam habitam fuiſſe à Philoſopho ſeptimo Diuinorum tex. illo 8. ea enim fuit notitia per negationem & hoc mihi fauet, nam & hoc modo non agnoſcitur, niſi adhibeatur deinde, quid ſit, hoc autem erit potentia, ſi nihil ſit actu prædicamentorum, & extra prædicamenta nihil inueniatur. At neſcio videre, quomodo ſibi non aperte contradicat Zabarel. nam lib. 3. ſub initium cap. ſecundi impugnans, egregie quidem poſitionem Scoti de actu entitatiuo in materia, ait quod actus ille nihil aliud eſt, quam entitas materiæ, ſubdit formalia verba; *Hanc igitur entitatem actum appellare ita vanum eſt, vt nec mente quidem concipi poſſit, cum potius naturæ materiæ contrarium nomen omnes philoſophi attribuerint, nempe nomen potentiæ, & dixerint eius naturam in hoc eſſe conſtitutam, vt ſit ens poteſtate*; Si itaque neque mente concipi poteſt, vt natura materiæ ſit actus, ſed ſemper potentia, quomodo conceptu omnino abſoluto apprehendetur? quomodo aderit prima illa notio materiæ, pro qua tantopere inſudauit, in qua materia ſine forma concipiatur? Quod ſi dixerit, eſſe quidem materiam, aliquam entitatem abſolutam, ſed tamen non poſſe concipi abſque potentia, iam nihil habet contra Scotum, nam dicere poterit Scotus, quamuis non queat concipi niſi vt potentia, tamen in ſe eſt alia quædam entitas, puta actu potiens entitatiuo, deinde ſibi euidenter contradicit, cum oppoſitum libro 2. cap. 11. & 12. doceat; Demum hoc mihi iuuat, & nihil aliud volo, nam potentia vt ſic nequit intelligi abſque actu, vel abſque ordine ad ipſum, & inſtitutum meum in præſentia non eſt differere de natura materiæ, ſed de eius notitia, licet hæc pendeat ex illa, naturam autem materiæ de induſtria expendã infra cap. 5. quæſt. 2. vbi de his nonnulla redibit conſideratio, & definiemus, puram eſſe potentiam, ac proinde non poſſe abſque forma exiſtere, & potentiam, eius eſſe eſſentiam, non qualitatem eam conſequentem, vt vult ipſe Zabar. Sed certe ſi qualitas eam conſequitur, & dicitur de ea in ſecundo modo dicendi per ſe, vt ibidem docet, iam abſque potentia poterit concipi in prima notione, quoniam eam non dicit in primo modo perſeitatis, quare erit abſque potentia conceptibilis, quod tamen negat, dum arguit contra Scotum, vt patuit, præterea erit actus, vel ſaltem oportebit vt denominetur actus, quicquid enim eſt, vel potentia, vel actus eſt, hæc enim ſufficienter diuidunt omne ens, ex 9. Diuinorum 1. quod tamen negat diſputans cum Scoto, ſi enim non ſit potentia, oportet certe eſſe actum, & cum apud hunc philoſophum, & veritatem, nullus detur actus vltra formalem, iam materia erit actus formalis, quod & eſt contra ipſum, & quod nullus vmquam docuit, & quidem hæc ratio conuincit Zabar. ex conceſſis ab ipſo; præterea poterit eſſe materia abſque forma, cum actus quidam ſit, & non entitatiuus, quod tamen iure negat, & ſi potentia vt qualitas, & accidens ſuperuenit materiæ, quomodo non erit actus ipſa materia, in qua fundetur hoc accidens? Abſurda ſunt omnia hæc, & contra doctrinam illius, qui hæc docet.

Sibi minime conſtat Zabarella.

Scopus Auctoris in præſenti.

Auerroes. Denique habet Commentator cap. illo 1. de ſubſtãtia orbis, quod neceſſe eſt, naturam primæ materiæ eſſe naturam potentiæ, ita vt potentia ſit eius differentia ſubſtantialis, velut idem Zabar. cap. illo 11. hanc eandem Auerrois auctoritatem attulit, ſi ergo differentia alicuius rei ſubſtantialis eſt illa, quæ rem conducit ad eſſe, & eſt rei conſtitutiua, vt docebat Porphyr. cap. de Differentia, quomodo poterit conſtitutum apprehendi abſque conſtituente? an non habet eſſe ab hoc conſtituente? numquid vlla operatione intellectus, vllo temporis, aut naturæ ſigno, poterit quis abſque rationali concipere hominem? Quod ſi ex Auerroe, quem ipſe hac in re ſequitur, potentia ſit differentia ſubſtantialis materiæ, quomodo valebit eſſe proprietas conſequens? quis vmquam audiuit, differentiam ſubſtantialem eſſe proprietatem accidentalem? Credo hoc argumentum non latuiſſe Zabar. nam video, quod in calce cap. mox citati huic obiectioni ſe obniũ implicite facit, exponit enim dictum Auerrois, vt voluerit dicere, potentiam eſſe eſſentialem materiæ in ſecundo modo dicendi per ſe, & eius proprietatem, qua natura materiæ declaratur, quoniam vt colligi aliquo modo poteſt ex eodem Auerr. comm. 20. ſecundi Poſteriorum & 40. quarti de cœlo, ex proprijs aliquando declaramus eſſentiam rerum, quando differentiæ ſunt ignotæ, ſed non videt Zabar. quomodo hæc ſolutio manifeſte deſtruat poſitionem ſuam, & corroboret meam; Et illud primo omitto, quod valde improprie locutus fuiſſet Auerroes, vocando accidentalem aliquam proprietatem, differentiam ſubſtantialẽ, illud deinde taceo, quod dicebat cap. illo 2. tertij lib. ex omnibus philoſophis, naturam materiæ in hoc eſſe conſtitutam, vt ſit ens poteſtate, & certe valde improprie ipſi quoque loquerentur, dum dicerent, naturam alicuius conſtitui per proprietatem, quæ illam conſequitur, immo pugnantia dicerent, ſed licet veriſſimum ſit, loco differentiarum nonnumquam poni propria, vt occulta rei eſſentia innoteſcat, non tamen illa propria vocabuntur vmquam differentiæ ſubſtantiales; At his omiſſis, quis non videat, hanc reſponſionem ſibi penitus contrariari? ſi enim Auerr. loco differentiæ ſubſtantialis accipit proprium materiæ, quod eſt potentia, quoniam hoc licet, dum natura aliqua ignoratur, iam ergo natura materiæ ignorabatur ab Auerroe, & non potuit ab eo explicari, niſi ſub nomine, & ratione potentiæ, & tamen Auerr. mediocri ingenio vigebat, atque ideo valuiſſet mentis lumina in materiam figere, & eam quam iſti ſibi abſolutã tribuunt notitiam penetrare, & abſque potentia eam concepiſſet, quod tamen pauper Commentator nequiuit facere, ſed ſi eam aperire voluit, ad potentiam ei opus fuit confugere, quoniam reuera numquam poteſt materia abſque potentia, vel in communi, vel in particulari apprehendi; Quod autem ſubdit de natura materiæ, vt potentia ab ea differat ex verbis Auerrois, videbimus quæſtione allegata abſolute naturam materiæ puram eſſe potentiam, quod nobis ſufficiet, ſed & videbimus verba Auerrois, quæ pro ſe adfert, ſibi nullatenus fauere, at hæc ibi diſcutientur, non enim in hac parte de natura materiæ, ſed ſolum de eius notitia fuit ſermo, quæ tamen hic allata ſunt, & quæſtionem illam iuuabunt, & ab illa iuuabuntur.

Porphyr.

Auerroes.

Quid loco differentiæ aliquando ponere liceat.

Illud tandem adnotare voluerim, quod ſi quis contendat, materiam poſſe concipi conceptu entis, conceptu ſubſtantiæ, abſque vllo ordine ad formam, vel actum, hoc ſibi dederim, ſed hæc erit notitia adeo confuſa materiæ, vt non digna ſit vocari notitia materiæ, nam etiam albedo eſt ens, lapis eſt ſubſtantia, quare nequit eſſe notitia materiæ, vel enim aliquid ei proprium concipitur, vel nihil, ſi nihil, non diſputo, & ſi hoc nihil, velis vocare cognitionem confuſam,

vel

vel confuſiſſimam ipſius, vt cogitarunt nonnulli, quo contrarias de notitia materiæ opiniones, vel apparenter conciliarent, erit quæſtio de voce; ſi aliquid proprium, (quod certe dicendum eſt, ſi materiam, vt materiam, vt ens ab alijs diſtinctum velis contemplari,) id facere nequibis, niſi conceperis ipſam vt eſt potentia, hoc enim eſt ſibi proprium, eſſentiale, & hoc ab alijs differt, hanc autem potentiam implicat, quod apprehendas etiam prima intellectus operatione, abſque aliqua habitudine ad actum, &c. Inuentum quorundam.

Cum ergo materia neque proprio conceptu valeat dignoſci, optimo conſilio dicebat Auctor, non poſſe eſſe rei eſſentiam, quoniam eſſentia eſt id, quo res cognoſcitur, &c.

Neque etiam forma tantum ſubſtantiæ compoſitæ eſſentia, &c.

CIrca quartam partem, vbi dicitur diffinitiones naturales à mathematicis differre, quod vt clarum relinquitur, obſerua illud eſſe diſcriminis inter ipſas, quod naturalis definit per materiam ſenſibilem, mathematicus autem ab hac materia abſtrahit, non quidem ſecundum eſſe, quoniam quæ ipſe conſiderat, ſunt in materia ſenſibili, & nullo alio modo poſſunt eſſe in rerum natura, vt linea, triangulus, &c. ex 11. Diuinorum cap. 6. ſed ſecundum rationem, quoniam conſiderans lineam, non conſiderat, num ſit lignea, num ænea, ſimiliter conſiderat triangulum, non vt eſt in hac, vel illa materia, ſed ſecundum quod eſt figurabilis, quod vero mathematicus abſtrahat à materia ſenſibili, clare docuit Ariſtoteles 2. Phyſicor. 18. primo de anima 17. & ſeptimo Diuinorum 39. non abſtrahit autem à materia intelligibili. Vbi ſcito magnam eſſe opinionum diuerſitatem in hac materia intelligibili aſſignanda, nonnullis volentibus, quod ſit ſubſtantia compoſita ex materia, & forma, quibuſdam, quod ſit terminus entis mathematici, cuius fluxus cauſat rem mathematicam, alijs, quod ſit continuum, alijs, quod partes quantitatiuæ, quos modos dicendi vide ſi placet reiectos à Ianduno quæſt. ſua quinta ſuper ſecundum Phyſicorum. Ariſtot. Varij modi materiam intelligibilẽ explicandi.

Dicito tu breuiter, (neque enim intendo hoc in loco rem hanc articulatim definire,) quod materia intelligibilis, à qua entia mathematica non abſtrahunt, eſt ſubſtantia, in qua huiuſcemodi mathematicalia ſunt, quæ dicitur materia intelligibilis, quoniam eſt abſque qualitatibus, & accidentibus ſenſibilibus, non vtique in re, ſed in conſideratione, hoc eſt, conſideratur abſque qualitatibus, quando enim ſubſtantia eſt ſub qualitatibus, dicitur ſenſibilis, quoniam ſic ab aliquo ſenſu attingitur, quando autem qualitatibus non eſt ſubiecta, dicitur intelligibilis, quoniam illam tunc nequit percipere ſenſus; & licet omnia accidentia inſint ſubſtantiæ, eique aduenіant, datur tamen ordo naturæ, quoniam prius ei aduenit quantitas, deinde qualitas, actio, motus, &c. & quoniam prius poteſt intelligi abſque poſteriori, non autem e contra, (intelligo enim animal abſque homine, non hominem abſque animali,) ideo quantitas circa quam verſatur mathematica, poteſt intelligi abſque qualitatibus, hæ enim ſunt illa poſteriores, nequit vero intelligi abſque ſubſtantia, quoniam hæc ipſam præcedit, ſic poteſt percipi quantitas abſque materia ſubiecta qualitati, & motui, non tamen abſque ſubſtantia, & quoniam ſic de facto à mathematico intelligitur, ideo dicitur abſtrahere à materia ſenſibili, non à materia intelligibili. Ita vides, non abſtrahere hunc artificem à materia intelligibili, quoniam conſiderat de quantitate, Sententia Auctoris. Quando ſubſtantia dicatur ſenſibilis.

tate, vt eſt in ſubſtantia, abſtrahere autem à ſenſibili, quoniam non conſiderat quantitatem, vt eſt in ſubſtantia ſubiecta qualitatibus ſenſibilibus.

D. Thom. Hanc credo eſſe mentem Auctoris in expoſitione 18. ſecundi Phyſic. vt Iandunus quoque probat quæſtione nominata, & id expreſſe docet p.p. q.85. art. 1. ad ſecundum, vbi diſcernit materiam ſenſibilem ab intelligibili, & illam dicit eſſe corporalem, quatenus ſubiacet qualitatibus ſenſibilibus, hanc autem, ſubſtãtiam, quatenus ſubiacet quantitati, & mathematicum ab illa affirmat abſtrahere, ab hac vero negat; Ita quoque videtur docuiſſe Ferrar. q. 2. eiuſdem ſecundi Phyſ. & Aquarius ibidem in additione.

Ferrarien. Aquarius.

Quando autem dico mathematicum conſiderare quantitatem, vt eſt in ſubſtantia, nolo ex hoc intelligere, quod in quauis rerum mathematicarum definitione ponatur ſubſtantia, ſcio namque definiri lineam, per hoc quod eſt longitudo abſque latitudine, numerum, quod ſit multitudo aggregata ex vnitatibus, &c. vbi non ponitur ſubſtantia, ſed intelligo, quod ſi huiuſcemodi entium aſſignare ſit completam definitionem, oporteat ſubſtantiam ponere, ſunt enim accidentia, quæ non ſunt abſque ſubiecto perfecte definibilia, in definitione quippe mathematicorum ponitur quantitas, vt longitudo, latitudo, in definitione vero quantitatis ponitur ſubſtantia, eſt enim eius menſura, quare &c. Videbimus autem prima quæſtione vltimi cap. huius operis, non poſſe accidentia abſque ſubiecto complete definiri.

Opinio Zimaræ. Et ſi quæ diximus bene intelligantur, diluuntur omnia, quæ contra hanc ſententiam adfert Zimara theoremate 81. vbi docet materiam intelligibilem, per quam definit mathematicus eſſe continuum, & numerum, adducit namque Ariſtotelem 12. Diuiuor. 44. dicentem, quod mathematicarum nulla conſiderat de ſubſtantia, excepta aſtrologia, adducit Auerroem, & Themiſtium, hoc idem docentes, ſed omnibus auctoritatibus dicitur, veriſſimum eſſe mathematicas diſciplinas non eſſe de ſubſtantia ſubiectiue, quoniam nulla, dempta aſtronomia habet ſubſtantiam pro ſubiecto, ſunt tamen de ſubſtantia terminatiue, quæ eſt terminus, & materia intelligibilis ipſarum, per quam habent definiri, vel implicite, ſi fuerit proxima definitio, vel explicite, ſi fuerit completa, & abſoluta, eſt enim verum quod docuit Linconienſis, illud ſcilicet quod phyſico eſt prædicatũ, vel paſſio, mathematico eſſe ſubiectum, accidentia namque ſunt affectiones phyſici, & ſubiectum mathematici, licet vt ſic à mathematico non conſiderentur, hoc eſt, quatenus affectiones phyſici, vt docebat Ariſtoteles 2. Phyſicorum 17. & pugnaret, quod vt ſubiectum, & vt paſſiones, ſiue affectiones ab eodem artifice conſiderarentur.

Ariſtot.

Quod autem Ariſtotelis intẽtio ſit ibi loqui de ſubiecto aſtrologiæ, patet tum ex modo loquendi ipſius, ait enim ipſam eſſe de ſubſtantia æterna, conſtat autem, quod quando abſolute dicitur talis ſcientia eſſe de aliqua re, intelligitur tamquam de ſubiecto, tum quoniam & aſtrologia conſiderat multa accidentia cœli, vt curſus aſtrorum, motus, immutationes, quare non eſt verum, quin abſolute ipſa contempletur accidentia, ſed ſolum quod non ſit de ipſis, tamquam de ſubiecto, in quo differt ab arithmetica, & geometria, quæ circa accidentia, tamquam circa ſubiectum verſantur, non igitur negat Ariſtoteles abſolute ab alijs partibus mathematicæ ſubſtantiam, ſed ſolum ipſam remouet, tamquam ſubiectum, at terminatiue ipſæ quoque ſunt de ſubſtantia.

Quæ ſpectet aſtrologia.

Vel dicatur, non proferre abſolute Ariſtotelem, ſolam aſtronomiam eſſe de ſubſtantia, ſed ait de ſubſtantia ſenſibili, & æterna, de corpore ſcilicet cœleſti, &c.

ita

ità concedimus, immo docemus, alias mathematicas non conſiderare de ſubſtantia ſenſibili, vel æterna, at ſi dicatur, ergo de nulla ſubſtantia, patet vanam eſſe deductionem. Et ſi dixeris, mox ibi Ariſtotelem ſubdere, *cætera vero de nulla quidem ſubſtantia, veluti quæ circa numeros, atque quæ circa geometriam*, vbi apparet, nedum ſubſtantiam ſenſibilem, & æternam, ſeu omnem arceri ab alijs mathematicis; Reſpondeo, quod ly *nulla ſubſtantia* determinat, ſiue correſpondet ſubſtantiæ mox antea dictæ, & eſt ſenſus, aliæ de nulla ſubſtantia ſenſibili, & æterna conſiderant, &c. quod ſi hoc non placet, dic triplici via, quam docui, de nulla ſubſtantia ſubiectiue primo, deinde explicite, poſtremo definitione proxima. Obiectio. Amouetur.

Ita intelligis rationem Auctoris, qua in hac quarta parte probabat, non ſolam formam eſſe eſſentiam ſubſtantiarum compoſitarum, quoniam non forma tantum, ſed & materia importatur in definitione rerum naturalium, aliàs definitiones naturales, & mathematicæ non differrent, vbi videtur velle, quod in definitionibus mathematicis nullo modo ponatur materia, quod tamen falſum eſſet, & ſuæ doctrinæ repugnans, vt patuit ex locis adductis, hoc enim modo ſolus diuinus philoſophus definit, ſed voluit dicere, quod in mathematicis non ponitur materia ſenſibilis, ſed bene ponitur intelligibilis, non enim ab ipſa abſtrahunt, vt docebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinor. 35. Ideo aliquid oportuit adferre, quo materia hæc intelligibilis vtcumque elucidaretur, & dignoſceretur diſcrimen inter definitiones naturales, & mathematicas, videbimus enim quæſtione ad hanc literam formanda, quomodo per ſenſibilem materiam definiat naturalis, in quo differt à mathematico, qui materiæ tantum intelligibilis rationem habet; Nec te conturbet, quod Auctor ſeptimo Diuinorum circa tex. illum 35. & octauo eorundem 15. dixerit materiam intelligibilem, & mathematicam eſſe continuum, tum quoniam ea non erant loca illud definiendi, tum quoniam id gratia exempli ſolum attulit, vt clare eſt videre, tum denique, quoniam ibi ſpeciem magis, quam genus materiæ intelligibilis in mathematicis aſſignauit, vnde loco primo allegato dicebat, formam vel circuli, vel trianguli eſſe in hac materia, quæ eſt continuum, vel ſuperficies, vel corpus, vbi apparet manifeſte plura enumerare, nam & continuum eſt quædam ſpecies ferè ſubſtantiæ, vt eſt ſub quantitate, hinc Sueſſanus in expoſitione illius tex 15. inquiebat, continuum eſſe materiam in geometria, diſcretum autem in arithmetica, vbi vides, hæc veluti partes eſſe materiæ totalis intelligibilis, ſeu mathematicæ, quæ eſt ſubſtantia ſub quantitate. Ariſtot. Occurritur difficultati in via D. Thomæ. Sueſſanus.

Circa hoc ipſum ſcias denique, non differre mathematicam à naturali, quoniam abſtrahat à materia abſolute, nam & naturalis abſtrahit, aliter non eſſet ſcientia, ſed differt, quoniam nedum abſtrahit abſtractione totali, ſecundum quam abſtrahitur vniuerſale à particularibus, ſed etiam à materia intelligibili ſenſibili, quam conſiderat naturalis, in ordine ſcilicet ad motum, nam & talis materia eſt intelligibilis, ita vt hoc intelligibile, quod denotat materiam mathematicam, non ſignificat id quod præciſe poteſt intelligi, nam & materia naturalis eſt hoc modo intelligibilis, ſed dicit id, quod diſtinguitur contra materiam ſenſibilem, intelligibilem tamen, & poteſt dici abſtractio formalis, formæ ſcilicet à materia, licet enim hæc proprie conueniat metaphyſico, ſecundum quid tamen conuenit etiam mathematico, quatenus non conſiderat ſenſibilem materiam, & mathematicalia cum naturalibus collata, ſe habent veluti formæ ad materiam, collata vero cum metaphyſicis, ſe habent vt materia ad formam.

Circa

Circa hanc literam conſidera modum, quo impugnat Auctor poſitionem illam, quæ ait, ſolam materiam eſſe eſſentiam ſubſtantiarum compoſitarum, & modum, quo improbat placitum eorum, qui ſolam formam ponebant, ibi enim arguebat ex illo primum capite, quod eſſentia ſit principium cognoſcendi id cuius eſt eſſentia, quod nequibat materiæ tribui, vt patuit, hic autem ratione alia adducta, & iam explicata, tale motiuum miſſum facit, quoniam vere forma eſt principium totius cognitionis, nam quamuis & materia, quæ ponitur in rerum naturalium definitione coadiuuet ipſarum rerum, quæ definiuntur cognitionem, tamen non eſt principium cognitionis ex ſe, ſed quatenus eſt ſub forma, vnde potius, ac verius concauſa, quam cauſa cognitionis tunc venit appellanda.

Nec etiam poteſt dici, quod materia in definitione, &c.

Caietanus. CIrca quintam partem, in qua dicebatur, proprium eſſe accidentibus, vt per additamentum definiantur, notare potes ex Caiet. doctrina colligẽdo, quod proprium eſt accidentibus eo modo definiri, tamquam rebus completis in ſpecie, & in recta prædicamentali linea collocatis, quamquam enim & formæ partis, vt anima per aliud, quod ſit extra ſuam eſſentiam definitur, per corpus nimirum, vt eam definiebat Ariſtoteles 2. de anima 6. non tamen eſt quid completum in ſpecie, neque directam habet ſedem in cathegoria, ſed eſt pars ſubſtantiæ completæ, & per reductionem ponitur in genere, & dum per aliud definiuntur, id eis conuenit, quatenus ad accidentium naturam videntur accedere, in hoc ſcilicet, quod ſunt in alio, licet non velut accidentia in ſubiecto, ſed inſtar partium in toto; differt enim, aliquid eſſe in aliquo, vel tamquam accidens, vel tãquam pars, vt docebat Ariſtoteles ſecunda diuiſione anteprædicamentali, & vt late ſcribebat Alex. 1. lib. quæſtionum naturalium, cap. 8. & 26. Ex qua doctrina colligas, non ſibi contradicere Auctorem, quando in hac parte ait, eſſe proprium accidentibus, vt ex addito definiantur, & quando ſub initium ſeptimi cap. huiuſmet libri inquit, conuenire accidentia cum formis ſubſtantialibus, quod & formæ ipſæ ex addito definiantur, nam hoc loco loquitur de definitione entis in ſpecie completi, ibi vero de cuiuſuis entis definitione. Neque mireris, ſi dicamus accidentia eſſe entia in ſpecie completa, habent enim eſſentiam propriam terminatam, & integram, licet non ſint quid per ſe ſubſiſtens, ſed inhærens, vt perite docebat Capreolns in 2. d. 18. q. vnica ad primum eorum, quæ Aureolus ſecundo loco contra primam concluſionem obijciebat; Sed tractare de eſſentia accidentium, & quomodo in genere ponantur, iam diximus in ſeptimo cap. reſeruari. Non mireris ſimiliter, ſi negemus partes ſubſtantiarum, ſiue formas partium locari directe in genere, & hoc tribuamus accidentibus, quæ entia ſunt imperfectiora, vnde oppoſitum aliquis ſuſpicaretur dici debere; Sed vera docemus, quamquam enim partes ſubſtantiæ conueniunt in genere ſubſtantiæ, quod ab accidentibus abeſt, atque ex hac parte ſint quid dignius accidentibus, hoc tamen nihil refert ad hoc, vt quid in genere directe reponatur, in hoc enim eſſentiæ rationem habere oportet, diximus enim tertia parte huius capitis, vnumquodque in genere locari per eſſentiam ſuam, & quoniam partes non gaudent eſſentia cõpleta, ſecus non eſſent partes, accidentia autem completam habent eſſentiam, modo declarando, hinc fit, vt non directe in genere conſtituantur partes; Adde, quod neque eſſe exiſtentiæ potiuntur, quoniam ſeparatæ à toto non exiſtunt

Ariſtot. Alexander. D. Thom. Capreol. Eſſentia partis, qualis.

ſtunt vt partes, licet exiſtant vt quædam res, & cauſa eſt, quoniam pars relatione dicitur ad totum, quare dum non eſt in toto, non eſt pars, non exiſtit, relatiua enim ſunt ſimul; hinc docebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 35. partes non poſſe eſſe ſeparatas, non enim quicumque digitus animalis eſt, ſed æquiuocus, qui mortuus eſt, quod & apud eundem commode legere potes primo Politicorum cap. 2. & tamen tum genus, tum differentia ſumuntur ex vario ordine ad exiſtentiam, vt docebitur vltima quæſtione ad cap. ſextum. Demum, ſi partes proprie locarentur in genere, iam aliqua natura multipliciter locanda eſſet in genere, & ratione ſcilicet ſui, & ratione multarum partium, quod abſonum eſt, &c. Quid reſpiciat pars. Ariſtot.

Non etiam poteſt dici, quod eſſentia, &c.

Circa ſextam partem, vbi reijcitur, quod relatio inter materiam, & formam ſit eſſentia, dubium poſſet aliquem inuadere, quoniam relatio illa certe eſt accidens, quare ſi veluti forma, ita & materia debeat eſſe huius accidentis ſubiectum, oportet, vt ſit ens in actu, nam ſubiectum accidentis non habet ab accidente, quod ſit ſimpliciter, ſed prius eſt ſimpliciter in actu, quare apparebit, materiam prius fuiſſe quid in actu, quod eſt contra ea, quæ diximus, quando manifeſtabamus circa tertiam partem literæ, materiam non poſſe ex ſe cognoſci, & contra ea, quæ dicturi ſumus ſecunda quæſtione ad quintum caput. At facile aduerte, talem relationem, quæ eſt reale accidens, non ſequi materiam, ſed formam in materia, nullum enim accidens pro ſubiecto habet materiam, ſed ſolum ens in actu, & licet quædam accidentia dicantur ſequi materiam, id tamen accipiendum eſt, vt ſequantur compoſitum ratione materiæ, vt 7. cap. fuſius explicabo; ſed quo ad modum intelligendi videtur relatio illa intelligi inter materiam, & formam, ſed non eſt, niſi quando iam forma eſt in materia, tunc autem materia eſt ſub actu; Inter materiam vero, & formam abſolute, eſt relatio rationis, non enim materia, vel forma eſt in genere relationis, vt docebat Auctor ſuper 26. ſecundi phyſicorum, & quamuis ibi ab Ariſtotele materia dicatur eſſe eorum, quæ ſunt ad aliquid, explicat tamen Auctor, immo ſeipſum explicat Ariſtoteles, eatenus dici eſſe ad aliquid, quatenus alia ad aliam formam eſt accommodata, cuilibet namque formæ propria determinatur materia; Adde quod quando ait, aliam materiam ad aliam formam accommodari, iam loquitur de materia ſecunda, in qua magis elucet, quod relatiue dicatur ad formam, licet & materia prima ſemper reſpiciat eſſentialiter formam, vt actum, cum eſſentialiter ſit potentia, &c. Dubitatio. Solutio. D.Thom. Ariſtot.

Ita ruit, quod admotum fuit dubiolum, licet breuius quoque poſſet dici, quod talis relatio, quæ conſurgit inter materiam, & formam, fundata eſt in toto, in compoſito ſcilicet, ex qua deinde partes adinuicem referuntur.

Circa eandem partem, nota facillime Auctorem vt clarum reliquiſſe, quod per quoduis additum eſſentiæ ipſa non cognoſceretur, & iure, quoniam hic eſt ſermo non de quacumque cognitione, ſed de illa, merito cuius eſſentia vt ſic innoteſcit, quam conſtat debere eſſe quidditatiuam, ac proinde ex ſolis accidentibus non poſſibilem haberi, licet aliqua via accidentia ipſa ad eſſentiæ, aut ſubſtantiæ cognitionem iuuent, vt legimus apud Ariſtotelem primo de anima 11. & ibi adnotant omnes. Ariſtot.

Relinquitur ergo, quod nomen eſſentiæ in ſubſtantijs compoſitis, &c.

CIrca ſeptimam partem, vbi probatur materiam, & formam, vel ex ipſis compoſitum eſſe eſſentiam, quoniam eſſe ſubſtantiæ compoſitæ non eſt tantum materiæ, vel formæ, ſed compoſiti, licet tale eſſe ſit à ſola forma, tamquam à cauſa, videri poſſet, quomodo ſola forma ſit cauſa eſſe, ſed hoc cap. 5. manifeſtabitur, & quando quæſtione 2. videbimus, materiam non poſſe eſſe abſque forma, & dum quæſtione 6. aperiemus, quomodo eſſe differat ab eſſentia, ibi namque apparebit, à forma omne eſſe vere prouenire, & effectum illius eſſe, &c.

Requiſita ad corpus dulce.

Circa eandem partem, nota artificium Auctoris, cum enim ad corporis dulcis conſtitutionem requiratur, & vere concurrat caliditas, & humiditas, adſit & neceſſario liquor, in quem agit calor, volens probare, quod non ab altero horum ſolum dulcedo nomen, & naturam obtineat, ſed ab eo quod enumerata contineat, à ſapore videlicet, illud demonſtrauit ex eo quod non determinetur à calore, qui tamen principaliter, & potiſſime ibi concurrit, dum agit in humidum, illud digerendo, & bene ordinando, (nam ſi adeſſet ſolum caliditas, & ſiccitas, amaritudo proueniret, vt eſt ſententia Auerr. de Senſu. & Senſato,) vnde multo minus ex vlla alia parte ſeorſum poteſt determinari; Ex quo directe voluit haberi, quod eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum non ſit ſola forma, quamuis & ipſa cauſet eſſe, (veluti calor agens in humidum, cauſat dulcedinem,) ſed illud, quod vtrumque, formá ſcilicet, & materiam colligit, vnde per illud ſimile, nedum excluſit, quod forma tamquam pars nequeat eſſe eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum, ſed neque quod vt talis pars, vtpote principalis, & radix, atque cauſa eſſe, &c. Et hæc de annotationibus.

Auerroes.

QVÆSTIONES.

Qualis ſit prædicatio entis de ſubſtantia, & accidente.

CIRCA primam partem, in qua continetur prima comparatio ſubſtantiæ, & accidentis, quo ad eſſentiæ participationem, & definitur, quod ens primo dicitur de ſubſtantijs, & poſterius, ac ſecundum quid de accidentibus, adeſt quæſtio celeberrima de analogia entis; In cuius gratiam, ſeptem præcipue efficiam, primo ſenſum ipſius dilucidabo, ſecundo adducam opinionẽ, quam non credo veram cum firmioribus rationibus, tertio veram ſententiam in medium adferam, eandem declarando, quarto aperiam, quomodo ens de ſubſtantia, & accidente prædicetur, an ſcilicet tamquam quid ſuperius, & aliud dubium diluam, applicando ea de ente, quatenus reſpicit ſubſtantiam, & accidens, eidem, quatenus reſpicit Deum, & creaturas, quinto nonnulla dubia mouebo circa factam determinationem, ſexto opinionem quam ſequimur roborabo, cum impugnatione ſimul contrariæ, ſeptimo, & vltimo confutabo argumenta in ſecundo art. allegata, &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Senſus quæſtionis aperitur.

CVm tribus modis aliquid poſſit dici de ſuis inferioribus, & ſimiliter hæc inferiora tripliciter ſuperius illud reſpiciant, eiuſdem naturam participantia, vel ſcilicet ſecundum nomen, & eandem omnino rationem, vel ſecundum rationem aliquo modo eandem, & aliquo modo diuerſam, vel tertio ſecundum purum nomen, & nullam prorſus rationem, & prima prædicatio vocetur vniuoca, ſecunda analogica, tertia æquiuoca, vt patet ex Ariſtotele in antepredicamentis, quærimus in præſenti, qualis nam ſit prædicatio entis de ſubſtantia, & de accidente, (ſupponentes, quod vt quid ſuperius reſpicit illa, velut inferiora, quod patebit quarto art. quæſtionis,) & quomodo ſubſtantia, & accidens reſpiciant ens, ſi enim primo modo hæc illud reſpexerint, iam ens erit eis vniuocum, ſi ſecundo, analogum, ſi tertio, æquiuocum.

Aduerte itaque, quod de ſubſtantia, & accidente dupliciter loqui poſſumus; conſiderando ſcilicet ipſa bifariam, vel primo materialiter, vel deinde formaliter, hoc eſt veluti res quædam ſunt, priori acceptione, & poſteriori, vt entia ſunt, vt reſpiciunt ens ipſis ſuperius, primo modo de ipſis non eſt ſermo in hac parte, tum quoniam nullus vmquam dubitauit, accidens in eo quod accidens includere ſubſtantiam, & ab illa pendere, non autem e contra, tum quoniam vt ſic non adunantur in aliquo communi, non fundant aliquam ſimilitudinem, penes quam reſpiciant aliquid, quod de ipſis dicatur, ſicut neque homo, & leo materialiter, vt ſcilicet homo, & leo adunantur in animali, ſed quatenus animalia, quocirca & ſubſtantia, & accidens, in eo quod entia reſpiciunt ens, & de eis prædicatur, & ita quæritur, qua prædicatione. *Duplex ſubſtantiæ, & accidentis conſideratio.*

Aduerte etiam, quod non quæuis inæqualis participatio infert ſtatim veram analogiam, de qua loquimur, adeo vt ſit conſequens, ſubſtantia nobiliori modo eſt ens, quam accidens, ergo analogice dicitur ens de ipſis, hoc enim modo omnis vniuocatio auferretur, nã & homo nobiliori via participat eſſe animalis, quam faciat leo, quoniam ille rationis compos, iſte expers, & ita animal non foret ipſis vniuocum, quod eſt falſum, hoc etenim modo omne genus, vt ait Caiet. hoc loco, dicitur prius, & poſterius de ſuis ſpeciebus, quoniam perfectius eſſe neceſſario habet in vna ſpecie, quam in alia, & bene ait, neceſſario, quoniam non habet eſſe genus in ſpecie, niſi medijs differentijs, cum iſtæ diuidant genus, & conſtituant ſpeciem, quæ cum ita ſe habeant, quod vna ſemper comparatur ad aliam, vt perfectum ad imperfectum, & quaſi vt poſitiuum ad priuatiuum, immo eas contrarias vocabat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 42. neceſſario relinquitur, vt vna ſpecies ſit dignior altera, illa videlicet, quæ perfectiori differentia conſtituta fuerit; & ſi proprias rerum differentias teneremus, manifeſte conſpiceremus, per aliquid ſibi omnino proprium quamq; ſpeciem conſtitui, adeo vt numquam ſint duæ ſpecies in eodem gradu dignitatis, veluti diſcrimen varium, idemque manifeſtum in ſpeciebus animalium brutorum conuincit, at vltimas rerum differentias omnes prope ignoramus, vt dicetur ad finem quaſi 6. cap. huius libri. Non ergo prioritas, vel poſterioritas huius perfectionis aufert vniuocationem. Hinc dicebat Auerr. com. 2. duodecimi Diuinorum, priorita- *Caietan.* *Ariſtot.* *Auerroes.*

 tem

tem in eodem genere inueniri, & dabat exemplum de membris corporis, quæ ſunt in eodem genere, ſed cor antecedit ea, quare ſi hoc modo dumtaxat ens perfectiori modo eſſet in ſubſtantia, quam in accidente, profecto vniuoce de ipſis prædicaretur, neque eſſet, cur in hoc laboraremus, cum nullus ignoret, ſubſtantiam perfectius rationem entis hoc modo poſſidere; Illa ergo prioritas auferet vniuocationem, & ponet analogiam, ſecundum quam aliquid ſuperius, per prius dicitur de aliquo ſibi inferiori, quam de alio, hoc eſt de vno dicitur abſque ordine ad aliud, de altero autem, non niſi in ordine ad illud, quemadmodum ſanum analogice dicitur de animali, & de diæta, quoniam de illo abſque ordine ad hanc, de hac vero, non niſi in ordine ad illud, non enim denominaretur ſana diæta, niſi conſeruaret ſanitatem in animali, animal vero formaliter eſt ſanum, abſque vllo ordine ad diætam, vbi manifeſte apparet, non participare hæc duo eodem modo prædicatum illud, quod reſpiciunt, & in hoc vere poſita eſt vniuocatio, vel analogia, nimirum in æquali, vel inæquali participatione illius ſuperioris, quod ab aliquibus inferioribus reſpicitur, non autem in comparatione vnius inferioris ad aliud, ita homo, & leo vniuocantur in animali, quoniam æque ipſum animal reſpiciunt, ita enim eſt ſubſtantia animata ſenſibilis leo, atque homo, quamuis iſte comparatus illi, ſit dignius animal, merito dignioris differentiæ, per quam conſtituitur, at hoc non conuenit ſibi, vt animal, quoniam differentia illa non conuenit animali in ſua natura, ſed quatenus in inferioribus eſt diuiſum.

Vbi conſtituta ſit vniuocatio, & analogia.

Quando ergo aliqua adunantur in aliquo ſuperiori, non eſt ſpectanda eorum vel vniuocatio, vel analogia in ordine vnius ad alterum vt ſic, ſed in ordine amborum ad illud ſuperius, & merito, quoniam non dicuntur vniuocata, ſeu analogata vt ſic, ſed quatenus ſolum ſuperius illud participant: Hinc docebat Auctor ſub initium ferè lect. 8. primi Periherm. quod eorum, quæ diuidunt aliquod commune, vnum poteſt eſſe prius altero dupliciter, vel ſecundum propriam rationem, & naturam, vel ſecundum quod participat rationem illius communis diuiſi, ratione primi, non tollitur vniuocatio generis, vt patet in numeris, binarius enim eſt prior ternario, ſed tamen ita eſt numerus hic, atque ille, ratione vero ſecundi impeditur generis vniuocatio; & prima par. quæſt. 77. art. 4. ad primum dicebat, ſpecies alicuius generis ſe habere ſecundum prius, & poſterius, quantum ad eſſe, licet ſimul ſint, quatenus ſuſcipiunt prædicationem generis communis; & potes facile, ac breui colligere, quod prioritas, quæ inuenitur in ſpeciebus, aut eſt merito generis, aut merito differentiæ, ſi primo modo, tunc genus non erit illis vniuocum, ſi ſecundo, poterit eſſe vniuocum, &c. Non vertimus ergo in dubium, num ſubſtantia comparata accidenti, ſit præſtantius ens, ſed comparando ipſam, & accidens cum ente, num æquali, vel inæquali via ſuſcipiant eius prædicationem, & vnum dicatur ens, abſque ordine ad aliud, ſi enim æqualiter ens deſcendet ad vtrumque, erit ipſis vniuocum, ſin minus, erit vel analogum, vel æquiuocum.

D. Thom.

Quę prioritas in ſpeciebus ponat, & non ponat analogiam.

Obſerua vlterius, quod ſi de quacumque analogia, & proprie ſcilicet, & improprie accepta velimus loqui, triplex inuenitur, vt colligitur ex Auctore primo ſent. diſt. 19. q. 8. art. 2. ad primum, & vt aperte docet Caiet. tractatu de nominum analogia cap. 1. eſt enim primo loco analogia inæqualitatis, ſecundo attributionis, tertio proportionis. Inæqualitatis ea eſt, ſecundum quam aliqua communicant, tum in nomine, tum in ratione, quam nomen illud importat, ſed tamen illa ratio inæqualiter ab ipſis participatur, loquendo de inæqualitate perfectionis,

D. Thom. Caietan.

ſectionis, hoc eſt, perfectius in vno, quam in alio inuenitur, quæ analoga logicus vocat vniuoca, naturalis vero philoſophus, & diuinus, æquiuoca, & merito, cum enim ille conſideret intentiones, & in communi intentione huiuſcemodi conueniant, ea dicit vniuoca, iſti vero naturas conſiderantes, & aliam in vno, aliam in alio naturam videntes, (tot enim ſunt naturæ ordinem inter ſe habentes, quot ſunt ſpecies ſub illo communi contentæ,) ob hanc alietatem æquiuoca appellat, vt patet ex decimo Diuinorum 26. Hanc analogiam vocabat ibidem Auctor ſecundum eſſe tantum, quoniam analogata paria ſunt in ratione ſignificata per illud nomen commune, (ita nequit eſſe analogia rationis,) ſed non ſunt paria in eſſe illius rationis, quoniam perfectius habet eſſe in vno, quam in alio, ſed de hac non eſt quæſtio in præſenti, dictum enim eſt, fateri omnes, quod ens perfectius inueniatur in ſubſtantia, quam in accidente, & reuera hæc analoga ſunt vniuoca, iam enim diximus, prioritatem, ſeu perfectionem plurium ſub vno contentorum adinuicem non auferre vniuocationem, ideo dicebamus, nos extendere analogiæ vocem, ad quamcumque analogiam, quocumque modo acceptam; eatenus tamen dicuntur analoga, quoniam ſpectata inæqualitate illa imperfectionis, quæ cernitur in inferioribus, nomen illud commune dicitur de eiſdem per prius, & poſterius, at non eſt idem dici analogice, & dici per prius, ac poſterius, quoniam analogia eſt tamquam ſpecies huius, quod eſt dici per prius, ac poſterius, nam omnis analogia dicitur per prius, & poſterius, ſed non e contra, &c.

Quomodo ſe habeant dici analogice, & per prius, ac poſterius.

Analoga vero ſecundum attributionem, dicuntur eſſe illa, quibus eſt aliquod nomen commune, ratio vero talis nominis, & eadem eſt, & diuerſa, vt docebat Auctor 4. Diuin. circa text. 2. & Caiet. loco relato, cap. 2. eſt enim eadem ſecundum terminum, varia autem, vel diuerſa ſecundum diuerſas habitudines ad illum, ſanum quippe eſt nomen commune multis, animali ſcilicet, medicinæ, dietæ, & vrinæ, & ratio omnium iſtorum, quatenus ſana ſunt, dicit varias habitudines, (ecce rationem diuerſam) ad vnum, & eundem terminum, animal ſcilicet, ecce rationem eandem; omnia ſiquidem reſpiciunt animal, (ecce identitatem termini,) at diuerſimode, (ecce habitudines varias,) quoniam medicina, vt effectrix, dieta, vt conſeruatrix, vrina, vt indicatrix; Et quoniam in analogis iſtis nomen non eſt commune ſecundum eſſe formaliter, quoniam in primo dumtaxat intrinſece inuenitur, in reliquis vero extrinſece, & denominatiue, vt videbimus, ſed eſt commune tantum ſecundum intentionem, ſiue denominationem, licet enim omnia non ſint ſana, denominantur tamen omnia ſana, ideo iure ea vocabat Auctor illa diſtinctione citata, analoga ſecundum intentionem tantum, & non ſecundum eſſe, ſi enim non conueniunt in eſſe, nequit ratione huius inter ipſa adeſſe analogia, quoniam autem conueniunt in intentione; ſed diuerſimode, vt patuit, ideo ſecundum intentionem eſt in ipſis analogia, non tamen proprie omnino dicta, quoniam proprie dicuntur ab vno, vel ad vnum à viris doctis, & ſic eã vocabat Ariſtoteles quarto Diuinorum 2. & ſeptimo eorundem 15. & primo Ethic. cap. 6. Congrue tamen in hoc ſenſu poſſunt analoga dici, veluti à viris grauiſſimis dicuntur, ratione variarum habitudinum, quas important, & nomen proportionis ad quamcumque habitudinem extenditur.

D.Thom. Caiet.

Analoga attributionis, quomodo propriè vocentur.

Ariſtot.

Analoga demum proportionis, ea eſſe dicuntur, quæ nomen, & rationem quoque ſecundum illud nomen ſimilem ſecundum proportionem habent, nomine proportionis accipiendo, non proportionem ſtricte mathematicam, quæ eſt certa habitudo vnius quantitatis ad aliam, ſed quamcumque conformitatis habitudinem,

dinem, quo modo ſunt analoga viſus, & intellectus, vt vtar exemplo Ariſtotelis primo Ethic. cap. illo 6. quoniam ita rem præſentem facit intellectus animæ, vt viſus corpori animato, & hæc vere, ac proprie ſunt analoga, tũ dignitate, tum nomine, vt cap. 3. tractatus illius annotabat Caiet. Dignitate quidem, quoniam fit ſecũdum genus cauſæ formalis vtrique inhærentis, in illa autem attributionis, in primo ſolum formaliter inuenitur, de analogia primo modo non eſt vt habeatur ratio, licet maxime formaliter ſit in vtroque, quoniam reuera eſt vniuocatio, vt dicebamus: Nomine autem, quoniam hæc tantum ait ibi Caiet. dici analoga à Græcis, à quibus nomẽ analogiæ hauſimus, immo Græci condiſtinguũt ea, quæ analoga ſunt ſecundum proportionem, ab his, quæ dicuntur ab vno, vel ad vnum, vt eſt videre in Ammonio, & Simplicio, dum in anteprædicamentis explicãt æquiuocorum definitionem, & Alexan. in expoſitione 12. quinti Diuinorum, pro eodem ſumit analogiam, & proportionem, quin vnũ per aliud explicat, vt eſt videre prope finẽ illius comm. ſed vnus ſufficiat Ariſtoteles, qui pro eodem accipit nomen analogiæ, & proportionis, vt patet eodem 5. Diu. & eodem tex. & ſemper ea, quæ nos ſecundum proportionem dicimus, analoga ipſe vocat, vt pluribus in locis diuinæ philoſophiæ patet, vt 4. lib. tex. 2. quinto, tex. 11. ſeptimo, tex. 15. duodecimo, tex. 16. & 22. & ſecundo Poſter. cap. 16. Et loco memorato primi Ethic. nedum hæc analoga vocat, ſed & diſtinguit contra ea, quæ ab vno dicuntur, innuens hæc dũtaxat vere eſſe analoga; ideo ſumma ratione ab Auctore primo illo ſent. ibidem vocantur analoga, & ſecundũ eſſe, & ſecundum intentionem, hæc enim neque paria ſunt in ratione nominis communis, neque in eſſe illius rationis, & tamen, tum in ratione, tum in eſſe eiuſdem conueniunt proportionaliter, vt patet in viſu, dicto de oculo in corpore, & de intellectu in anima; In præſenti de vtraque analogia 2. ſcilicet & 3. modo dicta inueſtigamus, priori ſilentio penitus inuoluta.

Ammon. Simplic. Alexand. Ariſtot. D. Thom.

Colliguntur quę dicta sũt

Eſt ergo ſenſus quæſiti, num ſubſtantia, & accidens, non materialiter, ſed formaliter, quatenus entia, non adinuicẽ cõparata, ſed relatione ad ens, contineantur ſub illo æqualiter, non quo ad perfectionem, ſed quo ad rationem recipiẽdi prædicationem entis, adeo vt alterum non ſit ens, niſi in ordine ad alterum, ſint inquã vniuocata entis, an potius analogata, vel attributionis, vel proportionis, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Adferuntur minus veræ ſententiæ, cum earum rationibus.

Sententia. Rabbi Moyſis. Aureoli. Scoti.

NOn defuerunt, qui cogitarint ens eſſe pure æquiuocum, tũ ad Deum, & creaturas, tum ad ſubſtantiam, & accidens, alij autem ad aliud extremum declinantes, docuerunt eſſe vniuocum reſpectu vtriuſque, Et primũ quidem quo ad æquiuocationem cenſuit Rabbi Moyſes, prout ſcribit Auctor q. 7. de Potẽtia Dei art. 7; dicens, hoc colligi ex eius dictis, alterum vero ſuaſum ſibi voluit Aureolus, vt eſt videre apud Capreolum in primo diſt. 2. q. prima ſub initium 2. art. illius quæſtionis; Vniuocationẽ vero docuit ſubtilis Doctor Scotus in primo, diſt. 3. q. 2. & diſt. ſexta q. 3. & innumera ferè argumenta habes ibidem in Capreolo, tum pro opinione Aureoli, tum pro illa Scoti, adeo vt pro Aureolo 13. argumenta adducat, & ſoluat, pro Scoto autem 25. primo, deinde alia 11. & mox alia 7. adferat, & confutet, non recenſet autem Rabbi illũ Capreolus, ea forſan ratione, quoniã

Capreolus.

nullum

nullum eius adfit argumentum, quo poſitionem ſuam probarit, quarè ipſum & nos miſſum faciemus, & eo vel maxime, quod de ente in ordine ad ſubſtantiam, & accidens eſt quæſtio noſtra, non autem de ente relatione ad Deum, & creaturas, licet & de hoc quædam ſimus dicturi. Argumenta vero pro confirmatione æquiuocationis, & vniuocationis poteris, ſi placebit videre apud Capreolum, & apud quoque Dominicum à Flandria, qui quæſtione 2. quarti Diuinorum art. 3. 33. argumenta pro entis vniuocatione adfert, & bene diluit; Nos pauca dumtaxat adducemus, & ea, quæ firmiora iudicauimus, cum potiſſimum ex iſtorum ſolutione, & veritatis deciſione, ad omnia alia ferè patere debeat reſponſio. Flandrẽſis.

Sit primum argumentũ pro entis æquiuocatione; Sumatur ratio illa entis vna, quam tribuimus enti, vt ens, vel eſt prorſus eadem cum rationibus entium particularium ſub ipſo contentorum, vel alia, ſi prorſus eadem, ergo omnia entia ſunt eadem inter ſe, quoniam ſunt eadem vni tertio, & quæ vni tertio ſunt eadem, inter ſe quoque ſunt eadem, ſi alia, hoc non erit, niſi quia rationes particularium entium rationi illi facient additionem, ſed enti non poteſt addi ens, quoniam idem non additur ſibijpſi, & certe quod additur rationi entis, vt ens eſt, nequit eſſe eſſentialiter ens. Argumenta pro entis æquiuocatione.

Secundo, Si fuerint aliquæ differentiæ diuidentes aliquem conceptum, & non poſſit dari aliquid, quin ſit vel vna, vel altera differentia, cõceptus profecto diuiſus nullam ex ſe habet rationem, quæ ſit vna, veluti e contra, quando conceptus includit aliquam vnam rationem, illa eſt indifferens differentijs diuiſiuis, & eſt media per abnegationem ipſarum, vt patet de ratione animalis, quæ diuiditur per rationale, & irrationale, & neutrum eſt iſtorum, ſed ita eſt quod conceptus entis diuiditur per abſolutum, & reſpectiuum, & non eſt dare aliquod medium, (nam omne ens, vel eſt ad ſe, vel ad aliud,) ergo vel eſt vna differẽtia diuidens, vel altera, ergo nõ habet ens ex ſe vnam rationem. Et potes breui dicere ſic; Nullus cõceptus diuiſus per aliquas differentias, ſi vnam rationem dicat, incidit aliquam illarum, ſed conceptus entis diuiditur per abſolutum, & reſpectiuum, & neceſſario eſt aliquid iſtorum, ergo non dicit vnam rationem, &c.

Tertio, Si ens dicat vnum conceptum, videtur deſtrui tota determinatio præcedentis quæſtionis, tunc enim prædicamenta non erunt primo diuerſa, quoniam in hac vna entis ratione conuenient, tunc non ſignificabuntur immediate per ens, ſed media tali ratione vna, ita enim nos ibi arguebamus, & ex Ariſtotele, Alex. Auerr. & alijs, hæc abſurditatem continere demonſtrabamus.

Quarto, & vltimo, Sic docuit Porphyr. cap. de Specie ad aures Ariſtotelis, ens eſſe æquiuocum, ſic idem Ariſtoteles 5. Diu. 17. ſic Ammonius exponens æquiuocorum definitionem loco ſuo dicebat, ens eſſe prædicamentis æquiuocum, ſic Simplicius in principio expoſitionis circa vniuocorum definitionem ait, ens decem prædicamentis æquiuoce ineſſe videtur; ſic poſtremo Alexander circa 14. 5. Diuinorum. Porphyr. Ariſtot. Simplic. Alexander.

At vero pro vniuocatione ſit primum argumentum illud peruulgatum, & à Scoto vtroque illo loco allatum, & diſt. illa 8. maxime exaggeratum, & plurimum continuatum, quod nimirum idem conceptus nequit eſſe dubius, & certus, alioquin contradictoria eidem ineſſent, ſed conceptus entis eſt certus, conceptus vero ſubſtantiæ, & accidentis; ſimiliter Dei, & creaturæ eſt incertus, nam multi nouerunt, aliquod eſſe ens, & dubitarunt, finitum ne, an infinitum eſſet, ſimiliter eſſet ne ſubſtantia, an accidens, ergo hi conceptus ſunt alij, ſi alius ille entis, ergo vniuocus. Rationes pro entis vniuocatione.

Secun-

Secundo, Si ens non ſit vniuocum ſubſtantiæ,& accidenti, Deo, & creaturis, ergo nec Deus per creaturas, nec ſubſtantia à nobis erit naturaliter cognoſcibilis, vtrumque autem eſt abſurdum,& primum quoque cum ſacra doctrina pugnat, ergo, &c. patet conſequentia, & quo ad primum, quoniam vna res non cognoſcitur per aliam, niſi contineatur in ea, aut formaliter, ratione alicuius conceptus vtrique communis, aut eminenter, & in virtute, Deus autem non continetur virtute in creaturis, ſed verſa vice creaturæ in Deo continentur, quoniam imperfectiora hoc modo continentur in perfectioribus, non e contra, quare ſi non contineatur formaliter, ſaltem quo ad conceptum entis, numquam cognoſcetur Deus per creaturas, & hac eadem ratione poteſt probari quo ad ſecundum, ad hoc enim propoſitum quo modo ſe habent creaturæ ad Deum, eo ſe habent accidentia ad ſubſtantiã, deinde nequit à nobis ſubſtantia per propriam ſpeciem cognoſci, ſed per ſpeciem accidentis, at ſi ens non fuerit eis vniuocũ, non poterit ab accidente abſtrahi conceptus, qui ſubſtantiam quidditatiue repræſentet, Quod ſubſtantia non cognoſcatur à nobis per propriam ſpeciem, probant, quoniam tunc eius abſentia à nobis naturaliter agnoſceretur; tunc enim non immutaremur à ſubſtantia, & talis immutatio, aut immutationis ceſſatio agnoſceretur, quod tamen non eſt verum, vt patet in Hoſtia conſecrata, ibi enim abeſt ſubſtantia panis, quod tamen naturaliter non dignoſcitur, &c.

Tertio, Iam docuimus ex Auctore, & Auicenna quæſtione prima ſuper procemium, ens illud eſſe, quod primo imprimitur in noſtro intellectu, ergo oportet, quod ſit maxime vnum, & ex conſequenti vniuocum, probatur conſequentia, quoniam primum in quolibet genere maxima gaudet vnitate, & da oppoſitum, ergo numquam primo imprimetur in intellectu, quoniam id primo intelligit intellectus, quod eſt facilioris intellectionis, nulli autem dubium eſt, quin facilius ſit vnum, quam plura intelligere; Confirmatur hæc ratio, quoniam vna potentia debet obiectũ habere vnum, diſtinguuntur namq. potentiæ per obiecta ex ſecundo de anima 33. cum ergo ens ſit obiectum intellectus apud nos, & intellectus ſit potentia maxime vna, oportet, quod & ens pari vnitate gaudeat; Confirmatur adhuc, quoniam eadem ratione, vnius ſcientiæ vnum oportet eſſe obiectum, ſed metaphyſicæ, quæ eſt vna ſcientia aſſignatur ens, qua ens pro obiecto, quare, &c.

Quarto, Subſtantia eſt maxime vna, ergo multo magis ens debet eſſe vnum, antecedens eſt clarum, & probatur conſequentia, quoniam prima paſſio verius, & prius ineſt primo ſubiecto ſuo, quam alijs, immo per hoc ineſt illis, ex primo Poſter. cap. 4. ſed vnum eſt paſſio entis 4. Diuinor. 3. ergo maxime debet ſibi ineſſe, maxime vero erit vnum, ſi ponatur vniuocum, &c. Confirmatur, quia ſi non ſit vnitas in ente, ſed multipliciter dicatur, oportet & primo omnium principium complexum, & quamlibet propoſitioné diſtingui, patet illatio, quoniam & in illo primo principio, ſiue propoſitione, & in omni alia clauditur ens, & omnis propoſitio non dicens vnam rationem, ſed ambigua manens, prius eſt diſtinguenda, vt habetur ex primo Elenchorum cap. 6. abſurda autem ſunt hæc, quare &c. Confirmatur vlterius, nam hæ propoſitiones, Deus eſt ens, Subſtantia eſt ens, aut ſunt naturales, aut artificioſæ, hoc eſt, in ipſis aut idem dicitur de ſeipſo, aut aliud, non primum, ergo ſecundum, ergo ens aliud importat à conceptibus inferiorum, &c.

Ariſtot.

Quinto, & vltimo, Hoc videtur voluiſſe Ariſt. qui 2. Diuinor. 4. dicens vnumquodque maxime ipſum aliorum dici, ſecundum quod alijs ineſt vniuocatio, arguebat

guebat, cauſam vniuocam veritatis cæterorum omnium, eſſe maxime verum, &c. mox ſubdidit, vnumquodque ſicut ſe habet ad ens, ita & ad veritatem, quare vult ens eſſe vniuocum; Idipſum videtur ſenſiſſe Auicennas, qui primo ſuæ metaphyſicæ cap. 2. dicit, ſubſtantiam, & quantitatem, & alia prædicamenta habere communem intentionem entis, ſeu eſſendi, & cap. 5. facit argumentum, quod primo loco pro Scoto adductum eſt, de conceptu ſcilicet certo, & dubio. Auctor quoque in primis verbis expoſitionis tex. ſeptimi vndecimi Diuinor. ait cum Ariſtotele ibidem, quod ens, & vnum æqualiter dicuntur, ſi æqualiter, ergo certe vniuoce, &c. Auicenna. D. Thom. Ariſtot.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vera ſententia adducitur, & declaratur.

OPinio media, quam mille locis docet Ariſtoteles, quem Græci omnes, Auerroes, Auctor, & nobiliores omnes Latini ſequuntur, quod nimirum ens, neque æquiuoce, neque vniuoce, ſed analogice dicatur de ſubſtantia, & de accidente, à nobis, & docenda, & declaranda, & comprobanda venit; Dixi hanc eſſe opinionem Ariſtotelis, quoniam ipſam manifeſte quo ad omnes partes pluries, vt videbimus docuit, vt iure dixerit Sotus in Antepredicamentis quæſtione prima, hanc opinionem eſſe expreſſam Ariſtotelis, nec ſanctum Thomam addere verbum, ad verba Ariſtotelis. Sotus.

Pono igitur concluſionem trimembrem, quæ totam hanc materiam abſoluat: Ens neque æquiuoce, neque vniuoce, ſed analogice dicitur de ſubſtantia, & de accidente. Trimembris concluſio.

Pro huius concluſionis notitia aduerto primo, me iam ſupponere diſcrimen, quod inuenitur inter vniuoca, æquiuoca, & analoga, tum quoniam cap. de Antepredicamẽtis, omnibus id peruium fuit, ibi enim ſub æquiuocis, analoga comprehendit Ariſtoteles, vt enim omnes prope expoſitores, & præcipue Græci ibi docent, in duplici differentia ſunt æquiuoca, quædam à caſu, vel à fortuna, & quædam à conſilio, & ſub his à conſilio clauduntur analoga; tum quoniam neminem credo accedentem ad perdifficilem de entis analogia quæſtionem luſtrandam, qui primo dialecticam non viderit, & ex conſequenti horum trium naturam non calleat, tum demum, quoniam hoc primis verbis huius quæſtionis innuimus. Quare & illud erit aduertendum, me has voces, vniuocum ſcilicet, æquiuocum, & analogum accipere in germana, & expreſſa ſignificatione, vt nimirum, vnum contra aliud diſtinguitur. Hæc dixerim, quoniam aliquando analoga ſolent appellari & vniuoca, ſi comparentur æquiuocis, & æquiuoca, ſi ad vniuoca referantur, ſi namq. attendatur vnitas proportionalis, quam important, videntur affinia eſſe vniuocis, & ſic aliquando nomen vniuocorum obtinent, ſin ſpectetur diuerſitas ſimpliciter, quam ſignificant, cum æquiuocis apparet conuenire, & ipſorum vocem ſortiuntur; cum enim mediam ſedem teneant inter æquiuoca, & vniuoca, alterius extremi nomen quandoque ſubeunt, dum cum altero conferuntur. Duplicis generis æquiuoca.

Quibus breuiter, ac facile præmiſſis, prima pars concluſionis eſt illuſtrior, quam vt probatione egeat; conuincunt enim argumenta pro Scoti opinione adducta, vt aliqua maior inter ſubſtantiam, & accidens ſit aſſignanda conuenien- Probatur prior pars.

tia, quam ſit ea vocis, aut nominis, & præſertim prima confirmatio quarti argumenti, ſiquidem ſi in ſola voce conuenirent, nihil omnino ſciri poſſet de ſubſtantia per ipſum accidens, neque è contra, veluti ex canis notitia, quatenus eſt ſydus, nihil poteſt ſciri de cane latrabili, eo quod in ſolo nomine conueniant. Rurſus, dicendo hoc eſt ens, & hoc non eſt ens, nulla foret contradictio, vt dicendo canis lucet, & canis non lucet, nulla eſt contradictio, quoniam ad diuerſa omnino refertur affirmatio, & negatio; Tandem, ſi ens ſubſtantiæ, & accidenti commune ſit ſolum communitate vocis, non poſſet vtrumque ſub vna ſcientia cadere, æquiuoca enim ad vnam ſcientiam nequeunt attinere, vt colligitur ex Ariſtotele 4. Diuin. 3. & vt idem apertiſſime arguebat in principio 3. cap. lib. 11. eorundem, vnde ibidem dicebat, ens non dici æquiuoce, quod ipſum quarto eiuſdem ſcientiæ ſecundo docuerat. Neque argumēta pro Aureolo adducta probant, quod in nullo omnino conueniant ſubſtantia, & accidens, ſed ſolum, quod in nullo conceptu ab inferioribus ſimpliciter præciſo, & ab eiſdem omnino abſtrahibili, vt vltimo artic. quæſtionis planum fiet, &c.

Ariſtot.

Pro intelligentia ſecundæ partis concluſionis, quæ ait, ens non dici vniuoce, hæc melius intelligetur poſt explicationē tertiæ partis, qua dicitur, ipſis eſſe analogum, vbi enim innotuerit eius analogia, neceſſario colligetur, non dici vniuoce; Et quoniam vtraque analogia, & attributionis ſcilicet, & proportionis ens analogum eſt ſubſtantiæ, & accidenti, ideo vtraque explicanda eſt.

In quo conueniant, & in quibus differant analogia attributionis, & proportionis.

Hinc obſerua primo, quod conueniunt in vno hæ analogiæ, ſed pluribus differunt; Conueniunt quippe, quoniam ea quæ ſecundum vtramque analogata ſunt, habent rationem ſecundum quid eandem, & ſecundum quid diuerſam; Differunt autem primo, quoniam illa attributionis, ex eo habent rationem partim eandem, & partim diuerſam, quoniam analogum illud abſque vlla additione dicitur de primo, de alijs vero, non niſi per ordinem ad primum, vt exemplo de ſano manifeſtabam in explicatione tituli; Illa vero proportionis non ob hanc cauſam aliquo modo conueniunt in ratione, & aliquo modo differunt, ſed eadem eſt in ipſis ratio, ob identitatem proportionis, quæ eſt in ipſis, & ſecundum quid diuerſa, propter diuerſitatem rerum, quæ fundant analogiam, vt gratia exempli, cor, & fundamentum analogantur in nomine principij, ſic habent nomen commune, nam vtrumque dicitur principium, & rationem ſecundum principij nomen eandem hoc modo, quoniam cor ita ſe habet ad animal, veluti fundamentum ad parietem, in ratione nimirum baſis, & principij, diuerſam autem, quoniam cum illa nominis vnitate, & proportionis identitate, ſaluatur diuerſitas naturarum, alia namq. res eſt cor, alia fundamentum.

Differunt ſecundo, quoniam analogia per attributionem attēditur tantum ſecundum denominationem extrinſecam, quoniam primum dumtaxat formaliter eſt tale, reliqua vero dicuntur talia ab extrinſeca denominatione, vt eodē exemplo de ſano clare eſt videre, vbi animal tantum dicitur formaliter ſanum, reliqua vero extrinſece ſolum; Illa vero proportionis vtrique, vel omnibus formaliter ineſt, vt elucere poteſt in exemplo allato, nam tum cor, tum fundamentum formaliter dicuntur principium, & ratio principij vtriq. formaliter ineſt, & neutrum dicitur tale, per hoc, quod aliud reſpiciat, remota enim proportione cordis in animali, ad fundamentum in pariete, adhuc erit æque formaliter principium in animali, quod nequit dici de medicina, ſi remoueatur animal, ad quod habet attributionem, quod ſanè innuimus, dum in calce explicationis tituli verſaremur, dicentes analogiam proportionis dignitate præſtare illi attributionis.

Scias

Scias tamen, quod illud in analogia attributionis primum, quod alia reſpiciunt, & gratia cuius reliqua analogicam ſubeunt denominationem, ſi particulariter loquamur, eſt vnum numero, & ratione, hæc enim medicina, & hæc dieta dicuntur ſana, ſanitate illa inuenta in hoc animali, quam conſtat eſſe vnam numero vere, & poſitiue, eſt enim vna qualitas, & forma, ſin vero vniuerſaliter loquamur, illud vnum quod reſpiciunt, eſt vnum numero negatiue, hoc eſt non numeratur in illis analogatis, ſi enim ſumatur animal ſanum in communi, & medicina ſana in communi, ſanitas à qua hæc dicuntur ſana, non eſt vna numero in ſe; ſi namque effectus ſunt vniuerſales, & cauſas eſſe oportet vniuerſales, 2. phyſ. 38. at effectus illi, quod ſcilicet ea dicantur ſana, ſunt vniuerſales, hoc eſt vniuerſaliter ſumuntur, ergo & ſanitas horum cauſa eſt quoddam vniuerſale, & non eſt hæc forma, vel qualitas ſignabilis, cum in communi accipiatur; eſt autem vnum quid numero negatiue, quoniam non numeratur ſanitas in animali, in medicina, in dieta, quaſi alia ſit vnius, alia alterius ſanitas, ſed vnica eſt in animali; & hoc ſequitur ex ijs, quæ dicta ſunt, quoniam commune ſecundum denominationem extrinſecam, non numerat id à quo ſumitur denominatio in ijs, quæ relatione ad ipſum denominantur, ſi enim numeraret, & aliam in hoc, aliam in illo poneret qualitatem, iam in omnibus qualitas illa formaliter eſſet, & hæc vnitas numerica negatiue conuenit ſemper analogis per attributionem, ſed quando particulariter ſumuntur, vltra hoc, habent & vnitatem termini numericam poſitiue, &c. Qua vnitate ſit vnum, primum in analogia attributionis.

Differunt tertio, quoniam in illa attributionis, primum analogatum ponitur in definitione aliorum, non enim patefacies medicinam, in eo quod ſana, niſi in tali manifeſtatione poſueris animal, quoniam eatenus dicitur ſana, quatenus eſt effectrix ſanitatis in animali; Dico primum, non dico alterum, quoniam inter alia à primo, vnum non ponitur in alterius definitione, & ratio clara eſt, quoniam in alijs à primo, vnum non dicitur tale per aliud, ſed omnia talia dicuntur merito primi; In analogia autem proportionis, non ſolum non ponitur primum in definitione alterius, (primum quippe in his locum non habet,) ſed neque alterum ponitur in definitione alterius, nam in definitione cordis, quatenus eſt principium animalis, non pones fundamentum, quatenus eſt principium domus, neque e contra, &c.

Obſerua ſecũdo, quod analogia attributionis duplex eſt, vt docet Auctor pri. par. quæſt. 13. artic. 5. quædam enim eſt duorum ad tertium, vel multorum ad vnum, nomine duorum, & multorum intelligendo omnia analogata ſecundaria; nomine tertij, & vnius accipiendo illud, quod omnia reſpiciunt, quo modo medicina, & dieta ſunt analogata in ſano, quatenus nimirum vtraque reſpicit animal, tanquam tertium; quædam vero eſt vnius ad alterum, nomine vnius, accipiendo omnia minus principalia analogata, nomine alterius, ipſum principale analogatum, quo pacto ſanum analogice dicitur de medicina, & de animali; differenter autem ſuſcipitur analogum nomen, quando ex vna parte ponitur primum analogatum, & ex alia cætera analogata, & quando eorum, quæ ſecundario ſunt analogata, vnum ex vna, & aliud ex alia parte locatur, primo namque, & reliquis ita commune eſt analogum, quod nihil rei ponit prius illis, alioquin iam primum non foret primum, ſed vocem ſolam, ſecundis vero, ita eſt commune, vt ipſis aliquid prius ponat, primum videlicet, vt facile patet; prima vocatur duorum ad tertium, quoniam inter illa duo, alterum non reſpicit alterum, ſed ambo aliud ab ipſis; ſecunda dicitur vnius ad alterum, Quotuplex Analogia attributionis. D. Thom.

quoniam vnum vere reſpicit aliud, & non datur mutua conuerſio, & hæ nõ ſunt aliæ analogiæ ab illa attributionis,ſed ſunt duo ipſius modi, quoniam vt dicebam,duplici via fieri poteſt.

His conſtitutis, dico ens eſſe analogum ſubſtantiæ, & accidenti vtraque analogia, & proportionis ſcilicet,& attributionis, & primam haud difficile eſt ſuadere, eſt namque manifeſtum,quod ſicut ſe habet ſubſtantia ad eſſe ſuum, ſcilicet eſſe in ſe, ita proportionaliter, & accidens ad ſuum, in alio ſcilicet eſſe, & eſſe ens,vel ſe ad eſſe habere, dicitur de ipſis proportionaliter. Alteram vero, in qua ſtat tota difficultas, & quam præcipue hac quæſtione intendimus declarantes, (eius enim probatio ſexta parte quæſtionis reſeruatur,) dicimus,quod ſubſtantia, & accidens ſunt analogata entis, non analogia duorum ad tertium,quoniam nihil datur præter ipſa, ſi vero ſumantur accidentia quædam inter ſe, vt pote quantitas, & qualitas, ſic ſunt analogata analogia duorum ad tertium,ſubſtantiam ſcilicet, cum omnia accidentia dicantur entia, quia entis,vt patebit in probatione huius ſententiæ, &c.

Aduerte tamen, quod aliud eſt loqui de ente creato præciſe, quod partitur in decem prædicamenta, & aliud eſt loqui de toto ente,tum increato, tum creato, quod nimirum diuiditur in Deum, & creaturas, nam loquentes de ente creato, analogia ipſius entis ad ſubſtantiam, & accidens eſt vnius ad alterum, quoniam in tali ente nil aliud eſt,ad quod ſubſtantia, & accidens referantur,loquentes autem de ente, quod dicitur de Deo, & rebus creatis, ſic analogia ſubſtantiæ,& accidentis, eſt duorum ad tertium, quoniam vtrumque refertur ad aliquod ens ſuperius, & prius vtroque, quod eſt ens increatum, Deus ſcilicet opt. max. Ita varia loca Auctoris intellige, vbi docet analogiam ſubſtantiæ,& accidentis eſſe duorum ad tertium, & eſſe vnius ad alterum, primum explica de ente,quod dicitur de Deo, & creaturis, alterum accipe de ente,quod diuiditur in decem cathegorias; Et quoniam de hoc nos loquimur, iccirco abſolute pronunciamus, analogiam entis eſſe huius ad alterum, non duorum ad tertium.

Qualis ſit analogia entis creati ad ſubſtantiam, & accidens.

Senſus verborum D. Thomæ varijs in locis.

Rurſus aduerte, quod dicimus ens eſſe analogum in ordine ad ſubſtantiam, & accidens, non autem in ordine ad omnia,quæ deinde entia ſunt,nam erit vniuocum omnibus his, quæ in quauis natura vniuoca conuenient, & indiuiduis ſcilicet eiuſdem ſpeciei,& ſpeciebus eiuſdem generis, ſicut nomen canis,licet ſit æquiuocum ſyderi,& piſci,canis tamen ſecundo modo dictus,vniuoce dicitur de omnibus piſcibus illis, qui dicuntur canes, nil enim prohibet, aliquod in ordine ad aliqua eſſe æquiuocum, & comparatum alijs, eſſe vniuocum, vt late docebat Simplicius circa d finitionem vniuocorum, id multis exemplis manifeſtans. Quare ens quod dicitur de corporibus, quatenus ſcilicet ſignificat genus ferè ſupremum, (nam ſupra ipſum adeſt ſola ſubſtantia) vniuoce dicetur de omnibus,quæ in genere corporis inueniuntur; Ita inquam dicemus, ſi ſequamur id quod docet Fonſeca q. 2. ſuper cap. ſecundum quarti Diuinorum,ſectione quinta,quæ doctrina non eſt forſan omnino improbabilis; Quod ſi quis obijciat, rationem talis entis, puta corporis, vel ſubſtantiæ, non eſſe rationem ſecundum nomen entis in communi, ſed ſecundum nomen huius, vel illius entis particularis, reſpondet ingenioſe, quod in his, quæ ſignificant immediate plures naturas, cuiuſmodi ſunt & analoga, & pure æquiuoca, rationes omnium immediate ſignificatorum ſunt ſecundum commune nomen; Licet autem hæc vera ſint, probabilius tamen iudico, ens qua ens in communi acceptum, de omnibus dici analogice, & certe, quod omnes ſubſtantiæ dicantur entia eodem modo, quod ſimili-

Simplic.

Doctrina Fõſecæ aliquo pacto probabilis.

Oppoſitũ probabilius.

ſimiliter omnia corpora, id non arguit, vt ens, qua ens dicatur de ipſis vniuoce, ſed quod ſubſtantia, quod corpus, quæ ſunt non ens, vt ſic, ſed hoc, & illud ens, neque obſtat, quod ſignificata analogorum ſint ſecundum nomen commune, hoc enim probat, quod ſint ſecundum partiale nomen entis communis, non ſecundum totale, alias per ſubſtantiam, & corpus euacuaretur totius entis natura, & omne ens eſſet, aut ſubſtantia, aut corpus, quare ſemper concedam, rationem alicuius entis particularis vniuoce de quibuſdam ſuis inferioribus dici, non autem vmquam ex animo dabo, rationem entis in communi. Adde, quod ſignificatum illorum immediatum non eſt ens, vt ens, ſed tale ens, puta ſubſtantia, vel corpus, non enim continentur ſub ipſo quatenus ens, tunc enim ſub omni ente continerentur, at vt hoc, & illud ens eſt, &c. Denique ſignificatum immediatum entis creati eſt ſubſtantia, & accidens, & in ordine ad hæc dicitur analogice, ergo ens, vt ens analogice dicitur, quod ſi deinceps aliquid horum ab ente immediate ſignificatorum de nonnullis dicatur vniuoce, id certe non conuenit ſibi, vt ens, ſed vt tale ens, ſicut ei immediate conuenit eſſe partiale ſignificatum entis, non autem totale, immo hoc numquam ei accommodabitur, neque mediate, neque immediate, &c.

Analogice ergo dicitur ens, qua ens de ſubſtantia, & accidente, analogia vnius ad alterum, accidentis ſcilicet ad ſubſtantiam, & prius dicitur ratio entis de ſubſtantia, quam de accidente. Duo ſiquidem exiguntur ad hoc, vt aliquid prius dicatur de vno, alterum eſt, quod ratio illa formalis importata ſaluetur in ipſo formaliter, alterum, quod illa met ſit prior, & cauſa reliquorum, vt ſcite docebat Caiet. p.p.q.15. art.6. illud ex Auctore ibidem hauriens, & ex primo con. Caietan.
Gent. 34. Neutrum autem ex ſe ſolo ſufficit; In homine quippe adeſt primum, D. Thom.
quoniam in ipſo eſt ratio boni formaliter, non tamen hæc ratio boni prius dicitur de homine, quam de alijs, quoniam deficit ſecundum, non enim bonitas eſt vel prior in homine, vel cauſa bonitatis in alijs; E contra, in medicina adeſt ratio ſanitatis ſecundo modo, quoniam hæc eſt prior illa animalis, & eiuſdem cauſa, at quoniam deſideratur primum, (non enim formaliter, ſed ſolum cauſatiue eſt in ipſa ſanitas,) ideo non prius dicitur de ipſa. In ſubſtantia autem, quo ad rationem entis, videmus vtrumque, vel ſaltem, vbi id probatum fuerit videbimus, eſt enim prius ens, quam accidens, & eſt cauſa entitatis accidentis, & formaliter quoque eſt ens. Neque turberis, quod ex hoc videatur ſequi, ſanum Obiectio.
non poſſe dici prius de animali, cum ſolum formaliter videatur eſſe in illo ſanitas, non autem prius, cum prius ſit in medicina, vt dicebatur, ſi enim bene inſpexeris, Aufertur.
elucebit, quod formaliter prius eſt in animali, quam in alio quocumque, immo ſolum in ipſo eſt formaliter, quando autem dicebamus, in medicina prius eſſe ſanitatem, non formaliter, ſed materialiter intelligebamus, tamquam videlicet in fundamento reſpectus ſanitatis ad animal, quo modo accipe quoque Auctorem cap. illo primi con. Gent. dum dicit, ſanum prius eſſe in ſanatiuo, quam in animali, velut & Ferrar. ibi ipſum interpretatur, &c. D. Thom. Ferrarienſis.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Qualis ſit prædicatio entis de ſubſtantia, & accidente, & quomodo reſpiciat Deum, & creaturas.

Dico ens prædicari de ſubſtantia, & de accidente, tamquam ſuperius de ſuis inferioribus, quamuis etenim accidens adæquet ens, quod verum redditur de accidente, ſecundum rationem omnino eandem, atque ideo hoc modo ens non dicatur de ipſo, tamquam quid ſuperius, ſed vt quoddam conuertibile, non tamen adæquat ens ſecundum rationem illam proportionaliter, quoniam illamet entis ratio, quæ dicitur de accidente, non quidem omnino eadem, (ita enim adæquatur ab accidente,) ſed proportionaliter, ad ſubſtantiam quoque ſe extendit, ad quam patet, non ſe extendere accidens, & proinde ſuperius eſt ad ipſum; & quoniam ens vt eſt analogum, ſignificat identitatem proportionalem, velut & omne aliud analogum, (in hac enim identitate ſtat tota ratio analogorum vt ſic,) ideo numquam analogum conuertitur cum aliquo analogato, numquam ens cum ſubſtantia, aut cum accidente, quoniam omne analogatum ex ſe, partem ſolum dicit analogi, ipſum autem analogum omnia ſimul.

Quid ſignificet analogũ.

Difficultas.

At poſſet quis dicere falſum eſſe, quod quando dicitur accidens eſt ens, ly *accidens* non ſe extendat quoque ad ſubſtãtiam proportionaliter, velut & ens, quod prædicatur de ipſo, vel enim ſumitur accidens, in eo quod tale ens eſt abſolute, vel in eo quod eſt analogatum, non primo modo, quoniam nunc de ipſis loquimur, vt analogata ſunt, & præterea talia ſunt prædicata, qualia præmittuntur à ſubiectis, ſed prædicatum illud entis ſumitur analogice, aliàs neque ipſum ad ſubſtantiam ſe extenderet, ergo ſignum eſt, quod præmiſſum fuerit à ſubiecto analogice accepto, conſtat autem, quod ſi accipiatur accidens analogice, ad ſubſtantiam quoque eius ratio proportionaliter ſe extendit, ſicut ratio entis, quod dicitur de ipſo, ergo apparet, quod ens analogum conuertatur cum quolibet analogato, & ex conſequenti, eius de illis prædicatio non ſit ſuperioris de inferioribus; Sed apertius dicam ſic, aut ly *ens* quod dicitur de ſubſtantia, & de accidente ſumitur abſolute, vel analogice, ſi abſolute, ſic ſecundum ſingulas rationes analogatorum conuertitur; ita enim ſubſtantia eſt ens dictum de ſe, quod nullo modo abſolute, & ſimpliciter eſt ens dictum de accidente, velut hoc intrepide dici poſſe docebat Caiet. cap. 6. libelli illius de analogia, ſi autem ſumatur analogice, concedam vtique, quod ens dictum de ſubſtantia, vt ibidem ait Caiet. proportionaliter ſe extendit ad accidens, ſed dicam, quod & ſubſtantia analogice ſumpta in tali propoſitione, (veluti debere acipi probaui) proportione ſe extendit ad accidens, & ſic quocumque modo ſumatur analogum, puta ens, vel abſolute, vel formaliter, videtur quod ſemper dicatur conuertibiliter de quolibet ſuorum analogatorum, de ſubſtãtia ſcilicet, & de accidente, & ex conſequenti non ſit prædicatio ſuperioris de inferiori.

Caietan.

Aufertur.

Huic difficultati occurrerem dicendo, quod quia analogum ſonat formaliter illam identitatem, ideo ſemper formaliter acceptum, eſt ſuperius ad ipſa analogata, ſic ens ſuperius eſt ſubſtantiæ, & accidenti, non tamquam vnum ſimpliciter,

ter,

ter, ſed vnum proportione,& quamuis in propoſitionibus adductis, ſubſtantia eſt ens, accidens eſt ens,ipſarum ſubiecta formaliter accipiantur,non tamen formaliter, & explicite important analogiam, numquam enim per ſubſtantiam, vel accidens vt ſic prolata, intelliges analogiam, niſi explices, in quo analogata ſint,dicendo ſcilicet ſubſtantia eſt ens, ly *ens* enim aperit in quo ſint analogata; ratio quippe ſubſtantiæ, vt ſubſtantia nullo modo eſt eadem cum ratione accidentis, ſed ratio ſubſtantiæ,vt eſt ens,eſt eadem cum ratione accidentis proportionaliter, ly autem *ens* exprimitur in prædicato, quod non exprimebatur in ſubiecto.

Rurſus,ſubſtantia, accidens ſunt analogata, & neutrum ipſorum eſt analogum, ſed partes ipſius ſunt, vnum autem analogatum non dicit totum analogatorum, velut facit analogum ipſum, puta ens, quare ſubſtantia, vt ſubſtantia non dicit aliquod commune accidenti, ſed ſolum vt ens,quando autem dicis ens,iam exprimis prædicatum, & analogum ipſum,quippe quod formaliter, vt dicebatur,identitatem illam proportionalem importat.

Et vt meipſum amplius adhuc declarem, adduco illud,quod dicebat Porphyrius cap. de Specie, oportere ſcilicet, aut æquā de æquis, aut ſuperiora de inferioribus prædicari, & loquendo de ſuperioribus, quæ prædicantur patet, ea eſſe ſuperiora, ſi abſolute ſumantur, vt animal dictum de homine, ad plura namque ſe extendit animal, quam ſe extendit homo, tamen in propoſitione,qua prædicatur de homine,conuertitur ſuperioritas illa, & ſic prædicatio, non ſuperioris de inferiori in propoſitione illa exercita, ſed æqualis de æquali,quando enim dico, homo eſt animal, profecto nolo dicere, quod homo ſit illud animal, quod dicitur & de homine, & de leone, & de equo, falſum enim dicerem, ſed conſtringo illud animal ad ſtandum ſolum pro homine,& dico eſſe tantum illud animal, quod eſt homo, quoniam vt dicebatur, tale debet eſſe prædicatum, quale præmittitur à ſubiecto, vnde numquam in aliqua prædicatione exercita,& vt ſic dicitur ſuperius de inferiori, ſed ſemper æquale de æquali; ſic Auctor tractatu de natura generis cap nono dicebat, animal quod prædicatur de homine, eſſe idem penitus, quod homo; & quando dicimus ſuperiora de inferioribus prædicari, id verum eſt abſolute, & materialiter loquendo,hoc eſt res illæ,quæ abſolute,& materialiter ſunt ſuperiores,ſed quando reducuntur ad actum prædicationis exercitum, limitantur à ſubiectis, & æquales eis fiunt; Et quoniam ſubiectum limitat prædicatum, non autem prædicatum ſubiectum, (quoniam ſubiectum ſubijcitur, atque ideo eſt inferius, & ex conſequenti magis reſtrictum,) eapropter non erit congrua propoſitio, animal eſt homo, licet ſit vera, ob correſpondentiam ad prædicatum,aliàs abſolute eſſet falſa,vt ſi quis diceret, omne animal eſt homo, ſemper tamen verum eſt dicere, omnis homo eſt animal. Ad propoſitum ergo dico, quod hæc propoſitio, ſubſtantia eſt ens, quamuis ly *ens* quod eſt prædicatum abſolute in plus ſe habeat; & ſit ſuperius ad ſubſtantiam, tamen in propoſitione illa formaliter, & exercite conuertitur cum ſubſtantia, eſt enim ſubſtantia ens ſolum ſubſtantiale, reſtringitur namque à ſubiecto præmiſſo; & ſi ens abſolute diceretur de ſubſtantia, falſa eſſet propoſitio,vt patet, quare cum ſubſtantia, tum accidens important tantum ens dictum, vel de ſubſtantia, vel de accidente & ipſum adæquant, ens autem ipſum abſolute dicitur de ſubſtantia, & de accidente; falſum eſt ergo,quod ſubſtantia quocumque modo accepta importet ens illud, quod proportionaliter eſt idem cum accidente, nam ſolum ens illud eſt, quod talem proportionem ſignificat; quocirca ens tanquam

Porphyr.

Senſus huius pronunciati; Homo eſt animal.

D.Thom.

Quo pacto ſuperiora de inferioribus dicantur.

quam

quam ſuperius de analogatis ſuis prædicatur. Ad argumentum, poſt tot quæ dicta ſunt, breuiter nego, quod ſubſtantia formaliter quoque in propoſitionibus accepta importet proportionem illam cum accidente, tantum enim abeſt, vt ad illud ſe extendat, quod & ens in illa exercita propoſitione ad id non ſe effundit; abſolute tamen ipſum ens proportionem illam importat. Et ſi dixeris, ſubſtantiam in illa propoſitione ſumi analogice, dico quod non vt ſubſtantia, ſed vt ens, quod ſi vt ens, iam confugis ad prædicatum, quod, quomodo conuertatur, & quomodo in plus ſe habeat, iam declaraſſe credo.

Cum autem dixerimus vtramque analogiam, & attributionis ſcilicet, & proportionis inueniri in ente, vt reſpicit ſubſtantiam, & accidens, petere aliquis poſſet, quænam analogia prius conueniat ſubſtantiæ, & accidenti, an videlicet illa, qua vtrumque proportionaliter ſe habet ad eſſe, an vero illa, qua ſubſtantia eſt prius ens, & accidens per attributionem ad illam dicitur ens; Et quidem alicui poſſet prima facie videri, quod prior ſit illa proportionis; neque enim videtur poſſe fieri, vt accidens ad ſubſtantiam referatur, niſi prius ſit in ſe ens, cum referri, & aliud reſpicere, ſupponat prius eſſe in illo, quod refertur, quare prius accidens ſe habebit ad eſſe ſuum, deinde reſpiciet ſubſtantiam; Rem tamen intimius ſpeculanti oppoſitum illuceſcet, nam prius eſt quod accidens reſpiciat ſubſtantiã, quam vt modo ſuo ſe habeat ad ſuum eſſe quoniam ex eo ſe habet ad eſſe ſuum, quoniam iam illud à ſubſtantia ſortitum eſt, & niſi illud à ſubſtantia accepiſſet, illo careret, & ex conſequenti, nullo modo ad illud ſe haberet. Ad argumentum, referri ſupponit eſſe, verum eſt, quando res illa per illud referri non accipit eſſe, ſi vero per illud ſibi tribuatur eſſe, tantum abeſt, vt præſupponatur eſſe, quod per illud aduenit; applica accidenti, quod dum reſpicit ſubſtantiam, ſortitur eſſe, & clare videbis, prius eſſe in illo, quod referatur, quam vt ſit in ſe, & ex conſequenti, analogia attributionis antecedit illã proportionis, ſi non prioritate durationis, ſaltem naturæ, & cauſalitatis, nam libenter concedo, quod ſimul tempore recipit eſſe, & ad illud ſe habet, tamen non ſe haberet ad eſſe, niſi illud recepiſſet.

Dubitatio.

Definitur.

Quando in aliquo referri ſupponat eſſe.

In hoc autem *referri* nullam relationem prædicamentalem intelligas, ſed tranſcendentalem tantum, effectus videlicet ad cauſam; Quod autem dixi de analogia attributionis præcedente illam proportionis, videtur mihi de neceſſitate aſſerendum à quocumque, qui defenſet ens dici de ſubſtantia, & accidente analogice, ſi enim quis dicat, analogiam proportionis anteire, non video, quomodo iſte ſaluare queat analogiam, cum in illo priori, accidens eſſet ens, abſque eo quod reſpiceret ſubſtantiam, & ita in ratione entis, à ſubſtantia non dependeret; vnde vniuocum eſſet in ente cum ſubſtantia, quod enim deinceps perfectius eſſet ens ſubſtantia, quam accidens, hoc vniuocationem non auferret, &c. Ita declaratum eſt, ens dici analogice de ſubſtantia, & de accidente, quod ſi analogice, non certe vniuoce, quod tamen ſexto quæſtionis articulo euidentius fiet, &c.

Quod dictum fuit de ente, comparatione ad ſubſtantiam, & accidens, applico breui enti eidem, relatione ad Deum, & creaturas, non enim de ipſis pure æquiuoce dicitur, tunc enim nihil de Deo ex creaturis ſcire poſſemus, quod nedum philoſophiæ, ſed & ſacris paginis, (quod longe maius eſt) aduerſatur; ſimiliter Deus, & creatura non poſſent ad vnam, eandemque ſacram Theologiam attinere; At ſi latius vis probare, quod non æquiuoce dicatur ens de Deo, ac creaturis, vide Auctorem 1. con. Gent. 33. vbi quinque rationes ad hoc demonſtrantes adfert;

D. Thom.

fert; ſed dicitur analogice vtraque analogia; quemadmodum enim Deus ſe habet ad eſſe ſuum, ita & creatura, (quamuis remota, & imperfecta valde imitatione) ſe habet ad ſuum, in quo ſtat analogia proportionis. Adeſt quoque illa attributionis, non quidem duorum ad tertium, neminem enim credo hucuſque ſomniaſſe, quod præter Deum, & creaturas aliquid vnum detur, ſed vnius ad alterum, non quidem Dei ad creaturam, vt quiſque nouit, ſed creaturæ ad Deũ, ſi non quo ad nomen, quoniam nomen entis prius à nobis impoſitum eſt ad ſignificandas creaturas, quoniam eas primo agnouimus, vt colligitur ex Auctore p.p.q.13.art.6. & primo illo con. Gent. 34. ſaltem quo ad rem, quoniam ratio entis prius, & formaliter ſaluatur in Deo, quam in creaturis, & eſt cauſa entitatis, quæ eſt in creaturis ipſis, vnde vtramque habet conditionem, quare prius de ipſo, quam de creaturis dicitur, quod idem dicendum eſt de omnibus nominibus, quæ proprie, & eſſentialiter dicuntur de Deo, vt eiſdem locis idem dicebat; omnia enim eiuſmodi nomina, & prius, & formaliter locum habent in Deo, & ſunt cauſa nominum id genus, quæ dicuntur de creaturis, hoc eſt rationum, quæ per ſimilia nomina importantur; Vt enim p.p. loco relato diſerte arguebat Caiet. ex auctoritate D. Pauli ad Epheſ. 3. quam citabat Auctor argumento ſed cõtra, ſi paternitas diuina eſt cauſa cæterarum paternitatum, multo magis ſapientia eſt cauſa omnis ſapientiæ, bonitas, omnis bonitatis, & ſic de alijs nominibus, probatur conſequentia, quoniam ſi paternitas diuina, quæ eſt relatio, atque ideo longiſſime diſtans à cauſalitate reliquorum, (intellige paternitatem ſub nomine relationis vt ſic conceptam, nam quo ad rem, eſt ipſamet eſſentia diuina,) relatio enim vt ſic non eſt cauſatiua, à fortiori hoc erit dicendum de alijs nominibus, quæ in Deo formas abſolutas important, atque ideo maxime propinquas cauſalitati. Caietanus.

Neque obſtabit, quod Auctor quæſtionibus diſputatis de Veritate q.2.art.11. doceat, in creaturis non reperiri analogiam attributionis ad Deum, ibi enim, non quamcumque attributionis analogiam intendit remouere, cum aliquam locis proxime adductis patenter doceat, ſed vt exponit Ferrarien. loco citato con. Gent. & alij recentiores, immo hoc colligitur ex eodem Auctore manifeſte ibidem quæſtione illa de Veritate, intendit negare analogiam illam, quæ poſita eſt in habitudine determinata vnius ad alterum, qualis eſt inter duo, & quattuor, cum enim Deus ſit infinitus, creatura finita, nimis apertum relinquitur, inter ipſa cadere non poſſe determinatam habitudinem, cum finiti ad infinitum infinita ſit diſtantia, & nulla proportio, vt docebat Ariſtoteles octauo Phyſicorum 15. & primo cœli 52. & 64. non autem abſolute negat analogiam vnius ad alterum, qualem docemus nos, quæ ſtat in aliquali imitatione, quam & nos diximus eſſe valde imperfectam; Eodem modo accipito concluſionem Caiet. quam ſecundo loco ponit in hac quæſtione, vbi negat analogiam attributionis inter Deum, & creaturas, ex Auctore loco illo ex diſputatis recenſito, & id clare ex eius verbis patet; antequam etenim ponat concluſiones, diſtinguit analogata, dicens eſſe duplicia, quoniam alia ſunt ſecundum determinatam habitudinem vnius ad alterum, & quædam ſecundum proportionalitatem, & ſecunda concluſione ait, ens dici de Deo, & creaturis ſecundo modo tantum, non autem primo, hoc eſt non analogia determinatam habitudinem dicente; Et idem Caiet. p.p.q.13. art.5. dicebat, inter Deum, & creaturas eſſe ſimilitudinem formalem imitatiuam, &c. D. Thom. Ferrariẽſis. Ariſtot. Caiet. Analoga ſũt duplici differentia.

Inter has duas vero analogias creaturarum ad Deum, & proportionis videlicet,

cet, & attributionis, ſcias abſque dubio, illam attributionis natura ſaltem præcedere, & eſſe priorem illa proportionis, rationibus eiſdem, quibus id dicebamus de ſubſtantia, & de accidente, & res etiam in hoc euidentior eſt, quoniam quod creaturæ recipiant eſſe à Deo, & quod per illam attributionem, qua Deum reſpiciunt producantur in eſſe, ac ſubinde illud prius non habeant, ratione cuius aliquo modo poſſint ſe ad illud habere, nedum eſt conſentaneum philoſophiæ, veluti erat de accidentibus in ordine ad ſubſtantiam, ſed & de fide aſſerendum eſt, & qui oppoſitum diceret, hæreſim enunciaret; Quod ſi dicitur ens de Deo, ac creaturis analogice, ſupereſt vt non dicatur vniuoce, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Mouentur dubia contra ea, quæ determinata ſunt, & diluuntur.

Prior difficultas.

VT teſtatiora ſint, quæ diximus circa entis analogiam ad ſubſtantiam, & accidens, Dubito primo circa ſecundam differentiam aſſignatam inter analogiam attributionis, & proportionis, nam dicebatur, quod in illa attributionis, primum ſolum formaliter denominatur tale, reliqua vero non niſi denominatione extrinſeca, at ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, quod neque accidens, neque creaturæ eſſent formaliter entia, ſed ſolummodo denominatione extrinſeca, patet conſequentia, quoniam hinc, & inde attenditur analogia attributionis, accidentis quippe ad ſubſtantiam, creaturarum vero ad Deum, falſitas conſequentis eſt clara, pugnat enim cum omnibus famoſioribus thomiſtis, immo cum Auctore, qui p.p.q.6.art.4. argumento ſed contra ait, quod omnia dicuntur entia per eſſe proprium. Reſpondeo primo, & dico cum Caiet. cap. 2. de nominum analogia, quod hæc analogata minus principalia, quæ denominationem ſubeunt in ordine ad analogatum principale, dupliciter poſſunt conſiderari, primo formaliter, & vt ſic, hoc eſt vt tali analogiæ ſubſunt, ſecundo materialiter, vt res quædam ſunt, ſi primo modo præciſe conſiderentur, fateor, quod extrinſece tantum talia denominantur, ſecundo vero modo, talia formaliter quoque, & intrinſece dici poſſunt; Ita accidentia ſub hoc reſpectu formaliter conſiderata, vt attributionem habent ad ſubſtantiam, extrinſece ſolum entia dicuntur, & ſimiliter creaturæ eo modo acceptæ, quo ſubſunt analogiæ per attributionem ad Deum, at tum accidentia, tum creaturæ conſideratæ deinde materialiter, & non ſub illa formali ratione analogiæ, entia ſunt formaliter, & intrinſece; Et hæc doctrina videtur mihi colligi ex Auctore p.p.q. & art. citato, vbi docet, vnumquodque dici bonum bonitate diuina, ſicut per primum principium exemplare, effectiuũ, & finale totius bonitatis, & tamen dici etiam bonum quodcumque ob ſimilitudinem diuinæ bonitatis ſibi inhærentis, quæ eſt formaliter ſua bonitas, ipſum denominans. Illud ergo quod aſſeritur de analogatis minus principalibus, quæ extrinſece tantum dicuntur talia in ordine ad primum, formaliter venit accipiẽdum, nam aliunde nihil prohibet, vt & intrinſece ſint talia; Dixi nihil prohibere, quoniam hoc nõ inuenitur in omnibus analogatis, ſunt enim quædam, quæ numquam talia ſunt intrinſece, ſed ſemper extrinſece tantum ſic denominantur, vt patet de medicina, dieta, & vrina, quæ ſana dicuntur, hæc etenim quocumque modo conſideres, numquam videbis formaliter eſſe ſana; Rationem autem huius diuerſitatis poſſumus colligere ex Caiet. p. p. loco nominato, ibi enim

D.Thom. Prior ſolutio ex Caietano.

D.Thom.

Quomodo analogata minus principalia dicãtur in ordine ad primum.

Caietanus.

enim rem hanc docte iudicio meo voluit innuere, dum dicebat, quod duplici via aliquid poterat ſubire denominationem ab aliquo ſibi extrinſeco, primo, quod ratio cur denominetur, ſit ipſa relatio ad extrinſecum, hoc eſt, eatenus denominetur, quatenus ad extrinſecum refertur, ſecundo, quod ratio denominationis ſit non relatio ſimilitudinis, ſiue alius reſpectus, ſed ſit forma, quæ fundet talem ſimilitudinem, & primam denominationem paulo inferius vocabat pure extrinſecam, poſteriorem autem ita extrinſecam, quod tamen cauſalem, & non ſolum extrinſecam; primo modo medicina dicitur ſana, quoniam relatione tantum cauſæ ad ſanitatem, non autem, quod in ipſa ſit aliqua forma, ſaltem formaliter, per quam talis denominetur, ſecundo modo aer dicitur lucidus luce ſolari, recipit enim lucem à Sole, & illum reſpicit, ſed vltra hoc, habet quoque in ſe formam, qua denominatur talis, lucem videlicet. Vbi ergo videbitur in analogatis pura denominatio extrinſeca, illa numquam formaliter ſubibunt denominationem, vbi autem præter denominationem illam extrinſecam, apparebit & cauſalis, illa extrinſece quidem primo talia dicentur, merito illius reſpectus, deinde intrinſece quoque, ob formam ſibi inhærentem, & talem denominationem fundantem, ſiue cauſantem; Applica accidenti relatione ad ſubſtantiam, creaturæ relatione ad Deum, in quibus videbis denominationem extrinſecam quidem, at non puram, ſed etiam merito formæ vtrique inhærenti, & ſic vbi primum extrinſece ea dixeris entia, hoc eſt comparatione ad ſubſtantiam, & Deum, poſtea intrinſecam quoque eiſdem denominationem tribues, ratione formæ fundantis denominationem illam non extrinſecam, ſed intrinſecam, iam enim docuimus, quod in vtriſque præcedit analogia attributionis illam proportionis, quare forma nequit cauſare illam attributionis, quæ eſt extrinſeca, in illo enim ſigno, & ſub illo reſpectu, non adeſt forma, ſed extrinſece ſolum talia denominantur, veluti exemplum Caietani de aere lucido declarat, prius enim reſpicit Solem, quam ſit lucidus, & in illo priori cauſalitatis, & naturæ non eſt intrinſece lucidus, fruſtra enim reſpiceret Solem, tamquam illum à quo accepturus eſſet lucem, (ſcio enim quod poſſet eundem reſpicere, vt lucis ſuæ conſeruatiuum,) ſed luce recepta in ipſo formaliter, lux illa, forma illa cauſat deinde intrinſecam denominationem, qua intrinſece dicitur lucidus, quod nequit dici de medicina reſpiciente animal, ita enim ſemper reſpicit, quod numquam formam ſanitatis recipit in ſe, ſed ſemper omnis eius denominatio conſiſtit in relatione illa, qua reſpicit animal, &c.

Reſpondeo ſecundo, & hæc reſponſio erit declaratiua, & confirmatiua prioris, quod ſi accidens, & creatura eſſent analogata ſolum attributionis, merito ſubſtantiæ, & Dei, valeret argumentum, quod extrinſece ſolum forent entia dicenda, ſed quoniam vltra illam attributionis, habent quoque eam proportionis, quæ fundatur in aliquo, quod formaliter omnibus huiuſcemodi analogatis ineſt, vt docui, ideo non ſequitur, quod extrinſece ſolum debeant dici entia, ſed etiam intrinſece, & formaliter.

Sed ſtatim dubito ſecundo, & contra ea, quæ modo dixi, & illa, quæ ſuperius illa eadem ſecunda differentia inter duplicem hanc analogiam allegaui, quod nimirum in illa proportionis ſit denominatio formalis, & intrinſeca in vtroque analogato, vt dabamus exemplum de principio dicto de corde, & de fundamento; & vt modo applicabamus accidenti, & creaturæ; nam contra hanc doctrinam videtur eſſe Auctor p. p. q. 16. art. 6. vbi in principio aſſignat differentiam inter prædicationem vniuoci, & analogi de inferioribus ſuis, dicens, quod *Secunda dubitatio.* *D. Thom.*

vniuocum in quolibet ſuo inferiori ſecundum propriam rationem inuenitur, analogum autem inuenitur ſecundum propriam rationem tantum in vno eorum, à quo alia denominantur, ecce quod vult in analogis, non dici aliquid formaliter de omnibus, ſed ſolum de vno primo. Confirmatur, quoniam idem prima ſec. quæſt.20. art. 3. ad tertium ait, quod quando fit deriuatio alicuius, ſicut cauſæ vniuocæ, tunc aliud eſt, quod eſt in vtroque, ſed quando aliquid deriuatur ab vno in alterum ſecundũ analogiam, tunc eſt tantum vnum numero, ſi tantum vnum numero, ergo eſt tantum formaliter in vno, ſi enim in omnibus eſſet formaliter, & intrinſece; certe aliud, & aliud eſſet quod numeraretur in illis, quare ad aures ipſius, videtur non poſſe doceri in analogis fieri denominationem intrinſecam, & formalem in omnibus, ſed ſolum in vno.

Solutio prior Ferrarienſis.

Huic argumento occurrebat Ferrar. primo cont. Gent. 34. prima ſolutione, & dicebat, quod per rationem propriam duo poſſumus intelligere; rationẽ ſcilicet, vel naturam, quæ primo, & principaliter importatur, per comparationem ad quam reliqua dicuntur talia, vel ſecundo rationem omnem; quæ formaliter importatur per nomen, ſic exponit Auctorem pri. par. dicentem, rationem in vno tantum in analogis inueniri, vt loquatur de ratione, ſiue natura primo, ac principaliter importata, nos vero dicẽtes aliquando in analogis reperiri in vtroque, non rationem primam, ſed quamcumque formaliter importatam intelligimus. Sed certe hæc reſponſio Ferrarien. vel eſt accipienda de analogis attributionis, vel de ijs proportionis, ſi de illis attributionis, præterquam quod coincideret cum ſecunda ſolutione, quam ſubdit, eſt quoque falſa, quoniam in huiuſmodi analogis vt ſic, non inuenitur vlla ratio formalis, quæ intrinſece ipſis inſit minus principalibus analogatis, ſed ſolum in primo formaliter ineſt; ſi de ijs proportionis, falſa quinetiam eſt, quoniam in his non datur illa ratio, ſeu natura, primo, ac principaliter importata, per relationem ad quam alia talia dicantur, vt patet ex illa eadem ſecunda differentia, circa quam dubitamus, in his ſiquidem vt ſic analogum ſimpliciter prolatum non ſtat pro primo, ſi quis enim proferat hoc analogum *eſſe principium*, non ſtabit primo pro corde, vel pro pede, ſed illud ſolum veritatem habet in analogis attributionis vt ſic, & dico vt ſic, quoniam formaliter loquor: quoniam enim aliquando vtraque analogia in eiſdem incidit, vt eſt in noſtro propoſito in ente de Deo, & creaturis, de ſubſtantia, & accidente; ideo nomen entis abſolute prolatum ſtabit pro ſubſtantia, ſed hoc ei non conueniet, quatenus eſt analogum proportionis, ſed quatenus attributionis tantum.

Impugnatur.

Eligitur poſterior ipſius ſolutio, quæ eſt etiam Caietani.

Hac igitur reſponſione reiecta, dicamus cum ſecunda ſua ſolutione, quæ eſt Caiet. p. p. loco relato, quod loca adducta Auctoris non intelliguntur vniuerſaliter de omni modo analogiæ, immo preſſius loquendo de nullo analogo poſſumus dicere, quod accipiantur, quoniam iam diximus ex multis locis Ariſtotelis, quod ſola analoga proportionis ſunt vere analoga, quare intelliguntur de nominibus, vel ad vnum, vel ab vno, vel in vno, quæ viri celebratiſſimi analoga vocant attributionis, neque impropria eſt locutio, quoniam iam vſus ſic obtinuit etiam apud peritos, & hoc ſat eſt ipſi in p. p. quoniam veritas ſi comparetur ad rem, & intellectum, de qua ibi loquitur, eſt nomen ab vno, quoniam in ſolo intellectu eſt veritas, à qua res dicuntur veræ, ſin autem comparetur ad intellectus inter ſe, ſic veritas eſt nomen, non ab vno, ſed vere analogum; quoniam proportionaliter ſaluatur, & formaliter in omni intellectu cognoſcente verum; quare aliquid eſſe in vno tantum ſecundum propriam rationem conuenit nominibus,

nibus, quæ ſunt ad vnum, non analogis vere, de quibus loquimur nos, quando dicimus, in omnibus formaliter rationem importatam locum habere.

Quod autem intentio Auctoris ſit loqui de nominibus ab vno, vel ad vnum, patet, quoniam cum 13. quæſt. art. 5. docuerit, omnia nomina, quæ dicuntur de Deo, & de creaturis dici analogice, ſi de omnibus analogis verum eſſet, quod in primo tantum ratio importata formaliter inueniatur, iam ergo veritas non eſſet formaliter in intellectu creato, cuius oppoſitum docet illo art. 6. quæſt. 16. probatur conſequentia, quoniam veritas eſt in ſerie nominum, quæ dicuntur analogice de intellectu diuino, & creato, vnde non ſibi conſtaret, qui ſemper eſt ſibi conſtantiſſimus, patet quinetiam, quoniam vbi regulam illam de analogo explicauit, tum illo loco p. p. tum illo primæ ſecundæ, mox vtrobique adduxit exemplum de ſano, quod dicitur de animali, de medicina, dieta, &c. quod ſanè apparet eſſe analogum dumtaxat tributionis, non proportionis; vnde aperte declarauit, ſe de analogo ſolum attributionis proferre regulam illam, ex quo patet reſponſio & ad confirmationem. D. Thom.

Scias tamen, quod ratio cur vniuocum nomen in omnibus ſuis inferioribus numeretur, non eſt; quia vnam, & eandem rationem æqualiter importet, tunc enim ſolis vniuocis conueniret, & non analogis proportionis, ſed ea eſt, quoniam prædicatur formaliter de ijs, quibus eſt vniuocum, ideo vbicumque formalis prædicatio inuenitur; licet non ſecundum eandem penitus rationem, ibi adeſt multiplicatio, vel numeratio importatæ formæ in inferioribus, & quoniam in analogis proportionis hoc inuenitur; iccirco intuemur in ipſis quoque enumerationem formæ, quæ ſignificatur. Quare vniuocũ in ſuis inferioribus numeretur.

Sed dicet aliquis, non eſſe verum, quod loco illo primæ ſec. intentio Auctoris ſit aſſerere, non inueniri illam enumerationem in analogis ſolum minus proprijs, ſiue dictis ab vno, ſed etiam intelligat de analogis vere, hoc eſt proportionis, ait namq. ibi, quod eſt tantum vnum numero, quando aliquid deriuatur ab vno in alterum ſecundum analogiam, vel proportionem, ecce quod loquitur de veris analogis. Dubium. D. Thom.

Dicerem ego, quod per ly *vel proportionem*, noluit denotare vere analoga, ſed id quod dixerat analogiam, declarare quoque voluit per vocem proportionis, extendendo vocem proportionis ad quamcumque habitudinem, veluti & extenderat nomen analogiæ; adeo quod ly *proportionem*, non fuit alia res, vel alia vox, quæ aliud explicaret, ſed vox explicatiua illius, quod primo protulerat, in cuius rei ſignum non dixit &, ſed *vel*, & exemplũ attulit ſolum de analogo ſecundum attributionem, quod ſi de vtriſque analogis intellexiſſet, exemplum quoque de illo proportionis adduxiſſet, Quare ex duplici analogia, attributionis ſcilicet, & proportionis, varia Auctoris, & aliorum loca prudens lector concilia, &c. Soluitur.

Moueo tertio loco dubium contra id, quod aſſignaui in referenda tertia differentia, inter duas ſæpius commemoratas analogias, dicebatur enim, quod in illa attributions, primum ponitur in reliquorum definitione, quod quidem non apparet verum, non enim in definitione accidentis ponitur ſubſtantia, neque in illa creaturæ ponitur Deus. Confirmatur, quoniam Auctor quæſt. 2. de Veritate art. 11. ad ſextum docet, non in quacumque analogia primum analogatum poni debere in ratione reliquorum. Reſpondeo cum Caiet. p. p. quæſt. 13. art. 6. quod analoga ſunt duplicis generis, quædam enim important ipſos reſpectus ad primum analogatum, quædam vero important tantum fundamenta illorum reſpectuum, Tertia difficultas. D. Thom. Soluitur ex Caietani doctrina.

ſpectuum, hoc eſt, quædam important de formali, & in actu ſignato reſpectum ipſum ad primum analogatum, quædam fundamentaliter ſolum, & in actu exercito illum dicunt, ſed formaliter ſignificant formam illam, quæ fundat analogiam, quæ conuenit analogato minus principali, per habitudinem ad principale; primi ordinis ſunt omnia analogata attributionis, vt ſic, & etiam illa proportionis improprie, ſiue metaphorice, velut dicitur pratum ridere, in ordine ad hominem ridentem; Tunc dicimus, quod quando aſſeritur, principale analogatum ponendum eſſe in definitione reliquorum, id accipiendum eſt de ijs, quæ reſpectus illos formaliter important, nequeunt enim abſque illo intelligi, vt liquido patet de ſano, & de prato, in eo quod ridet; argumenta vero procedunt de analogatis, quæ important fundamentum illius reſpectus, non autem reſpectum illum formaliter; accidens enim, & creatura non important explicite reſpectum ad Deum, & ſubſtantiam, ſed eſſe, quod eſt forma, ac fundamentum illius reſpectus, & iuxta hanc diſtinctionem accipiendus eſt Auctor, quando p. p. quæſt. 13. art. citato ait, primum analogatum poni in ratione reliquorum, & quando id videtur quæſtione illa de Veritate negare, ſaltem vniuerſaliter.

Quomodo D. Thomas intelligendus.

Secunda ſolutio. *Duplex rerũ definitio.*

Reſpondeo ſecundo, quod duplex eſt alicuius definitio, vel quæ datur per genus, & differentiam proximam, vel quæ ſimpliciter manifeſtat rem, quo ad omnia, à prima potentia, vſque ad vltimum actum; Tunc dico, non eſſe neceſſe, vt in omnibus analogatis proxima definitione definitis ponatur primum ipſorum, at in ſecunda definitione id eſt neceſſe; ſi enim abſolute penitus volueris notificare accidens, & creaturam; in eo quod entia, in definitione accidentis pones ſubſtantiam, & in illa creaturæ Deum; Quando ergo audis affirmari, in quouis analogato minus principali definiendo ponendum eſſe primum, explica de abſoluta, & omnino exacta definitione, quando oppoſitum ſentis enunciari, expone de definitione facta per proximum genus, & proximam differentiam.

Id tamen obſerua, quod hæc dubitatio locum dumtaxat habet in analogis attributionis, hic enim datur ſemper aliquod primum, ſecus nulla foret attributio, locum quoque habet in analogis ſecundum proportionalitatem metaphorice dictis, quoniam in his vnum de formali importat reſpectum ad aliud, non autem admittenda eſt in analogis proportionis, in quibus, vt dixi ſuperius non eſt inuenire aliquod primum, neque reſpectus de formali ab ipſis exprimitur, ſed fundamentum, & forma; poteſt tamen eſſe dubium, num alterum in alterius definitione ponatur; Vide ſi placet Ferrarienſem primo cont. Gent. cap. illo 34. duas reſponſiones dantem huic dubitationi, & ſecunda quæ melior eſt, vt ipſemet fatetur conformis eſt doctrinæ illi, quam tradit Caiet. vltimo ſuo cap. de nominum analogia, in prima cautela, quam adhibet circa intelligentiam nominum analogorum.

Ferrarien.

Poſtrema dubitatio.

Quarto, & vltimo dubitationem moueo circa eandem tertiam differentiam, vbi dicebatur, in analogis proportionis vnum non poni in definitione reliquorum, quod etiam modo repetebamus; hoc enim videtur falſum, quoniam ratio vnius analogati vt ſic, & formaliter, hoc eſt, vt eadem alteri proportionaliter, fieri non poteſt, vt abſque illa altera perfecte exprimatur, quomodo enim ipſe intelligam, hoc ſe habere proportionaliter ad illud, niſi vtrumque cognoſcam? Hoc dubium verſabat Caiet. cap. 7. de analogia nominum, & præmiſſis analogis metaphoricæ dictis, in quibus neceſſario id quod proprie dicitur ponendum eſt in ratione illius, quod metaphorice dicitur, loquens de illis, quæ vere, ac proprie analoga dicuntur, ait non eſſe neceſſe alterum poni in alterius definitione, vt do-

Diluitur cum Caietano.

vt docebamus, & nos, quoniam proportionem illam non formaliter, ſed fundamentaliter important, vnde licet ad hoc, quod aliqua cognoſcantur vt eadem proportionaliter, hoc ſcilicet ad aliud ſe habere formaliter, quo ad relationem identitatis, & ſimilitudinis, alterum abſque altero nequeat cognoſci, hoc tamee non eſt neceſſarium in cognitione illa, qua aliquid importat ſimilitudinem ad alterum fundamentaliter, tunc enim in ratione vnius non cadit reliquum, ſed ratio vnius eſt alterius ratio, vel omnino, vt in vniuocis, vel proportione, vt in analogis, patet autem quod nomen analogum hoc modo, vtputa ens, non ſignificat relationem illam identitatis, vel ſimilitudinis, ſed fundamentum talis ſimilitudinis, vt dicebatur in ſolutione præcedentis dubij.

Vel ſub alijs verbis dic, quod ſignificare proportionem, quam habet vnum ad alterum, contingit dupliciter, vno modo in actu ſignato, alio modo in actu exercito, & quidem ſi ſignificetur in actu ſignato, neceſſario ad vnius notitiam, requiritur & illa alterius, tunc enim explicite talis proportio importatur, in actu vero exercito id non exigitur, quoniam formaliter talis ſimilitudo non exprimitur. Videmus enim & animal, quod eſt prædicatum vniuocum de homine, & leone, quoniam ſignificat vniuocationem, hoc eſt naturam ſenſitiuam in actu exercito, non ſignato, non dicere de homine hoc totum, naturam ſcilicet ſenſitiuam, eandem ſecundum rationem omnino cum natura ſenſitiua leonis, ſed ſignificat naturam ſolum ſenſitiuam abſolute, & ſimpliciter, & tamen ſi vniuoca debeat eſſe prædicatio, oportet, quod ſit omnino eadem cum ratione naturæ ſenſitiuæ in leone, (vnum enim non conſtituit vniuocationem,) ſic analogum omne, & ens, de quo eſt noſtra quæſtio importans in actu exercito proportionalitatem, quæ eſt inter ſubſtantiam, & accidens, non dicit hoc totum de ſubſtantia, ſe habens ſcilicet ad eſſe ſic proportionaliter, velut accidens, aut e contra, ſed ſimpliciter ſe habens ad eſſe, abſque alia additione, & tamen ſi debeat fieri prædicatio analoga, oportet, quod hoc ſe habens ad eſſe, ſit idem proportionaliter cum altero, cum idem non ſit ſibi ipſi analogum, & quieſcere debemus, quando audimus analogum importare rationes plures eaſdem proportione, abſque eo quod ad analogata fiat deſcenſus, ſufficit namque in actu exercito, vt importet rationem alteri ſimilem, & non eſt neceſſe, vt exprimatur proportio illius ad aliud, ſicut dum dicitur animal eſſe vniuocum, quoniam dicit vnam omnino rationem in omnibus, non vagamur circa vniuocatorum vt ſic definitionem, quomodo cum alijs conueniant, nam ſatis eſt nobis ſcire, animal dicere eandem omnino rationem.

Quid dicat animal de homine.

Ex quo notabis, aliud eſſe dicere, hoc eſt in re, & hoc importatur in explicatione rei, analogatum enim omne vt ſic eſt alteri idem proportionaliter, ſimiliter vniuocatum eſt omnino in re idem ſecundum rationem alteri, cum quo vniuocatur, tamen non eſt neceſſe, talem identitatẽ exprimi in rei definitione, quoniam huiuſcemodi identitas, aut ſimilitudo non exprimitur formaliter, & in actu ſignato, ſed ſolum fundamentaliter, & in actu exercito, vt pateſeci, & ſic non ponitur alterum in definitione alterius.

Quod dixi de ente, relatione ad ſubſtantiam, & accidens, applica eidem, vt dicitur de Deo, & rebus creatis, eiſdem rationibus, quamuis enim entitas creaturæ ſemper in re ipſa reſpiciat eſſe Dei, non tamen oportet entitatem creaturæ ſignificari in ordine ad diuinam entitatem, vt ſcilicet eſt eadem proportionaliter, ſicut etiam omnia exemplata, talia ſunt comparatione ad exemplar, & tamen non eſt neceſſe, quod ſignificentur cum tali ordine ad exemplar, ita licet creaturæ ha-

ræ habeant entitatem in ordine ad Deum, non tamen exigitur, vt cum tali ordine, vel ſimilitudine ſignificentur. Neque te moueat, ſi nonnumquam ratio, quam ponit analogum in vno, exponatur per rationem, quam ponit in altero, id enim non fit ex eo quia, vnum analogatum definiat alterum, ſed quoniam ipſum exponit, & declarat, aliquando enim ratio erit prior in vno ſecundum rem, ſed poſterior erit ſignificatione, vt eſt videre in nominibus, quæ dicuntur de Deo, & de creaturis, & ideo manifeſtabitur ratio illa prior ex illo, in quo nomen prius inuenitur, vt ibidem Caiet. docebat, &c.

Occurritur tacitę obiectioni.

Caiet.

ARTICVLVS SEXTVS.

Probatur analogia entis ad ſubſtantiam, & accidens, Deum, & creaturas.

PRobandum venit, ens non dici vniuoce, ſed analogice, (iam enim probatum fuit ſub initium tertij art. huius quæſtionis non dici æquiuoce) de ſubſtantia, & accidente, de Deo, & creaturis; & hoc probo rationibus primo, deinceps auctoritatibus, & quamuis optime à permultis ex noſtris varijs in locis, & præcipue à Caiet. in præſenti, & ab alijs quoque talis vniuocatio fuerit reiecta, tamen hoc ipſum efficere decreui & ipſe, (vltra ea, quæ attuli ſecunda quæſtione ad caput præcedens,) & rationem quoque vnicam ipſius Caiet. adferre. Et quoniam analogiam proportionis ab omnibus credo admitti, ideo illam tantum attributionis, quam aduerſarij negant, & in qua tota eſt difficultas confirmare ſtudebo.

Sit igitur primum argumentum; Vbi ratio importata per aliquod nomen nõ inuenitur æqualiter in inferioribus, ſed in vno abſolute, in alio vero, non niſi in ordine ad illud, ibi non eſt vniuocatio, ſed expreſſa attributionis analogia, ſed in ratione importata hoc nomine *ens*, res ita ſe habet, quod de ſubſtantia dicitur abſolute, de accidente vero, non niſi in ordine ad ſubſtantiam, ergo in ente dicto de ſubſtantia, & accidente, non vniuocatio, ſed manifeſta eſt analogia attributionis; maior patet ex terminis vt ita loquar, per illud enim differt vniuocatio ab analogiá, minor eſt expreſſiſſima doctrina Ariſtotelis ſeptimo Diuinorũ 2. & 15. Cum enim ratio importata per ens ſit eſſe, ibi manifeſte ait Ariſtoteles, illud conuenire primo, & abſolute ſubſtantiæ, accidenti vero, non niſi merito ſubſtantiæ, quoniam eſſe accidentis eſt ineſſe, & eatenus ſunt entia, quatenus ſunt entis, quatenus nimirum reſpiciunt ſubſtantiam, &c.

Ariſtot.

Secundo; In definitione vnius vniuocati non ponitur aliud, neque enim in definitione leonis ponitur bos, & ratio eſt, quoniam vnum ſicut non in eſſe, ita neque in cognoſci pendet ab alio, at in definitione accidentis ponitur ſubſtantia, & non e contra, ergo ſubſtantia, & accidens non ſunt vniuocata entis, & cum fuerit probatum, neque eſſe vniuocata, relinquitur vt ſint analogata, minor eſt Ariſtotelis eodem libro, tex. 3. vbi docet, in definitione accidentis poni ſubſtantiam, & hanc rationem videtur, primo loco in hac parte innuiſſe Caietanus. Quod ſi quis dixerit, Ariſtotelem locis citatis loqui de accidente, non vt ens, ſed vt accidens eſt, vel loqui non de eſſentia accidentis, ſed de eſſe, meminerit primo, à quibuſdam etiam aduerſarijs, & doctis viris concedi, quod Ariſtoteles ibi, loquatur

Obiectio. Tollitur multipliciter.

quatur de accidente vt ens, immo Scotus q. 3. diſt. tertiæ primi ſententiarum ait, *concedo tamen, quod totum illud quod accidens eſt, habet attributionem eſſentialem ad ſubſtantiam*, ſed quod admiror in Scoto illud eſt, quod mox ſubdit, *& tamen ab hoc, & ab illo poteſt conceptus vnus communis abſtrahi*, ſi enim loquatur de conceptu ſecundum quid vno, nihil contra nos, ſi de ſimpliciter vno, iam ergo non totum quod eſt accidentis, habebit eſſentialem attributionem ad ſubſtantiam; meminerit ſecundo, ſic intellexiſſe loca illa omnes antiquos expoſitores, meminerit tertio, ſic de neceſſitate accipiendum eſſe Ariſtotelem; quæro enim quale eſſe conueniat accidenti vt ens, certe cuilibet enti vt ſic, aliquod eſſe tribuendum eſt, alioquin non foret ens, aſſignent autem eſſe conueniens accidenti vt ens eſt, numquam profecto aliud poterit aſſignari, niſi eſſe in alio, vel eſſe naturam illius conditionis, cui debeatur eſſe in alio, & ineſſe; & nota grauis, & inexcuſabilis diminutionis taxandus foret Ariſtoteles, & quicumque alij pergraues philoſophi, qui omnium entium naturam indagantes, quatenus entia ſunt, potiſſimum in metaphyſica diſciplina, numquam eſſe accidentis, quod eſt altera pars entium in mundo, quod nouem generaliſſima conſtituit aſſignaſſent: meminerit vltimo, exempla quibus Ariſtoteles hoc declarat idipſum velle, medicina enim non ſolum vt ſana ſpecialiter dicitur, ſed etiam abſolute refertur ad animalis ſanitatem; Quod ſi dixeris, minus principale analogatum ſecundum rationem ſpecialem dicere reſpectum ad principale, non autem abſolute, (hoc eſt, vt accidens, (ecce ſpecialem rationem) non vt ens) ſed ſub hac ratione, hoc eſt abſolute conuenire omnino cum principali; Iam omnis analogia aufertur, vt facile conſtat, nullum enim adfuerit ens, in quo nequeat diſtingui ratio ſpecialis, & abſoluta, & ſpecialis ſemper fuiſſet, & ex parte doctrina Ariſtotelis, & omniũ, quotquot accidentis naturam luſtrarunt, & numquam abſoluta, ac ſimpliciter totalis, quæ indigna ſunt, contra quæ arguatur. Similiter dicere, quod de eſſe accidentis, non de eſſentia habeantur ſermones, omnino ridiculum eſt, tum quoniam omnes rerum definitiones abſtrahunt ab exiſtentia, & ſolæ quidditates, & eſſentiæ definiuntur, vt inter omnes philoſophos conuenit, quare ſi accidentia definiuntur per ſubſtantiam, ergo quo ad eſſentiam pendent ab ipſa, tum quoniam dependentia exiſtentiæ alicuius rei, arguit dependentiam eſſentiæ eiuſdem, vana namque eſſet res illa, quæ actum participet, & actus quidam in ſe fuerit à nullo dependens, & tamen non poſſet per ſe exiſtere, tum quoniam nullibi abſoluta illa eſſentia, vel quidditas accidentis tradita fuiſſet, &c.

Scotus. *Eſſe accidentis.* *Alia obiectio* *Euertitur.* *Quorum ſit definitio.*

Tertio adeſt ratio Caiet. hoc loco, quam alij etiam formant, ad hoc incommodum deducens, quod ens ſi ponatur vniuocum, erit genus, quod eſt contra Ariſtotelem tertio Diuinorum 10. & aduerſatur rationi, quoniam nullum genus dicitur eſſentiali prædicatione de differentijs, per quas contrahitur, nam cõtrahens non eſt de ratione contracti, ens vero dicitur de omnibus differentijs, conſequentia vero probatur, quoniam iam ens eſt prędicatum vniuocum in quid de pluribus differentibus ſpecie, quod requiritur, ac ſufficit ad rationem, & conſtitutionem generis; Neque valet reſpondere, quod ens eo quoniam eſt tranſcendens, vel ob nimiam communitatem, vt vtar verbis Scoti in primo diſt. 3. q. illa tertia nequeat eſſe genus, vt enim bene dicebat Dominicus Sotus q. prima in Antepręedicamentis, in definitione generis nihil aliud habetur, niſi vt de pluribus differentibus ſpecie in quid prædicetur, quare eſſe tranſcendens, per accidens ſe habet ad rationem, ſeu conſtitutionem generis.

Ratio Caiet. *Ariſtot.* *Sotus.*

Et ſi aliter diceretur ad hanc rationem, quod ad hoc, vt aliquid ſit genus, opor-

tet in nulla differentia quidditatiue includi, non enim genus dicitur per ſe de differentia, vt docet, & probat Ariſtotetes ſexto Topic. cap. 3. ens autem in differentijs quidditatiue includitur, quare non erit genus; Qui ſic diceret pro Scoto, diceret contra Scotum, ipſe enim lib. diſt. & q. allegata, docet ens non prædicari de vltimis differentijs, quare nihil ſibi deeſt, quin ſit genus; Et ſi dicatur, non negare ſubtilem Doctorem ens dici de quibuslibet differentijs, ſed ſolum de vltimis, vt ibidem Scotus ipſe late ſeipſum declarat, quare erit incluſum in differentijs non vltimis, & ratione huius non poterit eſſe genus; Contra, & probo ad hominem, quod ens nequeat eſſe incluſum in non vltimis differentijs, tunc enim quando fiet additio differentiæ non vltimæ generi, eſſet nugatio, & ſic quando definiretur homo, dicendo quod ſit animal rationale, admittetur nugatio, quoniam erit eiuſdem repetitio, quod non eſſe faciendum docebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 43. conſequentia probatur, quoniam bis ens poneretur eodem modo, ſemel ratione generis, & ſemel ratione differentiæ; Siquidem ſi ſit D, prædicatum vniuocũ, & contrahatur per E, differentiam, & ex D, & E, tamquam ex genere, & differentia reſultet F, ſi prædicetur D, prædicatione eſſentiali de E, bis dicetur de F, ſemel ratione ipſius, & iterum ratione E, & ſic erit nugatio; Ita ſi ens ſit vniuocum, dicetur de animali, & rationali dicto de homine, atque ideo erit eiuſdem repetitio, & nugatio dicere, homo eſt animal rationale.

Scotus. *Ariſtot.*

Quod ſi dicatur cum Scoto ibidem, quod ſicut differentia ſumitur denominatiue reſpectu generis, ita quoque ens quod includitur in differentia, ſcilicet rationali, denominatiue ſumatur ab ente incluſo in genere, ſcilicet animali, & ſic non erit nugatio dicere, animal rationale, quoniam licet bis ponatur ens, non tamen eodem modo, quoniam ſemel ponitur abſolute, & alia vice denominatiue, in ratione generis abſolute, in ratione differentiæ denominatiue, ceu non eſt nugatio dicere, animal album, quoniam quamuis ponatur bis ens, non tamen eodem modo, quoniam in animali, quod eſt genus quidditatiue ponitur, in albo quod pro nunc accipitur loco differentiæ accidentalis denominatiue: Hæc reſponſio non tollit vim argumenti, licet enim ſit ſubtilis, ſubtilius tamen reijcitur à ſubtiliſſimo Caiet. modo enim loquimur de ente in ſua ratione communi, in qua abſque vlla diſtinctione vniuocantur, & animal, & rationale, quare oportet eodem modo rationale eſſe ens, atque ſit animal, eſt autem animal ens quidditatiue, ergo & rationale, non ergo denominatiue, ergo eodem modo bis ponetur, & ſic redit nugatio, ad quam deducebam: Dixi, nos loqui de ente in communi, quoniam acceptum ens ſecundum rationes particulares, poteſt ſeipſum denominare, quoniam inter illas rationes particulares non aderit forte vniuocatio, at in communi ſumptum, nequit ſeipſum denominare, ſi fuerit vniuocũ, nulla enim erit vniuocatio, ſi de vno formaliter, de altero autem denominatiue dumtaxat dicetur; quocirca erit & nugatio apud Scotum dicere, animal album, accipiendo primam partem rationis albi, iam enim & hæc cum prima eſſe dicatur, non erit facta particularis, ac proinde ſub prima entis ſignificatione in communi claudetur, & ſi ens ſit vniuocum, eodem modo erit ens, quo & animal, quare formaliter, quare ſemel, ac iterum eodem modo pones ens, dicendo animal album, quare nugationem committes. Et ſi quis vim faceret in verbis Scoti dicens, ens non claudi in rationali quidditatiue, & albo, ſed in rationalitate, & albedine, (docet enim ibidem, quod eſſet nugatio dicere, animal rationalitas, & animal albedo, non autem animal rationale, vel album, quoniam in rationalitate, & albedine formaliter clauditur ens, in rationali vero, & albo ſolum

Subtilis difficultas ex Scoti doctrina. *Remouetur à Caietano.* *Alia ex eodẽ difficultas.*

lum denominatiue,) tunc ait Caiet. ſequitur id quod præcipue intendimus in hoc argumento, nimirum ens in nulla differentia includi quidditatiue, quoniam quod includatur in rationalitate, hoc non facit ad rem, nam rationalitas non eſt differentia, ſed principium differentiæ, ex vera Auicennæ doctrina, quinto metaphyſicæ ſub initium cap. ſexti, in cuius rei ſignum eſt vera prædicatio, homo eſt rationalis, quoniam differentia dicitur de ſpecie, & falſum eſt pronunciatum, homo eſt rationalitas, quare &c.

Soluitur ſimiliter cum Caietano.

Auicenn.

Veruntamen Petrus Fonſeca vidit inſtantiam hanc, quam facit Caiet. deducentem ad hoc, quod in definitionibus eſſet nugatio, vidit reſponſionem Scoti, vidit inſtantiam Caiet. contra illam reſponſionem, & tandem q. 1. ſuper caput ſecundum quarti Diuinorum, ſectione quarta, inquit non recte dici à Caiet. quæ in hac impugnatione reſponſionis Scoti dicuntur, quoniam ait poſſe in natura communi vniuoca dari varietatem abſoluti, & denominatiui, vt albedinis, & albi, qualitatis, & qualis, ſi potiſſimum ſumatur natura, non vt eſt abſtracta à ſuis particularibus, & in ſuppoſitione ſimplici, ſed abſolute, & perſonaliter, veluti omnia illa prædicata, quæ ponuntur in definitionibus ſumi ſolent, nam accepta in ſimplici ſuppoſitione, non ponuntur in definitionibus, non enim dicitur, homo eſt animalitas, vel rationalitas, ſed animal rationale, quapropter dicere, homo eſt animal rationale, erit dicere, ens affectum entitate, abſque vlla nugatione, velut ſi dicatur, albedo eſſe qualitas affecta qualitate, erit enim ſenſus, quod ſit qualitas qualis; Sed pace huius auctoris, non video, quomodo non ſit nugatio dicere, ens affectum entitate, (quod ens entale vocabat Scotus vbi ſupra,) qualitas qualis, ſi de vtriſque ſit vniuoca prædicatio, vt ex Scoto ſupponimus, contra quem arguimus, iam enim eodem modo dicitur de vtroque, quod ſi non eodem modo, ergo non vniuoce, immo cum æqua penitus ſit vtrorumque ratio, veluti fingunt denominatiuum ab abſoluto venire, ita à denominatiuo poterit abſolutum proficiſci, quod eſt ridiculum; Et vt rem concludam, etiam ſi poſſit fieri denominatio entis in voce, & verbulis, non tamen erit denominatio talis, quæ faciat, vt non eodem modo ponatur ens in abſoluto, & in illo vocali denominatiuo quo ad rem, ſi ſit vniuocum, quoniam ſemper in vtroque re ipſa eodem modo ſumetur; Quando ergo negamus, primam partem alicuius poſſe denominare primam partem alterius, vt ambæ ſunt entia, negamus potiſſimum de illa denominatione, quæ ſit ſufficiens ad nugationem tollendam, quæ ſcilicet alio modo in abſoluto, & alio in denominatiuo ponatur, quod certe ſtante vniuocatione non eueniet, licet etiam quo ad denominationem vocalem, ſi abſolutum ponatur, & denominatiuum, vix poſſit videri, quomodo non intercedat nugatio, &c.

Impugnat Fonſeca reſponſionem Caiet. ad priorem ex Scoto difficultatem.

Defenditur Caiet.

Ne fallaris autem ex probatione qua vſus ſum, vt oſtenderem ens non includi quidditatiue in differentijs non vltimis, erat enim probatio ad hominem, quod dixerim propter nos, qui ſuſtinemus ens de omnibus differentijs, & vltimis quoque prædicari quidditatiue contra Scotum, vt cap. 4. quæſt. 1. videbimus, at illud incommodi de nugatione nos non angit, quoniam ſemota vniuocatione, nulla accidit nugatio, &c.

Vltimo adduco argumentum ad hominem, & dico ſic; Ens non eſt vniuocum omnibus ſubſtantijs, ergo multo minus erit ſubſtantiæ, & accidenti, conſequentia videtur clara, quoniam ſi aliquod non eſt ſecundum eandem rationem commune aliquibus, quæ magis conueniunt, multo minus erit ijs, quæ tantam non habent conuenientiam, antecedens probatur, quoniam differentiæ vltimæ ſunt

ſubſtantiæ, ſaltem ex reductione, & tamen ſubſtantijs, & vltimis differentijs ens non eſt vniuocum, ergo &c. probo, Illud non eſt vniuocum, quod non dicitur ſecundum eandem rationem, ſed ens non dicitur ſecundum eandem rationem de ſubſtantijs, & vltimis differentijs, ergo &c. maior huius probationis patet, minor eſt Scoti loco memorato, vbi vult ens dici quidem formaliter de reliquis entibus, & quidditatiue, de vltimis vero differentijs nequaquam, conſtat autem, quod dum ratio vnius eſt in aliquo quidditatiue, & formaliter, in alio vero non inuenitur hoc modo, non eſſe ſecundum vtramque rationem in vtroque, ergo non vniuoce.

Scotus.

Dubium ex Scoti doctrina.

Sed dicet Scotus, vt ibi innuit, præuidens fortaſſe hanc inſtantiam, quod ens eſt quidem vniuocum omnibus, ſed conceptibus, qui non ſunt ſimpliciter ſimplices, (quales vocat vltimas differentias) eſt vniuocum, tamquam determinabile, vel denominabile, ab vltimis namq. differentijs determinatur ens, & denominatur, cum conceptus entis ſimpliciter ſimplex ſit ſolum determinabilis, & nullo modo determinans, veluti e contra conceptus vltimæ differentiæ eſt ſolum determinans, non determinabilis, oporteret enim, quod ab aliquo adhuc determinaretur, & ſic vltima differentia non foret vltima, ſed illud à quo determinaretur, non eſt autem vniuocum tamquam dictũ in quid, eſſet enim contradictio dicere, quod ſit omnino ſimplex, & quod aliquid includat quidditatiue, &c.

Diluitur.

Sed non aduertit ſubtilis Auctor, quod hæc dicens, & docens, nullo modo, vel ſaltem leuiſſimo ſaluet vniuocationem entis, ſi enim animal diceretur quidditatiue, & formaliter de homine, vt reuera dicitur, de leone vero neque formaliter, neque quidditatiue, quis poneret animal vniuocum homini, & leoni? Ipſe quidé non percipio, quomodo aliquid dicatur de quibuſdam ſuis inferioribus in quid, non ſic autem de alijs, & illud veriſque poſſit eſſe vniuocum, non enim hæc magna inęqualitas eſt inter inferiora adinuicé, ſed inter inferiora, vt reſpiciunt ſuperius, quod ſi tanta inqualitate illud reſpiciunt, quomodo ſunt in ipſo vniuocata?

Dixi, niſi leuiſſimo modo, quoniam ſi fiat contentio, quod aliquo modo eadem ratio inueniatur in omnibus, id conceditur, ſed ſic non eſt vera vniuocatio, ad hanc enim exigitur, vt eadem penitus ratio ſaluetur in omnibus eodem modo, nam & in analogis eſt aliquo modo, vt patuit eadem ratio. Quod ſi tandem aliquis diceret, hoc ſufficere Scoto, quoniam non vult ipſe omnimodam vniuocationem in ente, ſed eam ſolum, quam ipſemet declarauit quæſt. 1. diſt. 3. in primo, quando dixit, *Ne fiat contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, cuius vnitas ſufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipſum de eodẽ. ſufficit etiam pro medio ſyllogiſtico, vt extrema vnita in medio ſic vno, ſine fallacia æquiuocationis concludantur inter ſe vnum*, & ſtatim ſubdit, *& vniuocationem ſic intellectam probo tripliciter, &c.* quæ Scoti verba conſiderans Ferrarien. primo cont. Gent. cap. 32. prope finem, & Iauellus quæſt. 1. ſuper quartum Diuin. dixerunt, in re non eſſe differentiam inter Auctorem, & Scotum, omnia namq. illa, quæ vult Scotus ſufficere ad declarandam ſuam vniuocationem, quam ponit in ente, videmus analogo etiam conuenire; Nihilominus ibidem, & quæſt. 3. ita vult Scotus ens eſſe vniuocum, quod analogiam ab illo remoueat, & velit conceptum obiectiuum entis poſſe abſtrahi à membris diuidentibus, quæ omnia plane, ſi ſit ſermo de omnimoda abſtractione, & præciſione, & de totali quoque vnitate conceptus formalis in repræſentando, inferunt veram vniuocationem; Quod ſi forte intentio eius fuerit loqui de abſtractione, & præ-

Quid ſit de ratione vniuocationis.

Ferrarieñſis, & Iauelli cogitatio.

& præciſione ſecundum quid, & de vnitate quoque conceptus formalis ſecundum quid, (hæc enim mutuo ſe conſequuntur) non oportebit dicere, ens vere vniuocum, ſed ſecundum quid, quod eſt eſſe analogum, nam & imperfectam abſtractionem modo in ſuperioribus latius declarato neque nos ab ente remouemus, quare vane tam longam quæſtionem formaſſet, qua vellet probare id, quod ab omnibus conceditur, & impugnare, quod poſtea docuit, & vocibus valde nimis eſſet abuſus, cum ea, quæ vere analogo conueniunt, tribuat vniuoco, & nomina permutet, quæ tamen in acceptione propria ſibi erant in promptu. Quare de hac Scoti ſententia, id tandem aſſero, quod ſenſit Caiet. in fine cap. 11. de nominum analogia, vbi eius mentem mente luſtrans, vere dicebat, aut Scotum male expoſuiſſe conceptum vniuocum, vel ſibi contradicere, ſi namq. identitas illa ab ipſo declarata ſufficiens eſt ad hoc, vt dicatur vniuocatio, manifeſtum eſt, quod dum ponitur ens analogum, & vnum proportione, ſatisfiet vniuocationi, ſic enim etiam fit ſatis contradictioni, vel dicendum eſt, non omnem talem identitatem ſufficere ad vniuocationem, ſi primum dicas, iam Scotus ſibi contradicit, qui vult ens habere conceptum vnum ſimpliciter, præciſum, abſtractum, &c. ſi ſecundum, vniuocationem conceptus non bene declarauit, quoniam, ad illud idem ſufficit analogia, &c. *Iudicium Caiet. & Auctoris de Scoto.*

Auctoritates Ariſtotelis, quibus hæc noſtra poſitio confirmari poſſet, in infinitum emergerent; Videas 13. primi Phyſ. & primum ſeptimi, & ſecundum quarti Diuinorũ, & habebis, ens dici multipliciter, videas quartum, & quintumdecim. eiuſdem ſeptimi, primum noni, ſecundum, & tertium duodecimi eorundem, videbis ſubſtantiam eſſe ſolum verum ens, primum ens, accidentia vero ſecundum quid, & illam reſpicere, entitatem ab illa mendicare; lege 22. & 28. eiuſdem duodecimi, comperies prædicamentorum principia, ſubſtantiæ ſcilicet, & accidentis non dici vniuoce, non æquiuoce, ſed analogice tantum, & ſubdit illo 28. quod cauſæ ſubſtantiarum, quaſi omnium cauſæ ſunt, quia illis peremptis, hæc perimuntur; vide cap. 3. vndecimi eiuſdem diuinæ philoſophiæ, inuenies Ariſtotelem docentem, ac probantem, ens neque vniuoce, neque æquiuoce, ſed analogice dici, & ait, quod eodem modo dicitur, veluti medicatiuum, & ſalubre, quæ conſtat eſſe nomina ab vno; Quare inane prorſus iudico reſpondere ad illos, qui pro Scoto aiunt, quod licet ens dicatur analogum ab Ariſtotele, eſt tamen etiam vniuocum, nam præterquam quod ſi proprie ſumatur vniuocum, & analogum, pugnat quod vtrumque de vno, & eodem ſecundum idem dicatur, & conſtat Ariſtotelem locis commemoratis ſic ea accepiſſe, quoniam de omnibus mentionem fecit, & omnia enumerando, in ſerie analogorum poſuit ens, quapropter analogum proprie accipiebat, vt diſtinguitur contra vniuocum, & æquiuocum; At quid opus eſt pluribus talem interpretationem, (ſi omnium textuum deſtructiuum poſſit dici interpretatio) reijcere, ſi ipſemet Ariſtoteles locis quibuſdam recenſitis, præcipue illo 15. ſeptimi & cap. 3. vndecimi, ita clare negat eſſe vniuocum, vt pari modo aperte affirmet analogum, & ſolum analogum? Hinc non ſatisfacit Scotus his Ariſtotelis auctoritatibus, dum loco ſæpe relato, dicit omnes auctoritates, quæ ſunt in metaphyſica, & phyſica, quæ eſſent de hac materia, poſſe exponi ob diuerſitatem realem illorum, in quibus eſt attributio, cum quo tamen ſtat vnitas conceptus abſtrahibilis ab eis, quoniam ſi loquatur de diuerſitate reali rerum, vt res ſunt, iam omnis analogia e medio auferetur, ſimiliter ſi loquatur de vnitate ſimpliciter conceptus, nequit hæc adeſſe, vt iam oſtenſum ſupponitur, ſi demum loquatur de vnitate *Multa Ariſtotelis teſtimonia pro entis analogia.* *Occurritur ei quę poſſet fieri obiectioni.* *Scotus.*

ſecun-

ſecundum quid, iam & nos hoc docemus, ſed nequit talis conceptus vocari præciſus, vel abſtractus ſimpliciter, quare non vniuocus, &c.

Auerrois pluta ad idem loca. Hanc veritatem voluere Arabes, docuerunt Græci, & profeſſi ſunt Latini, lege Auerroem in principio com. 2. lib. quarti Diuin. vbi clare docet, ens non æquiuoce dici, adferens exempla, ſed eſſe de nominibus, quæ dicuntur de rebus attributis eidem, & ſunt media inter vniuoca, & æquiuoca, primis ſimiliter verbis comm. 30. ſecundi de anima inquit, quod genera accepta in definitionibus, aut ſunt vniuoca, vt animal in definitione hominis, aut dicta multipliciter, vt ens, & potentia, & actus, vbi nedum docet, ens dici multipliciter, ſed ita, vt omino diſtinguatur à generibus, quæ dicuntur vniuoce, & comm. ſeptimi capitis primi Ethic. quaſi ſub initium ait, quod cum nomen boni ſynonime dicatur nomini entis, ambigue dicetur de decem prædicamentis, hoc eſt non ſecundum intentionem vnam, quam participent decem prædicamenta, & primis verbis comm. 2. ſeptimi Diuin. ait nimis aperte, ſubſtantiam eſſe principalius ens, & reliqua nouem prædicamenta dici entia relatione ad ſubſtantiam, ſed de mente Auerr. nullus dubitat, quin fuerit ea, quam dicimus, & omnes eius

Iandunus. ſectatores ſic illum accipiunt, vt Iandunus quæſt. 1. quarti Diuin. Zimara in tabula

Zimara. ſæpius verbo, *ens.* & prope finem theorematis 105. Auguſtinus Niphus

Sueſſanus. in expoſitione text. 15. ſeptimi Diuin. vbi quoque clare nimis idem Auerroes docet, & probat ens ita eſſe analogum, quod neque vniuocum, neque æquiuo-

Achillinus. cum, & Alexander Achillinus lib. 2. de elementis cap. 2. vbi nonnullis rationi-

Auicennas. bus, & auctoritatibus contra Scotum inuehit. Vide Auicennam primo ſuæ metaphyſicæ cap. 6. verſus finem, vbi ait, ens non eſſe prædicatum æqualiter de his, quæ ſub eo ſunt, licet ſit intentio, in qua conueniunt ſecundum prius, & poſterius, & primum eſt quidditati, quæ eſt in ſubſtantia, deinde ei quæ eſt poſt ipſam, & ſecundo eiuſdem ſcientiæ cap. 1. inquit, quod ſubſtantia eſt conſtituens eſſe accidentis, nec eſt conſtituta ab accidente, quare illa eſt præcedens in eſſe.

Alexand. Lege Alexandrum Aphrodiſæum ſuper illum 15. ſeptimi Diuin. in fine commenti, vbi omnino docet, ens non dici vniuoce, ſed analogice, eſt enim ait de eorum numero, quæ ab vno, & ad vnum dicuntur; Idipſum repetit in expoſitione tex.

Porphyr. vltimi octaui eorundem, vbi inquit ens, & vnum dici de prædicamentis, vt

Ammon. ſæpe dictum eſt, veluti ea, quæ ab vno, & ad vnum, ſic Porphyrius, Ammo-

Simplic. nus, & Simplicius locis citatis 2. art. quæſtionis, quando pro Aureolo referebantur argumẽta, cum enim dixerint ens eſſe æquiuocum, non acceperunt æquiuocum purum, & à fortuna, vt ſatis patuiſſe poteſt, dum entis æquiuocationem reiecimus, (& hoc quoque foret æque contra Scotum,) ſed certe acceperunt æquiuocum à conſilio, & Simplicius circa ſecundum ſecundi de Anima dicebat, illud quod eſt magis proprie, ac potius eſſe in ſubſtantia, quam in alijs generibus, & loquitur de prioritate, ac perfectione, non inter genera adinuicem, ſed

Themiſt. inter ipſa in ordine ad ens, vt ibidem expreſſe patet, Themiſtius quoque paraphraſi ad duodecimũ Diuin. à tex. 19. vſque ad 29. agens cum Ariſtotele de identitate, & varietate prædicamentorum, hoc ipſum habet; nam in fine 28. ſiue principio 29. colligit, quod ſi alia dicantur eſſe (genera ſcilicet nouem accidentium, & eorum principia,) hoc habent à ſubſtantia, & inquit patere à principijs ſubſtantiæ eſſe, & paulo ante dixerat, principia prædicamentorum poſſe eadem eſſe, vno trium modorum, aut vniuerſali ratione, aut proportione, & comparatione quadam, aut propterea quod principia ſubſtantiæ ſunt principia omnium.

Latini

Latini quoque ferè omnes, & antiquiores, & recentiores analogiam entis cum vniuocationis excluſione perpetuo docent, (& omitto eos, qui tamen non ſunt vltimæ notæ, quos tamquam Auerrois ſectatores allegaui,) vt Albertus Magnus quarto Diuin. tract. primo cap. 3. toto, & nono eorundem tract. primo, cap. 1. vbi quoque ſe remittit ad tertium, & quintum libros eiuſdem ſcientiæ, Alexander Alenſis in expoſitione 10. tertij libri Diuin. & aperte ſuper ſecundũ quarti eorundem, concluſionem noſtram trimembrem docet, quod ſcilicet non vniuoce, non æquiuoce, ſed analogice dicatur; Idipſum quo ad omnes tres partes docet Romanus Ægydius quæſt. 3. quarti eiuſdem. Ita Auctor, & in hac parte, & vbique de hac materia loquens, quem tota eius ſchola ſequitur, vt patet in Caiet. hoc loco, & p. p. quæſt. 13. art. 5. in Capreolo diſtinctione, & quæſtione relata 2. art. quæſtionis, in Ferrarien. primo cont. Gent. cap. 32. 33. & 34. in Soncinate primis quæſtionibus ad quartum Diuin. in Dominico à Flandria ibidem, in Soto loco ſuperius relato in prædicamentis, in Aquario dilucid. prima quarti Diuin. in Banneſio p. p. loco præfato.

Albert. Magnus. Alenſis. Aegidius. D.Thom. Caietan. Capreol. Ferrarien. Soncinas. Flandrien. Sotus. Aquarius. Bannes.

Quare opinionem, quam rationes conuincunt, & Ariſtoteles, quem tot præclara ingenia ſequuntur docuit, firmiſſime amplectimur & nos.

Et quod probatum eſt de ente comparatione ad ſubſtantiam, & accidens, breuiter poteſt probari de eodem comparato Deo, & creaturis, & quoniam quæ allata ſunt ingenioſus quiſque paucis mutatis poteſt accommodare huic propoſito, ideo vnica ratione ſpeciali probo analogiam entis ad Deum, & creaturas, & eſt Auctoris p. p. quæſt. illa 13. & art. illo 5. Creatura in ratione entis non adæquat virtutem Dei, ergo ens non vniuoce, ſed analogice dicitur de Deo, & de creatura, antecedens eſt clarum, quoniam Deus ex ſe, & ex quidditate ſua habet ipſum eſſe, immo eſt ipſum eſſe, creatura autem non ex ſe, ſed à Deo, & eatenus habet eſſe, quatenus illud recipit à Deo, &c. conſequentia deducitur, quoniam dum effectus non adæquat virtutem cauſæ, tunc nomen commune cauſæ, & effectui, non vniuoce, ſed analogice dicitur de vtroque, in eo enim ſita eſt vera vniuocatio, vt ſecundum eandem omnino rationem, nomen de aliquibus dicatur, &c. & hanc rationem adferebat ad probandum omnia nomina dicta de Deo, & de creaturis dici analogice, & eam ibidem Caiet. optime intelligebat, quod quando ratio conuenit effectui limitate, & cauſæ illimitate, ita vt in effectu importetur ratio quædam ab omnibus alijs diſtincta, in cauſa autem ratio illa formaliter, & intrinſece omnem aliam claudat perfectionem, tunc nomen, quod hanc rationem ſignificat, non dicitur vniuoce de cauſa, & de effectu; ſic eſt ratio omnium nominum dictorum de Deo, & de creatura, & præſertim ipſius eſſe, quoniam in creaturis ratio eſſe ita limitate importat eſſe, quod non bonũ, iuſtum, &c. In Deo autem ita ſignificat eſſe, vt omnem aliam perfectionem ſimpliciter illamet ratio illimitate includat, quoniam eſſe Dei in ſua formali ratione eſt quoque eſſe iuſti, boni, &c. Hinc ſubtiliter ibidem adnotabat ipſemet Caiet. quod ex identitate, & diſtinctione reali perfectionum, non intulit Auctor differentiam nominum, quo ad ſignificare perfectionem diſtinctam, & ſignificare non vt diſtinctam, cum enim noſter intellectus adunata diuidat, poteſt intelligere, & ſignificare aliquam perfectionem, abſque eo quod ſignificet conditiones in re, (iam conditiones rei coniunctas ſegregat,) quamuis enim in creatura, eſſe ſit res diſtincta ab eius bonitate, non tamen oportet, vt nomen ipſius eſſe ſignificet ipſummet eſſe cum diſtinctione à bonitate; ſed ex identitate, & diſtinctione formali omnium, quæ dicuntur de Deo, ac creaturis, nobiliter deduxit

Ratio D.Thomæ. Caietan. In creaturis ratio eſſe quę. Qualis in Deo.

duxit differentiam quoque nominum; Cum itaque ratio eſſe in Deo ſit formaliter omnia, non autem ſic in creaturis, ergo non ſecundum eandem rationem dicitur de ipſis, ergo analogice. Quomodo autem omne nomen importans formalem perfectionem in Deo, omnia in ſua ratione formali includat, & nulla ſit ibi ex parte rei diſtinctio, accurate expendam inferius cap. 6. quæſt. 2. &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Refelluntur argumenta inducta pro contrarijs opinionibus.

Prior ſolutio. RESpondeo ad primum Aureoli, qui ſuadere volebat æquiuocationem entis, quod rationes entium particularium, omnes ſimul ſunt idem cum ratione entis, ſi ipſius entis ratio ſumatur omnino diſtincta, tunc enim nihil addunt, ſed negatur, quod ita ſint eædem inter ſe, non enim identificantur alicui tertio, quod ſit aliud ab ipſis, vel illis ſuperius, tamquam vniuocum, ſed fallitur arguens, dicendo, ſunt eædem rationes entium particularium cum ratione entis vt ſic, ergo ſunt eædem alicui tertio, hoc enim non ſequitur, quoniam nihil tertium ab eiſdem omnino præciſum ponunt. Poſterior. Reſpondeo ſecundo, quod ſi accipiatur ratio entis, vel penitus confuſa, vel partim confuſa, & partim diſtincta, addunt huic rationi rationes entium particularium, non aliquem gradum, ſiue naturam, ſed ſolum expreſſionem, ſubſtantia namque, & accidens eatenus addunt ſupra ens, quatenus exprimunt modum ipſius, qui entis nomine non exprimitur, quoniã ſubſtantia ens in ſe, accidens ens in alio, quos modos non exprimit ens, vt docte nimis docebat Auctor q. de Verit. prima art. 1. & q. 21. artic. 1. & (vt bene ſpeculabatur Capreolus reſpondens huic argumento loco citato, dum adferebatur argumentum,) hæ rationes addunt, quod eſt ens, ſed non ſub ratione entis, at ſub aliqua ratione magis determinata, & magis actuali, & eſt additio alicuius repræſentati in particulari, ad ſeipſum, vt eſt repræſentatum in confuſo; hi enim modi ſubſtantiæ, & accidentis, eſſe ſcilicet in ſe, & in alio non adduntur ſimpliciter enti, hos enim dicit ens, ſed qui iam in ente repræſentabantur in communi, per rationem ſubſtantiæ, & accidentis, repræſentantur in particulari. Et breuiter ſi rogeris, rationes entium particularium addant ne, vel non addant rationi entis in communi, Dic, quod addunt neque aliquid, neque nihil, ſed addunt aliqualiter, quoniam exprimunt explicite id, quod implicite in ente claudebatur.

D. Thom. Capreol. Quomodo rationes prædicamentorum addant rationi entis.

Ad ſecundum, vt reſpondeat Capreolus multa, & multa ibidem adfert; Dicas tu breui, argumentum ſupponere, ens dicere rationem vnam ſimpliciter, de hac namq. ratione redditur verum, quod eſt media per abnegationem differentiarũ, in quas diuiditur, animal enimneque eſt rationale, neque irrationale, iam enim præcedenti quæſt. ad aliud caput docuimus abunde, in vniuoco aliud eſſe id, per quod conſtituitur, & aliud id, per quod diuiditur: Analogum autem ab eodem habet, & quod conſtituatur, & quod diuidatur; Dico ergo rationem entis eſſe, & abſolutam, & reſpectiuam, ergo nullam dicit ens rationem, quæ ſit vna, concedo de vnitate ſimpliciter, nego de vnitate analogiæ, & proportionis, nam dicit multas rationes, vt ſimiles, patet autem, nullam eſſe illationem, ſi dicatur, ergo omne ens eſt abſolutum, ergo omne ens reſpectiuum, ſit enim tranſitus à toto, ad partem, quoniam ens dicit omnes rationes, hoc vero, & illud ens.

Ratio entis qualis.

hanc

hanc ſimiliter, & illam rationem; Dico tamen edoctus ab Auctore q. illa de Verit. 21. art. illo primo ad primum, quod conceptus entis eſt abſolutus, quod ſic intelligo, quod ens, vt ſic in communi, & confuſo ſignificatum, non dicit habitudinem ad aliud, & quatenus ab analogatis modo ſuo abſtrahitur, non relatiue, ſed abſolute concipitur, non tamen ſequitur, ergo omne ens eſt abſolutum, nam fit deſcenſus tunc ad particularia entia, & ex conſequenti, ad diſtinctam ſignificationem, quæ eſt, & abſoluta, & reſpectiua; ſic illa propoſitio, Nullus conceptus per aliquas differentias diuiſus, ſi dicat rationem vnam, in alteram illarum incidit, veritatem habet de ratione omnino vna, & ab illis differentijs ſimpliciter abſtracta, non de ratione vna proportionaliter, quę nihil aliud eſt, quam rationes illarum differentiarum, vt ſimiles ſunt, &c. D. Thom. Quomodo cõceptus entis ſit abſolutus.

Ad tertium ex eadem doctrina patet, non enim dicit ens rationem ſimpliciter vnam, in qua conueniant generaliſſima, & ſic non ſint omnino diuerſa, & ſuprema, vel qua media ſignificentur ab ente, vt ruat præhabitæ quæſtionis determinatio, & quando negamus ens ſignificare mediate ſubſtantiam, & accidens, non eſt ſenſus, vt abſque conceptu medio ſignificet, ſatis enim patet, quod nomen primo ſignificat conceptum, deinde illo medio rem, ſed intelligimus, quod nullam rem ſignificet prius, quam ſubſtantiam, & accidens, ſignificat tamen illa conceptu medio, quæ eſt ratio entis, non vna ſimpliciter, ſed proportionaliter, vt millies fuit declaratum; Et breuiter, conſpiciet quiſque, argumenta Aureoli deſtruere rationem ſimpliciter vnam, ac præciſam à naturis prædicamentalibus, non tamen vnam proportione, quare nobis fauent. Quomodo ens ſignificet immediate ſubſtantiam, & accidens. Quid efficiãt rationes Aureoli.

Ad vltimum illorum pro æquiuocatione patuit reſponſio, quoniam nomine æquiuoci, nil aliud voluerunt denotare doctores commemorati in argumento, & alij, ſi qui ſint, quam analogum, vt enim innuebatur, & vt colligitur ex Ariſtotele quarto de Cœlo, & mundo 34. medium alteri extremo comparatum, alterius extremi nomen induit; & quoniam ens eſt æquiuocum à conſilio, & magis ad æquiuoci rationem accedit, (quoniam analogum dicit plura ſimpliciter, vt ſunt vnum ſolum ſecundum quid,) ideo non male potuit appellari æquiuocum, hoc eſt non vniuocum. Ariſtot.

Ad primum eorum, quæ à Scoto pro vniuocatione adducebantur, quod fuit prius Auicennæ, vt præmiſſum fuit, communiter, & bene reſpondent omnes, probare alietatem conceptus, non vniuocationem, non enim quæcumque alietas eſt vniuocationis, aut præciſionis, nam poteſt eſſe quoque proportionis, & analogiæ, in hac namq. datur & abſtractio, & alietas à ſuis analogatis, modo non ſemel declarato; quapropter, ſi ego certus ſim, quod aliquid coram me poſitum ſit ens, dubitemq. num ſit ſubſtantia, num accidens, ille conceptus eſt alius ab illis ſubſtantiæ, & accidentis, non ſimpliciter, ſed vt continens, & includens, & totum, aliud eſt à contentis, ab incluſis, & à partibus; tandem cum illud de quo certus ſum eſſe ens, in re ipſa ſit, vel ſubſtantia, vel accidens, (da enim oppoſitum, nihil erit,) dubitatio vero illa, & certitudo non ſint differentiæ illius rei, & conceptus in ſe, ſed quatenus à me concipitur, miror valde, quomodo exaggeretur argumentum deſumptum ex alietate, non penes conceptum, ſed penes concipientem; Et quidem, cum eadem res, quæ mihi eſt dubia, alteri poſſit eſſe certa, & ego ipſe conceptum dubium, & firmum de illa re, habeam firmũ de ente, dubium de quo ente, ille vero qui nouit eam rem, vnicum, eundemq. ipſius habeat conceptum, ſi hæc alietas ex parte concipientis inferat vniuocationem, iam eadem res alicui erit vniuoca, alicui non vniuoca, quoniam alietas Communis, & idonea ſolutio. Alia pro ſolutione argumenti.

illa apud aliquem ceſſabit. Rurſus, ſi talis alietas faciat vniuocationem, ergo omne æquiuocum in ordine ad aliquem erit vniuocum, quoniam ſtabit, aliquem eſſe certum, quod canis currat, ignoret tamen, ſit ne canis marinus, an cœleſtis, an terrenus, & ſic habebit alietatem conceptus certi, ac dubij, & ita canis conceptus apud hunc erit vniuocus quod eſt ſtultum. Demum, arguere à conditione cōmuni ad particulare aliquid inferendū, eſt prorſus inane, conſtat autem, quod alietas aliquo modo, & in vniuocis, & æquiuocis, & analogis locum habet, ergo vbi adeſt alietas, inferre vniuocationem, eſt arguere à ſuperiori, ad inferius affirmanter, ab alietate, ad hanc alietatem. Videant ergo, quot infirmitatibus laboret hoc argumentum; quod à quibuſdam firmiſſimum falſo iudicatum fuit.

Ad ſecundum negatur vtraque conſequentia, & ad probationem primæ dic, quod creatura continet Deum, non quidem formaliter, ſed virtualiter, non tamquam cauſa effectum, vt bene probabat argumentum, ſed velut effectus cauſam, nam & effectus participat cauſam ſuam, & quod hoc modo cōtinet, neque prius, neque perfectius eſt, ſed neceſſario poſterius, ac imperfectius, quo modo ſunt creaturæ in ordine ad Deum, & accidentia ad ſubſtantiam; Et ſi dicatur, quod virtualis continentia cauſæ dumtaxat ab omnibus tribuatur, quare nouus videtur hic modus loquendi, & forte vocis abuſus, ſi inquam fiat vis in hoc, dicito illam continentiam, neque eſſe formalem, neque virtualem, ſed participatiuā, hinc diminutum fuit argumentum, quando non omnes continendi modos adduxerit. Secundus vero diſcurſus ſupponit falſum, quoniam ſubſtantia per propriam ſpeciem à nobis cognoſcitur, & cauſatur ſpecies illa à phantaſmate, non vt ſic, ſed in virtute illius ſubſtantiæ, à qua productum eſt, vt calor quoque in virtute animæ cauſat carnem, ſicut edocemur ab Ariſtotele 2. de anima 41. ſed de hac re alias; Quod vero ſubditur de abſentia panis in ſacroſancta hoſtia conſecrata, quæ ab intellectu non percipitur, quoniam res hæc theologica eſt, theologicam ſolutionem adfert Caiet. in præſenti, ſubſtantia namque illa panis licet abſit quo ad eſſe, non tamen abeſt quo ad operari, quoniam accidentia illa, quæ ibi abſque ſubiecto remanent, omnes illas exercent operationes, quas exerceret ſubſtantia, ſi præſens eſſet, veluti enim ibi modum, quo ſint ſubſtantialem acquiſiuerunt, (non enim ſunt in alio, ſaltem quantitas, nam alia poſſunt dici quod ſint in quantitate, tamquam in alio, & tamquam in ſubiecto,) ita & modum operandi, quare immutant intellectum eo modo, quo immutaret ſubſtantia panis; non ergo talis ſubſtantia abeſt, loquendo de abſentia requiſita ad non immutationem, licet penitus abſit quo ad eſſe; nil mirum ergo, ſi non percipiatur ab intellectu talis abſentia, cum non ſit abſentia non immutatiua.

Potes tamen facilius, & breuius tu qui Theologiam non penetraſti dicere, quod à potentia naturali cognoſcitur abſentia ſui obiecti, quando illa abſentia ſit modo naturali, ſi autem fiat ſupernaturaliter, & miraculoſe, veluti fit in propoſito, non eſt neceſſe, quod talis abſentia cognoſcatur, immo neque poteſt cognoſci à potentia naturali vt ſic, licet cognoſcatur ab ipſa, altiori aliquo lumine, puta fidei, in hac vita adiuta, in cuius rei ſignum, ab infideli nulla via illa abſentia percipietur, dicet enim non credens perfido ſpiritu, & falſitatis pleno ductus, ibi adeſſe panis ſubſtantiam. Dicas ergo, abſentiam obiecti cognoſci à ſua potentia, vel quando eſt abſentia totalis, quo ſcilicet, & ad eſſe, & ad operari, vel quando abſentia eſt modo naturali, (ſic enim loquimur naturaliter,) neutro modo autem abeſt in ſanctiſſima hoſtia panis ſubſtantia, quoniam quo ad eſſe tantum, ratione primi, & ex miraculo, ratione ſecundi.

D. Thom.

Qua cōtinentia contineat creatura Deū.

Ariſtot.

Caiet.

Quando obiecti abſentia cognoſcatur à potentia.

Ad

Ad tertium negatur conſequentia, & probatio procedit de notitia clara, & diſtincta, per hanc enim oporteret videre, quam vnitatem, quam diuerſitatem importet ly *ens*, quod quidem hoc modo non cognoſcitur primo, ſed ſolum confuſe, vt quæſtione de primo cognito fuſius explicatum eſt; Sed & argumentum ſupponit, quod cognoſcatur ens abſtractione formali, & quatenus formaliter analogum exercet, quod non dicimus primo cognoſci, ſed ſolum, quod re oblata intellectui, & multos in ſe conceptus continente, agnoſcatur inter illos primo conceptus entis confuſe, quid vero tale ens dicat, quomodo ſit vnum, quomodo proportionaliter ſe habeat ad alia, (de quo ente loquitur præſens quæſtio,) longa, & ſubtili indiget conſideratione. Itaque concipitur tunc, vt vnum, & vt vnus vnius rei, quæ intellectui occurrit conceptus, & non vt includit analogiam, non vt eſt alteri ſimile, & ſic probationes adductæ nihil valent. Ad primam confirmationem, dicitur vnitatem potentiæ attendendam eſſe ex vnitate, non materiali, ſed formali ſui obiecti, alioquin ſi ex vnitate materiali eſſet metienda, vnicam tantum rem numero poſſet cognoſcere quæuis potentia; Rurſus, ſi vnitas obiecti deberet reſpondere vnitati potentiæ, concluderetur, ens eſſe qualitatem vnicam numero, ſicut eſt ipſe intellectus; ſufficit ergo vnitas formalis in ente, quod ponitur obiectum intellectus, ſicut in colore, qui eſt obiectum viſus, ſub quo tamen cadunt, & corruptibilia, & incorruptibilia, quæ vnum dicuntur, comparata ad rationem immutandi facultatem videntem, ſic omnia entia cadunt ſub intellectus obiecto, & huic vnitati, quæ non eſt numerica, non ſpecifica, non generica, ſed analogica ſolum, & proportionalis, reſpondet vnicus intellectus, qui eſt immateriale quoddam, quod æquiualet infinitis indiuiduis materialibus ſub genere analogo, ceu & in omnia bona voluntas creata, quæ eſt ſimplex qualitas tendit, & illis quoniam immaterialis eſt correſpondet, vt ſcite, ac profunde docebat Auctor prima ſec. q. 10. art. 1. ad tertium. Ex hoc patet ſolutio ſecundæ confirmationis, quoniam ad vnitatem ſcientiæ ſufficit vnitas analogiæ, & huic confirmationi formalem reſponſionem dedit Ariſtoteles quarto Diuinorum 2. dicens; non enim ſolum eorum quæ ſecundum vnum dicuntur, verum etiam eorum quæ ad vnam naturam dicuntur, vnius ſcientiæ eſt ſpeculari, &c. Conſtat autem vnitatem, & formalem, & analogiæ inueniri in ente, hinc merito primi, vnius potẽtiæ; merito ſecundi, vnius ſcientiæ poteſt eſſe obiectu, ratione primi, ruit prior cõfirmatio, ratione poſterioris, tollitur ſecunda &c.

Ex qua obiecti vnitate attendatur illa potentiæ.

D. Thom.

Quæ vnitas ſufficiat ſciẽtiæ.

Ariſtot.

Ad quartum egregie reſpondebat Capreolus, & reſponſio ſtat in negatione conſequentiæ, quoniam quamuis paſſio propria veriori, & perfectiori modo inſit ſuo ſubiecto, quam alteri, non tamen oportet, vt inſit ei in ſua ratione, vel ſuo communi, ſicut licet hæc paſſio, quæ eſt riſibilitas conueniat primo homini in communi, quam Sorti (non enim Sortes vt Sortes, ſed vt homo ridet,) non oportet tamen, vt ratio hominis ſit riſibilis, paſſio ergo non ineſt primo ſubiecto in ratione ſua; ſed in ſuppoſitis ſuis, hinc non eſt neceſſe, quod ratio obiectiua entis ſummam habeat vnitatem, ſed ratio illa ſpectata in ſuppoſitis ſuis ſummam habet vnitatem, quoniam in aliqua natura, vbi multæ rationes concurrunt, vnitas ſequitur primo rationem entis, & dabat facile exemplum ibidẽ Capreolus de lapide, in quo ineſt ratio lapideitatis, ſubſtantialitatis, ac entitatis, & vnitas non ſequitur primo rationem lapideitatis, vel ſubſtantialitatis, ſed entitatis, &c.

Capreolus.

At iuxta ea, quæ ſæpius adducta ſunt, confuto ipſe facilius, & breuius hoc argumentum & dico, quod paſſio ineſt primo ſubiecto ſuo, quam alteri, dummodo

illud ſubiectum dicat aliam naturam, alium gradum præciſum à ſuis inferioribus, tunc enim illi ſubiecto poteſt aliqua paſſio ineſſe, at ſi ſubiectum illud non habeat aliud eſſe ſimpliciter, quam in ſuis inferioribus, veluti eſt omne analogum, quod pluries iterauimus de ente, qui fieri poterit, vt paſſio ei primo inſit? profecto omnis paſſio aliquid ſupponit, cuius ſit paſſio, ens autem non eſt aliquid præter ſuppoſita ſua, ſubſtantiæ ſcilicet, & accidentis, quare nequit ei præciſo, & ab illis abſtracto ineſſe paſſio; Sed falluntur plerique, qui dicentes ens, putant ſe aliquid vnum ſimpliciter dicere, & tamen plura ſunt ſimpliciter, & vt vnum proportione conſiderata, & hoc eſt quod ſæpe eo loco inculcat Capreolus in reſponſionibus ferè ad omnia argumenta, quod concludunt, ens habere conceptum vnum per attributionem, hoc eſt analogice, non vnum ſimpliciter.

Ad primam confirmationem negatur, quod vel primum complexum, vel propoſitiones, in quibus ponitur ens ſint diſtinguendæ ob ambiguitatem, quæ in eis inueniatur, non enim omnis multiplicitas requirit diſtinctionem, ſed ſolum illa, quæ diuerſas rationes dicit in actu, & explicite, veluti ſi diceretur, omne ſanum eſt animal, ly enim *ſanum*, dicit vnam rationem principaliter, & vltra hoc, explicite habitudines varias ad illud ſanum, analogum vero, quod dicit rationem vnam ſolum explicite, vnam inquam proportione, quod dicit etiam vnum conceptum formalem, qui repræſentat rationem obiectalem, imperfecte ſaltem, cuiuſmodi eſt ens, non dicit multiplicitatem, quæ neceſſario exigat diſtinctionem; dico neceſſario, quoniam non nego poſſe diſtingui, immo ſecurius inceditur, ſaltem ab illis qui non ſunt ſublimis ingenij, quando fit diſtinctio; Hinc loco Elenchorum citato in argumẽto docebat Ariſtoteles eſſe diſtinguenda hæc nomina, & ſi ſermo ſit de multiplicitate illa explicite importata, præceptum erit, quod tradit Ariſtoteles, ſi de quacumque multiplicitate, conſilium eſt iudicandum; Diſtinctio autem hæc de duplici multiplicitate fundata eſt in doctrina iam allata quinto art. quæſtionis, vbi docuimus, quædam analoga importare formaliter, & in actu ſignato relationem ad aliud, quædam vero, non niſi fundamentaliter, & in actu exercito, quare priora poſſunt parere ambiguitatem, niſi diſtinguantur, non autem poſteriora. Alia argumenti confirmatio, alietatem conceptus entis probat, non vniuocationem, & docemus, ens importare alium conceptum à ſuis inferioribus particularibus, & omni conceptu particulari eſſe communiorem, ſicut ſunt propoſitiones citatæ in illa confirmatione.

Quæ multiplicitas poſtulet diſtinctionem.

Ariſtot.

Ad vltimum iam patuit, quid ſit dicendum, quoniam quando ens vocatur vniuocum, conſideratur merito identitatis incluſæ, & tunc comparatur æquiuoco, quod omnimodam diuerſitatem importat, & ea ratione dicitur vniuocum, ſicut collatum cum vniuoco, ob diuerſitatem, quam continet dicitur æquiuocum. Auicennas vero nil aliud voluit, niſi alietatem conceptus entis, vt oſtenſum fuit in eius argumento, & vt eius inducta verba ſuperiori art. explicatius indicarunt. Auctor denique noluit dicere ens, & vnum dici æqualiter de ſuis inferioribus, ſed voluit, (vt & Ariſtoteles ibidem,) quod eo modo quo dicitur vnum, dicatur & ens, analogice autem vtrumque, adeo vt ly *æqualiter* non reſpiciat ea de quibus, ſed ea quæ dicantur, non inquam ens, & vnum ex vna parte, & inferiora ex altera, ſed vnum ex vna, ens ex altera parte, & ſic quo modo dicitur vnum, dicitur & alterum, &c.

Auicenna.

Et hæc de hac quæſtione de entis analogia, quæ ſi coniungatur cum præcedenti, vbi

L iii

ti, vbi de vnitate conceptus entis, eiuſque immediatâ ſignificatione diſputatum eſt, ardui huius negotij abſoluta penitus fortaſſis habetur notitia, & quæ omnia difficiliora ſcripſit Caiet. toto ſuo de nominum analogia tractatu, explicata videntur, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

An ſimplicitas dicat perfectionem ſimpliciter, an ſecundum quid.

CIRCA ſecundam partem, vbi docebatur ſubſtantias ſimplices nobiliori modo participare eſſentiam, & hoc probabatur ratione priori, quoniam vbi nobilius eſſe, ibi nobilior eſſentia, ſed in ſimplicibus ſubſtantijs nobilius eſt eſſe, &c. occurrit quæſtio definienda, num ſimplicitas dicat perfectionem ſimpliciter, huius enim rei declarationem, & litera, & quæ circa illam adnotauit Caiet. poſtulare videntur; Quod vt declarem, quinque præſtabo, aperiam primo ſenſum quæſiti, adducam ſecundo opinionem, quam non credo veram, & pro ea arguam, veritatem tertio loco definiam, & declarabo, quarto eandem confirmabo; vltimo rationes in contrarium diluam. Facienda in hoc quæſito.

Quo ad primum, Scias, quod duplex genus perfectionum inuenitur, quædam enim dicuntur, & ſunt perfectiones ſecundum quid, ſeu in genere, quædam ſimpliciter, ſeu in ente, perfectiones illæ ſimpliciter ab omnibus iuxta doctrinam D. Anſelmi in ſuo Monologio definiuntur hoc modo, vt illa ſit ſimpliciter perfectio, quæ in vnoquoque melior eſt ipſa, quam non ipſa, ſiue quam in vnoquoque melius eſt eſſe, quam non eſſe, quam definitionem Scotus primo ſent. d. 2. q. 7. Ad primam quæſtionem, & plenius d. 8. q. 1. reſpondens primo argumento & Caiet. in præſenti, & Sueſſanus in deſtructione deſtructionum Auerrois diſputatione 11. non longe ante finem, & Banneſius p. p. q. 3. art. 7. dubio 3. & Molina ibidem diſputatione ſexta, & Gregorius de Valentia q. 4. art. 2. ſic declarant, quod in vnoquoque, quatenus eſt indiuiduum entis, id eſt hoc ens, non quatenus eſt indiuiduum huius, & illius naturæ melior eſt, meliorem ſcilicet perfectionem ponit, quam non ipſa, hoc eſt quam quodlibet ſibi incompoſſibile & repugnans, ita vt ly *non ipſa* teneatur incompoſſibiliter, non contradictorie; aliàs tunc omne poſitiuũ eſſet ſimpliciter perfectio, quoniam melius eſt in indiuiduo entis quodcumque poſitiuum, quam ſuum contradictorium, ſi formaliter ſumatur, quoniam ratione fundamenti aliquod contradictorium poterit perfectius eſſe poſitiuo, ſicut non corporeum poterit eſſe nobilius, quam corporeum, non formaliter acceptum, ſic enim negat materiam corpoream, quam ponit corporeum, quam conſtat vt ſic meliorem eſſe non ipſa, fundamentaliter autem maiorem dicet perfectionem, quoniam ponet naturam ſubſiſtentem. Perfectio vero ſecundum quid, & in genere ea erit, quæ melior eſt in indiuiduo huius, vel illius naturæ, quam contradictorium ſuum. Diſcurrere igitur, gratia exempli, non erit perfectio ſimpliciter, licet enim ſit bonum indiuiduo huius naturæ, ſcilicet humanæ, non tamen indiuiduo entis, tunc enim, & in Angelo, & in Deo oporteret collocari; Rurſus, non eſt melius, quam quodlibet ſibi incompoſſibile,

Duplex perfectio.

Quæ ſit perfectio ſimpliciter.

Scotus. Caietan. Sueſſanus. Bannes. Molina. Greg. de Valentia.

Quæ perfectio ſecũdum quid.

bile, vel repugnans, quoniam non eſt melius, quam ſimplici intuitione intelligere, quod tamen pugnat cum diſcurſu, neque alterum, alterum compatitur, licet ſit melius, quam ſuum contradictorium vt ſic, hoc eſt, quam non diſcurrere, & ex eodem habetur, quod eſt perfectio ſecundum quid, & in genere, quoniam melius eſt homini, vt homo eſt, (ecce indiuiduum, non entis vt ſic, ſed talis naturæ) diſcurrere, quam non diſcurrere.

Quomodo intelligatur *non ipſa* in definitione perfectionis ſimpliciter.

Vnde quando nominati doctores dicunt ly *non ipſa* in definitione perfectionis ſimpliciter teneri, non contradictorie, ſed incompoſſibiliter, nolunt (vt ego ſentio) negare, quod non ſe teneat contradictorie, ſed volunt docere, quod nedum contradictorie, ſed etiam, quod incompoſſibiliter ſe teneat, ad differentiam perfectionis ſecundum quid, quæ melior eſt, quam non ipſa contradictorie tantum. Sapientia namque, quæ eſt perfectio ſimpliciter, eſt melior cuilibet indiuiduo entis vt ſic, quam non ipſa, nedum contradictorie, nedum ſcilicet non ſapientia, ſed etiam quam quodlibet ſibi repugnans, & quod ſecum non poſſit ſtare, ſic eſt melior lapideitate, corporeitate, & alijs, quæ cum ea non ſint compoſſibilia, vbi namque lapideitas, vel corporeitas, ibi nequibit eſſe ſapientia; Diſcurrere autē, quod eſt perfectio ſecundum quid, licet ſit melius ipſo non diſcurrere vt ſic, (ecce non ipſum contradictorie,) non tamen eſt melius quocumque ſibi repugnante, vel incompoſſibili, (quod eſt non ipſum incompoſſibiliter,) quoniam non eſt melius intellectione ſimpliciſſima, quæ nequit ſtare cum diſcurſu, ſed ei prorſus repugnat; Quod autem in perfectione ſimpliciter ly *non ipſum*, ſumatur vtroque modo explicato, nedum exemplum inductum de ſapientia, quod & in omnibus inductiue poteſt adferri, cum ſit melior vita, quam non vita, amor, quam non amor, &c. oſtendit, ſed & ipſa vox, & ratio cogit, ſi enim tenetur incompoſſibiliter, certe tenebitur, & contradictorie, quoniam nil magis incompoſſibile, aut repugnans alicui eſſe, vel intelligi valet, quam ſuum contradictorium, & ideo præclara illa ingenia, hoc tamquam manifeſtum reliquiſſe puto, & incluſum voluiſſe in ly *incompoſſibiliter*, &c.

Alia via, quæ ſit perfectio ſimpliciter, & quæ ſecundum quid.

Scias deinceps, quod alia via breuiori, & faciliori poteſt vtraque perfectio notificari, dicendo, quod perfectio ſimpliciter ea eſt, quæ in formali conceptu ſuo ſignificat perfectionem, abſque vlla imperfectione, illa autem ſecundum quid, quæ ſignificat cum perfectione imperfectionem admixtam, vt ſapientia dicit in formali conceptu ſuo perfectionem, quæ eſt in cognitione rerum per cauſas altiſſimas, vbi nulla imperfectio eſt annexa, quod enim in nobis ſit qualitas, ſit accidens, hoc non dicit de formali, alioquin vbicumque reperiretur, id diceret, ſed eſt merito ſubiecti, in quo inuenitur, lapideitas vero dicit quidem perfectionem, naturam ſcilicet illam, & eſſe illud, ſed adeſt coniuncta imperfectio, quoniam vt ſic multas alias perfectiones, vt patet excludit.

Comparatio inter duas illas perfectionum notificationes.

Et has deſcriptiones cenſeo ipſe eſſe rationem, & cauſam deſcriptionum prius allatarum, adeo vt iſtæ ſint à priori, illæ à poſteriori, ita quod, quoniam aliqua perfectio ita dicit perfectionem, quod nullo modo imperfectionem, ideo melior eſt in vnoquoque indiuiduo entis, quam non ipſa, & non quoniam ſit melior in vnoquoque, ideo dicat perfectionem abſque imperfectione; Moueor primo, quoniam dum dico perfectionem ſimpliciter eam eſſe, quæ in ſuo conceptu formali dicit perfectionem ſine imperfectione, naturam ipſius perfectionis ſimpliciter rimari videor, & quid ipſa ſecundum ſe ſit contemplor, quando autem dico illam eſſe, quæ melior eſt in vnoquoque &c. quaſi eius proprietatem intueor, quomodo ſcilicet ſe habeat ad eſſe in hoc, vel in illo, quæ ipſam ſequuntur,

tur, & non conſtituunt, idem proportionaliter dicas de perfectione ſecundum quid, moueor deinde, quoniam tota ratio, quare melior ſit in indiuiduo entis perfectio ſimpliciter, eſt quoniam perfectionem ſolum dicit, & nullam imperfectionem, melius eſt autem cuilibet indiuiduo entis vt ſic habere perfectionem, quam imperfectionem, quæ importaretur cum illa ei incompoſſibili, non enim vna perfectio ſimpliciter eſt incompoſſibilis alteri, ergo eſt incompoſſibilis perfectio ſecundum quid, ergo aliqua imperfectio; ſimiliter tota ratio, quare perfectio ſecundum quid ſit melior indiuiduo huius, vel illius naturæ eſt, quoniam quodlibet indiuidum huius, vel illius naturæ vt ſic, oportet quod ſit aliqua natura, aliquam habeat quidditatem, (àliter nihil eſſet,) ecce perfectionem, quam dicunt, oportet deinde, vt talis, vel talis ſit naturæ, & quidditatis, aliàs ab alijs non ſecerneretur, & quoniam multæ quidditates vt ſic important neceſſario perfectionem cum imperfectione, (de ratione namque lapidis vt lapis, eſt quod non viuat, quod non intelligat,) ideo talis perfectio cum imperfectione neceſſario coniuncta melior eſt ipſis, ſi enim lapis viueret, vel intelligeret, iam lapis non eſſet lapis, & ſic viuere, & intelligere non eſt melius ipſi, vt lapis, quamuis melius eſſet ei, vt ens eſt, &c.

Quærimus ergo, num ſimplicitas ſit in claſſe perfectionum ſimpliciter, & in ente, vel ſecundum quid, & in genere, an inquam ita dicat de conceptu formali perfectionem, quod nihil imperfectionis admiſceat, an vero perfectionem ſimul cum imperfectione, & quærimus, num reuera ita ſit ex vi rei, & obiectiue, non autem ex modo ſignificandi, vel exprimendi; vel intelligatur à nobis, &c.

Quo ad ſecundum; Doctor Subtilis loco poſterius memorato docet, ſimplicitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, & poteſt hæc opinio robur trahere ex quibuſdam rationibus, quæ non videntur inualidæ, & ratio quæ forſan induxit Scotum, vt hoc aſſereret, ea eſt, quoniam nihil ponitur in Deo tamquam eſſentiale, vel nullum eſt attributum diuinum, quod non dicat perfectionem ſimpliciter, at ſimplicitas tribuitur Deo, tamquam aliquod eſſentiale, & eius attributum dicitur, ergo dicit perfectionem ſimpliciter. *Opinio Scoti.* *Eius fundamenta.*

Secundo, Perfectio ſecundum quid dicit perfectionem cum imperfectione, vt dictum eſt, at ſimplicitas nullam prorſus importat imperfectionem, alioquin locum non haberet in Deo, ergo non eſt perfectio ſecundum quid, ergo perfectio ſimpliciter.

Tertio, Simplicitati conuenit definitio perfectionis ſimpliciter, ergo eſt perfectio ſimpliciter, conſequentia patet per locum à definitione, ad definitum, probatur antecedens, quoniam nullam maiorem perfectionem excludit ab indiuiduo entis vt ſic, nam da oppoſitum, ergo vbi eſſet ſimplicitas, ibi deeſſet maior illa perfectio., & cum in Deo ſit ſimplicitas, videbitur, quod ipſi deſit aliqua perfectio maior, quod eſt penitus abſurdum.

Quarto, & vltimo; Videtur hæc expreſſa ſententia Auctoris hoc in loco, ſi enim ratio ſua prima, qua probat in ſubſtantijs ſimplicibus excellentiorem adeſſe eſſentiam debeat valere, oportet, quod ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter, ait enim; quod ſimplicia veriori, & nobiliori modo habent eſſe, & hoc ex eorum ſimplicitate clarum relinquit, ſi ergo ex ſimplicitate infertur dignitas eſſe, & eſſentiæ, quis non dicat ſimplicitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, cum ex ipſa colligatur perfectio perfectionum, quæ eſt eſſe, quod ab eodem p. p. q. 3. art. 4. vocatur actualitas omnis formæ, & naturæ. Confirmatur, quia ipſemet primo *D. Thom.*

cont.

cont. Gent. 18. quinta ratione ait, in quolibet genere, tanto aliquid eſſe nobilius, quanto ſimplicius, & 11. Diuinorum cap. 6. lectione ſeptima, parum ante finē ait, quanto aliquid eſt ſimplicius, & formalius in entibus, tanto eſſe nobilius, & prius, & magis cauſa reliquorum, & quæſtionibus diſput. de Veritate q. 5. art. 2. ad ſecundum, & q. 8. art. 14. ad ſextum, & vltimum ſecundo loco adductorum, docet, quo aliquid eſt ſimplicius, eo eſſe maioris virtutis, & principium pluriū, quod & clare habet ſecundo con. Gent. 14. quare ex ſimplicitate videtur nobilitas omnis, prioritas, & cauſalitas prouenire, & hæc de ſecundo.

Oppoſita D. Thomæ ſententia.

Quo ad tertium; Contrariam ſententiam docet Auctor 4. ſent. diſt. 11. q. 2. art. 1. ad primum, vbi manifeſte ait, quod ſimplicitas per ſe non eſt cauſa nobilitatis, ſed perfectio, & ſubdit, quod vbi inuenitur perfecta bonitas in vno ſimplici, ſimplex eſt nobilius, quam compoſitum, quando autem ſimplex eſt imperfectum, compoſitum vero perfectum, tunc compoſitum eſt nobilius, quam ſimplex; & p. p. q. 3. art. 7. ad ſecundum ait, quod apud nos compoſita ſunt meliora ſimplicibus, quoniam perfectio bonitatis creaturæ non inuenitur in vno ſimplici. Quem ſecutus eſt Caiet. præſenti loco, Capreolus in primo d. 8. q. 2. in ſolutione ſecundæ probationis ſexti argumenti, contra primam concluſionem, vbi adducit locum ex p. p. mox citatum, Soncinas 12. Diuinorum q. 22. ad ſecundum, & q. 26. ad tertium, Iauellus octauo Diuinorum, prope finem q. decimæſextæ, dum reſpondet ad ſecundum argumentum, Aquarius in calce dilucidationis quintæ ſuper eundem librum, Banneſius, & Molina p. p. locis ſupra relatis; Ferrar. quoque primo con. Gent. cap. illo 18. ab hac ſententia non videtur recedere.

Caietan. Capreol. Soncinas. Iauellus. Aquarius. Bannes. Molina. Ferrariēſis.

Huic itaque ſententiæ & me ſubſcribo, tum ob auctoritatem D. Thomæ, & virorum perilluſtrium, quos recenſui, tum quoniam firmiſſimas certe pro ſe habet rationes, vt videbimus.

Quid dicat ſimplicitas formaliter. Quid fundamentaliter.

Pro cuius declaratione aduerte, quod bifariam poteſt ſumi ſimplicitas, formaliter ſcilicet, & fundamentaliter, & quidem ſi formaliter capiatur, inter negatiua prædicata connumeranda eſt, nil enim aliud vt ſic importat, quam negationem compoſitionis, fundamentaliter autem ſignificat naturam, & rem, quam dicit, alienam à compoſitione, & quoniam illa natura aliquando eſt ſubſiſtens, aliquando non, hinc quando erit ſubſiſtens, ratione illius ſubſiſtentiæ dicet perfectionem, non ratione ſimplicitatis, vel naturæ vt ſic: Hanc doctrinam poſſum alia via explicare dicendo, quod duplex eſt ſimplicitas, quædam abſoluta, & quædam talis, abſoluta non dicit perfectionem ſimpliciter, ſed ſolum negationē imperfectionis, talis vero ſimplicitas poteſt dicere perfectionem ſimpliciter, puta ſi fuerit in natura ſubſiſtenti, hinc materia prima, accidentia, elementa, non ſunt perfectiora mixtis ſubſtantialibus, licet illa ſint iſtis ſimpliciora, quoniam gaudent ſolum ſimplicitate abſoluta, & formaliter, hoc eſt, non ſunt compoſita, non autem gaudent ſimplicitate tali, vel tale ponente fundamentum, quod habeat perfectionem ſimpliciter, neque enim ſunt naturæ, quæ ſubſiſtant.

Ferrariēſis.

Hanc eandē doctrinam credo voluiſſe Ferrarienſem, quando loco præfato dixit, duplicem eſſe ſimplicitatem, corporalem ſcilicet, & formalem, vel actualem, & iuxta hoc, illud erit ſimplex corporea ſimplicitate, quod erit corpus, non compoſitum ex alio, veluti ſunt elementa, ſimplicitate vero formali, illud erit ſimplex, quod eſt omnino actus, & forma; illud autem eſt prorſus actus, & forma, quod eſt penitus immune à potentia, & materia, ſimplex primo modo non eſt perfectum, neque quo magis ſimplex, eo magis perfectum, immo eſt magis

Imperfectum, hinc materia prima eſt omnium imperfectiſſima; ſimplex ſecundo modo eſt perfectum, & quo magis ſimplex, eo magis perfectum, vt patet in Deo; Cumque ibi, & hic adſit ſimplicitas, & tamen illa non dicat perfectionem, hæc vero dicat, relinquitur, vt non ſimplicitas formaliter, & abſolute, ſed talis, & ratione tantum fundamenti etiam apud Ferrarienſem, dicat perfectionem ſimpliciter.

Hinc Caiet. Illuſtriſſimus ſec. ſec. quæſt. 30. art. 4. colligebat ex Auctore ibidem perite docente miſericordiam eſſe maximam virtutum, quoniam ad illam ſpectat aliorum defectus ſubleuare, Speculabatur pulchre Interpres, (quem maxime ibidem commendabat Banneſius) miſericordiam in ſeipſa exigere immunitatē à miſeria, & quoniam omnis potentialitas, miſeria quædam eſt, hinc omnis creatura alicui miſeriæ alligata, & ſubdita eſt, miſericordia vero poſtulat illam eminentiam, vt ſit actus purus, ab omni potentia immunis, & ex conſequenti perfectiſſimus, eſt enim Deus; Ecce quomodo ratione, non ſimplicitatis abſolute, ſed talis, omnem ſcilicet potentiam excludentis, (iam vides ſimplicitatem formalem, & actualem,) & quæ conſtituat naturam omnino ſubſiſtentem, collegit tantam in miſericordia perfectionem. Et ex hac obſeruatione, per quam diſtinguitur inter formale, & fundamentale ſimplicitatis, innumera, ne dicam omnia argumenta e medio auferuntur. Caietan.

Aduerte ſecundo ex Caiet. hoc loco, quod duæ conditiones exiguntur ad conſtitutionem perfectionis ſimpliciter, prima eſt, quod dicat perfectionem, ſecunda, quod illa perfectio quam dicit, ſit melior in vnoquoque, modo iam declarato, adeo vt in definitione perfectionis ſimpliciter, loco generis ſubaudienda ſit perfectio, & hoc colligitur ex definitione aſſignata, ſi enim ipſa eſt melior, ergo perfectior, ſi perfectior, ergo oportet, quod ſupponat perfectionem, omne enim comparatiuum ſupponit, & includit poſitiuum ſuum; hinc inania ſunt illa argumenta, Hoc nullam in ſuo conceptu dicit imperfectionem, ergo eſt perfectio ſimpliciter, Hoc melius eſt in indiuiduo entis, quam non ipſum, ergo dicit perfectionem ſimpliciter, niſi hæc dicant perfectionem, & ſic ſoluitur formaliter ſecundum argumentum, quoniam licet ſimplicitas nullam importet vt ſic imperfectionem, ratione cuius locum habet in Deo, non tamen dicit perfectionem, deficit prior conditio, & eadem ratione relationes non ſunt perfectiones ſimpliciter, quamuis enim non dicant imperfectionem, (nam veriſſime locum habent in Deo,) tamen quatenus dicunt *ad*, non important perfectionem, ſed abſtrahunt à perfectione, & imperfectione. Et ex hac quoque ſecunda adnotatione permulta argumenta diſſoluuntur. Quot, & quæ requirat perfectio ſimpliciter.

Aduerte tertio, quod dupliciter adhuc poteſt diſtingui ſimplicitas, vt altera dicatur ſimplicitas oppoſita mixtioni, quæ eſt cum oppoſito, & in hac acceptione, illud quod minus ſuo oppoſito miſcetur, erit ſimplicius, ſicut albedo ſimplicior, quæ minus admixta nigredini, quam quæ magis permixta, altera dicatur ſimplicitas, non in ordine ad coniunctionem tum ſuo contrario, ſed in vniuerſum, reſpectu cuiuſcumque compoſitionis, vt hoc pacto illud dicatur ſimplicius, quod eſt minus abſolute compoſitū; ſimplicitas primo modo maiorē infert perfectionem in genere ſuo, vt patuit in exemplo de albedine, & potes adferre exemplū de calido minus permixto frigido, & de alijs; quo enim quid elongatius eſt à contrario ſuo, eo in genere ſuo perfectius eſt; ſimplicitas ſecundo modo non ſemper infert maiorem perfectionem, aliàs prima materia foret in ſummo gradu perfectionis; Dico autem ſimplicitatem inferre perfectionem, non Duplex ſimplicitatis acceptio.

enim formaliter dicit ipſam, & longo diſſident interuallo hæc duo, hoc ſcilicet dicit perfectionem, & hoc infert perfectionem, vt cuique patere poteſt. Rurſus dico inferre perfectionē in genere ſimplicitatem illā priorem, non enim quæuis talis ſimplicitas infert perfectionem ſimpliciter, nam conſtat, calidum nullo modo admixtum frigido, ſi detur, eſſe ſimpliciſſimum illa ſimplicitate, & ideo perfectiſſimum in natura, ac genere calidi, ridiculum tamen eſſet colligere, in tali calido eſſe perfectionem ſimpliciter, pugnat namq. materiale vllum, & corporeum eſſe ſimpliciter perfectum; poterit tamen adeſſe aliqua ſimplicitas oppoſita alicui mixtioni contrarij, quæ perfectionem ſimpliciter ponet, & hæc erit illa, quæ opponetur omni potentialitati, quod enim hoc modo erit prorſus ſimplex, actus erit omnino purus, ac proinde Deus benedictus, ſed quando ad talem confugimus ſimplicitatem, inde non licet deducere, ergo ſimplicitas vt ſic dicit perfectionem ſimpliciter, immo potius oppoſitum eſt inferendum, ergo non ſimplicitas vt ſic, ſed talis, neque eſt colligendum dicit, ſed infert, quoniam ſemper ante oculos oportet habeas, formale ſignificatum ſimplicitatis eſſe negatiuum, ac proinde non importare nedum perfectionem ſimpliciter, ſed neque perfectionem.

Quomodo quid eo dignius, quo ſimplicius.

Tandem aduerte, quod cæteris paribus, quod erit ſimplicius, poterit eſſe dignius non quia ſimplicitas, vt ſic dicat perfectionem, ſed quia negat compoſitionem; Hinc accipias duo accidentia, quod illorum erit ſimplicius, erit nobilius, quoniam habebit quicquid perfectionis erit in altero, (iam enim paria ſuppono,) & vltra hoc, ab illo erit aliqua compoſitio remota, cui aliud erit coniunctum; Dico quod poterit eſſe, quoniam ſpectanda erit, quam negat compoſitio, ſi enim negaret compoſitionem dicentem perfectionem, vt eſſe vnitum alicui formæ præſtanti, tantum aberit vt ſit perfectius, quia ſimplicius, quod erit ignobilius, ob talem ſimplicitatem; Et ſic ſimper cernis, quomodo ſimplicitas nullam de formali dicat perfectionem, ſed ſemper confugiamus, vel ad naturam, quam ponit, vel ad compoſitionem, quam aufert, quod eſt loqui non de ſimplicitate vt ſic, ſed tali, non formaliter, ſed fundamentaliter, &c.

Gregorius de Valētia.

Hinc minus bene videtur mihi docuiſſe Gregorius de Valentia, qui p. p. vbi ſupra modum loquendi Scoti iuuans, dixit ſimplicitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, & quando videt dicta Caiet. in hac parte, quod ſcilicet ſimplicitas nil aliud ſit, quam compoſitionis negatio, inquit hoc non obſtare, quoniam loqui ſe ait de ſimplicitate, ratione ſui fundamenti: Hic inquam loquendi modus non placet, quoniam licet verum ſit, ſimplicitatem nonnumquam ponere fundamentum perfectiſſimum, tamen inde non eſt dicendum, quod dicat perfectionem ſimpliciter, ſed quod inferat, dicit autem formaliter negationem compoſitionis, vt & ipſe videtur concedere, res autem omnis eſt abſolute denominanda ab eo, quod formaliter dicit, quamuis & aliquando fieri poſſit denominatio ratione connotati, ſiue fundamenti, tum quoniam non ſemper fundamentum, quod ponit ſimplicitas, dicit perfectionem ſimpliciter vt ſic, aliàs elementa, & prima materia, cum ſint fundamenta, quæ ponit interdum ſimplicitas, eſſent perfectiſſima. Quod ſi dicat, ſe loqui de ſimplicitate ſolum in ſubiecta materia, hoc eſt de Diuina, & non formaliter, ſed ratione fundamenti (quo modo audiui quoſdam haud vltimæ notæ intelligentes Scotum,) iam non erit quæſtio de re, cum de tali ſimplicitate, tali modo accepta idem & nos doceamus, neque eſt quæſtio de natura ſimplicitatis vt ſic, at ſi in hoc bene ſenſerunt, non certe bene locuti ſunt, propter talem, & tali modo ſimplicitatem, enunciare ſimplicita-

Vnde quidpiam denominandum.

plicitatem abſolute, & in vniuerſum dicere perfectionem ſimpliciter; Et hæc de tertio.

Quo ad quartum, Probatur concluſio à nobis declarata; ſi ſimplicitas vt ſic, & ſecundum quod ipſa diceret perfectionem ſimpliciter, ergo omnis ſimplicitas id diceret, at conſequens eſt falſum, ergo falſum id ex quo ſequitur, maior eſt Ariſtotelis primo Poſter. cap. 4. vbi habetur, dici de omni, & ſecundũ quod ipſum eſſe idem, quia enim homo vt ſic eſt rationalis, ideo omnis homo eſt rationalis, minor patuit, ſiue falſitas conſequentis, nam ſimplicitates multæ ſunt, quæ non important perfectionem ſimpliciter, veluti ſimplicitas corporea, materiæ primæ, oppoſita mixtioni alicuius contrarij, &c. Quod ſi dicatur, eſſe ſermonem de ſimplicitate formali, & actuali, habeo quod volo, tunc enim non ſimplicitas vt ſic, ſe talis dicit, ac nec dicit quidem, ſed infert, ſed ponit, & hæc ratio mihi apparet demonſtratio pro concluſione. Rationes pro D. Thomæ ſententia. Ariſtot.

Præterea, aliqua ſimplicitas dicit imperfectionem, ergo non omnis ſimplicitas dicit perfectionem ſimpliciter, illatio eſt patentiſſima, antecedens quoque dilucidum eſt, nam prima materia eſt imperfectiſſima, quoniam ſimpliciſſima eſt tali ſimplicitate, denudata ſcilicet ab omni actu, quantum ſit ex ſe, elementa ſimiliter ſunt imperfecta, quoniam ſunt illo modo ſimplicia, formam ſcilicet imperfectiſſimam habentia, vnde & ab Ariſtotele libris de cœlo quam ſæpiſſime corpora dicuntur ſimplicia; Si dicatur argumentum probare, quod aliqua ſimplicitas dicat imperfectionem, non omnis, iam habeo intentum, non enim volo probare, quod omnis ſimplicitas dicat imperfectionem, ſed quod non omnis ſimplicitas dicat perfectionē, & hoc ex eo ſufficientiſſime probatur, quod aliqua dicat imperfectionem, velut demõſtratur, non omnem hominē currere, ſi oſtendatur Lælius nõ currere, & hæc ratio differt à prima, quoniã in illa probaui non omnem ſimplicitatem dicere perfectionem ſimpliciter, in hac vero demonſtro, aliquam ſimplicitatem dicere imperfectionem, quare ſecunda hæc ratio iudicari poteſt, & debet à fortiori, cum magis diſtet à perfectione imperfectio, quam non perfectio; & hoc videtur innuiſſe Auctor 4. ſent. loco allegato, quando dicebat, ſimplicitatem per ſe non eſſe cauſam nobilitatis, quoniam tunc ſimplex eſt nobilius, quam compoſitum, quando perfecta bonitas inuenitur in vno ſimplici, quando autem e contrario, ſimplex eſt imperfectum, &c. Vbi vides, dari ſimplex imperfectum, quomodo ergo ſimplicitas vt ſic dicet perfectionem? Et ſi ad has rationes ſimul reſponderetur, quod ſimplicitas non dicit perfectionem ſimpliciter in quocumque, ſed in tali, vel tali ſubiecto, non in indiuiduo huius, vel illius naturæ, ſed in illo entis, vt videtur innuere Scotus loco relato, dum reſpondet duobus dubijs factis contra ſuam illam reſponſionem ad primum, tunc confugeretur ad ſubiectum, ad connotatum, ad fundamentum, & rationes manent in robore ſuo ſimul cum concluſione declarata, habebitur enim, quod ſimplicitas vt ſic non dicit perfectionem ſimpliciter, ſed in tali, vel tali natura. D. Thom. Obiectio. Scotus. Tollitur.

Arguo tertio argumento Caiet. hoc in loco ad hominem, contra Scotum ſcilicet: Relatio vt relatio, vt ſcilicet dicit *ad*, non dicit perfectionem, & tamen eſt quoddam ſimpliciſſimum ſic accepta, quippe quæ nullam vt patet compoſitionem claudat, ergo iam datur aliquod ſimplex, quod non dicit perfectionem ſimpliciter, ergo non omnis ſimplicitas dicit perfectionem ſimpliciter, ergo non ſimplicitas vt ſic, antecedens eſt Scoti docentis, relationem quoque diuinam, vt relatio formaliter eſt, neque perfectionē dicere, neque imperfectionem, &c. Caiet.

Vltimo eſt aliud argumentũ Caiet. Datur aliqua ſimplicitas, quę eſt non quãta,

nimirum ſimplicitas relatiua, ergo aliqua ſimplicitas eſt, quæ non eſt perfectio ſimpliciter, antecedens eſt clarum, relatiuum namq. vt ſic non eſt quantum, & tamen vt ſic eſt ſimplex, conſequentia probatur, quoniam pugnat dicere, quod ſit aliqua perfectio ſimpliciter, & ſit non quanta, nam perfectio ſimpliciter eſt perfectio in ente, eſt infinita, omnia ambit, & tamen ſi fuerit non quāta, non erit ſimpliciter, quoniam non omnia, &c. Docet namque idemmet Scotus ibidem, quod quando quælibet perfectio ſimpliciter eſt in ſummo, tunc ſunt omnes æque perfectæ, quoniam infinitæ, vnde ponit eodem lib. & eadem diſtinctione quæſt. 4. diuinas perfectiones eſſe formaliter infinitas, abſtractione quoque præciſiſſima, vt ibi eſt videre in reſponſione ad argumentum principale, quod examinabo cap. 6. huius libri, quæſt. 2. Si ad hanc rationem Caiet. dicatur, relationem formaliter ſumptam non eſſe ſimplicem, ſed ſimplicitatem de ipſa denominatiue prædicari, & ſic erit ſimplicitas relatiua, vel paſſio relationis, vel modus eius intrinſecus, qui de ipſa dicetur, hoc nihil eſt, ſed magis iuuat, quoniam nulla paſſio, vel modus eſt maioris entitatis re illa, cuius eſt vel modus, vel paſſio, ergo ſimplicitas relatiua non erit maioris entitatis, quam ſit relatio, ergo non erit quanta, ergo non perfectio ſimpliciter, probatur conſequentia, quoniam relatio quæ eſt ſubiectum illius ſimplicitatis de ea dictæ, eſt non quanta; Notanter autem dixit Caiet. nullam paſſionem, vel modum eſſe maioris entitatis ſubiecto, & re ſua, licet enim aliqua paſſio, aliquis modus excedere poſſit in aliqua perfectione ſecundum quid ſubiectum, & rem, numquam tamen in entitate, &c. Et hæc quo ad quartum.

Scotus. *Difficultas.* *Aufertur.*

Quo ad quintum; Si applicetur doctrina tradita, iam confutata relinquuntur argumenta. Dicimus namq. ad primum, falſum eſſe, ſimplicitatem computari inter diuina attributa, nam oportet attributum, aliquid reale formaliter ſignificare, ſimplicitas autem pluries dictum eſt, quod de formali importat negationem compoſitionis, quare voces hæ negatiuæ poſſunt quidem eſſe prædicata, quæ Deo tribuantur, non autem realia attributa, niſi aliquando ratione fundamenti, & nulla eſt hæc argumentatio, Hoc dicitur de Deo, ergo perfectionem ſimpliciter importat, ſufficit enim, quod non dicat imperfectionem, ſed abſtrahat à perfectione, & imperfectione, ſic ſunt prædicata negatiua, ſaltem de formali, vnde & hoc ſit firmum argumentum pro opinione quam ſequor, arguēdo ſic, nulla negatio de formali importat perfectionem, vt patet, cum omnis perfectio ſit quid poſitiuum, quod de formali dici à negatiuo pugnat, ſimplicitas de formali eſt prædicatum negatiuum, quare, &c.

Quid ſit de ratione attributi diuini.

Ad ſecundum patuit ex ſecunda obſeruatione, vt ibidem adnotabam, deficit enim ſimplicitati prior conditio requiſita ad perfectionem ſimpliciter.

Ad tertium per idem reſpondetur, eſt enim falſum, quod ſimplicitati conueniat definitio perfectionis ſimpliciter, iam enim eadem obſeruatione dicebamus, in definitione illa eſſe loco generis ſubintelligendam perfectionem, quæ ſanè in ſimplicitate deſideratur.

Ad quartum, quod ex varijs locis Auctoris erat deſumptū, dicitur quod in hac parte clarū eſt, ipſum loqui de ſimplicitate naturæ ſubſiſtentis, ſermonem namq. habet de ſubſtantijs ſimplicibus abſtractis, quæ aliquo modo ſunt cauſa aliorū, & quarum prima eſt cauſa ſimpliciter omnium, ſic ex tali naturæ, quæ ſubſiſtit ſimplicitate, intulit nobilitatem eſſe, & eſſentiæ; Ad alia loca omnia dicito idipſum, hoc eſt, ipſum loqui, non de quauis ſimplicitate, ſed tali, formali ſcilicet, & actuali, quo enim aliquid eſt ſimplicius ſimplicitate formæ, & actus, & quo magis

Senſus locorum D. Thomæ.

magis elongatum eſt à materia, & à potentialitate, eo excellentius eſt, & ad plura ſe extendit, quoniam magis habet de pluralitate virtuali, cum ſit plurium perfectionum contentiuum ſimul, & vnite, quæ in ignobilioribus entibus diſtinctionem habent, & cum omnia loca relata in argumento hanc interpretationem optime admittant, & tacita neceſſitate poſtulent, locus tamen ille ex 11. Diuin. eam expreſſe poſcit, immo ibi ab ipſo ponitur, loquebatur enim ibi de ſubſtantia ſeparabili omnino à materia, & immobili, quæ ad metaphyſicam conſiderationem ſpectat, & dicebat, quo aliquid fuerit ſimplicius, & formalius, vbi addendo ly *formalius*, contraxit ly *ſimplicius* iuxta interpretationem, quam nos adhibuimus, vnde Auctorem per ipſummet Auctorem exponimus; quam & Ferrarien. loco illo primi cont. Gent. tradit, quamuis & aliam aſſignet gloſſam, vt ſcilicet loquatur de ſimplicitate minus permixta cum ſuo contrario, & bene illi loco accommodatur, nam adfert exemplũ de calido, &c. vniuerſalior tamen eſt prior intelligentia, vt ſcilicet loquatur, vel iuxta materiam ſubiectam, vel de ſimplicitate actus, & formæ, quippe quæ non vere adhuc, & proprie dicit perfectionem, ſed infert, ſed connotat, &c. Ferrarien.

QVÆSTIO TERTIA.

An materia ſit pars quidditatis ſubſtantiarum materialium.

CIRCA quartam, & quintam partem, vbi diximus eſſentiam ſubſtantiarum materialium ſignificare compoſitum ex materia, & forma, & definitiones rerum naturalium, nedum formam, ſed & materiam proprie, non per additamentum includere, moueo cum Caiet. quæſtionem celebrem ſatis, num vera hæc ſint, num ſcilicet materia ſit pars quidditatis naturalis, & num eiuſdem rei naturalis definitionem ingrediatur. In qua quæſtione ſex faciam, primo enim manifeſtabo, quid in controuerſiam vocetur, ſecundo referam ſententiam minus veram, quam & confirmabo, tertio opinionem veram adferam, & aliquo modo declarabo, defendam, probabo, quarto elucidabo, quæ nam ſit illa materia ſenſibilis, quam ponimus partem quidditatis, & definitionem ingredi, quinto arguam pro huius opinionis probatione, ſexto rationes quibus innitebatur falſa ſententia repudiabo. Huius quæſtionis partes.

Quo ad primum: Scias non eſſe duo quæſita hæc, num ſcilicet materia ſit pars quidditatis rerum naturalium, & num eadem in ipſarum definitione ponatur, vnum namq. ſequitur ex altero, & mutuo ſe inferunt, ſi enim quid vere, ac proprie in alicuius rei definitione ponatur, ad eiuſdem quidditatem ſpectat, & ſi ad eius quidditatem ſpectet, in eius definitione ponitur, & ſimiliter negatiue, ſi non ponitur in definitione, non ſpectat ad quidditatem, & e contra, & hoc ſequitur ex eo quod, ſola rei quidditas eſt ea, quæ per definitionem explicatur, & id ſolum vere, ac proprie locum habet in definitione, quod ad quidditatem attinet. Dico autem vere, ac proprie, quoniam ſi quid ponatur vel tamquam additamentum, vel tamquam deferens quidditatem, non ſequitur, quod ſit pars ſuæ quidditatis: Hinc dum quærimus, num materia ponatur in rerum naturalium definitione, non quærimus, vtrum quocumque modo, & quauis via ponatur, fatentur

tur enim omnes quos viderim, materiam ingredi rerum naturalium definitionem, ſed inueſtigamus, an vere, ac propriè.

Triplex materię vſurpatio.

Scias vlterius, quod cum materia triplici modo queat conſiderari, abſolute primo, generice, vel ſpecifice ſecundo, & indiuidualiter, vel ſignate tertio, non quærimus de materia ſignata, cum enim hæc ſit ſingularis, immo ſingularitatis radix, & principium, vt quæſtione ſequenti videbimus, non ingredietur rerum naturalium definitionem, ſingularium namq. vt ſic vere non eſt definitio ex ſeptimo Diuin. 53. Accedit, quod vltima parte huius literæ manifeſte ab Auctore habuimus, hanc materiam non poni in definitione rerum naturalium vt ſic, hominis vt ſic, licet poneretur in definitione huius hominis ſi definiri poſſet; tandem nullus vmquam docuit, indiuidualem materiam ingredi rerum naturalium definitionem, vel eſſe partem quidditatis ipſarum, quapropter quæſtio inſtituitur de materia communi, vel ſumatur abſolute, & ſimpliciter, vel generice, & ſpecifice, adeo vt nomine *communis*, accipiatur quicquid diſtinguitur contra ſignatũ, & ſingulare; Denique non inueſtigatur, num materia ſit tota quidditas rerum naturalium, vel tota earundem definitio, hoc enim neminem vmquam ſomniaſſe arbitror, ſed num locum, & partem habeat in quidditate, ac definitione ipſarum, licet enim ex proœmio primi de anima 16. colligatur, aliquam definitionem dici materialem, vt de domus definitione dabat exemplum Ariſtoteles, nullus tamen cenſeat, ita eſſe materialem, quod nihil eam ingrediatur, niſi materia, ſed denominatur materialis ab eo; quod in ipſa magis exprimitur, ponitur ſiquidem & forma, ſed magis apparet materia, ratione cuius dicitur materialis; Et hæc quo ad primum.

Ariſtot. D. Thom. Ariſtot.

Mens Auerrois.

Quo ad ſecundum, Fuit placitum Auerrois, vt eſt videre in ipſo ſuper 21. ſeptimi Diuin. quaſi in fine commenti, & commento 34. eiuſdem libri, ferè ſub initium, quod ſola forma ſit tota quidditas, & nullam in hoc portionem habeat materia, ac proinde in rerum naturaliũ definitione non ponatur, niſi tamquam vehiculum, ſeu ſubiectũ, non autem tamquam pars quidditatis vera. Auerroem omnes qui eius doctrinam profitentur in hoc ſecuti ſunt, ſic Iandunus quæſt. 12. eiuſdem ſeptimi Diuin. quamuis de hoc fuerit prius anceps ſecundo phyſ. q. 6. ad ſextam rationem, in fine illius quæſtionis, Sueſſanus eodem 7. libro, diſput. 13. Zimara theoremate 39. & in tabula verbo *naturalis*, vbi docet quomodo hic artifex definiat abſque materia, & in annotationibus ſuis ad quæſtiones metaphyſicales Ianduni, quæſt. 10. ſecundi, Marcusantonius Genua 3. lib. de Anima, circa tex. vndecimum, Archangelus Mercenarius prope finem ſecundi voluminis ſuarum dilucidationum, & alij quoque, qui in verbis Auerrois non adeo iurarunt, vt Pererius lib. 6. de Communibus rerum principijs cap. 7. Antonius Scaynus ſeptimo Diuin. cap. 12. & 14. eorundem cap. 17. Zabarella lib. 9. de Rebus naturalibus cap. 7. & 9. licet in in hoc cap. ſibi de hoc negotio dicat non eſſe ibi diſputandum, Antonius Poſius à monte Ilicino in Theſauro ſuo, vel indice ſuper Ariſtotelem, & Auerroem verbo *naturalis*, vbi adfert doctrinam Zimaræ in hoc negotio, & poſtremo ex noſtris Paulus Soncinas ſeptimo illo Diu. q. 26. in hoc negotio problematicum ſe gerit, & licet primo ſequatur opinionem magiſtri ſui D.Thomæ, ſubdit tamen, opinionem Auerrois poſſe quoque ſuſtineri, maxime ob auctoritatem tanti viri, vnde quibuſdam rationibus, quas formauerat contra Commentatorem facit ſatis.

Ianduni. Sueſſani. Zimarę. Genuæ. Mercenar. Pererij. Scayni. Zabarellæ. Poſij.

Quomodo in hoc ſe habeat Soncinas.

Argumenta pro Auerroe.

In huius ſententiæ ſuffragium permulta poſſunt adferri, ipſe validiora tantum adducam, ſic primum argumentum erit illud, quod videtur colligi ex Auerroe

comm.

comm. illo 21. ſeptimi illius Diuinorum, quod nimirum ſi quidditas hominis, aut cuiuſuis alterius eſſet homo, vel aliud quoduis compoſitum ex materia, & forma, tunc illa quidditas haberet quidditatem, tunc quidditatis foret quidditas, tunc in quidditatibus daretur proceſſus in infinitum, hæc omnia ſunt abſona, quare &c. conſequentia vero, ſeu conſequentiæ probantur, quoniam quando duo ita ſe habent, quod ſunt vnum, & idem, quicquid conuenit vni, conuenit & alteri, patet autem, quod homo compoſitus habet quidditatem, ergo ſi quidditas eius eſt eadem cum ipſo, & quidditati tribuetur quidditas, & ita ſequuntur, quæ deducebantur, &c.

Secundo, Ex eodem Auerroe in commento illo 34. eiuſdem libri poteſt colligi argumentum tale; Materia non eſt ſubſtantia, quæ declaret rei quidditatem, ergo non eſt pars eſſentiæ, vel quidditatis, antecedens eſt clarum, cum enim materia ſit ignota, ex primo Phyſicorum 69. & ſeptimo Diuinorum 35. nequit profecto rem aliquam declarare, conſequentia patet, quoniam nihil ponitur in rei definitione, niſi rei definitæ ſit declaratiuum, & poteſt confirmari hæc ratio ex ijs, quæ docuimus quæſtione de ſingularium cognitione ad prooemiū, ibi enim demonſtrauimus, non poſſe ſingularia dignoſci, quoniam materia eſt cognitionis impeditiua, & in obſeruationibus quoque huiuſmet capitis ad partem tertiam pluribus oſtendimus, materiam eſſe penitus ignotam, ſi ergo eſt impeditiua cognitionis, ſi penitus ignorata, quomodo rei quidditatem patefaciet, quomodo in rerum naturalium definitione locabitur, quomodo erit pars quidditatis? Confirmatur ſecundo, quoniam clare dicebat Ariſtoteles 2. Phyſicor. 28. omnes partes definitionis pertinere ad cauſam formalem, omne ergo quod ponitur in definitione, eſt formale, non ergo materia ponitur in definitione. Poſtremo confirmatur, quoniam quod in definitione ponitur, diſtinguit definitum à quouis alio, ſed diſtinguere, & ſeparare eſt proprium actus, ſeptimo Diuinorum 49. ergo id nequit tribui materiæ, quæ eſt potentia, &c. Ariſtot.

Tertio arguebat Mercenarius loco præfato, Illud quo poſito ponitur, & quo remoto remouetur quidditas rei, debet iudicari tota rei quidditas, ſed ad poſitionem, & ablationem formæ ponitur, & aufertur rei quidditas, ergo &c. maior colligitur ex Ariſtotele ſecundo de anima 9. & in prooemio primi Rhetoricorū cap. 3. minor probatur, nam recedente forma, vt patet in interitu, non remanet res, licet remaneat materia, & hæc eadem minor eſt Ariſtotelis ſecundo Phyſicorum 11. Argumētum Archāg. Mercenar. Ariſtot.

Quarto arguunt recentiores, Ita ſe habet materia ad definitionem rerum naturalium, veluti naſus ad ſimitatem, ſed manifeſtum eſt, naſum non ſpectare ad definitionem ſimitatis, tamquam eius partem, ſed ſolum tamquam ſubiectum, ergo & materia non intrat rerum naturalium definitionem, tamquam pars quidditatis, ſed tantum vti ſubiectum, minor propoſitio videtur eſſe Ariſtotelis, qui declarans ſecundo Phyſicorum 19. & ſexto Diuinorum 2. quomodo materia ſit de rerum naturalium definitione, adducebat exemplum de naſo, in ordine ad ſimum.

Quinto, Materia eſt in cauſa, quo minus in rebus materialibus quidditas ſit eadem cum habente quidditatem, vt colligitur ex Ariſtotele ſeptimo Diuin. 41. & 3. de anima nono, ergo nequit eſſe pars quidditatis, conſequentia apparet euidens, nam ſi materia ſit pars quidditatis, nihil erit in materialibus, quod non ſpectet ad quidditatem, quare nihil prohibebit, quin, quo, & quod in illis ſint idem.

Sexto,

Sexto, Inquirunt, vnde oriatur diuerſitas quidditatum, ſiam dicetur & verè, alia eſſe quidditas hominis, alia leonis, alia lapidis, hoc non poteſt proficiſci ex accidentibus, hæc enim non ſpectant ad quidditatem, non ex materia prima, quæ vna eſt omnium generabilium, & corruptibilium, & penes hanc non differunt, ſed conueniunt hæ quidditates, ergo ex ſola forma ſubſtantiali.

Multa Ariſtotelis loca.

Septimo, & poſtremo, Perplura ſunt loca Ariſtotelis, quibus appellat formam quidditatem, & quod quid erat eſſe, vt ſecundo Phyſicorum 28. ſexto Diuin. 2. ſeptimo eorundem 11. ſecundo de anima 8. & alibi ſæpius; non itaque materia ſpectabit ad quidditatem, cum potiſſimum nedum Ariſtoteles dicat hoc, ſed etiam alibi expreſſe remoueat materiam à quidditate, ait enim ſeptimo Diuinorum 8. materiam non eſſe quid, non quale, &c. Hoc ipſum voluiſſe aiunt famoſiores omnes, & antiquiores peripateticos, ſic vide ſi vis Zimaram, Mercenarium, & nouiſſime Pererium vbi ſupra, referentes Themiſtium, Alexandrum, Simplicium, & Magnum Albertum, qui affirment, formam eſſe totam rei quidditatem, &c.

Sententia. Auicennæ. D. Thom. Scoti. Alenſis. Caietani. Ferrarien. Flandrien. Iauelli. Antonij Andreæ. Aquarij. Gregor. de Valentia.

Quo ad tertium, Contrariam omnino ſententiam docuit Auicennas libro 5. ſuæ metaphyſicæ, cap. 5. verſus finem, vult enim materiam eſſe vere partem quidditatis rerum naturalium, & earundem definitionem proprie intrare. Cui ſe ſubſcripſit Auctor hoc loco, & quarto con. Gent. 81. dum reſpondet ſecundæ obiectioni, & ſuper decimumſextum primi de anima, & quodlibet 2. q. 2. art. 2. & p.p.q.75. art. 4. Subſcripſit ſe Scotus 3. ſent. diſt. 22. q. vnica, ſubſcripſit ſe Alenſis circa expoſitionem 34. ſeptimi Diuinorum, & circa octauum octaui eorundem, q. 2. ibidem mota, & dum exponit ſecundum ſexti eiuſdem ſcientiæ; ſubſcripſerunt ſe omnes vtriuſque Doctoris alumni, Angelici ſcilicet, & Subtilis, vt potes videre in Caiet. hoc loco, & p.p. vbi ſupra, in Ferrar. 1. con. Gẽt. cap. 21. prope finem, & quæſtione 2. ſecundi Phyſicorum, in Dominico à Flandria q. 19. ſeptimi Diuinorum art. 3. in Chryſoſtomo Iauello q. nona eiuſdem libri, in Antonio Andrea q. 7. ſuper eundem librum, in Aquario dilucidatione 12. eiuſdem ſeptimi, & antea quæſtione ad hoc ſpeciali, & nouiſſime in Gregorio de Valentia ſuper p.p. loco memorato.

Plato. Cur homo generet hominem.

Vt hanc ſententiam, quam veriſſimam ſemper exiſtimaui percipias, notabis, ab omnibus, etiam aduerſarijs concedi, quod materia eſt pars ſubſtantiæ, & eſſentiæ compoſitæ, apertiſſimum namque eſt, hominem gratia exempli eſſe, non animam ſolam, quicquid dicat Plato ex perſona Socratis in primo Alcibiade, non materiam ſolam, ſed animam, & corpus ſimul, tertium quid ſcilicet reſultans ex vnione formæ cum materia, vnde proprie dicitur homo generare hominem, licet non faciat formam, cum ãnima intellectiua accipiat eſſe à Deo per creationem, neque materiam, hanc enim omne agens per motum ſibi præſupponit, ſed quoniam formam cum materia vnit, ex qua vnione proficiſcitur id, quod vere eſt homo, quod ſi materia eſt pars eſſentiæ, & ſubſtantiæ compoſitæ, numquam bene capere potui, quomodo etiam non ſit pars quidditatis, iam enim primo cap. huius operis dicebamus cum litera, quod nomen eſſentiæ philoſophi mutarunt in nomen quidditatis, & manifeſtabamus, quomodo quinque hæc nomina, eſſentia ſcilicet, quidditas, quodquid erat eſſe, forma, & natura eandem rem importabant, licet aliqualis inter ipſa eſſet differentia, ratione connotati, vt ibi facile docebatur, ſi igitur materia eſt pars ſubſtantiæ, & eſſentiæ rerum naturalium, erit quoque pars quidditatis, &c.

Ariſtot.

At non ſiſtas in his, quæ ibi docuimus, conſidera Ariſtotelem, & clare videbis, quod

quod apud ipſum ſubſtantia, eſſentia, & quidditas pro eodem accipiantur; lege 14. ſeptimi Diuinorum, & habebis, quod cum definitio, & ipſum quid eſt dicatur multipliciter, ipſum quid eſt vno modo ſignificat ſubſtantiam, lege 20. eiuſdem libri, & videbis in principio, quod ipſum quid erat eſſe, dicitur eſſe vniuſcuiuſque ſubſtantia, lege 15. quinti eiuſdem ſcientiæ, in quo abſoluitur caput de ſubſtantia, & cernes quodquid erat eſſe, cuius ratio definitio eſt, vniuſcuiuſque ſubſtantiam dici, ex quibus locis nimis dilucidum relinquitur, apud Ariſtotelem idem ſignificare has voces, eſſentiam, quidditatem, & ſubſtantiam; Et Aphrodiſæus ſuper illum 20. ſeptimi Diuinorum ait, quidditatem eſſe ſubſtantiam, & pro eodem hæc accipit, & Alenſis ibidem ait, ſubſtantiam, vel eſſentiam rei, & ipſum quid, vnum, & idem eſſe in re, & ratione ſolum differre; ſed & ratio id conuincit, vel enim ſubſtantia, & eſſentia dicit quid, vel quale, ſi ſecundum, ergo modo accidentis dicetur, quod pugnat, ergo primum, ergo quidditatem, ergo ſubſtantia, eſſentia, quidditas idem ſibi volunt; Contradictoria ergo videntur docere, qui in oppoſita ſunt ſententia, dum docent materiam eſſe partem ſubſtantiæ, & eſſentiæ; & negant eſſe partem quidditatis, cumque per hanc viam effugiant rationes certe demonſtrantes Auctoris p.p. & alias Scoti efficaciſſimas locis relatis, & Caiet. in præſenti, audiendi non ſunt, & remanent rationes in robore ſuo, quoniam concedunt, concludere materiam eſſe partem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, non autem quidditatis, at ſi concludunt primum, ergo & ſecundum, vt patefeci.

Alexander.

Alenſis.

Sed mox dices, meſſes meas me vrere, & mihi ipſi hæc docentem obſtare, ſi enim eſſentia, quidditas, quodquid erat eſſe, forma, & natura ſunt vnum & idem, igitur valebit dicere, eſt quidditas, ergo forma, & e contra, quomodo igitur materia locum habebit in quidditate? Similiter locus quinti Diuinorum vltimo citatus videtur mihi refragari, nam poſt verba adducta ſubditur, quodquide ſt eſſe cuiuſque formam, & ſpeciem, ergo apud Ariſtotelem conuertitur quidditas, & forma, ergo ſola forma eſt quidditas, & hoc motiuum apparet eſſe achilles aduerſariorum, quidam enim dicunt, vt innuebatur vltimo argumento, quod apud Ariſtotelem idem eſt forma, ac quidditas, &c.

Difficultas.

At vt cognoſcas, hæc nihil fauere ipſis, vel nobis officere, aduerte, quod duplex eſt forma, quædam quæ dicitur forma partis, quædam quæ dicitur forma totius, vt in homine eſt forma partis condiſtincta à materia, ſcilicet anima, & forma totius, continens in ſe, & formam partis, & materiam, quæ ſi nominetur in abſtracto, vocabitur humanitas, ſi in concreto, dicetur homo, & hæc forma totius eſt rei quidditas, & eſſentia, & ſubſtantia, & natura, & quodquiderateſſe, non autem forma partis, ſaltem totaliter, & complete, quoniam res naturales nedum in ſui eſſentia includunt formam, ſed & materiam, vt docent omnes, ſicut enim eſt de eſſentia huius hominis, vt hanc formam habeat, & hanc materiam, ſecus enim neque concipi poteſt, aliquem eſſe hunc hominem, ita eſt de eſſentia hominis vt ſic habere formam, & materiam, animam inquam, (ecce formam) & corpus conſtans ex carnibus, oſſibus, ſanguine, &c. ecce materiam. Hoc autem aggregatum ex materia, ac forma partis, appellamus formam totius, non enim appellandum eſt materia, cum etiam formam complectatur, & denominatio ſit facienda ab excellentiori, cum enim à forma ſit eſſe, & per tale aggregatum res naturales habeant eſſe completum, merito illud vocatur forma, & quoniam non eſt anima ſolum, vel forma partis, (neque enim omnia naturalia anima potiuntur,) ideo vt ab hac oſtendatur diſtinctum, vocatur forma totius,

Duplex forma.

Aggregatum ex materia, & forma, quomodo vocetur.

tius, & quidditas, & ſubſtantia, & eſſentia: Hæc igitur forma totius, quæ abſolute complet eſſentiam rerum compoſitarum, conuertitur cum quidditate, cum quodquiderateſſe, cum eſſentia, cum ſubſtantia, & cum natura; non autem forma partis, ſi in rigore loquamur, & ita accipe omnia loca Ariſtotelis, vbi cernis, pro eodem ſumi in rebus compoſitis quidditatem, & formam, & illud quoque dictum ab Auctore, & à nobis 1. cap. huius libri, & modo repetitum, quod ſcilicet quinque illa ſæpe commemorata nomina idem ſignificent, & ſic de neceſſitate intelligere debes, quod oſtendo etiam ex conceſſis ab aduerſarijs, & nedum ex conceſſis, ſed & ex his, quæ manifeſte docent. Si quis enim petat ab ipſis, an tota eſſentiæ, & ſubſtantia rerum naturalium ſit ſola forma; respondebunt, quod non, quoniam & materia eſt pars eſſentiæ, & ſubſtantiæ compoſitæ, ergo neque poteſt eſſe tota quidditas, iam enim oſtendi apud Ariſtotelem, idem ſignificare quidditatem, & eſſentiam, & ſubſtantiam, ergo quando ab Ariſtotele dicitur forma eſſe quidditas, ſi velimus eſſe ſermonem de tota omnino quidditate, exponenda eſt ly *forma*, pro forma totius, non pro forma partis, quoniam non eſt verum, formam partis eſſe totam quidditatem, veluti non eſt verum eſſe totam eſſentiam, & totam ſubſtantiam. Idipſum efficacius commonſtro, nam Ariſtoteles quinto Diuinorum 5. vbi varias naturæ acceptiones adfert, ait, quod natura dicitur ſubſtantia eorum, quæ natura conſtant, ſi autem accipiamus naturam, pro eo quod eſt omnino ſubſtantia rerum naturalium, illud non poterit eſſe ſola forma, vt clarum eſt, nam & materia ibidem ab Ariſtotele, & ſecundò quoque Phyſicorum 10. vocatur natura, licet eodem contextu quinti Diuinorum & 12. eiuſdem ſecundi Phyſicorum, forma magis natura vocetur, quam materia, vere tamen materia eſt natura, & Alexander in fine comm. circa illum quinti Diuinorum dicebat, nomen naturæ non dici æquiuoce, ſed ab vno, & ad vnum; quando ergo audimus, naturam eſſe ſubſtantiam rerum naturaliū, ſi ſermo ſit de omnimoda ſubſtantia, ly *natura* non pro ſola forma ſupponit, ſed pro materia quoque, pro forma inquam totius, quare eodem modo, dum dicitur forma eſſe quidditas rerum compoſitarum, ſi loquamur de totali quidditate, intelligere oportet, non de forma partis, ſed de illa totius, natura enim, & quidditas idem ſunt, aliàs ſi natura non eſſet idem quod quidditas, non diceret quid, non eſſet ſubſtantia, vt ſuperius deducebam de ſubſtantia, & eſſentia, quæ omnia pugnant.

Quomodo ab Ariſtotele pro eodem ſumatur forma, & quidditas.

Ariſtot.

Alexander.

Hanc autem formam totius dari, ſaltem quo ad rem, hoc eſt illud, quod à nobis vocatur forma totius, neminem eſſe poſſe credo qui neget; licet Mercenarius loco præfato ſuarum dilucidationum hanc formam impugnet, ſed vocem certe impugnat, nam ſi negaret aggregatum ex materia & forma, vnionem formæ cum materia, harum partium compoſitionem, (quæ omnia nomine formæ totius exprimimus,) certe negaret omnia entia compoſita, & omnes res naturales, ac proinde ſeipſum, & ſenſum deſereret, quod infirmitatis eſſe docuit Ariſtoteles octauo Phyſicorum 22. Quod vero tale aggregatum, ſiue talem vnionem eſſentialem materiæ, & formæ conuenienter vocemus formam totius; præterquam quod & ratio ſuperius allata ſuadet, & omnes grauiores latini eam ponunt, vt vltra Auctorem, & Scotum, Albertus quoque Magnus, ſuper Porphyr. tract. 1. cap. 7. & Alenſis octauo Diuinor. in expoſitione tex. octaui, & nonnulli ex aduerſarijs etiam concedunt, & docent, vt Sueſſanus pluries in comm. illius loci ex quinto Diuinorum, & Alexander quoque ibidem idipſum tradit, licet enim non vtatur voce formæ totius, inquit tamen, quod quintus modus, quo ibi ab

Mercenar.

D.Thom.
Scotus.
Albert. Magnus.
Alenſis.
Sueſſanus.
Alexander.

Ariſtotele natura accipitur, ſignificat ſubſtantiam eorum, quæ natura fiunt, quæ fit per vnionem materiæ, & formæ, & ſubdit, *horum namque coitus,* (ſic loquitur qui tranſtulit) *in vnum natura exiſtit*, & mox ferè *quod ex compoſitione vnitur, naturam vocant.* & poſtea addit, *quibus compoſitorum vnionem non fieri placet, ij conflata rei naturam ullam eſſe negant*; Sed & hoc conuincit Ariſtoteles ibidem; nam in quinta acceptione naturæ dixit, naturam ſignificare formam, & ſpeciem, paulo quoque inferius eodem tex. repetit, quod natura eſt forma, atque ſubſtantia, quæ eſt finis generationis; hinc niſi dicamus in altero horum modorum ſumi naturam pro forma totius, in altero pro forma partis, non video, quomodo Ariſtoteles vno, eodemque contextu non repetat idipſum, & à redundantia valeat immunis ſaluari; Quapropter dicendum de neceſſitate eſt, vel cum Auctore, & Auerroe, quod quinta acceptione fuerit ſumpta natura pro forma, in ſubſequentibus vero fuerit illi modo facta additio, vt natura dicatur etiam de forma totius, vt loquitur Auctor, vel de alijs ſubſtantijs, & compoſito ex materia, & forma, vt dicit Auerroes, vnde quod ait Auctor formam totius, credo Auerroem dixiſſe compoſitum ex materia, & forma, idem enim vtrumque importat; Vel dicendum cum Alexandro, quod illa quinta ſignificatio naturæ ſteterit pro forma totius, vt expoſuit quoque Sueſſanus, verba autem illa ſubſequentia de mente Sueſſani fuerint ad tollendam obiectionē de ſuperfluitate, adeo vt ſemel fuerit accepta forma pro forma partis, & ſemel pro forma totius, & pro omni ſubſtantia, qua aliquid habet eſſe; At quicquid ſit de his expoſitionibus, non laboro in præſentia, ſufficiat, quod ſi non exponatur forma, & pro illa partis, & pro illa totius, ſed vtraque vice pro forma partis, idem inutiliter vnomet textu repetijſſet Ariſtoteles, quod nullus peripateticus affirmabit. At locus eſt inſignis, & nimis expreſſus, in quo Ariſtoteles docet, & ponit hanc formam totius, eam formam appellando, Enimvero 35. ſeptimi Diuinorũ concludens ait, *eſt ergo pars forma*, quæ verba ſi accipiantur dicta de forma, quod ſcilicet ſit pars formæ, vel ſpeciei, vt exponunt Alexander, Auerroes, & Sueſſanus, conſtat, non poſſe formam eſſe partem formæ partis, quare forma partis erit pars formæ totius; ſi quoque accipiantur dicta de materia, vt exponit Auctor, quam expoſitionem etiam Sueſſanus veram affirmat, ſimiliter concluditur, loqui Ariſtotelem de forma totius, & eam ibi ponere, non enim materia eſt pars formæ partis, vt idem Ariſtoteles tex. præcedenti 34. docebat, quocumque ergo modo exponatur, loquitur ibi Ariſtoteles de forma totius, in cuius rei ſignum, mox ſubdit, *formam autem dico quicquiderateſſe*, ſiue *quidditatem*, vt alij textus habent, oſtendens ſe de alia forma, quam de illa partis loqui, at ſi nihil etiam adiecisſet, nimis clarum eſt ibi nomine ſpeciei, & formæ accepiſſe formam totius, quoniam nec materia, nec multo minus forma eſt pars formæ partis, vt dixi, &c.

Ariſtot. D.Thom. Auerroes. Alexander. Sueſſanus. Locum notabilem Ariſtot. pro forma totius.

Verum contra hanc locorum Ariſtotelis interpretationem, (quod ſcilicet dũ pro eodem accipit formam, & quidditatem, intelligat de forma totius,) inſtant recentiores, & præſertim Pererius lib. illo 6. cap. 6. quoniam quando Ariſtoteles vocat formam quidditatem, loquitur de forma, quæ eſt cauſa diſtincta ab alijs generibus cauſarum, & quatenus eſt finis materiæ, eique relatiue oppoſita, & quatenus eſt forma vere phyſica, quorum nullum conuenire poteſt formæ totius, vt patet, hæc enim non diſtinguitur à materia, ſed illam includit, non ei opponitur, & potius eſt forma metaphyſica, quam phyſica, &c. At qui ſic arguunt, in argumento petunt principium, debent enim probare, quod quando ſit

Difficultas ex Perer io. Remouetur.

ſermo de tota omnino rei quidditate, accipiatur nomen formæ, vt eſt quid condiſtinctum à materia, & illam non includens, loquendo de quidditate rerũ compoſitarum, de quibus eſt ſermo noſter, immo vt declaraui, nomine formæ tunc accipitur forma totius, & quamuis dum deſcribit cauſas Ariſtoteles, nominet formam quodquid eſt, id tamen accipiendum eſt principaliter, & originaliter, & potiſſime, à forma enim principaliter, & veluti à fonte profluit omne eſſe, & quidditas, in qua tamen quidditate, partem habet & materia, velut & partem habet in ſubſtantia, in eſſentia, & in natura; Sed inuehunt contra hoc, quoniam licet in appellationibus aliquando poſſit fieri denominatio à principaliori, non tamen hoc eſt faciendum in definitionibus, quæ res adamuſſim rimantur, cum ergo definiens Ariſtoteles formam, vocet eam quodquideſt, id non eſt accipiẽdum, tamquam principaliter ſolum, ſed omnino, & abſolute; At facilis huic facili obiectioni eſt reſponſio, fateor enim, quod abſolute, & omnino forma eſt quidditas, ſed tamen in genere ſuo, & non ſimpliciter, alioquin ſi à ſola forma ſimpliciter eſſet tota quidditas, & eſſentia, aliæ cauſæ ſuperfluerent, vel ſaltẽ omnino extrinſecæ eſſent, quod nullus vmquam docuit, ſaltem de cauſa materiali, quare eſt tota quidditas originaliter, & radicaliter; ſic ruit & aliud argumentũ Mercenarij, nam loco nominato impugnans hanc formam totius, dicit, quod ſi daretur, tunc definitio formæ non conuerteretur cum definito, quoniam forma quidem eſſet quodquid rei, non autem quodquid rei eſſet forma partis definita; ſed forma hæc totius, ſic in plus ſe haberet definitio, quam definitum; Dico ſiquidem, quod forma partis eſt quodquid rei, tamquam radix, & in genere ſuo, & principaliter, ſic enim eſt intelligendus Ariſtoteles, quando definit formam, vt ab alijs cauſis condiſtinctam, & ſic conuertitur cum definito, quoniam omne hoc modo exiſtens quodquid rei, eſt forma partis, non autem quod eſt quodquid rei omnino, & totaliter, ſed illud eſt forma totius.

Quo pacto forma partis ſit in materialibus quod quid eſt. — *Alia difficultas.* — *Soluitur.* — *Tertia difficultas Mercenarij.* — *Excluditur.*

Colligamus ergo, materiam cum ſit pars ſubſtantiæ, & eſſentiæ compoſitæ, cum ſit natura, eſſe quoque partem ipſius quidditatis, quatenus quidditas dicit totam rei eſſentiam, quod clare docebat Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 34. adferens exempla in concauitate ſignificante formam, in naſo ſignificante materiã, & in ſimo ſignificante compoſitum ex carne naſi, tamquam materia, & ex concauitate, tamquam forma, ita caro, quæ eſt materia, non eſt pars concauitatis, quæ eſt forma, ſed eſt materia, in qua ſit concauitas, tamen caro eſt aliqua pars ſimi, quod eſt compoſitum, aliud adferebat exemplum de ſtatua compoſita ex materia, & forma, æs enim, quod eſt materia, eſt pars ſtatuæ, vt ſtatua ſignificat illud compoſitum, non eſt autem pars ſtatuæ, ſi ſtatua accipiatur ſolum pro forma, ſtultum quippe eſſet dicere, materiam eſſe partem formæ, &c. Et hæc de tertio.

Ariſtot.

Quo ad quartum, Materia hæc, quam ponimus veram quidditatis partẽ, non eſt materia ſignata, vel indiuidualis, quam Ariſtoteles 35. eiuſdem ſeptimi Diuinorum vltimam, & extremam vocabat, & Scotus 3. ſent. diſtinctione illa 22. dicebat contractam, hanc enim in titulo quæſtionis reiecimus à quidditate, de qua loquimur, & iure hanc ſignatam materiam reſpectu ſpeciei materiale, & ſibi accidere dicebat Alenſis loco relato, & ita loca multa Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum poteris explicare, quando reijciunt materiam à quidditate, loquuntur etenim de materia hac vltima, & indiuiduali, quam vtique multæ conditiones inſequuntur, quæ cum quidditate videntur pugnare, vt eſſe cauſam corruptionis, diſtinctionis ſuppoſiti à natura, ſiue quo, & quod, ſaltem partialiter

Ariſtot. — *Scotus.* — *Alenſis.* — *Quam materiam viri docti remoueãt à quidditate.*

in ma-

in materialibus, ſenſibilitatis, ſingularitatis, &c. ideo hæc à quidditate arcenda eſt, non autem materia communis, quam nec numeratæ conditiones, nec vlla alia quidditati obſtans comitatur; Dum autem audis materiam communem, non exiſtimes materiam prorſus communem, & primam, quæ omnibus generabilibus, & corruptibilibus vna numero negatiue communis eſt, hæc enim vt ſic eſt penitus ignota, quare non notificabit rem, cuius poneretur quidditas, ſed accipias materiam communem, hoc eſt non ſignatam, non contractam per hanc formam, ſed formæ quidem ſubſtratam communi, nimirum vel genericæ, vel ſpecificæ, ſicut enim materia hæc ſignata, puta hæc oſſa, hi nerui, hæ carnes ſunt de eſſentia meæ ſubſtantiæ, ſpectant ad meam quidditatem, & definitionem, ſi ipſe veræ definitionis capax eſſem, ita materia communis, carnes ſcilicet, oſſa, nerui, ſpectant ad eſſentiam, ſubſtantiam, & quidditatem hominis in communi, & in eius definitione ponuntur, vt paulo inferius patebit. Quæ materia ponatur pars quidditatis.

Hanc materiam communem, modo nunc declarato vocare conſueuimus ſenſibilem, ſicut materiam mathematicam appellamus intelligibilem, ſic vbique dum de ea loquitur, illam vocat Auctor, quod accepit ab Ariſtotele ſeptimo Diuinorum 35. prope finem, vbi dicebat, *materia vero quædam ſenſibilis, quædam intelligibilis*, & manifeſtabat ſenſibilem dicens, *ſenſibilis quidem vt æs, & lignum, & quæcumque mobilis materia, Intelligibilis vero, quæ in ſenſibilibus exiſtit, non prout ſenſibilia, vt puta ipſa mathematica*. Hinc non eſt vt laboremus nimiũ in aſſignanda hac ſenſibili materia, cum eam aſſignauerit Ariſtotel. dicens, materiam ſenſibilem, eſſe quamcumque mobilem materiam, hoc eſt, ſubſtantiam affectam ſenſibilibus qualitatibus, & motui ſubiectam, non quatenus actu mouetur, ſed quatenus ſubiectum eſt formæ, ad quam ſequitur motus, & quatenus ab ipſa fluit differentia intrinſeca, ad quam ſequitur motus; ſic quidditates omnes, quæ motu phyſico poſſunt moueri, ſpectant ad philoſophum naturalem, de mobilibus namque eſt philoſophia naturalis, vt ſcripſit Ariſtoteles ſexto Diuinorum 1. & 2. & quamuis ſubſtantia ſit prior omni accidente, & ex conſequenti motum antecedat, vt legimus ſeptimo Diuinorum 4. vnde videtur ſequi, in illo priori nullam ſubſtantiam eſſe naturalem, vel phyſicæ conſiderationis, quando tunc ſubſtantia illa nequeat dici ſenſibilis materia, ſed hoc non ſequitur, quoniam fateor vtique, in illo priori ſubſtantias non habere motum coniunctum, nego tamen, quod non habeant coniunctam mobilitatem, nam tunc eis ineſt mobilitas, quatenus eſt formalis, & quidditatiua ratio entis mobilis, non ineſt autẽ, quatenus eſt paſſio entis mobilis, quæ eſt potentia, ſiue aptitudo ad motum, & vt doctrinam quandam Caiet. quæſtione ſua de ſubiecto naturalis philoſophiæ huic propoſito vno verbo applicem, dico, quod tunc ſubſtantiæ naturales, & ſenſibiles ſunt mobiles, ſecundum quod mobilitas dicit fundamentum aptitudinis ad motum, non ſecundum quod ad ipſum dicit aptitudinem. Quomodo nominetur. D.Thom. Ariſtot. Caiet.

Ita intellige, quando dicimus materiam ſenſibilem eſſe materiam affectam qualitatibus, & motu, nos non dicere materiam, quæ actu moueatur, quæ ſit ſub actuali motu, ſed quæ in ſe habeat fundamentum motus, quæ differentiam illam habeat intrinſecam, ad quam ſequitur motus, hinc Ariſtoteles loco præfato aſſignans hanc materiam ſenſibilem, non dixit materiam mouentem, ſeu motam, ſed materiam mobilem, innuens fundamentum illud, & intrinſecam illam differentiam, cum enim differentia illa intrinſeca, & fundamentum illud careant proprijs vocibus, & nobis non prorſus innoteſcant, circumloquimur aliquando, & ſæpe, materiam ſenſibilem per motum, quando enim nos latent differentiæ, Ariſtot.

rentiæ, licet nobis loco ipſarum ponere proprietates, operationes, & accidentia, vt videtur colligi ex quarto cœli, ſexto, & ex octauo Diuin. quinto, quibus in locis clare id docet Auerroes.

Auerroes.

Hæc ſenſibilis materia ponitur in rerum naturalium definitione, & aliquando expreſſe, & explicite, tamquam pars definitionis, vt ſi dicatur, quod homo eſt quid aggregatum ex carne, oſſibus, & ex anima intellectiua, in hac enim definitione vides expreſſe duas partes, & formam ſcilicet in ly *anima intellectiua*, & materiam ſenſibilem in ly *carne, oſſibus*, &c. aliquando vero ponitur implicite, & ſecundum quandam conſecutionem, neceſſariam tamen, vt ſi dicatur homo eſt animal rationale, nam ly *animal* materialiter ſe habet in ordine ad rationale, à quo ſumit ſpeciem, & determinationem, & ſi eſt animal, conſequenter importatur materia ſenſibilis, oportet enim, quod habeat ſenſum, nam cognoſcitur animal, & ab ijs quæ non ſunt animalia ſecernitur per ſenſum, ex ſecundo de anima 16. ſi autem habet ſenſum, erit diſpoſitum ex materia apta ad ſpecies recipiendas abſque materia, vt facit ſenſus, ex eodem lib. 121. Et breui dicas, quod quando aliquod naturale definitur in recto, tunc ſenſibilis materia ponitur implicite, quando vero in obliquo, tunc expreſſe cadit; Et hæc quo ad quartum, nam quæ modo, & ſuperius dicta ſunt, confirmanda veniunt.

Ariſtot.

Probatur ex Ariſtotele, materiam eſſe partem quidditatis.

Quo ad quintum; Oſtendo materiam ſenſibilem, & communem iam explicatam poni in definitione rerum naturalium, ſic enim non ſemel docuit Ariſtoteles, vt eſt videre primo de anima 16. ſeptimo Diuin. 34. & 39. ſexto eorundem ſecundo, vbi inductiue monſtrat, in rerum naturalium definitione poni materiam, & octauo ſimiliter Metaphyſicorum, ſexto, vbi ponit triplicem modum definiendi res naturales, & reiectis duobus, laudat illum, quando ponitur & materia, & forma, quod quoniam faciebat Architas Tarentinus, ibidem ab Ariſtotele commendatur, & denique 2. Phyſ. vltimo, ait expreſſe, in definitione eſſe quaſdam partes, vt materiam, ex quibus omnibus liquido colligitur, materiam ad aures Ariſtotelis in rerum naturalium definitione poni debere.

Quomodo locis Ariſtotelis occurrãt aduerſarij.

Reijcitur eorum interpretatio multipliciter.

Auerroes.

Cumque ex hac quæſtione iam conſtet, hæc duo mutuo ſe inferre, poni ſcilicet in definitione, & ſpectare ad quidditatem, iam habemus ex Ariſtotele, quod ſpectet materia ad quidditatem. Cæterum ad omnia loca Ariſtotelis allata, & ad alia, ſi quæ ſint, reſpondent aduerſarij omnes vna voce, mentem extitiſſe Ariſtotelis, vt ponatur materia in rerum naturalium definitione, non tamquam pars definitionis, ſed tamquam vehiculum deferens ipſam quidditatem; Oſtendo ego reſponſionem hanc eſſe, & contra eos, qui illam adferunt, & deinde penitus inanem, & tertio minime conformem Ariſtoteli, quem interpretantur, ſic enim credo poſitionem meam firmiter roborari poſſe; Et quo ad primum. Vide Auerroem, (quem ſententiæ contrariæ patronũ appellare libet) ſuper vltimum ſecundi Phyſ. & comperies, ipſum expreſſe cum Ariſtotele ibidem docere, quod in quibuſdam definitionibus, non ſolum apparet conſecutio materiæ, ſed etiam in eis intrat materia, & ſubdit, quod in quibuſdam definitionibus non ſequitur materia neceſſario ex poſitione, ſed intrat in definitione quaſi pars, & repetit ſtatim, *in talibus igitur definitionibus apparet materia, quaſi pars, non ſecundum conſecutionem*, & dat exemplum Ariſtotelis ibidem, ſerratio enim quia non completur niſi per formam, & materiam ſerræ, ideo intrat materia in definitione, *ſi enim* (ait) *dixerimus, quod ſerra ſit inſtrumentũ habens dentes, non erit definitio, donec dicamus ipſam eſſe ex ferro.* Nunc attende mentẽ Auerr. & Ariſtotelis ibidem, ſupponũt, quod in omni definitione naturali ponatur materia, vt ex

varijs

varijs locis Ariſtotelis audiſti, ſed volunt oſtendere, quomodo in quibuſdam definitionibus expreſſius eam ponere ſit opus, hæc autem maior expreſſio oportet, vt aliquid dicat ſupra conſecutionem, hoc enim modo nimis clarum eſt, in omni naturali definitione poni materiam, erit ergo tamquam pars, hoc enim Auerr. & expreſſit, & repetijt; neque mihi quis dicat, non dixiſſe Auerroem eſſe partem definitionis, ſed quaſi partem, ly enim *quaſi*, non eſt conditio diminuens illo loco, ſed exprimens, ac ſi dixiſſet tamquam pars, ſi enim quid vltra, & ſupra conſecutionem in quibuſdam definitionibus ſit de materia aſſignandum, (quod dico ad hominem pro ly *quibuſdam*, nam de omnibus id nos ſentimus,) vt ibi vult Auerr. neſcio imaginari quid ſit illud, niſi pars.

Sed & Iandunus perpetuus Auerroicæ doctrinæ profeſſor q. 13. & vltima primi de Anima, locum quem ex Auerr. citaui refert, & ait, quod in definitione rei naturalis aliquando expreſſe ponitur materia, tamquam pars definitionis, & exemplum adducit. Qui ergo dicunt materiam poni in definitione, nõ tamquam partem, ſed tamquam vehiculum, non ſibi conſtant, & doctrinam ſibimetipſis aduerſantem tradunt.

Iandunus.

Oſtendo vlterius, reſponſionem hanc nullam prorſus eſſe, vel enim definitio debet aperire totum illud, quod ſpectat ad rei naturam, eſſentiam, & ſubſtantiam, vel non, hoc ſecundum nullus dicet, tunc enim imperfecta foret definitio, immo definitio non eſſet definitio, quoniam de eſſentia veræ, ac perfectæ definitionis eſt, quod totam rei eſſentiam dicat, & referat, vt ſcripſit Ariſtoteles primo magnorum Moralium cap. 2. & 3. Diuin. 10. & neminem ignorare credo quattuor conditiones celebres ad perfectam definitionem requiſitas, ab eodem Ariſtotele 4. Phyſ. 31. traditas, ſi primum habeo intentum, cum enim materia ſpectet ad ſubſtantiam rei compoſitæ, (non enim eſt ei accidens,) debet certe per definitionem exprimi, neque poteſt dici, quod tamquam ſubiectum exprimatur, quoniam cum definitio reſpiciat definitum, & materia non ſit ſubiectum definiti, ſed eius pars ſubſtantialis, & eſſentialis, vt pars quoque definitionis debet aſſumi; quod ſi non ponatur materia in definitione naturalium, quæ eſt altera pars eſſentiæ ipſarum, quomodo tota eſſentia aperitur? quomodo definitio earum naturam refert? quomodo per definitionem ſoluentur difficultates emergentes circa quodquideſt ſubſtantiarum compoſitarum, cum permultæ ex natura materiæ oriantur? Vnde formo ratiocinium breui hoc modo; Materia eſt de ſubſtantia rerum compoſitarum, & eſt eis intrinſeca, & earundem pars eſſentialis, (vt non admiſceam de exiſtentia, quæ actualis ſaltem a definitionibus arcetur,) ergo per definitionem vere, ac proprie debet explicari, antecedens ſimul cum conſequentia patent. Confirmo hoc ipſum, ſi ignoraretur forma ſubſtantiarum ſimplicium, ignoraretur ipſarum quidditas, quoniam hæc eſt forma, & ſi in earum definitione non poneretur forma, non haberetur earundem notitia, ergo ſi ignoretur materia compoſitarum ſubſtantiarum, ſi non ponatur in earum definitione, ignorabitur ipſarum quidditas, quoniam ſicut quidditas abſtractorum eſt ſola forma, ita compoſitorum eſt materia, & forma, immo ex hoc differunt compoſita à ſimplicibus, vnde ſi ſola forma eſſet tota quidditas ſubſtantiarum compoſitarum, nulla eſſet differentia inter quidditates ſimplicium, & compoſitorum, quod nullus imaginatur, Neque confugiendũ eſt ad connotata, tamquam ſubiecta, vel tamquam vehicula, hoc enim aliunde oſtenderet aliquam differentiam, & non ex parte quidditatis, & tamen iuxta quidditatem vt ſic, debent compoſita ſubſtantiæ à ſimplicibus differre, immo vero, ſi quis attentius rem ſpeculetur

Natura definitionis.
Ariſtot.

Abſtractorũ quidditas.

letur

letur, videbit pugnare, dum dicitur, quod quidditas compoſitarum ſubſtãtiarum ſit ſola forma, & hæc ſola in earum definitione ponatur, eſſet enim, & non eſſet quidditas ſubſtantiarum compoſitarum, eſſet, quatenus ab illis ſic dicitur, non eſſet, quoniam ſi non adſit materia, iam quidditas illa non eſt compoſita, nam in hoc ſtat earum compoſitio, vt ex materia ſcilicet, ac forma conſtent, in quo à ſimplicibus diſcriminantur, &c.

Quomodo ſe habeant definitio, & definitum.

Vlterius, definitio, & definitum ſunt vnum, & idem, & nulla alia inter ipſa eſt differentia, niſi quod id quod exprimitur explicite in definitione, dicitur implicite in definito, vt conueniunt omnes, & vt colligitur ex Ariſtotele 1. Phyſ. 5. conuertuntur ergo definitum, ac definitio, ſed materia eſt vere pars ipſius definiti, (definitum quippe eſt homo, leo, lignum, &c.) ergo debet eſſe vera pars definitionis, & multo magis, quoniam hæc explicite refert, quæ definitum implicite claudebat, vt dixi. Hinc ipſemet Auerr. citatus in litera, ſeptimo Diuin. 27. dixit, naturam quam habet ſpecies in generabilibus, eſſe aliquod medium compoſitum ex materia, & forma, &c.

Auerroes.

Speculatio Pererij.

Hæc certe quæ attuli, videntur rem ipſam demonſtrare, & euidenter conuincere, quæ forſan animo complectens & Pererius lib. citato cap. 8. dixit varietatem, ac diſſenſionem opinionũ in hoc negotio conſiſtere, non tam in rebus, quam in verbis, & modo loquendi; ſubdit enim, quod ſi nomen quidditatis ſignificet illud omne, quod ſpectat ad integritatem ſubſtantiæ, & naturæ ipſius compoſiti, (in qua acceptione ait vſurpari à recentioribus philoſophis, & theologis,) & ſolum accidentia excludantur, ſic certum eſt, materiam eſſe partem quidditatis, at ſi vox quidditatis anguſtius, & preſſius ſumatur, vt ſcilicet id ſolum in naturali compoſito ſignificet, quod eſt eius actuatiuum, diſtinctiuum, determinatiuum, intelligibile, &c. in quo ſenſu acceperunt peripatetici antiquiores, ſic ait, manifeſtiſſimum eſſe, materiam non eſſe partem quidditatis, cum omnia hæc proficiſcantur à forma; vnde ante hanc diſtinctionem de nomine quidditatis, dixit poſteriorem hanc viam loquendi, & ſententiam hoc ſecundo modo prolatam, eſſe magis peripateticam, & Ariſtotelicam.

Iudicium Auctoris.

Ariſtot.

De hoc Pererij iudicio meam proferens ſententiam aſſero, primum quod dicit veriſſimum eſſe, & iam illud niſi fallor ſufficienter comprobaui; Alterum vero quod docet, videtur mihi vanum, & inutile, neque enim in Ariſtotele inuenio preſſiorem illam ſuam acceptionem de nomine quidditatis, ſed ſemper accepit quidditatis nomen pro definitione, pro forma totius, vt eſt cernere toto ferè ſeptimo Diuin. & 8. eorundem cap. 3. hoc eſt à tex. 8. vſque ad 12. cumque iam oſtenſum fuerit de mente Ariſtotelis, materiam proprie definitionem ingredi, conſequens eſt, vt ſpectet ad quidditatem, velut quidditatis nomen accipitur ab Ariſtotele, & nedum à recentioribus; cumque ſimiliter conſtet, materiam habere locum in forma totius, (ſi enim eſt totius, iam reſpicit partes, quarum altera eſt materia, altera forma partis,) ergo habet in quidditate, eo modo quo de quidditate loquitur Ariſtoteles; ſed paulo inferius manifeſte demonſtrabo, voluiſſe Ariſtotelem, materiam ſpectare ad quidditatem eo modo, quo ipſe de quidditate loquebatur. Quod vero priſci peripatetici, quidditatis nomen formæ adſcripſerint, iam duplici via patuit, quonam pacto ſint exponendi, ſed & cum omnes veſtigia Ariſtotelis peripateticorum ducis imitantes doceant non ſemel, materiam ingredi rerum naturalium definitionem, ex conſequenti, ſuaſum ſatis voluerunt, eorum mentem eſſe, quod & ad quidditatem ſpectet, hinc ne ſibimetipſis non conſtare dicamus, intelligendi ſunt altero illorum ſenſuum,

quos

quos aperuimus, dum varia Ariſtotelis loca, quibus formam quidditatem appellabat interpretaremur.

Duo tamen in hoc viro clariſſimo, & in alijs recentioribus oppoſitæ ſententiæ manum dantibus admiror, alterum eſt, quod rationes varias ab Auctore i pri. p. loco recenſito, præſenti quoque litera, circa quam præſens quæſtio formata eſt, & à Scoto lib. & diſtinctione relata, & à Caiet. hoc loco contra ipſorum opinionem formatas, & iudicio meo concludentes non aduertant, nihilq. ipſis dicant, quod argumento eſſe videtur, vel rationes iſtas non habere ſolutionem, vel eos dedignari, quo reſponſum illis præbeant, ſi primum, nihil moror, ſecundum vero non eſt credibile, ſemper enim Auctorem eos magnifeciſſe video, & præterea, cum rationes quaſdam, quæ non tanta firmitate munitæ eſſe videntur diſſoluere laborent, certe & illis quæ firmiſſimæ ſunt, ſolutionem aliquam, vel apparenter adhibere ſtuduiſſent; Hinc opinionem tutari, contra quam firmiſſima argumenta ſunt, quæ nondum ſolutionem viderunt, philoſophos minime decet. Alterum eſt, quomodo non cogitent, rationes ferè omnes, eas ſaltem quas illi putant efficaciores, quibus in ſuam ſententiam adducuntur, ab eiſdem doctoribus confutatas fuiſſe, alias formaliter, alias in virtute, ſed & multas ex ijs, quas formaliter adfert hic Auctor, iam diſſoluit Aquarius quæſtione propria de hac re, poſt quem tamen iſte ſcripſiſſe videtur.

Quæ admiretur Auctor in defenſoribus ſententiæ contrariæ.

Tandem videntur viri iſti in hoc decepti, quod differentiam non faciunt, (vt neceſſario facienda eſt,) in eo quod aliquid ſit tota cognitio, tota intelligibilitas, tota determinatio, & id genus, & in eo quod ab aliquo, tamquam à principio, & à parte nobiliſſima, & maxime principali hæc omnia proueniant, quamuis enim quæ enumerauimus oriantur à forma, tamquam à radice potiſſima, non eſt tamen verum, quod forma deinde ſit illa omnia, alioquin hac via colligeretur, accidentia nullo modo eſſe formaliter entia, quoniam totam eſſentiam ſuam à ſubſtantia mendicant, & tamen vbi illam ſortita ſunt, entia formaliter ſunt entitatibus proprijs, vt quæſtione de analogia entis vidimus, ſimiliter colligeretur, quod materia non eſſet natura, quod tamen aduerſatur Ariſtoteli, nam quinto Diuin. 5. ait, materiam dici naturam in ordine ad formam, & tamen licet hoc verum ſit, illud quoque verum eſt, materiam eſſe naturam, & falſum præterea eſt, totam determinationem, & definitionem oriri à forma præciſe, verum quippe eſt, in genere ſuo, & principaliſſime, non tamen totaliter, & omnimode, nam & materia ad hæc omnia confert, non quidem ſignata, ſed communi formæ ſubſtrata, cauſas enim ſibi inuicem cauſas eſſe, didicimus ab Ariſtotele quinto illo Diuin. 2. & 2. Phyſ. 30. Quare omnia recenſita pendent in genere cauſæ formalis à forma, & ideo perfectiſſima via, à materia vero in genere cauſæ materialis, ac proinde minus perfecte. Quocirca, dum inquit omnia illa à forma proficiſci, ſi intelligat in genere ſuo, & tamquam à parte principaliſſima, nihil contra nos, immo totum conforme nobis, ſin intelligat totaliter, ita vt materia communis nullo modo ad hæc concurrat, ſupponit probandum, & nos præterea oppoſitum oſtendimus, dum vidimus materiam vere, ac proprie locum in definitionibus habere, quod ſi eſt pars definitionis, ergo omnium aliorum, quæ ſunt commemorata, quoniam omnia illa continet definitio, &c.

Ariſtot.

Quomodo determinatio & definitio ſit à forma.

Denique oſtendo, reſponſionem illam, qua dicunt materiam intrare definitionem, non vt partem, ſed velut ſubiectum, aut vehiculum, non eſſe Ariſtoteli conformem, ſed cum illo prorſus pugnare; Si enim eius intentio fuiſſet, quod ſolum tamquam ſubiectum, & non vt vera pars poneretur in definitionibus, tunc

Ariſtot. 39. ſeptimi Diuin. iniuria reprehendiſſet iuniorem Socratem, hoc eſt Platonem, vt interpretantur Auerr. Auctor, & Sueſſanus, vel alium, qui Socrates dictus eſt, vt magis placet Alexandro; quod materiam amoueret à quidditatibus naturalibus, poſſet enim pro ipſo dici Ariſtoteli; quod eatenus remouebat, quatenus non ſpectabat ad veram definitionem vt pars, ſed ſolum vt ſubiectum, & certe ſi res ita ſe haberet, optima foret reſponſio, & Ariſtotelis reprehenſio locum non haberet, immo ob talem reprehenſionem reprehendendus ipſe eſſet, ſed dicendo vere materiam ſpectare ad quidditatem, perperam agebat iunior ille Socrates, eam à rebus naturalibus auferendo.

Accedit, quod idem Ariſtoteles octauo Diuin. nono, vbi adduxit dubitationem illam ſequacium Anthiſtenis, ait definitiones naturales, rationes eſſe longas, hæc autem longitudo nequit eſſe merito ſolius formæ, vt patet, neque accidentium, hæc enim locum non habent in definitione, ergo merito formæ, & materiæ ſimul, tamquam partium, alioquin ſi intelligatur de materia, tamquam de ſubiecto, & vehiculo, indignnm quis crederet de Ariſtotele, quod definitionum longitudinem ex connotatis deſumpſiſſet, & quidem male inde ſumpſiſſet, ſed abſolute breues eas debuiſſet vocare, ſi forma ſola vere in ipſis caderet, cum addito autem longas, merito connotatorum; & mirum quidem valde, quod cum Ariſtoteles ipſe primo de Cœlo 110. docuerit, omne nomen multiplex prius diſtinguendum, quam proponendum fore, numquam diſtinxerit de nomine definitionis rerum naturalium, quod ſcilicet aliquando ſumatur ratione partium, nonnumquam ratione connotatorum, ſed ſemper abſolute protulerit, materiam definitionem illam ingredi, cum tamen abſolute non ingredi dicere debuiſſet, ſi tamquam vehiculum dumtaxat, & ſubiectum ingrediatur, nam ſemper abſolute metienda eſt definitio ex ijs, quæ proprie locum habent in ipſa, non ex ijs, quæ connotatiue ſolum. *Vnde ſpectanda definitio.*

Præterea idem Ariſtoteles nono Diuin. 22. & vltimo, (quem locum & Caiet. expendit hac in parte) aſſignabat differentiam inter quodquideſt ſimplicium, & compoſitorum, dicens in illis cognoſcendis non poſſe adeſſe errorem, in his autem vtique, ob eorum admixtam compoſitionem, ſpectantem certe ad quodquideſt, iam ergo quidditas ſubſtantiarum naturalium eſt compoſita, nullam enim aliam quis inueniet compoſitionem, quam quæ attineat ad quodquid eſt, & quæ ſit materia cum forma, & tamen ſi materia ſolum, vt vehiculum, vt connotatum intraret definitionem, non accideret error in vero quodquideſt, hoc enim conſurgit tantummodo ex his, quę vere ipſum conſtruūt, & non ex his, quæ vt addita illud ingrediuntur, & ſic nullum foret diſcrimen inter quodquid eſt ſimplicium, & compoſitorum. Quod ſi quis dicat, eo loci Ariſtotelem loqui non de quidditate, ſed de eſſentia, & ſubſtantia, hoc nihil eſt, tum quoniam iam vidimus hæc omnia idem importare, tum quoniam expreſſe dicit quodquid eſt, Vnde & hic textus conuincit duo, quæ potiſſimum tota hac quæſtione intendimus, alterum, quod apud Ariſtotelem idem ſit quodquideſt, quidditas, eſſentia, ſubſtantia, alterum, quod in compoſitis quodquideſt compoſitum ſit, quare directe ſpectat ad ipſum materia, ad quidditatem, definitionem, &c. Sed adeſt tex. ille 35. ſeptimi Diuin. in ſuperioribus quoque à me adductus, ex quo enodate adeo vtrumque hoc, quod modo dicebam habetur, vt nihil vlterius poſſit deſiderari; ait enim Ariſtoteles, *Eſt ergo pars & forma, ipſius inquam quidditatis, & ipſius quoque totius, quod ex forma, & materia conſtat*, quæ verba vel accipiantur de materia, vel de forma, vt varij varie exponunt, vt ſuperius referebam,

Ariſtot. Caietan. *Dubitatio. Soluitur.* *Ariſtot.*

ſebam, (de hoc enim in præſenti ſolicitum eſſe nihil conducit,) vtroque modo edocemur, Ariſtotelem ponere materiam partem quidditatis; ſi enim intelligantur de materia, iam verba ipſa hoc ſonant, neque eſt aliud quo ad hoc addendum, ſic enim non tantum eſt pars compoſiti, vt aduerſarij concedunt, ſed & formæ, & quidditatis, ſeu quodquideſt, vt aliæ tranſlationes habent, ſi vero accipiatur de forma, idipſum dicere oportet, ſi enim forma eſt pars formæ, & quidditatis, ergo non eſt tota quidditas, alteram ergo partem huius formæ totius, huius quodquideſt, huius quidditatis oportet inuenire, ſed non eſt, vt eam nos inueniamus, cum eam inuenerit Ariſtoteles, dicendo formam eſſe partem, (vt audiſti) quidditatis, & totius, quod ex forma, & materia, (ecce alteram partem) eſt, ſeu conſtat, Quare nihil video, quod amplius quis in hoc poſſit ab Ariſtotele optare. Demum, tum fateantur omnes, definitionem ex genere, ac differentia coaleſcere, & à materia genus, à forma differentiam ſumi, & in ſubſtantijs compoſitis, id à quo ſumitur ratio generis, nedum comparetur vt materiale ad id, à quo ſumitur ratio differentiæ, (veluti in quauis definitione contingit,) ſed reuera ſit ipſa materia, neſcio quis poſſit ſibi ſuadere, materiam non eſſe veram partem quidditatis, ac definitionis, niſi quis adeo rudis, & in philoſophia ignarus inueniatur, qui dicat, genus cadere in definitione, non vt veram partem, ſed vehiculum, quod ita falſum eſt, vt acceptum abſque præciſione, ſit tota rei definitio, vt hoc libro cap. 4. & 6. manifeſtabo; Et hoc forſan innuere voluit Alex. quando in fine comm. 30. quinti Diuinor. dicebat, *Licet totius finitio per formam efficiatur, materiã tamen conſignificat, vt ex genere protinus intelligitur, idcirco inquit*, (ſcilicet Ariſtoteles,) *genus pars eſt ſpeciei, quoniam definitionis eſt pars*, ecce quomodo philoſophus hic percelebris idem iudicium, quod ad hoc facit de genere, & de materia; conſidera autem quomodo in definitionibus ponatur genus, &c. Cautus tamen hic ſis, me non dixiſſe materiam eſſe genus, ſed hoc ab ea in materialibus vere ſumi, radicaliter, &c. Alexander.

Rationes alias pro confirmatione huius opinionis non eſt vt adferam, tum quoniam aliquas mihi adduxiſſe videor, quæ ſufficiant, tum quoniam multæ aliæ adſunt, quas iam huius ſententiæ Auctores à me nominati attulerunt, quarum plures ſolutionem adhuc ab aduerſarijs expectant, immo vt ſuperius dixi, omnes vires tenent ſuas, quoniam earum quibuſdam aliter occurrere neſciuerunt, niſi cum illa diſtinctione inter ſubſtantiam, eſſentiam, & quidditatem, quam vanam prorſus declaraui.

Id vnum adnotare libet circa primam illam rationem, quam adfert hoc loco Caiet. pro confirmatione huius ſententiæ, quæ fundatur ſuper eo quod, in omni obiecto ſumpto quidditatiue, cui aliqua paſſio adæquata conuenit, inuenienda ſit cauſa intrinſece illius paſſionis, &c. (quam deſumpſit ex Scoto loco memorato, dum primum aduerſariorum argumentum in ipſos retorquet,) ſubſumit minorem, quod corpus contrarietati ſubiectum, (ſic excluditur cœlum,) ſumptum quidditatiue eſt ſubiectum, cui conuenit corruptibilitas per modum adæquatæ paſſionis, ergo in tali corpore inuenire oportet intrinſece cauſam corruptibilitatis, talis cauſa eſt materia, ergo, &c. Aquarius doctiſſimus perpendens hanc Caiet. rationem quæſtione ſua nominata de Rerum naturalium quidditate, ait eſſe contra eundem Caiet. qui quæſtione de ſubiecto naturalis philoſophiæ docet, non corpus, ſed ens mobile eſſe ſubiectum adæquatum primarum paſſionum, vnde contradictio eſt in his duobus dictis Caietani. Sed immerito hac inconſtantiæ nota inurit Aquarius Caiet. quicquid enim ſit de ſubiecto naturalis

Caiet. Scotus. In quo accuſet Aquarius Caietanum.

Pro Caietano.

philoſophiæ, reſpondeo pro Caiet. quod dabit ipſe vtique, corpus eſſe ſubiectum adæquatum corruptibilitatis, non tamen hæc paſſio conuenit ſibi primo, quatenus corpus, ſed quatenus primo eſt ens quoddam mutabile, ſiue mobile, prout ly *mobile* extendit ſe ad mutationem, nam corruptibilitas, ſi preſſius loqui velimus non eſt motus, ſed mutatio, & hæc doctrina poteſt colligi ex Caiet. ibidem, quæſtione illa de ſubiecto naturalis philoſophiæ, dum declarat ly *ens*, & ex reſponſione, quam dat quarto argumento, qui eam bene conſiderat. Dico vlterius pro Caietan. quod ens mobile eſt quid ſuperius ad corpus mobile, tamen totum illud quod tribuitur enti mobili, videmus exerceri per corpus, nam ad corpus omnia reducuntur in naturali philoſophia, non tamen primo, quatenus corpus mobile, ſed prout ens mobile eſt, vnde ex vi huius rationis, non eſt inferendum, quod corpus ſit adæquatum ſubiectum philoſophiæ naturalis; At miror virum clariſſimum non videntem, quomodo ſi Caietan. ſibi contradicat, ipſe ſibi conſtet; an non adducit & ipſe hanc eandem rationem Caietan. immo Scoti dilucidatione ſua 12. ſuper ſeptim. Diuin. eam efficaciſſimam appellando, & tamen ipſe quoque additionibus ad quæſtionem ſecundam primi Phyſ. Ferrarien. conatur oſtendere, ens mobile eſſe adæquatum ſubiectum naturalis philoſophiæ, non autem corpus, vel ſubſtantiam, vel quoduis aliud, quod ipſum repetit dilucidatione quinta ſuper eundem librum Diuin. quod nimirũ loco ſuo commonſtrabit, opinionem eruditiſſimi patris Georgij Vercellenſis, qui docuit idem eſſe, & ſignificare hæc omnia, ſcilicet ens mobile, corpus mobile, &c. eſſe contra Auctorem, expreſſe in hoc innuens, non corpus; ſed ens mobile eſſe ſubiectum naturalis philoſophiæ, ſi ergo ratio illa concludit, quod corpus ſit naturalis philoſophiæ adæquatum ſubiectum ponendum, iam ſibi contradicit, cum hanc & ipſe adducat pro confirmatione huius ſententiæ. Hoc forte præuidens ipſe Aquarius dilucidatione illa 12. adducens rationem illam, qua dicitur inueniri debere cauſam corruptibilitatis, non vſus eſt voce corporis, ſed rei naturalis, vnde arguit, quod res naturalis ſit ſubiectum adæquatum corruptibilitatis, &c. Sed tunc pari via ſequeretur, rem naturalem, non autem ens mobile eſſe adæquatum ſcientiæ naturalis ſubiectum, quod eodem gradu pugnat contra ipſum quæſtione illa, ſeu quæſtionis illius additione, negantem omne aliud ab ente mobili poſſe dici ſubiectum, inter quæ enumerat etiam ens naturale, & inter ens naturale, & rem naturalem, nullam ipſe in præſenti agnoſco differentiam; Accedit, quod quæcumque ſit hæc res naturalis, quæ ſubiectum dicitur adæquatum corruptibilitatis, illa nequit fingi aliud, quam corpus, cum enim eiſdem vere tribuenda ſit corruptio, quibus & tribuitur vere generatio, (oppoſita enim circa idem verſari ſcimus, & colligitur ex lib. de ſomno & vigilia cap. 1.) iam aperte docuit Ariſtoteles primo Phyſ. 64. & ſeptimo Diuin. 28. ſola compoſita fieri, ac generari, hinc dicendo res naturalis, non corpus, vocem ſolam, non rem in hoc propoſito mutauit. Dicamus ergo, viros hos celebres non ſibiipſis aduerſari, vnde iniuria reprehenſus fuit ab Aquario Caietan. ille, quem in omnibus ferè, & imitari, & commendare ſolet. Et hæc de quinto.

Quomodo ſe habeant ens mobile, & corpus mobile.

Georgius Vercellẽs.

Ariſtot.

Quid fiat, & generetur.

Quo ad ſextum; Reſpondeo argumentis, & ad primum nego conſequentiam, qua dicebatur, quidditatis eſſe quidditatem, & ad probationem dicitur, quod ſtat, aliqua duo eſſe idem, quo ad rem, & tamen ob differentiã rationis in illis repertam, aliquid enunciari de vno, & negari de altero, ſic homo compoſitus, & eius quidditas eandem rem dicunt, & tamen quoniam ratione differunt, de homine enunciatur, quod habeat quidditatem, quod negatur de quidditate; & certe ſi

Ad argumenta contrariæ opinionis.

quid

quid concluderet argumentum, colligeretur pari via, definitionis eſſe definitionem, & numquam ſtatum inueniri, nam definitio, & definitum ſunt vnum, & idem, & definitum habet definitionem, ergo oporteret ex hac ratione, definitionem etiam habere definitionem.

Reſpondeo deinde, quod quando ſunt aliqua eadem realiter, quicquid realiter vni, alteri quoque eſt coniunctum, ſed non quicquid enunciatur de vno, de alio quoque eſt neceſſe enunciari, nam ob rationis diſcrimen, aliquid vt dicebam profertur de vno, quod negatur de alio, applica, & concludes, argumentũ inſpexiſſe tantum rerum identitatem, & non rationis differentiam, vel diſtinctionem, &c.

Ad ſecundum diuiſe reſpondebat Scotus loco allegato, Dic breui tu, quod materia ſecundum ſe, & communiſſime accepta, vel etiam contracta, & indiuidualis eſt ignota, ſed quatenus ſubeſt formæ ſpecificæ, eſt declaratiua illius, cuius eſt materia, & quamuis omnis cognitio ſit à forma, tamquam à principio, vbi tamen aliquid eſt ſub forma, concauſa poteſt eſſe cognitionis, & adeo con cauſa, vt illo ignorato, nequeat res complete ſciri, & ſic abſque materia parte compoſiti, non ſcietur perfecte compoſitum, ex quo ruunt ea, quæ videbantur non cohærere ijs, quæ docui quæſtione de ſingularium cognitione, ibi enim de materia ſignata, quæ eſt ſingularitatis materialis radix locutus ſum, dicens eam non poſſe ab intellectu cognoſci, &c.

Ad tertium quod erat Archangeli Mercenarij, admiſſa maiori, quæ tamen in bono ſenſu venit interpretanda, alioquin ſequeretur, riſibile eſſe totam hominis quidditatem, negatur minor, eſt enim falſum, quod ad poſitionem formæ partis ponatur tota rei quidditas, nam ponitur principaliſſima ſolum pars, alias ſequeretur, animam eſſe totum hominem, ſed ad poſitionem formæ totius, tota quidditas ponitur, quam formam, tam materiam includere vidimus, Neque obſtat, quod ablata forma, auferatur rei quidditas, hoc enim non arguit, formam eſſe totam quidditatem, ſed quoniam eſt pars quidditatis, ideo ablata parte, auferetur & totum formaliter, ad cuius quippe rationem ſpectat, vt partibus ſuis conſtet, vt enim partes abſque toto non remanent, ita totum perit, perempta aliqua parte eſſentiali, & præcipua, vt habes ab Ariſtotele ſeptimo Diuinor. 35. exemplis de corde, & cerebro illuſtratum. Et ſi vellet forma, vt ſic poteſt eſſe abſque materia, ſic materia poſſet eſſe abſque forma, remota forma, adhuc remaneret pars quidditatis, immo quoniam in materialibus, neque materia abſque forma, neque forma abſque materia eſſe valet, (non eſt ſermo de anima intellectiua, quæ materialis non eſt) vanum penitus eſt argumentum quo dicitur, ablata forma, totam rei quidditatem auferri, id enim prouenit, non quia ſit tota quidditas ſecundum ſuam rationem, ſed quoniam aufert omne eſſe, vnde non tollitur forma, quin & tollatur materia, quæ erat ei proportionata, &c.

Ad quartum dico, doctus ab Auerr. ſecundo de anima comment. 67. prope finem, quod exemplis vtimur, non vt ita ſint, ſed vt addiſcant, qui audiunt, quoniam eorum non verificatio, ſed manifeſtatio requiritur, quod docuit & Caietanus pri. par. quæſt. 13. artic. quinto, & ab eodem Auerr. accipiens Sueſſanus confirmauit ſuper nonum octaui Diuin. & certe, ſi exemplum curreret quoad omnia, iam non eſſet ſimile, ſed idem, Valet ergo ſimilitudo, quæ recenſetur in argumento, quod ſicut non definitur ſimum abſque naſo, ita neque res naturales abſque materia, non autem valet, quod ſicut naſus eſt ſubiectum, & non pars ſimi, ita materia ſit ſubiectum, non pars quidditatis, & definitionis naturalis, Sed ſi vis ſuadere infirmitatem huius argumenti ſuo auctori, argue ex eo

quod

Ariſtot.

Ad poſitionem cuius formæ ponatur, & non ponatur rei quidditas.

Auerroes.

Caietan.

Sueſſanus.

quod ſequeretur, rem naturalem definitam, eſſe vere accidens, & materiam verum eius ſubiectum, quæ fatua ſunt, patet conſequentia, quoniam naſus eſt vere ſubiectum ſimitatis, quæ eſt accidens, & vult doctus hic vir in argumēto, eandem eſſe proportionem materiæ ad definitiones naturales, quæ eſt naſi, ad ſimitatem.

Ad quintum, iam Caiet. & alij reſponſum dederunt docentes, non communem materiam, quam ponimus partem quidditatis, ſed ſignatam, & vltimam, qualem à quidditate remouemus, eſſe cauſam, vt in compoſitis natura à ſuppoſito diſtinguatur, & quod, à quo, per hanc enim res naturales fiunt indiuiduæ, vbi autem non eſt materia, ab eodem aliqua natura habet eſſe, & naturæ, & huius naturæ, non tamen naturæ, & ſuppoſiti, vnde non habet omnem veritatem, quod materia ſit cauſa diſtinctionis naturæ, & ſuppoſiti, &c. Aliam ſolutionem huic argumento dat Scotus ibidem, quam ſchola Auctoris reijcit, vult enim, quod & in materialibus idem ſit quo, & quod, ſed de his diſtinctionibus, hoc libro copioſius nobis ſubminiſtrabitur diſſerendi campus, cap. 5. &c.

Scotus.

Per quid diſtinguatur rerum compoſitarum quidditates.

Ad ſextum dico, quidditates rerum compoſitarum diſtingui, nedum penes formam, ſed & penes materiam, non quidem primam, vt ſic, & abſolute de qua loquitur argumentum, ſed ſubſtratam formæ genericæ, & ſpecificæ, ſic enim differt quidditas hominis à quidditate lapidis, & merito formæ, & merito materiæ ei ſubſtratæ, quod eſt dicere, merito formæ totius, materia autem communis omnibus, eſt materia prima abſolute.

Ad vltimum, quod ex varijs auctoritatibus Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum deſumebatur, iam reſponſum eſt tertio quæſtionis art. eos nimirum loqui, vel de forma totius, vel ſumere denominationem à re principali, & nobiliſſima, velut dicebat Ariſtoteles 9. Ethicorum cap. 4. & 8. ciuitatem, & omnem congregationem maxime id eſſe videri, quod in ipſa eſt præſtantiſſimum, ita & homo, hinc poteſt dici homo anima, & forma, quoniam hæc eſt pars in ipſo potiſſima, non autem totus homo; Et ſicut iam dixi, cum omnes peripatetici dicant, materiam eſſe partem definitionis, iam dicunt eſſe partem quidditatis; Et tandem, ſi qui ex peripateticis nominatis ab ipſis, & in argumento expreſſis cenſuerint, materiam non eſſe veram quidditatis partem, ſufficiat nobis aperuiſſe, quod Ariſtoteles eam poſuerit partem quidditatis, quem ſecuti ſunt Auicennas, Auctor, Caiet. Scotus, & alij bene adeo de philoſophia meriti, vt nemini philoſophorum primas cedant, &c.

Ariſtot.

QVÆSTIO QVARTA.

Quodnam in rebus materialibus ſit indiuiduationis principium.

CIRCA octauam, & vltimam partem literæ, vbi Auctor ſoluens quam eadem parte mouerat difficultatem, dicebat materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis, moueo cum Caiet. perdifficilem, & in ore omnium philoſophorum, ac metaphyſicorum poſitam quæſtionem de indiuiduationis principio, quodnam ſcilicet illud ſit, an ſignata materia, vt hoc loco dicitur, an quoduis aliud, vt pleriſque alijs viſum eſt. Vt hanc quæſtionem, quam omnes perarduam, atque difficillimam iure dicunt abſoluam, nouem me facturum polliceor, aperiam primo ſenſum quæſiti, adducam ſecundo varia doctorũ

placita cum fundamentis ſuis efficacioribus, illorum inquam, qui extra Auctoris ſcholam in hac re loquuntur, & ea reſpuam, tertio illorum mentem referam, qui ad aures Auctoris materiam ſignatam principium indiuiduationis aſſignāt, eorundem reijciens interpretationem, quarto ſententias Caiet. recenſebo, & eam quam præſenti loco docuit, ab aliorum iniurijs vindicabo, quinto eandem viam iam defenſatam, argumento eiuſdem Caietan. cum eodem confutabo, ſexto doctrinam, quam alibi tradidit amplexabor, & declarabo, ſeptimo eam quo ad omnia probabo, octauo contra eam arguam nonnullis, & argumenta diſſoluam, poſtremo rationibus ſecundo art. adductis faciam ſatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Dilucidatur ſenſus quæſtionis.

OBſeruo in primis, me ſupponere, quæſtionem hanc non eſſe vanam, aut redundantem, vt ſibi ſuaſit Aureolus apud Capreolum 2. ſent. diſt. 3. q. 1. circa ſecundam concluſionem, volens quamlibet naturam de ſe eſſe hanc, & nullatenus ad plura indifferentem, ac proinde quærendum non eſſe, à quonam ſit hæc, vel indiuidua; Viri enim permulti omni ex parte celebres, hoc Aureoli iudicium minime iudicioſum demonſtrarunt, dum in principio indiuiduationis indagando plurimum laborarunt, & Capreolus loco præfato eius rationes nullas facile declarauit, & Paulus Soncinas q. 31. ſuper ſeptimum Diuinorum octo rationibus demonſtrat, aſſignandum fore tale principium, vnde natura fiat indiuidua, ipſe autem perbreui hoc diſcurſu talem neceſſitatem oſtendo; Aut natura eſt ſemper hæc, aut non, ſed aliquando communis, aliquando indiuidua, non primum, quoniam in intellectu eſt vniuerſalis, ergo ſecundum, ergo quando de ea dicitur, quod eſt indiuidua, quod ſingularis, hoc non habet ex ſe, ergo id aliunde petendum eſt; Diſcurſum hunc in hoc negotio conuincentem fuſius ſequenti cap. cum Auctore expendemus, vbi videbimus, naturam ex ſe abſtrahere, & à communicabilitate, & ab incommunicabilitate, aliàs ſi quid horum ſibi neceſſario adſcriberet, vel ſemper communem, vel ſemper ſingularem intueremur, quorum vtrumque diſtat à vero.

Mens Aureoli.

Reijcitur.

Capreol.

Soncinas.

At forte occaſio Aureolo in hoc errandi illud fuerit, quod omnem naturam exiſtentem viderit hanc, & indiuiduam, ac ſubinde id ſibi de ſe conuenire arbitratus fuerit, non diſtinguens inter rem, & rationem rei, inter naturam indiuiduam, & rationem huius indiuiduationis, ſic & nos, & peripateticus quiſque fatetur, omnem naturam exiſtentem eſſe hanc, at indagamus, vnde nam habeat, quod ſit hæc, quod ſi id aliquando animo voluit, vt ex quibuſdam eius motiuis colligi poteſt, in eo tamen penitus errauit, vt cenſuerit, naturam primo, vel ſecundo modo perſeitatis, & poſitiue aſcribere ſibi indifferentiam ad plura, hinc intuens illam exiſtentem hanc, & indiuiduam, & fieri non poſſe, vt quid rei adueniens auferat ab illa, quæ ei debentur altero illorum modorum, cenſuit nullatenus conuenire ſibi indifferentiam ad plura, ſed ſibi ex ſe vindicare incommunicabilitatem, & eſſe indiuiduam, at cap. ſequenti videbimus, naturam de ſe, neque pluralitatem, neque ſingularitatem poſitiue habere, quare de ſe erit indifferens, in hoc autem indiuiduo fiet hæc, & ſingularis.

Peripateticorũ conſenſio.

Non turbetur autem Auctoris alumnus, ſi Magiſtrum ſuum legat aſſerentem

Sẽſus D.Tho. dum ait, ſubſtãtiam de ſe indiuiduari.

p.p.q.29.art. 1. ſubſtantiam, ſeipſa indiuiduam fieri, hoc enim intelligitur de ſubſtantia vt ſic, non de ſubſtantia materiali, de qua nos in præſenti indagabimus, vt ibi dicebat Caiet. Addo ego, verum eſſe, ſubſtantiam ſemper de ſe vt ſic fieri indiuiduam, hoc eſt, non per aliquod accidens ei, quatenus indiuidua, licet poſſit eſſe accidens, quatenus eſt ſubſtantia; vnde bene Capreolus vbi ſupra dicebat, quod quamuis ſubſtantia materialis fiat indiuidua per principia indiuiduantia, hoc tamen non excludit, quin per ſe hæc fiat; quoniam in ſui ratione ſubſtantia materialis, (vt materialis, non vt ſubſtantia) illa includit; Non dicas tamen, nos in Aureoli ſententiam cadere, quoniam nos hæc principia indiuiduantia ſcrutamur, & eorum merito, naturam fieri hanc dicimus, non de ſe præciſe, &c.

Capreol.

Cum ergo principium indiuiduationis ſit requirendum, obſeruo ſecundo, nos non loqui de indiuiduo, vt ſignificat nomen ſecundæ intentionis, vt ſcilicet dicitur de vno ſolo, hoc enim non conuenit illi ex ſe, ſaltem formaliter, & completiue, ſed ex opere intellectus, neque vt ſic conſideratur vt res, vel vt reale quoddam, & manifeſtum eſt, quod formaliter, intentione illa ſecunda indiuiduum eſſet hoc, & effectiue ab intellectu, qui cauſaret ſecundam illam intentionem, dum conferret illud ad aliud, ſicut ſubijcibile ad prædicabile, ſed ſermo eſt de indiuiduo, vt eſt nomen primæ intentionis, vt importat rem illam exiſtentem, quod definiens Auctor p.p.q.29, art. 4. dicebat illud eſſe, quod in ſe eſt indiſtinctum, ab alijs vero diſtinctum, quo fit, vt ad eſſentialem indiuidui conſtitutionem duo requirantur, primo ſcilicet, vt ſit incommunicabile; nam ſi ſit in ſe indiſtinctum, non poterit diuidi, & ex conſequenti, non communicari, & ſecundo, vt ab alijs ſit diuiſum, erit enim ita hoc, quod neque illud, vel illud, & ſic ab alijs omnibus diſtinctum; Sic Ariſtoteles cap. de Subſtantia in cathegorijs, indiuiduam ſubſtantiam definiens dixit, eam eſſe, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur, vbi vides eius incommunicabilitatem, cum nequeat de vllo dici, & colligis eius ab alijs diuiſionem, cum de ſe ſola dicatur, quoniam ſcilicet eſt ſolum ipſa, & non alia, & conſequenter ab omnibus alijs ab ipſa diſtincta; Sic Porphyrius cap. de Specie in prædicabilibus deſcripſit indiuiduum, illud aſſignans, cuius collectio proprietatum ita eſt in hoc, quod non poſſit eſſe in alio, vnde colligis, & eius à ſe indiuiſionem, & ab alijs diuiſionem, non quidem à priori, vel per cauſam, ſed ab effectu, & à poſteriori, quo modo etiam Auctor vltimo cap. huius operis, quinta parte iuxta noſtram diuiſionem dixit, penes accidentia, quæ ſequuntur materiam, indiuidua eiuſdem ſpeciei abinuicẽ differre, quia enim habet hanc naturam, ideo habet has proprietates, & hæc accidentia, & non quia habeat has proprietates, & accidentia, habet hanc naturã; quod ſi habet has proprietates, iam ergo eſt hic, ecce eius in ſe indiſtinctionem, & ſi hæ proprietates in alio nequeant eſſe, ecce eiuſdem ab alijs diſtinctionem. Dum ergo quærimus, per quid natura fiat hæc, & indiuidua, quærimus, vnde habeat, vt ſit indiuiſa in ſe, & à quouis alio diuiſa, quod ſi ab vno, & eodem poterit vtrumque proficiſci, iam certe vnica res aſſignabitur principium indiuiduationis, ſin minus, ex duplici capite id petendum erit.

Indiuiduum pro ſecunda intentione quo formaliter fiat.

D. Thom.

Quæ, & quot ad indiuiduũ requirantur.

Ariſtot.

Porphyr.

D. Thom.

Aduerte tertio, quod hoc indiuiduum ſic conſtitutum erit vnum numero, & ex conſequenti vnum quoque ſpecie, ac genere, vnitas ſiquidem numerica infert alias, & ab alijs non infertur, auctore Ariſtotele quinto Diuinorum 12. valet quippe ſi dicatur, eſt vnum numero, ergo ſpecie, ergo genere, non autem e contra, vnde in indiuiduo eſt vnitas numerica, & formalis, nomine vnitatis formalis vocando, & ſpecificam, & genericam, licet ſpecifica ſit vnitas formalis ſimpliciter,

Comparatio inter vnitatẽ numericam, & alias.

pliciter,

pliciter, quoniam nullam patitur diuiſionem formalem, generica vero ſecundum quid, quoniam admittit diuiſionem formalem, ſpecificam ſcilicet, & quo ſuperius genus erit, eo minori vnitate formali gaudebit, quoniam plures formales diuiſiones admittet, de quibus omnibus vnitatibus, quomodo ſe habeant in indiuiduo, quomodo ſint in rerum natura, quomodo abinuicem ſecernantur, definiam cap. 4. huius libri q. 2. Quamuis itaque in indiuiduo ſit vnitas, & numerica, & formalis, (Sortes quippe eſt hic homo, eſt homo, eſt animal, eſt corpus, &c.) non tamen ab eodem principio vtraque vnitas eſt deſumenda, veluti quoque non ab eodem ſumitur oppoſitum harum vnitatum, diuiſio videlicet; De vnitate formali non quærimus in præſenti vnde ſumatur, (hanc enim à forma oriri nullus dubitat,) ſed inquiſitio eſt de numerica, & indiuiduali, quippe quæ vnitas non dicit rei eſſentiam, aut ſubſtantiam, ſed modum quendam realem eiuſdem exprimit, qui modus eſt exiſtendi incommunicabiliter, vt colligitur ex Auctore p. p. q. 29. art. 1. ad tertium, & ex Interprete ibidem. *Vnde formalis vnitas.* *D. Thom. Caietanus.*

Noto quarto, non inueſtigandum nobis eſſe de vnitate quantitatiua, ſed de ſubſtantiali, quæ modus quidam eſt, vt dicebam ſubſtantialis, ad ipſius ſubſtantiæ cathegoriam ex reductione ſpectans, nam omnis modus proprius, & eſſentialis alicuius rei vt ſic, de neceſſitate eſt in eodem genere, in quo eſt res illa, cuius eſt modus; Inueſtigamus vtique de vnitate indiuidui, ratione cuius ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, quæ certe debet eſſe ſubſtantialis vnitas, quamuis etenim vnumquodque conſtituatur in ſpecie, merito formæ ſuæ, & non eorum, quæ reddunt ipſum indiuiduum, (alioquin homo, vt homo non foret in ſpecie humanitatis, & ſubſtantiæ,) ſub ſpecie tamen locatur per principia indiuiduantia, quæ naturam in ſpecie iam conſtitutam, ad hoc indiuiduum trahunt, & coartant; patet autem, vel certe patere debet cuique, ſpeciem ſubſtantiæ non contrahi ad aliquod indiuiduum per aliquid, quod ſit extra genus ſuum, illud enim foret accidens, & ex conſequenti contractum per illud, foret de genere accidentis, & ſic non indiuiduum ſubſtantiæ, de quo intelligimus in quæſtione. *Quo quidpiā locetur in ſpecie.*

Noto quinto, quod cum de principio, vel cauſa indiuiduationis dupliciter poſſimus loqui, & de extrinſeco ſcilicet, & intrinſeco, hic loquimur de intrinſeco ſolum, non enim eſt quæſtio à quo effectiue natura fiat hæc, ſed à quo formaliter, nam ſatis omnibus in confeſſo eſt, quod principium extrinſecum ipſius indiuidui, potiſſimum in fieri eſt agens, & efficiens extrinſecum, non enim naturali via fit aliquod compoſitum, niſi finis moueat efficiens ad coniungendam formā cum materia, & non fit hoc compoſitum, niſi hic finis moueat hoc agens ad hanc formam cum hac materia copulandam, ſic Ariſtoteles octauo Diuinorum 12. dicebat, fit vt vna ex materia, diuerſa ob cauſam mouentem oriantur; materia quippe ex ſe indifferens eſt ad diuerſas formas, & ſpecie, & numero, vnde ſicut determinatur ad formam huius ſpeciei ab agente huius ſpeciei, (de quo præcipue loquitur ibi Ariſtoteles,) ita ad hanc formam numero determinatur ab hoc efficiente ſingulari, & quo ad hoc bene dixit Durandus 2. ſent. d. 3. prope finem ſecundæ quæſtionis, formam eſſe hanc per illud, quod eſt in re extra, & hoc inquit eſt extrinſece agens. In re ergo maxime perſpicua non eſt vt quæſtio fiat, ſed quod obſcurum ſatis eſt indagamus, à quo intrinſece, & formaliter conſtituatur indiuiduum in eſſe illo indiuidui, & incommunicabili, &c. *Principiū indiuidui extrinſecum.* *Ariſtot.* *Durandus.*

Tandem facile adnotauerim, non institui quæſtionem de quolibet indiuiduo ſubſtantiæ, & accidentis, ſed de illo ſubſtantiæ tantum, vnicuique enim exploratum eſt, accidentia indiuiduari ex ſubiecto, in quo ſunt, vt docet Auctor p. p. *Vnde ſiāt indiuidua accidentia.*

q. illa 29. art. illo 1. rurſus, non de indiuiduo cuiuſuis ſubſtantiæ quærimus, ſed ſolum de materiali, vt excludantur Intelligentiæ, quas ſeipſis, & eſſe, & has eſſe nunc ſupponimus, & cap. 5. huius libri quæſt. 4. dicemus.

Epilogus. Eſt ergo ſenſus difficultatis, vndenam intrinſece habeat indiuiduum ſubſtantiæ materialis, res illa ad extra, quod ſit indiuiduum, hoc eſt indiuiſum in ſe, & ab alijs diuiſum, & diſtinctum vnitate, non formali, ſed numerica, non quantitatiua, ſed ſubſtantiali, quod ipſum de diſtinctione intelligimus; &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quorundam placita referuntur, confirmantur, & impugnantur.

Scoti voluntas. SCotus 2. Sent. diſt. 3. q. 6. poſtquam quinque præcedentibus eiuſdem diſtinctionis quæſtionibus diffuſe, & acute quidem, varias circa indiuiduationis principium adduxit, & reiecit ſententias, tandem ſuam in hoc negotio mentem aperiens dixit, ſubſtantiam materialem eſſe indiuiduam per aliquam entitatem poſitiuam, per ſe determinantem naturam ad ſingularitatem, & eiuſdem quæſtionis proceſſu, poſt multa quæ attulit, vt faceret ſatis dubitationibus contra hanc poſitionem, manifeſtat quænam ſit iſta entitas indiuidualis, à qua ſumitur differentia, & ait non eſſe materiam, non formam, non compoſitum, quatenus quodlibet iſtorum eſt natura, ſed eſſe vltimam realitatem entis, quod eſt materia, quod eſt forma, quod eſt compoſitum, non differentem ab illis realiter, ſed formaliter, & non eſſe rem, ſed realitatem, &c. Quod ipſum eodem ferè ordine, poſt multas ſcilicet dicendi vias adductas, & reiectas, licet breuiori verborum circuitu docuit quæſtione ſua 13. ſuper ſeptimum Diuinorum. Et quidem ſuam hanc opinionem ſuadet, vel ſuadere conatur.

Eius argumenta. Primo, Quoniam ſicut vnitas in communi per ſe cõſequitur entitatem in communi, ita quæuis vnitas per ſe, conſequitur aliquam entitatem, (vnitas quippe eſt paſſio entis,) ergo vnitas ſimpliciter, & numerica ipſius indiuidui debet per ſe conſequi aliquam entitatem, non illam naturæ, hæc enim eſt communicabilis, ergo aliquam aliam, quæ illam naturæ determinet, & hæc erit entitas incommunicabilis, faciens vnum per ſe cum entitate naturæ, totum enim cuius eſt hæc vnitas, de ſe eſt perfectum, &c.

Secundo, Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primo diuerſa, nam in differentibus oportet dari ſtatum, at indiuidua proprie differunt, ergo eorum differentia reducenda eſt ad aliqua primo diuerſa; hæc primo diuerſa non ſunt natura huius, & huius indiuidui, non enim poteſt eſſe idem, quo aliqua formaliter conueniunt, & quo realiter differunt, per naturam autem conueniunt indiuidua, ergo præter ipſam in hoc, & in illo ſunt aliqua primo diuerſa, quibus hoc, & illud differunt, hæc non poſſunt eſſe negationes, non aliqua accidentia, vt iam eadem diſtinctione probauit Scotus, ergo erunt aliquæ entitates poſitiuæ, quæ per ſe naturam determinabunt.

Tertio, Sicut ſe habet genus ad ſpeciem, ita ſpecies ad indiuiduum, vt enim illud eſt in potentia ad ſpeciem, ita hæc ad indiuidua, ergo ſicut contrahitur, & fit in actu genus per differentiam ſui generis ad ſpecies, ita contrahetur ſpecies ad indi-

indiuidua,per ſui generis differentias, non ergo per aliquod accidens,ſed neque per materiam,aut formam, quoniam hæ non dicuntur in recto de contracto,veluti dicitur differentia, neque per compoſitum, quoniam hoc non eſt contrahens, ſed contractum, ergo per entitatem illam poſitiuam, &c.

Quarto,& vltimo, Sicut ſe habet entitas ad dependentiam, ita & vnitas, ſed entitas ſubſtantiæ primæ à nullo alio genere dependet, cum potius alia genera ab ipſa ſubſtantia pendeant, ergo neque vnitas talis ſubſtantiæ ab alio pendebit, non ergo ab accidente, neque à forma, quoniam hæc eſt communis, neque à materia,quoniam & hæc inuenitur in omnibus materialibus,non à materia cum quantitate, iam enim admiſcetur accidens, ergo ab hac poſitiua entitate,&c.

Hanc Scoti ſententiam ſæpius contemplatus, ſemper iudicaui, aut falſam, aut inſufficientem, falſam quidem, ſi velit totale, & completum indiuiduationis principium,eſſe poſitiuam hanc entitatem, abſque vllo ordine ad materiam, vel quoduis aliud; cum enim huiuſcemodi entitas, non ſit aliud realiter ab ipſamet natura,ex eius ſententia, id habebitur, quod natura ex ſe, ſi non formaliter, at ſaltem realiter ſit hæc, quod tamen efficaciter impugnauit idem Doctor,prima eiuſdem diſtinctionis quæſtione; Quod ſi dicatur,Scotum impugnaſſe naturam ex ſe eſſe hanc formaliter, non realiter, poterit Aureolus, Adam, & alij,qui cenſent naturam de ſe eſſe hanc reſpondere, quod id acceperint identice, licet non formaliter, & ita vanus deprehendetur labor illa prima quæſtione; Præterea,ait illa ſexta quæſtione, talem poſitiuam entitatem eſſe vltimam realitatem entis, quod eſt materia, quod eſt forma, quod compoſitum, ergo iam aliæ realitates ſunt in materia, in forma, in compoſito, alioquin vane vocaretur realitas vltima, & certe adſunt realitates propriæ, non enim talis entitas dat vel materiæ, vel formæ, vel compoſito entitatem, peto ego, realitates illæ, & entitates, quæ præſupponuntur huic entitati,aut ſunt ſingulares, aut non, ſi primum,ergo vltima hæc realitas, non eſt principium effectiuum ſingularitatis, ſed completiuum, immo neque completiuum, adhuc enim forent illæ entitates æque ſingulares,ſi hæc non adueniret,ſi ſecundum, ergo materia ex ſe non erit vna numero non erit hæc, ſed determinabitur ab hac poſitiua entitate, quæ cum determinet, erit præſtans munera formæ, huius enim eſt determinare, erit ratio exiſtendi illi materiæ, & ſic materia abſque forma habebit actum formalem, ratione primi, & in quolibet compoſito erunt exiſtentiæ duæ,& formæ ſcilicet, & materiæ, ratione ſecundi,quorum vtrumque eſt abſurdum; Certe cum ad aures Scoti hæc proprietas, vel entitas, ſaltem natura ſequatur vnionem formæ cum materia, & in illa vnione, (ſi vera ſit, & non fictitia) compleatur indiuiduatio, non video, quomodo talis entitas ſit principium,& cauſa indiuiduationis, niſi dicatur formam vniuerſalem materiæ ſingulari in illo priori eſſe vnitam, quod non eſt vt impugnetur, ſiquidem ex proœmio Diuinorum,actiones omnes ſunt circa ſingularia, & ſeptimo eorundem 53. non fit domus, ſed hæc domus, &c.

Examinatur præfata ſententia.

Officia Formæ.

Ariſtot.

Vide apud Caietan. hoc in loco rationes tres valde efficaces contra hanc Scoti poſitionem,deſumptas ex propoſitionibus ipſiuſmet Scoti; Vide quoque Bartholomæum Spinam defenſione ſua ſeptima pro Auctore ſuper 12. quinti Diuinorum,vbi acute, & nobiliter quidem hanc Scoti poſitionem comminuit, & euellit, vt proinde inutile omnino mihi iudicem in hoc argumenta alia protrahere. Quo vero ad eiuſdem ſententiæ inſufficientiam, dico manifeſtum eſſe, naturam eſſe ſingularem formaliter ſingularitate, & hæccheitate, vt vult præfatus Auctor,ſed hoc non ſufficit,eſt enim ac ſi dicatur,eſt hæc,& ſingularis, quo-

Caietan.

Bartholomæus Spina.

niam eſt hæc,& ſingularis; Sed & idem Scotus q. 2. illius diſtinctionis,non multum à principio dicebat, ſe non inueſtigare, quo formaliter repugnet naturæ,vt ſit communicabilis,quoniam hoc modo per repugnantiam ſibi repugnat, ſed quo tamquam fundamento proximo,& intrinſeco hæc repugnantia ei inſit,quod ſanè non aſſignat, dum ait naturam eſſe hanc, & ſingularem entitate illa poſitiua, hæc enim eſt ſua ſingularitas, quare videtur dicere,naturam eſſe ſingularem ſua ſingularitate, de quo nullus dubitat; vnde inquirendum adhuc manet,à quo, velut à fundamento proximo, & intrinſeco obtineat hanc ſingularitatem; Fatebimur & nos,naturam eſſe hanc, & ſingularem ſua entitate, ac ſingularitate, & vnitate,tamquam eius modo,& ratione formali, at videnda vlterius eſt radix, vnde ſumatur hæc ſingularitatis ratio,quod ſi fiat ſtatus in illa entitate poſitiua explicata, præterquam quod,hanc radicem non cernimus,natura quoque in materialibus,ſe tota, & identice erit hæc, & indiuidua, quod negamus nos, negat & ipſe, vel ſaltem in eo elaborauit,vt oſtenderet, naturam non eſſe de ſe hanc; Accedit, neque Ariſtotelem, neque quemuis alium philoſophum huius entitatis in propoſito de quo loquimur verbum vmquam habuiſſe, ſed indiuiduationis cauſam in aliud retuliſſe, vt in huius quæſtionis progreſſu apparebit; Aliunde igitur inquirenda eſt huius ſingularitatis ratio, & cauſa, &c.

Opinio Henrici. Adeſt ſecundo loco Henricus in quolibetis ſuis, quolibeto quinto, q. 8. qui profunde negotium hoc de indiuidui conſtitutione luſtrans, docet indiuiduum fieri indiuiduum, non per aliquid poſitiuum, ſiue fuerit abſolutum, ſiue reſpectiuum, ſed per quoddam negatiuum, & duplicem ponit negationem, quarum alteram vocat ad intra, alteram ad extra, per primam, indiuiduum nequit fieri alteri communicabile, per ſecundam, nequit eſſe idem cum alio,illam vocat negationem communicabilitatis ad intra, hanc negationem identitatis ad extra; cum ergo natura poſſit alijs communicari, & fieri eadem, ſi vtriuſque negatio adfuerit, iam illa natura erit hæc, & indiuidua. Hoc autem nititur firmare

Eius rationes. Primo,Quoniam quod conſtituit definitionem,conſtituit & definitum,at gemina illa negatio conſtituit definitionem indiuidui,(eſt enim indiuiduum,quod indiuiſum eſt in ſe, & alijs non idem,) ergo conſtituit etiam definitum, ipſum ſcilicet indiuiduum.

Secundo, Si per quid abſolutum poſitiuum conſtituatur indiuiduum in eſſe indiuidui, quæritur, quid ſit illud poſitiuum, non accidens, hoc enim ſequitur indiuiduum, & non conſtituit, non materia, non forma,quoniam erit quæſtio, vnde nam & hæ indiuiduentur,cum ex ſe ſint in hoc,& in illo indifferenter,non compoſitum, quoniam ſeipſo, ergo &c.

Repudiatur. At inanis penitus deprehenditur opinio iſta; Fieri quippe non poteſt, vt negatio ſit alicuius prima radix, & primum principium,cum omnis negatio fundetur in affirmatione, & negatiuum quodque ſupponat aliquod poſitiuum, (*Fundamentū negationis.*) affirmationem ſiquidem priorem negatione,docebat Ariſtoteles ſecundo cœli 18.) quare prius indiuiduum erit indiuiduum, ſi in eo duæ illæ negationes fundari debeant,quare bene verum eſt, omne indiuiduum binam hanc negationem conſequi, quod ſi conſequuntur, iam non ſunt eius cauſa. Deinde, manifeſtandum erat Henrico,cur hæ duæ negationes inſint cuiuis indiuiduo,hoc enim quærimus in quæſtione, non quæritur etenim, an indiuiduum ſit in ſe indiuiſum, & alijs non idem,ſed hoc de quouis indiuiduo ſuppoſito,inquirimus cauſam,vnde nam habeat,vt ſibi hæc conueniant, quare grauis Auctor reſpondere videtur,ideo eſſe indiuiduum, quia eſt indiuiduum.

Referre

Referre deinde libet tertiam opinionem multorum philoſophorum haud vulgaris eruditionis, qui in eo conueniunt, vt aſſerant, & formam, & materiam eſſe principium indiuiduationis, ſed magis, ac principalius formam, immo quidam dicunt, ſolam formam per ſe, materiam vero, non niſi per accidens indiuiduationem cauſare, vt Achillinus primo de elementis, dubio 26. Alij dicunt, formam eſſe verum principium, materiam autem concurrere tamquam conditionem ſine qua non, vt Zabarella libro ſuo de Conſtitutione indiuidui, qui eſt nonus inter illos 30. de Rebus naturalibus, cap. præcipue 6. Alij, & formam, & materiam vera dicunt principia, ſed magis formam, vt Zimara longo proceſſu, quæſtione ſua de hoc, & theoremate 97. & Pererius lib. 6. illorum 15. cap. 12. Immo Zabarella loco allegato in ſuam ſententiam citat Auerroem deſtructione deſtructionum, diſputatione prima contra Algazelem, (quem locum citat & Zimara illo theoremate,) & ſuper ſecundum ſecundi de anima, & ſub initiũ commnoni eiuſdem libri, & 90. primi eiuſdem ſcribit, indiuiduum fieri indiuiduum, & hoc per ipſam formam; ſed & eundem Auerr. poterat vocare tertio Phyſicorum comm. 68. aſſerentem; omnem rem eſſe vnam pēr ſuam formam, & iam Achillinus, & Zimara nominatis locis, alias complures citant ad hoc idem ipſius Cõmentatoris auctoritates; Vnde colligit Zabarella vltimis verbis commemorati capitis, quod omnem vnitatem cenſuit Auerr. à forma tribui, nec poſſe nos hac in re de eius opinione dubitare.

Aliorum multorum ſententia.

Achillinus.

Zabarella.

Zimara.

Pererius.

Loca Auerrois.

Quid de Auerroe in hoc ſẽtiat Zabarell.

Ego vero ſummopere dubito de Auerrois in hoc ſententia, quoniam primo de cœlo, ac mundo, comm. 95. circa finem ait, quod ratio ibi ab Ariſtotele ex materia deſumpta, ad mundi numeralem vnitatem probandam, dicit cauſam, & reddit propter quid, & quinto Diuinorum 12. ait, vnum numero dici de illo, cuius eſt materia vna, & commento libri de ſomno, & vigilia, parum à medio inquit, formas vniuerſales non indiuiduari, niſi propter materiam, vnde ſubdit, quod ſi Intelligentiæ abſtractæ comprehenderent indiuiduum, tunc neceſſario eſſent materiales, & demum primo Phyſicorum comm. 6. dicit, multitudinem eſſe, aut rerum differentium ſecundum formam, aut ſecundum quantitatem, quibus omnibus locis, indiuidui vnitatem clare nimis in materiam reducit, & non tantum in cauſam, vel minus principalem, vel per accidens, vel in conditionem ſine qua non, (vt forte interpretaretur Zabarella, Zimaram quædam illorum dictorum exponentem imitatus,) talem ſiquidem ſenſum, inanem prorſus oſtendit non imperite Archangelus Mercenarius quæſtione de indiuiduatione ſubſtãtiarum materialium, cap. 6. vt proinde vehemens me teneat ſuſpicio, Zabarellam loca hæc Auerrois non obſeruaſſe, vel ſi obſeruauerit, vehementior inſurgit admiratio, cum dixiſſe, non poſſe in hac parte de mente Auerrois dubium oriri: Hinc præfatus Mercenarius dicit Auerr. hac in re maxime varium, & ambiguum, & in calce illius cap. ſcribit Auerr. à contradictione liberari non poſſe, & tamen doctor iſte doctrinæ Auerroicæ perquam fuit addictus; Sed & ipſe Zimara loco recenſito illius quæſtionis, primis ferè verbis præfationis ſuæ ad Andream Mocenicum inquit, Auerr. hac in re dubium plerumque, ac ſibi contrarium apparere, quinimmo Marcus Antonius Genua, eiuſdem Zabarellæ olim præceptor, & doctrinæ Commentatoris ſemper ferè adhærens, mouens quæſtionem ſuper octauum primi de anima, num ſecluſa omni intellectus operatione dentur actu vniuerſalia, ſecunda illius quæſtionis parte, expendens locum illum, quem ex Auerr. retuli primo Phyſicorum, ait Auerroē velle per materiam quantam indiuiduum fieri, & exponens ſeptimum ſecundi de anima inquit, falſo colligere Truſſianum

Quid Auctor.

Quid Archãg. Mercenarius.

Quid Zimara.

Quid Genua.

ex Auerroe, quod forma ſit principium indiuiduationis, licet enim voluerit per formam indiuiduum fieri hoc, non tamen per eam indiuiduari, ſed tribui ens in actu, & vnum. Et certe, ſi in meis opinionibus magna de Auerrois teſtimonio me ſolicitudo teneret, oſtenderem, potius illum in id inclinaſſe, vt indiuiduatio fieret à materia, quam vt à forma, fortaſſis enim loca à Zabarella adducta, & alia poſſent hanc ſubire interpretationem, vt loquantur præcipue de indiuiduo, quo ad eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, & in actu, de eſſe vero hoc, & numerico, & indiuiduali, non niſi ex concomitantia, & ſecundario, quod vel eo magis erit credendum, quando videbimus, Ariſtotelem indiuiduationem ſemper in materiam reducere, vt proinde ægre quis credat, Commentatorem ſuum aliud exiſtimaſſe. At quicquid tandem fuerit de ſententia Auerrois, nihil incommodi ſentio, illud ſufficiat, non certo conſtare, quod indiuiduationis cauſam, formam aſſignauerit.

Sensus locorũ Auerrois.

Iudicium Zabarellę de Scoto impugnatur.

Falſo quoque, & falſius fortaſſe conatur idem Zabarella trahere Scotum in opinioné ſuam, vt ſcilicet nomine illius hæccheitatis acceperit formam, quatenus largitur exiſtentiam; hoc enim nunquam excogitatum fuit, vel ab illis, qui partes Scoti in hoc tuendas, vel ab ijs, qui eaſdem impugnandas ſuſceperunt; Expreſſe ſiquidem ait Scotus diſt. illa relata, quæſt. 6. quod talis entitas non eſt materia, vel forma, vel compoſitum, ſed eſt vltima realitas entis, quod eſt materia, vel forma, vel quod eſt compoſitum, ſed dum paulo inferius, eadem quæſtione reſpondet ad argumenta facta pro opinione ab ipſo reiecta quæſtione præcedenti, huiuſcemodi entitatem vult eſſe, vel appellari materiam, ſic enim varia Ariſtotelis dicta exponit, quomodo ergo Zabarella ſibi ſuaſit, vt nomine huius entitatis acceperit Scotus formam? Hinc abeſt à vero, quod ait, Scotũ ſcilicet non impugnaſſe opinionem, quæ tribuit formæ indiuiduationis principium, iam enim clare dixit, formam non eſſe hanc entitatem, iam eandem entitatem, toties materiam vocauit, quæſtionem vero ſpecialem, qua id reijceret non formauit, quoniam conſtitutionem indiuidui, formæ aſcribendam neque ſomniauit, &c.

Vt ergo ad hos reuertar, (ſi tamen ab ipſis receſſerim,) qui ſubſtantias materiales per formam fieri indiuiduas volunt, ſententiam hanc ſuam pluribus firmare nituntur, ea tamen dumtaxat referam, quæ & firmiora apparent, & aliquam in hoc negotio difficultatem ingerere videntur, quippe quæ, & formę indiuiduationem tribuendam, & à materia, primo ſaltem reijciendam, concludere nituntur.

Argumenta pro illa ſententia.

Sit primum argumentum; Idcirco indiuiduum eſt indiuiduum, quoniam eſt in actu, at quod ſit in actu, id habet ex forma, non ex materia, ergo, &c. & hanc rationem videtur innuiſſe Auerr. ſecundo de anima, comm. illo nono, &c.

Ariſtot.

Auerroes.

Secundo, Forma eſt principium, quo vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur, ergo etiam eſt principium, quo ipſa indiuidua in eſſe conſtituuntur; probatur antecedens ex Ariſtotele ſeptimo Diuin. 49. dicente, actum eſſe illum, qui ſeparat, & diſtinguit; & ex Auerr. comment. 53. primi de anima dicente, membra leonis non differre à membris cerui, niſi ob diuerſitatem animæ cerui, ab anima leonis, conſequentia probatur, quoniam idem eſt principium diſtinguendi, (ſaltem à priori,) & eſſendi, &c.

Tertio, Indiuiduum habet à forma, quod ſit, ergo & quod ſit vnum, ergo quod indiuiduum, ſecunda collectio eſt clara, & antecedens patet, quoniam forma eſt fons omnis eſſe, vt docent philoſophi omnes, & præcipue Auctor, prima conſequentia deducitur, quoniam eſſe, & vnum eſſe non differunt, &c.

Quarto, Materia nequit tribuere eſſentiam, vt eſt communis philoſophorum

aſſen-

aſſenſus, tum vero præcipue diſcipulorum D. Thomæ, ergo neque poterit tribuere exiſtentiam, probatur illatio, quoniam maius eſt tribuere exiſtentiam, quam eſſentiam, cum exiſtentia ſupponat eſſentiam, & quod nequit præſtare minus, neque certe poterit maius, ergo non poteſt materia tribuere indiuiduationem, nam indiuiduatio non differt ab exiſtentia, forma vero, & eſſentiam, & exiſtentiam impartiri valet, quare, &c.

Quinto, Materia non eſt vna poſitiue, ſed negatiue dumtaxat, vt conueniũt omnes philoſophi, ergo nequit eſſe principium indiuiduationis, patet conſequentia, quoniam indiuiduum fit indiuiduum vnitate numerica poſitiua, forma vero eſt vna poſitiue, &c.

Sexto, & vltimo, (& hoc argumentum, efficaciſſimum vocauit Zabarella, vbi ſupra) colligitur ex Ariſtotele quinto Diuin. 12. vnitatem numeralem eſſe maiorem qualibet alia vnitate, nam hæc infert alias, ſiue analogiæ, ſiue generis, ſiue ſpeciei, & à nulla infertur, (vt dicebamus & nos in titulo huius quæſtionis,) ergo quod non poterit eſſe cauſa reliquarum vnitatum, multominus valebit eſſe cauſa vnitatis numericæ, at materia nequit eſſe cauſa vnitatis ſpecificæ, ergo neque numericæ, ergo non erit cauſa indiuiduationis, ſed hæc erit forma, &c. Alia argumenta poſſent pro huius ſententiæ confirmatione adferri, at iſtis confutatis, & reliqua facile negligentur, &c.

Reijcitur hæc opinio, quoniam forma materialis ex ſe communicabilis eſt in plura numero, vt ſcripſit Ariſtoteles primo de cœlo 92. quod dictum explicans ibi Auerr. dicebat, formam eſſe ſubiectum vniuerſalitatis, ergo ſeipſa nequit eſſe vna numero, ergo aliunde petenda eſt cauſa, & ratio huius vnitatis numericæ, patet conſequentia, quoniam oppoſita nequeunt vni, & eidem conuenire ex ſeptimo Diuin. 42. opponuntur autem eſſe communicabile, & eſſe vnum numero, vt manifeſtum eſt. Si dicatur, formam communem, ex ſe plurificabilem eſſe, non autem formam ſingularem, vt videtur innuere Zimara principio expoſitionis illius pronunciati Auerroici, Forma eſt ſubiectum vniuerſalitatis, & eſt theorema vndecimum, & vt clare exponit quæſtione ſua de indiuiduationis principio: Hoc nihil officit, immo iuuat, habetur enim, quod forma vt ſic non ſit vna numero, ſed quatenus eſt ſingularis, quærimus ergo, vnde nam habet, vt ſiat ſingularis, non ex ſe, tunc enim eadem forma eſſet contrahens, & contracta, ergo ab aliquo alio, hoc autem quidnam ſit, in inferioribus explicabitur; Nunc ſufficiat, quod tantum abeſt, vt forma ex ſe ſit vna numero, quod ex ſe eſt communicabilis in plura numero, vt dicit allegata auctoritas, quæ etiam vel auget cõtradictionem in dictis Auerr. vel oſtendit, ipſum non fuiſſe in illa ſẽtentia, quam ei nonnulli, & maxime Zabarella adſcripſit; Præterea, ſi dictũ Ariſtotelis, & Auerr. intelligatur de formis cõmunibus, iam in illo dicto enunciãdo, nihil enunciarẽt, niſi puram nugationem, quis enim dubitet, formam communem eſſe cõmunicabilem? quis ignoret, omne cõmune eſſe cõmunicabile? quis non videat, idipſum prorſus dici in prædicato propoſitionis, quod præmiſſum fuerit in ſubiecto?

Intelligitur ergo propoſitio de omni materiali forma, (immo Auerr. ait hunc eſſe intellectum cuiuſlibet formæ, gloſſatur tamen, & bene de omni forma materiali, de hac enim ibi Ariſtoteles loquebatur,) vt ſcilicet quantum in ſe fuerit, ſit pluribus communicabilis, quare ex ſe non erit vna numero, quare hanc vnitatem, ac proinde indiuiduationem conferre nequibit.

Vlterius, Si forma eſſet ex ſe vna numero, non erat cur Ariſtoteles primo de cœlo, ac mundo tex. illo 92. proponens quæſtionem, num plures eſſent, vel

Refellitur oppoſitio.

Ariſtot.

Auerroes.

Auſertur.

Ariſtot.

eſſe poſſent mundi, adeo laboraret in eius vnitate demonſtranda, ſufficiebat enim ei dicere, ideo eſſe vnum numero, quoniam ex ſua forma conſtabat, cum iam potiſſimum forma illa eſſet ſingularis, quare ſi forma, vel de ſe, vel vt ſingularis, vel quatenus dat exiſtentiam, eſt principium ſingularitatis, & id per quod redditur aliquod incommunicabile, cum forma cœli eſſet ſingularis, & exiſtentiam daret, dum de mundi vnitate loquitur Ariſtoteles, quare vnitatis huius cauſam, formam non aſſignet? At videbat Ariſtoteles, numericam vnitatem à forma prouenire non poſſe, ideo mox confugit ad illam materiæ, & vſque ad 95. incluſiue oſtendit, vnitatem cœli ex vnitate materiæ dependere, & ideo cœlum eſſe vnum, quoniam ex tota ſua materia conſtat, adferens exempla de ſimitate, cuius materia eſt caro, nam ſi ex omnibus carnibus vna fieret caro, & in hac foret ſimitas, iam vnica foret ſimitas, quoniam vnica materia, ſimiliter quoniam caro, & oſſa ſunt materia hominis, ſi ex omni carne, & omnibus oſſibus non potentibus diſſolui fieret homo, iam vnicus eſſet homo, quoniam vnica materia hominis; An non igitur ex his locis apertiſſimum relinquitur, formam, vnitatem ſuam numericam non ex ſe habere, ſed illam aliunde, à materia ſcilicet deſumere? Hinc manifeſte elucet, materiam nedum non debere excludi à cauſalitate huius vnitatis, ſed eſſe veram eius cauſam, & non ſolum per accidens, vel ſolum, vt conditionem ſine qua non, vt volunt hi doctores, alioquin dicendum foret, vel quod vane, immo & falſo recurriſſet Ariſtoteles in vnitate mundi manifeſtanda, ad vnitatem materiæ, ſi hæc nullo modo vnitatis illius erat cauſa, vel quod vbi Ariſtoteles veram, & præcipuam cauſam nactus eſſet, illa ſilentio inuoluta, ad cauſam per accidens, vel ad conditionem ſine qua non confugiſſet, totam namq. vnitatem in materiam refert, & de forma nihil loquitur, immo ait, ex ſe communem eſſe, quare pro cauſa non cauſam, & pro non cauſa cauſam aſſignaſſet. An non Simplicius ſuper 94. illius primi de cœlo dicebat, valde diligenter Ariſtotelem appoſuiſſe ly *non potentibus diſſolui*, quoniam licet ex omni carne, & omnibus ex oſſibus homo conſiſteret, hæc autem diſſoluerentur, nihil prohiberet, iterum compoſitis ipſis, multos fieri homines? Ecce quomodo vnica exiſtente materia, vnica eſt forma, & pluribus exiſtentibus materiæ partibus, plures ſunt formæ, quoniam nimirum ex ſe forma eſt communicabilis, & ſi fiat vna, id ex materia prouenit. An non Albertus magnus tract. tertio ſuper primum de cælo cap. 7. ait, formam eſſe principium communitatis multorum, & cap. 8. idipſum pluries repetit, & parum ab initio dicit, omnem formam communicabilem eſſe, quod & lib. 1. de Intelligibili, tract. ſecundo cap. 3. formaliter ſcripſit dicens, formam omnem eſſe communicabilem? quomodo igitur de ſe erit principium ſingularitatis? At in ſequentibus, potentiori via adhuc videbitur, nullo modo poſſe indiuiduationis cauſam, vel totalem, vel principalem aſſignari formam, quando opinionem noſtram confirmabimus. Sed quare obſecro illi, qui ponunt materiam conditionem ſine qua non indiuiduationis, ea ratione, quoniam forma materialis nequeat exiſtere abſque materia, non ponunt quoque accidentia, & potiſſimum quantitatem, cum neque abſque his poſſit talis forma exiſtere?

Simplic. | Albertus Magnus.

Et hæc de ſecundo art. quæſtionis, quod ſi cupis aliorum adhuc placita circa hoc videre, lege Scotum diſtinct. illa ſæpe nominata, per ſex primas quæſtiones, Gabrielem Zerbum Veronenſem quæſt. ſuis metaphyſicalibus, lib. 7. q. 10. Aquarium ſexta dilucidatione quinti libri eiuſdem ſcientiæ, & poſtremo Dominicum Banneſium primo de generatione, & corruptione quæſt. 20. in ordine libri, &

Scotus. Zerbus. Aquarius. Bannes.

bri, & tertia ſuper quintum caput, & inuenies aliorum iudicia de indiuiduationis principio. Nobis famoſiores dumtaxat ſententias adferre placuit, cum præcipue nonnullas alias in ſequentibus ſimus adducturi, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Thomiſtarum quorundam iudicia in medium adducuntur, & e medio tolluntur.

CVm Auctoris doctrina ſit perpetua in aſſignando materiam ſignatam, hoc eſt materiam cum quantitate indiuiduationis principium, vt inferius patebit, ideo eius diſcipuli hanc ſignatam materiam varie acceperunt; Chryſoſtomus igitur Iauellus quæſt. 15. ſuper quintum Diuin. & Banneſius loco mox relato referunt, nonnullos per materiam ſignatam accepiſſe materiam cum quantitate, accipiendo ſimul hoc totum aggregatum, materiam ſcilicet, & quantitatem; Refellitur ab vtroque modus hic dicendi, & quidem merito, cum enim loquamur de ſubſtantijs materialibus indiuiduis, conſtat quoduis indiuiduum eſſe ens per ſe, huic ergo non eſt aſſignandum aliquid principium per accidens, quale foret aggregatũ illud ex materia, & quantitate, quæ ſcimus eſſe genere diuerſa. Inſufficientię quoque plena eſt hæc expoſitio, non enim aperit, quomodo vtrũque concurrat, an ex æquo ad vnum, & idem, an inæqualiter, an vtrumque ad incõmunicabilitatẽ, & diſtinctionẽ præſtandã, an horũ alterũ, ad alterũ ſimiliter horũ, &c. *Primus modus explicandi materiam ſignatam.* *Impugnatur.*

Reiecta ergo hac via, tamquam falſa, & tamquam inſufficienti, atque ideo penitus indigna, quæ Auctori tribuatur, materiam ſignatam explicarunt alij, materiam actu ſub quantitate, vt differentia ſit inter hos, & illos, quod illi materiam ſeorſum à quantitate conſiderarunt, & e contra, vtrumque poſtea aggregantes, hi vero materiam ſub quantitate exiſtentem accipiunt, & optime explicant viri omni certe ex parte eruditiſſimi, ad quid materia, ad quid quantitas concurrat, cum enim vt in tituli explicatione adnotabatur, de ratione indiuidui ſit, & quod in ſe ſit indiuiſum, & alijs incommunicabile, & ſecundo, quod ab alijs diſtinguatur, concurrit materia ad reddendum ipſum incommunicabile, concurrit quantitas ad illud diſtinguẽdum à quouis alio indiuiduo eiuſdem ſpeciei, diſtinctione quantitatiua, & materiali, ſic non ſola materia, non ſola quantitas indiuiduat, ſed materia quantitate ſignata, ac limitata, ratione materiæ incommunicabilitatem, ratione ſignationis ſuæ per quantitatem, diſtinctionem præbens numeralem. Ita docent illi, qui inter D. Thom. diſcipulos, & aliorum thomiſtarum magiſtros nemini concedunt, Capreolus videlicet ſecundo ſent. diſt. 3. quæſt. 1. dum ad permulta argumenta contra ſecundam concluſionem reſpondet, & Franciſcus Ferrarien. primo cont. Gent. cap. 21. qui & locum Auctoris citat 3. par. quæſt. 77. art. 2. & alium 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. ad tertium quæſtiun. tertiæ, quæ certe loca idipſum expreſſe videntur docere, & Paulus Soncinas ſeptimo Diuin. quæſt. 33. & 34. in priori docens, materiam dare incommunicabilitatem, in poſteriori affirmans, quantitatem præbere diſtinctionem, quos ſecutus etiam videtur Bartholom ęus Spina, defenſione illa ſuper quintum Diuin. allegata. *Secundus modus, quem viri grauiſſimi tradiderunt.* *Capreol.* *Ferrarien.* *Soncinas.* *Spina.*

Probant, quod materia det incommunicabilitatem, & excluſionem communitatis *Rationes ipſorum.*

nitatis illius, ſecundum quam vniuerſale communicatur particulari, (hæc enim communicabilitas ea eſt, quæ ab indiuiduo negatur, cum primam ſubſtantiā deſiniat Ariſtoteles, per non dici de ſubiecto,) quoniam materia eſt primum ſubiectum, in nullo inferiori receptum, ideo illud quod eſt in materia receptum vt ſic, nulli poteſt inferiori communicari, quod autem materia ſit primum ſubiectum, conſtat ex eo, quod ſi ipſa in aliquo alio reciperetur, daretur aliquid, quod eſſet magis potentiale illa, omne enim recipiens comparatum recepto, habet rationem potentiæ, & quod recipitur, rationem actus, nequit ergo recipi materia, ſed ſolum recipere valet, & ex conſequenti eſt primum recipiens, & ſubiectū, &c.

Quomodo ſe habeant recipiens, & receptum.

Probant itidem, quantitatem ſecum ferre ab alijs diſtinctionem, omnis enim diſtinctio, ſiue diuiſio dicebat Ariſtoteles tertio Diuinor. 11. eſt aut ſecundum quantitatem, aut ſecundum ſpeciem, aut formam, patet autem, indiuidua non differre ſecundum formam, (cum in hac conueniant,) ergo differunt ſecundum quantitatem; Et ſi quis ipſis objciat, quod nullum ens per ſe includit res diuerſorum generum, vt dicebat Ariſtoteles quinto Diuin. 13. cum igitur indiuiduum ſit ens per ſe, non debet includere res diuerſorum generum, ſubſtantiam ſcilicet, & quantitatem, Reſpondent, (& certe qui ſoluit bene mortuum hoc, ſoluit permultas in hoc negotio difficultates, quomodo ſcilicet materia cum quantitate ſit indiuiduationis principium,) negando ſubſtantiam, & quantitatem eſſe ens per accidens, quoniam ad hoc vt aliquod ſit ens per accidens, requiritur, quod illa quæ includit in ſuo nomine, nullum adinuicem ordinem habeant, ſed vnum alteri omnino accidat, ſic licet omne ens phyſicum in ſua ratione quantitatem, & qualitatem includat, non tamen eſt ens per accidens, & Capreolus nonnulla ad hoc loco relato adfert ex Alberto Magno formaliter ſuper ſeptimum Diuin. tract. primo cap. 9. prope finem.

Ariſtot.

Quid poſtulet ens per accidens.

Addunt, indiuiduum non eſſe ens per accidens, quoniam licet includat accidens in obliquo, non tamen in recto, neque tamquam partem ſuæ eſſentiæ, ſed quaſi determinatiuum eſſentiæ, neque ex principali ſignificato, ſed ſecundario, neque quo ad primum, per quod conſtituitur indiuiduum, (hoc enim eſt eſſe incommunicabile, quod non à quantitate, ſed à materia obtinet,) ſed quo ad vltimam indiuiduationem, eſſe ſcilicet diſtinctum, &c.

Vnde diſtinguunt de ente per ſe, & aiunt triplex eſſe, vno modo, quia à nulla cauſa, vel intrinſeca, vel extrinſeca dependeat, neque in fieri, neque in eſſe, vt ſolus Deus, ſecundo, quia ab alio vtique dependeat, ſed in ſua ratione formali, neque in recto, neque in obliquo conuocet res diuerſorum generum, quo modo metaphyſicalia, & mathematicalia ſunt entia per ſe, tertio, quia dicat res diuerſorum generum habentes inter ſe neceſſarium ordinem, vt eorum vnio non ſit per accidens, & ſic entia naturalia ſunt entia per ſe, &c.

Quotuplex ſit ens per ſe.

Sic Capreolus vbi ſupra ad primum Scoti, ita Soncinas quæſt. illa 34. ad ſeptimum. Ita non incidunt in illud, quod contra præcedentem opinionem adducebatur, quoniam conſiderant materiam actu ſub quantitate, atque ideo ordinem hæc inter ſe habentia; quod non videntur poſſe dicere illi, qui vtrumque ſeorſum contemplabantur, licet forſan pro illis dici poſſet, quod vtique ſeorſum intuebantur, & materiam, & quantitatem vt ſic, at nihilominus ad indiuiduum conſtituendum conſiderarent, quatenus ordo eſſet inter ipſa, & tunc ſi non male ſenſiſſent, inconcinne tamen locuti eſſent; effugiunt ſecundo id, quod eis vlterius obijciebam, optime enim vt patuit, explicant officium vtriuſque, materiæ ſcilicet, & quantitatis.

Capreolus.
Soncinas.

Iauellus

Iauellus & Bánneſius locis recenſitis impugnant hanc ſententiam, & certe eſt impugnanda, quamuis permoleſtum mihi ſit, Auctores iſtos percelebres, & de noſtra Familia, & doctrina optime meritos impugnare, præcipue vero Capreolum, & Ferrarienſem quoque; Sed tandem, licet amici ambo ſint, (ac proinde amore, & honore digni,) cum Ariſtotele nihilominus primo Ethicorum cap. 6. veritatem ipſis in honore anteponere, ſanctum iudicabo. Impugnatur animo minime lubenti.

Admitto ea quæ pro reſponſione difficultatis allatæ dicunt, probabilia etenim ſunt, & faciliorem nobis reddunt viam, noſtram opinionem defenſandi; Sed multa vlterius ſunt, quæ me ab hac materiæ ſignatæ interpretatione recedere cogunt. Fieri ſiquidem non poteſt in via Auctoris, vt per materiam, quæ actu ſit ſub quantitate, indiuiduum fiat indiuiduum; In primo namq. inſtanti, quo terminatur alicuius indiuidui generatio, non adeſt quantitas formæ recedentis, tunc enim; cum forma illa videat primum ſuum non eſſe, idem eſt dicendum de ſua quantitate, vt patet, & præterea, ſi adeſſet, hoc non poſſet facere indiuiduum illud, quod ſubſequitur, non enim erit idem, quod illud, quod tunc corrumpitur, cum tamen vnumquodque indiuiduum propria omnino gaudeat entitate; neque adeſt quantitas formæ ſubſequentis, quæ in illo inſtanti habet primum ſuum eſſe, quoniam hæc ſequitur, non præcedit ipſum indiuiduum, & quamuis ſit in illo ſigno temporis; non tamen in illo naturæ, & tamen in illo naturæ ſigno, in illo priori, illa ſubſtantia eſt indiuidua, tum quoniam in eſſe non pendet ab accidentibus, ſed e contra, tum quoniam in materia iam hac, & ſignata recipitur; Quod ſi ad aliquem ordinem, vel habitudinem ad quantitatem confugiant, iam non erit materia ſub quantitate, vt ponunt, & quod præcipue hoc argumento impugno.

Vlterius, quando forma debet introduci, ſciſcitor, an materia ſit ſignata, an non, non ſecundum, alioquin non foret maior ratio, cur hæc, vel illa forma introduceretur, & tamen actus actiuorum fieri in patiente bene diſpoſito, accepimus ab Ariſtotele ſecundo de anima 26. & vnumquodque corpus propriam habere formam, ex primo de anima 53. vbi contra Pythagorã digreditur, eſt ergo ſignata illa materia, aut igitur quantitate, quæ præfuit, aut quæ ſubſequetur; non iſta, quod enim adhuc in materia non fuit, materiam, (ſaltem ex horum ſententia) ſignare non potuit, ergo illa quæ præfuit, (ſi enim hoc modo accipiatur materia ſignata, ad hanc neceſſario eſt confugiendũ,) at quantitas hæc tunc non adeſt, quãdo inducitur forma, nam tunc ſimul cum forma ſua corrumpitur, ergo numquam materia ſignabitur quantitate, ſub qua actu reperiatur, vt vult hæc opinio. Ariſtot.

Deinde, in illo priori indiuiduum illud, & eſt incommunicabile, & ab alijs diſtinctum, & quantitas actu non adeſt, ergo non eſt ponenda quantitas actu, quæ indiuiduum illud ab alijs diſtinguat; quod ſit incommunicabile, concedunt, ad hoc namque aſſerunt, non requiri quantitatem, negarent autem, quod abſque quantitate ſit ab alijs diſtinctum, & ideo ad rationes, quas contra eos adduxi, poſſent dicere; quod concludunt de incommunicabilitate indiuidui, non de diſtinctione ab alijs, in cuius diſtinctionis gratiam, quantitatem ponunt, ſed certe capere numquam valui, quomodo aliquod indiuiduum ſit in re incommunicabile, ſit hoc, & ab alijs non ſit diſtinctum, loquendo de indiuiduis, quorum multa cadunt ſub ſpecie, vt excludantur, quæ poſſent dici de Sole, Luna, &c. quæ ſanè ſunt incommunicabilia, & indiuiduæ, & tamen ab alijs non diſtinguuntur, at ridicula hæc ſunt, non enim diſtinguuntur ab alijs indiuiduis, quia non adſunt alia indiuidua, cum ex tota ſui materia conſtet, &c. diſtinguerentur autem,

 ſi ad-

ſi adeſſent; ſi ergo in illo priori, ſubſtantia materialis eſt indiuidua, & incommunicabilis, erit quoque ab alijs diſtincta, quoniam ſi non ab alijs diſtincta, ergo eadem illis, ergo communicabilis, ſed non eſt communicabilis, ergo non illis eadem, ergo ab illis diſtincta, & tamen tunc non adeſt quantitas actu, ergo neque ab alijs diſtinctionem præbebit quantitas actu ſub materia.

Hinc quando dicitur, ad indiuiduum materiale duo requiri, & quod ſcilicet ſit induſtinctum à ſe, & ab alijs diſtinctum, vt in obſeruationibus ſuper titulum dicebam, profecto hæc non ſunt duo diſparata, neque eiuſmodi, vt alterum ſit abſque altero, ſed vnum de neceſſitate alterum ſequitur, ſi enim ego ſum alijs incommuunicabilis, ergo non ſum idem cum illis, immo neque poſſum eſſe, ergo ab illis ſum diſtinctus, & hæc duo dicuntur requiri ad indiuiduum ab omnibus, ad explicationem maiorem naturæ, & proprieratum indiuidui, non quod reuera duo ſint, ſecundum rem ſeparata; Ita ſemper opinatus ſum, & tunc aſſeuerantius huic meæ ſententiæ adhæſi, quando illam poſtea a Caiet. tacitè inſinuatam animaduerti, qui p. p. quæſt. 29. ſuper artic. primum ſcripſit, chimericum eſſe, hos actus, (conſtituendi ſcilicet hoc incommunicabile, & ab alijs diſtinguendi) ſeparare ſecundum rem; Si ergo materia ex ſe dat iuxta hos doctores incommunicabilitatem, dabit & ab alijs diſtinctionem & ſic non poſtulabitur quantitas, neque oportebit dicere, materiam ſignatam, ſed ſufficiet dicere materiam ſolam, quod & Auctori, & eiſdem vt patet aduerſatur. Neque dicat quis, requiri quantitatem ad hoc, vt oſtendat indiuiduum illud hic, & nunc ſignatum, demonſtrabile, &c. hoc enim erit potius pro me, aliud ſiquidem eſt, demonſtrare aliquid eſſe, & aliud eſt, facere hoc eſſe, primum ſupponit illud iam tale eſſe, quare ſi quantitas demonſtret indiuiduum ſignatum, iam igitur ſignatum erat, quo circa id non poterit tribui quantitati.

Quomodo requirat indiuiduum, vt ſit in ſe indiſtinctum, & diſtinctum ab alijs.

Caiet.

Rurſus demonſtro, materiam ex ſe abſque quantitate non poſſe conſtituere indiuiduum in eſſe illo primo indiuidui, vt dicunt, hoc eſt in eſſe incommunicabili, nam materia ex ſe communis eſt, ergo nequit dare effectum ſibi repugnantem; oportet nimirum aliquid in materia aſſignare, vnde tribuat indiuiduationem, & vnde fiat hæc, & ſignata, quare duas ſignationes oportebit in ipſa collocare, & hanc, quam modo referebam, & alteram, quam ponunt ipſi, dum ſcilicet dicunt eſſe actu ſub quantitate, quod omnino redundans, & prorſus ridiculum eſt; Certe qua ratione materia ex ſe nequit præbere indiuiduo, vt ab alijs diſtinguatur, eadem non valebit ex ſe eidem conferre incommunicabilitatem, ſed ſicut aliquid ponitur in ipſa ad hoc, vt ab alijs faciat indiuiduum diſtinctum, ratione cuius dicitur ſignata, ita aliquid erit in eadem ponendum ad hoc, vt ipſum conſtituat incommunicabile.

Denique, cum ſit ſermo in præſenti de vnitate, ac diſtinctione ſubſtantiali ipſius indiuidui, quam vnitatem, ad genus eiuſdem indiuidui reduci, iam priori art. quæſtionis adnotaui, quis dicet, quantitatem quæ aliud genus eſt à ſubſtantia, poſſe ipſi ſubſtantiæ, vel vnitatem, vel diſtinctionem conferre? Fateor vtique, quod per quantitatẽ diſtinguor ab alijs indiuiduis ſubſtantiæ, diſtinctione quantitatiua, & accidentali, at de hac modo non loquimur, ſed de diſtinctione ſubſtantiali, quæ nequit vmquam eſſe à quantitate, Adeo vt licet in hoc ſenſu vera eſſet hæc poſitio, deficiens tamen valde foret, & extra rem loqueretur, neque quæſtioni faceret ſatis, &c. Quod autem ſubſtantialis indiuiduorum diſtinctio nequeat eſſe à quantitate, licet id apertiſſimum cuique eſſe debeat, probatur tamen breui, & auctoritate, & ratione, Auctoritas eſt D.Thom. nimis clara, pri. p.

D.Thom.

quæſt.

quæſt. 40. art. 2. vbi ait, ad hoc, vt aliqua duo diſtincta intelligantur, neceſſe eſt, eorum diſtinctionem intelligi per aliquid intrinſecum vtrique, ſicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam, non ergo per quantitatem indiuidua ſubſtantię diſtinguuntur, alias res creatę per aliquid extrinſecum, & per quid aliud à materia, & à forma diſtinguerentur, quorum vtrumque repugnat huic auctoritati; Ratio autem ſic poteſt formari, Remota quantitate, remanent plura indiuidua ſubſtantialiter diſtincta, ergo quantitas non eſt illa, quæ diſtinguit, conſequentia eſt manifeſta, & antecedens eſt certiſſimum in animabus ſeparatis; Quod ſi dicatur, in illis remanere habitudinem ad ipſam quantitatem, hoc nihil eſt, tum quoniam habitudo illa non eſt quantitas, tum quoniam non impugno, quod nullo modo quantitas concurrat, ſed quod non concurrat in actu, ſub qua ſit materia, vt vult opinio, contra quam arguo; qua enim via quantitas concurrat, infra dilucidabitur, & ſimul poſitio hæc adhuc impugnabitur, & illuceſcet, quomodo quæ pro ipſis adducunt, nobis non officiant, quippe qui non negemus materiam cum quantitate concurrere ad indiuiduationis principium, ſed talem modum concurſus horreamus, &c.

Non deſunt alij Auctoris diſcipuli, qui alios his temporibus glorioſe docent, referente Banneſio comm. art. 2. quæſt. 3. p. p. & quæſtione de generatione allegata art. 7. dicentes, principium tale indiuiduationis compleri ex hoc agente naturali, ex hac forma, & ex hac materia ſimul, nulla facta mentione de quantitate; ſic principium effectiuum, erit hoc agens, formale, hæc forma, & materiale, hæc materia; ſignata vero materia per quantitatem non eſt principium indiuiduationis ſufficiens, & ſecundum rei veritatem; quod ſi dicatur ab Ariſtotele, & Auctore principium, id tantum attendendum eſt, quo ad cognitionem noſtram, & ab effectu; nos enim intelligimus materiam fieri hanc, & ab alijs materiæ partibus diſtingui per quantitatem, & materię quoque ſignationem, eiuſdem quantitatis beneficio dignoſcimus, non tamen reuera materia ſignatur per quantitatem intrinſece, ſed ſolum extrinſece, nobis tamen ſignum eſt intrinſecæ ſignationis, quam in ipſa materia per formam docent fieri; ſic putant in hoc ab eorum Magiſtro non abſcedere, nam vbicumque ait, materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis, explicant ipſum, vt locutus fuerit, non de principio ſecundum rem, & à priori, ſed quo ad nos, & à poſteriori, &c. Hanc ſententiam copioſe adducit, & per quinque eorundem dicta manifeſtat idem Banneſius loco poſterius citato, quare non eſt, vt in eius explicatione detinear, cum potiſſimum eorum mentem ſummatim collegerimus. Antequam quid de hac opinione ſentiam audias, aduerte, non eſſe eandem hanc ſentẽtiam, quam docuere illi ſecundo art. quæſtionis commemorati, qui indiuiduationis principium, formam pariter, & materiam aſſignabant, licet enim in hoc conueniant, diſſident tamen, quoniam illi cauſam potiſſimam, formam volebant, materiæ vero locum ſecundario, vel ex accidenti, vel etiam conditionis ſine qua non tribuebant, hi autem e contra, materiam principalem cauſam volunt, & hoc ei magis, quam formæ tribui debere, vt patet ex quarto eorum dicto ibi à Banneſio relato, & rationem adducunt, quoniam incommunicabilitas, quæ eſt potiſſimum quid in indiuiduo, non ſumitur à forma, quæ de ſe communicabilis eſt, ſed à materia, à qua forma ipſa etiam incommunicabilitatem ſortitur, diſtinctio vero ab alio, quæ eſt quid minus in indiuiduo principale, ſumitur à forma, quoniam formæ, & actus eſt diſtinguere, & materia nequit vnum ab alio diſtinguere, niſi per ordinem ad formam.

Tertius modus.

Bannes.

Quod

Quod ſi quis hos interroget, vnde nam materia fiat hæc, vnde nam forma, vt hoc indiuiduum conſtituant, reſpondent, fieri materiam hanc ab hac forma in genere cauſæ formalis, & formam fieri hanc ab hac materia in genere cauſæ materialis, & congrue hoc in diuerſis generibus cauſarum fieri poteſt, cum cauſæ ſint hoc modo ſibi inuicem cauſæ, ex ſecundo Phyſ. 30. & 31. quod etiam fundamentum poteſt habere in doctrina Auctoris, qui p. p. quæſt. 7. artic. 1. & primo cont. Gent. 43. ratione ſecunda docet, formam finiri, & coarctari per materiam, & materiam per formam; materia quidem per formam, inquantum antequam eam recipiat, eſt in potentia ad plures formas, ſed vnam recipiendo, per eandem terminatur, forma autem per materiam finitur, quatenus in ſe conſiderata, communis eſt ad multa, ſed ex hoc quod in materia recipitur, fit forma determinate huius rei; quod ſi ex Auctore habetur, materiam per formam finiri, & verſa vice, quid aliud eſt, quam formam fieri hanc per materiam, & materiam hanc per formam? Non cenſeas autem, formam in eſſe ſuo ſpecifico limitari, & fieri hanc per materiam, nam quo ad hoc, propria ſua differentia ita eſt hæc ſpecies, quod non illa, ſed ſolum limitatur, quo ad eſſendi modum, vtpote, quæ priuſquam in materia reciperetur, habebat communicabilitatis modum, & poterat in pluribus eſſe, qui modus dum in materia recepta eſt, coarctatur, nam fit incommunicabilis, & in vno tantum eſſe valet; Et quidem cauſalitatem formæ, & materiæ, & præcipue materiæ habes apposite explicatam a Capreolo in primo diſt. 43. quæſt. 1. art. 1. ad argumenta primo loco contra tertiam concluſionem ab Aureolo formata, cuius doctrinam ſecutus eſt Ferrarienſis loco allegato primi cont. Gent. & Iauellus quæſt. 2. ſuper quintum Diuinorum.

Ariſtot. D. Thom. Capreolus. Ferrarienſis. Iauellus.

Rationes pro illo modo dicendi.

Argumenta potiſſima huius opinionis eo tendunt, ne admittant, ſubſtantiam in eſſe ſuo egere aliquo accidente, & coordinationem prædicamenti ſubſtantiæ, non eſſe ſimpliciter priorem prædicamento quantitatis, ſi enim quantitas concurrat ad indiuiduum, ergo indiuiduum, vt indiuiduum pendet à quantitate, ergo prædicamentum ſubſtantiæ non eſt prius prædicamento quantitatis; ſimiliter, cum vnitas indiuidui ſit quid reductiue ſpectans ad cathegoriam ſubſtantiæ, non debet pendere ab aliquo accidente; & patet quantitatem non eſſe cauſam indiuiduationis, quoniam in illo inſtanti, in quo generatur hæc ſubſtantia, quæ iam eſt quoddam indiuiduum, nulla adeſt quantitas, neque illa formæ recedentis, neque ſubſequentis, vt in impugnanda præcedenti opinione arguebam, & tantum abeſt, vt ſubſtantia fiat indiuidua per quantitatem, quod res e contra ſe habet, cum omnia accidentia ex ſubiecto indiuiduentur, teſte Auctore p. p. quæſt. 29. art. 1. hinc ſicut alia accidentia ſupponunt eſſe numericum ſubiecti, ita & quantitas; Cauſalis quidem iſta eſt falſa, ſubiecta ſunt diuerſa, quia quantitas eſt diuerſa, &c. In hoc, ſiue in his punctis poſita eſt vis omnium argumentorum huius ſententiæ.

D. Thom.

Iudicium Auctoris de illa ſententia.

Quam dum conſidero, video perparum veritatis, & falſitatis plurimum continere; Vera quidem eſt in eo quod, hoc agens naturale eſt principium effectiuum indiuiduationis, quod vt clarum ſuppoſuimus titulo quæſtionis, neque de hoc eſt inueſtigatio, cum principia intrinſeca luſtremus, vera quoque eſt penes ea, quæ ſubdit, quod ſcilicet hæc materia ſit principium materiale, hæc forma formale huius indiuidui, quod tamen de forma, aliquo ſolum modo verum eſſe, apparebit in ſequentibus; ſed falſa eſt, dum ait, in his compleri indiuiduationis principium, & falſior, dum excludit quantitatem ab intrinſeco concurſu cauſa-

litatis

litatis ipſius indiuiduationis. Hoc autem non alia via demonſtro, quam ex ipſorummet dictis; & fundamentis.

Dicunt quippe, hanc formam limitari per hanc materiam, peto, an in hac materia aliquid præfuerit, quod ipſam effecerit hanc, an vero materia ex ſeipſa ſit hæc, non ſecundum, quoniam de ſe materia eſt communicabilis, adeo vt ſit vna communis omnibus ortui, & interitui ſubiectis, ergo aliquid aſſignare in ipſa neceſſe eſt, quod illam hanc intrinſece reddiderit, ne ad agens fiat recurſus, agens enim aliquo certe reddit materiam ſecundum ſe communem hanc; quod vero materiam ſignet, quod faciat hanc, nihil aliud poteſt eſſe, quam hæc, & hæc quantitas, vel ſi quid aliud eſſe queat, ipſi aſſignent, ſed certe non aſſignabunt, & ſi ex impoſſibili aſſignarent; deprehenderetur quoque eorum opinio valde inſufficiens, quæ huius ad materiam hanc, & ſignatam conſtituendam neceſſario requiſiti non meminiſſet; Non poſſunt dicere, quod ſit forma, nam vt ijdem fatentur, ex ſe communis ipſa eſt, quare nequit dare hunc effectum ſingularem, & tantum abeſt, vt forma faciat materiam hanc, quod ſit ipſa hæc per materiam; hinc non eſt recurrendum ad illud, vt dicatur formam efficere materiam hanc in genere cauſæ formalis, quoniam forma ex ſe non eſt hæc numero, & icirco nequit facere materiam hanc, quare valde impropria eſt horum, & aliorum locutio, dum dicunt, formam eſſe formale indiuiduationis principium. Et licet verum ſit, quod hæc materia ſit hæc, quoniam hanc formam reſpicit, numquam tamen hanc formam reſpiceret, niſi hæc, & illa quantitate foret ſignata, alioquin ſi forma ex ſe faceret materiam hanc, & materia foret hæc, quoniam præciſe hāc formam reſpicit, nullo ipſi materiæ ſuperaddito, præterquam quod illud ſequeretur, vt à forma ex ſe communi prodiret effectus ſingularis, repugnans cauſæ ſuæ, vt obijciebam, quod videtur pugnare, illud quoque emergeret, omnem videlicet formam poſſe in quauis materia indiſcriminatim recipi, quod aduerſatur & experientiæ, & Ariſtoteli 2. de anima 26. & 1. eiuſdem 53. & octauo Diuinorum 11. poſſet namque dici, quod quæuis forma fecit quamcumque materiam ſuum receptiuum; hinc quemadmodū confugiunt omnes ad agens, quod hanc formam huic materiæ appropriatam, vel e contra faciat, ita de neceſſitate recurrendum eſt ad aliquid, quo ipſum agens faciat materiam hanc, huic formæ accommodatam, aut e contra, (influxum ſiquidem phyſicum hic oportet interuenire,) hoc autem vt dixi fieri nequit, aliud ſit, quam quantitas, & diſpoſitiones præuiæ, &c. Erit ergo verum, materiam, & formam concurrere ad indiuiduationem, ſed tamen concurſus hic per ipſas non completur, ſed neceſſario exigitur quantitas, quorum vtrunque negabant auctores huius ſententiæ; quomodo autem forma ad indiuiduationem concurrat, explicabo quinto articulo quæſtionis.

Multis reijcitur.

Ariſtot.

Falſa rurſus eſt poſitio hæc penes id, quod dicunt requiri formam, tamquam principium indiuiduationis penes id, quod ad ipſam ſecundario requiritur, hoc eſt, vt indiuiduum ab alijs diſtinguatur, materiam autem iuxta id, quod primo exigitur, vt ſcilicet incommunicabilitas eidem indiuiduo adſit; nam ſi à materia habet indiuiduum incommunicabilitatem, vt veriſſimum eſt, ergo habet & ab alijs diſtinctionem, quoniam ab eo à quo habet aliquid, vt ſit indiuiſum in ſe, habet etiam vt ab alijs ſit diſtinctum, vt clarum relinquo ex ijs, quæ obieci contra præcedentem viam explicandi materiam ſignatam, & magis illuſtrabitur in progreſſu quæſtionis, vbi patebit, motiuum illud, quod deſumitur ex diſtinctione, quæ tribuitur formæ tamquam eius munus, nullum eſſe.

Falſa

Falſa demũ eſt in explicandis locis Auctoris, & Ariſtotelis, quibus aſſerunt, materiam ſignatam eſſe indiuiduationis principium, vt ſapienter ſapientiſſimus Banneſius loco citato p.p. dixerit, hanc ſententiam eſſe contrariam D. Thomæ, & Ariſtoteli, (quem proinde non ſatis miror, dicentem poſtea, loco relato primi de generatione art. 7. illius quæſtionis in prima concluſione, probabiliſſime poſſe hanc opinionem ſuſtineri, quod etiam repetit art. 8.) cum vterque vbique doceat, non ad formam eſſe redigendũ, ſed ad materiam ſignatam quantitate, quorum loca in ſequentibus referam; Dicere autem, quantitatem non eſſe vere principium, ſed ſolum quo ad nos, & penes cognitionem noſtram, & ponere formam verum, ac formale indiuiduationis principium, eſt ac ſi diceremus, Auctorem, & Ariſtotelem in aſſignando indiuiduationis principio omiſiſſe, ac ſemper reticuiſſe verum principium, & veram cauſam, & vbique id quod vere non eſt principium adduxiſſe, quod nullus vel thomiſta, vel peripateticus debet aſſerere, præterea ſi à materia habet forma, vt ſit hæc, ſi à quantitate habet materia vt ſit hæc, quomodo quantitas non concurret vere, & tamquam à priori principium? At huius argumenti efficaciam, quod euidenter conuincit, quantitatem habere rationem principij, & ad indiuiduationem vere cõcurrere, colligere poſſumus ex paulo ante habitis, & melius colligemus ex dicendis. Abeat ergo penitus huiuſcemodi ſignatæ materiæ interpretatio, nam quomodo argumenta pro hac ſententia adducta nihil nobis officiant, ſexto art. conſpicuum fiet, quando opinionem quam ſequor, ab obiectis tuebor, &c.

Bannes.

ARTICVLVS QVARTVS.

Duo modi dicendi Caietani adferuntur, & prior impugnatur, & propugnatur.

Prior via Caietani.

CAietanus Cardinalis hoc in loco nomine materiæ ſignatæ, accipit materiam cum potentia receptiua, ita huius quantitatis, quod non alterius, quæ ſanè capacitas, potentia, & ordo determinatur ſibi ab agente particulari, diſponente materiam ad hanc, & hanc formam, hanc, & hanc quantitatem exigentẽ. hanc vero capacitatem, hanc ſignationem ait non addere aliquid reale ſupra materiam in recto, quod ab ipſa ſit realiter diſtinctum, ſed ordinem dumtaxat, & reſpectum, ad talem, vel talem quantitatem, qui ordo, qui reſpectus eſt quid reale vtique, ſed ratione ſolum à materia diſtinctum, quoniam aliquid expreſſe dicit, quod in materia vt ſic non iucluditur, capacitatem ſcilicet illam, quæ eſt de intrinſeca ratione ipſius ſignatæ materiæ, immo eſt identice ipſa, quæ ſi poſſet definiri, vtique per hanc quantitatem, quæ eſt proprius eius actus, quem reſpicit definiretur, &c. Sic differt à ſententia illorum, qui materiam actu ſub quantitate volebant eſſe ſignatam materiam, non enim per hanc viam ponitur actu quantitas in materia, ſed ſolum ordo, habitudo, & capacitas ad ipſam. Hæc eſt Caiet. hoc loco ſententia, quam clare ipſe patefacit, & probat.

Poſterior.

Prima vero Parte ſuper comm. art. primi q. 29. occaſionem apprime opportunam nactus ex verbis Auctoris ibi dicentis, ſubſtantiam indiuiduari per ſeipſam, vt explicaret per quid ſubſtantia materialis fiat indiuidua, Magiſtri ſui veſtigia ſecutus, docuit ſimiliter per materiam ſignatam, at longe aliter hanc ma-

teriam

teriam ibi interpretatus eſt, & aperte repudiauit, & impugnauit, quod hoc loco docuit.

Quare nomine materiæ ſignatæ, intelligit materiam diſtinctam numero, non vt eſt ſubiectum quantitatis, ſed vt prius natura fundamentum, radix, & cauſa ipſius, adeoquod ipſa materia in ſe ſit prius ſic diſtincta, quam quanta, ſic erit effectus ſimilis cauſæ, ſubſtantia ſcilicet illa indiuidua genita effectus materiæ, diſtincta ſubſtantialiter, (& nedum quantitariue) a quouis alio ſuæ ſpeciei indiuiduo, ſimilis ſit cauſæ ſuæ, quoniam & ipſa materia in illo priori intelligitur diſtincta, licet non quanta actu, vel formaliter, ſed ſolum virtualiter, hoc eſt tamquam fundamentum, & cauſa, præhabens in ſe quantitatem; Ita intelligitur, quomodo ante cuiuſuis accidentis aduentum, hic homo genitus, ſit ſubſtantialiter ab alijs diſtinctus, & conſtitutus in eſſe hoc, & vnum, ſit enim hic, & vnus, & indiuiduum, per principium ſuum, per materiam ſcilicet ſignatam, modo declarato, quæ eſt altera eius pars, & ab eodem habet, vt in eſſe conſtituatur, & ab alijs diſtinguatur, eodem quippe vnumquodque eſt hoc, & a cæteris diſtinguitur, &c. Hæc ſenior Caietanus cogitauit de principio indiuiduationis.

Franciſcus Ferrarienſis loco memorato inuehit contra priorem modum à Caiet. aſſignatum hoc argumento; Si materia ſignata nihil aliud ſit, quam materia appropriata huic, & ita capax huius, quod non alterius quantitatis, quæro, in illo priori naturæ, in quo dicitur appropriata, aut eſt aliqua forma in materia, per quam huic approprietur, aut nulla, non eſt dicendum quod nulla, quoniam potentia non limitatur, vel appropriatur niſi per aliquem actum, quem ſuſcipit, vt elicitur ex Auctore p.p.q.7. art. 1. conſtat autem, materiam eſſe potentiam, non ergo fiet appropriata, niſi per alicuius actus in ſe receptionem, ergo aliqua forma eſt aſſignanda in materia iam appropriata, vel igitur hæc forma ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, ſequitur ſemper, quod materia ſignata non dicat ſolum materiam primam, ſed materiam cum forma, merito cuius dicitur ſignata, & appropriata. Reſpondeo ipſe huic argumento, & dico pro Caiet. quod materia appropriata, & ſignata, effecta fuit ſic appropriata & ſignata per aliquam formam accidentalem, per diſpoſitiones ſcilicet illas, quibus eam continue agens particulare appropriauit, ſignauit, & diſpoſuit, vt in fine alterationis, ita hanc, vt non aliam reſpiceret quantitatem, ergo ſequitur, quod materia ſignata, nedum dicat materiam primam, ſed materiam cum forma, nedum concedo, ſed doceo hanc illationem, ergo hoc eſt contra Caiet. nego, nuſquam enim dixit Caiet. materiam appropriatam nihil dicere ſupra materiam primam, ſed totum oppoſitum colligitur ex eius dictis; ait enim expreſſe, quod agens particulare puta hoc ſemen continue appropriat materiam ad formam introducendam, ita vt ſit capax huius quantitatis, quod non alterius, at certe hæc continua appropriatio, nil aliud eſt, quam iugis alteratio materiæ pro forma reijcienda, quæ iam eſt in ipſa materia, & pro forma ſubſequenti inducenda, quis autem non videat, hanc alterationem fieri merito quarundam diſpoſitionum in ipſa materia, & ex conſequenti, huiuſmodi materiam, multum addere ad materiam primam? Quod vero dicit Caiet. eſt, quod capacitas huius quantitatis, nihil addit ſupra materiam ſignatam, non autem quod nihil addat ſupra materiam primam, & in hoc deceptus fuit pace ſua Ferrarienſis, nam loquitur Caiet. de capacitate materiæ iam appropriatæ, & in quam agens particulare iam operatum eſt, & de ipſa ait, quod capacitas illa nihil addit realiter ab ipſa diſtinctum, conſtat autem cuique, materiam eiuſmodi appropriatam, & ab agente particulari ſignatam, non eſſe ma-

Impugnat Ferrar. priorẽ viam.

Defenditur Caiet.

teriam primam. An non dat exemplum de potentia materiæ primæ, quæ nihil addit reale ſupra ipſam materiam, ab ipſa realiter diſtinctum, ſed aliquid reale in ea explicat, quod illa ſecundum ſe non dicit, ſic & hæc capacitas, nihil reale addit, realiter diſtinctum ab ipſa, materia vtique ſignata, non prima, alioquin non foret vllum diſcrimen inter capacitatem huius materiæ, iam appropriatæ ab hoc agente, & inter potentiam materiæ primæ, & ſic nulla extitiſſet appropriatio, nulla ſignatio, nil in materia hoc agens operatum fuiſſet, & nullum exemplum adduxiſſet Caiet. ſed in eadem materia prima ſemper ſtetiſſet, quæ omnia vana ſunt, & penitus indigna, quæ ipſi vel per ſomnium tribuantur. Certe ſi in eo ſenſu fuiſſet locutus, in quo eum accepit Ferrar. dixiſſet, materiam ſignatam eſſe materiam primam, quod & fatuum, & repugnans eſt, probo, hæc materia ſignata, iccirco eſt ſignata, quia eſt capax huius quantitatis, &c. ſed hæc capacitas nihil addit ſupra materiam primam, ergo hæc ſignatio materiæ nihil addit, realiter diſtinctum à materia prima, ergo idem prorſus ſunt materia prima, & materia ſignata, & ſic materia ſignata, iam non eſt ſignata, niſi forte ſecundum vocem, ſed eſt materia prima, ita materia prima omnibus communiſſima, erit indiuiduationis principium, quæ nullus intellectus capere valet, & tamen ſublimis intellectus Ferrarien. concepit, huiuſcemodi à ſublimiori illo Caietani cogitata fuiſſe, &c.

Aperitur mẽs Caietani. Eſt itaque mens Caiet. quod ſicut potentia materiæ primæ nihil addit realiter ab ipſa diſtinctum, aliquid tamen expreſſe in ipſa ponit, quod illa ſecundum ſe non dicit, actum ſcilicet, quem reſpicit, per quem definitur, ita materia ſignata dicit materiam in recto, quantitatem in obliquo, capacitas vero illa huius quantitatis, nihil addit realiter diſtinctum ab ipſa materia ſignata, ſed aliquid explicite in illa ponit, quantitatem ſcilicet illam, quam reſpicit, & ſi definibilis eſſet, per illam quantitatem, quæ actus eſt ſuus definiretur; & quod ita hoc loco ſenſerit, patet & ex ijs, quæ hucuſque digrediendo attuli, & ex vltimis eius verbis in hac parte, in fine explicationis ſuæ ſententiæ, vbi immediate poſtea arguit aliorum thomiſtarum intelligentiam de materia ſignata; Ex eo quoque idipſum patere poteſt, quod qui Caiet. in hac parte ſequuntur, non vexantur hac difficultate, & tamen ſi ea fuiſſet mens Caiet. quam accepiſſe videtur Ferrarien. non poſſet certe ſuſtineri, vt patefeci. Illi ſimiliter, qui hanc eius opinionem impugnãt, & reſpuunt, nec verbum quidem dicunt de tali argumento & nihilominus potiſſimum hoc eſſet, quod in ipſam agi oporteret. Nihil ergo in hoc habet Ferrar. aduerſus Caiet. argumento illo ſuo, &c.

Zabarella etiã eandem viam impugnat. Iacobus Zabarella libro prænominato de Cõſtitutione indiuidui, prope finem cap. quarti ait, hanc opinionem Caiet. hoc loco prolatam defendi non poſſe, quoniam materia in ſuæ nature puritate indifferens eſt, & communis, vnde nequit eſſe cauſa indiuiduationis, ſumpta vero, vt coartata ita ad hanc, quod non ad aliam quantitatem recipiendam, certe opórtet, vt ab aliquo coartetur, & hoc coartans potius dicendum erit principium indiuiduationis, quam ipſa materia; miratur deinde virum iſtum, (Caiet. ſcilicet,) cur dicere potius voluerit, materiam cum potentia ad hanc quantitatem, quam cum potentia ad hanc formam, eſſe principium ſingularitatis, cum materia formam primo reſpiciat, deinde quantitatem, & alia accidentia per formam; At quando alijs difficultatibus non præmeretur prima hæc Caiet. explicatio, non eſſet certe, cur illam deſereremus; fateremur namque, materiam non in ſe abſolute conſideratam, ſed ſignatam, & appropriatam modo explicato, eſſe principium indiuiduationis, &

Soluuntur Zabarellæ rationes.

cum

cum dicitur, quod ab aliquo ſit appropriata, concedo, cum infertur, ergo illud *potius* approprians dici debet principium ſingularitatis, dico, quod ſi intelligat de *principio* extrinſeco, & effectiuo, concedo, & doceo, ſed de tali principio non loquimur, ſi de intrinſeco, & formali, inficior, aliàs ego non eſſem homo formaliter humanitate, ſed patre meo, à quo genitus ſum; principium vero intrinſecum materiæ ſignatæ, & formale, eſt quantitas modo declarato, capacitas ſcilicet illius; & ſic nullum eſt huius viri argumentum. Quod autem miretur Caiet. dicentem, materiam capacem huius quantitatis, & non huius formæ eſſe indiuiduationis principium, eſt ac ſi miretur Caiet. poſitionem, ideo enim dixit, vt capacem huius quantitatis, & non huius formæ, quoniam indiuiduationem, in quantitatem, tamquam partem cauſæ, (quoniam totalis cauſa eſt quantitas cum materia) & nó in formam voluit reducere; Quod ſubdit, materiam primo reſpicere formam, deinde quantitatem, dico duo, alterum, quod materia primo reſpicit formam prioritate perfectionis, & dignitatis, non prioritate illa, quæ ſit ad propoſitum, indiuiduationis ſcilicet, nam quantitas eſt cauſa cum materia indiuiduationis, non forma, aliud ergo eſt loqui de materia reſpiciente formam, & quantitatem abſolute, aliud eſt loqui de materia reſpiciente formam, & quantitatem, quæ ad indiuiduationem concurrant, in primo ſenſu, materia primo reſpicit formam, in ſecundo nequaquam; Alterum eſt, quod aliud eſt loqui de materia, aliud de materia ſignata, modo expoſito à Caiet. materia quidem vt ſic, primo reſpicit formam, quam quantitatem, materia vero ſignata primo quantitatem, quam formam, quoniam primo reſpicit actum ſuum, qui non eſt forma, ſed quantitas, vt patet ex dictis, & de hac reſponſione, quam ſubtilem, & veriſſimam cenſeo, plura mox erunt dicenda. Iure itaque Caiet. loquens de materia ſignata, dixit eam eſſe, quæ eſt capax huius quantitatis, non autem dixit huius formæ.

Quomodo materia reſpiciat prius formam.

Actus materiæ, vt ſignata eſt.

Sed reiectis Zabarellæ argumentis, mirandum deinceps eſt de ipſo, cur ſtuduerit in impugnanda illa ſententia Caiet. à qua iam ipſe receſſit, & quã impugnauit, & nullam mentionem fecerit de altera ſententia Caiet. cui vltimo adhæſit, niſi forte dicat, & hanc quoque tacite impugnaſſe, dum ſe oſtendere putauit, non materiam, non quantitatem, ſed formam eſſe cauſam ſingularitatis; Non erat tamen, cur ſub nomine Caiet. eam quam poſtea ab eodem Caiet. repudiatam vidit ſententiam, infringere conaretur, quam tamen neque infregit, neque ei quicquam obſuit, &c.

At vero, aliud ſubtile quidem argumentũ conſueuit fieri contra hanc primam viam Caiet. Illud autem eſt; Hæc ſignatio in materia ideo inuenitur, quoniam materia reſpicit hanc quantitatem, ita vt non aliam, &c. tunc quæritur, an hæc quantitas ſupponatur eſſe in materia, an non, dici non poteſt primum, nam fuſius in præcedentibus impugnatam reliqui poſitionem illam, quæ dicebat, materiam actu ſub quantitate cauſare indiuiduationem, & præterea, implicaret dicere, hæc materia eſt receptiua, & capax, & reſpiciens hanc quantitatem, & dicere, quod hæc quantitas ſit in hac materia, nam ponitur à nobis capax, quoniam eſt receptura, non quoniam receperit, vt capacitas præcedat, non ſubſequatur quantitatem, ergo dicendum eſt, quod non ſit hæc quantitas in hac materia, tunc autem ſequitur, quod effectus præcedat cauſam, nam cauſa ſignationis in materia, eſt quantitas, & quod materia ſit ſignata, id efficitur à quantitate, iam autem materia eſt ſignata, & non adeſt quantitas, ecce ergo effectum præcedentem cauſam. Huic argumento, (quo videtur fuiſſe conuictus Archang. Mercenar. in ſuo

Alia ratio cõtra eandẽ Caietani viam.

quæſito de indiuidui conſtitutione cap. 11. vt aſſeruerit quantitatem eſſe actu in materia, & materiam dici ſignatam per quantitatem in ea actu exiſtentem,) occurrit optime iudicio meo Iauellus quæſt. 15. citata ſuper quintum Diuin. dicens, in illo priori, quantitatem, & præcedere in materia, & non præcedere, & eſſe, & non eſſe; non eſſe in genere cauſæ materialis, quoniam nondum eſt recepta in materia, & cauſalitas materiæ ſtat in recipiendo, ſed hoc modo quantitas non eſt cauſa ſignationis in materia, immo materia eſt cauſa materialis quantitatis, quatenus ſcilicet eſt eius capax, & receptiua; adeſt tamen tunc quantitas in genere cauſæ formalis, quo modo eſt cauſa ſignationis materiæ, & ita præcedit ſignationem, quoniam videlicet, numquam materia eſſet ſignata, niſi hanc quantitatem reſpiceret, & in hoc ſtat cauſa formalis quantitatis in ſignatione materiæ, vt ſcilicet ab ipſa materia reſpiciatur; &c.

Apte ſoluitur à Iauello.

Quomodo materia, et forma mutuo ſe reſpiciant.

Simile quid videmus in forma ſubſtantiali, quæ recipitur in materia, prius quidem natura materia reſpicit formam, tamquam potens ipſam recipere, ecce cauſalitatem materiæ priorem, forma tamen in genere cauſæ formalis eſt prior, quam hæc potentia materiæ, quæ eſt eius cauſalitas, quoniam illamet potentia eſt in ordine ad hanc formam, ab illa ſpeciem ſumit, & hæc potentia non eſſet in hac materia, niſi hanc formam reſpiceret; Idem dicimus de materia ſignata, eſt quidem prior quantitate, quatenus illam poteſt recipere, eſt poſterior ipſa quantitate, quoniam non eſſet illa capacitate ſignata, niſi hanc quantitatem reſpiceret; ſic itaque, quoniam effectus non præcedit cauſam, ſed e contra, ideo ſignatio materiæ in hoc, quod eſt ſuſceptibilem eſſe ipſius quantitatis, quæ eſt cauſa eius materialis, ipſam præcedit, & pari ratiône, quoniam quantitas eſt cauſa formalis huius ſignationis in materia, ideo præcedit ipſam ſignationem in materia, in hoc quod ab ipſa reſpicitur, niſi enim materia hanc quantitatem reſpiceret, non foret in ea talis ſignatio, ita cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ in vario genere, vt dictum eſt ſuperius, &c.

Difficultas.

Sed affertur inſtantia contra hæc, quoniam effectus in actu exigit cauſam in actu, at ſignatio materiæ eſt effectus huius quantitatis, & eſt actu in ipſa materia, ergo & quantitas debet eſſe actu, & ſic erit actu quantitas in materia, quod eſt incidere in opinionem pluribus in ſuperioribus reiectam. Reſpondet ibidem Iauellus, quod ſat eſt, effectum in actu habere formalem cauſam exiſtentem, vel in ſe, vel in radice ſua, & ſic illa quantitas, licet non ſit in actu in ſe, eſt tamen in radice, nimirum in materia, quatenus actione agentis, eſt capax ita huius quantitatis, quod non alterius, & quoniam dici poſſet, quod tunc nobilior eſſet effectus, quam cauſa, cum ille vere in actu, hæc autem, non niſi in radice exiſtat, immo oppoſitum ipſe colligo, & dico, nobiliorem eſſe cauſam, quæ tantæ ſit virtutis, vt nedum in actu exiſtens poſſit producere effectus ſuos, ſed etiam dum eſt ſolum in radice, effectus enim ille tandem, vt quouis modo ſit, habet à cauſa. Quoniam tamen non omnino facile videtur ſuaderi poſſe, vt detur effectus in actu abſque cauſa in actu, cum ex 37. ſecundi Phyſ. effectus in actu ſit ſimul cum cauſa in actu, hoc idem Iauellus aduertens, inquit, verum eſſe, omnem vere formam eſſe actu, ſi effectus eius ſit actu, non eſt tamen verum de eo, quod non eſt vere forma; ita ſubdit, quod quantitas exiſtens in materia vt in radice, non debet dici forma talis ſignationis, ſed ratio formalis, ſine qua non eſſet talis ſignatio, & de tali ratione formali non eſt neceſſe, vt ſi eius effectus ſit in actu, ipſam quoque eſſe in actu, ſic facit ſatis difficultati, & fortaſſis bonam doctrinam affert; Habeo tamen nonnulla, quæ reſponſionem hanc reddunt difficilem, ita vt

Quomodo à Iauello diluatur.

Nonnulla aduerſus Iauelli reſponſa.

 argu-

argumento non plene ſatisfiat, & primo, quoniã quamuis inter formam, & conditionem ſine qua non abſolute, magnum ſit diſcrimen, tamen inter formam, & rationem formalem ſine qua non, ægre poſſumus vllum diſcrimen, ſaltem in propoſito verum aſſignare, ratione cuius ſufficiat, rationem hanc formalem eſſe tantum in radice, & formam oporteat eſſe in actu, eius effectu in actu exiſtente; neque enim facile poteſt in hoc aſſignari, quæ maior ſit ratio huius, quam illius, vrget ſecundo, quod non poterit Iauellus aſſignare cauſam formalem indiuiduationis, qui tamen opinionem hanc de materia ſic appropriata ſequitur, neque valebit adferre id, per quod vere, & formaliter materia ſit hæc, ſi illud à quantitate remoueat; Illud demum obſtat, quod argumentum adhuc, formalem expectat reſponſionem, & vltra quod de cauſa, de qua loquebatur argumentum, ad formam tranſierit, tamen hactenus vigere apparet, accipio enim hanc rationem formalem, quantitatem ſcilicet, ita ab ipſo vocatam, peto an ſit cauſa ſignationis in materia, an non, ſi non, ruunt ea, quæ docte certe attulit in confutatione argumenti principalis, & præterea dabitur effectus ſine cauſa, non enim erit aliam huius ſignationis cauſam formalem aſſignare, ergo eſt cauſa, tunc igitur ſtat adhuc argumentum, effectus in actu debet habere cauſam in actu, & ita vt prius, &c. Quare pro reſponſione dicerem, vtique quantitatem eſſe cauſam ſignationis formalem in materia, & quando dicitur, effectus in actu debet habere cauſam in actu, veriſſima propoſitio, ſed ſignatio, quæ eſt effectus quantitatis in illo priori eſt in actu, concedo, ergo & quantitas debet eſſe in actu, fateor, ergo hoc eſt illud, quod impugnauimus, nego, aliud enim eſt dicere, quãtitatem eſſe actu in materia, ſiue materiam eſſe actu ſub quantitate, & aliud eſt dicere, materiam reſpicere actu quantitatem, primum nego, & impugnaui, ſecundum doceo in hac priori via Caiet. adeo quod ly *quantitatem eſſe actu*, non denominat inhærentiam formalem in materia, ſed reſpectum, qui actu in materia invenitur ad ipſam quantitatem. Siquidem Caiet. hoc primo modo dicendi, non ponit quantitatem ideo cauſare ſignationem in materia, quia actu ſit in ipſa ſubiectiue, quinimmo hoc impugnat, ſed ideo, quoniam actu materia ipſam quantitatem reſpiciat, tamquam eius capax, & receptiua, & ſic vides, quod eo modo, quo quantitas eſt cauſa ſignationis, eo modo in priori illo eſt in actu, velut eſt ſignatio materiæ, quæ eſt eius effectus, eſt inquam cauſa, quoniam à materia reſpicitur modo declarato, & in illo priori à materia reſpicitur, quando autem ſit argumentum, eſt actu, ergo debet eſſe actu in materia, hoc impertinens eſt, & ex rudi, immo falſo huius poſitionis intellectu procedit, non enim hoc modo quantitas cauſat, ſic ly *eſſe in actu* cadit ſupra cauſalitatem quantitatis, non ſupra inhæſionem in materia, vnde negatur, quod quantitas in illo priori, vt cauſa illius ſignationis non ſit in actu; Neque quis obijciat, de ratione cauſæ formalis eſſe, vt dum eſt in actu, ſit in materia ſubiectiue, hoc enim non habet veritatem, quando quid aſſignatur cauſa formalis, eatenus ſolum, quatenus ab aliquo reſpicitur, velut primus hic modus dicendi ipſius Caiet. aſſignat quantitatem cauſam formalem ſignationis in materia, &c. Ea propter, vera permanere videtur prior hæc via Caiet. & ab aliorum impugnationibus vindicata, & ſi huic poſitioni nil aliud obſtaret, ego quidem ab ipſa non diſſentirem, neque ab eadem ipſemet Caiet. diſſenſiſſet, &c.

Aliter occurritur difficultati.

Obiectio.

Soluitur.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Idem prior modus Caiet. cum eodem reſpuitur.

Efficax adeo argumentum contra viam hanc hucuſque tutatam inſurgit, vt illo conuictus Caiet. ſententiam illam reliquerit, eodem conuictus & ipſe, ab eadem recedo, quamuis aliàs in publicis literarijs concertationibus ipſam propugnauerim, & vtrumque modum dicendi eiuſdem Caiet. amplexatus fuerim; At re intimius conſiderata, agnoui tandem, ab hac priori ſententia Caiet. cum eodem Caiet. eſſe penitus recedendum; Eſt autem eiuſmodi argumentum. Si materia cum potentia receptiua huius quantitatis ſit principium indiuiduationis, ergo materia ſignata dicit aggregatum ex ſubſtantia, & accidente, & ita indiuiduum non erit vnum per ſe, cum ei principium per ſe non aſſignetur, ſed per accidens, aggregatum ſcilicet illud ex materia, quæ eſt ſubſtantia, & ex illa potentia, quæ eſt accidens, quod autem illa potentia ſit accidens, ex eo probatur, quoniam actus, & potentia ſunt in eodem genere ex 12. Diuinor. tractatu de principijs prædicamentorum à 19. vſque ad 28. incluſiue, potiſſimum ex 26. patet autem vnicuique, quod actus ille, quem reſpicit potentia illa materiæ ſignatæ, eſt de genere accidentis, cum ſit quantitas, ergo & potentia illa erit de genere accidentis, & cum ſit ſubiectiue in illa ſignata materia, quæ eſt ſubſtantia, iam ſignata materia dicit ſubſtantiam, & accidens, iam ergo aggregatum ex rebus diuerſorum generum, iam ergo quid per accidens, iam ergo poſtremo, indiuidua per hoc indiuiduationis principium conſtituta, non forent entia per ſe, & clara eſt vltima hæc illatio, quoniam ex rebus diuerſorum generum nequit aliquid per ſe conſtitui, vt colligitur ex quinto Diuin. 13.

Ratio contra viam illam Caiet.

Ariſtot.

Huic argumento, cui non vidit Caiet. veram, ac ſolidam poſſe ſolutionem adferri, elaborauit Iauellus vbi ſupra hac ſolutione occurrere, vt dicat, hanc propoſitionem, Potentia eſt in eodem genere cum actu cuius eſt receptiua, non eſſe veram, niſi reſpectu illius actus, quem per ſe, & primo, non autem, quem ſecundario reſpicit, ſic dicit, quod potentia materiæ, quæ eſt receptiua huius quantitatis eſt ſubſtantia, & eſt idem re cum materia, quoniam primo, & per ſe reſpicit hanc, vel illam formam ſubſtantialem, at quoniam nequit talem formam recipere, niſi fuerit receptiua talis quantitatis, iccirco ſecundario reſpicit hanc, vel illam quantitatem, quam cum ſecundario reſpiciat, non oportet, talem potentiam eſſe in illo genere, in quo eſt actus ſuus, & ſubdit, quod ſi hanc diſtinctionem de actu primo, & ſecundo à potentia reſpecto conſideraſſet Thomas Caiet. ſuper primam par. loco præfato, non retractaſſet id, quod de materia ſignata hoc loco dixit: Hanc eandem reſponſionem huic argumento dedit Baneſius p. p. quæſt. illa tertia, vnde ibidem quamuis ſecunda ſua concluſione aſſeruerit, probabilem eſſe ſententiam Caiet. in pri. p. mox tamen tertiam addidit concluſionem, in qua dixit, probabiliorem ſibi videri, & magis ad aures D. Tho. & Ariſtotelis eiuſdem Caiet. ſententiam hoc in loco explicatam, quod ſcilicet materia capax huius quantitatis ſit principium indiuiduationis, &c.

Quomodo ei occurrat Iauellus.

Et Bannes.

At mihi de Iauello in hoc propoſito cogitanti, illud tandem in mētem venit, vt dicam, quod quicquid conſiderauit ipſe in materia huius argumenti, conſiderauit certe & Caiet. addo, quid vltra aduertiſſe Caiet. quod ipſe minime cogitauit,

Quid Auctor de Iauello ſentiat.

quit, quod ſi cogitaſſet, hanc ſuam opinionem certe deſeruiſſet; Quod enim diſtinctionem illam de actu primo,& ſecundo, quos aliqua potentia reſpiciat, aduerterit Caiet. ex eo patere poteſt, quod eandem diſtinctionem,& doctrinam tradit ipſe ſuper art.1.q.77.p.p. quam antea tradiderat Ioannes Capreolus in 1.diſt.3.quæſt.3.art.2. ad argumenta Scoti contra primam rationem Auctoris ex p.p. loco mox relato, quam ibidem Capreolus citat,& tuetur: Hinc omni probabilitate caret aſſerere, Caiet. illud non animo retinuiſſe, quod antea à Capreolo edoctum fuerat, & quod deinceps ab ipſo ſcriptis traditum eſt,& quod demum à quouis Auctoris alumno de neceſſitate ſit amplexandum in quæſito illo celebri de diſtinctione potentiarum ab eſſentia animæ. At non conſiderauit,vel conſiderare noluit Iauellus, quod doctrina, quam adfert, licet veriſſima ſit,& à proceribus noſtris,vt dicebatur tradita,in hoc tamen propoſito,eundem Iauellum ita impugnat,& interimit,vt nullus ei ad defenſionem locus ſuperſit. Capreol.

Indubitatum quippe eſt, quod potentia eſt in genere illius actus, quem primo,& per ſe reſpicit, ergo veriſſimum quoque erit, quod materia capax huius quãtitatis,& ſignata,erit in genere quantitatis,probo conſequentiam,quoniam quantitas eſt actus,quem primo,& per ſe reſpicit materia ita capax; Aliud profecto eſt loqui de materia vt ſic, & aliud eſt loqui de ipſa, vt ſignata eſt, vt ſuperius innui, quando motiuum quoddam Zabarellæ euertebam, nam quamuis materia vt ſic primo reſpiciat formam ſubſtantialem, tamen materia ſignata modo expoſito, primo reſpicit quantitatem. Implicat certe, vt materia ſignata,ideo dicatur ſignata, quia reſpiciat hanc quantitatem, & quod primo,& per ſe non reſpiciat hanc quantitatem; Materia vt materia non reſpicit primo quantitatem, quoniam non ideo eſt materia, quia quantitatem reſpiciat, ſed primo reſpicit formam, quoniam ea eſt eius eſſentia, vt formam reſpiciat: ita à ſimili, materia ſignata non ideo eſt ſignata,quia primo reſpiciat formam, idcirco forma nequit eſſe actus ille,qui primo ab ipſa reſpiciatur, ſed ea ratione eſt ſignata, quia reſpicit quantitatem, eapropter tamquam actum ſuum primo debet reſpicere quantitatem; quod autem materia, non eatenus ſit ſignata, quia primo reſpiciat formam,probatur,quoniam tunc non eſſet indiuiduationis principiũ, materia cum potentia ad hanc quantitatem, ſed materia cum potentia ad hanc formam ſubſtantialem,& ita non materia cum quantitate, non materia ſignata, ſed materia cum forma deberet eſſe cauſa indiuiduationis, & hoc motiuum videtur innuiſſe Banneſius quæſtione illa primi de generatione art.8. vbi relinquit & ipſe opinionem Caiet. hoc in loco, (quam tamen p.p. probabiliorem vt dixi affirmauerat,) & contra eam arguit non alio argumento, quam illo, quod ex Caiet. retuli & ipſe, ſed reſponſionem Iauelli infringit. Quid primo ſpectet materia vt materia, & vt ſignata. Bannes.

Verum, motiuum hoc magis explico, & dico ſic; per illud materia fit ſignata, & principium indiuiduationis, quod primo,& per ſe reſpicit, ſed per quantitatem fit ſignata, & principium indiuiduationis, ergo materia ſignata primo reſpicit quantitatem, minor eſt poſitio Auctoris, quem thomiſtæ omnes, & idem Iauellus ſequuntur, maior probatur, immo potiùs declaratur, mihi enim eſt certiſſima, nam ſi ponamus aliquid prius reſpici à materia, quam quantitatem, formam ſcilicet, vt ponit Doctor iſte, interrogo, in illo priori, materia eſt ne ſignata, an non? ſi dicatur ſecundum, hoc nequit eſſe, quoniam iam ſermo eſt de materia ſignata, & de ipſa vt ſic loquimur, & quærimus, quid primo reſpiciat, ergo iam eſt ſignata, & tamen non reſpicit adhuc quantitatem, ſed ſolum formam, ergo materia cum forma, & non materia cum quantitate eſt cauſa indiuiduationis.

duationis. Confirmo hoc ipſum euidentius, & ſciſcitor, ſi hæc materia ſignata poſſet definiri, an in eius definitione poneretur hæc quantitas, an non, ſi poneretur, ergo quantitas eſt actus, quem primo, & per ſe reſpicit, ſi non poneretur, ergo quidam alius actus eſſet ponendus in ſui definitione, neque enim eſt definibilis, immo neque agnoſcibilis materia, niſi per actum, vt in annotationibus ad hoc caput ſatis forſan demonſtraui, ille autem actus eſſet forma ſubſtantialis, & ſic materia eſſet ſignata abſque quantitate, nam ſignata eſſet per id, quod poneretur in ſui definitione, quatenus ſignata eſt, & ita forma, non quantitas daret materiæ, vt eſſet indiuiduationis principiũ. Hoc credo voluiſſe innuere Caiet. quando in hoc negotio dixit, materiam ſignatam non eſſe definibilem, niſi per hanc quantitatem, ſi definiretur, vbi nedum dixit, non poſſe definiri materiam ſignatam abſque quantitate, ſed & illud colligitur, quod nihil aliud ab illa quantitate in ſui definitione caderet. Neque mihi dicatur, quod hæc materia ſignata, eſt ſubſtantia, & ideo actum ſubſtantialem debeat reſpicere, non enim conſidero hanc materiam, vt eſt materia, ſed vt eſt ſignata in propoſito, & iure, quoniam non vt materia, ſed vt ſignata materia, eſt principium indiuiduationis, ratione materiæ, concedam tribuendum illi fore actum ſubſtantialem, at ratione ſignationis, nequaquam, hæc enim ſignatio fit in ipſa, virtute diſpoſitionum ab agente, hic, & nunc inductarum, & ſat eſt cuiuis potentiæ, vt per actum ſuum, cuius generis fuerit definiatur.

Soluitur quędã obiectio.

Cæterum, vt argumentum principale Caiet. & impugnationes, quas adduxi contra ſolutionem Iauelli plenius capias, notato illud, quod docuerunt nobiliores thomiſtæ, & deſumpſerũt ab Auerroe, & abſque dubio eſt ad aures Auctoris, & Ariſtotelis, quod videlicet omnis actus, & forma, quæ in aliquo ſubiecto eſt receptibilis, habet proprium potentiale in illo ſubiecto, adeo quod, materia gratia exempli numquam reciperet actum, qui eſt albedo, niſi in ſe aliquod potentiale haberet de genere albedinis, & ratio eſt, quoniam actus, & potentia propria ſemper ſunt in eodem genere, ſic docet Capreolus commemorato loco, & alibi, eodem ſcilicet 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. art. 2. ad tertium contra primam concluſionem, & Caiet. p. p. quæſt. 54. art. 3. & quæſt. 77. art. 1. & Ferrarienſis primo contra Gent. cap. 25. & Soncinas 8. Diuinorum quæſt. 7. in prima concluſione, & apertius lib. 12. quæſt. 26. concluſione 2. & idem Iauellus (rem miram) eodem 12. Diuinorum quæſt. 8. Sic longe ante iſtis Auerr. expreſſis verbis 4. cœli com. 35. dixit, compoſitionem rerum ex materia, & forma ita exiſtere in prædicamẽto *vbi*, ſicut in alijs prædicamentis, & primis verbis eiuſdem comm. ait, in omni prædicamentorum genere eſſe aliquid vices gerens materiæ, & aliquid gerens vices formæ, & comm. 9. quinti Phyſic. vbi ait, potentiam ad vnumquodque prædicamentum eſſe in illo genere prædicamenti, in quo eſt actus, ita ſubdit. potentiam ad ſubſtantiam, eſſe quodammodo in prædicamento ſubſtantiæ, ſimiliter potentiam ad quantum, & ad alia prædicamenta, cuius Commentatoris verba refert Achillinus lib. 2. de elementis art. 1. & illa ex 5. phyſic. referunt locis citatis & Capreolus, & Ferrarienſis, & Soncinas loco poſteriori, & idem Iauellus; patet autem, hanc eſſe mentem Ariſtotelis, qui 12. Diuinorum locis, & textibus adductis, potiſſimum 22. 26. & 28. in vnaquaque cathegoria, proprium reponit actum, & propriam potentiam, ſic Auctor ibidem ſentit, & p. p. q. 77. art. illo primo, pro fundamento concluſionis, quam ibi docet, mox erigit hoc documẽtum, quo ait, potentiam, & actum eſſe in eodem genere. Cum ergo videamus ſubſtantiam recipere varios actus, & quantitatem ſcilicet, & qualitatem, & reliqua id

Capreol.
Caietanus.
Ferrarieſis.
Soncinas.
Iauellus.
Auerroes.
Achillin.
Ariſtot.
D.Thom.

qua id genus, oportet certe in ipſa aſſignare potentialitates proprias horum, aliàs, ſi ſubſtantia ex ſe, nulla ſibi congenita potentialitate reciperet hos actus, iam cum potentia, & actus ſint in eodem genere, eſſet in genere horum actuum, & ex conſequenti in genere accidentium ſaltem reductiue, & hoc eſt, quod locis illis allegatis inculcabat Caiet. quod niſi ſic dicatur, nequit euadi, quin ſubſtantia ſit reductiue in genere accidentis. Quid in ſubſtantia ſit ponendum. Caietanus.

Quod ſi obijcias; ergo in huiuſcemodi potentijs datur proceſſus in infinitum, illa namque potentialitas cum ſit actus quidam, debet habere proprium potentiale in ſubiecto, merito cuius ſubiectum ipſum, illud potentiale poſſit recipere, & ſic illud requiret aliud, &c. Reſpondeo cum Caiet. ibidem, quod quando res alicuius prædicamenti recipit actum alterius prædicamenti, huic actui reſpondet propria potentia in ſubiecto recipiente, quæ potentia eſſentialiter ordinata eſt ad talem actum, & eiuſdem eſt prædicamenti cum actu ſuo, at vero huic potentiæ non reſpondet aliqua alia potentia præcedens, quæ ſit eſſentialiter ordinata ad illam aliam potentiam, quoniam potentia illa eſt eſſentialiter in genere potentiæ, & actus datur potentia, non autem potentiæ potentia; Neque turberis, quod talis potentia aliqua actualitate gaudere videatur, & quodam modo ipſius actus ſit donata, quoniam ineſt alteri, ſubiecto ſcilicet: Hæc enim vera ſunt, ſed tamen non ex hoc arguitur, quod huius potentiæ ſit potentia, nam ad hoc ſat ſibi eſt, vt habeat receptiuum, in quo ſuſtentetur, neque requiritur, quod tale receptiuum ſit ad hoc eſſentialiter ordinatum, quippe quod receptiuum eſt genus ſubſtantiæ, in qua eſt ſtatus, nec vlterius proceditur. Adde, quod potentialitates iſtæ, quæ ſunt in vnoquoque genere non ſunt ſeparatæ ab ipſis generibus, ita ſcilicet, vt prius producantur ſubiecta harum potentialitatum, deinde hæ potentialitates, adeo vt in ordine ad ipſas poſſit vtcumque ſubiectum habere rationem potentiæ, ſed ſimul cum ipſo producuntur, quare non comparatur ad ipſas vt potentia ad actus, ſed vt ſubiectum, & ſuſtentans dumtaxat; Ita colligitur ex Capreolo citatis locis diffuſe, quod tamen vnico verbo aperuit more ſuo Caietanus in p. p. q. illa 54. art. 3. quando dixit, has potentialitates eſſe congenitas ſubſtantiis, vbi per ly *congenitas* patefecit, quod modo explicabam. Dubitatio. Soluitur cum Caietano. Capreolus Caietanus.

Neque quid prorſus efficiunt duo, quæ contra hoc adſeruntur à Thomiſta celebri ſuper com. p. p. q. 77. art. 1. non enim ſequitur primo, quod eadem ratione non forent ponendæ potentialitates ad recipiendam quantitatem, & proprias paſſiones, quoniã & hæc (inquit) eadem generatione generãtur, qua ſubiectum, atq; his numquã caret ſubiectum, & c. Sed dico, quod non eſt tota, immo neque vera ratio, cur ponatur potentialitas ad recipiendã quantitatem, & non ad illam potentialitatem, quoniã illa potentialitas eadem generatione generetur, qua ſubſtantia, non autem quantitas, hoc enim foret falſum, reſpectu huius ſecundi, ſed tota, & vera ratio ea eſt, quoniam quantitas, & ſimilia ſunt veri actus, illæ vero potentialitates ſunt potentiæ realiter, quamuis modaliter, vt ita loquar poſſint dici actus, & quoniam vnicuique actui propria debet reſpondere potentia, iccirco merito illorum ponũtur potentialitates, quoniam autem potentiæ non reſpondet potentia alia, ideo in ordine ad has potentialitates non ponitur potentia, & hoc illud eſt, quod meo iudicio voluit Caietanus, quando dixit, illas potentialitates eſſe eſſentialiter potentias, ac proinde, ad ipſas non eſſe alias potentias, potentia quippe ad actum, non ad aliam potentiam refertur. Illud vero quod de eadem generatione allatum eſt, ſignum Viri docti difficultates. Remouentur. Caietanus.

potius eſt, quam ratio, cur non ſint ponendæ illæ potentialitates harum potentialitatum, & non eſt cauſa rei, ſed re ſuppoſita, illam ſuadet magis, Et quamuis Capreolus vbi ſupra videatur illud adducere pro totali ratione, ſi tamen illa 8. diſt. attente legatur, videbitur, quod aliam rationem voluerit, (ſubobſcure licet) inſinuare; cum.n. dixiſſet prope finem illius reſp. ad 3. *eadem productione producitur ſubſtantia compoſita, & quantitas, & eadem productione producitur ſuperficies, & potentiale ad colores, vt aliàs dictum fuit, ideo quantitas, & talia potentialia non requirunt in ſubiecto ſuo aliquod potentiale eiuſdem generis,* quibus verbis apparet, ipſum pro cauſa reddere, id quod dixi non eſſe ueram cauſam, ſtatim tamen ſubdit, *quia non habent propriam potentiam, quæ per ſe primo ad talia ordinetur,* vbi vult innuere, quod licet eadem generatione, qua ſubiectum eſſent genita, ſi tamen aliquid ipſa reſpiceret tamquam potentiale, illud eſſet eiuſdem generis; Sed quod hæc fuerit mens Capreoli, vt ſcilicet cauſa ponendi has potentialitates, vel non ponendi non ſit vel eorundem generatio ſimultanea, aut non ſimultanea cum ſubiecto, ſed tota reducatur in naturam potentiæ, & actus vt ſic, colligo ipſe ex verbis, quæ ibidem ſtatim ſubnectit, ait enim. *Et illa quæ dixi de quantitate, intelligo de interminata, quia illa non prærequirit aliam potentiam, ſecus eſt de quantitate terminata, quia ſe habet ad aliam, vt actus ad potentiam*, vbi optime intelligimus, quod comparatur vt actus receptus, requirere potentiam ſuam, quod vero non comparatur vt actus, non exigere aliam potentiam, & nihilominus quantitas terminata eadem generatione qua ſubiectum generatur, quoniam tamen eſt actus, ea propter adſerendum eſt eius potentiale, nulli autem potentiali adſcribere eſt aliud potentiale, quoniam illud non eſt vt actus; Quid vero acceperit ibi Capreolus nomine quantitatis interminatæ, & terminatæ, non eſt præſentis negotij, fortaſſis per interminatam voluit dicere quantitatem non punctualem, vel etiam voluit dicere, ſi talis quantitas interminata daretur, vt voluit Commentator, quem Auctor prioribus ſuis operibus ſequi viſus eſt, &c. peccat ergo argumentum ſecundum non cauſam, vt cauſam.

Capreolus

Luſtratur mẽs Capreoli.

Non ſequitur ſecundo concedendū eſſe, vt aliquod accidens prius ſit in ſubſtantia, quā quantitas, velut dicit concedi à Soncinate 8. Diuinorū q. 7. concluſione prima, ſed quod hoc ſequatur, ipſe nō probat; pono quippe in ſubſtantia potentiale, merito cuius recipit quantitatem, & illud potentiale eſt accidens, ergo aliquid aliud accidens à quantitate præcedit in ſubſtantia ipſam quantitatem, nego, immo vero, quoniam illud potentiale eſt eiuſdem generis cum actu ſuo, vt ſæpe dictum eſt, ideo & ipſum eſt in genere quantitatis, non ergo aliud accidens præcedit quantitatem, ſed eadem quantitas differens ſecundum magis, & minus, vt ibidem poteſt colligi ex Capreolo dicente, inchoationem caloris, quæ eſt potentiale illud ad calorem, non differre a calore, niſi ſecundum magis, & minus, nam calor aduenıens comparatur vt actus ad illam inchoationem, & ad illud potentiale ſuum, ſimiliter ait, quod quantitas terminata ſe habet ad aliam, (interminatam ſcilicet) vt actus ad potentiam, vbi nomine quantitatis interminatæ videtur vere ibi Capreolus accepiſſe quantitatem illam, vt dicit potentiale, & inchoationem, & congrue ſatis, quoniam potentia ante actus ſui aduentum dicitur interminata, quæ deinde actu adueniente, terminari dicitur; Vel dicamus, nequaquā eſſe eandem rem numero potentiale illud, & actum accedentem, ſed duo eſſe accidentia, & illud quidem potentiale, hoc vero in actu, & illud interminatum, hoc terminatum vocatur

Potentia ante actum, & ſub actu quomodo vocetur.

catur, & fortaſſis via hæc ſecunda probabilior videtur quã prima, ſic enim proprie ſaluatur potentiam, & actum eſſe eiuſdẽ generis, in prima vero, nedum dicitur eſſe eiuſdem generis, ſed etiam quod idem ſint numero, vbi deinde non adeſt locus dubitationi, vtrum ſint eiuſdem generis, ex quo videtur inferri vana eſſe quæſtio; non tamen ob hoc cenſeas priorem viam Capreoli carere probabilitate ſua, neque vana ſit quæſtio, nam adhuc dubitatur, num talia potentialia ſint locanda, quod vero ubi poſita ſunt, ſint idem numero cum actibus ſuis quos reſpiciunt, vel ſolum eiuſdem generis, dicas ſaltem in propoſito quod placuerit; Illud ſufficiat, quod vtrouis modo dicatur, numquam ſequi, aliquod accidens præcedere in ſubſtantia quantitatem. Neque verum eſt, hoc ibi à Soncinate concedi, immo totum oppoſitum dicit illa prima aſſertione ſua, quod ſcilicet proxima ratio recipiendi quantitatem non eſt materia, nec forma, ſed proprium potentiale de genere quantitatis, quod ſi eſt de genere quantitatis, tantum abeſt, vt ſit aliud à quantitate, quod eſt quantitas ipſa potentialis, nil certe eſt de genere quantitatis, niſi quantitas; ſubdit ibidem, quod de illa concluſione erit ſpecialis quæſtio 12. libro, quæſtione porro 26. vbi inquirit, num omnium principia componantur ex proprio actuali, & potentiali, & 2. concluſione ponit, in omni ſubiecto quod eſt receptiuum accidentis abſoluti eſſe aliquod potentiale de genere illius accidentis, quo medio ſubiectum recipit accidens, ſi ergo eſt aliquod potentiale de genere illius accidentis, potentiale ad quantitatem, erit de genere quantitatis, & q. 22. eiuſdem 12. prima concluſione docuit, in quolibet genere eſſe proprium potentiale illius generis, & declarauit de quibus generibus id intelligeret, dicens, ſe loqui de illis, quæ dicunt entitates diſtinctas, vt ſubſtantia, qualitas, & quantitas. Soncinas.

Ad rem igitur noſtram, (quamquam non extra rem locuti ſumus) reuertentes, cum materia ſignata ſit receptiua huius quantitatis, iuxta priorem viam Caietani, ergo in ipſa materia eſt potentia ad hanc quantitatem recipiendam, ergo illa potentia eſt de genere quantitatis, quoniam ſemper cuique actui reſpondet proprium potentiale eiuſdem generis, vt longo forſan progreſſu manifeſtaui, quod negare nequit ipſe Iauellus, cum is quoque aperte nimis q. 8. eiuſdem 12. Diuinorum dicat in primo dicto pro reſolutione illius quæſiti, quod *in ſubſtantia receptiua alicuius accidentis abſoluti eſt aliqua potentia, qua media recipit illud accidens, quæ potentia non eſt ipſa ſubſtantia, neque materia prima, ſed eſt reductiue in eodem prædicamento, in quo eſt accidens receptibile*, & ne poſſet fieri tergiuerſatio de quantitate, quæ tamen nulla eſſe poſſet, cum ſit accidens abſolutum, de quibus abſolutis accidentibus fert hic auctor hanc doctrinam, ſubdit pro manifeſtatione, *puta in ſubſtantia corporea eſt aliqua potentia, quæ eſt receptiua qualitatis ſenſibilis, quæ potentia eſt reductiue in prædicamento qualitatis, idem dico reſpectu quantitatis*, nil ergo clarius poteſt à Iauello quis deſiderare contra eiuſdem ſolutionem, quam dat argumento Caietani; ſibi enim eſt fatendum, quod in materia ſignata, quæ eſſe debet ſuſceptiua huius accidentis abſoluti, quod eſt quantitas ſit potentia, qua media ipſa materia recipiat hanc quantitatem, quæ potentia ſit in eodem genere reductiue, in quo eſt actus receptibilis, quantitas ſcilicet &c. Quare in genere quantitatis eſt illa potentia, & eſt in materia ſignata, ergo materia ſignata, dicit aggregatum ex ſubſtantia, & accidente, vbi vides argumentum Caiet. in robore ſuo apud omnes, & potiſſimum apud Iauellum, qui nihil de hoc diſcurſu poteſt inficia- Iauellus.

ri, quin & falſo neget, & ſibi omnino cõtradicat; neque enim amplius locum in propoſito habet diſtinctio de actu, quem primo, & quem ſecundo reſpiciat potentia, nam in materia ſignata oportet aſsignare potentiá, quæ primo reſpiciat hunc actum, qui eſt quantitas, ſi cuilibet actuali reſpondeat ſuum potentiale, rurſus abſolute omnes, quos audiſti pronunciarunt, in ſubſtantia recipiente accidens poni debere potentiale illius accidentis, & denique Iauellus dicebat, in ſubſtantia corporea eſſe aliquam potentiam, quæ ſit receptiua qualitatis, & quantitatis, & tamen patet, non primo reſpicere ſubſtantiam illam hos actus, vnde merito, ac neceſſario in ea locantur illæ potentiæ, &c.

Meditatio circa ea, quæ pro priori ſua ſententia dicebat Caiet.

Hinc elicias, non ſolum non eſſe veram opinionem Caietani, quam iunior de materia ſignata habuit, ſed neque vera eſſe, quæ pro huius materiæ ſignatæ dilucidatione adſerebat: Dicebat enim, capacitatem illam huius quantitatis nihil realiter diſtinctum ab ipſa materia in ea ponere, quod iam ex eiuſdem Caietani veriſſima doctrina falſiſſimum agnoſcimus; ponit namque potentiale illud de genere quantitatis, quod patet eſſe accidens à materia vtique, quæ eſt ſubſtantia realiter diſtinctum, alioquin ſi illa capacitas, illa potentia nihil à materia realiter diſtinctum in ipſa poneret, iam ſubſtantia eſſet eadem realiter accidenti, quod ſtultum eſt, & quæ omnia de eadem actus, & potentiæ coordinatione dicta ſunt ruerent, & nullum eſſet deinde argumentum eiuſdem Caietani, quod contra viam illam poſtea attulit, &c. At exiſtimarat Caietanus, quod velut materia prima nullo ſibi addito reſpicit formam ſubſtantialem, & capacitas illa, ſeu potentia ad illam formam, nihil realiter ab ipſa materia diſtinctum in eadem ponit, ſed ſolum quid exprimit &c. modo declarato in ſuperioribus, ſic materia ſignata nullo ſuperaddito reſpiceret hanc quantitatem, & ipſius capax eſſet, & hæc capacitas nihil in illa ab illa realiter poneret diſtinctum, ſed quid ſolum exprimeret, &c. At longe aliter rem ſe habere vidit oculatiſsimum illud ingenium, vidit quippe, quod ſi materia ſignata debeat ita hanc quantitatem, quod non aliam, tamquam actum ſuum primum reſpicere, & recipere, ponenda eſt in ipſa potentialitas de genere ipſius quantitatis, & ex conſequenti accidens quoddam potentiale, & ſubinde realiter ab ipſa diſtinctum; in materia vero in ordine ad formam ſubſtantialem nullum huiuſcemodi potentiale eſt ponendum, quoniam ipſa eſt eſſentialiter potentia ad formam ipſam ſubſtantialem eſſentialiter, & de ſui natura ordinatur, nullo egens ſuperaddito.

Diſcrimen inter materiam, vt reſpicit hãc quantitatem, & vt reſpicit formam ſubſtantialem.

Dubium.

Dices, etiam materia ſignata eſt eſſentialiter potentia, reſpiciens hanc quantitatem, actum ſuum proprium, vt ſæpius dictum fuit, cur ergo in hac aliquid potentiale ponitur, non in illa? patet reſponſio ex doctrina allata, & non eſt cur pro ingenioſis modo explicite adferatur, quoniam tamen non ſunt æqualia ingenia, dico quod quoniam potentia, & actus ſunt in eodem genere, cum materia prima, & forma ſubſtantialis ſint in eodem genere ſubſtantiæ, ideo in ipſa materia, nullum aliud potentiale eſt locandum, nã abſque ipſo optime ſaluatur, cuiuis actui propriam eiuſdem generis potentiam reſpondere, immo addo, quod ſi tale potentiale aſsignaretur, non poſſet amplius ſaluari, quod actus, & potentia in illo caſu eſſent eiuſdem generis, quoniam non poſſet eſſe ſubſtantia, nam vel foret potentialis, & ita ſufficit materia prima, pura potentia, vel actualis, & tunc non foret potentiale, ergo eſſet accidens, ergo alterius generis ab actu ſuo, qui eſt forma ſubſtantialis; in materia autem reſpiciente hanc quantitatem non adeſt proprium potentiale eiuſdem generis cum actu ſuo, ergo

Soluitur.

go hic, non ibi conſtitutum eſt, &c.

Hac itaque priori via Caietani cum eodem Caietano, eiuſdem Caietani argumento reiecta, (quam eodem argumento reſpuit & Aquarius dilucidatione 6. quinti Diuinorum,) accedendum tandem erit ad opinionem illam, quam poſteriori loco ipſe docuit, & quæ à me amplexanda eſt.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vera ſententia adſertur, & dilucidatur.

EXplicatio, quam poſterius docuit Caietanus de materia ſignata, tamquam ſubtilis, vera, & ad mentem Auctoris, & Ariſtotelis, à nobis ſuſtinenda omnino venit, quauis alia via poſthabita. Erit ergo noſtra poſitio, quod materia ſignata ſit principium indiuiduationis, nomine cuius materiæ, accipitur materia diſtincta numero, vt prius natura fundamentum, radix, & cauſa huius, & non alterius quantitatis.

Auctoris ſententia.

Vt hanc poſitionem intelligas, nota illud diſcriminis verſari inter priorem explicationem Caiet. iam improbatam, & hanc poſteriorem receptam, quod in primo inſtanti, in quo generatur Sortes, generans prius diſp oſuit materiam illam Sortis hac gemina diſpoſitione, & vt ſcilicet receptiua eſſet ita huius quantitatis, quod non alterius, & vt ſecundo ſit radix, fundamentum, & cauſa, vnde in Sorte conſequatur, & fluat ita hæc quantitas, quod non alia, quemadmodum etenim ſubiectum ad proprias ſuas paſsiones duplici poteſt comparatione comparari, & receptiui ſcilicet, & cauſantis, (recipit quippe paſsiones ſuas ſubiectum, & eſt principium, ac radix earum, ratione cuius dicitur paſsio ab ipſo emanare,) ſic materia dupliciter poteſt ad quantitatē comparari, & in ratione ſcilicet recipientis, & in ratione cauſæ, ac radicis, recipit enim quantitatem, ſiue vt melius loquar eſt ratio compoſito recipiendi ipſam, & etiam eſt radix, & principium, vnde quantitas hæc conſequatur in compoſito: prima igitur via Caietani docebamur materiam ſecundum priorem conſiderationem eſſe principium indiuiduationis, quatenus ſcilicet erat potentia receptiua ipſius quantitatis, altera vero methodo edocemur, non ſecundum priorem acceptionem, ſeu contemplationem, ſed iuxta poſteriorem, quatenus nimirum eſt fundamentum, & radix præhabens in ſe quantitatem. Ita quando indiuiduum aliquod generatur, in primo illo inſtanti eſſe ſui, quod eſt illius generationis terminatiuum, prius intelligimus materiā eſſe diſtinctam, certe in illo priori, & inſtanti, non temporis, ſed naturæ, antequam aliquod accidens inſit in materia, ſed ſola forma aduenit, & tunc generatio ſubſtantialis completur, id quod generatur, conſtat eſſe ſingulare diſtinctum ab vniuerſali, ens per ſe, ac vnum, quare aſsignandum eſt in illomet priori naturæ principium huius ſingularitatis, huius diſtinctionis, huius per ſe entitatis, & huius vnitatis, horum autem omnium principium non eſt forma, nam hæc de ſe vniuerſalis eſt, ergo materia, non abſolute, hæc enim & indiſtincta eſt, & omnibus communis, ergo materia hæc, & diſtincta, nam & id quod generatur ita eſt hoc, quod non alia, ergo ab alijs diſtinctum, nequit autem reddi-

Quomodo cōparetur ſubiectū ad paſſiones ſuas, & materia ad quantitatem.

materia ipſa hæc, & diſtincta, niſi merito quantitatis,nequit habere illā quantitatem actu, tum quoniā hoc improbatū eſt, tum quoniam loquimur de priori illo naturæ ante adhæſionem cuiuſuis accidentis, nequit eſſe cauſa horum, quatenus eſt capax huius quantitatis ,quoniam illud quod genitum eſt,non foret vnum per ſe, erit ergo quatenus fundamentum quantitatis, & quatenus præhabens in ſe, & continens quantitatis naturam, ſic erit materia tunc diſtincta, & ſine quantitate, & cum quantitate, ſine quantitate in actu, cum quantitate in virtute, & fundamentaliter, ſic veritatem habebit id,quod Ariſtoteles,& Auctor ſæpius iterarunt,diſtinctionem videlicet materialem numeralem primo conuenire quantitati, nam huiuſcemodi materialis diſtinctio, quæ in illo priori ante quantitatem ponitur in materia,prouenit à quantitate, quæ non quidem formaliter, ſed fundamentaliter. & tamquam in cauſa ſua exiſtit in materia; Quod ſi quæ participant naturam alicuius,poſſunt in illius participati effectus,multo magis poterit in diſtinctionem numeralem,quæ eſt effectus quantitatis ipſa materia in illo priori, quæ licet non habeat quantitatem in actu,illam tamen participat, & non quocumque modo, ſed ea participatione radicis, fundamenti, & prope cauſæ, & nullus dubitat, longe magis eſſe præhabere, quam participare. Explica ergo, omnem numericam diſtinctionem prouenire à quantitate, vel formaliter, vel virtualiter, à quantitate, vel à participante, & præhabente quantitatem,&c.

In priori naturæ generationis indiuidui,quomodo ſit, & non ſit quantitas in materia.

Quomodo omnis numerica diſtinctio à quantitate.

Quod autem ſufficiat quantitatem illam præeſſe tantum in radice, & non requiratur, quod adſit formaliter, ex eo collige ingenioſe, quod diſtinctio, qua Petrus differt à Paulo, & hic homo ab alio, vt hi homines, non eſt diſtinctio quantitatiua,tunc enim non diſtinguerentur ſubſtantialiter,ſed ſolum accidentaliter, & non eſſet maior diſtinctio inter ipſos, quam inter bicubitum, & tricubitum vt ſic, quod neque dicendum eſt,neque facit ad quæſtionem,in qua vt dixi quærimus, per quid ſubſtantialiter hoc indiuiduū differat, vel ſit diſtinctum ab illo, ſed eſt fundamentum quantitatiuæ diſtinctionis, quia enim numero materialiter diſtinguuntur, ideo & quantitatiue diſtinguuntur, nam quoniam quid habet hanc materiam, habebit & hanc quantitatem,& non quia habeat hanc quantitatem, habebit hanc materiam; non tamen materia eſſet hæc, niſi fundamentaliter hanc quantitatem præhaberet, quoniam omnis diſtinctio materialis eſt per quantitatem,vel formaliter,vt pura quantitatiua, & accidentalis, vel fundamentaliter, vt ſubſtantialis. Sic diſces, & dices, quod Petrus, & Paulus gratia exempli poſſunt tripliciter conſiderari, & vt homines præciſe, & vt iſti præciſe, & vt homines iſti ſimul, ſi eos conſideres vt homines, non diſtinguuntur, non differunt,nam vterque eſt æque homo,& conſtat eos participatione ſpeciei eſſe vnum hominem, ſi conſideres,vt iſtos præciſe, ſic diſtinguuntur, & differunt accidentaliter & quantitatiue, & numero de genere quantitatis, Petrus enim eſt hoc quod non Paulus, & e contra, & numerum faciunt, ad quem vt ſic ſufficit diſtinctio quantitatiua: at ſi tertio eoſdem ſpectes, vt ſunt hi homines, cum duo hic inueniantur, & ſcilicet eſſe hos, & eſſe homines, duas etiam inueniri oportet diſtinctiones, ſi non formaliter, at certe virtualiter, & quantitatiuam ſcilicet, quoniam datur hoc, & illud, datur numerus, & ſubſtantialem, quoniam nedum ſunt hic, & ille, ſed hic, & ille homo,nedum ſunt duo vtcumque, ſed duo in genere ſubſtantiæ,& duæ ſubſtantiæ completæ ſunt, quo fit, vt nedum gaudeant vnitate numerica

Triplex duorū indiuiduorum conſideratio.

de

de prędicamento quantitatis, ſed vnitate numerali ſubſtantiali; Quod ſi tibi videatur nouum ponere alium numerum ab illo de genere quantitatis, id mihi videtur neceſſarium, neque eſt nouum, nam & Caiet. hac quæſtione ſuper hoc caput dicit, ſe ſuſtinere, Sortem ſubſtantialiter ſumptum, in recta ſcilicet linea prædicamentali ſub ſpecie eſſe vnũ numero, non vnitate de prædicamento quantitatis, ſed ſubſtantiali; Credo tamen numerum illum de prędicamento ſubſtantiæ materialis eſſe fundamentum numeri de genere quantitatis, & in priori illo ante cuiuſuis accidentis adhæſionem, & ſub illa ſemper pura conſideratione, qua conſideratur vt indiuiduum de genere ſubſtantiæ, vnitas de genere quantitatis nullum locum actu habet, ſed ſolum in radice, & tamen actu ibi eſt vnitas ſubſtantialis: Et hanc poſitionem, quod ſubſtantiæ indiuiduum ſubſtantialiter acceptum, ſit vnum vnitate de genere ſubſtantię, & non quantitatis, tenet etiam expreſſe doctiſsimus Bannes quæſt. ſua memorata ar. 2. Dixi, hoc mihi videri neceſſarium, quam neceſſitatem ſuadet & diſcurſus quem feci, & illa etiam conſideratio, quoniam non datur ens, quin detur aliquo modo vnum, nam vnitas eſt paſsio entis omne ens inſequens, ſed accipiendo Sortem ſubſtantialiter vt ſic, &c. clarum eſt, quod eſt ens, ergo vnum, non analogia, non genere, non ſpecie, vt patet, ergo numero, & in illo priori. & ſub illa ſemper conſideratione, qua vt ſic ſubſtantialis accipitur, non eſt vnus numero de genere quantitatis, tum quoniam nulla ibi ſupponitur eſſe quantitas, tum quoniam non erit tunc conſideratio Sortis, vt eſt ſubſtantialis, tum quoniam numquam poterit aſsignari vnitas prędicamenti ſubſtantiæ vt ſic, ergo vnus vnitate numerica ſubſtantiali, & de hac eadem vnitate redibit ſermo artic. ſequenti, vbi magis adhuc roborabitur, &c. — Caietanus. — Bannes.

Quemadmodum itaque ſubſtantia eſt cauſa accidentium; ita diſtinctio ſubſtantialis eſt cauſa diſtinctionis accidentalis & quantitatiuæ; ſic diſtinctio duorum indiuiduorum ſubſtantiæ materialis vt ſic, non eſt diſtinctio quantitatiua, dicebat p. p. loco citato Caiet. gloſſo ego, non eſt pura diſtinctio quantitatiua, ſed eſt fundamentum diſtinctionis quantitatiuæ, intelligo ipſe, eſt diſtinctio ſubſtantialis, (indiuidualis, non ſpecifica,) quæ ipſamet eſt fundamentum quantitatiuę diſtinctionis: Neque inferas, ergo hi homines vt ſic differũt ſpecifice, ſtat enim, quod ſubſtantialiter differant, & non ſpecifice, neque enim omnis formarum diuerſitas facit diuerſitatem ſecundum ſpeciem, ſed ſolum illa, quæ eſt ſecundum principia formalia, vel ſecundum diuerſam rationem formæ, vt clare habet Auctor 2. con. Gent. 81. dum ſecundæ rationi occurrit, adferens exemplum de forma huius, & illius ignis, ſic docet Caiet. hanc eandem Auctoris adferens doctrinam, dum reſpondet ad ſecundum argumentum in hac quæſtione, ſic Dominicus à Flãdria q. 29. quinti Diuinorũ art. 4. Cũ ergo duo indiuidua materialia differant ab inuicẽ & non differentia formali, ſed formarũ, & non differentia quantitatiua tantum, quoniam ſunt in genere ſubſtantiæ, & vnitas, ac diſtinctio ſubſtãtiæ, ſunt modi reductiue ad eiuſdem ſubſtantiæ genus attinentes, illud conſequitur, vt differant diſtinctione ſubſtantiali: Adde, quod numquam quantitas excedet ſeipſam, quare numquam poterit dare niſi diſtinctionem quantitatiuam, de genere ſcilicet ſuo, & nihilominus, hæc materialis ſubſtantia differt ab hac, nedum quãtitatiue, ſed & ſubſtantialiter, ergo à quodam alio eſt petenda diſtinctio hæc, quam à quantitate, ergo ab ipſamet ſubſtantia, nam ſi hanc diſtinctionem præberet quantitas, daret effectum ſeipſa nobiliorem. Quocirca diſtinguuntur duæ materiales ſubſtan- — Qualis diſtinctio inter duo indiuidua ſubſtantiæ vt ſic. — Quæ formarum diuerſitas cauſet ſpecificam diſtinctionem. — D. Thomas. — Caietanus. — Flandriẽſis.

tiæ diſtinctione ſubſtantiali, quæ etiam eſt fundamentum diſtinctionis quantitatiuæ, quæ de neceſsitate conſequitur inter duo, quæ materialiter differãt, neque ſubſtantialiter differrent, niſi eorum ſubſtantialis diſtinctio fundamentum eſſet diſtinctionis quantitatiuæ, quoniã ex Ariſtotele 3. Diuinorũ 11. & ex Auer. 1. phyſ. 6. omnis diuiſio eſt aut ſecundum ſpeciem, ſeu formam, aut ſecundum quantitatem, & cum indiuiduorum ſub eadem athoma ſpecie diuiſio nequeat eſſe ſecundum ſpeciem, erit vtique ſecundum quantitatem, hoc eſt non poterit eſſe, niſi per habitudinem, vel ordinem, vel reſpectum ad quantitatem, quoniam ſi ſunt materialia, habebunt certe materiam alteram partem ſui, non communem, ſed propriam, hanc, diſtinctam, & ſignatam, quæ omnia proficiſci oportet à quantitate, vel formaliter, vel virtualiter, & in radice, &c.

Ariſtotel. Auerroes.

Neque id videatur mirum, quoniam de eſſentia indiuidui materialis, & ſignati vt ſic eſt nedum forma, nedum materia, ſed & accidentia, & potiſsimũ quantitas, vel ſaltem talis ordo ad quantitatem, vt ex ipſo oriatur quantitas, vt compoſitum ipſum, indiuiduum ipſum conſequatur quantitas. Profecto, ſi à materia remoueas quemcumque reſpectum ad quantitatem, numquam materia erit hæc, numquam ſignata, numquam pars huius indiuidui, quod ſi ab hoc indiuiduo abſtuleris hanc materiam, iam hoc indiuiduum, non eſt hoc indiuiduum ſignatum, ſed remanebit homo vniuerſalis.

Quid ſibi velit indiuidui materialis natura.

Id conſiderans Alexander primo ſuo lib. de anima cap. 24. cui titulus eſt De intellectu, qui velut habitus dicitur, ſcripſit: *Enimuero vbi ſpeciem hominis abdicatis materiæ appendicibus excipimus, nihil aliud, quam communem hominem intuemur*. Et Themiſtius cap. ſuo 24. ſecundi Poſter. quaſi ſub initium exponens verba illa Ariſtotelis eodem libro cap. iuxta ſectionem Caiet. 10. iuxta aliorum 15. dicentis, *multas differentias ineſſe eiſdem ſpecie, ſed non ſecundum ſubſtantiam, neque per ſe*, ſcribebat contra Speuſippum, *non eſt neceſſe omnes differentias ſciri, quoniam infinita ab accidentibus trahi poſſunt, quibus res eadem ſpecie comprehenſa inuicẽ diſcernũtur, vt Socrates à Platone, & Zanthus à Callia*. Quamobrem differunt indiuidua differentijs accidentalibus, non pure, & formaliter, ſed ordinem aliquem neceſſarium dicentibus ad accidentia: & Albertus magnus 12. Metaphyſicæ tract. 1. cap. 12. aperte docet, quod licet ſubſtantia nomine ſuo non importet accidens, tamen ſubſtantia ſenſibilis illud importat, quod accidens cauſatur à principijs ipſius ſubſtantiæ, & poſt nonnulla, in quibus recenſuit peruerſos quoſdam commentatorum intellectus, ſubdit iterum prope finem illius cap. quod licet ſubſtantia in eo quod ſubſtantia in vi nominis, & rationis ſuæ non importet niſi ſubſtantiæ principia, tamen ſubſtantia ſenſibilis, vt animal, homo, planta pro certo de nomine ſuo dicit ſubiectum determinatum, & quantitate, & qualitatibus totius, & partium, & dat exemplum de oculo, qui oculus non eſt, niſi ſit ex humido, & frigido, &c. In hoc conueniunt quoque Capreolus, & Soncinas, vt ex eorum dictis locis citatis clare agnoſcitur, quemadmodum ex ipſis innuebam art. tertio quæſtionis, &c.

Alexãder.

Themiſt.

Albertus magnus.

Capreolus Soncinas.

Id tamen conſilij non habeo, vt intelligam docere, in ratione indiuidui includi intrinſece accidentiã in actu, & tamquam eius conſtitutiua, volo namq. prædicamentalem ſubſtantiæ coordinationem compleri intrinſece per res ſui generis, ſed dico, quod numquam indiuiduum ſubſtantiale materiale eſſet indiuiduum, vel in eſſe indiuidui conſtitueretur, niſi principia eius quibus conſtituitur aliquem ordinem de neceſſitate dicerent ad accidentia, & præcipue

Prædicamentum ſubſtãtiæ per quid compleatur.

ad quantitatem, rationibus iam dictis, velut homo conſtituitur in eſſe hominis per rationale, & per idem ab alijs ſpeciebus ſecernitur, & tamen rationale illud eſt fundamentum, & radix vnde prouenit riſibilitas, & reliquæ paſſiones, quæ ſunt accidentia, & niſi eſſet fundamentum propriarum paſsionum, non poſſet hominem conſtituere, cum omne ſubiectum ſuas paſsiones habeat; inde tamen non conſequitur, quod in ratione hominis claudantur intrinſece accidentia; ſimiliter corpus de genere ſubſtantiæ locatur in tali genere, & eatenus eſt corpus, quatenus eſt natura illa, ex qua fluet trina illa accidentalis dimenſio cuique obuia, & niſi ex ipſo ea dimenſio flueret, non foret corpus de genere ſubſtantiæ, cõſequens tamen non eſt, vt in ratione corporis de prædicamento ſubſtantiæ includatur dimenſio illa, quæ exempla (rei de qua agimus certe accõmodata) adfert Banneſius art. 8. quæſt. ſuæ iam nominatæ, ſed & aliud exemplum addere poſſum de omni ſubſtantia naturali, quæ eatenus ſubſtantia naturalis eſt, quatenus ex ipſa profluere poteſt motus, quatenus ſcilicet habet in ſe fundamentum ad poſſe moueri, aliàs non foret ſubſtantia naturalis, neque ad phyſicum attineret, ſi mobilis non eſſet, non dico formaliter, ſed ſaltem fundamentaliter, & nullus ignorat, motum accidens quoddam eſſe, & nihilominus neutiquam ſequitur, in eius ratione includi intrinſece accidens; Ita prorſus in propoſito noſtro, Sortes non conſtitueretur hic homo, niſi per hanc materiam, vt eſt fundamentum, & radix huius quantitatis, inde tamen non eſt inferendum, ergo in ratione indiuidui, & Sortis intrinſece includitur accidens, ſed ſolum, quod in ratione ſui conſtituentis includatur aliqua habitudo ad accidens, velut in conſtitutiuo hominis vt homo, includitur aliqua habitudo ad accidentia, & proprias paſsiones. Banneſ.

Hinc colligas, non eſſe vndequaque verum, quod docent nonnulli ex ſchola Auctoris, in quorum numero videtur eſſe Dominicus à Flandria q. 22. ſeptimi Diuinorum art. 4. quantitatem ſcilicet concurrere ad indiuiduationem extrinſece ſolum, & diſpoſitiue, ſi enim loquantur de quantitate, quæ actu ſit in materia, poteſt vtcumque id admitti, ſin vero loquãtur de habitudine ad quantitatem, modo declarato, dico, quod nedum extrinſece, ſed intrinſece concurrit ad indiuiduationem, quoniam numquam materia conſtitueret hunc hominem, niſi eſſentialiter, ac intrinſece præhaberet in ſe, tamquam fundamentum hanc quantitatem, hunc ſcilicet ordinem radicis, & cauſæ quodammodo huius quantitatis. Sed cenſeo ipſe viros illos conſideraſſe ſolum quantitatem illam, quæ præceſsit in materia, inductam ab ipſo agente ad hoc, vt indiuiduum hoc conſtitueret, & ita verum eſt, hanc extrinſece ſolum, ac diſpoſitiue locum habere, hac enim fuit materia diſpoſita, & in hoc ſenſu vera eſt illorum ſententia, ſed diminuta nimis, quoniam vltra hanc quantitatem, & alia quantitas eſt in ipſa materia aduertenda, nam diſponitur vtique materia per quantitatem, & alias diſpoſitiones ad hoc, vt hanc quantitatem tamquam fundamentum præhabeat, & illa quantitas diſpoſitiue, & extrinſece operata eſt, at hęc quantitas non vere concurrit ad indiuiduationis principium, ſed illa dumtaxat, quam materia, vt radix, & fundamentum in ſe continet, quæ plane conſequenter potius, (actualiter loquendo,) quam diſpoſitiue, & non extrinſece, ſed intrinſece ad indiuidui conſtitutionem concurrit. Et ſi non vis decipi in multorum argumentorũ confutatione, memento dicere, non concurrere quantitatem abſolute, ſed materiam cum quantitate, non in actu, ſed in radice, vt iam expoſitum dedi, ſic non erit, cur admittas vllum accidens eſſe de ratione ſubſtan-

Flandrienſ.

Quomodo cõcurrat quantitas ad indiuiduationem.

Quomodo ſit loquẽdum de cõcurſu quantitatis.

ſubſtantiæ materialis, ſed ſolum materiam cum ordine ad accidens, quod nēdum non inconuenit, ſed & de quauis naturali, ſeu materiali ſubſtantia aſſerendum venit, vt pateſeci.

Quod ſi quidam Auctoris alumni, qui diebus meis in hoc negotio, & in rebus aliis perdifficilibus erudite certe ſcripſerunt, quando poſt approbatam hanc Caiet. quam ſequor ſententiam addiderunt, quantitatem eatenus ad indiuiduationem concurrere, quatenus eſt conditio ſine qua non ipſa materia poſſet indiuiduare, id voluerunt, vt materia non poſſet conſtituere indiuiduum, niſi tamquam radix huius quantitatis, & hanc quantitatem vt in radice contentam concurrentem, vocare velint conditionem ſine qua non, conuenirem cum illis, & illi cum Caiet. ſi non in verbis, & in modo dicendi, ſaltem in ſenſu, ac intentione: At ſi eorum verba perluſtro, video eos aliud omnino docere voluiſſe: moueor primo, quoniam ſi intentionem hanc ſuam videbant eſſe illam Caiet. non deerant eis verba, quibus id explicarent: moueor deinde, quoniam mentem Caiet. cum propria conferunt, licet illam Caietani probabiliſsimam, valde ſubtilem, & ſatis ad aures D. Tho. dicant, poſt quam opinionem ſubnectunt modum dicendi proprium: moueor tertio, quoniam inquiunt, quantitatem non indiuiduare ſubſtantiam, immo iam ſupponere indiuiduam, ſed eſſe conditionem ſine qua non materia poſſit indiuiduare; Caietanus autem vult quantitatem vere indiuiduare ſubſtantiam modo expoſito: Quocirca, cum eos in hac propria poſitione à Caietano diſſentire videam, ipſe quoque ab ipſis prorſus diſſentio, tum quoniam parum longe tribuitur quantitati, vt dicatur tamquam conditio ſolum concurrere ad indiuiduum conſtituendum, cum tamen & Auctor, & Ariſtoteles diuiſionem numericam, quæ de neceſſitate in materia requiritur, ſi indiuidui huius debeat eſſe conſtitutiua, ſemper ipſi quantitati potiſsimum tribuant, tum quoniam ſemper Auctor dixit materiam cum quantitate eſſe indiuiduationis principium, non eſt ergo vt completum hoc principium vbique ab ipſo aſsignatum explicetur quo ad partem prinpipium, & quo ad partem conditio ſine qua non, tum quoniam ſi eatenus dicatur quantitas concurrere, quatenus eſt conditio, & tamen ab eo dicatur principium, ergo etiam approximatio combuſtibilis ad comburens poterit dici principium in igne ipſius combuſtionis, tum quoniam videtur mihi poſitio hæc ſeipſam deſtruere, ait enim, quod quantitas non indiuiduat ſubſtantiam, immo iam ſupponit indiuiduam, tunc dico ego, ſi ſupponit indiuiduam, ergo nequit eſſe conditio ſine qua non, probo, quoniam conditio ſine qua non præcedit rem, in ordine ad quam dicitur conditio, vt vox ipſa oſtendit, nam niſi hoc eſſet, illud nō fieret, niſi eſſet approximatio ſtuppæ ad ignem, non combureret hic illam, & tamen volunt iſti ſubſtantiam eſſe prius indiuiduam, & præſupponi, tunc neſcio ad quid vltra valeat requiri quantitas, vt conditio; Quod ſi dicant, (vt dicunt) requiri ad hoc, vt materia indiuiduet, ergo non præſupponit ſubſtantiam indiuiduam, vt dicunt, patet, quoniam niſi materia indiuiduet, nequit intelligi ſubſtantia indiuidua, niſi quantitas ſit in materia, nequit materia indiuiduare, ergo tantum abeſt, vt quantitas præſupponat ſubſtantiam indiuiduam, quod prærequiritur ante id, quod eandem ſubſtantiam indiuiduat.

Recentioris Thomiſtæ clariſſimi ſententia.

Non probatur varijs ex cauſis.

Natura conditionis ſine qua non.

At quis fortaſſe inſtabit, & dicet, hoc idem quod tradunt hi doctores de quantitate concurrente tamquam conditione, voluiſſe ipſum quoque Caietanum reſpondens hoc loco ad confirmationem vltimi argumenti ſecundo loco

Dubitatio ex verbis Caietani.

addu-

adductorum, ait non eſſe inconueniens,vt aliquid in prædicamento reponatur per conditionem aliquam, & hæc conditio non ſit illius prædicamenti, ait enim,quod Sortes non eſt niſi ſubſtantia, & ratio ponens ipſum in prædicamento eſt ſubſtantia, conditio autem indiuiduationis ſine qua ipſe non ponitur in prædicamento non inconuenit, quod coexigat aliquod accidens, puta quantitatem, ex quibus verbis apparet, quod quantitas interueniat, tamquam conditio, Sed qui bene verba Caietani inſpiciat, hoc ex illis non colliget, aliud eſt enim dicere, quod indiuiduatio ſit conditio ſine qua non indiuiduũ ponatur in prædicamento, & aliud eſt dicere, quod quantitas concurrat vt conditio ad indiuiduationem, poteſt enim eſſe; quod quantitas vt cauſa, vt radix concurrat ad indiuiduationem, & quod poſtea hæc indiuiduatio concurrat vt conditio reponendi indiuiduum in prædicamento; docet Caietanus hoc ſecundum, non autem, quod quantitas ſit conditio indiuiduationis, immo ait hanc indiuiduationem, hanc conditionem coexigere, hoc eſt ſimul vere exigere aliquod accidens, quantitatem ſcilicet, ſic ly *conditio* non cadit in quantitate in ordine ad indiuiduationem,ſed in ipſa indiuiduatione,in ordine ad quid in prædicamento reponendum. Adde, quod omnia argumenta, quæ militant contra eos, qui volunt materiam fieri hanc per formam, faciunt quoque contra iſtorum poſitionem, quoniam iam docent, materiam ſolam determinatam per formam eſſe principium indiuidui, ergo per iſtos iam materia determinatur,& fit hæc per formam, quod iam impugnauimus, cum res e contrario ſe habeat, & ſit nimis expreſſe contra Magiſtrum ſuum, qui ſemper dixit, formam fieri hanc per ipſam materiam, non materiam fieri hanc per formam, ſed merito dimenſionum, licet de conſequenti materia ſub hac forma ſit hæc, & limitetur, ac reſtringatur illa ſua habitudo ad plures formas, in quo ſenſu aliquando dixit Auctor materiam finiri per formam, ſed non fieri hanc; Accedit, veriſsimum eſſe, quod ijdem prima parte quæſt. 3. artic. 2. quæſtione ibi circa reſponſ. ad tertium formata in reſponſ. ad ſextum docuerunt, formam ſcilicet, ſiue actum determinare materiam, ſeu potentiam quo ad ſpeciem, materiam vero determinare formam, quo ad indiuiduum, quare materia numquam fit hæc numero per formam; Et quidem forma determinat more ſuo, hoc eſt formaliter, quare ſpecifice, materia ſimiliter more ſuo, quare materialiter, quare numerice, non enim quia materia ſit ſub hac forma, erit hæc, ſed quoniam tales habuit dimenſiones, quæ formam illam ex ſe communem reddiderunt hanc,vnde in hac propoſitione: Materia eſt hæc,quia eſt ſub hac forma,ly *quia* non dicit cauſam, ſed conſequentiam, & concomitantiam, & eſt ſenſus, materia quod ſit hæc, ideo vides, quia eſt ſub hac forma, at quod ſit hæc, habet à quantitate, quam vt radix, & fundamentum continet; quamuis enim diſtinctio quantitatiua ſit effectus formalis quantitatis, diſtinctio tamen de qua loquimur, quæ nimirum eſt fundamentum diſtinctionis quantitatiuæ, & eſt diſtinctio ſubſtantialis, indiuidualis, formarum, non formalis, non eſt à quantitate formaliter, ſed fundamentaliter, vt ex dictis patere debet, &c.

Remouetur. D.Thom. Quo pacto forma determinet materiam, & materia formam.

At vero dices,materia eſt hæc, quia habet hanc quantitatem, ſed habet hanc quantitatẽ, quia reſpicit hanc formã,non enim alia ratione diſponitur materia, niſi ob formæ receptionẽ,ergo de primo ad vltimũ ſequi videtur,& quantitatẽ, & materiam eſſe hãc,quoniam hanc formã reſpiciant,materia ſiquidẽ eſt ob formam,non forma ob materiã ex Ariſtot. 2. Phyſ. 91. ſic & vnitas, & diſtinctio materiæ erit ob vnitatẽ,& diſtinctionẽ formæ. Huic argumẽto,cui videtur ſuccu-

Difficultas. Ariſtotel.

Zimara. buiſſe Zimara in expoſitione theorematis 11. in cuius fine docet, multitudinem prouenire primo nõ à principio paſſiuo, & materiali, ſed actiuo, & formali, & per ſuam vitã adiurat, hæc non poſſe negari ab homine in via peripateticorum exercitato, occurrit optime Archangelus Mercenarius priori tomo ſuarum dilucidationum, in expoſitione illius axiomatis *Actus eſt qui ſeparat, & qui diſtinguit*, dicens vtique, & materiam, & diuerſitatem materiæ eſſe ob formam, & ob diuerſitatem formarum, tamquam propter finẽ, quoniam forma illa eſt, in cuius gratiam diſponitur materia, vt dicebatur obijciendo, & cum forma de ſe ſit apta nata vt multiplicetur, oportuit materiam in partes diuidi, ex cuius diuerſitate, forma in actu ſit multiplex; cum hoc tamen veriſſimum eſt, quod materia ſignata, prout eſt in partes diuiſa ſit tamquam ratio formalis diuerſitatis numericæ in forma, & numericæ quoque vnitatis; quamobrem, forma eſt cauſa prædictorum finalis, materia vero ſignata eſt vti ratio formalis, & profecto ſi argumentum concluderet, efficeret etiam, vt forma daret extenſionem materiæ, non autem quantitas; ſic enim arguam, materia extenditur ob formam, nam quoniam materialis forma apta nata eſt vt extendatur, ideo oportet materiam extendi, quoniam materia ob formam, ergo extentenſio ſit in materia ab ipſa forma, nulla eſt concluſio, quoniam nihil extenditur, niſi per quantitatem, ſed illud ſolum ſequitur, quod forma ſit cauſa finalis, non formalis extenſionis materiæ, ita à ſimili eſt cauſa materiæ, eiuſdem vnitatis, ac diuerſitatis in genere cauſæ finalis dumtaxat, in quæſtione autem non quæritur, propter quid, ſed quo indiuiduum ſit indiuiduum, non perſcrutatur cauſa finalis, ſed ratio formalis, &c. Ad argumentum formaliter reſpondeo, materia eſt hæc per quantitatem, tamquam ratione formali, quantitas inducitur in materia ob formam, quam reſpicit, &c. verum eſt in genere cauſę finalis, non quod formaliter merito formæ hæc ſint in materia, &c. Reſpondeo deinde ſubtilius, materia eſt hęc, quoniam habet radicaliter quantitatem, hæc quantitas eſt in materia, vt hanc formam reſpiciat, dico vt reſpiciat hanc formam, at non quæ de ſe ſit hæc, ſed quæ fiat hæc ob hanc materiam, & ob hanc quantitatem, adeo vt reſpiciat formam, non præſupponendo hanc, ſed ipſam faciendo & conſtituendo hanc.

Eum ſoluit Archangelus Mercenarius.

Alia ſolutio.

Et vt melius hæc innoteſcant, & argumenta permulta, quæ contra noſtram, ſeu Caiet. ſeu Auctoris, & Ariſtotelis ſententiam fiunt, nulla eſſe deprehendantur, ſcias quod forma non facit materiam, neque materia formam, nam vtraque ipſarum gaudet propria eſſentia, ſed dicimus, quod materia efficit formam hanc, non quod faciat & formam, & formæ ſingularitatem, ſed ſolum formam præſuppoſitam, reddit hanc, & breui dicimus, materiam non facere formam, ſed indiuidualitatem ipſi præbere, quoniam formam ſecundum ſe communem, facit ſingularem, & quando dicitur, forma ex ſeipſa habet eſſe, veriſsima propoſitio, & explicatur à Caiet prima parte, quæſt. 50. artic. quinto, & ab alijs ibidem, nam eam ibi profert Auctor, & à Medina tertia par. quæſt. 17. artic. 2. ergo de ſe eſt vna, veriſsima propoſitio, & elicitur ex quarto Diuinorum 3. vbi dicitur ens, & vnum ſe conſequi, & idem eſſe dicere homo, & vnus homo, quoniam ens, & vnum eandem dicunt naturam, ergo de ſe eſt vna numero, nego conſequentiam, & eſt fallacia conſequentis, quoniam arguitur à ſuperiori ad inferius affirmanter, patet enim ex quinto Diuinorum 12. vnum non vno modo dici, ſed quattuor, genere ſcilicet, ſpecie, analogia, & numero, non itaque valet, eſt vnum, ergo vnum numero, aliàs concluderetur, quod

Quid tribuat materia formæ.

D. Thom.
Caietanus.
Medina.
Ariſtotel.

quod & ego ſim vnus, vel ſpecie, vel genere, cum ſim vnus? Et ex hac doctrina, quæ maxime deſeruit explicationi noſtræ ſentétię innumera ſoluũtur argumẽta, & ex eiuſdẽ doctrinæ non ignoratione, cum in Ariſtotele ſit lõge perſpicua, ſed inconſideratione in hoc propoſito, arbitror pleroſque dixiſſe, formam eſſe potiſsimã cauſam indiuiduationis, cum ſit cauſa eſſe indiuidui, vnde quoniam materia non eſt cauſa talis eſſe, illam ab indiuidui conſtitutione, vel primo, vel penitus ſemouerũt, cũ tamen nullatenus dicamus, materiam cauſare eſſe indiuidui, ſed ſolum hoc eſſe, indiuiduale ſcilicet, & numericum, & ſignatum; Et quando dicitur, ſi à materia habet indiuiduum vnum eſſe, ergo & eſſe, dic ergo & eſſe tale, vnum ſcilicet, numericum, & indiuiduale, nam eſſe abſolute, prouenit à forma, quod plane materia limitat, & facit vnum numero, quod prius ex ſe erat vnum ſpecie, & ex conſequenti numero, (in materialibus) multiplicabile; Neque excrucieris, ſi in hoc indiuiduo idem ſit eſſe, & eſſe vnum numero: hoc enim nihil obſtat, quoniã in hoc eſſe, duo intuemur, & eſſe nimirum, & tali modo eſſe, & illud à forma, hoc à materia dicimus prouenire. Quale eſſe à materia habeat indiuiduum, & quale a forma.

Hinc ſpeculare, & dic, quod aliud eſt dicere, hic homo habet, quod ſit hic, & aliud eſt dicere, habet quod ſit hic homo, nam eſt hic per materiam, eſt autem hic homo per formam, non enim materia dat ei eſſe hic homo abſolute, ſed eſſe hic dumtaxat, quod enim ſub ſpecie hominis contineatur, habet à ſua natura, à forma, à ſpecie, ab humanitate, at quod ita contineatur, vt ſit vnus numero, & indiuiduum, id prouenit à materia ſignata, ſi enim hæc materia conferret Sorti, vt eſſet hic homo, cuicumque indiuiduo id conferret, ſed tribuit tantum, vt ſit hic, hic vero homo emanat à natura, & à ſpecie, quæ tamen merito materiæ in illo indiuiduo ſit hæc, & ita, quoniam de ratione materiæ eſt, vt tribuat eſſe hoc, vbicumque inuenitur, elucet tale eſſe; & iuxta hanc interpretationem adiunctam ijs, quæ proxime dicebantur poſſent forſan accipi dicta Auerrois, quæ in artic. 2. recenſebam. In hoc homine à quo ſit eſſe hic, & eſſe homo.

Id quoque te adnotare velim, quod docte loquendo in hac via Caiet. non eſt dicendum, quod ex materia, & quantitate fiat vnum principium indiuiduationis, ſed materia dumtaxat, vt præhabens quantitatem modo declarato, eſt indiuiduationis principium, ſic materia non eſt, vel prior, vel poſterior quãtitate, ſimiliter quantitas non præcedit, vel ſubſequitur materiam, licet enim nullum ſit inſtans temporis, in quo hæc materia ſit abſque hac quantitate, vel hæc quantitas ſine hac materia, tamen neque inſtans erit naturæ, nec ulla prioritas aſsignabitur, in qua materia ſit prior hac quantitate in ſe, velut in radice, & fundamento contenta, & quamuis abſolute loquendo, in aliqua prioritate videatur eſſe materia ante quantitatem, numquam tamen materia erit prior quantitate in ratione principii indiuiduationis, non quidẽ quantitate in actu, ſed in fundamento, & radice; Ita mille argumẽta cadunt deſumpta, & ex prioritate materiæ ante quantitatem, & ex his ſignis naturæ; Sed & ſi rationes deſumptæ ex his prioritatibus te infeſtant, (quæ certe in hoc negotio nullius ſunt momenti, quoniam nullum ſignum datur, in quo materia non habeat vt radix quantitatem,) dicito ſubtiliter, quod cum ex ſecundo Phyſ. 30. cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, quantitas præcedit materiam, quaſi vt cauſa formalis, eſt enim velut actus ipſius materiæ, materia vero præcedit quantitatem, quaſi in genere cauſæ efficientis, nam erit ratio, cur hæc quantitas reſultabit in compoſito; hæc autem genera cauſarum accipias ex quadam proportione, non enim materia vere efficit quantitatem, neque quantitas eſt vere for- Quomodo quãtitas præcedat materiam, & ab ea præcedatur.

re forma materiæ, ſed veluti ſubiectum continens in radice paſſiones ſuas, & ratione huius ad illas comparatur vt cauſa efficiens, (quamuis non propria actio intercedat,) & paſſiones, quæ iam pullulauerint, comparantur ad illud vt quædam formæ, & actus, ſic idem eſt prius, & poſterius in vario genere cauſæ, & hæc eſt doctrina Caietani hoc loco reſpondentis ad argumenta Scoti, excepto quod materiam vocat cauſam materialem, hoc eſt receptiuam quantitatis, quoniam ſub hac ratione eam in hac parte aſſignauit principium indiuiduationis, vt diffuſe patuit, quod nequit amplius dici, quoniam non conſideratur iam materia, quatenus huius quantitatis receptiua, ſed tamquam cauſa, & radix, ac ſubinde non velut cauſa materialis, ſed quatenus cauſa quaſi efficiens, vel ſe habens ad modum cauſæ efficientis, &c.

Caietanus.

Vlterius aduerte illud, quod ſcite admodum ſcripſit idem Caietanus hoc eodem loco, quod amplexatus eſt & Iauellus quæſtione illa 15. quinti Diuinorum, & Bannes quæſt. illa non raro memorata art. 2. quod ſcilicet materia ſignata non eſt ipſa proprietas, ſeu differentia indiuidualis, ſed potius eſt principium eſſentiæ ipſius differentiæ indiuidualis, vnde ipſa deſumitur: Quemadmodum enim anima intellectiua non eſt differentia ſpeciei humanæ, ſed eſt id, vnde differentia, hoc eſt rationale ſumitur, ita materia ſignata non eſt differentia indiuidualis, ſed id vnde ipſa differentia ſumitur; vt ita ſe habeat materia ſignata ad indiuiduum, velut ſe habet anima intellectiua ad ſpeciem hominis, & proprietas indiuidualis, veluti differentia ſpecifica; ab anima quippe intellectiua deſumitur rationale, & ipſa non eſt differentia hominis, alioquin diceretur de ipſo in recto, quod eſt falſum, & à materia ſignata deſumitur proprietas, vel gradus, vel differentia indiuidualis, & ipſa materia non eſt talis differentia, quoniam diceretur de hoc homine in recto, quod non eſt verum; & ſicut homo eſt homo duplici principio formali, & totali ſcilicet, quod eſt rationale, & partiali, quod eſt anima intellectiua, à qua vt dicebatur rationale illud ſumitur, ita hic homo eſt hic per differentiam indiuidualem, tamquam per totale quoddam denominans, per gradum ſcilicet indiuidualem, (nam & differentia ſpecifica eſt gradus ſpecificus,) & per materiam ſignatam, tamquam per cauſam intrinſecam partialem, & priorem, à qua ſumitur, & cauſatur differentia illa indiuidualis, & denique ſicut genus nequit deſcendere ad ſpecies, niſi medijs differentijs, & hæ differentiæ nequeunt adeſſe, niſi adſint formæ à quibus deſumantur, (ſic non deſcenderet animal ad hominem, niſi per rationale, quod non adeſſet abſque anima intellectiua,) ſic ſpecies nequit deſcendere ad indiuidua, niſi mediis differentiis, & gradibus indiuidualibus, & hi non poſſunt inueniri, ſi non adſit materia ſignata, vnde ſumantur; ſic nequit homo deſcendere ad hunc hominem abſque differentia indiuiduali, quæ nequit dari, niſi detur materia ſignata. Hinc in natura illa, vbi non adſit materia ſignata non poterunt eſſe plura indiuidua ſub eadem ſpecie: Ita ponentes has differentias indiuiduales, longe à Scoto diſſentimus, quoniam ille vult eas deſumendas à forma, nos à materia ſignata, ſic ille eas multiplicat abſque ordine ad materiam, vnde & in ſpeciebus abſtractis multiplicia ponit indiuidua, nos nec ponere, & multo minus multiplicare eas ſcimus, aut valemus abſque ordine ad ſignatam materiam; ita vides ipſam non eſſe totale principium, quo hic homo ſit hic, ſed partiale, non eſſe ipſam differen-

Doctrina notanda ex Caiet. & Iauello, & Bannes.

Vnde ſumantur differentiæ indiuiduales.

Diſcrimen inter Scotum, & nos in poſitione differentiarum indiuidualium.

differentiam indiuidualem, ſed id à quo deſumitur; ſic ante cuiuſuis accidentis acceſſum in Sorte potes aſſignare, quomodo ſit hic ſubſtantialiter, quoniam per indiuidualem proprietatem à materia deſumptam, ſic bene dicimus, eam eſſe non indiuiduationem, ſed indiuiduationis principium, hoc eſt, id vnde indiuiduatio, ſiue indiuidualis proprietas petitur, &c.

Denique obſerua, quod aliquo modo poteſt concedi, formam eſſe principium indiuiduationis, tum rationibus nonnullis aliorum, quæ adferebantur artic. 2. tum quoniam in genere cauſæ formalis, hæc materia ſpeciem ſumit ab hac forma, & dum hæc forma inducitur in hac materia, ipſa materia apparet nobis hæc, in quo ſenſu dici poteſt forma quaſi finis indiuiduationis, tum etiam quoniam materia quantumcumque ſignata, numquam conſtitueret indiuiduum, niſi eſſet ſub hac forma, quoniam illud eſſe vnum, quod à materia ſignata emergit, ſupponit eſſe, quod omne vt ſic eſt à forma; Quod ſi Thomiſtæ illi, quos art. 3. commemoraui nil aliud intellexiſſent, dum dixerunt formam eſſe principium indiuiduationis, tolerabilis eſſet eorum poſitio, licet impropria valde fuiſſet eorundem locutio, dum hoc attendentes, appellarunt formam principium formale, niſi fortaſſis omne proueniens à forma, & quemuis formæ concurſum, formalem velint appellare, ſed iam vidimus, quid tamquam ratio formalis ſit in ipſa forma cauſa ſuæ vnitatis numericæ, & indiuiduationis. Dixi, quod tolerabilis eſſet poſitio, nam ſatis idonea numquam erit, magnum ſiquidem diſcrimen cuique docto viro eſſe debet, vt dicat aliquid concurrere ad indiuiduationem, & vt dicat aliquid eſſe principium indiuiduationis, quamuis enim omne principium concurrat ad id, cuius eſt principium, non tamen omne concurrens ad aliquid, poteſt dici eiuſdem principium: tunc enim omnes alicuius partes eſſent illius principia, & ſic nihil haberet rationem vere principiati, ita dico, quod quamuis forma aliquo pacto ad indiuiduationem concurrat, vt patuit, numquam tamen appellari concinne poteſt principium indiuiduationis, ſiquidem hæc accidentia, exiſtentia, & alia multa ad indiuiduum conſtituendum concurrunt, quæ tamen omnia appellare indiuiduationis principia vanum penitus foret. Diſtingue igitur inter eſſe principium indiuiduationis, & inter alicuius concurſum quemcumque ad indiuiduationem, & multorum argumentorum leuitas tibi illucebit, &c.

Quo pacto poſſit dici forma principiũ indiuiduationis.

Diſcrimen inter cõcurrere ad indiuiduationem, & eſſe indiuiduationis principium.

Ita conſtare puto, quid nomine materiæ ſignatæ velimus, quid intelligamus, dum dicimus cauſare indiuiduationem, & indiuiduum conſtituere, quomodo cauſet, & non cauſet eſſe, quale eſſe, ſiue quali modo cauſet, qualem vnitatem, &c. Quare hæc ſufficiant pro explicatione veræ ſententiæ, & pro ſexto articulo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Confirmatur ſententia poſita, & hucuſque declarata.

QVod ex Auctoris ſententia, materia ſignata ſit indiuiduationis principium, nullus poteſt dubitare, neque vmquam dubitauit. Vide ipſum in hac ſententia perpetuum, vide loca mille, quibus id docet, quæ formaliter refert Capreolus in ſecundo, loco memorato, quorum etiam nonnulla recitat Dominicus à Flandria quæſt. ſua illa 22. ſeptimi Diuinorum, lege tu ipſum hoc loco, in fine huius capitis, cauſa cuius hæc quæſtio formata eſt, idipſum aperte tradit prope finem capitis ſequentis, & non longe à fine cap. vltimi huiuſmet libri, & tractatu de natura generis, ac ſpeciei ſæpius, & prima par. q.74. artic. quinto, & 3. par. quæſt. 77. art. 2. & primo cont. Gent. 21. & 44. in quarta ratione, & ſecundo eorundem 92. circa quartam rationem, & 93. & in expoſitione tex. 12. quinti Diuinorum, & tex. 8. libri octaui eorundem, & alibi perſæpe.

Capreol. Flandrien. Mul a D. Thomæ loca.

Quod etiam apud Ariſtotelem materia ſit principium indiuiduationis, poteſt non obſcure colligi ex his, quę prope finem artic. 2. adducebam, dum eorum placitum refellebam, qui huiuſcemodi principium formæ aſcribebant; proceſſus ſiquidem ille in primo de cœlo à 92. vſque ad 95. quo mundi vnitatem ex vnitate materiæ probat, nimis aperte conuincit, omnem materialis formæ numericam vnitatem ex Ariſtotelis mente in materiam eſſe reducendam, & nulla reſponſio adfertur ab aduerſarijs, vel adferri poteſt illi proceſſui, quæ vel non ſit falſa, vel ex extraneis petita, vel quæ tandem non fateatur Ariſtotelem, ſi non falſo, ſaltem improprie valde, & extra omnem artem fuiſſe locutum; Quod enim nomine materiæ acceperit formam, vt eſt exiſtẽs cum materia ſenſili, vt videtur ponere Zabarel. vltimo cap. libri ſui allegati, eſt penitus inane, cur enim rogo formam, vt eſt eſſentia vocabit formam, & eandem formam, vt dat exiſtentiam appellabit materiam? an forma vt exiſtit amiſit nomen formæ? an non magis longe elucet munus ſuum, quod eſt tribuere eſſe? Deerat forſan Ariſtoteli modus iſte loquendi, ſi illum voluiſſet? & quomodo forma vt exiſtens adeo à ſeipſa diſſentit, vt materia vocetur, & nomen induat ſibi omnino repugnans? Adde, quod forma cœli, de qua ibi loquebatur Ariſtoteles iam erat in materia exiſtens, & tamen hanc vnitatem dicit à materia prouenire, ergo eius vnitas à ſeipſa prouenit, ergo fruſtra aliunde eam inquirit, vel inquirit, quod habet. Tandem, cum forma vt exiſtens in materia ſit ipſum compoſitum, & à Zabarella vocetur materia, idem ait quod Scotus, dum multis Ariſtotelis auctoritatibus reſpondet, vt ſcilicet nomine materiæ accipiat non materiam partis, ſed materiam totius, quod & idẽ Zabarella videtur concedere, dum ait, Scoti reſponſionem non eſſe admodum diuerſam à ſua, neque ab ea diſcrepare; cum autem explicatio illa de materia totius, quæ à Scoto, & eius ſectatoribus adſertur locis Ariſtotelis, dum indiuiduationem in materiam redigit, fuerit iam penitus eliſa à viris illuſtribus de Auctoris familia, vt à Caiet. hoc loco, à Soncinenſe quinto Diuinorum quęſt. 12. à Bartholomeo Spina in defenſionibus ſuis metaphyſicalibus defenſ. 7. 24. 27. & 30. vbi euidenter oſtendit, Ariſtotelem loqui de materia partis, vt opponitur formæ,

Ariſtotel.

Reijcitur Zabarellæ intelligentia de locis Ariſtotelis.

Caietanus. Soncinẽſis. Spina.

mæ, quod etiam abunde patefecit Archan. Mercen. in duobus ſuis quæſitis, altero de indiuiduatione rerum materialiũ, altero de illa rerum immaterialium, ſuperuacaneum prorſus iudico commorari in huiuſcemodi interpretatione extirpanda, Siquidem in calce. 27. duodecimi Diuinorum, ait Ariſtoteles, *eorum quoque quæ in eadem ſpecie ſunt diuerſa non ſpecie, ſed quoniam quæ ſingularium, aliud & tua materia, & forma, & quod mouit, & forma, & mea materia*: loquitur ergo de materia, vt cond ſtirguitur à forma, ergo de materia partis, nam illa totius clauditur in forma, ergo idem ſemel, & iterum in duobus verbis repetiſſet; ſimiliter ſeptimo eorundem vltimis verbis tex. 28. dicebat, generans generare diuerſa ob materiam, & explicans quid nomine materiæ accipiat ait, *tota vero iam talis forma in his carnibus, & oſſibus*, carnes vero, & oſſa non ſunt materia totius, ſed ex qua, & partis; volebat quippe ibi probare Ariſtoteles, non eſſe neceſſarias ideas ob generationem ſubſtantiarum materialium, & rationem adſerebat, quoniam generans eſt ſufficiens cauſa, vt materiam diſponat, ex illa formam educens, vnde fit compoſitum; conſidera tu, qualis ſit illa materia, quam diſponit generans, & ex qua educitur forma, an partis, an totius, & videbis de qua materia loquatur, &c. Sed & context. totus 25. decimi eorundem, vbi mouet quæſtionem, cur mulier à viro non differat ſpecie, & longo ſatis diſcurſu ibidem eam definit, clare nimis patefacit, omnem diuerſitatem numeralem in materiam ab ipſo reduci, & in illa partis, cum ibidem ſimiliter, & loquatur de materia vt condiſtinguitur à forma, aſſerens formam eſſe cauſam diſtinctionis ſpecificæ, & abſolute nomen materiæ proferat, hoc ſatis ſuperque ſignificans ſe loqui ſemper de illa materia, de qua locutus eſt, de ea ſcilicet, ex qua aliquid fit, vnde & adſert exemplum de carnibus, & oſſibus, &c.

Mercenarius. Contra Scoti ſenſum de locis Ariſtotel.

Tandem, ne mille Ariſtotelis loca quæramus, in quibus indiuiduationem, & numericam diuerſitatem materiæ tribuit, ſufficiat ille tex. omnium famoſiſſimus, ex quinto Diuinorum 12. (quamuis, & 49. duodecimi eorundem ſit manifeſtiſſimus;) vbi ex profeſſo tractans de vnitate, & varios vnitatis modos definiens, aperte dixit, illa eſſe vnum numero, quorum materia eſt vna; Et quoniam ea quæ dicunt nonnulli ad hanc auctoritatem, & definitionem, quod ſcilicet, vel loquatur de vno per accidens, vel quod vnum numero definierit non per cauſam, ſed per aliquid eius proprium, indigna prorſus mihi videntur, quæ Ariſtoteli aliquid de induſtria definienti tribuantur, & pari ratione poſſet dici, quod definierit vnum ſpecie, & analogia per accidens, vel per quid proprium, non autem per cauſam, & ſic adhuc in Ariſtotele deſideraremus cauſam ſimilium vnitatum, & quæ per ſe ſint illis modis vnum, & quod ſic pulchre in prima philoſophia Ariſtoteles definiret, quæ omnia fatua ſunt; quoniam etiam ſimiles reſponſiones alijs de cauſis, & optimis iam à Mercenario priori quæſito relato repulſæ fuerunt; adduco dumtaxat quid nouiſſime Zabarella præfatæ auctoritati dicat.

Mercenarius.

Inquit igitur in principio illius vltimi capitis, non eſſe ibi Ariſtotelis inſtitutum exprimere æquatam rationem ſingularitatis; ſed ſolum propriam conditionem vnitatis numeralis, vt à ſpeciei vnitate diſtinguitur, licet enim (inquit) cauſa vnitatis numeralis ſit forma, quoniam tamen eadem eſt etiam cauſa vnitatis ſpecificæ; non poterat Ariſtoteles eandem adſerre vt cauſam vtriuſque vnitatis; quare attulit conditionem illam, quam forma requirit ad exiſtendum,

Quid cogitauerit Zabarella circa deſcriptionẽ vnius numero traditam ab Ariſtotele.

exiſtendum, materiam ſcilicet, quoniam formā non facit vnum numero, niſi vt exiſtens,& hoc ſubdit ſe oſtendere argumento manifeſtiſſimo,nam à nobis petit,quomodo in illa definitione accipiat Ariſtoteles materiam vnam,an ſcilicet priuatiue, an vero poſitiue, non priuatiue, quoniam hoc modo materia nullum indiuiduum conſtituit, ergo poſitiue, ſed poſitiue materia fit vna per formam, quare &c.

Multis reijcitur.

Sed multa in hac reſponſione veniunt damnanda,voluntarium enim,& cōmentitium primo eſt dicere,non intendere ibi Ariſtotelem exacte definire ea, quæ ſunt vnum numero,tum quoniā hoc nullus hactenus expoſitor dixit,tum quoniam ex Ariſtotelis diſcurſu colligitur oppoſitū,nam diffuſe per ſex totos cōtextus ibi,à ſeptimo vſque ad 12.omnes vnitatis modos,& per ſe,& per accidens explicat, cur ergo hoc vnum reijcitur, vt ſcilicet non ſit eius conſilium exacte adferre æquatam rationem ſingularitatis? tum quoniam ſic de reliquis vnitatis modis licebit cuique dicere, & ita vnitatem nullam æquate attuliſſet,vbi longū ſermonem de quibuſuis modis Vnius contexit,tum tandem quoniam nullibi vere,& per ſe definiſſet quæ ſint vnum numero,nullibi enim eo modo definiuit vnum numero,velut vir iſte accipit.Illud deinde improbabit quiſque in hoc auctore,dum videat illud aſſerere,quod ipſemet dicit Ariſtotelem dicere non potuiſſe, quod igitur non potuit Ariſtoteles, poteſt Zabarella,iam enim formā vtriuſque vnitatis,& ſpecificæ ſcilicet,& numericæ cauſam adfert;Sed interrogo virum iſtum,ſi forma ſit cauſa vnitatis numericæ,& ſpecificæ, & primo Ariſtoteli occurrit forma, vt eſt cauſa vnitatis numericæ, quam vt eſt cauſa ſpecificæ,quoniā primo definit ea quæ ſunt vnum numero, quam ea quæ ſunt vnum ſpecie,cur queſo formam ſibi primo occurrenté non primo exprimit,& ſi velit auferre occaſionem errandi,non potius tacet formā in ſecunda vnitate,quā in prima? An non clare poterat dicere,formam in materia eſſe cauſam vnitatis numericæ, & formam deinde vt ſic eſſe cauſam vnitatis ſpecificæ?Quæ occaſio erat iſta erroris?Occaſioné ne errādi præbet Zabarella,dum hæc tradit,& inculcat? Certe quod in definitione alicuius concurrant duo,alterum vt ratio,alterum vt conditio, & illa taceatur, hæc exprimatur,indignū penitus quiſque iudicabit. Vanum quin etiā eſt eiuſdé argumentum,& inanis illa petitio; Verum quidem eſt materiam vnā poſitiue eſſe cauſam vnitatis numericæ,at fit vna poſitiue per diſpoſitiones, per accidentia, & potiſſimum per quātitatem,& cum forma,& diſpoſitiones ſint in materia, hæc non accipit vnitaté vt ſic à forma,ſed à diſpoſitionibus,immo ex hoc probatur materia eſſe vna ante formam, quoniā antequam forma in ipſa inducatur, merito diſpoſitionū,quæ in illa præceſſerunt,non amplius erat communis,ſed vna,& tamen non intelligitur aduentaſſe forma,&c.Denique cum modus iſte dicendi,quod forma vt exiſtens in materia ſit cauſa vnitatis numericæ coincidat cum poſitione Scoti, quoniam forma in materia eſt illa entitas poſitiua, (non dico Scotum conuenire cum Zabarella in poſitione principij indiuiduationis,ſed in explicatione locorum Ariſtotelis,) & iam Scoti explicationem de materia illa totius impugnatam reliquerim,non eſt cur vlterius in reijcienda hac Zabarellæ inuētione circa definitionem Vnius laborem. Vnde maneat, vere Ariſtotelem definiſſe ea quæ ſunt vnum numero, per vnitatem materiæ partis, &c.

Per quid fiat materia poſitiue vna.

Alexāder.

Ariſtotelem ſecutus eſt Alexander Aphrodiſæus lib. primo de anima capitulo 24.vbi ait,certum eſſe,ſingularium hominum differentiam à materia proficiſci,

ficiſci,& cauſam ſubdit,quoniam formæ per quas ſunt homines nullam inter ſe habere differẽtiam cernũtur,& duodecimo Diuinorũ circa 39.ait,eum qui hominis formam abſque circunſtantijs materialibus accipit, hominem communem habere, quoniam ſingulorum inter ipſos differẽtia à materia fit,& inferius ſuper 49.inquit,quod in ijs quæ ſpecie eadem ſunt,at numero diuerſa, diſcrimen à materia contingit,ſicut dicit licere notare in ſingulorum hominũ differentia,quam proculdubio à materia obtinent,vbi clare nimis,totam cauſam eſſe huius,& illius,& ab inuicem diſtinctionis materiæ tribuit,formæ autem communitatem,& vniuerſalitatem. Themiſtius etiam 94. primi de cœlo ait,plures homines eſſe,quoniam plures materiæ eorum exiſtunt,quod ſi quis vniuerſam hominum materiã congregaret,& eam vnam ſtatueret, vnus tantũ ex ea homo conſtitueretur, vbi euidenter diuerſitatem, ac vnitatem formæ, diuerſitati, ac vnitati materiæ aſcribit; Idipſum colligitur ibidem ex Simplicio,vt adducebatur prope finem art.2.veluti dicebatur etiam de Alberto magno locis ibi memoratis,ſed potiſſimũ cap. illo 3. tract.2.lib. 1.de Intellectu, & Intelligibili dicit manifeſte,indiuiduũ eſſe indiuiduum per materiam,quod & in cap. 2.præcedenti maniſeſtiſſime dixerat,& demum vndecimo Diuinorũ tract.primo cap. 7.parum ab initio inquit, materiam eſſe primum principium indiuiduationis,quod etiã ſcripſit Alenſis in expoſitione 12.quinti Diuinorũ. Ita omnes Auctoris alumni docuerunt,ita ex recentioribus Archan.Mercenarius quæſtione ſua citata, vbi dilucide admodum patefacit Ariſtotelem hoc ſenſiſſe, & tandem Flaminius Ciconia Vincentinus libello ſuarum quæſtionum naturalium, quæſt. vltima Auctori hac in re adhæſit.

Themiſt.

Simplic.

Albertus magnus.

Alenſis.

Mercenar.

Flaminius Ciconia.

Rationibus quoque poteſt hæc noſtra poſitio muniri,ſicut eam muniuit Caiet.in præſenti parte,& alij ſcholæ Thomiſteæ duces,ac patroni locis varijs iã in hac quæſtione expreſſis,hinc non eſt cur ad longum in huius poſitionis cõfirmatione detinear. Adde,quod cum nullum accidens ex ſe poſſit eſſe indiuiduationis principium, vt ex tota hac quæſtione quammaniſeſtiſſime apparet, neque forma ipſa,vt probatũ eſt,ſupereſt,vt hoc tribuatur materiæ. Quare duplici ratione confirmo hanc quam ſequor ſententiam,& prima ea ſit: Illud eſt principiũ indiuiduationis,quo primo poſito ponitur indiuiduatio, & quo primo ablato aufertur,patet hæc propoſitio ex Ariſtotele ſecundo de anima nono,& ex interpretibus cõmuniter addẽtibus, & bene ly *primo*, ſed poſita ſignata materia,ponitur primo indiuiduatio, ablata aufertur, ergo &c.probatur minor,quoniam poſita forma, non ponitur indiuiduatio,cum forma de ſe ſit communis,ſed poſita materia ſignata, ſtatim adeſt indiuiduum,neque enim quid ſub hac materia exiſtens,poteſt alijs fieri commune, vel à ſeipſo diuidi, vel dici de ſubiecto,vel in ſubiecto eſſe, quæ omnia conſtituunt indiuiduum, vt ſciunt omnes, neque eſt verum, quod poſita forma,primo ponatur indiuiduum,nam ponitur forma gratia exempli humanitatis,& non ponitur indiuiduum, ſed ſpecies,vt patet; Quod ſi dicatur, poſita forma exiſtente,primo poni indiuiduum, vt dixit Zabarella, huic rationi reſpondens in calce poſtremi cap.illius libri,ob hoc non tollitur ratio, nam forma exiſtens eſt in hac materia,& quoniam eſt in hac materia,ideo eſt vna,in cuius rei ſignum, numquam ſit vna numero,niſi dum eſt in materia, quod ſi ex forma vt exiſtente vult deſumi indiuiduationem,iam potius ex exiſtentia foret deſumenda,ſed prius intelligitur forma hæc,quam exiſtentiam tribuat compoſito,& hæc reddita fuit ab hac materia, vt latius in ſuperioribus probatum eſt, &c.

Prior ratio probans materiam ſignatam eſſe principiũ indiuiduationis.

Defenditur contra Zabarellam.

Poſterior ratio.

Ariſtoteles

Arguo ſecundo, Pluralitas materiæ eſt cauſa pluralitatis numeralis, ergo vnitas materiæ eſt cauſa vnitatis numeralis, antecedens, & conſequentia patent ex Ariſtotele textibus illis primi, de cœlo, vbi omnem pluralitatem, & vnitatem numericam aſcribit vnitati, ac pluralitati materiæ, quod & Græci illi interpretes ſummo ſemper in honore apud omnes habiti docuerunt, &c.

Achillinus

Zimara.

Zabarella.

Sed quoniam hoc argumentum mihi conuincens apparet, ideo illud magis explico, antecedens quippe à quibuſdam aduerſariorũ conceditur; Achillinus namque primo illo de elementis, & cap. illo 26. dum reſpondet ad primum, & Zimara in tabula verbo *materia*, (ad quod citat & Auerroem dupliciti in loco,) & Zabarella capite quarto illius libri frequenter nominati docent, materiam eſſe cauſam pluralitatis, ac diſtinctionis numeralis, ſed non vnitatis, huius enim volunt formam eſſe cauſam, quare ex horum ſententia ita eſt dicendum, Illa ſunt diuerſa numero, quorum materiæ ſunt diuerſæ, illud eſt vnum numero, cuius forma eſt vna, adeo vt admiſſo antecedente huius argumenti, negent collectionem, ego vero eam probo, & auctoritate Ariſtotelis, & ratione, auctoritas Ariſtotelis clara eſt, & iam à nobis defenſata, aperte namque dicit, ea eſſe vnum numero, quorum materia eſt vna, hinc nedũ diuerſitatem, ſed & vnitatem numericam ad materiam redigit, ratio quoque euidens eſt, quoniam eodem principio quo plurificato plurificatur res, ſi ipſum non plurificetur, remanet vna, at ſi multiplicetur materia, multiplicantur indiuidua, & materia eſt cauſa huius multiplicationis, ergo ſi non multiplicabitur materia, remanebit indiuiduum vnum, & cauſa huius vnitatis eſt materia; Certe in cauſis proprijs, & præciſis, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis, ſed affirmatio multiplicationis materiæ eſt cauſa multitudinis indiuiduorum, ergo negatio huius multiplicationis, quæ erit vnitas materiæ, erit cauſa non multitudinis, & ex conſequenti vnitatis ipſius indiuidui; Neque quicquam obſtat motiuum Zabarellæ ibidem, quando ait materiam eſſe imperfectiſſimam, atque ideo non poſſe eſſe cauſam vnitatis, falſum enim eſt, quod materia ſignata ſit tantæ imperfectionis, vt non poſſit numericam vnitatem modo declarato cauſare, quamuis materia vt ſic maximæ ſit imperfectionis, &c.

Aquarius.

Bannes.

Et hæc ſint ſatis, vt probetur materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis; Quod autem Caie. explicatio de hac ſignata materia apta ſit, & idonea, poteſt, ac debet quiſquis colligere ex ſufficienti diuiſione omnium viarũ, quibus explicatur hæc ſignatio, quæ omnes impugnatæ ſunt, patet ex eius declaratione, pateat etiam vtcumque ex auctoritate recentiorum Thomiſtarum, qui accurate conſiderantes modum, quo materia ſignata concurrit, & varios animo recolentes materiæ ſignatæ intellectus, explicationi Caiet. manus dederunt, velut Aquarius, & Bannesius locis memoratis, pateat demum hac dupliciti ratione, quarum vtraque ex Caiet. colligitur; Et prior quidem ex inſinuatione habita eſt, quando confutabam explicationem Capreoli, & Ferrar. Eodem nimirum aliquid in hoc eſſe conſtituitur, & ab alijs diſtinguitur, ſed per materiam ſignatam Sortes conſtituitur in eſſe incommunicabili, vt etiam alij Thomiſtæ concedunt, & docent, ergo eadem materia ab alijs indiuiduis diſtinguitur, & ſic non eſt cur ponatur aliqua quantitas actu ad diſtinguendum hoc indiuiduum ab alijs.

Prior ratio pro explicatione Caiet. de materia ſignata.

Quomodo ei occurratur à Ferrarienſe.

Huic rationi Ferrar. primo cont. Gent. cap. illo 21. dupliciter occurrit, &

primo

primo negat maiorem, dicens propoſitionem eſſe falſam de diſtinctione materiali, & indiuiduali, quicquid fuerit de formali, & ſpecifica, & ſubdit rationem, quoniam per hanc materiam diſtinguitur indiuiduum à ſpecie, quoniã natura eſt communicabilis, indiuiduum incommunicabile, ſed per quantitatem materialiter ab alio indiuiduo diſtinguitur, Sed hæc reſponſio voluntaria, falſa, & inſufficiens eſt, voluntarie ſiquidem excipit vniuerſalem illam à materiali diſtinctione, & infirmum reddit illud axioma, quod colligitur ex ſeptimo Diuinorum 49. Omne alicuius conſtitutiuum, eiuſdem quoque ab alijs eſſe diſtinctiuum; adde quod idem auctor quarto con. Gent. 14. ad primum Scoti reſpondens, concedit, & docet propoſitionem illam veritatem omnino habere in rebus abſolutis, negat autem illam in rebus relatiuis, modo autem ſumus in rebus abſolutis, quare inter alios huius reſponſionis defectus, adeſt & iſte, vt proprio auctori contradicat, demum id pro reſponſo affert, quod docet, ait enim non valere illam propoſitionem; quoniam per materiam indiuiduum fit hoc, & per quantitatem ab alijs diſtinguitur, ſed hoc eſt quod impugnatur; falſa deinceps eſt, quoniam iam in ſua ſententiæ impugnatione explicatius aperui, implicationem eſſe, vt aliquid ſit hoc, & incommunicabile, & quod ex eodem ab alijs non dicatur diſtingui, & dum dicit indiuiduum differre à natura per materiam, quoniam per hanc eſt incommunicabile, ergo & per hanc ab alijs differt, pugnat enim, quod aliquid ſit incommunicabile, & non à quouis alio diſtinctum; inſufficiens poſtremo eſt, quoniam dato, quod quantitas diſtinguat hoc ab illo quantitatiua, & accidentali diſtinctione, nos inueſtigamus de ſubſtantiali, non quidem formali, ſed formarum, quam fieri non poteſt vt quantitas cauſet, vt demonſtraui, & vt ipſi concedunt, fatentur enim, quantitatiuo per quantitatem indiuidua differre, &c.

Reijcitur reſponſum Ferrarienſis.

Reſpondet ſecundo, quod non per materiam ſolam, ſed per materiam cum quantitate indiuiduum fit hoc, &c. nos quoque hoc docemus, ſed non per materiam, vt eſt ſubiectum, ſed vt radix, ac fundamentum quantitatis.

Secũda ratio.

Poſterior ratio eſt, quam adumbraſſe videtur Caiet. p. p. q. 76. art. 1. circa reſpon. ad ſecundum. Idem eſt iudicium de eſſe rei, & de eius vnitate, vt ibidem colligitur ex Auctore, ſed indiuiduum non eſt indiuiduum quantitate formaliter, ſed ſubſtantia, ergo neque vnum numero, neque diuerſum numero formaliter quantitate, ſed ſubſtantia, ergo non eſt ponenda quantitas actu in materia, ad hoc vt differat ab alijs indiuiduis, quoniam per ſuam ſubſtantiam differt. Reſpondet Ferrarien. ibidem, quod ſi hæc ratio concluderet, concluderetur vnitas tranſcendens eſſe eadem cum vnitate numerali, vt placitum fuit Auicennæ, contra quem arguit Auctor quarto Diuinorum tertio, lect. ſecunda. Hoc autem probat, quoniam ſi idem ſit iudicium de vnitate, & entitate rei, cum Sortes ſit ens entitate ſua, erit quoque vnus numero entitate ſua, ergo vnitas numeralis eſt eadem cum ſua entitate, & ſic vnitas numeralis, & tranſcendens erunt idem, quoniam vnitas tranſcendens nihil aliud eſt, quam eſſentia rei cum indiuiſione. Sed vim argumẽti (parcat mihi vir ſapientiſſimus) non attigit, non enim voluit Caiet. idem eſſe iudicium de re, & de eius vnitate numerali de genere quantitatis, ſatis enim nouerat, quod per entitatem ſuam vnumquodque eſt ens, & per quantitatem eſt vnum vnitate quantitatiua, ſed id voluit, vt ſit idem iudicium de re, & de eius vnitate numerali ſubſtantiali, ſic non ſequitur incommodum à Ferrarien. adductum, licet enim Sortes ſit ens

Quomodo eſt ſoluere conetur Ferrarienſis.

Defenditur ratio illa.

entitate ſua, non eſt tamen vnus numero de genere quantitatis per ſuam entitatem, ſed per quantitatem, ſic non ſequitur, vnum de genere quantitatis eſſe idem cum vno tranſcendenti; Eſt tamen vnus vnitate numerali ſubſtantiali per ſuam entitatem, iam enim art. 6. probaui eſſe vnitatem numeralem in genere ſubſtantiæ, quam vnitatem tranſcendentem video, conuertibilem ſcilicet cum re, cuius eſt vnitas, & eandem re naturam, quamuis ratione diſtinctā dicentem, niſi fortaſſis in hoc vis fiat, vt tranſcendens vnitas ea eſſe debeat, quæ omnino excedat quantitatem, ſeu quantitatis genus, & nullum ad illam ordinem dicat; Vnitas vero hæc ſubſtantialis de qua loquimur, ordinem dicit ad quantitatē, vtpote eius fundamētum exiſtens, cum nequeant eſſe ſubſtātiæ materiales ſine aliquo ordine ad quantitatem, vt prædeclaraui eodem ſexto art. & proinde nequeat hæc vnitas vocari tranſcendens; pulchrè nimirum docebat Auctor quæſt. diſputatis de Potentia, quæſt. nona prope finē ſeptimi art. quod illud vnum, quod genus quantitatis omnino excedit, eſt vnum tranſcendens, veluti & diuiſio; & multitudo, illud vero vnum, quod genus quantitatis non tranſcendit, eſt vnum de genere quantitatis, ſic diuiſio, ſic numerus, ſic multitudo. Hinc alterum duorum aſſerendum eſt, vel quod dentur tres numeri, & ille ſcilicet de genere quantitatis, & ille de genere ſubſtantiarum materialium, & ille qui eſt tranſcendens, vel quod numerus de genere ſubſtantiarum materialium vt ſubſtantiæ ſunt, ſit numerus tranſcendens, & cū primum valde nouum ſit, & entium multiplicitatē ſine neceſſitate admiſceat, eligo ſecundum, & dico numerum de genere ſubſtantiarum materialium eſſe formaliter numerum tranſcendentem; & dico formaliter; quoniam ſcio eſſe fundamentum numeri quantitatiui; ita vt nomine numeri tranſcendentis accipiam omne illud, quod non eſt numerus formaliter de genere quantitatis, qui excedet genus quantitatis formaliter, cum ſit in genere ſubſtantiæ, licet & ordinem fundamenti dicat ad illum, qui eſt de genere quantitatis.

D.Thom.

Quod numerus de genere ſubſtantię detur.

Hunc autem numerum de genere ſubſtantiæ aſſignari debere, & in ſuperioribus probaui; & res ipſa conuincit, quoniam verum eſt dicere, hanc ſubſtantiam eſſe vnam vnitate ſubſtantiali; plures ſubſtantias eſſe decem; eſſe centum, &c. Ex Auerroe quoque mille in locis, quæ ſi non habes, vide in tabula Zimaræ verbo *vnum* aperte colligitur, in omnibus generibus eſſe vnum de vnitate illorum generum; lege inter alia ipſum ſuper tertium quarti Diuinorum, & ſuper octauum decimi eorundem. Auctor etiam non raro docet, vnamquamque rem eſſe vnam per ſuam eſſentiam, vt prima parte, quæſtione ſexta, articulo tertio ad primum, & quæſt. 11. art. quarto ad tertium. Et quidem vt ſæpe arguunt Auctor, & Auerroes contra Auicennam, præcipue ſuper illum tertiū quarti Diuinorum, ſi res eſſet vna per aliquid additum ſuæ naturæ, tunc nihil eſſet vnum per ſe, & per ſuam ſubſtantiam, ſed per rem additam ſuæ ſubſtantiæ, & tunc eſt quæſtio de re illa addita, an ſit vna per intentionem additam, & de illa redit quæſtio, & pergitur in infinitum. Idem quoque Auctor quæſt. diſp. loco citato ad tertium inquit, in rebus creatis terminos numerales non ponere aliquid ſuperadditum rebus, de quibus dicuntur, niſi prout ſignificant id quod eſt in genere quantitatis diſcretæ. In omnibus ergo rebus, & in omnibus generibus erunt propriæ vnitates, abſque illa de genere quantitatis, ſed vnitates quæ conuertentur cum rebus, quarum erunt vnitates, ac proinde tranſcendentes, cum quantitatis genus excedant, non autem ita tranſcendentes, vt circuant omnia genera, cum in

Auerroes.

Zimara.

D.Thom.

quouis

quouis genere propriæ ſint vnitates, velut in quauis cathegoria propriæ ſunt naturæ. Hinc quando dicebam, ſi numerus alius ponatur à tranſcendente, & ab illo de genere quantitatis, multiplicarentur non neceſſario entia, id volui, quod omnem numerum alium à quantitate vocemus tranſcendentem, non quod in vnoquoque genere non ſit proprius numerus, qui cum ſuis naturis conuertatur. Tandem Paulus Soncinas quæſt. 15. decimi Diuinorum Soncinas. inueſtigans, num in rebus materialibus tantum inueniatur numerus, ſub initium quæſtionis ait, multitudinem reperiri non tantum in quantitatibus, ſed & in omni genere, nam verum eſt dicere, iſtos colores eſſe decem, iſtas ſubſtantias eſſe viginti, immo ipſamet prædicamenta, quæ prædicamento differunt ſunt decem; Cum igitur ſubſtantiæ cathegoria ſit vnum genus, & omnium nobiliſſimum, & aliorum cauſa, profecto erit in illo ſua vnitas ſubſtantialis, & numeralis abſque illa quantitatis, quamuis in materialibus ſubſtantijs, illa ſit huius fundamentum, & ſimiliter numerus ille, ac diſtinctio, fundamentum numeri huius, ac diſtinctionis.

Eſt itaque firmum argumentum Caiet. quod ſi Sortes ſit ens entitate ſua, ſit quoque vnus numero vnitate ſubſtantiali, entitate eadem formaliter, non autem vnitate quantitatiua, niſi fundamentaliter, hoc eſt, vnitas illa ſubſtantialis, qua eſt vnum ſubſtantialiter, & formaliter, eſt fundamentum quantitatiuæ diſtinctionis. Ea propter ſemper Caiet. in hoc poſteriori argumento addidit ly *formaliter*, quoniam ea eſt ſua mens, quam expoſui. Multos autem in hoc negotio de Vno falli contingit, quoniam ſtatim vt audiunt vnum, putant illud eſſe de genere quantitatis, & tamen res aliter ſe habet; error autem ex Vnde multorum deceptio. eo prouenit, quoniam vt bene dicebat Auerroes com. 37. duodecimi Diuino- Auerroes. rum, famoſior ſignificatio vnius eſt, dum dicitur de continuo, non eſt autem vniuerſalis, aliàs nihil eſſet vnum, niſi quod continuum, niſi quod quantum, ita hic color non eſſet vnus, ſubſtantiæ abſtractæ non gauderent vnitate, Deus non eſſet vnus, quæ omnia ſtulta ſunt; ſed id ſequitur ſolum, quod in his nominatis non ſit vnum de genere quantitatis, non ſit vnum principium numeri de illo quantitatis genere. Contingit ſimiliter eos decipi, quoniam cenſent omnem numerum eſſe de genere quantitatis, & tamen patefeci in vnoquoque genere proprium adeſſe numerum, ſic videtur deceptus Ferrarienſis, quando arguens contra Caiet. dicebat, ſi Sortes eſt ens entitate ſua, ergo vnus numero entitate ſua, ergo vnitas numerica, & vnitas tranſcendens erunt idem, cuius contrarium vult Auctor arguens contra Auicennam; ecce quod ſtatim nomine vnitatis numericæ, accepit illam de genere quantitatis, hoc enim tantum Auctor arguit contra Auicennam vt patet, ait enim, D.Thom. quod nequit fieri, vt vnum quod eſt determinatum ad certum genus quantitatis, conuertatur cum omni ente, & eſt arguere à ſuperiori, ad inferius affirmanter, dum dicitur numerus, ergo eſt de genere quantitatis, nam ſtat, quod ſit de genere ſubſtantiæ; Hinc ſapienter vt ſemper Auctor quæſt. illa de Potentia art. 5. ad octauum, licet videat numerum de genere quantitatis locum non poſſe habere in diuinis, non ideo tamen quemcumque numerum inde remouet, quod tamen neceſſario foret faciendum, ſi nullus alius daretur numerus ab illo, ſed ait, in diuinis eſſe multitudinem, quæ opponitur vni, quod conuertitur cum ente, quæ multitudo cauſatur ex diuiſione formali, & tamen numerum inquit ibi eſſe; idem docet prima par. quæſtione 30. art. 3. ad ſecundum, & quæſt. 50. art. 3. ad primum eundem numerum ponit in

angelis,

Angelis, quare falſum eſt, numerum omnem eſſe de genere quantitatis, &c. Auicennas quin etiam tertio Metaphyſicæ in fine cap. 2. ſcribebat, vnum pariſicari cum eſſe, quoniam dicitur de vnoquoque prædicamentorum, ſicut ens, & primo eiuſdem ſcientiæ cap. 4. verſus finem dicit, numerum inueniri in rebus ſeparatis, & in rebus naturalibus, &c.

Sed & hæc omnia, quæ adduxi videntur mihi concedi, immo & edoceri ab eodem Ferrarienſe ibidem, dum enim dat ſecundo reſponſum huic eidem argumento Caiet. ait, quod Sorti duplex vnitas conuenit, altera tranſcendens, altera de genere quantitatis, & fatetur quod eo modo, quo aliquid habet eſſe, habet vnitatem abſolutam, & tranſcendentem, non autem quantitatiuam, ita Sortes, quoniam eſt ens entitate ſua, ideo eſt quoque vnus entitate ſua, vnitate tranſcendente, non quantitatiua, quod ipſum volumus & nos, at putauit Ferrarienſis voluiſſe Caiet. vt Sortes haberet vnitatem quantitatiuam formaliter per ſuam ſubſtantiam, quod non eſt verum, ſed ſolum fundamentaliter, nam per ſuam ſubſtantiam, vnitatem obtinet ſubſtantialem formaliter, quæ vnitas in ſubſtantijs materialibus vt non ſemel dictum eſt, fundamentum eſt vnitatis de genere quantitatis. At cum Ferrarienſis ſubdat ſe loqui de vnitate quantitatiua, non eſt cur in hoc ſit diſputatio, tum quoniam quærimus de vnitate numerali ſubſtantiali, tum quoniam damus & nos, per quantitatem Sortem eſſe vnum de genere quantitatis formaliter, licet hæc vnitas pendeat à ſubſtantiali, tamquam à radice.

Quid cenſuerit Ferrarienſis.

Qua via aliquid eo modo quo habet eſſe, habeat & vnitatem.

Eſt igitur verum, quod eo modo quo Sortes habet eſſe, habet & vnitatem reſpondentem illi eſſe, ita concedit, ita docet Ferrarienſis, ſed habet eſſe per ſubſtantiam ſuam, ergo & vnitatem ſubſtantialem per ſuam ſubſtantiam, quod vult Caiet. in ſuo argumento, quod volumus nos, quod oſtendere conati ſumus, eſt quoque verum, quod quoniam Sortes habet eſſe quantum per quantitatem, eadem quantitate habet vnitatem reſpondentem illi eſſe, vnitatem inquam de genere quantitatis, quod numquam negauit Caiet. at de tali eſſe, de tali vnitate non eſt quæſtio, ſed de ſubſtantiali, quæ ſanè entitas, & vnitas, quantitatem in actu, & formaliter non admittit, vt nimirum per ipſam aliquid de genere ſubſtantiæ ſit vel ens, vel vnum, quæ erat ratio Caiet. &c.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Mouentur dubia contra factam determinationem, & remouentur.

Capreol. Caietanus. Soncinēſis. Bannes.

Nihil eſt, quod multas dubitationes adducam, tum quoniam omnia ferè argumenta difficiliora aduerſariorum, & quæ opiniones contrarias firmare, & quæ noſtram infirmare videntur, optime iam, & egregie à Capreolo confutata fuerunt loco ſæpe in hac quæſtione allegato, & a Caiet. in hac parte, & à Soncinate quæſt. relatis ſuper ſeptimum Diuinorum, & à Banneſio locis pluries repetitis, & ab alijs viris omni nomine eruditiſſimis, tum quoniam duodecim argumenta & nos ſeq. art. diſſoluemus, tum demum, quoniam ea huc uſque fundamenta iacta ſunt in quæſtionis proceſſu, & præcipue art. 6. vt non ſit admodum operoſum ijs occurrere, quæ obijci forſan poſſunt.

Idque primo præmitto, quod nullum argumentorum illorum, (quæ multa eſſe non me fugit) adfero quod probet neque quantitatem de ſe, neque no-

materiã de ſe indiuiduationis cauſam ſufficientem eſſe, hoc enim docemus & nos, & clare elicitur ex noſtrâ poſitione, dum enim aſsignamus materiam ſignatam, id volumus vt neutra ex ſe id poſſit efficere. Similiter nullum argumentum adduco ex ijs, (quæ prope in immenſum congeri ſcio,) quibus impugnatur noſtra ſententia ex illo capite, quod tota latitudo prædicamẽti ſubſtantiæ ſit prior quantitate, & ab illa nullatenus pendeat, iam enim aperuimus, ex noſtra poſitione nullatenus id ſequi; vel altera via amplectatur, à nobis quoque inſinuata ar. illo 6. vt ſcilicet dicatur eſſe quidẽ inconueniens, ſubſtantiam vt ſic includere accidens, at de ſubſtantia ſenſibili, & materiali id nedum non dedecet, ſed & neceſſarium eſt modo declarato, iuxta rationes allatas, & auctoritates virorum grauium, & præſertim magni Alberti; vel eligatur modus dicendi Capreoli, & Soncinatis, quo defendunt & bene materiam cum quantitate non eſſe ens per accidens, neque indiuiduum, quod conſtituitur in eſſe indiuidui ex illis, vt patuit art. 3. vel tandem acceptetur modus loquendi Caiet. hoc loco, dum ad confirmationem vltimi argumenti eorum, quæ à loco adduxit reſpondet, dicendo videlicet, abſonum non eſſe, vt aliqua conditio ſine qua indiuiduum non reponitur in prædicamento coexigat res alterius generis; illud autem inconcinnum foret de re in prædicamento repoſita, & de ratione reponendi, indiuiduatio autem eſt conditio ſine qua non reponitur Sortes in prædicamento, vt art. 6. vidimus, & omnes hæ viæ reſpondendi aptæ ſunt, at iuxta poſitionem noſtram de quantitate nimirum, vt in radice in materia incluſa, & ſubtilius, & formalius, & conformius noſtræ determinationi reſpondebimus, &c. Perpaucis ergo in dubium vocatis, finis imponetur huic articulo.

A quibus argumentis adducendis abſtineat Auctor.

Quot vijs defendatur prædicamentum ſubſtantiæ eſſe prius quantitate.

Dubito primo, num quantitas illa, quam in materia vt in fundamento, ac radice claudi diximus, ſit terminata, an interminata, quæ difficultas non vltimam ſedem tenet in hoc negotio, & eo grauior apparet, quoniam ab Auctore quando hoc, quando illud habemus. Lege Capreolum vbi ſupra, & Soncinatem quæſt. 35. illius ſeptimi Diuinorum ad hoc inſtituta, Flandrienſem eodem libro, quæſt. 22. art. 3. & varios dicendi modos comperies; Mihi hac in re placuit ſemper & valde Iauellus prope finem quæſt. illius 15. quinti Diuinorum, quem deinde placuiſſe animaduerti & Banneſio art. illo 8. ſuæ quæſtionis, quã tamen doctrinam non videtur ignoraſſe Caiet. hoc loco, dum ad quintum Scoti reſpondet. Iauellum ipſum vide apertiſsime vt ſemper loquentem. Dico breuiter, quod quantitas terminata concurrit ad cauſandam indiuiduationem, non autem ita terminata, vt conſiſtat in puncto, vel ſit indiuiſibilis, ſed ita quod non eſt in eo ſenſu interminata, vt ſit infinita, vel vt nullum certum habeat terminum, vel quoniam numquam conſideretur, quatenus eſt ſub hoc, vel illo termino. Sic quando audis Auctorem dicentem, quantitatem terminatam eſſe principium indiuiduationis, intelligit quantitatem non infinitam, nõ nullo termino conſtantem, non ſub nullo termino acceptam, quando audis eundẽ proferentem, quantitatẽ interminatã, accipit quantitatem non ita terminatam, vt in puncto, & in indiuiſibili ſit poſita, quoniam latitudinem quandam habet. Et quando obijciunt qui nobiſcum non ſunt, quod quantitas terminata ſequitur formam, nega quod eo modo ſequatur, quo eſt cauſa indiuiduationis, ſequitur quippe formam, quatenus eſt in actu, at hoc modo non indiuiduat, non autem ſequitur, ſed præcedit, quatenus eſt in materia, vt in fundamento, quo pacto

Prima difficultas.

Capreol.
Soncinas.
Flandrienſ.

Soluitur ex accommodata Iauelli doctrina.

Quæ quantitas ad indiuiduationem concurrat.

Quomodo quantitas terminata ſequatur, & non ſequatur formã.

indiuiduat. Quando inſtant ſecundo, quod ſequitur, me iam virum differre à me olim puero; & ita differre, vt non ſim modo illud ſingulare, quod tunc eram, quoniam quantitas illa terminata variata eſt; & variato principio, variatur id etiã quod eſt ex principio, (quod verbis obſcurioribus expreſsit Caiet. in confirmatione quinti argumenti, quando dixit, ſequitur idem indiuiduum eſſe multis ſingularitatibus idem, quoniam variata quantitate illa, variantur ſingularitates, & tamen idem ſingulare permanet, &c.) Reſpondemus, quod quantitas illa dupliciter poteſt conſiderari, & materialiter ſcilicet, & formaliter, hoc eſt vt res quædam, & quantitas eſt, & vt eſt indiuiduationis modo ſuo cauſa, primo modo variatur vtique, at nulla ſunt quæ inde inferuntur, ſecundo modo neutiquam variatur, quoniam non concurrit ad indiuiduationem, vt in puncto conſiſtens, ſed vt ſtat ſub illa latitudine, quæ requiretur pro indiuiduo, ita variatur in eſſe materiali rei, & quantitatis, non in eſſe formali, & quatenus indiuiduat, immo dum rareſit, perficitur, & paulatim tendit ad terminum ſuum, quem ſemper à principio reſpiciebat, & actu completur illud, quod ab initio radice tantum præfuerat; quæ vnico verbo aperiebat Caiet. quando in calce reſponſionis ad illam confirmationem dicebat, poſſe fieri rarefactionem quantitatis, ſine eius variatione, vt eſt indiuiduatiua, &c. Quando denique opponunt, quod ſi ſit quantitas interminata, cum hæc in genito, & corrupto maneat eadem, idem erit indiuiduum genitum, & corruptum, &c. manet enim eadem materia, vt clarum eſt, iam patet, hoc non eſſe contra nos, quoniam non ponimus quantitatem ita interminatã, vt eandem dicamus in materia viuentis, & corrupti permanere, ſed ſolum interminatam, hoc eſt non terminatam punctualiter; ex parte quoque materiæ in corrupto remanentis nihil nobis poteſt obeſſe, quoniam licet maneat eadẽ materia, non tamen eiſdem dimenſionibus affecta, quo pacto ponitur indiuiduationis principium, qua via eleganter aperuit iampridem Ariſtoteles primo de Generatione 22. materiam elementi generati, & corrupti eſſe, & non eſſe eandem, ſecundum ſubſtantiam eandem, quoniam idem eſt ſubiectum contrariorum; non eandem, quoniam aliter, & aliter eſt diſpoſita, &c.

Qua ratione quantitas terminata varietur, & non varietur.

Caietanus.

Ariſtotel. Materia elementi geniti, & corrupti eadẽ, & nõ eadẽ.

Secunda difficultas.

Dubito ſecundo circa id, quod ſæpius iterauimus, quodque potiſsimum fundamentum eſt noſtræ poſitionis; formam nimirum de ſe pluribus communicabilem ideo fieri hanc, & indiuiduam, atque reddi incommunicabilem, quoniam recipitur in materia, quæ nequit eſſe in alio, cum ſit primum ſubiectum, & pura potentia, ac perinde non receptibilis, ſed recipiens, vt dicebatur in opinione Capreoli referenda; Hoc ſiquidem animo luſtrans Durandus ſecundo ſent. diſt. 3. q. 2. dixit, hoc fundamentum laborare in æquiuoco, & æquiuocationem accidere ſic dicentibus circa ly *eſſe in alio*, cum enim aliquid ideo ſit indiuiduum, quia non eſt in alio ſicut vniuerſale in ſingulari, ſicut ſuperius in inferiori, & per identitatem eſſentialem, non autem quia non ſit in alio ſicut in ſubiecto informationis, vel per inhærentiam, (alioquin hoc album non foret indiuiduum, cum in ſubiecto inhæreat, & vice verſa homo, & animal forent indiuidua, quia in nullo ſunt per inhærentiam, ſed ſolum per identitatem,) recipi autem, & non recipi in materia ſpectent ad eſſe in alio tamquam in ſubiecto informationis, & inhærenter, vt patet, ergo ex eo quod quid vel recipiatur, vel non recipiatur in materia, vane colligitur eſſe, vel non eſſe indiuiduum, ergo in caſſum dicimus nos, formam ideo fieri indiuiduam, quoniam

Durandus.

quoniam in hac materia recipitur, cumque eſſe in alio per identitatem eſſentialem, & tamquam ſuperius in inferiori ſit de ratione vniuerſalis, & non eſſe hoc modo ſpectet ad rationem indiuidui, ſi aliquid recipiatur in materia, non ſequitur eſſe hoc, & indiuiduum, quoniam hoc modo non plus conuenit materiæ eſſe in vno tantum, vel ſibi repugnat dici de pluribus, vel eſſe in pluribus, quam formæ, vt enim forma de hac, & illa dicitur, ita materia de hac, & illa, & eſt in illis, licet non inhærenter, ſaltem per identitatem eſſentialem. Vult dicere Durandus, quod licet materia ſit primum ſubiectum informationis, quoniam repugnat ſibi eſſe in alio vt in ſubiecto, quod informetur, non tamen eſt primum ſubiectum prædicationis, quod ſibi repugnet eſſe in alio tamquam ſuperius in inferiori, nam materia eſt vniuerſale quoddam, cum de hac, & illa materia dicatur. Breuis explicatur mens Durandi.

Quod ſi hoc Durandi argumentum diffuſe ex eodem adductum, quod etiam refert Capreolus in 2. diſt. illa 3. & q. 1. & Caiet p. p. q. 3. art. 2. circa reſp. ad tert. & Soncinas ſeptimo Diuinorum q. 33. vis ſub vno verbo comprehendere, dicito ſic; Ex hoc quod aliquid ſit in materia, non ſequitur quin poſsit eſſe in alio per identitatem eſſentialem, & tamquam ſuperius in inferiori, ergo ex receptione in materia nõ bene colligitur aliquid indiuiduũ, antecedens patet, quoniam materia non eſt primum ſubiectum prædicationis, &c. Huic difficultati, quæ ſubtilis ſatis, & ardua apparet occurro cum auctoribus mox commemoratis, & potiſsimum cum Caiet. & dico, quod eſse vel non eſſe in alio per informationem, ſiue recipi, aut non recipi in materia, non eſt formale conſtitutiuum indiuidui, ſed eſt radix indiuiduationis; fatemur vtique, alium eſſe modum eſſendi in alio vt in ſubiecto inferiori, & alium, quo quid eſt in ſubiecto informationis, & aliud eſſe ſubiectum identitatis eſſentialis à ſubiecto inhæſionis; illud tamen addimus, quod ſi aliquid ſit in alio per informationem, continuo ſequitur, vt ſit in alio vt inferiori ſingulari, ſic modus eſſendi per informationem eſt cauſa modi eſſendi per eſſentialem identitatem, ſimiliter ſi quid nequeat eſſe in alio per informationem, neque poterit eſſe in ſingulari vt inferiori, numquam etenim dicetur de hoc (ecce modum eſſendi per identitatem,) niſi fuerit in ipſo per informationem, ſaltem in materialibus ſubſtantijs; ideo namque homo eſt in Sorte per identitatem, & dicitur de eo, quia forma humana, à qua principaliter ſumitur natura ſpecifica vniuerſalis informat materiam Sortis, & eſt in ea inhærenter, & numquam diceretur de Sorte, niſi modo præfato eſſet in illo: Hinc ſi aliqua forma non poſſet in materia recipi, non poſſet eſſe in alio per informationem, & ex conſequenti foret indiuidua, non formaliter, quoniam negatio talis modi eſſendi in alio, non eſt formale indiuidui conſtitutiuum, ſed fundamentaliter, & quoniam neque poſſet vlterius eſſe in alio tamquam in ſingulari inferiori, ſubinde eſſet quoque formaliter indiuidua.

Capreol. Caietanus. Soncinenſ.

Comparatio inter modos eſſendi in alio per informationem, & per identitatem.

Cum ergo inquit Auctor p. p. loco relato, formam ex hoc ipſo indiuiduari, quod in alio nequeat recipi, adfert fundamentalem cauſam indiuiduationis, non formalem, quando innuebatur in argumento, hoc album eſſe indiuiduum, & tamẽ in alio eſſe per informationem, nil aliud habetur, niſi quod formale indiuidui conſtitutiuũ non ſit eſſe in alio per informationem; ſed & illud verũ eſt, quod ſi natura albedinis non poſſet eſſe in alio per informationẽ, numquam ipſa eſſet in hoc albo vt ſuperius in inferiori, eatenus namque

de hoc albo dicitur, quatenus eſt in hoc albo, & ita non eſſet hæc per aliquã differentiam indiuidualem ſupra naturam, ſed per negationem omnis indiuidualis principij, quoniam in plura indiuidua albedinis non foret diuiſibilis, veluti formæ nõ receptibiles in materiã nequeunt in plura indiuidua diuidi; Itaque clare dico, ad hoc vt quid ſit per ſe ſingulare, requiritur quod non poſ-
Requiſita ad ſingulare. ſit eſſe in alio, neque tamquam in ſubiecto informationis, neque tamquam in inferiori, & cum primum inferat ſecundum, illud erit radicale conſtitutiuum indiuidui, hoc formale; Ita formæ non receptibiles in materia, ex eo quod non recipiuntur, ſunt fundamentaliter ſingulares, & quoniam ex hoc eodem non poterunt eſſe in alio per identitatem eſſentialem; vel vt ſuperiora in inferioribus, ea propter formaliter etiam, & vndequaque erunt ſingulares; formæ vero materiales, quoniam vt ſic ſunt receptibiles in materia, ex hoc fit fundamentaliter, vt non ſint ſingulares; quoniam etiam ex hac in materia receptione poſſunt eſſe in alio vt ſuperius in inferiori, inde emanat, vt formaliter quoque ſint non ſingulares; & ſic vndique redduntur communes, ſiue communicabiles quantum in ipſis fuerit; fiunt autem indiuiduæ, quatenus recipiuntur in materia, quæ cum nequeat eſſe in alio tamquam ſubiecto informationis, vt concedunt omnes, fundamentaliter hinc habet, vt ſit ſingularis, & deinceps formaliter etiam, quoniam ex illo ſequitur, quod neque in alio eſſe poſsit vt ſuperius in inferiori; & cum neutro modo queat eſſe in alio, erit merito omni ex parte indiuiduationis radix, & fundamentaliter ſcilicet, & formaliter.

At mox dices, ſi formæ materiales ex eo quod ſunt in ſubiecto, & in ma-
Obiectio. teria receptibiles ſunt vniuerſales ſaltem fundamentaliter, & radicaliter, ergo tantum abeſt, quod vbi in materia recipiuntur, fiant ſingulares, vt potius earum vniuerſalitas compleatur, & perficiatur; nam ſi ipſe ex eo poſſum eſſe albus, quia poſſum eſſe ſub albedine, quando ero ſub albedine, albus ero; ſimiliter ſi quoniam poſſunt formæ recipi, ideo ſunt communicabiles, iam receptæ, magis erunt vniuerſales, alioquin poſſe recipi daret vniuerſalitatem, & recipi daret ſingularitatem, quod comparatione vnius, & eiuſdem pugna-
Tollitur. re videtur. Reſpondeo, quod vtique poſſe recipi, ſeu poſſe eſſe in alio dat vniuerſalitatem, vel negat ſingularitatem, aut radicaliter, aut formaliter, iuxta varium modum eſſendi, recipi autem, ſiue eſſe in alio dat ſingularitatem; ſed quando dicimus poſſe eſſe in alio conferre vniuerſalitatem, per ly *in alio*, non accipimus aliquid indiuiduum, vel aliquam rem hanc, & ſignatam, ſed vagum quoddam, hoc eſt poſſe eſſe vel in hoc, vel in illo, & in pluribus, illud autem eſſe in alio actu receptum, quod confert ſingularitatem, eſt hoc ſignatum, hæc ſcilicet materia, ſic materialis forma quoniam poteſt eſſe in hac, & illa materia, ac ſubinde in pluribus, de ſe vniuerſalis eſt, at iam quando eſt in hac ſignata materia, fit indiuidua, quoniã hæc materia in qua recipiatur neutro modo poteſt eſſe in alio, vt patuit. Adeo quod ly *eſſe in alio* non ſupponit pro eodem, pro quo ſupponit ly *poſſe eſſe in alio*, quoniam hoc vage, illud ſignate accipitur. Quod ſi ly *poſſe eſſe in alio* capiatur ſignate, & vnũ quid numero denotetur, hæc ſcilicet materia, tunc dico, quod hoc modo poſſe eſſe in alio non dat formæ vniuerſalitatem, immo ab ea abſtulit, quoniam in hoc, & illo poterat eſſe, (qua ratione erat vniuerſalis,) & modo ſupponitur, quod in hoc ſolum valeat eſſe; veluti quoque verſa vice eſſe in alio non ſignate, ſed vage non dat ſingularitatem; videmus quippe ani-

mal eſſe

mal eſſe in homine, ac leone, & tamen vniuerſale ipſum cernimus, quoniam non eſt in hoc ſignate, quando autem eſt in hoc homine, iam fit ſingulare, quoniam eſſe in alio, quod ſupponat pro indiuiduo, & ſignato dat ſingularitatem. Ita ad obiectionem de hoc albo, quod eſt in alio vt in ſubiecto informationis, & tamen eſt indiuiduum, vltra ſubtilem Caiet. reſponſionem iam allatam, poſſumus facile ex doctrina iſta dicere, quod vere nunc contingit æquiuocatio iuxta hoc eſſe in alio, nam cum poſſit contingere & vage, & ſignate, illud eſt ſingulare, quod non poteſt eſſe in alio vage, non autem quod non poteſt eſſe in alio ſignate, immo ex hoc quod eſt in alio ſignate, fit ſingulare, ita hoc album eſt in alio non vage, at ſignate, quare tantum abeſt, vt ex hoc modo eſſendi debeat eſſe vniuerſale, ſiue non indiuiduum, quod ex hoc fit indiuiduũ. Quando vero dicitur: Negatio eſſendi in alio conſtituere indiuiduum, intelligitur de alio vage, nã ſi debeat eſſe ſingulare, oportet vt non poſſit eſſe in hoc, & in illo, ſed ſi fuerit in hoc tantum, non ob hoc auferetur quin ſit indiuiduum, immo ſi fuerit natura in alio receptibilis, iam in hoc ſignato recepta, conſtituitur inde ſingularis, Vel tandem dicas cum Soncinate loco allegato, inſtantiam de hoc albo non eſſe ad propoſitum, quoniam nunc loquimur de indiuiduatione ſubſtantiarum, non autem de illa accidentium, hæc enim patet ex ſubiectis ſuis indiuidua fieri, in quibus perinde locum non habet duplex illa negatio eſſendi in alio, ſic album iſtud eſt hoc, & indiuiduum, quia eſt in hoc ſubiecto, & non minus vera, quam facilis eſt hæc reſponſio, licet æque veræ ſint priores reſponſiones, quamuis longe ſubtiliores, & forſan difficiles magis.

Quale eſſe in alio det, & nõ det ſingularitatem.

Soncinas.

Ita falſum aſſumit Durandus, dum ait, quod eſſe in alio per inhærentiam nihil faciat ad conſtituendum indiuiduum, patet enim eſſe fundamentale conſtitutiui indiuiduum, quoniam ad hunc modum eſſendi, & non eſſendi conſequitur, & non conſequitur modus eſſendi in alio per eſſentialem identitatem, qui plane modus eſt formaliter indiuidui conſtitutiuus. Quare cum de ratione naturæ vniuerſalis ſit eſſe in multis vtroque modo in materialibus ſubſtantijs, vt præhabitum eſt, ex oppoſito repugnabit ſingulari, vt ſit in pluribus, (ecce ly *in alio* vage) aliquo illorum modorum; cumq; forma ſit in altero per informationem, (non faciendo vim in ly *informare*, vt ſcilicet accipiatur inhærere quoddam more accidentium,) & per identitatem eſſentialem, materia autem neutro modo, (quoniam neque aliquid informat, neque de aliquo dicitur,)upereſt, vt materia ſecundum vnam conſiderationem ſit radix fundamẽtalis indiuidui conſtitutiua, & iuxta alteram acceptionem, ſit formale indiuidui conſtitutiuum, & ideo à materia, non à forma habet indiuiduum, vt ſit ſingulare, &c.

Quid falſo accipiat Duran.

Sed ſtatim, tertio & vltimo loco dubito contra ea, quæ pluries ſuppoſuimus, materiam ſcilicet non eſſe in alio per identitatem eſſentialem, (quod enim non ſit per informationem, pura eius potentia, & omnes clamant,) hoc enim videtur falſum, quoniam vt dicebat Duran. velut forma dicitur de hac, & de illa, ita materia de hac, & illa, & eſt vniuerſale quoddam, & communi conceptu concipitur, vt patet, hinc vlterius ſequitur, quod dum dicimus nos, indiuiduum fieri indiuiduum per materiam, adhuc ſuperſit interrogare, per quid materia fiat indiuidua; quod ſi dicatur, materiam ſecundum ſe eſſe indiuiduam, & incommunicabilem, ſecundum autem quod intellectu concipitur, eſſe commune, hoc nihil eſt, quoniam vnaquæque res eſt communis ſolũ, vt

Tertia dubitatio.

appre-

Qua via vnum quodque ſit commune.

apprehenditur ab intellectu, nam communitas, & vniuerſalitas non conueniunt rei in ſe, ſed quatenus ab intellectu concipitur, & ſecundæ ſunt intentiones, quocirca non magis vna, vel non magis communis foret natura materiæ, quam naturæ generum, ac ſpecierum, & ex conſequenti non eſſet cur magis à materia, quam à forma, vel à quouis alio foret indiuiduationis cauſa petenda. Huic difficultati, cui ſuccubuit Durandus, vt materiam vocaret vniuerſale, & diceret eam eſſe in alio vt ſuperius in inferiori, & quam potiſſimam inter omnes, quæ in hac re circumferantur difficultates ſemper iudicaui, occurram ipſe ex doctrina, quam tandem collegi ex Capreolo reſpondente loco ſæpe allegato ad argumenta Aureoli ſecundo loco contra ſecundam illam concluſionem, & ex Ferrarienſe cap. illo 21. primi con. Gent. quam doctrinam hauſerunt celebres hi auctores ex Alberto vere inter magnos philoſophos Magno tract. ſecundo ſuper Porphirium cap. 8. in quarta ratione, qua ſub initium cap. illius probat materiam non eſſe vniuerſale.

Durand.

Dubitationis difficultas.

Capreol.

Ferrarien.

Soluitur ex doctrina Alberti magni.

Nonnulla de materia.

Dico itaque, quod ſi materia conſideretur ſecundum entitatem ſuam abſolute, per quam à forma diſtinguitur, non eſt communis, vel vniuerſalis, ſed vna, & indiuidualis, ex eo quod ſic ab ipſa negatur omnis actus faciens diſtinctionem, & eſt vltimum ſubiectum, in quod omnia materialia reſoluuntur, & ſic eſt incommunicabilis, communicatione ſecundum quam ſuperius communicatur inferiori, ita ſeipſa eſt indiuidua indiuiduatione, quæ opponitur vniuerſalitati, licet non habeat in ſe omnia, quæ ad vltimatam indiuiduationem requiruntur, vtpote ſignationem, diſtinctionem, & determinationem, quo ad hic, & nunc. Quando dicitur, Materiā dici de hac, & illa materia, veluti dicitur homo de hoc, & illo homine, dico quod hæc communitas eſt tantum nominis, ſed prædicatio rei diſpar, & diſſimilis penitus eſt; materia enim non eſt apta nata eſſe in multis, vt homo, & alia, quæ ſunt in alio per eſſentialem identitatem.

Quomodo vniuerſale ſit in ſuis inferioribus.

Quod vt plene capias, ſpeculare ex doctrina Alberti magni ibidem, quod vniuerſale tamquam ſuperius exiſtens in inferiori, eſt vnum in illis exiſtens ſecundum ſuam totam rationem, & eſſentiam, nam totum animal eſt in leone, in equo, & totus homo ſecundum eſſentiam eſt in Bonifacio, Sempronio, vt norunt omnes philoſophi, non enim vnitas conceptus animalis multiplicatur, licet multiplicentur res, (ſic plures homines ſunt plura animalia realiter,) alioquin homo, & leo non conuenirent in genere, & Sempronius, ac Bonifacius non conuenirent in ſpecie, materia autem non eſt communicabilis multis, non dicitur de hac, & de illa, niſi per diuiſionem, non enim eſt tota in ſingulis, ſic vt pulchre dicebat Ferrarienſis loco relato, nedum eſt indiuidualis ſecundum eſſe illud, quod habet in hoc, & illo indiuiduo, nam hoc, & generibus, & ſpeciebus in indiuiduis exiſtentibus vt ſic conuenit, (indiuiduatum quippe eſt illud animal, & indiuiduatus ille homo, qui eſt in me,) ſed etiam ſecundum ſuam entitatem, & naturam, & eſt vna numero, neque in plura inferiora poteſt diuidi, quod de generibus, & ſpeciebus in ipſorum natura nequit dici; Neque turberis, quod videas materiam in te, in me, & in alijs, nam vt innuebatur non eſt tota ſecundum ſuam eſſentiam in te, & me, quod ad vniuerſalis naturam exigitur, ſed diuiditur in plures partes per quantitatem, quippe quæ diuiſio non eſt ſuperioris in inferiora, ſed potius totius cuiuſdam quantitatiui, quod in ſuas partes ſit extenſum.

Ferrarien.

Quomodo materia ſit indiuidualis.

Cumque materia in ſe nequeat cognoſci, ſed tantummodo ex habitudine ad for-

ad formam, & actum, vt annotationibus ad hoc caput dicebam, aliud diſcrimen colliges inter ipſam, & naturas illas, quæ de ſe ſunt communes, & vniuerſales, vt ſunt ſpecies, & genera, quod ſcilicet rationi communi generis, & ſpeciei reſpondet in re communis natura, quæ ex ſe nata eſt depurari per intellectum à principijs limitantibus, & tunc vniuerſaliter concipitur, licet natura hæc, vt communis non ſit in aliquo indiuiduo, quoniam iam per indiuiduales conditiones ſingularis effecta eſt, vt quiſquis poteſt videre in animali, at conceptui, & rationi communi materiæ non conſpicies reſpondentem vnam communem materiæ naturam, quæ in pluribus inueniatur, & ab illis materijs ſit abſtrahibilis per intellectum, & vniuerſaliter concipiatur, ſed ab extrinſeco tantum ei conuenit, vt vniuerſaliter apprehendatur, ſecundum quod ſcilicet concipitur in ordine ad formam communem, & vt ſic conſiderata, non eſt indiuiduationis principium, ſed quatenus eſt hæc, ſignata, & indiuidua. Quid rationi generis, ac ſpeciei reſpondeat.

Ea propter ſciſcitari potes, per quid materia fiat ſignata, fiat hic, & nunc determinata, & iam noſti ex hac quæſtione, quid reſpondeas, quoniam vt eſt radix huius quantitatis, harum dimenſionum, &c. non potes autem iure ſiſcitari, per quid fiat ſingularis, & indiuidua, indiuiduatione quæ opponatur vniuerſalitati, & communicabilitati qua realiter ſuperius communicatur inferiori, nam de ſe talis eſt, quoniam vt vno verbo habeas quod latius explicaui, non ſolum ea ratione non eſt vniuerſalis, quia ex ſe nequeat agnoſci, ſed etiam, & potiſſimum, quoniam nequit eſſe tota in pluribus, ſed ſolum ſecundum ſui partes, quod naturæ rei vniuerſalis aduerſatur; Et conſidera, quod quando dico materiam non ex ſe cognoſci poſſe, dico etiam non eſſe de ſe actum, & ex conſequenti non quid vnum poſitiue, quare non vere vniuerſale, ſed de ipſius vnitate, in annotationibus ad caput ſequens agetur, &c.

Sic falſum omnino accepit Durandus, quando dixit, non minus materiam, quam formam eſſe in pluribus per identitatem eſſentialem, &c.

Vel breuius dicas, quod vt colligitur ex Auctore tractatu de principio indiuiduationis, quicquid fuerit de materia ſecũdum ſuam eſſentiam, num vniuerſale quoddam ſit, vel non, materia tamen illa, quæ principium ponitur indiuiduationis, nullatenus eſt vniuerſalis, licet enim eſſentia materiæ ſit in pluribus, hoc tamen nequit dici de ratione ſua, quoniam ratio materiæ ſub hac forma, eſt alia à ratione ſua ſub alia forma, quoniam eius ratio per hanc quantitatem ſit certa, & ſub varijs dimenſionibus non eſt eadem, at vero ratio formæ ſub quauis ſit materia eſt eadem; Neque dicas nos cõtradixiſſe Auctori dicenti hoc eodem tractatu de princ. indiuiduationis eſſentiam materiæ, ſiue materiam ſecundum eſſentiam eſſe in multis, aliud enim eſt dicere, aliquid ſecundum ſuam eſſentiam eſſe in multis, & aliquid ſecundum ſuam totam eſſentiam eſſe in multis, primum habet Auctor, quod non negauimus, ſecundum diximus nos, & numquam materiam, quam damus, vel dedimus principium indiuiduationis videbis vnam in multis, nam alia omnino eſt ratio materiæ huius ſignatæ à ratione alterius, quoniam hæc quantitas cum eadem determinatione nequit ſub alia forma reperiri, quippe quæ quantitas ea eſt, quæ ſignatam conſtituit materiam, vt iam definitum eſt; Hinc abeſt à vero quod tradit Barthol. Spina defenſione illa ſeptima prope finem, dum reſpondet ad tertium Scoti, & 27. prope finem ſimiliter, inquiens materiam vt eſt hæc, fieri indiuiduam per formam, quamuis ſecundum ſe ſumpta per D.Thom. Modus dicendi Spinæ reijcitur.

cuiuſque

cuiuſque actus excluſionem, ſit principium indiuiduationis; pluribus nanque art. ſecundo, & præcedenti impugnatum reliquimus, materiam fieri hanc per formam, oſtendentes formam fieri hanc per materiam, & quando inquit, materiam ſecundum ſe eſſe indiuiduationis principium, fateor, vt ſic, at nō huius, & illius indiuiduationis, dum præciſe accipitur, ad hoc enim requiritur, vt ſit ſignata, & ex conſequenti non eſt amplius ſecundum ſe accepta, &c.

Ceſſat ergo Durandi argumentum, quoniam materia non eſt vniuerſalis, & in nullo eſt vel inhærenter, vel tota ſecundum identitatem eſſentialem, aut prædicationem, hinc neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur, &c.

ARTICVLVS NONVS.

Argumenta pro varijs opinionibus articulo ſecundo adducta refelluntur.

Ad rationes Scoti. Ad quid ſequatur vnitas numerica.

Conſtare poteſt reſponſio ad primum Scoti ex doctrina tradita, nam ad ſignatam materiam, non ad illam entitatem, ſiue hæccheitatē ſequitur vnitas numerica, nam per materiam forma fit hæc, & ex his compoſitum deinde, ac indiuiduum. Vel dicas ſubtilius, ad entitatem illam indiuidualem ſequi vnitatem numericam, tamquam quod, ſed ad materiam ſignatam tamquā quo, docuimus namque art. 6. gradum illum indiuidualē eſſe totale principium indiuiduationis, ſed non deſumi niſi penes ordinem ad materiam ſignatam, &c.

Ad ſecundum eodem modo reſpondeo, indiuidua ſcilicet differre proprijs indiuidualibus differentiis, at non modo Scotico, ſed vt declarauimus, ſumptis videlicet differentiis illis à ſignata materia. Vel dicas, differentiam indiuiduorum reduci in materiam quantitate ſignatam modo expoſito, quantitates autem differunt ſitibus propriis, non quidem de prædicamento ſitus, ſed ſitibus, qui ſunt differentiæ quantitatis, in quorum ratione nedum includitur permanentia, & continuatio partium, ſed & ordo quoque earundem partium in toto, vt enim ſitus qui ponitur ſpeciale prædicamentum dicit ordinem partium in loco, ita ſitus qui eſt differentia quantitatis dicit ordinem partium in toto, cumque ordines differant ſeipſis, (nam in ordine clauditur diſtinctio,) ſic eſt ſtatus in his ordinibus, neque eſt quod in his procedatur in infinitum. Dicas poſtremo, materias ſignatas, vt ſignatas eſſe primo diuerſas, & ſeipſis diſtinctas, omne enim indiuiduum talem habet materiam ſignatam, vt aliud indiuiduum in ea nequeat communicare.

Quibus ſitibus differant quātitates.

Ad tertium non eſt vt reſpondeamus, nam probat efficaciter, quod docebamus in noſtra concluſione, ſeu poſitione explananda, dandas nimirum eſſe indiuiduales illas differentias, & gradus illos contrahentes ſpeciem ad indiuidua, qui tamen gradus, & differentiæ ſumuntur à materia ſignata, vt præhabitum eſt & de gradibus ſpecificis, qui à formis partium ſumuntur, &c.

Ad quartum latius patuit ibidem, & ſub initium art. præcedentis, quomodo ex noſtra poſitione nullo modo ſequatur, ſubſtantiæ vel entitatem, vel vnitatem ab accidente dependere, & quonam pacto viis pluribus id poſſit tueri adferebatur. Vel dicatur, nos totum argumentum concedere, dummodo vnitas intelligatur ſequi illam entitatem, & gradum indiuidualem à materia ſignata deſumptum, vt in rei veritate ſequitur.

Quæ pro opinione Henrici adſerebantur, nullo negotio ruunt, nam in primo falſum continetur, quod ſcilicet duæ illæ negationes formaliter, & vt ſic conſtituant definitionem indiuidui, quoniam negationibus illis ſubſternitur poſitiuum aliquod, ens ſcilicet, & definitio vnius non eſt indiuiſio, ſed ens vt ſtat ſub indiuiſione; Deinde admiſſo, negationibus illis definiri indiuiduum, oportet certe dare poſitiuum aliquod, in quo fundentur, & ad quod ſequantur illæ negationes. Quare nō omnino verum arbitror id, quod Gabriel Zerbus quæſt. illa decima ſuper ſeptimū Diuinorum de hac Henrici ſententia dixit, quod ſcilicet vere locutus fuerit, ſi accepit vnum pro formali, vt ſcilicet dicatur vnum eſſe vnum ſua vnitate, quaſi quod vnitas ſit conſtituta formaliter in illa duplici negatione, & aliquid poſitiuum non de neceſsitate requiratur.

Ad illas Henrici.

Definitio vnius.

Zerbus.

Secundum iam cecidit, quoniam art. præcedenti copioſe manifeſtauimus, quomodo materia ex ſe ſit indiuidua, & quomodo per quantitatem fiat, &c.

Primum eorum, quæ pro tertia opinione allata ſunt, confutatum manet ex ijs, quæ circa art. 6. dicta ſunt, fateor enim, indiuiduum eſſe in actu exiſtentiæ merito formæ, quoniam à forma illud eſſe emanat, at quando dicitur, indiuiduum ea propter eſſe indiuiduum, quia ſit in actu, negatur hoc abſolute, quoniam eſt indiuiduum, quia incommunicabile, & ſi definitionem admitteret, in illa definitione includeretur ens ſub illa duplici negatione, abſque exiſtentia in actu, cum definitio abſtrahat ab exiſtentia, & ſi ex impoſsibili ideæ rerum exiſterent, eſſent vtique vniuerſales, & tamen actū haberent exiſtentiæ abſque indiuiduatione, de qua loquimur. Habet ergo indiuiduum à forma, vt ſit ens in actu, à materia vero, quod ſit vnum numero, & alia eſt ratio formalis vnitatis numericæ vt ſic, & alia qua primo aliquid eſt actu ens, prius tribuo materiæ, poſterius formæ; Rurſus alia eſt ratio, vt quid ſit vnum numero abſolute, & alia vt ſit vnum talis, vel talis naturæ, hoc eſt ſub illa, vel illa ſpecie, illud enim à materia, hoc à forma proficiſcitur; Sed hæc latius habita ſunt art. 6. vbi inter alia expendebatur, quomodo nullū ſit argumentum. & quomodo fallaciam contineat, dum dicitur, A forma habet quid eſſe, & vnum eſſe, ergo vnum numero, ex qua doctrina ruit & motiuum Spinæ in illis ſuis defenſionibus, quas in calce art. præcedentis memorabam, &c.

Ad illas tertiæ ſententiæ.

Ad ſecundum dicimus, formam eſſe principium diſtinctionis ſpecificæ, ac formalis, ſed materiam ponimus principium diſtinctionis numericæ, & materialis; nulla certe eſt hæc argumentatio: Forma, & actus ſeparat, & diſtinguit, ergo numerice diſtinguit, & ſeparat, ac ſi vnica foret diſtinctio, & cum omnibus ſit exploratum, formam illam eſſe, quæ ſpecifice ſeparet, vane ex hoc colligitur, eam quoque eſſe, quæ numero diſtinguat; aliàs ſi ex diſtinctione illa inferatur diſtinctio hæc, ergo & ex conuenientia formæ liceret arguere conuenientiam in numero, & ita quæ ſunt vnum ſpecie, vnum eſſent numero, quod eſt ridiculum.

Cuius diſtinctionis ſit principium forma, & cuius materias.

Vide Mercenarium in expoſitione huius propoſitionis *Actus ſeparat* eleganter oſtendentem, accipiendam fore de diſtinctione non numerica, ſed ſpecifica ſolum; Quod ſi & Auerroes in argumento relatus ita acceperit; bene locutus eſt, ſin vero acceperit de diſtinctione numerica, vt videtur intellexiſſe, quoniam com. illo 53. in fine ſubiecit, hoc eſſe quoque manifeſtum in indiuiduis eiuſdē ſpeciei, vel male ſenſit, vel forſan id voluit, vt forma dicatur

Commendatur Mercenarius.

Auerroes.

eſſe cauſa, non diſtinctionis ſecundum numerum vt ſic, ſed vel entis in actu vt ſic, vel entis vt eſt in hac, & illa natura, nam non dicit abſolute huius, & illius membra differre, ſed leonis, ſed cerui, &c. Ex hac reſponſione diluitur motiuum illorum Thomiſtarum, qui & ipſi indiuiduationem formæ tribuebant dicentes, munus eſſe formæ diſtinguere, &c.

Tertium argumentum periit omnino, conceditur namque, indiuiduū per formam habere eſſe, (cauſaliter nimirum, nam formaliter ab exiſtentia id venit,) ergo vnum eſſe numero, fallax, & nulla eſt illatio.

Ad quartum, concedo materiam non poſſe tribuere exiſtentiam, ergo neque indiuiduationem, nego, non enim indiuiduatio eſt exiſtentia, ſed prius intelligitur aliquid eſſe indiuiduum, deinde, (non ſucceſsione temporis, ſed naturæ) adeſſe ſibi exiſtentiam, prius namque intelligitur res aliqua indiuiſa in ſe, & non eadem aliis, & ex conſequenti indiuidua, antequam intelligatur eſſe ſub exiſtentia, & iam proxime diximus, à forma habere indiuiduū exiſtentiam, à materia autem, quod ſit vnum numero. Quod vero admiſcent in argumento, exiſtentiam nobiliorem eſſe eſſentia, non caret dubitatione, at non libet in præſenti, (nihil enim ad rem facit) definire, quid horum ſit præſtantius; Dico tamen, rationem qua in argumento vtuntur eſſe nullam, vt probet maius eſſe dare exiſtentiam, quam eſſentiam, quoniam ſcilicet exiſtentia ſupponit eſſentiam, hac enim via probaretur, maius eſſe conferre albedinem, quam eſſentiam, & exiſtentiam ſimul, quoniam albedo ſupponit id cui aduenit conſtitutum in vtroque eſſe.

Quintum facile ruit, quoniam materia ſignata eſt vna poſitiue, licet non materia ſecundum ſe illa ponitur principium numericæ vnitatis, non iſta, ſiue materia ſub illa, non ſub hac conſideratione.

Ad ſextum, & vltimum reſpondent nonnulli recentiores, materiam de ſe non poſſe eſſe cauſam vnitatum illarum, quæ ab Ariſtotele loco illo recenſentur, ſed cum adminiculo formæ, dicunt tamen, eſſe cauſam principalem numericæ vnitatis, quamuis non ſine forma, ſicut forma eſt principale principium vnitatis ſpecificæ, at non ſine materia, & hæc reſponſio non apparet inepta, nam reuera ad omnes illas completas vnitates requiritur, & forma, & materia ſimul, licet in aliqua vnitate principem magis locum teneat vel materia, vel forma. Sed aliter ipſe reſpondeo, & dico, non fieri conſequens, vt quod eſt cauſa vnius vnitatis, ſit cauſa & aliarum, licet enim quæ ſunt vnū numero, ſint & vnum ſpecie, ac genere, illud tamen quod in illis eſt cauſa vnitatis numericæ, non eſt cauſa vnitatis ſpecificæ, & genericæ, eſt enim homo vnus numero per ſuam ſignatam materiam, ſpecie per humanitatem, genere per naturam ſenſitiuam, &c. Adeo quod ſubiectiue verum eſt, vnum numero eſſe vnum ſpecie, ac genere, non cauſaliter, & eſt dicere, quod illud quod eſt vnum numero, eſt vnum ſpecie, ac genere, non tamen ab eodem omnes iſtas obtinet vnitates.

Recentiorū ſolutio.

Alia Auctoris.

Zabarella.

Quod ſi argumentū quod Zabarella vocauit efficaciſſimū, non eſſet debiliſſimum, iā concluderetur, quod ab vno, & eodē aliquid haberet, vt cum aliquo conueniret, & ab eodē differret, quare idem eſſet cauſa contrariorū reſpectu eiuſdem; Plato ſiquidem cum per humanitatem ſit vnus ſpecie cum Socrate, à leone differt, & tamen ſi quod eſt cauſa vnitatis poſterioris, eſſet cauſa prioris, per eandem humanitatem Plato deberet eſſe idem cum leone, quoniam ſi vis cauſam vnitatis numeralis, eſſe cauſam ſpecificæ, quoniam

illa

illa eſt hac poſterior, eadem ratione cauſa vnitatis ſpecificæ, erit cauſa genericæ, ſic per humanitatem Plato differt à leone, (nomine differentiæ accipiendo gradum ſpecificum, & principium totale,) & per eandem eſt idem cũ leone in genere, quoniam per arguentem oportet, vt quod eſt cauſa vnitatis ſpecificæ, ſit & genericæ, illud autem falſum eſſe quiſquis agnoſcit, non enim per principium ſpecificum quid conuenit cum alio in genere, &c.

Non eſt itaque verũ, cauſam vnitatis poſterioris eſſe cauſam prioris, nam vnitatum, quæ variæ in vno, & eodem inueniuntur, variæ quoque extant cauſæ; & quoniam reſponſio hæc mihi magis probatur, quoniam magis ſaluat cauſas diuerſarum vnitatum, alteram alteri non permiſcendo, ea propter concedo, materiã non eſſe cauſam vnitatis vel genericæ, vel ſpecificæ, (quod tunc omnino verum eſt, ſi loquamur de illa materia, quæ ponitur cauſa vnitatis numeralis,) tamen eſt cauſa vnitatis numericæ, & negatur illa propoſitio, qua dicitur; Quod nequit cauſare vnitatẽ priorem, nequit cauſare poſteriorem, non enim vnitas numerica eſt maior vnitate generica abſolute, & vt ſic præciſe, ſed quoniam in vnitate numerica, illa generis, & aliæ includuntur, ideo hæc illis eſt maior, adeo vt maior ſit per illarum incluſionem; ita illis præſuppoſitis, ab aliis principiis profectis, negatur aliquid non poſſe dare vnitatem numericam vt ſic præciſe (quo pacto non eſt maior,) licet nequeat dare vel ſpecificam, vel genericam, &c. & comparatio facienda eſt, nõ penes vnum in alio incluſum, ſed penes ea, quibus aliquid ab alio præſcindit, nullus enim dubitabit, corpus album eſſe nobilius albedine vt ſic, at inter corpus præciſe, & albedinem præciſe fieri conſueuit comparatio, & regulam hanc de comparatione, quamuis cuique notiſsimam habes à Caiet. procemio primi de Anima, eam à Magiſtro ſuo accipiente prim. ſec quæſt. 72. art. 4. ad 2. vbi & eam adnotauit.

Quo pacto vnitas numerica ſit, & nõ ſit maior ſpecifica, & generica.

Iuxta quid facienda ſit cõparatio.

Caietan.

D. Thom.

Et hæc pro ſolutione argumentorum, & pro tota hac perdifficili certe quæſtione, quæ forte prolixa alicui apparebit, & tamen is cogitet, me multa, & multa argumenta alia, & rationes conſulto ſiluiſſe, ne prolixior adhuc emergeret, quæ, & quas ſi videre cupias, conſule auctores illos, quos in fine ſecundi art. allegaui, & alios quoque clariſsimos Thomiſtas non raro in quæſt. memoratos, ſed præcipue Capreolum, nihilominus ſi quę tradidimus teneas, facile ſatis omnia confutabis.

CAPVT TERTIVM.

1 PATET ergo, quod eſſentia hominis, & Socratis non differunt, niſi ſecundum ſignatum, & non ſignatum, vnde Commentator dicit ſuper ſeptimo Metaphyſicæ,* quod Socrates nō aliud eſt, quam animalitas, & rationalitas, quæ ſunt quidditas eius; ſicut etiam eſſentia generis, & eſſentia ſpeciei ſecundum ſignatum, & non ſignatum differunt.

* com. 20.

2 Quamuis alius modus deſignationis ſit vtrobique, quia deſignatio indiuidui reſpectu ſpeciei, eſt per materiā determinatam dimenſionibus, deſignatio autem ſpeciei reſpectu generis, eſt per differentiam conſtitutiuam, quæ ex forma rei ſequitur.

3 Hæc autem determinatio, vel deſignatio, quæ eſt in ſpecie reſpectu generis, non eſt per aliquid in eſſentia ſpeciei exiſtens, quod nullo modo in eſſentia generis ſit, immo quicquid eſt in ſpecie, eſt etiam in genere, vt non determinatum, ſi enim animal non eſſet totum, quod eſt homo, ſed pars eius, non prædicaretur de eo. cum nulla pars integralis prædicetur de ſuo toto.

4 Hoc autem quomodo contingat videri poteſt, ſi inſpiciatur corpus ſecundum quod ponitur pars animalis, & ſecundum quod ponitur genus, non enim poteſt dici eo modo eſſe genus, quo eſt pars integralis, hoc igitur nomen, quod eſt *corpus* multipliciter accipi poteſt, corpus enim ſecundum quod eſt in prædicamēto ſubſtantiæ dicitur ex eo quod habet talem naturam, vt in eo deſignari poſſint tres dimenſiones, ipſæ autem tres dimenſiones deſignatæ ſunt corpus, quod eſt in genere quantitatis. Contingit autem in rebus, quod habet vnam perfectionem, ad vlteriorem perfectionem pertingat, ſicut patet in homine, qui naturam ſenſitiuam habet, & vlterius intellectiuam, ſimiliter etiam,

& ſu-

& ſuper hanc perfectionem, quæ eſt habere talem formam, & vt in ea poſſint tres dimenſiones deſignari, poteſt alia perfectio adiungi, vt vita, vel aliquid huiuſmodi; poteſt ergo hoc nomen *corpus* rem quandā deſignare, quæ habet talem formā, ex qua ſequitur in ipſa deſignabilitas trium dimenſionū cum præciſione, vt ſcilicet ex illa forma, nulla vlterius perfectio ſequatur, ſed ſi aliquid aliud ſuperadditur, ſit præter ſignificationē corporis ſic dicti, & hoc modo corpus erit materialis, & integralis pars animalis, quia ſic anima erit præter id, quod ſignificatum eſt nomine corporis, & ſuperueniens ipſi corpori, ita quod ex ipſis duobus, ſcilicet ex anima, & corpore ſicut ex partibus cōſtituitur animal. Poteſt etiam hoc nomen *corpus* hoc modo accipi, vt ſignificet rem quandam, quæ habet talem formam, ex qua poſſint in ea tres dimenſiones deſignari, quæcumque forma ſit illa, ſiue ex ea poſsit prouenire alia vlterior perfectio, ſiue non, & hoc modo corpus erit genus animalis, quia in animali nihil eſt accipere, quod in corpore implicite non contineatur, nō enim anima eſt alia ab illa forma, per quā in re illa poterant deſignari tres dimenſiones, ideo quando dicebā, quod corpus eſt quod habet talem formam, ex qua poſſunt deſignari tres dimenſiones, in eo intelligebā quæcumque forma eſſet illa, ſiue anima eſſet, ſiue lapideitas, ſiue quæcumque alia forma, & ſic forma animalis implicite in corpore, ſiue in corporis forma continetur, prout eſt genus eius. Et etiam talis eſt animalis habitudo ad hominem, ſi enim animal nominaret tantum rem talem, quæ habet quandam perfectionem, vt poſsit ſentire, & moueri per principium in ipſo exiſtens, cū præciſione alterius perfectionis, tunc quæcūque alia perfectio vlterius ſuperueniret, haberet ſe ad animal per modum partis, & non ſicut implicite contenta in ratione animalis, & animal non eſſet genus ſecundū quod ſignificat rem quandam, ex cuius forma poteſt prouenire ſenſus,

ſus, & motus, quæcumque ſit illa forma, ſiue ſit anima ſenſibilis tantum, ſiue ſit anima ſenſibilis, & rationalis ſimul.

5 Si igitur genus ſignificat indeterminate id totum, quod eſt in ſpecie, non enim ſignificat tantum materiam, ſimiliter etiam differentia ſignificat id totum, quod eſt in ſpecie, & non tantum formam, & etiam definitio ſignificat totum, & etiam ſpecies.

6 Sed diuerſimode; quia genus ſignificat totum, vt quædam denominatio determinans id, quod eſt materiale in re, ſine determinatione propriæ formæ, vnde genus ſumitur à materia, vnde patet ex hoc, quod corpus dicitur ex hoc, quod habet talem perfectionem, vt poſſint in eo deſignari tres dimenſiones, quæ quidem perfectio eſt, vt materialis ſe habens ad vlteriorem perfectionem; Differentia vero e conuerſo eſt, ſicut quædam determinatio à forma determinata ſumpta, præter hoc, quod de intellectu primo ſit materia determinata, vt patet, cum dicitur animatum, ſcilicet illud quod habet animam, non determinatur quid ſit, vtrum corpus, vel aliquid aliud; Vnde Auicenn. inquit,* quod genus non eſt in differentia, ſicut pars eſſentiæ eius, ſed ſolum ſicut ens extra quidditatem, ſiue eſſentiam, ſicut etiam ſubiectum eſt de intellectu paſſionum, & ideo genus non prædicatur de differentia per ſe loquẽdo, vt dicit Ariſtoteles 3. Metaphy.* & 4. Topicorũ,* niſi forte, ſicut ſubiectum prædicatur de paſſione; ſed definitio, ſiue ſpecies comprehendit vtrũque, ſcilicet determinatam materiam, quam deſignat nomen generis, & determinatam formam, quam deſignat nomen differentiæ. Et ex hoc patet ratio quare genus, & ſpecies, & differentia ſe habeant proportionaliter ad materiam, formam, & compoſitum in natura, quamuis non ſint idem cum illis, quia neque genus eſt materia, ſed ſumitur à materia vt ſignificans totum, nec differentia eſt forma, ſed ſumitur à forma, vt ſi-

* 5. Metaphyſ. ex cap. 6. circa medium.

* text. 10.
* cap. 3.

vt ſignificans totum; Vnde dicimus hominem eſſe animal rationale,& nõ ex animali,& rationali, ſicut dicimus eum eſſe ex corpore,& anima,ex corpore enim,& anima dicitur eſſe homo,ſicut ex duabus rebus quædã tertia res conſtituta,quæ neutra illarũ eſt,homo enim nec eſt anima,neque corpus, ſed ſi homo aliquo modo ex animali, & rationali dicatur eſſe, non erit ſicut res tertia ex duabus rebus, ſed ſicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis eſt ſine determinatione formę ſpecialis,naturam exprimẽs rei,ex eoquod eſt materiale reſpectu vltimę perfectionis; Intellectus autem huius differentiæ rationalis cõſiſtit in determinatione formæ ſpecialis,ex quibus duobus intellectibus conſtituitur intellectus ſpeciei, vel definitionis, & ideo ſicut res conſtituta ex aliquibus non recipit prædicationem earum rerum, ex quibus conſtituitur, ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuum, ex quibus conſtituitur, non enim dicimus, quod definitio ſit genus, vel differentia.

7 Quamuis autem genus ſignificet totam eſſentiã ſpeciei, non tamen oportet, vt diuerſarum ſpecierum,quarum eſt idem genus,ſit vna eſſentia,quia vnitas generis ex ipſa indeterminatione,vel indifferentia procedit, non autem ita quod id quod ſignificatur per genus ſit vna natura numero in diuerſis ſpeciebus, cui ſuperueniat res alia,quæ ſit differentia determinãs ipſum,ſicut forma determinat materiã,quæ eſt vna numero, ſed quia genus ſignificat quandam formam, tamen non determinate hanc,vel illam, quam determinate differentia exprimit,quæ non eſt alia quam illa, quæ indeterminate ſignificabatur per genus, & ideo dicit Commentator in 12.Metaph.* quod materia prima dicitur vna per remotionem omnium formarũ, ſed genus dicitur vnum per communitatem formæ ſignatæ, vnde patet, quod per additionem differentiæ,remota illa indetermina- *com.14

mina-

minatione, quæ erat cauſa vnitatis generis, remanent ſpecies diuerſæ per eſſentiam.

8 Et quia vt dictum eſt, natura ſpeciei eſt indeterminata reſpectu indiuidui, ſicut generis reſpectu ſpeciei, inde eſt, quod ſicut id quod eſt genus prout prædicatur de ſpecie, implicite in ſua ſignificatione, quamuis indiſtincte totum id quod determinate eſt in ſpecie dicit, ita id quod eſt ſpecies, ſecundum quod prædicatur de indiuiduo, oportet quod ſignificet totum, quod eſſentialiter eſt in indiuiduo, licet indiſtincte, & hoc modo eſſentia ſpeciei ſignificatur nomine hominis, vnde homo de Sorte prædicatur; ſi autem ſignificatur natura ſpeciei cum præciſione materiæ ſignatæ, quæ eſt principium indiuiduationis, ſic ſe habebit per modum partis, & hoc modo ſignificat nomen humanitatis, humanitas enim ſignificat id, vnde homo eſt homo. Materia autem ſignata non eſt illud, vnde homo eſt homo, & ita nullo modo continetur inter illa, ex quibus homo habet, quod ſit homo; Cum igitur humanitas in ſuo intellectu includat tantum ea, ex quibus homo habet quod ſit homo, patet, quod à ſignificatione eius excluditur, vel præciditur materia determinata, vel ſignata. Et quia pars non prædicatur de toto, inde eſt, quod humanitas nec de homine, nec de Sorte prędicatur, vnde dicit Auicénas,* quod quidditas compoſiti non eſt ipſum compoſitũ, cuius eſt quidditas, quamuis etiã ipſa quidditas ſit compoſita, ſicut humanitas licet ſit compoſita, non tamen eſt homo, immo oportet, quod ſit recepta in aliquo, quod eſt materia ſignata. Sed quia vt dictum eſt, deſignatio ſpeciei reſpectu generis eſt per formas, deſignatio autem indiuidui reſpectu ſpeciei eſt per materiam, ideo oportet, vt nomen ſignificans id, vnde natura generis ſumitur cum præciſione formæ determinatæ perficientis ſpeciem, ſignificet partem materialẽ totius, ſicut corpus eſt pars materialis hominis, nomen autem ſignificans id, vn-

* 5. Metaphyſicæ cap. 5. prope finem.

id, vnde ſumitur natura ſpeciei cum præciſione materiæ deſignatæ ſignificat partem formalem, & ideo humanitas ſignificatur vt forma quædam, & dicitur, quod eſt forma totius, non quidem quaſi ſuperaddita partibus eſſentialibus materiæ, & formæ, ſicut forma domus ſuperadditur partibus integralibus eius, ſed magis eſt forma, quæ eſt totum, ſcilicet formam complectens, & materiam, cum præciſione tamen eorum, per quæ materia eſt nata deſignari.

9 Sic ergo patet, quod eſſentia hominis ſignificatur hoc nomine *homo*, & hoc nomine *humanitas*, ſed diuerſimode, vt dictum eſt, quia nomen *homo* ſignificat eam vt totũ, inquantum ſcilicet non præſcindit deſignationem materiæ, ſed implicite continet eam, & indiſtincte, ſicut dictum eſt, quod genus continet differentiam, & ideo prædicatur hoc nomen *homo* de indiuiduo, ſed hoc nomen *humanitas* ſignificat eam vt partem, nec continet in ſua ſignificatione, niſi id quod eſt hominis inquantum homo, & præſcindit omnem deſignationem materiæ, vnde de indiuiduis hominis non prædicatur, & propter hoc, quandoque hoc nomen eſſentia inuenitur prædicatum de re, dicitur enim Sortis eſſentia quædam, & quandoque negatur, ſicut dicimus, quod eſſentia Sortis non eſt Sortes.

SVMMA CAPITIS.

Docet, quomodo eſſentiæ generis, ſpeciei, & indiuiduorum diſtinguantur, tam ſi abſolute ſumantur, quam ſi concipiantur, vt ſubiacent nominibus primæ intentionis, oſtendit, quomodo generica eſſentia differat à ſpecifica, duplici, & accomodatiſſimo exemplo id manifeſtans, aperit etiam quænam ſimilitudo, & diſſimilitudo ſit inter genus, differentiam, ſpeciem, ac definitionem, obiectionem deinde ſubortam interimit, & denique comparationem facit inter eſſentiam ſpecificam, & indiuidualem, breuem epilogum eorum formando, quæ circa illam comparationem dixerat, &c.

DIVISIO.

VErſabimur toto hoc capite in ſecunda parte primæ partis ſecundæ principalis, iam enim præcedenti cap. prima abſoluta fuit, quæ ſanè pars ſecunda in eo, vt dicebatur in diuiſione præcedentis cap. immoratur, vt pateſiat, quo pacto eſſentia compoſitarum ſubſtantiarum ad primas intentiones ſe habeat, quod hoc capite concludetur, In quo nouem habemus ab Auctore, nam primo iacit concluſionem qua docet, quomodo differant eſſentiæ generis, ſpeciei, & indiuidui abſolute acceptæ, quam Auerrois teſtimonio firmat, ſecundo aſſignat differentem modum huius differentiæ inter eſſentiam generis, & ſpeciei ex vna parte, & eſſentiam ſpeciei, & indiuidui ex alia, tertio declarat, quomodo eſſentia generica differat à ſpecifica, eas conſiderando, vt ſtant ſub nominibus primæ intentionis, & concluſionem, in qua hæc differentia habetur ratione probat, quarto eandem concluſionem duplici exemplo declarat, quinto aperit, quomodo genus, ſpecies, differentia, & definitio inter ſe conueniant, ſexto duo adfert, in quibus commemorata differunt, & diſcrimen primum auctoritate Auicennæ munit, ſeptimo dubium quod poſſet ex dictis enaſci remouet, & ſolutionem ex Auerroe declarat, octauo comparat late eſſentiam ſpecificam cum illa indiuidui, poſtremo epilogum facit eorum, quæ in octaua parte docuit.

Quot partibus cõſtet hoc caput.

Prima Pars. Quo ad primum; Concluſio eſt bimembris, cuius prima pars eſt: Eſſentiæ ſpeciei, & indiuidui abſolute ſumptæ non differunt, niſi ſecundum ſignatum, & non ſignatum, altera pars eſt: Eſſentiæ ſimiliter generis, & ſpeciei differunt dumtaxat penes ſignatum, & non ſignatum, (hoc eſt, penes explicitam incluſionem alicuius inuentam in vna, & non in altera,) quam concluſionem voluit Commentator, quando ſeptimo Diuinorum com. 20. dixit, Socratem non aliud eſſe, quam animalitatem, & rationalitatem, quæ ſunt quidditas eius, vbi vides, indiuiduum addere rationalitatem animalitati, quæ eſt eſſentia generica, &c.

Auerroes.

Secunda. Quo ad ſecundum: Inquit non eodem modo fieri deſignationem hanc in ſpecie reſpectu generis, & in indiuiduo reſpectu ſpeciei, quoniam deſignatio indiuidui ad ſpeciem fit per materiam affectam dimenſionibus, atque ideo materialiter diuerſificat ſpeciem, illa vero ſpeciei relatione ad genus eſt merito differentiæ conſtitutiuæ, quippe quæ cum ſequatur ex forma rei, in eo quod forma, differentiam eſſentialem in genere pariet: Vides quippe Lælium addere homini has carnes, & hæc oſſa, hominem vero addere animali rationalitatem, & additum ibi cernis materiale, hic autem formale.

Tertia. Quo ad tertium: Differt eſſentia ſpecifica à generica, (vt ambæ conſiderantur ſub nominibus primæ intentionis, puta illa denotata hac voce *homo*, iſta hac voce *animal*,) quod illa dicit determinate, hæc autem indeterminate, ita illud quod addit ſpecies ad genus non eſt omnino extra naturam generis, ſed quicquid eſt in ſpecie, eſt quoque in genere, at in illa determinate, in hoc indeterminate, ſic genus non erit pars ſpeciei, ſed totum, quod probatur, quoniam animal prædicatur de homine, vt patet dicendo, homo eſt animal, (ecce eſſentias, vt ſubiacent vocibus primæ intentionis,) ergo dicit totum quod eſt in homine, ergo non eſt pars, patet prior conſequentia, quoniam nulla pars integralis prædicatur de ſuo toto, non enim dicitur domus eſſe paries, &c.

Quo

Quo ad quartum; Aperit priori exemplo, quomodo res nomine generico ſignificata poſſit accipi, & vt totum, & vt pars in ordine ad ſpeciem; corpus ſiquidem poteſt dupliciter ſumi, primo vt ſignificat illam naturam, ex qua poteſt fluere trina dimenſio, cum præciſione vlterioris cuiuſque formæ ſubſtãtialis, adeo vt nulla perfectio vlterior ſequatur, etſi ſequatur, ſit præter ſignificationem corporis ſic accepti, ſecundo vt ſignificat eandem naturam abſque tali præciſione, quod autem ſic poſſit accipi corpus, & alia quæuis natura plures admittens ſecum perfectiones, ex eo colligatur, quoniam natura illa, quæ aliquam ſubſtantialem perfectionem habet, non ideo à ſe excludit aliam vlteriorem perfectionem, leo enim quia habeat perfectionem vegetalem, non excludit ſenſilem, quare cum prima perfectio non excludat poſteriores, poteſt concipi abſque ipſarum præciſione, cumque eas non actu vt patet includat, cum earundem præciſione concipi valet, primo modo conceptum corpus dicet partem ſpeciei, ſecundo modo dicet totum, ſic idem varia conſideratione, vt totum, ac pars poteſt ad ſpeciem referri. Quarta.

Poſterius exemplum deſumptum eſt ex animali, quippe quod poteſt primo accipi, vt ſignificat tantum formam illam, ex qua oriantur ſenſus, & motus à principio in eo exiſtente, cum præciſione alterius perfectionis, (per hæc enim differt ab anima carente, vt legitur primo de anima 19. & de ſenſu ac ſenſili cap. 1.) ſecundo dicit formam omnem, ex qua ſenſus oriatur, & motus abſque vlterioris perfectionis præciſione, puta velle, intelligere, &c. priori modo acceptum non eſt genus, ſed pars, quoniã perfectio ſuperueniens eſt extra eius ſignificatum, & nequaquam implicite in ipſo clauditur, ſecundo modo eſt genus, & totum dicit ſpeciei, quoniam nihil aduenire intelligitur, quod ſit extra eius ſignificatum, quodue in ipſo non contineatur. Ariſtotel.

Quoad quintum; Colligit cõuenientiam inter genus, ſpeciem, differentiã, ac definitionem, (hoc enim ſequitur ex dictis in tertia, & manifeſtatis in quarta parte,) in eo nanque conueniunt, quod eorum quodcumque dicit totum, quod eſt in ſpecie, nam & differentia vere, ac proprie de ipſa dicitur, & implicite claudit quicquid eſt in ſpecie ipſa, dicimus enim, homo eſt rationalis, quod ſi differentia partem tantum diceret, non de ipſa prædicaretur, quare omnia confundit, & in confuſo importat, de ſpecie autem, & definitione conſtat, totum eiuſdem ſpeciei dicere. Quinta.

Quo ad ſextum: Differunt primo hæc enumerata, quoniam genus ſignificat totum, tamquam materialem perfectionem in re, abſque propriæ formæ determinatione, vnde dicitur ſumi à materia, corpus quidem ſignificat id, quod habet eam perfectionem, vt in eo deſignari poſſint tres dimenſiones, quod ſignificatum, nullus dubitat rationem materialis induere, dum alteri perfectioni comparatur; Differentia vero e contra ſignificat totum, veluti formalem perfectionem, abſque eo quod in primo eius intellectu, vel ſignificato ſit determinata materia, cum enim dicitur animatum, dicitur forma determinata, & id quod habet animam, non autem determinatur quid ſit hoc habens animã, hoc ſubiectum, hæc materia, an ſcilicet corpus, an quoduis aliud. Hinc dicebat Auicennas quinto Metaphyſ. cap. 5. quod genus non eſt in differentia, ſicut pars ſuæ eſſentiæ, hoc eſt, non cadit in primo eius ſignificato, ſed ſolũ ſicut ens extra quidditatem, vel eſſentiam, ex quo concluditur, genus non prædicari per ſe de differentia, vt docuit Ariſtoteles tertio Diuinorum 10. & 4. Topic. cap. 3. niſi forte eo modo dicatur, quomodo ſubiectum dicitur de paſſione; Definitio Sexta. Auicenn. Ariſtot.

vero, ac ſpecies comprehendunt vtrumque, & materiam ſcilicet determinatã, quæ importatur nomine generis, & determinatam formam, quam dicit nomen differentiæ.

Differũt ſecundo, quoniam genus ex proportione ſe habet ad materiã, non tamen eſt materia, differentia autem ſe habet ex proportione ad formam, & tamen non eſt forma, & quidem proportionem generis ad materiam, & differẽtiæ ad formam iam inſinuatam habuimus, cum mox viderimus perfectionem genericam ſe habere vt materiale ad perfectionem differentiæ, ideo legis in litera, hoc patere ex dictis; Quod vero genus non ſit proprie materia, neque differentia proprie forma, probat, quoniã genus, & differentia dicuntur de ſpecie, vt patuit in quinta parte, non autem vel materia, vel forma dicuntur de ſpecie, ſic genus, & differentia dicunt totum ſpeciei, materia vero, & forma partem ſolum, ſic ait nos dicere, hominem eſſe ex corpore, & ex anima, veluti tertiam quandam rem ex duabus conſtitutam, non autem dicimus, hominem eſſe ex rationali, & animali, vt rem tertiam ex duabus, ſed ſicut intellectum tertiũ ex duobus intellectibus, quoniam intellectus animalis exprimit naturam rei abſque determinatione formæ ſpecialis, intellectus vero differentiæ ſtat in forma ſpeciali exprimenda, ex quibus duobus intellectibus conſtituitur intellectus ſpeciei, vel definitionis, & ſicut res illa, quæ conſtituitur ex aliquibus, nõ recipit prædicationem rerum illarum ex quibus conſtituitur, (non enim dicitur ciuitas eſſe templa, viæ, domus,) ita neque intellectus aliquem tertium intellectum conſtituentes dicuntur de illo, ſic non dicitur definitio eſſe vel genus, vel differentia, &c.

Septima. Quo ad ſeptimum; Quoniam ex eo quod genus dicit totũ eſſe ſpeciei, & variæ ſpecies habent idem genus, ideo apparet, quod variæ ſpecies vnam, & eandem eſſentiam obtineant; ruit breui hæc inſtantia, quoniam genus non ſignificat aliquid vnum per poſitionem alicuius, & vnius determinatæ rei, ſed vnũ quid per indifferentiam plurium rerum, ad hoc autẽ vt colligatur vnitas ſpecierum in eſſentia ſimpliciter, oportebat earum eſſentiam eſſe vnam numero, non vnam per indeterminationem; ſic & Auerroes 12. Diuinorum 14. comparans genus cum materia quo ad vnitatem dicebat, hanc eſſe vnam per omnium formarum remotionem, illud vero vnum vnitate communis formæ, quam ſignificat, &c.

Octaua. Quo ad octauum: Sicut natura generis comparata ſpeciei eſt indeterminata, ita & natura ſpeciei ſi comparetur indiuiduo, & velut genus dictũ de ſpecie, totum quod eſt diſtincte in ipſa indiſtincte dicit, (vt iam in tertia parte literæ habitum eſt,) ſic ſpecies vt dicitur de indiuiduo, totum quod eſt in indiuiduo ſignificat confuſe; Ita eſſentia ſpeciei nomine hominis ſignificatur, & homo dicitur de Sorte, at ſi capiatur natura ſpeciei cum præciſione materiæ ſignatæ, veluti fit quando ſtat ſub hoc nomine *humanitas*, non dicitur de homine, vel de Sorte, vt Auicennas dixit quinto Metaphyſicæ cap. 5. & ratio eſt, quoniam vt ſic habet rationem partis, (excludit quippe aliam partem, principia ſcilicet indiuiduationis,) & nulla pars dicitur de toto, &c. Eſt tamẽ diſcrimen penes genus præciſe acceptum, relatione ad ſpeciem, & hanc præciſe acceptam, comparatione ad indiuiduum, quod genus dicit partem materialem ſpeciei, ſpecies partem formalem indiuidui, & ratio habita eſt in ſecunda parte literæ, quando dictum fuit, deſignationem ſpeciei ad genus eſſe per formam, illam vero indiuidui ad ſpeciem, per materiam; Sic breuiter eſſentia

ſpeciei

ſpeciei comparatur indiuiduo vt totum, & vt pars, vt totum dicitur de ipſa, nam Sortes eſt homo, vt pars nequaquã, neque enim Sortes eſt humanitas, &c. Nota.

Quo ad vltimam partem; Conſtare ait, eſſentiam ſpecificam, vt illam hominis ſignificari hoc nomine *homo*, vt totum, non præſcindendo ſignationem materiæ, ſed eam implicite continendo, & hoc nomine *humanitas*, vt partem, id ſcilicet tantum continentem, quod eſt hominis vt homo, & omnem materiæ ſignationem præſcindentem, priori modo dicitur de indiuiduis, non ſecũdo. Ita nonnumquam videtur eſſentia hominis affirmari, & negari de eodem indiuiduo, ex varia iſta quæ contingit eiuſdem acceptione, &c.

ANNOTATIONES.

Patet ergo, quod eſſentia hominis, & Socratis, &c.

CIRCA primam partem, immo circa totum hoc caput adnotabat Caiet. (& diligentiſſime adnotandũ dicebat,) quod triplici via poteſt eſſe ſermo de eſſentijs ſubſtantiarũ compoſitarum, de quibus loquimur, poſſumus enim primo loqui de ipſis abſolute, abſque vllo reſpectu ad nomina quibus ſubſint, ſiue primæ, ſiue ſecundæ intentionis fuerint, ſecundo, vt ſubiacent nominibus primæ intentionis, tertio vt ſubſtant nominibus ſecundæ, vt de natura animalis verba habere poſſumus ſecundum ea quæ ſibi conueniunt abſolute, merito propriæ quidditatis, & naturæ, & ſecundum ea quæ ſibi tribuuntur, vt hac voce *animal*, ſeu *animalitas* explicatur, & poſtremo iuxta ea, quæ eidem debentur, vt ſtat ſub hoc nomine *genus*. Neque mireris, quod in prima acceptione nullum nomen conſideretur, aut primæ, aut ſecundæ intentionis, quamuis enim aliquo tali nomine veniat vnumquodque neceſſario manifeſtandum, dicimus tamen, quod conſideratur natura, & eſſentia primo modo, nõ vt ſtat ſub aliqua voce, licet ſi à nobis penetrari debeat, ſub aliquo nomine fiat nobis obuia, ſed vox tunc, & nomen eſt conditio ſine qua non eſſentia conſideratur, in ſecundo autem, & tertio modo nomen eſt ratio conſiderationis, quoniam conſiderantur tunc, vt ſubſunt ijs vocibus. Sic quando Auctor inquit in prima hac parte, eſſentias genericas, ſpecificas, & indiuiduales non differre, niſi iuxta ſignatum, & non ſignatum, accipit eſſentias primo modo, ſecundum ſcilicet earum naturam, abſque vllo reſpectu ad quoduis nomen, non autem loquitur de illis vel ſecunda, vel tertia via; tertia autem parte literæ ipſas contemplatur, vt ſubiacent vocibus primæ intentionis, vt ibi innuebam, & ita toto hoc capite; In ſequenti deinceps intuetur eaſdem, quatenus ſubſtant nominibus ſecundæ intentionis, patebit ſiquidem, præfatas eſſentias, vt vocibus illis ſubſunt, differre magis, quam ſecundum ſignatum, & non ſignatum.

Caiet. Quot vijs contingat loqui de eſſẽtia ſubſtantiarũ compoſitarum.

Circa eandem primam partem nota id quod ex inſinuatione ibidem tradebatur, quod nomine differentiæ penes ſignatum, & non ſignatum, nihil aliud intelligimus, niſi incluſionẽ, & nõ incluſionẽ alicuius, adeo quod illud dicetur ſignatum, quod aliquid includet, & dicet, quod non dicet, vel includet aliud, quod perinde vocabitur nõ ſignatũ. Dixi incluſionẽ, & nõ incluſionẽ, nõ autem dixi

Quid ſit differre iuxta ſignatum, & non ſignatum.

dixi incluſionem,& excluſionem, quoniam ſtat, aliquid non includere quidpiam, & tamen illud non excludere, ſed ab vtroque abſtrahere,vt patet de colore ad album, & nigrum, de animali ad rationale,& irrationale,de numero ad parem, & imparem;Ita natura indiuidualis dicetur ſignata in ordine ad naturam ſpecificam, quoniam aliquid includet, quod non includet iſta,non autem quia quid includat, quod excludat natura ſpecifica, (non enimSortes foret hic homo,ſi includeret aliquid excluſum ab homine vt ſic,) idem dicas de natura ſpecifica comparata genericæ, quoniam illa ſignata, hæc nõ ſignata, non quia illa includat, hæc excludat, ſed quia illa includit,hæc non includit.

Ea propter fit, vt hæc incluſio,& non incluſio non debeat in propoſito appellari ſimpliciter, & abſque addito incluſio; & non incluſio, ſed incluſio, & non incluſio explicita, & implicita, ita vt illud ſit ſignatum in ordine ad aliquid non ſignatum, quod aliquid explicite includit,quod alterum non explicite includit, non autem ita, vt ſignatum includat, & non ſignatum nulla via includat, vt facile conſtare poteſt ex ijs,quæ adſert Caiet. & ex ijs, quæ in litera diuidenda & nos adſerebamus,& ex ijs, quæ circa eandem literam ſumus allaturi.

Quamuis alius modus deſignationis, &c.

CIrca ſecundam partem, vbi dicebatur,deſignationem indiuidui relatione ad ſpeciem, facere in ipſa diſtinctionem materialem, deſignationem autem ſpeciei reſpectu generis, gignere eſſentialem in genere diſtinctionem, quam doctrinam iterauimus octaua parte literæ, aduerte ex Auctore tractatu de Vniuerſalibus cap. 3. quod duplici via aliquid poteſt per formam ab alio diſtingui, primo,quod talis diſtinctio ſit per formã, ratione formæ, quatenus in formis diuerſi gradus reperiuntur, ſecundo,quod ſit per formam, at non ſecundũ abſolutam rationem formæ,ſed quatenus eſt hæc forma;Duplex ſiquidem poteſt eſſe in formis latitudo, altera ſecundũ gradus formales,quorũ vnus vt ſic eſt altero nobilior,altera ſecundũ numericam in eodem gradu plurificationem,quæ plane latitudo non eſt ſecundũ abſolutã formæ rationẽ; at ei ineſt merito cuiuſdã imperfectionis ſecundũ quam forma nata eſt habere rationem realiter partis alicuius totius; Deſignatio itaque indiuidui ad ſpeciem, non facit formam ſpecificam diſtingui ratione formæ, ſed tantum ratione materiæ, quoniam eandem formam vt formam, ſolum numero plurificabilẽ facit,non ſecundũ varios gradus formales,neque ſecundũ abſolutã formæ rationem; ſpecies quippe vt ſpecies non eſt in plura diuiſibilis formaliter, aliàs numquam foret ſtatus in diuiſionibus formalibus, & numquã eſſet dare indiuidua, deſignatio vero quam addit ſpecies ſupra genus, facit formam vt formam diſtingui, & ratione formæ, & ſecundũ gradus formales vt ſic, vnde diuerſitatem parit in genere eſſentialem, hoc eſt, facit, vt ea ad quæ deſcẽdit genus,differãt inter ſe ſpecifice, formaliter, & eſſẽtialiter,quoniam ſpecies variæ varijs differentijs conſtituuntur, quippe quæ à genere egredientes, in cuius poteſtate latebant, & hanc, illamque ſpeciem conſtituẽtes, ipſum eſſentialiter diuerſum faciunt, non quidem iuxta ea, quæ vim habent, vt ipſum conſtituant, ſed iuxta illa, quibus facultas ineſt ipſum diuidendi; manet profecto eadem animalis eſſentia in homine, & leone, nam vterque

D.Thom.

Quot modis quid ab alio per formã diſtinguatur.

Quomodo differẽtiæ diuerſum faciant genus.

vterque eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, alioquin ſi hæc eſſentia permutaretur, iam nedum ſpecie, ſed & genere homo, ac leo differrent, ſed ſit diuerſum animal in homine, ab animali in leone, merito eorum, quæ animal ipſum diuidunt, merito inquam differentiarum, quæ quoniam à diuerſis formis ſumuntur, iccirco formaliter diuerſum illud efficiunt, &c.

Quod autem hæc vera ſint, colligat vnuſquiſque à poſteriori, ex eo quod cum forma, ac definitio ſint vnum, & idem, loquendo de forma totius, vt quæſtione 3. ad caput præcedens patuit; ſpecies non conueniunt in definitione, quoniam alia hominis, alia leonis eſt definitio, accipiendo ipſos vt ſpecies, non vt animalia ſunt, atque ideo non conueniunt in forma, ſed formaliter diuerſæ ſunt, ſeu differentes, indiuidua vero omnia conueniunt in eadem definitione formali vt conſtat, eo modo loquendo, quo poſſunt definiri, vt ſcilicet in aliquo conueniunt: vt reducta ſunt in ſpeciem, & formalitatem, vt verbo Alenſis vtar ſuper 36. ſeptimi Diuinorum; Et Alexander exponens 12. quinti eorundem, circa definitioně Vnius ſpecie ab Ariſtotele ibi traditā dicebat, vnam eſſe rationem omnium, quæ eidem ſpeciei ſubijciuntur, patet autem, non niſi indiuidua ſub eadem ſpecie poni, ergo non formaliter, non eſſentialiter differunt: Sic dicebat Auctor ſecundo con. Gent. 81. quod non quæuis formarum diuerſitas cauſat diuerſitatem ſecundum ſpeciem, ſed illa dumtaxat, quæ eſt ſecūdum principia formalia, vel ſecundum diuerſam rationem formæ, alia ſiquidem eſt anima mea ab anima Petri, quæ tamen alietas non eſt ſecundum diuerſa principia eſſentialia ipſius animæ, neque ſecundū diuerſam rationem ipſius, ſic non eſt inter eas diſtinctio formalis, & ſpecifica, ſed diſtinctio formarū, vbi Ferrarien. probe adnotabat, Auctorem nomine principii formalis, & eſſentialium formæ accipere proprium genus, & propriā differentiam, ex quibus formæ ſecundum rationem componuntur, quare idē eſt dicere, hæc diſtinguuntur, aut ſecundum partem aliquam definitionis, aut ſecundum totam definitionem; ſic & Ariſtoteles quinto Diuinorum tex. illo 12. dicebat, ea eſſe vnum ſpecie, quorum ratio eſt vna, hinc ea differunt ſpecie, quæ differunt definitione, nam rationis nomine accipitur ibi definitio, vt exponebat Auerroes ibidem, & Auctor, (quos ſecutus eſt Sueſſanus,) ſubdens, nihil proprie definiri, niſi ſpeciem. Hæc verbo vno voluit innuere Caiet. quando dixit, deſignationem ſpeciei ad genus, ipſum eſſentialiter diuerſum facere, quoniam eſt ſumpta à forma, in eo quod forma, vbi reduplicationem docte addidit, illam vero indiuidui ad ſpeciem licet intueamur aliquo modo ſumi à forma, non tamen vt forma, ſed vt forma hæc, penes gradus illos materialiter, ob varia ſubiecta in quibus recipitur, &c. Vnde ſcite Alenſis dixit circa 11. ſecundi Diuinorum, diuiſionem generis in differentias eſſe formalem, & in formales conceptus, illam autem ſpeciei in indiuidua eſſe materialem, & ideo non diuidi in alios conceptus, ſed per materiam variari.

Ita vera eſſe deprehendis, quæ de ſpecie circumferuntur, quod ſcilicet diuidua ſit, & indiuidua, diuidua quidem materialiter, & numerice, indiuidua formaliter, indiuiduum autem vtroque modo eſt indiuiduum, vt clare patet; quoniam tamen formalis diuiſio eſt præcipue ſpectanda, materialis vero, & numerica, non niſi ferè ex accidenti, veluti & inſpiciuntur indiuidua, icciro ſpecies ſimpliciter proferenda eſt indiuidua, & non niſi cum addito diuidua, hoc eſt materialiter, ſeu numerice; Hinc Porphirius cap. de Specie eam abſolute athomam merito nuncupauit, & Albertus ſemper magnus pro-

Diſtinctio ſpecierum ab inuicem.

Alenſis.

Alexander.

D.Thom.

Diſtinctio interdum animas intellectiuas.

Ferrarien.

Ariſtot.

Auerroes.

D.Thom.

Sueſſanus.

Caietanus.

Alenſis.

Quomodo ſpecies diuidua, & indiuidua.

Porphir.

Alber. magn.

pe finem

pe finem decimi Diuinorum tract. 2. cap. 11. inquiebat, ſpeciem, ſeu formam hominis, non eſſe in hominibus diuiſam, niſi ſecundum accidens, hoc eſt, ſecundum eſſe, quod habet in materia, vnde diuerſa quædam materialia ſunt carnes, & oſſa, ex quibus eſt hic, & hic homo, & ſuper Porphir. tract. 2. cap. 2. ſcripſit, ſpeciem non diuidi per ea quæ in ipſa ſint, neque ſecundum ſuam ſubſtantialem poteſtatem, ſed potius multiplicari, & numerari, ex quibus verbis bene colligebat Capreolus in 2. d. 3. quæſt. 1. ad 12. Scoti contra ſecundam concluſionem, quod aliter diuiditur natura generis, aliter natura ſpeciei, quoniam illa per intrinſeca, hæc per extrinſeca, ſic bene dicitur in litera, ſignationem indiuidui ad ſpeciem eſſe per materiam, atque ideo materialiter, non formaliter ipſam reddere diuerſam.

Capreol.

Obſerua vlterius pro clariori eorum quæ dixi notitia, quod deſignatio ſpeciei ad genus, quam diximus cauſare diuerſitatem eſſentialem in ipſo genere, non eſt merito ſpecierum originaliter, & tamquam à radice, ſed merito differentiarum; Hæ quippe à genere exeuntes, idipſum vt dicebatur diuerſum efficiunt, & quamuis inter ſe ſpecies eſſentiali differentia differant, non tamen illæ ſunt, quæ diuerſitatem in genere fecerint, ſed ſunt conſtitutæ per illa, quæ genus diuerſificarunt, conſtituuntur namque per differentias, quæ prius diuiſerunt ipſum, duas enim functiones dabat ipſi differentiæ Porphirius in prædicabilibus, vt ſcilicet diuideret genus, & conſtitueret ſpeciem, & licet numquam diuidat illud, quin hanc conſtituat, & e contra, prius tamen noſtro modo intelligendi, ac natura, & cauſalitate diuiditur genus, quam conſtituatur ſpecies, vocantur nihilominus differentiæ iſtæ ſpecificæ, hoc eſt ſpecierum conſtitutiuæ, & non genericæ, hoc eſt generum diuiſiuæ, quoniã generis diuiſio fit in gratiã conſtitutionis ſpeciei, & hæc eſt illius finis, &c.

Vnde ſit originaliter deſignatio ſpeciei ad genus.

Porphir.

Cur differentiæ dicantur ſpecificæ.

Non cenſeas autem quaſcumque differentias diuerſitatem facere in genere, ſed eas contrarias eſſe oportet ex decimo Diuinorum 24. & vere contrarie opponi, vt docebat Boetius tractatu de diuiſione cap. 4. & Auctor ſuper 16. quinti Diuinorum aſſeruit, omne genus diuidi in contrarias differentias, non autem in contrarias ſpecies; Ea propter, quæ genus diuidunt, vnum eorum non permutabitur in aliud ſecundum eſſe, vel ſecundum rationem, ſalua manente ſubſtantia diuidentis, neque vnum, & idem ſub forma duorum diuidentium inuenietur, nam ſi alterum diuidentium integra exiſtente ſubſtantiæ ſuæ ratione, ad formam alterius mutaretur, tunc forma alterius diuidentis erit in eo, non ſicut pars eſſentiæ ſuæ, (tunc enim non remanſiſſet integra eius ratio, ſiquid aliud eandem rationem compleret,) ſed ſicut quoddam accidentale, cumque id quod eſt accidens vni, nequeat eſſe ſubſtantia alteri, vt colligitur ex Ariſtotele primo Phyſ. 27. & 30. diuidens illud nullibi erit ſubſtantia, ſic non conſtituet ſpeciem, & ſubinde non ſecabit genus, ſimiliter nequit aliquid idem ſub forma duarum differentiarum diuidentium inueniri, quoniam ſi iam ſupponatur completa eius ſubſtantia, hæc erunt in illo accidentia, vnde ſequitur quod prius, vt perdocte quidem, at perobſcure arguebat Alber. magnus quinto Diuinorũ tract. 6. cap. 11. circa quæ ipſe immorarer, & rem non omnino facilem exemplis illuſtrarem, at hic non eſt germanus locus, in quo hæc limatius expendantur; Vide ſi placet grauiſſimum virum lib. illo & tract. à cap. 9. vſque ad 13. Verum de genere, ac differentijs, quomodo ad inuicem ſe habeant, prima ad hoc caput quæſtio nos manet, &c.

Ariſtot.

Boetius.

D. Thom.

Ariſtotel.

Alber. mag.

Hæc

Hac autem determinatio, vel deſignatio, &c.

CIrca tertiam partem, vbi dictum eſt, quicquid eſt in ſpecie, eſſe quoque in genere, & id quod addit ſpecies generi, non eſſe extra rationem generis, debes ſcire, quod nihil aliud includit ſpecies, quam genus, & differentiam, homo enim nil aliud eſt, quam animal rationale, differentiæ autem extrahuntur de poteſtate generis, & in eius natura latitant, vnde non ſunt extra naturã generis, quare nihil dicit ſpecies, quin dicat & genus, licet aliquod ſpecies dicat, differentiã ſcilicet in actu, & determinate, genus vero poteſtate, & indeterminate; ſic accipe quod dixit Porphir. deſcribens in prædicabilibus primo loco differentiam, eam eſſe docens, qua ſpecies abundat à genere, non enim ita abundat, vt aliquid contineat, quod nullo modo contineatur in genere, ſed aliquid determinate dicit, vt dicitur in litera, quod non dicit genus, niſi indeterminate, differentiam videlicet, quam actu, & determinate dicit ſpecies, & genus indeterminate, & in potentia, ſic poſita ſpecie, ponitur actu differentia ipſam conſtituens, & intellecta ſpecie, intelligitur differentia, immo differentia ipſa principium eſt quo intelligitur ſpecies, quorum neutrum poteſt dici de genere, da enim, quod genus actu habeat differentiam, iam omnia habebit, quæ ad ſpeciei conſtitutionem requirentur, & tunc differentia vana eſſet, ac redundans, da itidem, quod differentia quatenus eſt principium intelligendi ſpeciem, ſit in intellectu generis, iam in definitione ſpeciei poſito genere, nullatenus ponenda foret differentia. Nõ mireris autem, ſi intuearis differentias eſſe ab inuicem contrarias, & has in genere locemus, vt perinde ſequi videatur, oppoſita eidem ineſſe, nam huic obiectioni iam Porphir. ibidem cum omnibus qui illum expoſuerunt, quos me vidiſſe ſubueniat, occurrit dicens, eas non inueniri actu in genere, ſed ſolum in potentia, neque vllum eſſe abſurdum, vt hoc modo ſint contraria in eodem, quoniam vt prope finem cap. 4. tractatu 5. de prædicabilibus dicebat Albertus, oppoſita non repugnant, niſi diſtincta, non autem confuſa, omnium namque oppoſitorum vna eſt radix, à qua oriuntur, vnde vere dicitur vnum eſſe genus oppoſitorum, ad quod potes & videre Alexandrum ſecundo naturalium quæſtionum cap. 15. &c. Cum itaque quicquid actu inuenitur in ſpecie, inueniatur in genere in potentia, iure dicitur in litera, genus non eſſe partem, ſed totum ſpeciei, quæ plane dicta profundius contemplabimur in quæſtionibus ad hoc caput.

Quid includat ſpecies.

Quo pacto differẽtia abũdet ſpecies à genere.

Quomodo ſint in genere differentiæ.

Alb. mag.

Quomodo oppoſita repugnent.

Alexand.

Circa eandem partem, in qua ideo probatur genus non eſſe partem, ſed totum ſpeciei, quoniam de ipſa prædicatur, & nulla pars de toto prædicatur aduerte, quod hanc eandem probationem vbique Auctor adhibet, quando hac de re loquitur; Ita in hac parte, & octaua huiuſmet capitis, quod innuit, & in ſexta, ſic in expoſitione 33. & 43. ſeptimi Diuinorum, ſic ſuper 10. quinti eorundem, ſic ſuper 24. decimi eiuſdem ſcientiæ, ſic opuſculo 42. de natura generis cap. quinto, ſic prima ſec. q 67. art. 5. & eſt ratio omnium antiquorum, quam docuit Alex. lib. illo ſecundo, cap. vltimo, cui omnes peripatetici, quos hac in re ſcripſiſſe animaduerterim aures præbuerunt.

Varia loca D. Thom.

Alexand.

Aduerte deinceps ex Caiet. hoc in loco, veriſsimam eſſe hanc propoſitionem, *Pars non prædicatur de toto*, ſi intelligatur de prædicatione in recto, & vt ſic, hoc eſt de parte vt pars, nam nullus ignorat, veram eſſe

Caietan.

Quomodò pars non prædicetur de toto.

It partis

partis prædicationem de toto in obliquo, vt dicendo, homo conſtat ex corpore, & ſimiliter partem vt nomine totius ſumitur, dum ſcilicet confundit pro omni eo de quo dicitur, vt dum dicitur, homo albus. Hinc non mihi admodũ ij probantur, qui allegatam propoſitionem explicant de parte ſolum integrali, dicentes falli in partibus eſſentialibus, quoniam eſſentiales partes, hoc eſt definitiuæ dicuntur de toto, vt dicendo homo eſt animal, quamuis enim hęc ſit veritatis plenum, tamen pars eſſentialis numquam vt pars dicitur de toto, ſed eatenus dicitur, quatenus genus, & differentia, quæ ponuntur partes definitionis, & eſſentiales, ſunt reuera totum dicentes definiti, & non partem; vnde numquam animal diceretur de homine, ſi vt pars formaliter, & vt ſic acciperetur, ſed tunc ſolum dicitur, quando vt totum ſpeciei conſideratur, idem dicas de altera parte eſſentiali, ſeu definiente; videbimus namque vltima quæſtione huius literæ, conceptum formalem animalis, aut generis, & rationalis, aut differentiæ formaliter acceptos, (vt ſcilicet partes ſunt) non dici in recto de homine, ſiue de ſpecie, & appoſite Capreolus in primo, diſtinctione quarta, quæſtione ſecunda, ad primum Aureoli contra ſecundam concluſionem dicebat, principia definientia, (ecce partes eſſentiales) poſſe ſignificari vel per modum partis, vel per modum totius, & primo modo non dicuntur de toto, ſed ſolum ſecundo modo, ſignificantur autem per modum partis in abſtracto, vt animalitas, rationalitas, &c. per modum totius in concreto, vt animal, rationale, & c. Vnde de omni parte vt ſic, abſolute, & vniuerſaliter vera eſt propoſitio.

Non admittitur quorumdã explicatio.

Capreol.

Non turberis autem iunior, ſi in litera dicatur, partem integralem non prædicari de toto, id de parte abſolute non enunciando, quoniam propoſitionem notiſſimam aſſumere voluit Auctor, & ex notioribus deuenire ad manifeſtationem propoſitionis vniuerſalis, cum enim velit probare, genus non eſſe partem, ex eo probat, quod dicitur in recto de ſpecie, & tamen genus partem eſſe ſpeciei eſſentialem nullus dubitat; ita ex propoſitione de parte integrali notiori, patefecit in parte quoque eſſentiali, quod ſi de integrali parte ſolum vera foret propoſitio, nihil ex vi ipſius probaſſet in propoſito. Quod ſi aliqui dicant, ſe ideo ſuſtinere partem eſſentialem dici in recto de toto, quoniam pars eſſentialis vere dicit totum illius de quo dicitur, iam non eſt propoſitio formalis, non enim in eo quod pars, ſed vt totum dicitur, &c. Quoniã igitur genus dicitur in recto de ſpecie, verum relinquitur, quod habetur in hac parte, ipſum videlicet, vt totum ad ſpeciem comparari, &c.

Hoc autem quomodo contingat, videri poteſt, &c.

Circa quartam partem, in qua habentur duo illa exempla, vt oſtendatur, quomodo genus poſſit accipi vt totum, & vt pars, legere potes ipſum Auctorem, & Caiet. apertiſſime loquentes; Et quidem exemplum illud de corpore adferebatur ab eodem Auctore locis quibuſdam memoratis, in expoſitione ſcilicet tex. illius 43. & illo opuſculo, capite 8. Colligebat autem facile, & pulchre Caietanus diſcrimen triplex inter corpus acceptum cum præciſione, & ſeipſum abſque præciſione, & primum erat, quoniam corpus primo modo ſolam dicit corporeitatem, ex qua trina illa dimenſio nata eſt fluere, cum præciſione cuiuſuis perfectionis vlterioris, ſi enim ab omni alia perfe-

Caietan.

Diſcrimen varium inter corpus cum præciſione, & ſine præciſione.

ctione non præſcinderet, non ſolam diceret corporeitatem, ſecundo modo, non corporeitatem vt ſic, ſed formam quamcumque dicit, a qua ſit ipſa corporeitas, & à qua fluere poteſt dimenſio illa, cum quacumque vlteriori perfectione. Secundum erat, quoniam primo modo eſt pars ſpeciei, ſecundo modo eſt totum, ratio illius eſt, quoniam tunc ſignificatum formale, ſeu differentiæ, ſeu illius à quo ſumitur differentia, eſt extra ſignificatum eius, vt anima rationalis, quæ in homine eſt forma, & id à quo accipitur differentia, non includitur in ſignificato corporeitatis, ratio huius eſt, quoniam in corporeitate ſecundo modo accepta includitur, nam dicebat quamcumque formam, & quamuis vlteriorem perfectionem; tertio diſcriminabantur, quoniam primo modo non eſt in recta linea prædicamentali, eſt enim vt ſic pars, & nulla pars rectam in cathegorijs obtinet ſedem, ſed ex reductione ſolum ad eas ſpectat, at ſecundo modo locatur in recta linea, nam hoc modo eſt genus, & cuiuis generi directam ſedem in cathegorijs accommodari, norunt omnes dialectici, & philoſophi. Hæc omnia minimo negotio poteſt quis ex ſe aſſignare animali ſumpto in priori, & in poſteriori acceptione, omnia enim ex proportione hinc, & inde in hoc propoſito reſpondent, conſiderata varia vnius, & eiuſdem rei ratione, & acceptione. Id tamen perfacile adnotare potes circa tria enumerata diſcrimina, quod prius eſt cauſa poſterioris, quoniam enim corpus primo modo acceptum importat corporeitatem ſolum, ſequitur, quod ſit tantum pars alicuius compoſiti viuentis, nam de ratione huius eſt anima etiam, ſimiliter quoniam ſecundo modo acceptum, quamcumque formam dicit, ideo totum dicit ſpeciei, atque compoſiti, & quoniam ibi eſt pars, ea propter non niſi reductiue ad prædicamenta attinet, quoniam vero hic eſt totum, iccirco directe ſpectat ad ipſa; Idem prorſus dicito de alio exemplo ex animali deſumpto.

Quomodo partes ſint in prędicamentis.

Si igitur genus ſignificat indeterminate, &c.

Circa quintam partem, vbi colligebat Auctor ex eo quod genus ſignificet id totum quod eſt in ſpecie, differentiam itidem totum ſignificare, potes aduertere, illud iure collegiſſe, & velut manifeſtum reliquiſſe, eatenus namque collegit, ac probauit genus dicere indeterminate totum ſpeciei, quoniam dicitur de ipſa, pari ergo ratione, illud omne quod de ſpecie dicetur, totum ſpeciei continebit; cumque apertiſſimum ſit, differentiam dici de ſpeciei, illud conſequitur, vt & differentia totum dicat ſpeciei, & quoniam vt clarum ſuppoſuit, differentiam prædicari de ſpecie, ideo pro manifeſto reliquit, vt totum ſpeciei dicat, & ſimile in hoc ſit iudicium de ipſa, & de genere; Sic vides, quod prædicari de aliquo in recto, & totum ipſius dicere conuertuntur, & ex vno aliud infertur, quamuis vere loquendo, cauſa quod quid prædicetur, eſt quod ſit totum alicuius, quoniam eſſe in fundat dici de, vnde ſe habent, vt cauſa, & effectus.

Quomodo ſe habeant prædicari de aliquo in recto, & totum illius dicere.

Auctor vero quando patefaciebat genus, & differentiam dicere totum quod eſt in ſpecie, de genere loquens dicebat, quod non tantum materiam ſignificaret, de differentia, quod non tantum formam, & hoc non abſque artificio; conſtat enim, quod genus, & differentia ſe habent vt materia, & forma, & nullus dubitat, genus importare ſeipſum, ac perinde quid mate-

riale, ſimiliter differentiam ſeipſam exprimere, atque ideo quid formale; ſed dubitatio in eo eſt, num genus formam, num differentia materiam poſſit ſignificare, ideo docuit, illud formam, & hanc materiam dicere, & ex conſequenti vtrumque, totum quod eſt in ſpecie.

Quod vero ſpecies, ac definitio ſignificent totum eſſe ſpeciei, id ſolum protulit, & nullatenus probauit; Quis enim poſſit in dubium vertere, num aliquid dicat ſeipſum, num ſpecies ſeipſam exprimat? ſimiliter quis dubitet, definitionem dicere totum eſſe definiti; Quod ſi addas, ſolam ſpeciem definiri vere, ac proprie, illud relinquitur, vt definitio totum eſſe ſpeciei dicat. Ad hæc, iſta ſuppoſuit, quoniam mox in aſſignanda differentia inter genus, differentiam, ſpeciem, ac definitionem aperit, quomodo hæc dicantur de ſpecie, vt ſtatim ſumus viſuri.

Sed diuerſimode, quia prius ſignificat totũm, &c.

Caiet. CIrca ſextam partem, in gratiam primæ quam habemus inter enumerata differentiam, doctrinam nobilem adſerebat Caietanus, quando dicebat genus, differentiam, ſpeciem, ac definitionem conuenire in ſignificato materiali, & differre in ſignificato formali, nam de materiali omnia omne quod eſt in ſpecie dicunt, & inuertunt, at iuxta formale, aliquid exprimitur per vnum, quod per aliud tacetur, nam ſignificatum formale generis eſt perfectio materialis, illud vero differentiæ eſt formale, ſpeciei id quod ex vtraque perfectione, materiali ſcilicet, & formali conſurgit, abſque ipſorum diſtinctione, definitionis poſtremo illud eſt prorſus, quod ſpeciei, at ſit diſtincta earũ perfectionum expreſſio, & vide manifeſtiſſimũ exemplum in Caietano.

Quid ſit formale, & materiale ſignificatum. Formale ſolũ, & formale, & materiale ſignificatum generis, differentiæ, ſpeciei ac definitionis. Nomine autẽ ſignificati formalis in propoſito nihil aliud accipitur, quã id quod primo cadit in ſignificato, & per ipsũ exprimitur, nomine autẽ materialis ſignificati id intelligitur, quod vtique cadit ſub ſignificato, & per ipsũ importatur, at nõ primo, vel principaliter; Ita ſi genus cõtẽpleris, quo ad eius formale dũtaxat, exprimet tãtũ illud, quod ſe habet vt perfectio materialis ad ſpeciẽ, quoniã hoc ſolũ primo, & principaliter dicit, velut animal formaliter naturã ſolum ſenſitiuã refert, quam conſtat vt materiale quoddam ſe habere in homine, ſin vero eiuſdem formale, ac materiale ſimul inſpicias, hoc eſt, nedum illud quod primo exprimit, quod ad formale ſpectat, ſed & illud quod minus principaliter dicit, quod ad ipſius materiale attinet, ita nedum importabit quid materiale reſpectu ſpeciei, ſed etiam formale, & ex conſequenti totum eſſe ſpeciei dicet; ſimiliter ſi formale ſolum differentiæ ſignificatum ſpectes, videbis eam id ſolum dicere, quod eſt formale in ſpecie, velut rationale in homine explicat primo perfectionem tantum naturæ intellectiuæ, at ſi materiale quoque attendas, iam nedum formalem, ſed & materialem perfectionem, ac ſubinde quicquid eſt in ſpecie ſignificabit; Formale vero, & ſpeciei, & definitionis vtrumque dicit, & materialem ſcilicet, & formalem perfectionem, hoc tamen interuallo, quod ſpecies dicit eas indiſtincte, definitio autem diſtincte, vt dicitur primo Phyſ. quinto, & vt clare habet Alenſis in expoſitione 11. ſecundi Diuinorum; Sic non differt formale ſignificatum ſpeciei, à formali definitionis in ſignificando, quoniam & hoc, & illud omnia ſignificat, ſed ſolum in modo ſignificandi, quoniam illud ſpeciei, ſub

Ariſtotel. Alenſis.

quadam indiſtinctione, illud definitionis cum diſtinctione; dum enim, dico homo, (ecce ſpeciem) dico vtique & animal, & rationale, & ſubinde perfectionem formalem, & materialem, at non diſtinguo has perfectiones, neque eas in exprimendo partior, ſed ambas ſimul vna voce includo, at dum dico animal rationale, (ecce definitionem,) aperte nimis elucet vtramque dici perfectionem, & inter exprimendum diſtingui; Sic indiſtinctio, vel etiam quædam confuſio, quæ in formali ſpeciei inuenitur, non cadit ſuper eo, quod aliqua perfectio importetur, & aliqua taceatur, nam tunc non conueniret formale eius ſignificatum cum formali definitionis, ſed cum illo vel generis, vel differentiæ, ſed cadit ſuper expreſſionem vtriuſque perfectionis, & in modo ſignificandi, & cætera.

Hinc non recenſuit Auctor diſcrimen inter ſignificata ſpeciei, ac definitionis, quoniam nullum adeſt, ſed meminit dumtaxat id, in quo conueniunt, quare diſcrimen illud penes exprimendi modum vel ſiluit, quoniam notiſſimum erat, vel quoniam, (quod magis credo) intendebat aſſignare penes quid in formali ſignificato differrent, & cum nulla iuxta hoc inueniatur differentia, ideo eius non meminit, quin cum eas in hoc penitus conſentire videret, dixit, *definitio, ſiue ſpecies,* pro eodem vtramque ſumendo, & ambas cõfundendo, velut reuera in formali ſignificato idem penitus ſunt. Quod vero formale ſignificatum præ oculis omnino haberet, ex eo colligitur, quod ait, definitionem, ſeu ſpeciem comprehendere vtrumque, determinatam ſcilicet materiam, quam deſignat nomen generis, & determinatam formam, quam ſignat nomen differentiæ, quod ſi non loqueretur de ſignificato formali vt ſic, verum non eſſet, genus ſignificare determinatam materiam, nam de materiali, & formam ſignificat, ſimiliter verum non foret, differentiam ſignificare determinatam formam, quoniam & materiam de materiali dicit, vnde non potuiſſet vnum contra alterum diuidere; Non turberis autem, ſi dixerimus adferri ab ipſo diſcrimen inter quattuor illa, genus ſcilicet, differentiam, ſpeciẽ, ac definitionem, & modo dicamus, nullum inter ſpeciem, ac definitionem cadere, nam ſufficit, quod genus à differentia, & e contra, & hæc à ſpecie, & definitione, & vice verſa diſtinguantur, non autem requiritur, vt ſpecies à definitione in formali ſignificato ſecernatur, &c.

Cur non recẽſuerit D.Tho. differentiã inter ſignificata ſpeciei, ac definitionis.

Hæc quæ ſub his vocibus ſignificati formalis, & materialis ex Caietano diximus, poſſumus cum Auctore hoc loco dicere ſub his verbis *determinate,* & *indeterminate,* vt idem polleat ſignificare determinate, quod de formali, & indeterminate, quod de materiali, ita genus ſignificabit quod eſt materiale ſolum determinate, & indeterminate formale etiam ſpeciei, ſic applica reliquis, &c. Vel cum eodem, tractatu de prædicabilibus cap. quarto alia his poſſumus adhibere verba, dicendo idem valere, ſignificare explicite, quod determinate, & de ſignificato formali, & idem implicite, quod indeterminate, & de materiali, ſic applicando dicemus, differentiam ſignificare explicite id ſolum quod eſt formale in ſpecie, implicite autem & id quod eſt materiale, & ita de alijs ex applicatione erit ſuo modo proferendum, & quidem loco præfato ita clare, & facile loquitur Auctor, vt nihil ſuperſit, quod quis deſideret. Denique ſi alias voces cupis, dic quod ſignificare potentia, idem eſt, quod ſignificare de materiali, & indeterminate, & implicite, ſignificare vero actu æquiualet cũ ſignificatione de formali, & determinate, & explicite; Sic conclude, genus ſignificare id ſolum, quod eſt materiale in ſpecie de ſignifi-

Alijs vocibus eãdem habes doctrinam. D.Thom.

cato

cato formali, determinate, explicite, & in actu, at ſignificare etiam id quod eſt formale, de ſignificato materiali, indeterminate, implicite, & in potentia, differentiam vero e contra, ſpeciem, ac definitionem vtrumque de formali, determinate, explicite, & in actu, &c.

Id tamen perbreui circa hæc adnota, quod dum ſæpe iterauimus, differentiam ſignificare de formali id quod eſt formale in ſpecie, accipitur ly *formale* vt diſtinguitur contra materiale, & ex conſequenti, vt ſignificat formam partis, non autem vt dicit formam totius, nam hoc formale non diuiditur contra materiale, ſed illud includit, vt late viſum fuit quæſtione tertia ad caput præcedens, (ſumus enim modo in materialibus ſubſtantijs,) & ſi differentia explicite, & in actu diceret hoc modo formale ſpeciei, iam eius ſignificatum formale non differret à formali ſpeciei, ac definitionis, &c.

Circa ſecundam differentiam inter illa nō ſemel enumerata in eadem parte literæ, vbi duo de ipſis proferuntur, quod ſcilicet genus proportionaliter ſe habeat ad materiam, & ab illa ſumatur, non tamen ſit materia, differentia ex proportione ſe habeat ad formam, non tamen ſit forma, ſpecies proportionaliter ſe habeat ad compoſitum, & tamen illud non ſit, iam cernere potes, primum quod de his profertur veriſsimum eſſe, iam enim habitum eſt, quod genus de formali ſignificato dicit id, quod eſt materiale in ſpecie, differentia id quod eſt formale, & ſpecies vtrumque, vnde genus ad materiam, differentia ad formam, & ſpecies ad compoſitum ex ipſis proportione reſpondet. Præterea, velut materia eſt in potentia, & perficitur per formam, ac ſpecificatur, ita perfectio generica, quam formaliter, & explicite importat genus, eſt in potentia relatione ad perfectionem differentialem, quam formaliter, & determinate exprimit differentia, & ab ipſa perfectionem, ac ſpeciem ſumit, vt cernere eſt in perfectione ſenſitiua, quam in homine explicite refert genus, comparata perfectioni intellectiuæ, quam formaliter ſignificat differentia, eſt quippe in potētia materia in ordine ad formam in compoſito ſubſtantiali, & ſenſitiuum eſt in potentia ad rationale in homine, ibi materia perficitur per formam, hic ſenſitiuum per rationale, ſumit materia à forma ſpeciem ibi, & hic præbet ſpeciem rationale ſenſitiuo, denique ex materia, & forma emergit compoſitum ſubſtantiale, ex genere, atque differentia erumpit modo ſuo ſpecies.

Proportio inter materiam & formam, & genus, ac differentiam.

De altera vero parte loquentes, quod ſcilicet genus non ſit materia, non differentia forma, non ſpecies compoſitum, (definitio reticetur, quoniam vt patuit, & vt ex hac parte licet colligere, eſt prorſus eadem cum ſpecie, & ſimul confunditur,) plura forent dicenda; At quoniam in calce ferè 6. cap. huius libri edocetur, vnde nam ſumatur genus, & differentia in ſubſtantijs tum compoſitis, tum ſimplicibus, & multa ibi ſubtiliter adfert Caietan. ea propter omnia in illum locum differo, vbi accurate negotium hoc expendam, & potiſsimum quæſtione 5. Interim ſufficiat ratio adducta in litera, qua probatum fuat, genus non eſſe materiam, differentiam non eſſe formam, &c. Quæ vero alia in hac parte tanguntur, quæſtionibus ad hanc eandem partem enucleabo.

Quæ differat Auctor tractare vſque ad ſextum caput libri.

Quamuis autem genus ſignificet, &c.

CIrca ſeptimam partem, vbi dicebatur, non fieri conſequens, varias ſpecies vnam habere eſſentiam, licet vnum habeant genus, quoniam vnitas generis non eſt vnitas alicuius naturæ determinatæ, explicat Caiet. quid ſit ſignificare vnum per poſitionem alicuius determinatæ rei, & vnum per indifferentiam plurium rerum importatarum, dicens illud primo modo ſignificare vnum, quando quod ſignificatum eſt vna aliqua natura, & determinata, ſicut homo ſignificat humanitatem, quam conſtat vnam, ac determinatam eſſe naturam, id vero ſecundo modo vnum ſignificat, quando quod ſignificatur, non eſt vna aliqua determinata natura, ſed plures ſunt naturæ indeterminatæ, vt animal, quippe quod ſignificat naturam ſenſitiuam, quam patet non eſſe vnam, aut determinatam naturam, nullam enim videbis formam, quæ ſit anima ſenſitiua, ſed quæuis eſt vel humana, vel leonina, &c. Ita Ariſtoteles ſeptimo Phyſ. 31. dixit, iuxta genus latere multa: Quare bene dicebatur in litera, generis vnitaté ex indeterminatione, vel indifferentia procedere, ac ſubinde non ſequi, ſpecies non differre eſſentialiter, quamuis in huiuſmodi generis vnitate conueniant. Caietan. Qualem naturam ſignificet animal.

Ad quorum enodatam notitiam aduerte, non eſſe hic ſermonem de genere logice, ſed phyſice accepto, genus enim logicum nullam vt ſic importat naturam, ſed ſolum conceptum, vel intentionem, vel reſpectum rationis, at phyſice acceptum naturam ſignificat; Hinc 26. & vltimo, decimi Diuinorum legimus, corruptibile, & incorruptibile genere differre, & nihilominus logicus vtrumque, vnum genere vocabit, quoniam ibi Ariſtoteles genus phyſice capiebat, logicus vero more ſuo. Dicimus itaque, ſignificatum generis phyſici non eſſe aliquam vnam determinatam naturam, ſed indifferentiam, ac indeterminationem plurium naturarum, non quod ſignificet indifferentiam, ac indeterminationem, ſed dicitur ſignificare plures naturas indeterminate, non enim natura ſenſitiua, quæ eſt ſignificatum huius generis animal, eſt quid vnum determinate, ſed plures ſunt naturæ eius nomine ſignificatæ; Quod ſi dicas, pari via ſignificatum huius nominis *homo* non importare aliquam vnã naturam, quoniam nulla ſit natura humana, quæ non ſit vel Marci, vel Alexandri, &c. Dico, quod loquimur de ſignificatione alicuius naturæ formalis, & formaliter determinatæ, ſeu determinabilis, ſic animal, (& quoduis genus) dicit plures naturas formaliter determinabiles, per differentias ſcilicet in ſpecies, formaliter namque per rationale ad hominem, & per irrationale ad leonem determinatur, humanitas autem dicit naturam humanam, quæ formaliter amplius nequit determinari, & licet deſcendat ad hoc, & ad illud indiuiduum, non tamen formaliter, ſed materialiter ſolum in illis diuiditur, vt dictum fuit in obſeruationibus ad ſecundam partem literæ. Quid dicat genus logicum. Ariſtotel. Quid Phyſic. Dubium. Remouetur.

Quando ergo dicitur, genus ſignificare non vnam naturam, ſed plures, ly *plures* non ſumitur quouis modo, vel formaliter ſcilicet, vel materialiter, vel ſpecifice, vel numerice, tunc enim in aliquo horum ſenſuum & ſpecies ſignificat plura, vnde falſo ſignificationem huius vocis *homo* attuliſſet in præſenti Caiet. & indiuidua non eſſent ſimpliciter in natura vnum, ſed ſumitur formaliter, aut ſpecifice, quod nequit dici de ſignificato ſpeciei; quamuis bre- Quomodo genus ſignificet plures naturas.

nis breuius poſſit dici, (& in idem redit,) genus ſignificare plures naturas vt ſic, quoniam naturam humanam, leoninam, &c. ſpecies autem nequaquam ſignificat plures naturas, ſed vnam tantum, licet ſint plures naturam illam habentes, nomine quippe naturæ, iam ſpecies, & forma vt ſic denotari conſtat; ſed de generis, ac ſpeciei vnitate, redibit ſermo quæſtione ſecunda ſuper quartum caput.

Quid ſibi velit nomen naturæ.

At dicet quis, quomodo verum ſit, genus vt animal non ſignificare quid vnum, cum ad ſpecies ſuas ſit vniuocum, & in hoc differat ab analogo, nam illius voce aliquid ſimpliciter vnum, nomine vero huius, aliquid vnum proportione dumtaxat, hoc eſt, multa vt ſimilia exprimantur. Rurſus non apparent vera, quæ diximus de ſignificatione formali, & ſpecifica, applicantes ſignificato generis, & ſignificato ſpeciei, nam oſtendens Auctor quomodo genus nõ ſit vnum, attulit exemplum de materia, dicens generis ſignificatum non eſſe vnam naturam numero in diuerſis ſpeciebus, cui res alia ſuperueniat, quæ ſit differentia determinãs ipsũ, ſicut forma determinat materiã, quæ eſt vna numero, quare loquitur de eo quod ſignificatur, quod eſt vnum numero, & ſic non habebit veritatem quod diximus ex Caiet hominem ſcilicet ſignificare vnam determinatam naturam, quoniam patet, ſignificatum hominis non eſſe vnum numero, vel ſi vera fuerit doctrina quam attulimus, ſaltem non erit ad mentem Auctoris, nos enim confugimus ad vnitatem formalem, & non formalem, ille vero loquitur de vnitate numerali, &c.

Difficultas prima.

Secunda.

Reſpondeo ad primum, quod animal dicitur vniuoce de ſuis inferioribus, non quod phyſice ſit eis vniuocum, immo phyſice eſt æquiuocum, quoniam enim naturalis philoſophus naturas conſiderat, & animal non dicit naturam vnam ſimpliciter, ſed multas ſub ſe compatitur, ideo nequit eis eſſe vniuocum, ſed logice ſolum eſt eis vniuocum, hoc eſt, vnum dicit conceptum, & vnam intentionem, quod logicæ vniuocationi ſat eſt; Vnitas quippe generis, neque eſt ſpecifica, neque numerica, ſed ab vtraque abſtrahit, ita ſibi non repugnat, quod inueniatur & in diuerſis ſecundum ſpeciem, & in diuerſis ſecundum numerum, ſic eſt vnitas tantum conceptus, & rationis, vt probe quoque dixit Alenſis circa primum dubium in expoſitione 52. ſeptimi Diuinorum. Dum igitur dicitur animal eſſe ſuis ſpeciebus vniuocũ, nolumus dicere, animalis nomine accipi naturam aliquam numero vnam, ſed dicimus, quod ratio, & conceptus, qui per ipſum importatur, eſt quid vnum in ſingulis ſpeciebus, æqualiter inuentum, & ſpecies ipſæ ad illam vnam rationem ab ipſo omnino abſtrahentem adunantur, vt patuit quæſtionibus de conceptu, & analogia entis. Neque mireris, ſi quidpiam vni artifici comparatum ſit vniuocum, quod tamẽ apud alium ſit æquiuocũ, hoc enim prouenit ex varijs vijs, quibus varij ſcientifici eandem rem contemplantur, vt patere potuit artic. primo quæſtionis de analogia entis, & videas ſi placet Auctorem ſuper tex 26. ſeptimi Phyſic. & Albertum eodem libro, tract. ſecundo, cap. ſecundo.

Soluitur prima.

Quomodo animal dicatur vniuoce.

Vnitas generis, qualis.

Alenſis.

D. Thom.

Albe. mag.

Reſpondeo ad ſecundum, veriſſime dicere Auctorem, genus non ideo eſſe vnum, quoniam non dicit vnam naturam numero in diuerſis ſpeciebus, & accommodate affert exemplum de materia, at non hac ſolum de cauſa non eſt vnum, ſic enim vt bene arguebatur, neque humanitas aliquam vnam diceret naturam, ſed & ob eam cauſam, quoniam neque naturam vnam formaliter determinatam dicit, quo pacto humanitas vnam dicit naturam, vnde poſt exemplum de materia, mox adiecit, genus ſignificare quandam formam, non tamen deter-

Soluitur ſecunda.

Quare genus non ſit vnum.

determinate hanc, vel illam, quam differentia determinate exprimit, quare ex hac duplici cauſa, & non ex priori tantum, genus non eſt vnum, ſeu non ſignificat vnam formam, & naturam; exemplum autem de materia, quod abſolute videbatur inſeruire ad oſtendendum genus non eſſe vnum, quoniam ſolum non eſt vnum numero, deinde accommodatum manifeſtat, vt videatur etiam, quomodo neque ſecunda via ſit vnum, dum adfert comparationem Auerrois 12. Diuinorum com. 14. inter vnitatẽ generis, & materiæ, ex qua plane comparatione dicitur, ipſum non ſolum non eſſe vnum, quoniam non dicat vnam numero naturam, ſed etiam quoniam plures formas ſignificet, quoniam eſt vnum per communitatem formæ ſignificatę, quo modo prima materia non dicitur vna, ſed per omnium formarum remotionem, &c. Auerroes.

Ita remanent ſpecies diuerſæ per eſſentiam, nam aduenięns differentia generi, & ab eo indeterminationem auferens, (quæ erat ſibi ſuæ vnitatis cauſa,) facit formam illam nomine generis importatam aliam, & aliam eſſentialiter, in alia, & alia ſpecie, &c.

Circa eandem partem, in qua recenſetur comparatio facta ab Auerroe loco mox adducto inter vnitatem generis, & vnitatem materiæ, quoniam de generis vnitate nonnulla præfati ſumus; circa ipſius materiæ vnitatem nota id quod adfert hoc loco Caietanus, & ab omnibus prope philoſophis adfertur vel ſuper 69 primi Phyſ. vel ſuper tex. illum 14. duodecimi Diuinorum, vel ſuper eiuſdem libi tex. 10 vbi Ariſtoteles mentiónem habet de materia omnium naturalium tranſmutabilium, aliam generabilium, aliam ſempiternorum docens, & ab Achillino primo de elementis, dubio octauo, & à Zimara in tabula verbo *materia*, & à Bucaſerro ſub initium ferè lect. 70. ad primum illum Phyſ. Conueniunt ſiquidem omnes, quod aliquid duobus modis poſſit eſſe vnũ numero, primo poſitiue, & proprie, & illud eſt, quod vna forma ſubſtantiali, & indiuiduali conſtat, & differentia numerali, qua eſt indiuiſus à ſe, & à quouis alio diuiſus, quo modo omnis prima ſubſtantia eſt vna numero, alio modo aliquid poteſt eſſe vnum numero priuatiue, vel negatiue, quod ſcilicet cum non ſit vniuerſale, non poteſt eſſe plura numero, nullum vlterius in ſe diſtinctiuum includit, priuatum quippe eſt omni forma indiuiduali, à qua eſt entitas, vnitas, ac multitudo numeralis, modo explicato in quæſtione dę indiuiduationis principio; Materia ergo prima non eſt quid vnum numero primo modo poſitiue, quoniam ipſa in ſua eſſentia nullam habet formam indiuidualem ſibi propriam, qua ſit vna actu, quamuis enim numquam inueniatur in rerum natura exiſtens, niſi ſub aliqua forma, nullam tamen formarum in ſua eſſentia, hoc eſt vt materia includit, hinc nunc ſub iſta, modo ſub illa manet; Eſt tamen vna numero ſecundo modo, priuatiue ſcilicet, vel negatiue, & hoc ſequitur ex illa negatione vnius poſitiue accepti, ſi enim nullam formã propriam in ſua eſſentia includit, ergo in ſua eſſentia vt ſic, priuata eſt omni forma, & ex conſequenti omni vnitate poſitiua, cum hæc veniat à forma, ſic bene loco relato Auerroes, & in litera adducto dixit, materiam primam eſſe vnam per omnium formarum remotionem, genus autem, neque poſitiue, neque priuatiue, ſi proprie loquamur eſt quid vnum, quoniam vtraque vnitas fundatur ſupra certam, ac determinatam naturam, quam non dicit genus, vt patet.

Caiet. Ariſtotel. Achillin. Zimara. Bucaſerr. Quid ſit vnum poſitiue. Quid vnum priuatiue. Quomodo materia non ſit vna. Quomodo ſit vna. Auerroes.

Quod ſi exactius velis intueri diſcrimen inter vnitatem materiæ, & vniuerſalium, quod ſtatuit Auerroes, & eiuſdem de materiæ vnitate ſententiam, vidę

Iandunus. Sueſſanus. Zimara. ipſummet comm. nominato, & Iandunum quæſt. 24. primi phyſ. & Sueſſanũ in expoſitione tex. illius 14. ex duodecimo Diuinorum, & Zimaram in tabula verbo *materia*, &c.

Attamen, vt hæc vnitas materiæ, de qua loquitur hæc litera, dum dicitur ea eſſe vna numero, & de qua ex Caietano, & omnibus pauca illa retulimus, aliqua via noſcatur, obſerua, hæc duo ad inuicem cohærere, quod ſcilicet materia ſit vna numero, & quod ſit communis omnibus generabilibus, & corruptibilibus, quoniam aliud eſt loqui de materia ſecundum ſe conſiderata, & aliud eſt loqui de ipſa, quatenus eſt ſub forma, primo modo eſt vna priuatiue, ob priuationem ſcilicet principij diſtinctiui, quoniam nullum actum in ſua eſſentia includit, ſecundo modo communis eſt omnibus, quatenus in omnibus quæ generantur inuenitur, ob pluralitatem formarum, pugnarent autem hæc dicta, ſi de materia ſub vna, & eadem ratione conſiderata pronunciarentur; Neque turberis, quod materia videatur pluribus communis ſecũdum prædicationem, atque ideo vna numero nulla via dici queat, quoniam reuera materia non habet proprie rationem vniuerſalis, niſi forte ſecundum vocem, & conceptum, quem format intellectus de hoc nomine *materia*, vt late vidimus prope finem quæſtionis de induiduationis principio. Hinc, quando Caietanus hoc in loco ait, quod de materia contingit loqui vt eſt quoddam totum vniuerſale, hanc vel illam materiam reſpiciens, vt partes ſubiectiuas, & ſubdit, idem eſſe iudicium de eius, & de cuiuſque vniuerſalis vnitate, non eſt accipiendus, vt velit idem eſſe iudicium quo ad omnia, ſed tantum quo ad prædicationem penes nomen, & vocem, ſub qua conſideratione non enunciatur de ipſa, quod ſit vna numero.

Obiectio.

Diluitur.

Caietanus.

In eſſentia profecto ſua conſiderata materia, aut de ſeipſa dicitur, aut de alijs, ſi primùm, illa prædicatio non eſt artificioſa, ſed identica, & præterea non eſt prædicatio de pluribus, vt patet, quare neque vniuerſalis, non ſecundum, quoniam non dicitur de alijs, niſi merito formæ, à qua eſt omnis cõmunitas, & quam vniuerſalitatis ſubiectam dicebat Auerroes. 92. primi de cœlo; tunc autem materia præſcinditur à quauis forma, & ideo tunc nullius formæ communis, vel genericæ, vel ſpecificæ rationem habet, & ex materia illo modo conſiderata, nulla trahitur prædicatio; Quam materiæ conſiderationem vocabat Auerroes comm. illo 14. eſſe materiæ, quo intelligitur, ſic enim habet eſſe in anima tantum, non quod ſit ens in anima tantum, ſed vt ſic accepta cũ reduplicatione, nullum aliud obtinet eſſe, ad differentiam illius eſſe, quod habet, quatenus eſt ſub hac, & illa forma, quatenus inquam pars eſt huius, & illius compoſiti, (quod idem Commentator ibidem vocabat eſſe, quo materia ſentitur,) at hoc pacto non dicitur vna numero, nam ſub forma, vel vt ſentitur, non amplius conſideratur vt prima, ſed vt propinqua, qua ratione neque ab Auctore hoc loco, neque ab vllo philoſopho dicitur vna numero, &c.

Auerroes.

Cæterum, ſi duo dubia moueantur, & diſſoluantur, negotium hoc de materiæ vnitate, iuxta variam eius conſiderationem obſcurum ſatis, & difficile, facile omnino forſan, & clarum reddetur.

Prius dubium. Dubito itaque contra immediate dicta de materia conſiderata penes excluſionem omnium formarum, in nuda ſcilicet ſua eſſentia, ſecũdum eſſe quo intelligitur, &c. tunc ſcilicet dici vnam numero negatiue, hoc enim videtur deſtruere ea, quæ longo ſatis diſcurſu conati ſumus probare in prioribus annotationibus ad caput præcedens, materiam videlicet nulla via abſque forma

ſiue ad ipſam habitudine poſſe cognoſci, nunc etenim dicimus, materiam ſecluſa qualibet formæ conſideratione agnoſci, & de ea hoc proferri, vt ſit vna numero.

Dubito ſecundo circa materiæ vnitatem, cum enim ſit ens quoddam poſitiuum extra animam, oportet quoque, vt ſit vna poſitiue, ſiquidem ens, & vnum eandem dicunt naturam, & ſe conſequuntur ſemper, ex quarto Diuinorum tertio, non eſt igitur verum, materiam ita eſſe vnam priuatiue, aut negatiue, quod etiam non ſit vna poſitiue. Poſterius. Ariſtotel.

Ad primum tacite videtur reſpondere Aquarius in additione ad vltimam Ferrarienſis quæſtionem primi phyſ. quod verum vtique eſt, intellectum non poſſe intelligere materiam ſine forma, at hoc accipiendum eſt quo ad aliqua prædicata, non quo ad omnia, & de numero illorum prædicatorum, quæ de ipſa ſine forma intelliguntur, hoc eſt vnum, vt vna numero cognoſcatur; Sed viri doctiſſ. reſponſio auctori ſuo fortaſſis contradicit, dum in ſecunda aſſertione quam ponit, & probat quæſt. ſua ſpeciali de natura materiæ, aſſerit ipſam non poſſe abſque forma cognoſci; fortaſſis dixerim, quoniam dicere poſſet, ſe in illa aſſertione non intelligere de materia, quo ad omnia prædicata, at quicquid fuerit de hoc, falſa eſt hæc reſponſio, & ſatis impugnata relinquitur ex ijs, quæ loco præfato attulimus, vbi oſtenſum eſt, numquam poſſe materiam abſque ordine ad formam dignoſci, ſaltem quo ad prædicata ei propria, in quorum claſſe certe eſt hoc, vt ſit vna numero. Quomodo priori occurrat Aquarius. Nõ probatur.

Paulus Soncinas quæſt. octaua duodecimi Diuinorum aliter huic argumento occurrit, dicit enim, quod quamuis materia quo ad ſuam rationem quidditatiuam nequeat intelligi, niſi ex analogia ad formam, cognita tamen natura materiæ, poteſt intellectus eam conſiderare abſque eo, vt conſideret aliquid actu eſſe in ipſa, per quod diſtinguatur. Adeo vt iudicio meo velit dicere Soncinas, nos quidem non poſſe cognoſcere materiam, quatenus eſt potentia, (quæ eſt eius quidditatiua ratio,) abſque habitudine ad formam, vbi tamen hæc natura materiæ fuerit agnita, (ex illa ſcilicet analogia, vel habitudine,) intellectus eam poterit conſiderare, non conſiderando aliquid eſſe actu in ea, ſic non conſiderabitur forma actu eſſe in materia, per quam diſtinguatur, non tamen ſequitur, vt conſideretur omnino abſque forma, ſed tantum abſque forma, quæ ſit in ipſa actu, quod poteſt eſſe, & nullatenus aduerſatur ijs, quæ de modo quo materia cognoſcitur diximus; materia quippe dicitur vna negatiue per negationem formarum, non quamcumque, ſed earum, quæ actu in illa ſint, cum quo ſtat, vt conſideretur in ordine ad formas, quas potentia valet habere; ſic dicitur vna numero negatiue in actu, non in potentia, quoniam in potentia habebit formas, merito quarum, non amplius vna, ſed multiplex erit, atque vna poſitiue erit, vtpote ſub forma exiſtens. Quo modo Soncinas reſpondeat. Explicatur.

Dico igitur ad argumentum, quod ſpectatur ab intellectu materia abſque forma, quæ ſit in ea actu, non abſque vlla conſideratione ad formam, immo quando dicitur vna negatiue, ideo dicitur, quia non habet actu formam in ſe, vbi patet intercedere formæ conſiderationem, non coniunctæ eſſentiæ materiæ, ſed ab ea actu ſeparatæ, & hæc formæ conſideratio non facit materiam, vel multiplicem, vel vnam poſitiue, oporteret enim, vt actu in ea eſſet, ſi quoduis horum deberet efficere; At deceptio accidit in argumento, quoniam ex negatione formæ in actu in materia videtur negari quæuis formæ conſideratio;

Quomodo poſſit ad aliquem bonũ ſenſum reduci Aquarij ſolutio.

Quod ſi & Aquarius dicens, materiam quo ad nonnulla prædicata poſſe abſque forma cognoſci, intellexerit abſque forma, quæ actu ſit in ipſa, iam nihil contra nos dixit, rurſus ſi de prædicatis communibus accepit, verum dixit, ſi de proprijs, & quidditatiuis, non eſt audiendus, & tamen eſſentiale videtur, & proprium ipſi materiæ, eſſe vnam numero negatiue, vt patet, quoniam nihil aliud ab ea eſt tali vnitate vnum, & in ſua eſſentia eſt hoc modo vna, poſſemus tamen pro Aquario, & pro faciliori argumenti confutatione fortaſſis dicere, numquam materiam abſque ordine ad formam dignoſci, quo ad prædicata affirmatiua, nihil autem prohibere, vt ſine forma cognoſcatur, quo ad negatiua prædicata, ſic dicitur vna numero negatiue, hoc eſt non plures, ſic & Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum octauo, eam ſine forma deſcripſit, ſed per negationem, & decimo eorundem, prope finem vigeſimiquarti habet, negatione ipſam cognoſci, quod ſi de his prædicatis negatiuis locutus ſit Aquarius, locutio fuit in mente, quæ non eſt omnino reprobanda, ſed non in ſcripto, ſemper tamen ſis memor, quod negatio ſupponit affirmationem, atque ideo hoc prædicatum negatiuum de materia, præſupponit aliquod eiuſdem affirmatiuum, quippe quod venari nullus potuit ſine reſpectu ad formam.

Ariſtotel.

Soluitur poſterior difficultas ex doctrina Alberti mag. & aliorum.

Occurro ſecundo argumento cum Alberto magno, quinto Diuinorum tract. ſecundo cap. 4. cui ſe ſubſcripſerunt & Iandunus, & Zimara, & Paulus Soncinas locis memoratis, quod vtique materia ſicut in ſe conſiderata eſt ens, & ſubſtantia, ſic quoque eſt vna vnitate tranſcendente, quæ cum ente conuertitur, vt in argumento dicebatur, & docte ibi Albertus rem hanc aperiebat dicens, quod vtique materia, vt ſubſtantia, vt fundamentum, manet ſemper eadem, non autem in eſſe materiæ, hoc eſt in exiſtentia, ſic enim diuiditur, prout eſt ſub hac, & illa forma, quamuis enim in ſui eſſentia, (quod vocat Albertus, in eſſe fundantis ſubſtantiæ) non pendeat à forma, tamen in ſui exiſtentia, (quod idem auctor vocat in eſſe materiæ) pendet à forma, quoniam forma præbet ei eſſe in actu; Cenſeo autem ipſe Doctorem hunc grauiſſimũ exiſtentiam materiæ, vocare materiã in eſſe materiæ, non quia etiã dum conſideratur in eſſe fundamenti, & ſubſtantiæ fundantis, non ſit materia, ſed quoniã materia non habet eſſe in actu, niſi ſecundũ quod videtur, & ſentitur, vt dicebat Auerr. comm. illo 14. duodecimi Diuinorum, & primo quoque capite de Subſtantia orbis, non videtur autẽ, vel ſentitur, niſi quatenus eſt ſub forma, & tunc nõ eadem permanſit, ſed diuiſa fuit. In eſſe ergo ſubſtantiæ fundantis, & in eſſentia ſua, (quæ eſt materiæ eſſentia, nõ eſſe) eſt vna ipſa materia poſitiue, vnitate tranſcendentali, quæ tamen vnitas, non eſt actualis, ſed potentialis, velut & eiuſdem eſſentia eſt potentialis. Quod autem hoc modo ſit dicendum, præterquã quod inductum argumentum conuincit, illud quoque adeſt non minus vrgens, quod materia de ſui eſſentia eſt diſtincta à forma, nam in eſſentia ab illa non dependet, quamuis in eſſe, quod ſi eſt diſtincta, eſt quoque vna, nam ita à forma eſt diſtincta, quod in ſe ſit indiſtincta, quæ duo requiruntur, & ſufficiunt ad vnius conſtitutionem.

Auerroes.

Quomodo materia ſit vna poſitiue.

Quorumdam ſententia.

Neque eſt verum, quod nonnulli aſſerunt, materiam non eſſe entitatem diſtinctam à forma, dicentes eſſe diſtinctum non conuenire niſi ijs, quæ naturam dicunt determinatam, materiam vero defenſant non dicere determinatam naturam, quoniam omnis determinatio eſt per actum, qui omnis à materia procul abeſt. At falluntur ſic dicentes, eſt enim falſum, quod materia non dicat determinatam naturam, vt patet ex Auctore in hac parte, & ex Auerroe

Excluditur.
D. Thom.
Auerroes.

iam citato in litera, & ex Caiet. ſic quoque Albertus loco memorato expreſſe docet, materiam in eſſe ſundamenti, & ſubſtantiæ vt dicebatur non pendere à forma; Accedit, quod eſt aliud principium rerum naturalium ab ipſa forma, vt patet ex toto primo phy. & ex primis textibus duodecimi Diuinorum, ergo in ſui eſſentia eſt à forma diſtincta. Vide alias ſex rationes, hoc ipſum probantes in Paulo Soncinate, ſeptimo Diuinorum q. 19. quas credo concludere; Neque verum foret dictum eorum, qui in hoc proteruirent, aſſerentium materiã vtique non eſſe formam, non tamen ab ea actu eſſe diſtinctam, quoniam illa tantum dicuntur diſtincta, quæ diſtincta habent eſſe, quod nequit dici de materia, & forma, cum eodem eſſe exiſtant, vnde ſi plures entitates coincidant in eodem eſſe, non habent actualem diſtinctionem. Licet autem Soncinas ibidẽ de hac reſponſione dubius maneat, inquit nihilominus, ſibi rationabile videri, vt materia, & forma actu diſtinguantur. Sed illa reſponſio eſt plena falſitatis, cum non diſcernat inter diſtinctionem eſſe, & eſſentiæ, quaſi quod plures eſſentiæ vnico, & eodem eſſe totali nequeant ſubſiſtere, deprehendimus namque ſenſu in vno, & eodem pomo dulcedinem, & rubedinem entitates actu diſtinctas, cum illam guſtus, hanc viſus attingat, & tamen duæ iſte entitates, vno & eodem eſſe ſubiecti exiſtunt; Præterea accipio compoſitum ſubſtantiale, & peto, num actu ſint in ipſo duo naturalia principia, materia ſcilicet, & forma, ita quod materia non ſit forma, & e cõtra, affirmanter vtique reſpõdebit quiſquis ſe peripateticum gerit, ergo iam materia à forma eſt diſtincta, pugnaret enim dicere, hoc non eſt illud, & poſtea dicere, hoc non eſt diſtinctum ab illo, cum eatenus non ſit illud, quatenus ab illo eſt diſtinctum. Rurſus, ſi ad hoc, vt materia dicatur à forma diſtincta, exigitur, vt aliud ſit eſſe materiæ ab eſſe formæ, numquam materia erit diſtincta a forma, quoniam numquam materia habet eſſe niſi à forma; Ad hæc, plura accidentia numquam poterunt eſſe in eodem ſubiecto, patet, quoniam dum ſunt in illo, ſubſiſtunt per eſſe, non proprium, ſed ſubiecti; Tandem, paſſio propria numquam a ſubiecto ſuo erit actu diſtincta, & tamen hoc eſt ſubſtantia, illud accidens, patet per idem, quoniam numquam eſſe diſtincto exiſtent, licet aliud ſit vtriuſque eſſe, quare &c. Ipſorum vero motiuum eſt valde imbecillum, non enim omnis diſtinctio eſt per actum, ſed formalis ſolum, ac ſpecifica, & ſuppoſitorum, quorum in eſſe ſuppoſitali nequit adeſſe diſtinctio, niſi per aliquem actum, & quæſito de indiuiduationis principio viſum fuit, quomodo actus ſit, & nõ ſit cauſa diſtinctionis. Eſt igitur materia vna vnitate poſitiua, neque aliunde petenda eſt hæc vnitas, neque ſiſcitandum à quo ſibi tribuatur, quoniam vt ait ibidem Albertus, nihil hanc vnitatem ei tribuit, niſi indiuiſio ſui eſſe, ſecundum quod ſic, vel ſic conſideratur, ſiquidem abſolute, & vniuerſaliter aiebat Ariſtoteles quinto Diuinorum 11. quæ non habent diuiſionem, quatenus non habent, eatenus dicuntur vnum, ſic itaque ex Ariſtotele, & Alberto vere dicemus, indiuiſionem materiæ in ſuo eſſe tribuere ſibi vnitatem poſitiuam, non tamen actualem, ſed potentialem; Sic non fuerunt admodum ſolliciti philoſophi in hac vnitate tranſcendentali, & poſitiua ipſius materiæ explicanda, vel quoniam illud pro conſtanti ſuppoſuerunt, vel quoniam de vnitate actuali loquebantur, vel quoniam aliquid peculiare de materiæ natura, & vnitate afferre volebant, ita vnitatem negatiuam explicarunt, quod ſi dixiſſent, materiam eſſe vnam poſitiue tranſcendenter, nihil peculiare de ipſa enũciaſſent, nam hac vnitate omne ens gaudet. Maneat ergo, quod dicitur in hac litera, materiam eſſe vnam numero, & poſitiue, &

[Margin notes: Caietanus. / Albertus magnus. / Soncinas. / Quę diſtinctio ab actu. / Albertus magnus. / Ariſtotel. / Cur vnitatem poſitiuam materiæ omnes ferè ſiluerint.]

ue, & negatiue via explicata, ideoque differre ab vnitate generis, quæ aliquam vnam naturam nulla via importat.

Et quia vt dictum eſt natura ſpeciei, &c.

CIrca octauam partem, nil noui apparet adnotandum, niſi vt prudenter applicentur, quæ diximus de conceptu materiali, & formali, ſeu explicito, & implicito generis, & differentiæ, in ordine ad ſpeciem, & definitionem, conceptui formali, & materiali, explicito, & implicito ſpeciei, in ordine ad indiuiduum; Ita accepta ſpecies quo ad ſignificatum formale, & materiale ſimul, dicit totum quod eſt in indiuiduo, ſub quadam confuſione, ac indeterminatione, & ex conſequenti dicitur de illo in recto, quod ſi accipiatur quo ad ſignificatũ formale tantum, dicet partem dumtaxat indiuidui, & nequaquam de eo recta prædicatione prædicabitur, dicet autem partem illã, quam dicit differentia relatione ad ſpeciem, non eam, quam genus, hoc eſt, exprimet id quod erit formale in indiuiduo, non autem id quod eſt materiale, quoniam indiuiduum ad ſpeciem non ſe habet vt quid formale, ipſam formaliter determinans, quo modo ſe habebat ſpecies ad genus, ſed vt quid materiale, &c.

Qualis comparatio indiuidui ad ſpeciẽ.

Illud quambreuiſſime, ac facillime potes obſeruare, non adeſſe idem nomẽ denotans ſpeciem, & pro formali tãtum ſignificato, & pro formali, ac materiali ſimul, ſed alio nomine explicatur, quando vtrumque conceptum, alio, quando formalem ſolum exprimit; quando enim dicitur homo, tunc vterque cõceptus aperitur, quicquid ſcilicet eſt in indiuiduo, quando autem formalem ſolũ conceptum dicit, adeſt alia vox, nimirum *humanitas*, hinc dicitur Sortes homo, nõ humanitas, licet autem & in genere, & in differentia reſpectu ſpeciei hoc ipſum forſan poſſit conſpici, dicendo animal hac voce prolatum dicere totum, quod eſt in ſpecie; ſub hac autem voce *animalitas* dicere partem, &c. tamen verum eſt, quod & animal ipſum voce ſola animalis prolatum, & vtrumque, & alterum dumtaxat iuxta varia ſignificata dicit conceptum, quod non videtur eſſe in vſu de hoc nomine *homo*, cum ſemper appareat vtrumque dicere conceptum, in cuius rei ſignum, quando formalis præciſe eſt explicandus, mox, & ſemper, nobis obuia fit hæc vox *humanitas*, &c.

Quod tamen ex conſuetudine potius, quam ex rei natura fore conſiderandum facile admitto, vnde nihil morarer, ſi & de genere, & de differentia, idipſum proportione ſeruata quis nouo vſui manus conferens, enunciare vellet.

Quo ad vltimam partem, epilogus ille adeo clarus eſt in litera, & iam allatus à nobis fuit, vt nihil ſit ei addendum, cum præcipue non totius literæ hoc capite concluſæ, ſed eorum tantum, quæ octaua parte dicuntur ſit concluſio, &c.

QVAE-

QVAESTIONES.

Quænam diſtinctio cadat inter genus, & differentiam.

Circa illud, quod non raro in hoc capite enucleando dictũ fuit, & potiſsimum circa ſextam partem, in qua dicebatur, genus, & differentiam ſignificare eandem rem, & totum quod eſt in ſpecie, licet non eadem via, moueo quæſtionem, num genus, & differentia diſtinguantur realiter, an ſolum ratione; In cuius gratiam ſex præſtabo, aperiam primo ſenſum quæſiti, adferam deinceps opinionem haud veram cum fundamentis potioribus, terio identitatem inter genus, & differentiam manifeſtabo, quarto quomodo ab inuicem diſcriminentur, quinto, quæ determinata fuerint probabuntur breuiſsime ſexto rationes alterius ſententiæ confringentur.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit controuerſia.

Cvm aliqua trifariam contingat ab inuicem diſtingui, & realiter ſcilicet, & ratione, hoc eſt, & præter omnem intellectus operationem, nam quæ realiter ſecernuntur, ita ſecernuntur, quod ſi in ſeipſis ſpectentur, vnum non eſt aliud, quod ſi vnum ſit aliud, ſaltem addit aliud alteri quid reale, vel quandam realitatem, quæ autem ratione diſtiguuntur, ita diſtinguuntur, vt diſtinctio eis ſolum conueniat, quatenus ab intellectu conſiderantur, & obiectiue in ipſo ſunt; vnde opere intellectus ceſſante, nulla eſt in illis diſtinctio; Sic ergo quærimus, num genus, & differentia ſic diſtinguantur, vt remoto quouis opere intellectus, ſit inter ipſa aliqua diſtinctio; an vero, eatenus ſolum, quatenus obiectiue ſunt in intellectu, & actu ab ipſo conſiderantur, vel etiam neque hoc modo ab inuicem differant. *Qualis inter aliqua diſtinctio realis.* *Qualis rationis.*

Rurſus, ſub alijs verbis poteſt hæc quæſtio proferri, vt ſcilicet indagetur, num genus, & differentia ab eadem forma, & realitate ſumantur, ſub varia, & varia conſideratione, an vero à formis realiter diſtinctis, ita vt ab vna genus, ab altera differentia, nam ſi ſancitum fuerit, ab vna, & eadem forma, ac realitate accipi, iuxta variam acceptionem, iam non realiter, ſed ratione tantum diſtinguentur, ſin autem à varijs formis, iam realis inter ipſa aderit diſtinctio.

Hinc potes adnotare, hanc quæſtionem, grauiſsimam illam difficultatem præſupponere, & ab ea prorſus pẽdere, nũ ſcilicet in compoſito ſubſtãtiali vna tantum, an plures ſint formæ realiter diſtinctæ, nam ſi vnica fuerit forma, genus, & differentia ab hac vna forma deſumentur, & ab ipſa prout tribuet eſſe ſub vna ratione, accipietur ratio generis, prout ſub alia ratione, habebitur ratio differentiæ, & ita ratione ſolum diſtinguentur, at ſi plures extiterint formæ, ab vna genus, ab altera differentia erit petenda, vnde realis inter ipſa aderit diſtinctio; Et quoniam 7. cap. huius libri, annuente Deo, quæſtionem *Quid ſecum ferat hęc quęſtio.*

ſtionem de pluralitate, vel vnitate formarum in compoſito definiam, ideo multa, quæ fortaſsis hoc loco poſſet quis deſiderare, inde poterit accipere.

Sic indagatur veritas ſæpe dictorum in hoc capite, vtrum ſcilicet genus, & differentia dicant totum eſſe ſpeciei, & rem omnino eandem importent, ſed ſub alia, & alia ratione, illud ſcilicet per modum determinabilis, hæc per modum determinantis, ſi enim eandem rem dicunt, certe non differunt realiter, & ſi des oppoſitum, iam eandem rem nequeunt dicere; rurſus ſi ambo totum quod eſt in ſpecie exprimant, iam non realiter diſtinguuntur, quoniam vnico eſſe gaudet ſpecies, quod ab vtroque dicitur, quod ſi partem dumtaxat importent, erit inter ipſa realis diſtinctio, quoniam alteram genus, alteram differentia dicet, & demum, ſi partem dicent, non prædicabuntur in recto de ſpecie, at ſi totum referent, vtique prædicatione recta ſpeciem reſpicient, quare ex huius quæſtionis deciſione, magna pars eorum omnium, quæ hoc caput docuit pendere apparet.

Viæ variæ huius quæſiti indagandi.

Poteſt ergo multiplici via pronunciari hoc quæſitum, nũ ſcilicet genus, & differentia diſtinguantur realiter, an ratione, num ab vna, & eadem forma, an à diuerſis ſumantur, num totum quod eſt in ſpecie, an partem ſolum dicant, num denique de eadem ſpecie prædicatione recta, an obliqua dicantur; nam ſi realiter diſtinguantur, ergo à varijs formis ſumuntur, ergo dicunt tantum partem ſpeciei, ergo nõ reſpiciunt ſpeciem recta prædicatione, ſin vero ratione ſolum, ergo ab vna, & eadem forma ſumuntur, ergo totum quod eſt in ſpecie referunt, ego de eadem in recto prædicantur, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quorundam ſententia refertur, & comprobatnr.

Ianduni opinio locis multis poſita.

OMnes illi, qui plures formas ſubſtãtiales realiter diſtinctas in ſubſtantiali compoſito ſtatuunt, de quibus mentionem faciam, dum id negotij tractabo, ex conſequenti docent, genus, & differentiam realiter diſtingui, à diuerſis formis, & realitatibus deſumi, dicere partem ſpeciei, &c. Ioannes tamen Iandunus q. 34. ſuper quintum Diuinorum in hoc præcipuus videtur extitiſſe, vbi conatur probare, ſpeciem eſſe realiter ex genere, ac differentia compoſitam, ac genus; & differentiam veras eius eſſe partes, & fuſius ad hoc ipſum laborauit quæſt. 10 ſecundi eorũdem, quod & firmarat quæſt. 8. eiuſdem libri, & quæſt. 20. ſeptimi eorundem, & quæſt. 12. tertij eiuſdem ſcientiæ, & denique primo de Anima quæſt. 8.

Mens Scoti.

Scotus quoque primo ſent. diſt. 8. quæſt. 3. ſuſtinet, ac probat, genus ſumi ab alia realitate, quæ ſit illa, à qua ſumitur differentia, non quidem à diuerſis rebus, ſed à diuerſis formalitatibus, velut ibi clare ſatis ſe explicat, exemplo ſumpto ex terminis ſimplicium literarum, &c. Pluribus poſſet hæc opinio muniri, at validiores ſolum adferantur rationes.

Argumenta proipſis. Ariſtotel.

Et primo adeſt primum argumentum Doctoris ſubtilis ibidem, deſumptũ ex Ariſtotelis auctoritate octauo Diuinorum nono aſſerentis, definitionem oportere longum eſſe ſermonem, & eodem textu paucis interiectis, aliquid de aliquo ſignificare rationem definitiuam, & hoc quidem vt materiam, illud vt formam eſſe, quod ſi genus, & differentia ſint idem realiter, iam de-

finitio

finitio non eſt longus ſermo, cum vnum tantum dicat, iam in ratione definitiua, aliquid non dicitur de aliquo, ſed idem de ſeipſo, iam non ſignificatur materia, & forma, quoniam hæc realiter diſtinguuntur, &c. Similiter ſeptimo eorundem 33. idem Ariſtoteles ait, quod definitio eſt ratio, & omnis ratio habet partes, & ſicut ratio ad rem, ita pars rationis ad partem rei, res vero definita conſtat ex partibus, ergo & definitio, at genus, & differentia ſunt ex quibus conſtat definitio, ergo ſunt partes, &c.

Secundo adeſt ratio eiuſdem Doctoris, quoniam ſi realitas, à qua ſumitur genus, eſſet vere tota rei quidditas, tunc genus ſolum complete definiret, tunc addendo differentiam, committeretur nugatio; Et ſi dicatur, nullatenus nugationem committi, quoniam licet res eadem repetatur, non tamen eadem ratio, quoniam alia eſt ratio generis, alia differentiæ; Contra hoc inſurgit Iandunus, & vbicumque de re hac loquitur, motiuum hoc plurimum exaggerat, & quaſi Achillem adfert; dicens videlicet, quod tunc conceptus definitiuus ſpeciei eſſet fictus, nihil enim correſponderet in re, ergo pro nihilo relinquatur, ergo aliquid poni debet, quod correſpondeat, at vero ad conceptus quidditatiuos fundandos non ſufficiunt accidentia, quoniam hæc non ſunt de quidditate ſpeciei, quare exiguntur quidditates diuerſæ in re, quæ ipſis ſi veri eſſe debeant, reſpondeant. Argumentum ſæpius à Ianduno allatū.

Tertio; Nullo intellectu conſiderante, adhuc natura generis ex ſe foret cōtrahibilis, & natura differentiæ contrahens, ergo vel realiter, vel ſaltem ex rei natura diſtinguuntur, non enim idem valet eſſe, quod contrahitur, & quod contrahit, nam idem ſimul reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & in potentia, quod fieri nequit ex octauo Phyſ. 40. Quod ſi dicatur, ſemota operatione intellectus, non fore genus contrahibile, vel differentiam contrahentem, ergo ſequitur, quod pari modo intellectus poſſet tribuere generi munus contrahibilis, iam enim in re nihil eſt magis in hoc, quam in illa, &c.

Quarto arguo ipſe, & dico ſic: Qualitas diſtinguitur ab eo cuius eſt qualitas, caliditas quippe eſt alia res à manu, cuius eſt caliditas, at differentia eſt qualitas generis, vt expreſſe docet Ariſtoteles quinto Diuinorum 33. ergo differt à genere, ergo &c. Ariſtotel.

Quinto adhuc inſto, Quod aduenit alicui poſt eius completam rationem, non eſt illud cui aduenit, non eſt illius ſubſtantia, ſed ei accidit, hæc propoſitio eſt famoſiſsima in veritate, & eius oppoſitum implicat, at differentia aduenit generi poſt eius completam rationem, ergo non eſt genus, ſed ei accidit, atque ideo realiter ab illo differt, minor propoſitio eſt omnium philoſophorum, & expreſſe docetur ab Auctore pri. con. Gent. 42. octaua ratione, vbi ait, differentiam quæ ſpeciem dat generi, non complere rationem generis, quoniam ratio (ait) animalis completa eſt ante additionem rationalis, quod etiam innuit eodem libro, cap. 24. quarta ratione, quare &c. D.Thom.

Sexto, & vltimo arguo ex eodem Auctore 8. parte huius capitis docente; hominem eſſe ex anima, & corpore, ſicut ex duabus rebus tertiam rem, vbi nedum videtur docere, genus eſſe aliam rem à differentia, (nam à corpore ſumitur genus, ab anima differentia,) ſed & plures formas ſubſtantiales in compoſito ſubſtantiali ſtatuere, iam enim ait, corpus, & animam duas eſſe res, vt hoc loco dubitauit Caiet. &c. Si alia multa cupis argumenta videre, quibus apparet effici, genus vel realiter, vel ex rei natura à differentia ſecerni, lege Capreolum primo ſent. diſt. 8. quæſt. 2. circa 7. rationem, quam Capreol.

contra primam concluſioné adducit, vbi 14. argumenta adfert, quibus probatur aſſumptum illius ſeptimi argumenti, quod erat, Genus, & differentiam à realitatibus diuerſis deſumi, ex quibus probationibus nouem adfert Soncinas quæſt. 36. ſeptimi Diuinorum, vbi hoc negotium definit, ſed & nonnulla habes in hoc ab Aquario eiuſdem libri 14. dilucidatione, & multa in Alex. Achillino 2. de elementis art. primo in 3. dicto poſt ſecundum corrolarium, & in alijs permultis, quæſtionem de formarum vnitate in eodem compoſito diſcutientibus, &c.

Soncinas. Aquarius. Achillin.

ARTICVLVS TERTIVS.

Definitur, genus, & differentiam non realiter diſtingui.

D.Thomæ, & eius diſcipulorũ ac aliorum ſentẽtia.

AVctor hoc loco, vt vidimus, & vbique, dum de ſubſtantialis formæ in composito vnitate diſſerit, & tota eius Schola, & philoſophi illi omnes, qui vnicam in compoſito formam conſtituunt, de quibus loco ſuo erit ſermo, docent genus, & differentiam eandem rem ſignificare, eandem rem eſſe, & ratione ſolum differre, prout ab intellectu concipiuntur.

Vt igitur quæſiti huius veritas manifeſtetur, pono hanc concluſionem: Genus, & differentia non diſtinguuntur realiter.

Concluſio.

Pro cuius declaratione noto primo, quod de genere, & differentia dupliciter loqui contingit, vno modo materialiter, & quo ad fundamentum, alio modo formaliter, & vt actu fundant intentionem generis, & differentiæ, primo modo dico, quod ſunt eadem res, & natura, & ita tot ſunt genera, quot differentiæ, ſub qua conſideratione Capreolus loco relato ad decimam illius antecedentis probationem vocabat ea genus, & differentiam in potentia, ſecundo autem modo differunt, quoniam alius eſt conceptus generis, alius differentiæ, & conceptus vnius non ingreditur conceptum alterius, quamuis enim & conceptus ſpeciei non ingrediatur conceptum generis, ille tamen generis, illum ſpeciei ingreditur, modo autem, neque conceptus generis eſt de conceptu differentiæ, neque e contra, ſi enim des oppoſitum, nequiret ſubterfugi, quin in definitionibus interueniret nugatio, quoniam idem conceptus bis poneretur, ſemel ratione generis, & rurſus ratione differentiæ.

Capreol.

Qualis ſit conceptus generis, & differentiæ.

Conceptus quidem generis eſt quid indeterminatum, quid confuſum, quid contrahibile, quid determinabile, conceptus vero differentiæ, quid determinatum, diſtinctum, contrahens, ac terminans, vt patet, dum aliqua natura cõcipitur ſub ratione animalis, & ſub ratione rationalis, animal enim concipitur vt quid contrahibile, & determinabile, rationale, vt quid contrahens, ac determinans, non quod res quam dicit genus, ſit extra animam realiter indeterminata, & res quam dicit differentia, ſit ſimiliter extra animam realiter determinata, tunc enim realis adeſſet inter rem generis, & rem differentiæ diſtinctio, neque eo modo, vt indeterminatio, ac determinatio ſint de principali intellectu, & ſignificato generis, ac differentiæ, nam intellectus numquam poſſet ſimul habere conceptum generis, & differentiæ, pugnaret enim, quod intelligeret aliquid eſſe indeterminatum vt ſic, & ſimul idem intelligeret eſſe determinatum, ſed ſic intelligimus, vt optime ibidé docebat Capreolus inter reſpondendum ad quintam probationem, & adnotatum deinde fuit à Soncinenſe allegata quæſtione, quod determinatio, & indeterminatio neque ſunt modi rei extra animam, neque ſunt de principali intellectu generis, ac diſ-

Capreol.

Soncinas.

ac differentiæ, ſed ſunt modi rationis conſequentes modum intelligendi, vt pote qui non conueniant rebus, niſi quatenus ab intellectu actu concipiũtur, poteſt namque intellectus apprehendere naturam animalis ſeiunctam ab omnibus differentiis, hoc eſt, nullam in ea differentiã conſiderando, & hanc apprehenſionem conſequitur indeterminatio, non quod concipiat intellectus naturam eſſe indeterminatã, ſic enim falſa eſſet apprehenſio, ſed quia apprehendit eã, ac ſi eſſet indeterminata, hoc eſt, non dicit naturam animalis eſſe ab omnibus differentiis abſtractam ſed ipſam conſiderat abſque differentiis, quæ illam contrahunt, ac determinant, vnde tota hæc indeterminatio eſt in modo concipiendi; poteſt ſimiliter intellectus apprehendere naturam animalis, vt eſt in hac, & illa ſpecie, & ſic eam determinate apprehendit, & hi modi eandẽ rem concipiẽdi poſſunt eſſe ſimul in intellectu, nil enim prohibet, vt intellectus vnã, & eandẽ rẽ ſub ratione diuerſa concipiat, quoniã rationes illæ nõ ſunt de principali rei ſignificato, ſed ſolũ ex vario modocõcipiendi proueniũt.

At dices, & forſan merito, quomodo verum eſſe poſsit, indeterminationem non eſſe de princiqali ſignificato, ac intellectu generis. ſi ſolum res illa ea propter vocatur genus, quoniam ſub indeterminatione eſt apprehenſa, ita vt ipſa ſemota, nequeat amplius genus dici? profecto, ſi ſpectetur natura aliqua ſine illa indeterminatione, iam rationem generis amplius non tenebit, quomodo ergo talis indeterminatio non eſt de principali ſignificato generis? Idem ex proportione dubitatur de determinatione reſpectu ſignificati differentiæ. Difficultas

Reſpondeo, quod Albertus magnus quinto Diuinorum tract. ſexto cap. 10. & 11. non ſemel repetit, deſignationem, vel determinationem, & indeterminationem non eſſe de natura generis, ſed ſibi accidere, reſpectus enim quem habet ad deſignans, & determinans, non ingreditur generis definitionem, & ipſo vel poſito, vel remoto, neque ponitur, neque remouetur, & quidem ſi hæc determinatio, & indeterminatio forent de eſſentia generis, tunc genus fieret ab intellectu, tunc animal, vt animal non foret genus, ſed intellectus ipſe genus illud efficeret, quod eſt abſurdum, de genere loquendo, pro natura, & pro ſubſtrato; Quod autem Albertus ibi ea proferat de genere pro natura, & ratio conuincit, nam de eſſentia generis logice accepti eſt deſignatio illa, & reſpectus, & modus ſuus loquendi ſatis declarat, ait enim primo prope finem cap. illius 11. quod determinatio, vel indeterminatio non ingrediuntur definitionem illius naturæ, quæ eſt genus, & mox ſecundo ſubdit, quod ſublato determinante, non tollitur natura generis, vbi aperte manifeſtat, ſe loqui de natura generis, non de intentione. Accedit, quod ibi artifex erat Metaphyſicus, quare de naturam potius, quam de intentione accipiendus eſt. Noſter quippe intellectus non ponit in re natura importatam per genus, ſed rem concipiendo indeterminate, attribuit ſibi intentionem generis, non autem ei naturam illam confert, quoniam materiale illud, fundamentum illud non eſt per intellectum, ſed formalitas tantum illa, à qua natura dicitur genus, idipſum modo ſuo per omnia eſt de differentia ſentiendum. ac dicendum. Soluitur ex doctrina Alberti magni. Quomodo circa genus negotietur intellectus.

Aliud eſt ego loqui de genere metaphyſice, ſeu quo ad naturã, & aliud eſt loqui de ipſo logice, ſeu quo ad intentionẽ; primo modo non pendet ab intellectu, non eſt de ſuo ſignificato principali illa indeterminatio, ſecundo modo pendet ab intellectu, ab illa ſcilicet relatione, qua per intellectũ comparatur ad ea, in quibus eſt, nos loquimur de genere quo ad naturam, dum dicimus, eandem rem eſſe cum differentia, & in eius principali ſignificato non cadere

illam indeterminationem ; nam dum capitur metaphyſice, vel quo ad rem, vel quo ad materiale, vel quo ad fundamentum, (hæc enim omnia idem ſibi volunt,) nihil ſibi tribuitur, niſi quod ſit de eius ratione, vt ſcilicet animal ſit ſubſtantia animata ſenſibilis, quicquid vero aliud ei tribuitur, falſo tribuitur, vt inquit Auctor cap. 9. tractatus de genere, vel ſcilicet quod ſit vnum, vel multa, accidit quippe animali prædicari de hoc, vel de illo, vt cap. ſequenti patebit, ſi enim animal vt ſic prædicaretur, puta de equo, tunc & homo cum ſit animal, de equo pariter diceretur, quare accidit generi metaphyſice accepto illa indeterminatio; Immo vero aliud addam, quod mihi veriſſimum ſemper fuit, licet à nonnullis minime approbetur, quod intellectus potius dat nomen vniuerſalis ipſi vniuerſali, dum comparat illud ad ſua inferiora, quam quod ex illa cõparatione faciat ipſum eſſe vniuerſale, iam enim natura illa vniuerſalis effecta eſt, dum ab intellectu fuit apprehenſa, abſtracta, & depurata à conditionibus indiuidualibus, deinceps dum intellectus illam comparat ad inferiora in quibus eſt, & de quibus dicitur, donat illam nomine generis, vel ſpeciei, iuxta ſcilicet modum, quo videt de aliquibus dici, quod ſi ante hanc comparationem præceſſit vniuerſalitas in illa natura, iam præceſſit eſſe vel generis, vel ſpeciei; Sed accuratius, & ſuſius de his diſſeram ſequenti capite, dum erit ſermo de exiſtentia vniuerſalium in tertia quæſtione, &c.

D. Thom.

Quorundam dictorum explicatio.

Quæ tamen dicta ſunt de indeterminatione, vt accidat naturæ generis, intelligas de indeterminatione illius naturæ penes eſſe in hoc, vel illo, aut dici de hoc, & illo, extrinſeca ferè conſiderando, ſeu ea in quibus natura illa inuenitur, non autem ita indeterminationem ab eius quidditatiua ratione ſemoueri credas, vt natura illa ſit quid vnum determinate, quomodo enim naturam determinabilem dicat genus, habuiſti in annotationibus ad ſeptimã partem huius literæ; licet enim animal quo ad naturam ſit ſolum ſubſtantia animata ſenſibilis, attamen animal, quod eſt genus, dicit ſubſtãtiam animatam ſenſibilem, formaliter determinabilem, modo ibi explicato, licet veriſſimum deinde ſit, accidere tali naturæ eſſe genus, & ex conſequenti indeterminationem, cum hæc ſint modi rationis, modum intelligendi conſequentes, vt hac eadem quæſtione cum Capreolo, & Soncinenſe dicebam.

Nota ſecundo id quod colligi ferè poteſt ex ijs quæ allata ſunt, ex quo argumenta multa diluuntur, quod dum dicimus, genus, & differentiã non eſſe realiter diſtincta, nil aliud volumus, quam eandem penitus naturã in re importari nomine generis, & nomine differentiæ, at conceptus vnius non intrat conceptum quidditatiuũ alterius, ob hoc dicuntur ratione differre, hoc eſt, conceptu, & conceptibiliter, penes nimirũ conceptus quidditatiuos, nam alius eſt conceptus huius naturæ, puta *animal* vt eſt genus, alius vt eſt differentia; conceptus eius vt eſt genus, metaphyſice loquendo, (ſic enim toto hoc capite nos prima obſeruatione eiuſdem diximus ſermonẽ habere, nã de ipſo logice, cap. ſequenti erit tractatio) eſt, vt ſit ſubſtantia animata ſenſibilis, conceptus eiuſdem, vt eſt differentia, puta *rationale*, eſt cõducens ad eſſe id cuius eſt differentia, &c. Differunt ergo, quoniam alius eſt conceptus formalis, ac definitiuus generis, alius differentiæ, ſic res illa, quæ eſt genus, eſt & differentia, at res quæ eſt genus, vt genus, non eſt res, quæ eſt differentia, vt differentia, ſic re, & identice ſunt idem, non ratione, & formaliter.

Cõceptus animalis, vt eſt genus.

Vt eſt differẽtia.

Differentia, & conuenientia generis, & differentiæ.

Ex quo tertio obſerua, quod quoties dicitur differẽtia qualitas generis, aduenire generi, nil aliud intelligendum eſt, niſi quod differentia non eſt de conceptu

ceptu

ceptu eſſentiali,& quidditatiuo generis,rationale namque,& irrationale dicū-tur qualitates animalis,& illud cōſequi,& ei aduenire,quoniā nō ſunt de eius cōceptu eſſentiali,hoc eſt,vt vno verbo rem concludā,nō ſunt actu de eius definitione,& nihilominus obiectiue, & in rerū natura,res illa quæ eſt animal,eſt quoque rationalis, aut irrationalis, cū non habeat eſſe reale animal,niſi in ſpeciebus,licet abſque ipſis habeat eſſe intelligibile,quando autē deſcendit ad hominē per rationale,eadē eſt natura animalis,& rationalis, quoniā rationale nō fuit omnino additum animali, ſed ſolum actu additum fuit, quod iam aderat poteſtate, ita quamuis in ratione, conceptu, definitione generis non cadat conceptus differentiæ, (non enim in definitione animalis cadit rationale,) in eius tamen exiſtentia vtique cadit differentia, quoniam non inuenitur animal, quin rationale, vel irrationale; Sic pulchre Albertus ſub initium cap. illius decimi dicebat, quod licet differentia non perficiat genus in eſſe generis, hoc eſt,in definitione,tamen perficit ipſum in eſſe, ſicut forma non perficit materiam in eſſe materiæ, perficit tamen ipſam in eſſe, &c. ſic Auctor primo cont. Gent. 42. in penultimo argumento citato aiebat, differentiam non complere rationem generis, ſed per eam genus acquirere eſſe in actu, & Ferrarienſis ibidem ſcribebat, differentiam non complere quidditatem generis, ſed eſſe, & genus acquirere eſſe per aliud, hoc eſt per differentiam, à ſe non realiter, ſed formaliter diſtinctam, & cap. 24. dicebat, genus non eſſe per ſeipſum, ſed per aliud, per differentiam videlicet, &c.

Albertus magnus.

D.Thom.

Ferrarien.

Hinc differentia dicitur qualitas generis, non eo nomine, quo qualitas ſignificat accidens, ſed ea ratione,qua formatum, & quale ipſum reddit,& quoniam omnis forma conſueuit vocari qualitas, quoniam qualitatem, & ſpeciem præbet ei cuius eſt forma, iccirco differentiæ, & ab Ariſtotele, & ab alijs philoſophis dicuntur qualitates generis, hoc eſt,ſpeciem, determinationem, & qualitatem ei dantes; & breuiter,differentiæ non ſunt qualitates accidentales, ſed eſſentiales ipſius generis modo expoſito, ſic non dicuntur de ſpecie in quale ſimpliciter, ſed in quale quid, quod eſt quale eſſentiale, ſubſtantiam ſcilicet ipſam perficiens.

Quomodo differentia dicatur qualitas generis.

Quod ſi ſolicitus quis, & anxius adhuc remaneat, qui fieri poſſit, vt differentia dicatur aduenire generi, genus conſequi, & tamen non eſſe ei accidens, vt quinto loco arguebatur, illud mente contempletur,quod non ita differentia dicitur aduenire generi, & illud conſequi, quaſi quod genus prius intelligatur in eſſe ſuo perfecto conſtitutum, & deinde ſibi adueniat differentia,hoc enim modo argumentum foret demonſtrans, velut ea ratione,propriū adueniens ſpeciei, eſt ſibi accidens, quoniam eam iam in eſſe ſuo completo conſtitutam ſequitur, & ſecundum aliquid ſolum ſpecies eſt ab ipſo formabilis, at dicitur aduenire illi, & illud conſequi, vt actus potentiam, vt perfectū imperfectum, adeo quod,tantum abeſt, vt adueniat generi completo, & perfecto, quod dum aduenit, illud complet, ac perficit; Sic Caiet. in prædicabilibus cap. de differentia dicebat,differentiam eſſe qualitatem generis eſſentialem, quoniam ipſum non ſpecificatum ſupponit, ſed ita qualificat, vt ad eſſe ſpecificum trahat. Ponitur quippe genus vt ens imperfectum, & vt potentia perficiendum per ipſam differentiam, de eius poteſtate egredientem, velut & materia perficitur vt potentia per formam, & per actum egredientem e gremio ipſius, cum hoc tamen diſcrimine, quod forma eſt alia res a materia, & ei additur vt pars parti, non enim ita in materia præeſt, vt aliquid ipſius ſit in ma-

Quomodo dicatur aduenire generi, & illud conſequi.

Caietanus.

D.Thom. teria, ſed de nouo ab agente comproducitur ad compoſiti productionem, ac differentia additur generi vt totum toti, hoc eſt, vt determinatum indeterminato, & iam poteſtate in ipſo continebatur. Ita egregie Auctor ſecundo con. Gent. 95. dicebat, differentiam non addere extraneam quandam naturam ſuper genus, ſed eſſe quandam determinationem ipſius naturæ generis, & in expoſitione 43. ſeptimi Diuinorum, non longe ab initio lectionis 12. tradebat, quod dum generi additur differentia, non additur quaſi aliqua diuerſa eſſentia à genere, ſed quaſi in genere implicite contenta, ſicut determinatũ continetur in indeterminato, vt albũ in colorato. Quod ipſum tradidit tractatu de

Alenſis. natura generis in fine capitis octaui, & Alenſis ad tex. illum 43. hoc ipſum affirmauit, dicens, vocem quatenus eſt genus non expectare formationem literæ, tamquam aliam quandam formam, ſed eam includere infra ſeipſam, quoniam ipſa vox vt eſt genus literæ, non eſt niſi ipſa litera ſic ſignificata; & ma-

Alb.magn. gnus Albertus cap. 13. tractatus illius erudite ſcripſit, quod genus, ac generis potentia perficitur, & determinatur ex differentia, & in conſtitutione ſpeciei non additur ei differentia, vt penitus aliud, ſed potius vt idem determinatum, & non multis interpoſitis addebat, quod eſſe in potentia, & eſſe in actu idem eſt, & eiuſdem eſſe ſecundum ſubſtantiam, & non differt, niſi per eſſe potentiæ, & eſſe actus in eo quod eſt actu, & in eo quod eſt potentia, quę differentia in ſubſtantiali eſſe nullam gignit diuerſitatem, & ſubdebeat exem-

Auicenn. plum, (quod fuit Auicênæ 8. ſuæ Metaphyſicæ cap. 5. non multũ à principio,) vt cum dicitur menſura, & additur linea, quæ eſt menſura ſecundũ ſolam longitudinem determinata, nihil additur, quod in menſura non fuerit, vel quod ab ipſa ſit diuerſum, ſed id quod erat potẽtia, & indeterminatũ, effectũ eſt in actu, & determinatũ, quæ nullam diuerſitatẽ in ipſo eſſe ſecundũ ſubſtantiã faciunt.

Ex his omnibus perſpicue ſatis elucere poteſt, eandem rem, ac naturam eſſe genus, & differentiam, conceptu tamen, atque ratione diſcriminari ab inuicem, vt inſinuatum eſt, quare iam diſtinctionem hanc explicemus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Explicatur, quomodo genus, & differentia diſtinguantur.

QVoniam dum genus, & differentia ab intellectu actualiter concipiuntur, multa videmus de vno affirmari, quæ de altero neganda ſunt, neceſſario colligitur, aliquid diſcriminis inter ipſa cadere, quare ponamus hanc bre-

Concluſio. uem concluſionem; Genus, & differentia ratione tantum diſtinguuntur.

Scias itaque, differentiam hanc rationis, non eſſe vanam, aut fictitiam, ſed fundamentum habere in re ipſa, vt ſcilicet poſſit vere quo ad vnum reſpectũ concipi ſub ratione potentiæ, & indeterminati, & penes alium reſpectum ſub ratione actus, & determinati, quod ſi diſtinctio illa, quæ fundamentum habet in re, hoc ſolum nomine ſit vocanda diſtinctio ex natura rei, fatebor vtique, ex natura rei adeſſe diſtinctionem inter rem generis, & rem differentiæ, hoc eſt, eſſe in re ipſa, vnde vere poſſit concipi, & conceptu generis, & conceptu differentiæ, non autem ſic ſtatuam diſtinctionem ex natura rei ſumptam ex varijs realitatibus, vel formalitatibus diſtinctis, vel ex varijs rebus, vt videntur ponere, qui nobis ſunt contrarij, nec propterea aſſigno diſtinctionem mediam inter diſtinctionem rationis, & realem, nam volo, quod hoc modo expoſita diſtinctio ex natura rei claudatur ſub diſtinctione rationis, nam & realis, &

rationis diſtinctio latitudinem admittunt; Et non inconcinne fortaſſe Banneſius in comm. primæ par. quæſt. tertia, art. quinto dixit, compoſitionem generis, & differentiæ poſſe vocari compoſitionem realem metaphyſicam. Bannes.

Maiorem ſiquidem diſtinctionem pono inter naturam generis, & differentiæ, quam inter attributa diuina, & tamen inter hæc ponitur diſtinctio rationis ratiocinatæ, hoc eſt, fundamentum in re habentis, ergo diſtinctio inter genus, & differentiam videtur alio nomine vocanda, quam pure rationis; non tamen impugno vel Auctorem, vel alios grauiſſimos eius diſcipulos, vel etiã meipſum, qui in art. præcedenti, & hac concluſione, eiuſmodi differentiam appellauerim rationis, ſic enim vere locuti ſunt, & ipſe eorũ veſtigia imitatus, haud falſum dixi, cum reuera ſit rationis diſtinctio, quatenus nomine diſtinctionis rationis, exprimitur omnis diſtinctio, quæ non ſit realis, adeo quod vocando hanc diſtinctionem rationis, nomen generis ipſius diſtinctionis exprimimus, quod ſi nomine vt ita dixerim ſpecifico foret appellanda, eam formalem vocarem, velut eam vocaſſe videtur Ferrarienſis, vtroque illo loco ex cont. Gent. art. præcedenti memorato. Ferrariẽſis.

Nullus autem Thomiſta me arguat, quod vel ab Auctore, vel à cõmuni eius ſectatorum doctrina recedere, & Scoto manus dare videar; iam enim dixi, & idipſum repeto, verum eſſe, hanc diſtinctionem eſſe rationis, & nullatenus realem, doceo enim, rem eandem nomine generis, & differentiæ importari, at quoniam varia ſunt, quæ rationis diſtinctione diſtinguuntur, & varia rurſus eſt hæc rationis diſtinctio, ideo ſi liceat ab hoc nomine amplo, & communi, ad vocem quandam peculiarem magis tranſire, formalem eam dicam, non ex varijs formis, ſed ex varijs eiuſdem formæ formalibus conceptibus depromptam, nedum ea ratione, quoniam fundamentum talis diſtinctionis ſit in re ipſa, nam & hoc modo inuenitur diſtinctio inter diuinam ſapientiam, & bonitatem, (reſpondet enim aliquid in re duobus illis conceptibus ab intellectu noſtro formatis de ſapientia, & bonitate,) ſed quoniam quouis intellectu ſecluſo, in re ipſa, in ordine ad quemuis intellectum pullulat aliquid, cui tribuatur nomen generis, & cui tribuatur nomen differentiæ, quod nequit dici de diſtinctione inter attributa diuina, nam relatione ad diuinum intellectum, ea vt intelligi queunt intelligentem, nulla penitus inter ipſa conſurgit actualis diſtinctio, ſed conceptus vnius eſt prorſus ex parte rei conceptus alterius, vt videbitur quæſtione ſecunda ad ſextum caput; at conceptus generis, eſt alius ab illo differentiæ, nedum noſtri, ſed & cuiuſuis intellectus comparatione, & ex parte ipſius rei, vt ex doctrina huius capitis patere poteſt, & exploratius adhuc fiet. Neque quis dicat, poſſe in hoc propoſito aſſignari diſtinctionem illam formalẽ, non formaliter, ſed eminenter, id totum ſcilicet efficientem, quod efficeret diſtinctio formalis formaliter, hæc enim non cuiuis negotio accomodanda facile venit, ſed ſolum quando de diuinis rebus eſt ſermo, in Deo enim dumtaxat, & iure, ob eius infinitatem omnia vnum fiunt, & indiſcriminantur cuncta, (de abſolutis loquendo,) quod nequit de re finita dici; Quare maneat hoc diſcrimen inter diſtinctionem, qua perfectiones diuinæ, & qua genus, & differentia diſtinguuntur, quod licet vtraque fundamentum habeat in re, & perinde rationis ratiocinatæ ſit vocanda, illa tamen conſurgit ex imperfectione intellectus, qui nequit attributum aliquod, quantum de ſe fuerit penetrabile penetrare, hæc autem enaſcitur ex re ipſa, & quicumque intellectus intuens rem generis, & rem differentiæ, intuebitur ſemper conceptum

Qualis ſit diſtinctio inter genus, & differentiam.

Quomodo vocetur ab Auctore.

vnius non eſſe conceptum alterius, ita conceptus generis eſt diſtinctus à conceptu differentiæ, & e contra, nedum ex parte concipientis, ſed ex parte rei conceptæ; Sic vt etiam in voce ipſa deprehendatur aliquid diſcriminis inter diſtinctionem perfectionum diuinarum, & hanc generis, & differentiæ, quãuis vtraque rationis ſit nominanda, hoc eſt non realis, verumtamen, quoniam maior diſtinctio eſt hæc poſterior, ea propter eam voco formalem, non ex parte naturæ rei, ſed ex parte conceptus, nolo enim, quod alia realitas ſit illa generis, alia illa differentiæ, ſed quod ex parte ipſius rei alius ſit conceptus formalis illius, alius illius.

Quomodo talis diſtinctio ſit in actu.

Ita elucere poteſt, me plurimum à Scoto diſſidere, & Auctoris doctrinæ penitus aſſentire, neque enim volo, hanc diſtinctionem eſſe in actu, niſi per opus intellectus, ſcio enim diſtinctioné omnem non realé pendere ab intellectu, & per ipſum compleri, at qui nobis aduerſantur, volunt nullo conſiderãte intellectu talem adeſſe diſtinctionem, radicaliter tamen, & fundamentaliter eſt in re hæc diſtinctio, quam complet intellectus, aliàs commentitia eſſet; Rurſus, hanc diſtinctionem non conſtituo inter rem generis, & rem differentiæ, tunc enim foret realis, neque inter realitates eiuſdem rei, ſed ſolum inter varios eiuſdem rei formales conceptus, ſic enim eam formalem appello, non rem, ſed rei conceptus denotando.

Ex his obſerua, quod ſi Petrus Fonſeca in expoſitione 11. ſecundi libri Diuinorum, dum dixit, eſſentialia prædicata, (quæ certe ſumuntur ex genere, ac differentia) eſſe diſtincta pluſquam ratione, & cogitatione, id voluit quod docuimus, innuens in ipſa rei natura, & obiectiue conceptus ipſos eſſe diſtinctos, & hoc nomine, formalem inter ipſa diſtinctionem nuncupare voluit, audiendus eſt, & forſam hoc ſolum voluit, ait enim, ſe putare hanc eſſe opinionem Auctoris, & grauiorum eius ſectatorum, cum ſecundum rationem ratiocinatam hanc diſtinctionem appellent; At ſi nomine diſtinctionis formalis accepit Scoti ſenſum, denotando ſcilicet realitates varias, & formalitates, nedum iuxta conceptus, ſed & iuxta rem, vt ſcilicet res à qua ſumitur genus, vere ſit potentialis, ac perfectibilis ab illa re, à qua ſumitur differentia, at quod genus non perficiatur realiter per differentiam, proueniat ob identitaté ad aliquod totum, cui realiter primo, & genus, & differentia ſint eadem, vt loco præfato diſtinctionis illius octauæ clare ſatis proſequitur Scotus, tunc ſuſtinendus non venit, & forte ita ſenſit, ait enim, dicendum eſſe, quod ſunt diſtincta diſtinctione formali, vt loquitur Scotus, at quoniam non dixit, vt vult, ſed vt loquitur, in voce tantum forſan, non in re cum Scoto fuit, intelligendo in expoſitione illa allegata, nam ſi quæſtione, quam ibidem mox format

Sententia Fonſecæ.

ſectione octaua inſpiciatur, videbitur, quod Auctoris doctrina vtique relicta, Scoto adhæſerit; inquit enim reſpondens ad ſecundum, prædicata eſſentialia diſtingui formaliter, ſeu ex natura rei, & non potentia ſolum, ſed actu,

Ab ipſo probata.

& probat, quoniam plus perfectionis eſſentialis includunt inferiora, quam

Eius rationes ſoluuntur.

ſuperiora, quod patet ex eorum definitionibus, & proprietatibus, At hoc non concludit maiorem diſtinctionem, quam rationis via explicata, & fundamentalem ſolum ante opus intellectus, non autem actualem, ab vna enim, & eadem forma ſub varijs conſiderationibus ſumuntur & ſuperiora, & inferiora prædicata, in vno, & eodem definito loquendo, nil enim inconuenit, vt in varijs definitis, à varijs formis varia prædicata ſumãtur; Rurſus, motiuum aliud, quo vſus eſt in illius text. expoſitione, videtur nil ponderis libere, cum enim

illo

illo tex. dixiſſet, ac probaſſet Ariſtoteles, non eſſe procedendum in infinitum in ſcientijs, vel in genere cauſarum formalium, vt exponunt Auerroes, Auctor, & Alenſis, vel in omni cauſarum genere, vt Antonius Scaynus, quem in hac expoſitione præceſſit Alexander vltimis verbis ad illum tex. propterea quod, quæ infinita ſunt intelligi nequeant, (vt idem Ariſtoteles pronunciarat primo Phyſ. 35. & 50.) occurrit obiectioni, quæ poſſet fieri de linea, quippe quæ infinitis conſtans partibus, cognoſcibilis tamen ſit, ait non eſſe ſimile de linea, cuius partes, ſeu diuiſiones non ſtant, ſed procedunt in infinitũ, nequit enim quid intelligi, niſi in aliquo ſtetur, quare nequit ſciri linea, niſi quatenus eſt ſtatus in eius diuiſione, nullus enim enumerabit lineæ ſectiones, quæ in infinitum procedunt; at infinitum in formis eſt infinitum in actu, quare ſi in ipſis procedatur in infinitum, perit ſcientia, &c. Colligit ex hoc Fonſeca, prædicata eſſentialia eſſe actu diſtincta, quoniam ab Ariſtotele contraponuntur partibus lineæ, quæ ſunt in potentia; At nihil cogit hæc ratio, non enim de facto ait Ariſtoteles, hæc prædicata eſſe actu diſtincta, ſed quod ſi darentur formæ infinitæ, prædicata illa actu diſtincta, & infinita eſſent, quod enim non de facto loquatur, patet, quoniam reuera formæ non ſunt infinitæ, & hoc ibi probare intendit Ariſtoteles; At licet vera hæc ſint, non tamen ex his ſoluitur ratio Fonſecæ, valet enim dicere, ſi darentur formæ infinitæ, eſſent actu diſtinctæ, ergo & quæ modo dantur formæ finitæ, ſunt actu diſtinctæ, nam infinitas quæ adueniat, non adfert diſtinctionem, vel indiſtinctionem, & potius indiſtinctionem ſecum fert, ſi nimirum fuerit infinitas ſimpliciter, & præterea quiuis actus, & forma ſeparationis, ac diſtinctionis eſt cauſa, ex ſeptimo Diuinorum. 49. ergo prædicata eſſentialia à formis deſumpta ſunt actu diſtincta, &c. Quare dicendum eſt, vtique prædicata eſſe actu diſtincta, at non quatenus ſunt in vno, & eodem, ſed quatenus ſumuntur à varijs formis, in varijs ſuppoſitis exiſtentibus, nam prædicata quæ deſumuntur ex forma hominis, puta quod ſit ſubſtantia animata, rationalis, ſunt actu diſtincta à prædicatis deſumptis ex forma leonis, quod ſcilicet ſit ſubſtantia ſenſibilis, ratione carens, non autem ſunt actu diſtincta prædicata generis, & differentiæ vt ſic, quando ab eadem forma in eodem compoſito deſumuntur, quæ doctrina poteſt colligi ex Auctore ſuper text. decimum immediate præcedentem, &c.

Marg.: Auerroes. D. Thom. Alenſis. Scaynus. Alexander. D. Thom.

Vel dicamus, vtique actu eſſe diſtincta prædicata eſſentialia generis, & differentiæ in eodem quoque ſuppoſito, & ab eadem forma deprompta, at quatenus obiectiue terminant intellectum, non autem in ipſa re, & dum obijciuntur intellectui, diſtinguuntur diſtinctione illa rationis ratiocinatæ, ſi ad rem, & naturam referatur, modo plene ſatis expoſito, vel diſtinctione formali, ſi ad conceptus reſpiciamus, quare vnam, & eandem rem ſub vario formali conceptu dicit genus, dicit differentia, &c.

Poſtremo notabis, quod omnia prædicata eſſentialia, quæ de aliquo vno dicuntur, vt de homine, eſſe ſubſtantiam, corpus, viuens, animal, rationale, &c. ab vna, & eadem forma ſub varia, & varia conſideratione cauſantur, dum enim accipitur forma illa, vt eſt quid potentiale, contrahibile, & determinabile, tribuit prædicata communiora, & quæ ex parte generis ſe tenent, dum autem conſideratur vt eſt determinata, contracta, & in actu vltimato conſtituta, ſic prædicata magis ſpecialia elargitur, & quæ ex parte differentiæ ſe teneant; Vltima ſiquidem differentia ex ſeptimo Diuinorum, 43. eſt tota rei ſubſtantia, & definitio, eſt enim eius vnitas tanti ambitus, quanti vnitas definiti,

Marg.: Quomodo ab eadem forma varia prædicata. Ariſtotel.

 finiti,

finiti, ſic totum dicit, non partem; non colligas autem genus dicere nihil, nam & hoc totum dicit, at ſub communiori modo, & determinabili, & contrahibili. Non itaque ex varietate prædicatorum eſſentialium colligitur varietas formarum, ſeu rerum, tunc enim alia res foret genus, alia differentia, cum aliud prædicatum impertiatur illud, aliud conferat hæc, bene tamen ex varietate formarum colliges varietatem prædicatorum; ſic valet propoſitio: Sũt plures formæ, ergo plura prædicata, non autem valet; Sunt plura prædicata, ergo plures formæ, & ratio eſt, quoniam quæuis forma tribuit ſaltem vnum prædicatum, dat enim aliquod eſſe, quodcumque illud fuerit, poteſt autem & conferre plura prædicata, quatenus vario modo ſubijcitur noſtræ conſiderationi, ita ad pluralitatem prædicatorum non ſequitur pluralitas formarum, velut multiplicatis effectibus, non eſt neceſſe vt multiplicentur cauſe, cum ab vna, & eadem cauſa varij poſſint effectus prodire.

Quomodo ſe habeant pluralitas prædicatorum, & formarum.

Ariſtotel. Ex quo habes, quod quando Philoſophus ſecundo Diuinorum tex. illo 10. ex finitate prædicatorum quidditatiuorum collegit finitatem formarum, noluit docere, eandem eſſe rationem multiplicitatis prædicatorum eſſentialium, & formarum, vt ſcilicet ad illam ipſorum, multiplicitas ſequatur iſtarum, vt ſibi ſuaſit Iandunus q. nona illius libri, ſed voluit ſumi diuerſa prædicata à diuerſis formis, non in eodem definito, (in hoc enim eadem forma dat omnia prædicata,) ſed in diuerſis ſeparatim, vt innuebam ſuperius ex Auctore exponente tex. illum, & vt habes apud Iauellum quæſt. ſeptima eiuſdem libri. Vel dicas, ſermonem Ariſtotelis eſſe ſub conditione, ſi nimirum ſit procedere in infinitum in formis, eſt etiam ſic procedere in prædicatis eſſentialibus, at in his non eſt ſic procedere, ergo neque in illis, quem conditionalem ſermonem videtur accepiſſe Auerroes, vt idem Iauellus adnotauit, nam in principio expoſitionis tex. illius 10. dicebat, ſi videbitur natura definitionum eſſe finita, (hoc eſt, prædicata quidditatiua, quæ definitiones conſtituunt eſſe finita,) neceſſarium erit, vt natura etiam quidditatum ſit finita, & ſic quoque formarum numerus erit finitus, à forma quippe ſumitur potiſſime quidditas, ac definitio, &c. Vel vltimo dicas ex Achillino quaſi ad finem ar. illius primi, libri ſecundi de elementis, Ariſtotelem arguere à fortiori, hac via ſcilicet, non eſt proceſſus in infinitũ in prædicatis quidditatiuis, ergo multo minus in formis, quoniam enim non tot ſunt formæ, quot prædicata eſſentialia, quoniam ab eadem forma eſſe poſſunt plura prædicata, ſi numerus prædicatorum eſſentialium ſit finitus, multo magis finitus erit ille formarum, &c.

Iandunus. *Iauellus.* *Auerroes.* *Achillin.*

Ab vna itaque, & eadem forma in vno definito manant quælibet eius prædicata eſſentialia, vel ratione generis, vel ratione differentiæ, & ſic non realiter, ſed conceptu ſolum formali diſtinguuntur genus, & differentia, ſic eadem res, & natura nomine vtriuſque importatur, ſic ab eadem forma vtrumque ſumitur, ſic hoc, & illud, totum quod eſt in ſpecie dicunt, ſic demum, de ipſa vtrumque recta prædicatione prædicatur, &c.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtraque concluſio iam poſita, ac declarata, breui comprobatur.

RAtiones prope omnes validiores, quibus noſtra poſitio firmari poteſt, & debet, pendent ex firmiſſimo illo fundamento, quo ſtatuitur vnica eſſe forma in quouis compoſito, ſeu definito, vt in tituli explicatione adnotabam, quo circa, vbi ſeptimo cap. huius operis ſtabilita fuerit vnitas formæ in compoſito, firmata quoque erit noſtra hæc poſitio, quemadmodum e regione, qui oppoſitam partem putant ſe oſtendere, huic præcipue innituntur fundamento de formarum in eodem compoſito multiplicitate. Breuiter tamen in præſenti arguo ſic; Dicebat Ariſtoteles octauo Diuinorum 9. definitionem oportere longum eſſe ſermonem, quemadmodum primo argumento pro opinione contraria dicebatur, peto, an longus hic ſermo definitiuus complectatur plures res, an vnam ſolum, non primum, tunc enim definitum non eſſet vnum, & tunc vltima differentia, quæ vnica eſt forma, non diceret totum quod eſt in definito, contra Ariſtotelem ſeptimo Diuinorum 43. ergo vnicam rem complectitur, ergo dicitur longa definitio, non propter rerum, ſed propter formalium conceptuum, quos claudit pluralitatem. At dicent, quod definitio res plures vni tertio eaſdem, vel plures realitates continet, & nihilominus haud ſequi definitum non eſſe vnum, quoniam in eodem compoſito plures formæ eſſe poſſunt, non impedientes eius vnitatem; Quam vana ſit hæc reſponſio, elucebit quæſtione de vnitate formæ, nunc tamen ex eo deprehendatur falſa, quoniam ſi ſint duæ formæ, ergo duo actus, ergo duo eſſe; Neque valet dicere, eſſe prioris formæ ordinari ad illud poſterioris, & eius comparatione eſſe imperfectum, nam prior illa forma, vel eſt abſolute quid actuale, vel quid potentiale, non ſecundum, quoniam tunc non forma, ſed materia eſſet, & ita duæ materiæ, non duæ formæ, vt ipſi volunt eſſent in eodem, ergo primum, ergo aliquid eſſe tribuit, &c. At vim huius rationis quæſtione illa ſæpius pollicita diligentius expendam. Prima ratio. Ariſtotel. Obiectio. Aufertur.

Ad illud de vltima differentia dicunt, quod completiue dicit totam definitionem; Sed adhuc manet incommodum, quod plura eſſe forent in definito, & præterea nihil de vltima differentia enunciaſſet Ariſtoteles, dixiſſet enim, quod vltima differentia complet definitionem, hoc autem quis ignoret, nam ſi fuerit vltima, quis neſciat, quod complebit? Rurſus, male adderet ſtatim Ariſtoteles, non oportere crebro eadem in definitionibus dicere, ſuperfluum namque eſt, ſi enim differentia vltima eatenus ſolum dicitur vltima, quoniam compleat, non autem quoniam totam dicat definitionem, vel totum eſſe definiti, ſi aliæ ponantur differentiæ, non erit nugatio, non enim idem bis dicetur, nam ex horum ſententia, vltima differentia non dicit id quod dicunt aliæ, immo erunt ponendæ, vt & ipſæ partes ſuas obeant, aliquid dicentes, vt differentia ipſa vltima poſtea aduenians compleat, quid enim complebit, ſi nihil præceſſit? At hæc omnia Ariſtoteli aduerſantur. Immo Iandunus ipſe quæſt. 21. quinti Diuinorum ait, differentiam eſſe totam ſubſtantiam ſpeciei ſpecialiſsimæ, quare ſibi aduerſatur, nam ſi eſt tota ſubſtantia, totum dicit, non eſt pars, non componit realiter cum genere, quaſi cum alia parte, &c. Iandunus.

Vlterius, Genus prædicatur in recto de ſpecie, ergo dicit totum quod eſt in Alia ratio.

ſpecie, conſequentia patet, & antecedens etiam eſt manifeſtiſſimum, & Ariſtoteles quinto Diuinorum 23. dicebat, Calliam ſecundum ſe eſſe animal, nã in ratione ineſt animal; Neque reſponſiones Ianduni in fine quæſtionis 10. ad ſecundum eorundem quicquam valent, quoniam nedum ex famoſitate, ſed in rei veritate eſt vera propoſitio, cum ab Ariſtotele pronuncietur, & cum Porphyrius prope finem capitis de genere, & cap. de ſpecie non ſemel proferat hoc pronunciatum: Homo eſt animal; Secunda autem eius reſponſio facit pro nobis, & eidem Ianduno aduerſatur, vt adnotatum reliquit Iauellus in calce quæſtionis 15. ſeptimi eiuſdem diuinæ philoſophiæ.

Ariſtotel.

Defenditur ratio contra Ландunum.

Porphyr.

Tandem, ſi genus, & differentia ſint formæ realiter diſtinctæ, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia differentia, & de vno prædicato eſſentiali, quam de alio; cum in aliquo compoſito ſint plures differentiæ, & permulta prædicata quidditatiua, adeo vt in infinitum ferè protendi videantur, abhorret intellectus audire tantam rerum, vel formarum, vel realitatum diſtinctionem, ac multiplicitatem, nam cum ars imitetur naturam ex ſecundo Phyſicorum 12. & numquam natura quid fruſtra faciat, neque duplici vtatur inſtrumento, vt quid alloquatur, quando vno valet, ſapientes erimus artifices, ſi non neceſſariam multiplicationem reſpuemus; optime autem ex rationis diſtinctione, & ex conceptuum formalium inter genus, & differentiam varietate cuncta ſaluamus, &c.

Auctoritatibus non eſt cur hæc ſententia muniatur, quoniam omnes qui vnitatem formæ in compoſito locant, eam volunt; Auicennas tamen hoc expreſſe docuit, quando quinto ſuæ metaphyſicæ cap. 5. loquens de diſtinctione generis, ac differentiæ ait, eſſe quandam multitudinem, at non partium, ſed rei, quæ eſt terminata, & non terminata quo ad intellectum, quare erit alietas ſecundum intellectum, & ſubdit, genus ſe habere ad differentiam, vt potentiam ad actum; non eſt tamen illa potentia ſecundum eſſe extra, ſed in intellectu, &c.

Auicenn.

ARTICVLVS SEXTVS.

Reſpondetur argumentis in contrarium.

Confuto argumenta aduerſariorum, & primum deſumptum ex verbis Ariſtotelis patuit nedum non officere, ſed & iuuare, & ſententiam noſtrã maxime confirmare; Quod autem ſubditur ex Ariſtotele ibi, in definitione cadere & materiam & formam, clare apparet, ſe loqui de rerum materialium definitione, & ſic verum eſt, aliam rem eſſe materiam, aliam formam, at in definitione ponitur potentiale, & actuale, illud à materia, hoc à forma ſumptum, at genus, & differentia ſumuntur ab eadem forma totius, & quidem illud ab ea, vt dat gradum communem, hæc vt dat eſſe ſpeciale, &c.

Addebatur auctoritas ex 33. ſeptimi Diuinorum, vbi dicitur, ſicut ratio ad rem, ſic pars rationis ad partem rei, &c. fatemur eſſe partes in definitione, at non partes rei, ſed cognitionis, partes non realiter, ſed ratione diſtinctas, non ſequitur autem, quod velut pars rei non eſt tota res, ita pars definitionis non ſit tota definitio, quoniam partes rei ſunt materia, & forma, quarum neutra eſt tota res, at partes definitiones ſunt genus, ac differentia, & vtrũque

Quas partes habeat definitio.

eſt tota

eſt tota res, nō enim eſt genus materia, nec differentia forma, licet illud à materia, hoc eſt, ab aliquo potentiali, hæc à forma, hoc eſt, ab aliquo actuali ſumatur; Ita recte Auctor circa eundē tex. dicebat, partes definitionis ſignificare partes rei, quatenus à partibus rei ſumūtur partes definitionis, nō ita vt partes definitionis ſint partes rei, &c. At de his quinta quæſt. ad ſextum caput latius, &c. D.Thom.

Secundum argumentum nihil concludit, non enim ſequitur, fruſtra poni differentiam in definitione, quoniam licet totum quod eſt in definito dicat genus, tamen non explicite, at vero definitio, definiti naturam explicite debet referre, de ipſa namque dicebat Ariſtoteles primo Phyſ. quinto, quod diuidit in ſingula, hoc eſt, explicite ponit, quæ ſunt in definito, ita non eſt nugatio, dum additur differentia, quoniam licet idem dicat, quod dicebat genus, non tamen eodem modo, & nugatio non committitur penes eiuſdem rei iterationem, ſed quando idem conceptus bis ponitur, iam autem patuit, alium eſſe conceptum formalem generis, & alium differentiæ, vt ibidem in argumento recenſendo innuebatur; Neque huius impugnatio à Ianduno toties repetita quicquam valet, dicimus enim, hiſce conceptibus varijs aliquid reſpondere in re, ac ſubinde non eſſe fictitios, id vero quod eis reſpondet eſt ipſamet natura nomine generis, ac differentiæ importata, vt ſtat ſub varia acceptione, vt varios gradus confert, ſic non eſt quærendum, an id quod reſpondet ſit ſubſtantia, ſit accidens, eſt enim eadem res; At quando à diſtinctione conceptuum arguit ad diſtinctionē rerum, inane penitus eſt argumentum, vt conſtare potuit art. præcedenti, & vt euidentius dignoſcere erit ex quæſt. ſecunda ad ſextum caput. Et quidem, ſi eadem res ſub acceptione diuerſa, ad multas, ac diuerſas ſcientias attinere poteſt, vt re ipſa docti ſcimus, & vt colligitur ex Ariſtotele ſecundo Phyſ. 18. & mille prædicata proferat hic artifex de vna, & eadem re, alia ab his, quæ de eadem ab alio artifice enunciantur, vanum penitus eſt, ex diſtinctione eſſentialium prædicatorum, rerum colligere diſtinctionem, tunc enim res vna, vnum tantum cauſat conceptum, quando eſt vna actualiter, & virtualiter, at ſi vna actualiter, & multiplex fuerit virtualiter, multos poterit cauſare conceptus.

Ariſtotel. | Quando committatur nugatio. | Quid cōceptibus generis, & differentiæ reſpondeat. | Quādo quidpiam, vnum, & plures conceptus poſſit cauſare.

Ad tertium concedo, nullo intellectu conſiderante, rem quam dicit genus eſſe contrahibilem in potentia, & fundamentaliter, at non in actu, & completiue, niſi per opus intellectus; eſt quippe in re ipſa vnde adeſſe poſſit conceptus formalis contrahentis, formaliter diſtinctus à conceptu formali contrahibilis, at id non fit in actu, niſi intellectus operatione accedente, ſic nihil prohibet, idem ſub alia, & alia conſideratione eſſe & in actu, & in potentia, & ratione huius fundamenti in re ipſa exiſtentis non ſequitur, vt genus poſſit dici contrahens, vel differentia contracta, niſi forte contra conſuetudinem iam paſſim receptam, & doctrinam ab omnibus philoſophis traditam, id quod contrahit, vocare vellemus genus, & quod contrahitur, dicere vellemus differentiam, quod ridiculum eſt, quanta enim ſit vis conſuetudinis, habes ab Ariſtotele ſeptimo Ethicorum cap. 10. ad quod carmina Eueni adfert, & ſecundo Diuinorum 14. &c. Ariſtotel.

Ad quartum, & quintum, ex art. tertio abunde habetur reſponſio, quomodo ſcilicet differentia dicatur aduenire generi, quomodo eius qualitas, illud non natura, non metaphyſice, non pro re, ſed quo ad intentionem, ſed logice, ſed pro conceptu, hoc vero, non accidentalis, ſed eſſentialis, non completum ſupponens, ſed complens, ſed perficiens, &c.

Caietan.

Ad ſextum, vide ſi placet varios reſpondendi modos hoc loco à Caiet. clare adductos, dicas tu cum ipſo, veriſſimum eſſe, hominem eſſe compoſitum ex anima, & corpore, vt tertiam rem ex duabus, at tunc non accipitur corpus, vt eſt genus, (tunc enim dicit totum,) neque anima, vt eſt differentia pari ratione, ſed ſumuntur ambo vt res ſunt, ita enim vere ſunt partes, homo enim neque eſt anima, neque eſt corpus, ſaltem ſeparatim, quicquid ſit coniunctim, (extra rem quippe foret perſcrutari in præſentia, num totum realiter à partibus ſimul ſumptis differat,) quod autem in litera accipiantur corpus, & anima vt res, patet ibidem, ait enim, *Dicimus, hominem eſſe animal rationale, & non ex animali, & rationali, ſicut dicimus eum eſſe ex corpore, & anima*, vbi facit differentiam inter animal, & corpus, & inter rationalitatem, & animam, oppoſita de his enunciando, & tamen ſi corpus acciperetur vt genus, ab eo ſumeretur animal, & ſi anima vt differentia ſpectaretur, ab ea ſumeretur rationale, non ergo ex Auctoris ſententia genus, & differentia ſunt duæ res, ſed corpus, & anima vt ſic, &c.

Quod vero adijcitur, vt tunc videantur duæ formæ locari in homine, illa ſcilicet corporeitatis, & illa animæ, dic, quod ſi intueamur formalia ſignificata, & præciſa tum corporis, tum animæ, tunc vt ſic accepta, veluti duæ res conſtituunt hominem; corpus namque formaliter acceptum, tãtum abeſt, vt ſit idem animæ, quod eam a ſe excludit, vnde accidit ipſi cum præciſione ſumpto, quod anima ſit ei eadem; Corpus itaque, & anima per ſe loquendo ſunt duæ res, at quod perfectio corporea ſit eadem cum anima in homine, & cum forma ſpecifica in alijs, vel animalibus, vel anima deſtitutis, id ex accidente contingit, merito ſcilicet ſuppoſiti in quo ſunt; Dixi perfectionem corpoream, eandem eſſe animæ in animalibus, non autem dixi corpus, ſcio enim ſemper corpus realiter ab anima differre, vt partem à parte, at à corpore ſumitur corporea perfectio, &c.

Corpus formaliter acceptum quid excludat. Quid eidẽ accidat.

Dic vno verbo, ſemper animam, & corpus vt ſic eſſe duas res, accipiuntur enim præciſe pro partibus, at quando à corpore, & anima, ſit tranſitus ad genus, & differentiam, nullum eſt argumentum; Dicetur itaque animal ex anima, & ex corpore compoſitum, ſimiliter homo ex animali, & anima intellectiua, (ſumuntur enim & animal, & anima intellectiua præciſe vt partes,) & lapis ex corpore, & forma ſua, dum ſemper accipiantur termini pro partibus præciſe, licet vt bene ait Caietanus non ſit in vſu, vt quæ anima carent, dicantur componi ex corpore, & forma ipſorum ſpecifica, velut quæ anima potiuntur, dicuntur ex ipſa, & corpore componi, ob differentiam ſcilicet, quæ inter corporeitatem, & formam inanimatorum nos latet, (nam tandem & forma lapidis eſt corporea, & qua via ab illa hæc differat, nos fugit, niſi aſſignetur corporeitas quid magis commune, forma vero lapidis quid magis ſpeciale,) rurſus in formis eorum quæ anima carent, cum non ſit pars quæ moueat, & pars quæ moueatur, non eſt neceſſe, vt eluceat aperte differentia inter corporeitatem, & ſpecificam formam, velut apparere debet in ijs, quæ habent animam, vbi pars mota eſt corpus, pars autem mouens anima, &c.

Caietan.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

Quomodo genus prædicetur de differentia.

CIRCA eandem ſextam partem, vbi dictum fuit, genus non cadere in primo ſignificato differentiæ, & de ipſa nõ prædicatione per ſe, ſed ſolum per accidens prædicari, occurrit hoc loco quæſtio formanda de veritate huius pronunciati, ex cuius definitione, magis adhuc perſpicua reddetur, quæ facta eſt deciſio in quæſtione præcedenti de diſtinctis conceptibus formalibus generis, ac differentiæ.

Et quo ad primum, vbi titulus quæſiti indagatur, ſcias facile ex Ariſtotele primo Poſterior. cap. quarto, quod prædicationis quadruplex eſt modus per ſe, & prima prædicatio eſt, quando id quod dicitur de aliquo, eſt definitio, vel pars definitionis eius, ſecunda, quando e contra, quod ſubijcitur in propoſitione, eſt definitio, vel pars definitionis illius, quod prædicatur, tertia, quando quod prædicatur, non dicitur de aliquo ſubiecto, per quod exiſtat, quarta, quando fit alterius gratia, id enim propter quid fit, eſt cauſa per ſe effectus; Nõ eſt cur in præſenti quæratur, an genus dicatur de differentia, vel ſecundo, vel tertio, vel quarto modo, non enim genus eſt proprietas, vel paſſio differentiæ, neque differentia ponitur in definitione generis, ita non dicitur ſecundo modo perſeitatis, rurſus non habet genus a differentia, quod ſit genus, nõ enim natura, ac definitio generis pendet à differentia, ita non dicitur tertio modo, demum conſtat, genus non eſſe veram cauſam differentiæ, non eam producere, quare neque quarto modo, quare tota difficultas verſatur circa primum modum, vertitur namque in dubium, num conceptus, & definitio generis ſit definitio, vel ſaltem de definitione differentiæ, &c. Ariſtotel. Quctuplex prædicatio per ſe. Quid quæratur in hac quæſtione.

Scias inſuper, quod hi modi quos enumeraui, non ſunt alij ab ijs, quos idem Ariſtoteles recenſuit quinto Diuinorum 23. nam & ibi primus modus eſt, quando ſignificatur rei eſſentia, & definitio, aut quæ in definitione inſunt, ſecundus, quando quid eſt in aliquo primo ſubiecto, aut ſecundum totũ, aut ſecundum partem, tertius, quando illius quod dicitur ſecundum ſe non eſt alia cauſa, demum quartus, quando aliquid ineſt alicui ſoli, ſecundum quod ſoli, & ſatis conſtat primum, & ſecundum, vel primum ſubdiuiſum reſpondere primo modo in Poſterioribus Analyticis aſſignato, ſecundum, ſeu tertiũ, ſecundo ibidem, tertium, vel quartum, quarto, & quartum, ſiue quintum, tertio loci illius, vt dicebat Auctor in expoſitione illius loci ex quinto Diuinorum, & ibidem Alenſis, & Iauellus epitomatibus ſunt tract. tertio, cap. tertio ad eundem librum, adeo vt bene Antonius Scaynus in expoſitione loci eiuſdẽ dixerit, quod niſi Ariſtoteles ibi diſcreuiſſet modum illum, quo pars definitionis dicitur ab illo, quo tota definitio aperitur, ijdem omnino modi dicendi per ſe, & numero, & re eſſent illi, qui & illo 23. & primo Poſter. adferuntur, quamuis velit, vt modus ille quem Auctor ait reſpondere tertio in Analyticis, reſpondeat ſecundo, & ille quem dicit referre ſecundum, referat tertium, at hoc nullatenus probat, & nihil huic propoſito conducit, ſufficiat, modos illos perſeitatis aſſignatos in Analyticis, & quinto Diuinorum eſſe penitus eoſdem, ſi non numero, (nam primus ibi, in duos hic partitus eſt,) at ſaltem re. Hinc mirari ſatis non poſſum Aquarium doctiſſimum, qui dilucidatione, Ariſtotel. D. Thom. Alenſis. Iauellus. Scaynus.

Aquarij conſideratio. datione ſexta ſuper tertium Diuinorum, alium fecerit ſecundum, aut tertium modum aſſignatum loco præfato quinti Diuinorum à ſecundo poſito in Analyticis, & alium ita fecerit, vt cum eadem dilucid. iure negaſſet, genus dici per ſe de differentia, ſecundo modo perſeitatis, qui habetur primo Poſteriorũ, ibidem poſt quædam affirmat, genus dici de differentia modo illo tertio aſſignato quinto Diuinorum, & tamen clare habet Auctor ad locum illum quinti Diuinorum, modum illum ſecundum, (at ſecundum ait ipſe, quoniam quattuor ſolum modos enumerat, non ſubdiuidendo primum, ſed vnum faciendo cum ſecundo) reſpondere ſecundo poſito in Analyticis; Quocirca Aquarius, vel Magiſtro ſuo, vel ſibi ipſi aduerſatur, quoniam ſi prædicetur aliquo modo perſeitatis, ergo male antea negauit, nullo eorum qui in Analyt. modi adducti ſunt prædicari, ſi autem dicatur vtique non prædicari iuxta illos, ſed ſecundum eos, qui habentur quinto Diuinorum, (vt ſæpe inculcat,) iam contradicit Auctori, dicenti hos modos illis reſpondere.

Nõ probatur.

Sed & Ianduno non diſplicere videtur modus ille dicendi, vt ſcilicet quidam modi perſeitatis aſſignati in prima Philoſophia, ſint alij ab ijs, qui habentur primo Poſteriorum, nam quæſt. 12. tertii Diuinorũ eligere videtur viam illam, quæ docet, genus non dici de differentia prædicatione per ſe aſſignata in Reſolutoriis, ſed ſolum ea prædicatione allata tertio illo Diuinorum, quamuis deinde, & aliam viam amplectatur. At dicamus nos cum Auctore, & aliis quos recenſui, eoſdem eſſe modos hinc, & inde commemoratos, quare ſi fuerit determinatum, non dici genus per ſe de differentia primo illo modo in Reſolutoriis allegato, habebitur, quod nullo alio prorſus modo; Quæritur ergo, num genus ſit definitio, aut pars definitionis differentiæ.

Quo ad ſecundum, vbi minus veræ opiniones adferri conſueuerunt, adeſt Iandunus loco allegato ſuſtinens partem affirmantem, docet enim genus per ſe de differentia prædicari, quam ſententiam nititur probare rationibus nonnullis, quas habes apud omnes negotium hoc tractantes, præcipue apud Scotum tertio Diuinorum, quæſtione vnica illius libri, apud Antonium Andream quæſtione ſecunda eiuſdem libri, apud Soncinenſem quæſt. 20. quarti, apud Iauellum quæſt. ſecunda tertij, & apud Aquarium dilucid. ſexta eiuſdem libri in eadem ſcientia.

Sententia Ianduni.

Eius argumenta. Nos breuiter pro Ianduno arguamus in hunc modum, & primo, Quoniam ſi genus non prædicetur per ſe differentia, ergo per accidens, ergo prædicatum accidit ſubiecto, ergo poterit ſubiectum eſſe ſine prædicato, ergo hæc differentia, puta rationale poterit eſſe ſine hoc genere, puta animali, quod tamen falſum eſt, &c.

Secundo, Si genus dicatur per accidens de differentia, ergo per accidens quoque dicetur de ſpecie, falſitas conſequentis non eſt vt probetur, conſequentia deducitur, nam quod dicitur per accidens de aliquo, dicitur etiam per accidens de omni eo, in quo formaliter illud includitur, differentia autem formaliter includitur in ſpecie, ergo ſi de illa, de hac quoque per accidẽs dicetur, quare ſi hæc propoſitio, Rationale eſt animal, ſit per accidens, & iſta, Homo eſt animal per accidens erit.

Tertio, Ideo aliquid prædicatur de aliquo, quia eſt in illo, prædicari enim præſupponit eſſe, & eo modo quid prædicatur, quo eſt in re, at obiectiue, & ex parte rei, rationale vere eſt animal, & differentia eſt eadem res, quæ eſt genus, vt quæſt. prçced. determinatũ eſt, ergo animal prçdicatur de rationali, ergo &c.

Quarto,

Quarto, Vera eſt hæc propoſitio, Omnis differẽtia eſt qualitas, ex quinto Diuinorum 33. qualitatem vero, nullus ignorat eſſe genus, ergo genus dicitur de differentia.

Quinto, Conſtat ſubſtantiam vnum eſſe genus, ex prædicamentis cap. proprio, & ex primo Phyſ. 50. hæc autem prædicatur de ſubſtantijs, & compoſitis, & ſimplicibus, ergo & de differentijs, & vera eſt hæc propoſitio, Differentia eſt ſubſtantia, iam igitur hoc genus dicitur de differentia. Ariſtotel.

Sexto, Vera eſt hæc propoſitio, Rationale eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, at loco huius definitionis ponatur definitum, hoc autem eſt animal, vt patet, ergo vera erit pronunciatio, ſi dicatur, Rationale eſt animal, ergo genus dicitur de differentia, &c.

Argumenta quæ paſſim ad hoc idem adferuntur, vide ſi libet apud memoratos auctores.

Quo ad tertium, vbi veritas definienda eſt; Oppoſita quippe pars, quod ſcilicet genus per ſe non dicatur de differentia, nedum eſt Auctoris hoc loco, & Auicennæ, ab eodem in litera citati, qui & referri poteſt priori ſuæ logicæ parte cap. nono, vbi ait, genus non eſſe in natura differẽtiæ, neque intra eius eſſentiam, & Caiet. in hac parte, & Capreoli in primo diſt. 8. q. 2. ad 12. probationẽ ſeptimi argumenti Scotici aduerſus primam concluſionem, ſed & omniſi quos ſuperius allegaui, & Alenſis dum exponit 10. tertij Diuinorum, & Fonſecæ, & Scayni ibidem, ſed ipſiuſmet Ariſtotelis locis in litera, & noſtris ad eam annotationibus expreſſis; Neque eſt, vt dicatur cum Ianduno, Ariſtotelem, & tertio Diuinorum, & quarto Topicorum diſputatiue in hoc procedere, tunc enim de ſingulis vtrobique prolatis idem poſſet dici, quod eſt ridiculum, tunc namque propoſitio omnis ex Topicis, & quod magis refert ex toto tertio Diuinorum allata, eandem poſſet explicationem ſubire, quod eſt fatuum; Accedit, Ariſtotelem nullibi adduxiſſe rationem in contrarium huius aſſertionis, neque vllo loco rationes quas pro hoc firmando attulit, vel ſoluiſſe, vel nec parum debilitaſſe, quare id apertum argumentum eſſe videtur, hanc eius mentem extitiſſe, veluti grauiores omnes ſui interpretes acceperunt; Neque obſtat, rationẽ in Topicis allatam non eſſe forſan demonſtrantem, ſed ſolum probabilem, ſtat enim, certo teneri concluſionem, & tamen probabiles tantum pro ea adferri rationes, præcipue in Topicis, non enim neceſſarium eſt, vt quæuis ratio pro concluſione adducta ſit concludens, nam ſufficit, ſi alicui vni firmæ rationi innitatur, vt patefiet, &c. Contraria ſententia D. Thomæ. Auicenn. Caietan. Capreol. Alenſis. Fonſecæ. Scayni. Ariſtotel.

Pro notitia ergo veritatis pono breuem hanc aſſertionem: Genus non prædicatur per ſe de differentia primo modo perſeitatis, quem aſſignauit Ariſtoteles primo Poſteriorum, loco memorato, quod ſi non dicitur hoc modo, ergo nullo penitus alio, & iam patet hæc illatio. Concluſio.

Nota primo, quod gemina eſt prædicatio, altera, quæ attenditur penes rem vt ſic, altera, quæ penes rem, vt ſtat ſub aliquo conceptu, & ratione formali, & prior conſueuit vocari propoſitio, ſeu prædicatio identica, poſterior vero formalis; Cumque metaphyſici ſit conſiderare res, & quidditates, logici autẽ conceptus, & intentiones, illa poteſt dici metaphyſica, hæc logica; Quando igitur idem dicitur de ſeipſo abſolute in aliqua propoſitione, prædicatio illa vocatur identica, & poteſt dici metaphyſica, quando vero idem de ſeipſo ſub aliquo conceptu reduplicatiue, & vt ſic prædicatur, tunc illa propoſitio dicitur formalis, ſeu logica; in priori ſenſu vera eſt propoſitio, actio eſt paſſio, in ſecũdo, Duplex prædicatio. Identica propoſitio. Formalis.

homo eſt animal; & plurimum diſcriminis verſatur inter alterum, & alterum prædicandi modum, nam multa pronunciata in primo ſenſu erunt vera, quæ in ſecundo erunt falſiſſima, adeo vt diuini Theologi quaſdam propoſitiones identicas, catholicas dicent, quæ ſi in formali ſenſu proferamur, erunt hæreticæ.

Quid immediate, & remote ſpectet propoſitio.

Horum autem fundamentum illud eſt, quoniã propoſitio non reſpicit rem immediate, ſed conceptum, rem vero ipſam remote, & velut fundamentũ conceptus, non dico propoſitionem reſpicere conceptum purum, ſed rem vt ſtat ſub conceptu, neque enim res ex ſeipſis vt ſic occurrunt intellectui, ſed medijs earum conceptibus, & ideo in propoſitionibus, magis ſpectantur conceptus, quam res, & licet quo ad rem veræ ſint multæ propoſitiones, falſæ tamen ſimpliciter proferuntur, quoniam modus pronunciandi attenditur ex modo concipiendi; & ita quamuis in duabus propoſitionibus eadem res obuta fiat, quoniam tamen in vna ſub vno, in alia ſub alio conceptu apparebit, ea propter vna erit vera, alia falſa, &c.

Contra Iandunum.

Ita ruunt præcipua motiua Ianduni, eſt enim falſum, quod aſſumit, modos prædicandi ſequi rerum quidditates, & formas vt ſic, nam eas ſequuntur medijs conceptibus, vt ſcilicet ſtant ſub hoc, & illo conceptu, neque ſimiliter verum eſt quod ait, modos iſtos eſſe vanos, & nihil eis reſpondere, reſpõdet enim res ipſa multiplex in virtute, ac ſubinde quæ multos valeat fundare cõceptus, vt explicatius viſum fuit præcedenti quæſtione; Certe ſi penes res abſolute, & non vt ſtant ſub hoc, vel illo conceptu metiendæ forent propoſitiones, nihil eſſet, quod vllus diſtinctionem faceret inter propoſitiones identicas, & formales, quod tamen faciunt omnes, & Theologi, & Philoſophi, & iam à viris clariſſimis, qui ſuſtinent, relationem non eſſe rem diſtinctam à fundamento, tẽpus non realiter ſecerni à motu, admittenda forent hæc pronunciata, albedo eſt ſimilitudo, tempus eſt motus, & alia permulta eiuſmodi in Philoſophia, Metaphyſica, & ſacra Theologia, quæ nemo vnquam admittet. At vt ad hominem arguamus, ſi propoſitiones, & prædicationes comites ſunt rerum, & quidditatum, cur non concedit ipſe Iandunus quæſtione quinta tertij Phyſic. hanc propoſitionem: Actio eſt paſſio, cum res illa eadem quæ eſt actio, ſit & paſſio? at iure eam ibi negauit, ab Ariſtotele edoctus 21. & 22. eiuſdem libri. An non docet, & bene eadem quæſtione, actionem, & paſſionem duo prædicamenta conſtituere ob diuerſas rationes formales, quamuis idem motus ſit & actio, & paſſio? Si itaque rationes diuerſæ formales vnius, ac eiuſdem rei ſufficiunt ad plurium cathegoriarum conſtitutionem, cur non ſufficiant ad varias fundandas propoſitiones, quarum alia iuxta rationem vnam ſit vera, alia iuxta aliam ſit falſa? Neque obſtat, quod ibi dicat, varias actionis, & paſſionis eſſe definitiones, nam tandẽ vnica res eſt actio, & paſſio, quod ſi ſub ratione varia potens eſt facere varias definitiones, multo magis poterit aliqua res diuerſas fundare propoſitiones, non itaque eius motiua nobis, ſed auctori ſuo repugnant; Quamuis ergo identice, aut metaphyſice vera ſit hæc propoſitio, ſeu prædicatio, Rationale eſt animal, & abſolute quæuis propoſitio, in qua de differentia dicitur genus, quoniam res illa quæ eſt differentia, eſt quoque genus, veruntamen vera non eſt formaliter, ſeu logice, quoniam ſub alio conceptu eadem res eſt genus, & differentia, & conceptus generis non ingreditur conceptum differentiæ, ſic non dicitur per ſe de ipſa, &c.

Ariſtotel.

Notabis

Notabis ſecundo, quod quemadmodum iuxta ſeriem rerum, ac conceptuũ datur perſeitas, vt ita loquar, vt ſcilicet aliqua res ſit per ſe illa, & alicuius conceptus ſit per ſe conceptus, vel de conceptu alterius, ita datur & accidentalitas, vt videlicet hæc res accidat illi, & huius rei conceptus accidat conceptui alterius; Sic itaque in genere, & differentia non poteſt intercedere, quod res accidat rei, nihil enim accidit ſibi ipſi, accidet ergo conceptus conceptui, hoc eſt, conceptus generis neque erit conceptus, neque de conceptu differentiæ; Et veluti dum res accidit rei, vna poteſt abſque alia exiſtere, ita quando conceptus vnius accidit conceptui alterius, illius conceptus poterit eſſe, & de facto erit ſine conceptu huius, ſic non res generis, ſed eius conceptus accidet ipſius differentiæ conceptui, ex qua doctrina ſi bene applicetur, & primum, & ſecundum argumentum confutata relinquuntur, quandoquidem vtrumque petit difficultatem ex parte rei, non autem ex parte conceptus, in quo ſenſu vera eſt concluſio à nobis poſita.

Obſerua tertio, quod cõparatio generis ad differentiam, eſt velut cõparatio potentiæ ad actũ, vt non obſcure colligi poteſt ex quæſtione ante habita, potẽtia vero, & actus ex Auerroe primo de Anima ſexto, ſunt differentiæ entis valde oppoſitæ, ſic autem in præſenti oppoſitæ, quod certe conceptus vnius non eſt conceptus alterius, ita conceptus generis, non eſt conceptus differẽtiæ, neque e contra; Hinc genus de differentia per accidens prædicabitur, (ſumpta ſemper accidentalitate penes conceptum,) & aliquo medio, media ſcilicet ipſa ſpecie, nam de ſpecie vtique per ſe dicitur genus, & formalitas, ſiue conceptus generis, eſt de formalitate, ſiue conceptu ſpeciei; Cum autem differentia ſit in ſpecie, merito ſpeciei dicitur genus de ipſa differentia, cõceptus namque generis, & conceptus differentiæ quamuis ſibi mutuo accidant, ambo tamen coeunt in vnum tertium, nimirum in ſpeciem, quoniam illius, & huius conceptus ſunt de ipſius ſpeciei conceptu; ſic iſta propoſitio, *Rationale eſt animal*, eatenus erit vera, quatenus vera eſt iſta, *Homo eſt animal*, eſt autem per accidens hæc propoſitio; *Rationale eſt animal.* & reducitur ad illam vel poteſt reduci, quæ eſt per ſe, *Homo eſt animal*, ita non dicitur genus de differentia vt differentia eſt, ſed vt eſt in ſpecie contenta, atque ideo nec per ſe, nec immediate; ſed per accidens, & media ſpecie, quæ doctrina apte accommodata euertit ſecundum argumentum.

Qualis compa-ratio inter genus, & differentiam.

Auerroes.

Ea propter, vane omnino videtur mihi Aquarius loco recenſito dixiſſe, genus prædicari per ſe de differẽtia, quoniã ſcilicet prædicatũ inſit ſubiecto, ſine medio, & ſine vlla cauſa media, & prædicatione naturali, & directa, ſi enim dicere velit, prædicari genus de differentia abſque vlla media re, quæ mediet, verum vtique eſt, at hoc nemo non ſciebat, tantũ enim abeſt, vt res aliqua media ſuſpicetur cadere inter rem generis, & rem differentiæ, vt vna, & eadem res ſit vtrumque, & nullus dubitauit, quin idẽtice, ſeu metaphyſice, ſeu entitatiue genus dicatur de differentia, quod ſi intelligat, nullum conceptum mediare, ſed genus dici per ſe de differentia ex parte cõceptus immediate, iam in claſſe Ianduni contra Auctorem, & Ariſtotelem foret numerandus, quod de ipſo minime ſentio, cum expreſſe dicat, genus non prædicari per ſe de differentia, nullo videlicet modo eorum, quos legimus primo Poſteriorum, cap. illo quarto.

Non placet Aquarij cogitatio.

Nota quarto, quod bifariam poteſt differentia conſiderari, primo vt ſic, formaliter, & quatenus differentia eſt, ſecundo, quatenus aliquando induit nomen, ac rationem ſpeciei, ſic virtus, quæ eſt habitus quidam continetur in ca-

Gemina differentiæ conſideratio.

thegoria qualitatis, & de ipſa dicitur qualitatis genus, cum ſit eius prima ſpecies, ac ſi homini inſit, reddit illum virtute affectum, & ita coartat, vt per hanc quaſi differentiam ab homine virtute orbato diſtinguatur, ſic quando dicitur virtus eſſe qualitas, hoc genus, (qualitas ſcilicet) dicitur de ipſa, non quatenus differentia eſt, ſed quatenus eſt ſpecies, ſimiliter dum qualitates deſcribuntur per genus, & quandam differentiam, vt ſi dicatur, temperantia eſſe habitus virtutis, vbi loco generis videtur poni habitus, loco differentiæ virtus, vnde apparet qualitatis eſſe qualitas; (differentia ſcilicet hæc per quam deſcribitur,) eodem modo accipiendum eſt, vt nimirum deſcribantur, quatenus ſunt ſpecies compoſitæ ex genere, & differentia, comprehenſæ ſub communi genere qualitatis: Pari via, ſubſtantia dicitur de ſimplicibus ſubſtantijs, eatenus autem dicetur de differentijs, quatenus rationem induent ſpecierum ipſius ſubſtantiæ, non dico differentias eſſe ſpecies ſubſtantiæ, noui enim non locari in recta linea prædicamentali, & à ſubſtantiæ cathegoria prope remoueri ab Ariſtotele, dum in prædicamentis primam eiuſdem ſubſtantiæ proprietatem aſſignat, ſed id volo dicere, quod ſi tandem à proteruis fieret argumentū de differentia ſubſtantiali, dicendo, vel eſt ſubſtantia, vel eſt accidens, dicas eſſe ſubſtantiam, ergo hoc genus, quod eſt ſubſtantia prædicabitur de ipſa, dic prædicari, quatenus differentia aliqua via induit rationem ſpeciei ſubſtantiæ, nam vt differentia, non eſt dicenda ſubſtantia, ſed principium ſubſtantiæ, ex qua doctrina ſi vt decet conſideretur, & quartum, & quintum argumentum, & aliquo modo ſextum quoque de facili pereunt.

Ariſtotel.

Quomodo ſubſtantia dicatur de differētia.

Noto poſtremo iudicium meum de poſitione Ianduni, ille enim quæſtione commemorata diſtinguit de genere, & differentia, dicendo poſſe capi dupliciter, vt vno modo capiatur genus pro toto aggregato ex forma generali, & forma ſpecifica, ſub ratione tamen formæ generalis, alio modo ſumatur pro forma generali, idipſum ait de differentia, vno ſcilicet modo capi poſſe pro aggregato ex forma generali, ac ſpecifica, vt tamen ſignificat ſub ratione formæ ſpecialis, alio modo pro forma ſpeciali, quæ diuerſa eſt à forma generis; tunc ſubdit duas concluſiones, quarum prior eſt iuxta ſecundum membrum diſtinctionis, quod capiendo genus pro forma generali, & differentiam pro ſpeciali, genus non prædicatur per ſe de differentia, altera concluſio iuxta primum membrum eſt, quod ſumendo genus, ac differentiam pro aggregato ex forma generali, & ſpecifica, genus per ſe prædicatur de differentia; Et in fine quæſtionis eiuſdem 12. ad tertium Diuinorum, reſpondens cuidam difficultati, ait quod animal, & rationale idem important, licet animal ſignificet hoc ſub ratione formæ generalis, & differentia ſub ratione formæ ſpecialis, quibus verbis modum præfigit quæſtioni.

Expendit Auctor mentem Ianduni.

Vt ab hoc vltimo loco prolato initium ipſe ſumam, neſcio quomodo ſtent hæc duo ſimul, quod ſcilicet genus ſumatur ab vna forma, differentia ab alia, vt locis mille ſuperiori quæſtione recenſitis docuit Iandunus, quod & reperit in quæſtione de qua modo loquimur, & adfert pro confirmatione primę ſuæ concluſionis, & deinde, quod genus, & differentia dicant rem eandem. Dicet, genus, ac differentiam dicere eandem rem, dum ſumuntur pro aggregato, at non ita reuera eſſe ex parte rei, quoniam genus dicit vnam formam tantū; differētia aliā, &c. Tunc percontor philoſophum aliàs grauiſſimū; Vel ita à parte rei eſt, quod genus ſit hoc aggregatū, & totum dicens, ſimiliter, & differentia, vel non, ſi primū, ergò genus non differt realiter à differentia, ergo vtrumque

Eandem reijcit.

ab ea-

ab eadem forma ſumitur, ergo dicunt totum, quod eſt in ſpecie, quod eſt contra doctrinam ſuam tot locis allegatam, ſi ſecundum, iam ergo modi prædicandi non ſequuntur rerum quidditates, & formas, nam res ipſæ, & formæ per ſe ſunt realiter diſtinctæ, & vna vnam dicit partem, & alia aliam, & tamen dicis, vnam ſumi pro aggregato, & totum dicere; vel ergo aliquid in re reſpondet huic pronunciato, quo dicitur, Genus, & differentia importare totum, vel nihil, ſi nihil pro nihilo relinquatur, ſi aliquid, ergo iam in re ipſa genus, & differentia dicunt totum, ecce quomodo argumentum illud, quod toties repetijt, æque militat contra ipſum, ac contra nos, immo magis officit ipſi, nos enim confugientes in prædicationibus variis ad varios conceptus, dicimus aliquid reſpondere in re, vt patuit ſuperiori, & præcedenti quæſtione, ipſe vero recurrens ad variam conſiderationem, (quod certe ſibi faciendum eſt, ſi debeat ſaluare, animal, & rationale pro aggregato totum dicere,) tantum abeſt, vt iuxta poſitionem ſuam poſſit aſſignare aliquid in re reſpondens, quod oporteat ipſum fateri, modum pronunciandi, & propoſitionem ſuam eſſe nedum diuerſam, ſed & contrariam ei quod eſt in re, nam ex parte rei per ipſum, genus dicit partem vnam, differentia aliam, genus ab vna, differentia ab alia forma ſumitur, & tamen profert propoſitionem his penitus contrariam, dum ait, genus ſumi pro aggregato, & ſimiliter differentiam, & vtrumque idem importare; Euidentem certe contradictionem, immo euidentes contradictiones in hoc viro, vna, & eadem quæſtione mihi videre videor.

Rurſus, ſi etiam demus ei, hoc ſuum aggregatum, modo quem ex ipſo retulimus, adhuc non ſequitur, quod genus per ſe dicatur de differentia, quamuis etenim omnia in ſe contineat, non tamen omnes rei conceptus, & non valet ab identitate rei, ad identitatem conceptus, licet enim genus dicat rem differentiæ, verumtamen non exprimit eius conceptum, quod idem dicendum eſt de differentia comparata generi. Neque cõfugiendum eſt ad id, quod de materiali, & genus, & differentia dicunt, ſed conceptus ſolum formales ſunt inſpiciendi, nam ſi ad materiales recurras, idem eſt, ac ſi identice, ac metaphyſice, ex parte rei loquaris, non autem formaliter, logice, & ex parte conceptus primo importati, qui ſemper eſt inſpiciendus. Conſiderauit itaque rerum dumtaxat vt ita dicam adunationem, poſthabita conceptuum aggregatione, & ex illa ſubintulit propoſitiones, & prædicationes, quas tamen non penes res vt ſic, ſed quatenus ſub hoc, & illo conceptu offeruntur attendendas non ſemel diximus, ac firmauimus. Demum, aggregatum illud ſuum de duplici forma, quæſtione de vnitate formæ in compoſito falſum penitus demonſtrabitur, quare ſi pro parte genus, vt ipſe fatetur non dicitur de differentia, neque pro aggregato dicetur, & ita nullo modo.

Argumentum vbique a Ianduno adductum, eidem obijcitur.

Supereſt, vt probetur poſita concluſio; Et auctoritati Ariſtotelis, & aliorum eius grauiſſimorum interpretum, accedant & rationes, quarum prior ſit illa peruulgata, & perefficax, qua infertur, nugationem committi in definitionibus, in quibus vtique ponitur genus, ac differentia, quod ſi conceptus generis formalis ſit de conceptu differentiæ, non video, quomodo idem ſub eadem ratione bis non ponatur, ſemel ſcilicet ratione ſui, & iterum ratione differentiæ; Neque valet quod adfert Iandunus, auferri videlicet nugationem, quoniã differentia ſub ratione formæ ſpecialis, genus vero ſub ratione formæ generalis ponitur, nam hæc reſponſio militat contra ipſum, ſi enim ſub alia, & alia ratione genus, & differentia importent aggregatũ illud, iam non ſub eodẽ

Prima probatio pro vera ſententia.

Defenditur contra Iandunum.

conceptu

conceptu, iam non dicitur genus per ſe de differentia, attenditur namque hic modus, quando conceptus vnius eſt conceptus alterius, vel de eius conceptu, at conceptum communem nemo non agnoſcit, neque eſſe conceptum, neque de conceptu ſpeciali, ſeu particulari, loquendo ſemper de conceptibus vt ſic, nam ſi fiat recurſus ad rem, iam nulla foret difficultas, oportet ergo, quod ſi per ſe genus dicatur de differentia, vt conceptus formalis generis formaliter includatur in conceptu differentiæ, & ſic eodem modo repetatur, & nugatio interueniat. Præterea arguo ipſe; Ad veram definitionem ſufficit genus, & differentia, conceptus ſcilicet vtriuſque, at ſi genus per ſe dicatur de differentia, ſola differentia certe plene omnino definiet; non enim eſt dubitandum, quin differentia dicat conceptum proprium, ſed per aduerſarios dicit quoque formalem conceptum generis, ergo redundans erit genus in definitionibus, ſic definitio non erit longus ſermo, vt docebat Ariſtoteles 8. Diuinorum 9. non habebit partes, vt idem auctor erat ſeptimo eorundem 33. Profecto hoc argumentum opponebat nobis Scotus quæſtione præcedenti, cui non aliter occurrimus, neque credo poſſe occurri, niſi dicendo vt dicebatur, ob diſtinctionem formalem conceptuum generis, ac differentiæ, vtrumque in definitionibus fore ponendum, vt quod alterum implicite, alterum explicite referret, at modus hic reſpondendi deeſt Ianduno, quoniam vtrumque explicite exprimet differentia. Confirmo hæc omnia, Vel genus, & differentia ſunt vnũ, & idem re, & ratione ſimul, vel re dumtaxat, ſi ſecundum, materialiter ſolum, & identice vnum de altero dicetur, & conceptus vnius non erit conceptus alterius, & genus nõ per ſe de differentia prædicabitur, vt cõtingit de actione, & paſſione, ſi primum, (velut oportet ipſum dicere, quandoquidem rationem generis ponit rationem differentiæ, vel de eius ratione,) nequibit vtique ſubterfugi nugatio in definitione, & ſola differentia ſufficientiſſime definiet.

Alia probatio.

Si placet alijs vijs huius determinationis confirmationis videre, adeas inter alios Paulum Soncinatem quæſt. illa relata, vigeſima inquam quarti Diuinorum; Quæ enim breuiter retuli ſatis, rem ipſam probaſſe videntur.

Soncinas.

Quo ad quartum, in quo ſi quæ ſint argumenta, quæ factæ determinationi obſtent, reiici ſolẽt, licet ex notabilibus adductis colligatur rationum ſolutio, ſingulis tamen formaliter faciamus ſatis.

Ad primum itaque ex ſecundo notabili reſpondeo, duplici via attendi prædicationem per accidens, materialiter ſcilicet, metaphiſice, entitatiue, & penes rem, deinde formaliter, logice, pro intentione, ac penes conceptum, in primo ſenſu nego conſequentias, & concedo falſitatem cõſequentis, in ſecundo concedo, & doceo conſequentias, & nego falſitatem conſequentis.

Ad ſecundum dico ex tertia obſeruatione, quod ſi ideo genus diceretur de ſpecie, quatenus dicitur de differentia, tunc forte diceretur de ſpecie per accidens, at res e contra ſe habet, vt eadem tertia obſeruatione patuit, propoſitio autem illa, Quicquid prædicatur per accidens de aliquo, prædicatur per accidens de omni eo, in quo formaliter includitur, valet, ſi eatenus dicatur de illo, quatenus in illo id de quo dicitur includitur, ſi autem alia ratione de ipſo dicatur, non valet, ita per ſe genus dicitur de ſpecie, non enim iccirco de ipſa dicitur, quoniam differentia in ipſa includatur, ſed primo dicitur de ſpecie, qua media dicitur deinceps de differentia, quæ reſponſio poteſt colligi ex Soncinate loco memorato, dum ſecundo loco reſpondet ad tertium, & mihi magis probatur, quam illã primo loco ibidem allata, qua ait, valere propoſitionem

Attende intelligentiam propoſitionis.

Soncinas.

tionem illam, quando id quod prædicatur de aliquo per accidens,prædicatur de illo adæquate; non autem ſi non prædicetur adæquate, modo genus non prædicatur de differentia adæquate, & ideo licet de ipſa prædicetur per accidens, poteſt tamen per ſe prædicari de ſpecie. At certe ſi de differentia adæquate prædicaretur,neque per ſe, neque per accidens diceretur vel de ſpecie, vel de vllo alio, pugnat enim,quod adæquate dicatur de hoc, & poſtea dicatur de alio, quod ſi non dicitur adæquate, non eſt difficultas in argumento, quomodo abſolute, & quouis modo poſſit dici de alio, ſed quomodo de alio, in quo id de quo per accidens dicitur,includitur, quare melior eſt primus modus reſpondendi, &c.

Ad tertium applicanda eſt reſponſio data ad primum: concludit enim argumentum de prædicatione identica, & metaphyſica, hæc enim ſequitur rem abſolute,non autem de prædicatione formali,& logica, quæ ſequitur rem ſub conceptu, de qua loquimur, &c.

Ad quartum,Genus dicebatur, & bene in quarta obſeruatione dici de differentia aliquando, non quatenus differentia, ſed quatenus ſpecies eſt, rurſus de differentia ſubſtantiali, de qua præcipue loquimur,non prædicatur genus illud, quod dicitur qualitas, vt eſt prædicamentum quartum in ordine, nam differentia ſubſtantialis non continetur ſub illo, quoniam eſt eſſentia ſpecifica, & eatenus dicitur qualitas, quatenus quale reddit genus, ipſum ſpecificans, &c. Tandem, quando dicimus genus non prædicari per ſe de differentia, non accipimus genus pro aliqua decem cathegoriarum, ſeu pro aliquo genere generaliſſimo, ita enim differentiæ illius generis ſub illo contentæ, ſaltem ex reductione aliqua via ſuſcipient illius prædicationem, ſed accipitur genus pro illo, ex cuius poteſtate egrediuntur differentiæ, & quod comparatum ſpeciei,eſt altera pars definitionis,adeo quod æquiuocatio ferè accidat in conſimilibus argumentis.

Quale genus dicamus non prædicari per ſe de differentia.

Eodem modo, vel iiſdem penitus modis dicas pro confutatione quinti argumenti,illud addendo,quod de differentijs genus ſubſtantiæ generaliſſimum non dicitur in recto, nam differentia ſubſtantialis non eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiæ principium, ſi proprie velis loqui.

Ita ruet & ſextum argumentum, nam rationale non eſt ſubſtantia animata, ſed illud, vnde ſumitur talis ſubſtantia, quoniam non eſt ipſa ſubſtantia, ſed eius principium. Rurſus identice eſt ſubſtantia talis,animata, ſenſibilis, non formaliter, poſtremo de ipſa poteſt formari illa propoſitio, ſi conſideretur vt aliqua via poteſt eſſe ſpecies, non quatenus eſt differentia, vt ſic, & Auicennas quinto ſuæ metaphyſicæ ad finem cap. ſexti ait, quod hæc propoſitio; Differentiæ ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ, ita intelligitur, quod differentias ſubſtantiæ comitatur eſſe ſubſtantias, non quod in earum quidditate intelligatur definitio ſubſtantiæ, ita vt ſint ſubſtantiæ in ſe, &c. Auicenn.

QVÆ-

QVAESTIO TERTIA.

Num conceptus ſpeciei componatur ex conceptu generis, ac differentia.

CIRCA octauam partem, vbi dicebatur, hominem eſſe ex rationali, & animali, velut intellectum tertium ex duobus intellectibus, moueo quæſtionem, num conceptus ſpeciei ſit compoſitus ex conceptu generis, & differentiæ; Siquidem quod ad rem ipſam attinet, iam vidimus partem negantem, cum eadem res ſit genus, & differentia, & ſpecies; quare de conceptu ipſo, ſeu de conceptibus inſtituitur breuis hæc quæſtio; Et vt eius ſenſum teneas, aduerte, quod duplex eſt compoſitio, altera rei ex rebus, altera conceptus ex conceptibus, & illa metaphyſica, hæc logica appellari valet; non quærimus in præſenti, an res ſpeciei ſit compoſita ex re generis, & re differentiæ, vt enim dicebam, partem negantem veram eſſe patuit, at quæritur, num conceptus ſpeciei ſit compoſitus ex conceptu generis, & conceptu differentiæ: Et quoniam compoſitio omnis præſupponit partes, veluti quando duæ, aut plures res componunt tertium, hoc dicitur totum, illa vero duo, aut plura partes, ſic quando duo, vel plures conceptus concurrent ad alicuius compoſitionem, ille dicetur totum, reliqui partes, ſic quærendo, an cõceptus ſpeciei ſit compoſitus ex illo generis, ac differentiæ, idem eſt, ac ſi quæramus, num conceptus generis ſit vna pars, & ille differentiæ ſit alia conceptus ipſius ſpeciei, adeo vt ſpeciei conceptus ſit quoddam totum ex illis cõſurgens.

Quotuplex compoſitio.

Quid præſupponat compoſitio.

Rurſus aduerte id quod colligere debes ex obſeruationibus ad ſextam partem huius literæ, non eſſe controuerſiam de conceptu formali, & materiali ſimul generis, vel differentiæ, nam hoc modo & genus ſeorſum, & differentia ſeorſum dicunt totum conceptum ſpeciei, atque ideo nequeunt habere rationem partis, nequeunt componere, quare erit ſolum quæſtio de conceptibus formalibus, & generis, & differentiæ.

Quotuplex cõpoſitio eſſentialis.

Sed & illud facile potes obſeruare, quod cum duplex eſſe poſſit compoſitio eſſentialis, altera partialis, altera totalis, & hæc ſit, qua aliquid componitur totaliter, quo ad omnes ſui partes, vt homo ex anima, & corpore, illa, qua quid componitur quo ad aliquam ſui partem, vt idem homo ex intellectu, & voluntate, nunc ſermo eſt de totali ipſius ſpeciei compoſitione, num ſcilicet ita conceptus generis, ac differentiæ ſpeciei conceptum componant, vt nullus alius requiratur conceptus, ſed omnino abſoluatur duobus illis, &c.

Videtur autem primo loco, non poſſe conceptum generis eſſe partem conceptus ſpeciei, Quoniam genus aut ſumitur pro re, aut pro conceptu, ſi primum, patuit non eſſe partem ſpeciei, ſed totam ſpeciem, ſi ſecundum, tantum abeſt vt ſe habeat tanquam pars, quod in plus ſe habet, quam conceptus ſpeciei; de omnibus enim de quibus dicitur ſpecies, dicitur & genus, & de multis alijs, de quibus ſpecies ipſa non dicitur; eſt enim conceptus generis, vt de pluribus ſpecie differentibus ſit in quid prædicabilis, &c.

Præterea, Si conceptus ſpeciei eſt compoſitus ex conceptu generis, ac dif-

ſerentiæ, ergo intellectus formans hanc propoſitionem, Homo eſt animal rationale, tres formabit cōceptus, & cū illi conceptus ſint qualitates, tres in intellectu qualitates erunt, quod nullus experitur, & quod ęgre videtur fieri poſſe.

Tertio; Sæpius repetebamus quæſtione de conceptu entis, formalem cōceptum reſpondere obiectiuo, & iuxta hunc, illum metiendum fore, at obiectiuus conceptus ſpeciei, res ſcilicet ipſa ſpeciei nomine importata, non eſt compoſita ex genere, & differentia, ergo neque conceptus mentalis, ſiue formalis hanc ſubibit compoſitionem.

Denique, Ariſtoteles quinto Diuinorum 30. ait, ſpeciem eſſe partem generis, ergo videri poteſt mens Auctoris menti Ariſtotelis omnino oppoſita, vt ſciliget genus ſit pars ſpeciei, &c. Ariſtotel.

Vt hac in re veritas illuceſcat, nota primo, quod ſola ſpecies eſt, quæ proprie, ac vere definitur, vt tradit Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 13. & ibidem manifeſte habet Auctor, & alij quoque celebres philoſophi docent in expoſitione præcipue 12. quinti eorundem, vt ad ſecundā partem literæ huius cap. innuebam, cum autem ex omnium ſententia definitio coaleſcat ex genere, & differentia, colligitur vtique, genus, ac differētiam eſſe partes ſpeciei, cumque hoc nequeat eſſe ex parte rerum, (vt loquitur Caiet. in hoc capite, & Aquarius dilucidatione 14. ſeptimi Diuinorum,) ſignificatarum per nomina primæ intentionis, quoniā hoc modo res eadem nomine generis, ſpeciei, & differentiæ ſignificatur, & nihil eſt pars ſui ipſius, cum etiam attendi nequeat ex parte rerum ſignificatarum per nomina ſecundæ intentionis, (ſic enim relationes important, & relatio ex alijs relationibus non componitur,) illud relinquitur, vt hoc accipiatur de formalibus conceptibus generis, ſpeciei, & differentiæ, & ſic vere dicimus, quod conceptus formalis ſpeciei eſt compoſitus, ſicut intellectus tertius ex duobus intellectibus, hoc eſt, conceptibus, generis ſcilicet, ac differentiæ; nam formalis conceptus ſpeciei dicit quid aggregatū ex eo quod ſe habet vt materiale, & potentiale, & ex eo quod ſe habet, vt actuale, & formale in ipſo, at vero formalis conceptus generis dicit tantum id quod ſe habet vt materiale, & potentiale, formalis vero differentiæ id ſolum exprimit, quod ſe habet vt actuale, & formale, ſic rationem habent partium, & ſpecies rationem habet totius, ſic eorum conceptus ſunt partiales, & ille ſpeciei eſt totalis, veluti animal, quod eſt genus, cum homine collatum, dicit in ſuo formali conceptu perfectionem ſenſilem, rationale autem quod eſt differentia, perfectionem tantum exprimit intellectiuam, homo vtramque perfectionem claudit, vt ſatis patuit in obſeruationibus ad ſextam partem literæ, vt proinde hac in parte hoc ieiune poſſit pertranſiri.

Quid vere definiatur. Caietanus. Aquarius. Quid dicat formalis conceptus ſpeciei. Quid ille generis. Quid ille differentiæ.

Ita pulchre Porphirius cap. de differentia aiebat, quod res quædam conſtitutæ ſunt ex materia, & forma, vel ex ijs, quæ ad materiam, & formam proportionem habent, vt ſtatua ex ære, tamquam ex materia, & figura, tamquam ex forma, & homo communis, ſiue ſpecialis, (ecce ſpeciem) conſiſtit ex genere, quod proportionaliter ſe habet ad materiam, & ex differentia, quæ proportionalis eſt formæ, totum autem, hoc eſt, animal rationale mortale, ſicut totum ibi, (in ære ſcilicet, & figurā) erat ſtatua. Porphir.

Sic ſecundo notabis, quod argumenta omnia deſumpta ex natura generis, ſpeciei, & differentiæ vt ſic, primo ſcilicet intentionaliter, vel ex eiſdem ſecundo intentionaliter acceptis, quæ infringunt, & vere tollunt hanc partium compoſitionem, nullatenus poſitioni noſtræ officiunt, in qua loquimur de

Quid nomine formalis conceptus in præſenti accipiatur.

ipſorum conceptibus formalibus dumtaxat; Nomine autem conceptus formalis, non accipias in præſenti cõceptum illum,ſeu ſpeciem expreſſam vt ſic, quam de re format intellectus,veluti quæſtione de entis conceptu eo nomine hæc vocabamus,& contra obiectalem conceptum diſtinguebamus,ſed intelligas,& conceptum illum,quem modo recenſebam formaliter acceptum,vt ſcilicet repreſentatiuus eſt,non autem vt res, & conceptum quoque ipſum obiectalem formaliter acceptum, rem videlicet ipſam, penes id,quod de primario ſuo ſignificato exprimit, & dicit. Et quod affirmamus de compoſitione conceptus formalis ſpeciei, dicas & de conceptu definitionis, nam & iſte compoſitus eſt ex conceptu generis, & differentiæ,quæ compoſitio magis in definitione,quam in ſpecie poteſt elucere, quoniam definitio cum dicat explicite id quod implicite dicit definitum, ſemper in ipſa exprimitur vterque conceptus, & generis ſcilicet, & differentiæ, quod non ita manifeſte euenit in ſpecie, vt patebit proſerenti hominem, & animal rationale.

Caietanus.

Nota tertio ex Caiet.in præſenti, cui per omnia adhæret Aquarius dilucid. 15. illius ſeptimi Diuinorum, quod dum dicimus conceptum formalem, ſiue mentalem ſpeciei, ac definitionis eſſe compoſitum ex conceptibus formalibus generis,& differentiæ,id nolumus accipere de conceptibus materialiter acceptis, & vt res quædam ſunt,aut ſecundũ eſſe ſubiectiuum,(vt ſcilicet in intellectu,tamquam in ſubiecto recipiuntur,) ita enim omnes ſunt qualitates ſimplices,atque ideo nequit conceptus ſpeciei diſtingui in plures qualitates,quę ipſum componant, non enim intellectus formans conceptum definitionis hominis,format plures conceptus, alterum ſcilicet animalis, alterum rationalis, vt videbatur petere ſecundum argumentum,ſed vnum dumtaxat,qui ſimplex eſt qualitas,diſtincte tamen omnia ad definitionem requiſita exprimens,velut à ſimili res ad extra definita,(homo ſcilicet) habet rem generis, & differentiæ abſque vlla reali compoſitione. Intelligimus ergo de conceptu mentali ſpeciei,& definitionis formaliter,hoc eſt,ſecundũ eſſe repreſentatiuum,hic enim eſt compoſitus ex formalibus conceptibus,tum generis, tum differentiæ, eos videlicet exprimens,ſicut imago quæ totum repræſentat, vnica res exiſtens, compoſita eſt quo ad eſſe relucentiæ, & expreſſiuum ex imaginibus partium, ſic conceptus ſpeciei repræſentat generis,& differẽtiæ conceptus,illud autem ſuum tantum,& ſimili modo hæc proprium ſolum,&c.

Ariſtotel.

De conceptu autem obiectali loquentes,cum iſte ſi formaliter capiatur,nihil aliud ſit,quam ſignificatum formale conceptus ſui mentalis, (nam imago vt imago,eſt res cuius eſt imago, vt exemplo de animali in pictura eleganter, facile, & abunde ſatis aperiebat Ariſtoteles lib.de memoria,& reminiſcentia, cap.2.) veluti conceptus mentalis dictus eſt à nobis compoſitus, ſic & natura ipſa ad extra, vt eſt actu intellecta,(quo modo eſt conceptus obiectalis formaliter acceptus,) erit ſecundum rationem, (nulla enim realis hic adeſſe valet compoſitio) compoſita ex ſignificatis formalibus generis,ac differentiæ.

Quid ſit homo vt obiectus cõceptui ſuo mentali.

Sic colligamus,hominem acceptum, vt eſt obiectus conceptui ſuo mentali, ſpecifico videlicet,nõ eſſe animal,neque rationale,ſed ex animali, & rationali ſecundum rationem compoſitum, nam ſi eſſet vel animal, vel rationale, iam obiectum formale ſpecificum eſſet obiectum formale genericũ, vel obiectum formale differentiale, quorum vtrumque eſt falſum, tunc enim diceret ſolum

Quid ſit partium definitio.

alteram, vel alteram perfectionem; ſimiliter definitio obiecta conceptui ſuo, neque eſt genus,neque differentia, nam tunc altera tantum harum partium

definiret,

definiret, ſed quid ex vtriuſque conceptu compoſitum. Animal itaque ſi accipiatur quo ad rem importatam, neque eſt pars, neque totum comparatum homini,& animali rationali,(ſpeciei ſcilicet,& definitioni,)eſt enim idẽ quod res ſpeciei, ac definitionis, & idem cum ſeipſo, neque partis,neque totius rationem induere poteſt, ſumptum autem quo ad ſignificatum formale, ac materiale ſimul, eſt totum, quo ad formale dicit ſeipſum, quo ad materiale, rationale,& in homine, ac eius definitione nihil aliud deſideratur, tandem quo ad formale ſignificatum, eſt pars, tam ſi capiatur obiectaliter, (formaliter tamen,nam obiectaliter pure coincideret cum prima acceptione,quo ſcilicet ad rem,)quam expreſſiue,his enim modis non ponit rationale, non differentiam, quæ eſt altera pars, & ſpeciei, & definitionis. Idem per omnia dicas ſeruata proportione de differentia comparata ſpeciei,atque definitioni. Sic dum dicis, Homo eſt animal,tunc animal ſumitur iuxta iuxta ea, quæ & explicite, & implicite, ſeu de materiali, ac de formali dicit. hoc enim modo vt res de re prædicatur directa prædicatione,totum exprimens; dum autem dicis, Homo eſt animal rationale, tunc animal ſumitur penes id tantum, quod de formali, & explicite dicit, & rationem ſortitur partis, pro quanto additur differentia vt altera pars, non quidem rei, ſed rationis, aut conceptus, aut definitionis, &c.

Quam varie animal homini comparetur.

Ex his notabis quarto,falſum penitus eſſe, quod ſcripſit Iãdunus quæſt.3 5. quinti Diuinorum;conceptum ſcilicet ſpeciei indiſtinctũ,& confuſum,(quem conceptum definiti vocat) non eſſe compoſitum ex conceptu generis, & differentiæ, ſed eſſe æque ſimplicem, atque ſunt conceptus,& generis,& differentiæ,quod vt aſſereret, ea ratione motus fuit, quoniam ſi conceptus inquit ſpeciei confuſus, & indiſtinctus eſſet compoſitus ex conceptu generis, ac differentiæ, tunc eſſet idem cum conceptu definitiuo, quod eſt falſum, cum ab eo ponatur diſtinctus, haberet quippe eadem principia, quæ ipſum componerent, conceptus videlicet illos, quibus & definitiuus, ſiue definitionis conceptus componitur. At inane prorſus eſt hoc argumentum,cõceditur vtique, eundem eſſe conceptum ſpeciei, vel definiti, & definitionis, quare veluti ab ipſo etiam Ianduno conceptus definitionis ponitur compoſitus, ita & ille definiti; dicuntur autem eſſe conceptus diſtincti, non ea ratione, quod aliquid ſit in vno, quod alteri deſit, quicquid enim dicit,& ſignificat definitum, ſignificat,& dicit definitio, nedum de materiali, ſed & de formali, aliàs non conuerterentur ad inuicẽ,ſed ratione modi exprimendi, vt in obſeruationibus ad ſextã partem huius literæ dicebatur,quoniã ille ſpeciei, ac definiti indiſtincte, ille vero definitionis diſtincte, & in ſingula diuidẽdo exprimit genus ac differentiã. Non ergo tenet hæc argumentatio,Conceptus indiſtinctus definiti ponitur diſtinctus à conceptu definitionis, ergo ille debet eſſe ſimplex, hic vero cõpoſitus, nam diſtinctio nedum attenditur penes ſimplicitatẽ,& cõpoſitionẽ, ſed & penes eandem cõpoſitionẽ in vtroque incluſam, at vario modo expreſſam,ac ſignificatã.Præterea,non video,quomodo conceptus ille definiti vocetur ab ipſo Ianduno indiſtinctus,& cõfuſus,& deinde ſtatuatur ſimplex,atque conceptus generis,& differentiæ; quamuis enim à compoſitione ad confuſionem non valeat argumentum, (aliàs mundus foret maxime confuſus,)verumtamen à confuſione ad compoſitionem eſt neceſſarium argumentum; nequit enim eſſe confuſio abſque compoſitione, quid enim confundat, quod nihil in ſe habeat? Accedit, quod ſi conceptus ſpeciei ſit ita ſimplex, vt illi generis,& differen-

Mens Ianduni.

Eius fundamentum.

Confutatur.

Quomodo cõceptus definitionis,& definiti ad inuicẽ diſtinguãtur.

differentiæ, ergo vel ſpecies dicit in ſuo conceptu genus, & differentiam, vel non, ſi ſecundum, iam ſpecies non erit ſpecies, neceſſario namque in ſui conceptu, & genus, & differentia cadit, cum per differentiam ex generis poteſtate egredientem conſtituatur, vnde Auerroes in calce com. 30. quinti Diuinorum ſcripſit, formam ſpeciei diuidi in genus, & differentiam; ſi primum, ergo & conceptus generis, & differentiæ dicent totum, quod eſt in ſpecie, ſic non erunt partes, ſic non component ſpeciem, contra ea, quæ immediatè præcedenti quæſtione, & alibi ſæpe congerit hic auctor, vt iam his quæſtionibus patuit. Neque eſt vt dicatur, genus quidem, & differentiam componere ſpeciē, at vero conceptus generis, & differentiæ non componere conceptum ſpeciei, quoniam tunc adeſt argumentum illud ſuum frequenter repetitum, quod ſcilicet modi prædicandi inſequuntur rerum quidditates, quare ſi res non componunt, neque conceptus, &c.

Auerroes. Obiectio. Diluitur.

Tandem, ponit hic vir conceptum ſpeciei diſtinctum eſſe compoſitum, ergo debet ponere etiam conceptum indiſtinctum ſimiliter compoſitum, probo illationem, quoniam conceptus ille diſtinctus, vel differt ab indiſtincto, penes aliquid incluſum in diſtincto, quod non includatur in indiſtincto, vel penes nihil, ſi primum, ergo conceptus ſpeciei, & definiti non erit conceptus definitionis, ergo non dicet omne, quod eſt in definitione, ergo definitio, & definitum non conuertentur, ergo non erunt vnum, & idem, quod eſt contra Ariſtotelem primo Phyſ. 5. & contra omnes, quos viderim peripateticos, & antiquiores, & recentiores, nam aliquid claudetur in cōceptu illo diſtincto, quod non in indiſtincto, & id certe faciet ad rei quidditatem, ergo omnes conſequentiæ ſequuntur, & rurſus nulla erit bona definitio, quoniam aliquid dicet, quod non eſt in definito, ſic erit excedens, &c. Si ſecundum, ergo vel neuter, vel vterque eſt dicendus compoſitus, non neuter, quoniam iam conceptus diſtinctus ponitur compoſitus, ergo vterque, &c.

Ariſtotel.

Maneat itaque, conceptum formalem ſpeciei, ac definitionis, compoſitum eſſe ex conceptibus formalibus generis, & differentiæ, modo explicato.

Notabis autem vltimo loco, & facillime, conceptum ſpeciei componi ex ſæpe illis repetitis conceptibus, compoſitione totali, nil enim aliud includit ſpecies, ſiue definitio, quam genus, & differentiam, non enim in vllius mentem cadere valet, vt in definitione includantur accidentia, nam definitio eſt ipſa quidditas, quare ad ipſam facient ſolum conceptus quidditatiui, pugnat autem, conceptus quidditatiuos ab ijs rebus ſumi, quæ ſint extra rerum quidditates, cuiuſmodi ſunt accidentia, &c.

Quid includat ſpecies, ac definitio.

Ad argumenta; Ex ſecundo notabili poſſumus primo ſatisfacere, nam argumentum illud procedit de genere, & differentia primo intentionaliter, qua via ſunt ipſamet ſpecies, & ſecundo intentionaliter, quo pacto genus in plus ſe habet, quam ſpecies, & ſpecies videtur eſſe pars generis, pars inquam ſubiectiua totius vniuerſalis, vt innuebat Ariſtoteles quinto Diuinorum 30. &c. Nos vero neutro modo loquimur de iſtis, vt patuit, ſed illa ſumendo quo ad eorum formalia ſignificata.

Ariſtotel.

Ad ſecundum, ex tertia obſeruatione patet copioſe reſpōſio, procedit enim argumentum de compoſitione conceptuum, vt res, & vt qualitates ſunt ſecundum eſſe ſubiectiuum, in quo ſenſu non dicimus conceptum ſpeciei eſſe compoſitum, nos enim loquimur de ipſis formaliter, vt conceptus ſunt, vt repreſentatiui, & ſecundum eſſe obiectiuum.

Ad tertium, dic formalem conceptum reſpondere obiectali, non materialiter, ſed formaliter conſiderato, quo pacto vidimus, ſpeciem ex genere, & differentia eſſe compoſitam, ſic enim accepta, nihil aliud eſt, quam ſignificatum formale conceptus formalis, vt dicebatur in tertia obſeruatione. Adde, quod nomine conceptus formalis hoc loco, non accipitur id quod accipiebatur quæſtione de conceptu entis, vt dicebam ad ſecundum notabile.

Ad quartum conſtare poteſt reſponſio ex corpore quæſtionis, & ex ſolutione ad primum, dicitur namque ſpecies pars ſubiectiua generis in ordine ad totum vniuerſale, nam genus hoc modo continet ſub ſe plures ſpecies, & de eis velut de partibus ſubiectiuis dicitur, at hoc pacto conſtat ſumi genus pro ſecunda intentione, in quo ſenſu, non eſt pars ſpeciei, e contra vero eodem textu citato in argumento, & in reſponſione ad primum dicebat Ariſtoteles, genus eſſe partem ſpeciei, quarto illo modo, quo quid dicitur pars, iuxta expoſitionem Auctoris, vel quinto modo, iuxta eam Auerrois, quatenus ſcilicet eſt pars definitionis; Vnde locus iſte maxime confirmat poſitionem noſtram, ait enim Ariſtoteles in vltimis eius verbis, illa quæ ſunt in definitione, eſſe partes, & ideo genus dicitur pars formæ, ſpeciei ſcilicet, vt alia litera habet, quam legit Alexander, & vt omnes exponunt, Auerroes, Alenſis, Sueſſanus, Scaynus, &c. Ita dicas, ſpeciem eſſe partem ſubiectiuam generis, at genus partem ſpeciei eſſentialē, licet ab Auctore vocetur pars integralis, non tamen quantitatis, vt ipſemet ſe explicat, ſed ſubſtantiæ, hoc eſt eſſentiæ, integrat certe genus eſſentiam ſpeciei, nam & alia pars adeſt, differentia videlicet, &c. Vel dicas, ſpeciem eſſe partem generis, non penes compoſitionem, ſed quatenus proprietatem habet diſtinguendi illud, quod confuſe in forma generis continebatur, adeo vt queat dici pars qualitatiua, non prout qualitas dicit modum accidentalem in cathegoria ſolum qualitatis, ſed quatenus in vnoquoque prædicamento poteſt attendi quidam modus, & quoddam ſpecificatiuum; dicit namque ſpecies modificationem confuſi illius, quod importat genus, hoc enim, animal ſolum dicit, ipſa vero, animal hoc, & illud, hominem ſcilicet, leonem, &c. licet hac eadem via euidenter cernas, genus proprie dicere partem ſpeciei, loquendo ſemper de formali generis conceptu, vnde improprie valde hoc modo dicitur ſpecies pars generis, Poteſt quoque vtcumque dici pars perfectiua generis, vnde Commentator prope finem 11. ſecundi Diuinorum dicebat, ſpeciem eſſe perfectionem generis; At pro vberiori doctrina dicta ſint hæc, ſufficienter enim euacuatur argumentum, dicendo, ſpeciem eſſe partem generis ſubiectiuam, hoc vero, partem illius eſſentialem, &c.

Communis expoſitio. Quomodo ſe habeat genus, & ſpecies in ratione partis.

Auerroes.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

1 VISO quid ſignificetur nomine Eſſentiæ in ſubſtãtijs compoſitis, videndũ eſt, quomodo ſe habeat ad rationẽ generis, ſpeciei, & differentiæ, quia autem cui conuenit ratio generis, ſpeciei, vel differẽtiæ, de hoc ſingulari ſignato, impoſſibile eſt, prædicatur quod ratio generis, vel ſpeciei, vel differẽtiæ conueniat eſſentiæ, ſecundum quod per modum partis ſignificatur, vt nomine humanitatis, vel animalitatis, & ideo dicit Auicennas * quod rationalitas non eſt differentia, ſed differentiæ principium, & eadem ratione, humanitas non eſt ſpecies, nec animalitas genus. Similiter etiam non poteſt dici, quod ratio generis, ſpeciei, differentiæ conueniat eſſentiæ, ſecundum quod eſt quædam res exiſtens extra ſingularia, vt Platonici ponebant, quia ſic genus, & ſpecies non prædicarentur de hoc indiuiduo, non enim poteſt dici, quod Sortes ſit hoc, quod ab eo ſeparatum eſt; nec ſeparatum illud proficit in cognitione huius ſingularis ſignati; Et ideo relinquitur, quod ratio generis, vel ſpeciei, vel differentiæ conueniat eſſentiæ, ſecundum quod ſignificatur per modum totius, vt nomine *animalis*, vel *hominis*, prout implicite, & indiſtincte continet totum hoc, quod in indiuiduo eſt.

* 5.Metaphyſicę principio cap. 6.

2 Natura autem, vel eſſentia ſic accepta, poteſt dupliciter conſiderari, vno modo ſecundum naturam, & rationem propriam, & hæc eſt abſoluta conſideratio ipſius, & hoc modo nihil eſt verum de ea dicere, niſi quod conueniat ſibi ſecundum quod huiuſmodi, vnde quicquid aliorum ſibi attribuitur, falſa eſt attributio; verbi gratia, homini in eo quod eſt homo conuenit rationale, & animal, & alia quæ in eius definitione cadunt, album vero, vel nigrum, vel quodcumque huiuſmodi, quod non eſt de ratione humanitatis, non conuenit

homini

homini in eo quod eſt homo; Ideo ſi quæratur, vtrum iſta natura poſſit dici vna, vel plures, neutrum concedendum eſt, quia vtrumque eſt extra intellectum humanitatis, & vtrumque poteſt ſibi accidere; Si enim pluralitas eſſet de ratione eius, numquam poſſet eſſe vna, cum tamen vna ſit, ſecundum quod eſt in Sorte; ſimiliter ſi vnitas eſſet de intellectu, & ratione eius, tunc eſſet vna, & eadem natura Sortis, & Platonis, nec poſſet in pluribus plurificari; Alio modo conſideratur, ſecundum quod habet eſſe in hoc, vel in illo, & ſic de ipſa prædicatur aliquid per accidens, ratione eius in quo eſt, ſicut dicitur, quod homo eſt albus, quia Sortes eſt albus, quamuis homini non conueniat in eo quod eſt homo. Hæc autem natura habet duplex eſſe, vnum in ſingularibus, aliud in anima, & ſecundum vtrumque conſequuntur accidentia dictam naturam, & ſic in ſingularibus habet multiplex eſſe, ſecũdum diuerſitatem ſingularium, & tamen ipſi naturæ ſecundum propriam conſiderationem, ſcilicet abſolutã nullum iſtorum eſſe debetur, falſum enim eſt dicere, quod natura hominis, inquantum huiuſmodi habeat eſſe in hoc ſingulari, ſi enim eſſe in hoc ſingulari conueniret homini, inquantum eſt homo, non eſſet vmquam extra hoc ſingulare; ſimiliter, ſi conueniret homini, inquantum eſt homo non eſſe in ſingulari, numquam eſſet in eo, ſed verum eſt dicere, quod homo inquantum eſt homo, non habet quod ſit in hoc ſingulari, vel in illo; patet ergo, quod natura hominis abſolute conſiderata abſtrahit à quolibet eſſe, ita quod non fiat præciſio alicuius eorum, & hæc natura ſic conſiderata eſt, quæ prædicatur de omnibus indiuiduis.

3 Non tamen poteſt dici, quod ratio vniuerſalis conueniat naturæ ſic acceptæ, quia de ratione vniuerſalis eſt vnitas, & communitas; naturæ autem humanæ neutrum eorum conuenit, ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem, ſi enim communitas eſſet de intellectu hominis,

minis, tunc in quocumque inueniretur humanitas, inueniretur communitas, & hoc falſum eſt, quia in Sorte non inuenitur communitas aliqua, ſed quicquid eſt in eo, indiuiduatum eſt; Similiter etiam non poteſt dici, quod ratio generis accidat naturæ humanæ, ſecundum illud eſſe, quod habet in indiuiduis, quia non inuenitur in indiuiduis natura humana ſecundum vnitatem, vt ſit vnum quid conueniens cuilibet, quod ratio vniuerſalis exigit. Relinquitur ergo, quod ratio ſpeciei accidat naturæ humanæ, ſecũdum illud eſſe, quod habet in intellectu; Ipſa enim natura habet eſſe in intellectu abſtractum ab omnibus indiuidualibus, & habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ ſunt extra animam, prout eſſentialiter eſt imago omnium, & inducens in cognitionem omnium, inquantum ſunt homines, & ex hoc, quod talem relationem habet ad omnia indiuidua, intellectus adinuenit rationem ſpeciei, & attribuit ſibi, vnde dicit Commentator primo de anima,* quod intellectus eſt qui facit vniuerſalitatem in rebus, hoc etiam Auicenn. in ſuæ Metaphyſicæ 5.* dicit.

* com. 8.

* cap. 2.

4 Et quamuis hæc natura intellecta habeat rationem vniuerſalis, ſecundum quod comparatur ad res, quæ ſunt extra animam, quia eſt vna ſimilitudo omnium, tamen ſecundum quod habet eſſe in hoc intellectu, vel in illo, eſt ſpecies quædam intellecta particularis; & ideo patet defectus Cõmentatoris in tertio de anima* qui voluit ex vniuerſalitate formæ intellectæ, vnitatem intellectus concludere, quia non eſt vniuerſalitas illius formæ ſecundum hoc eſſe, quod habet intellectũ, ſed ſecundum quod ad res refertur, vt ſimilitudo rerum; Sicut etiam ſi eſſet vna ſtatua corporea repræſentans multos homines, conſtat, quod illa imago, vel ſpecies ſtatuæ haberet eſſe ſingulare, & proprium, ſecundum quod eſſet in hac materia, ſed haberet rationem communitatis, ſecundum quod eſſet commune repræ-

* com. 5.

repræſentatiuum plurium; Et quia naturæ humanæ ſecundum ſuam abſolutám conſiderationem conuenit, quod prædicetur de Sorte, & ratio ſpeciei non conuenit ſibi ſecundum ſuam abſolutam, ſcilicet humanæ naturæ conſiderationem, ſed eſt de accidentibus, quæ conſequuntur eam, ſecundum quoddam eſſe, quod habet in intellectu, ideo nomen ſpeciei non prædicatur de Sorte, vt dicatur, Sortes eſt ſpecies, quod de neceſſitate accideret, ſi ratio ſpeciei conueniret homini, ſecundum eſſe, quod habet in Sorte, vel ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem, ſcilicet inquantum eſt homo, quicquid enim conuenit homini, inquantum eſt homo, prædicatur de Sorte. Et tamen prædicari conuenit generi per ſe, cum in eius definitione ponatur, prædicatio enim eſt quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis, & diuidentis, habens tamen fundamentum in re, ipſam vnitatem eorũ, quorum vnum de altero dicitur. Vnde ratio prædicabilitatis poteſt claudi in ratione huius intẽtionis, quæ eſt *genus*, quæ ſimiliter per actionem intellectus completur, nihilominus id cui intellectus intẽtionem prædicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non eſt ipſa intentio generis, ſed potius id cui intellectus intentionem generis attribuit, ſicut quod ſignificatur hoc nomine *animal*.

5 Sic ergo patet, qualiter eſſentia, vel natura ſe habet ratione ſpeciei, quia ratio ſpeciei non eſt de illis, quæ conueniunt ei ſecundum ſuam abſolutam cõſiderationem, neque de accidentibus, quæ conſequuntur ipſam, ſecundum eſſe quod habet extra animam, vt albedo, vel nigredo, ſed eſt de accidentibus, quæ conſequuntur eam, ſecundum eſſe quod habet in intellectu, & per hunc modum conuenit ſibi ratio generis, vel differentiæ.

SVMMA CAPITIS.

Proponit intentionem ſuam, qua ait ſe inquirere velle, quomodo eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum ſe habeat ad ſecundas intentiones, & inquit, eiuſmodi eſſentiam, neque vt ſignificatur nomine partis, neque vt eſt per ſe ſubſiſtens, à ſingularibus ſeparata, habere rationem generis, aut ſpeciei, aut differentiæ, ſed ſolum quatenus nomine totius exprimitur, & cum totius nomine ſignificata accipi poſſit, vt habet eſſe in ſe, & vt in ſingularibus, & vt in intellectu, hoc tertio modo tantum eſt ſpecies, vel genus, remouet poſtea tres difficultates, priorem exortam, alias vero duas, quæ poſſent oriri contra factam determinationem, & in calce epilogum ducit, vbi tradit, quod ſibi ab initio in hoc capite fuit inſtitutum.

DIVISIO.

Haec eſt tertia pars primæ partis, ſecundæ principalis huius libri, in qua aliàs dicebatur declarari, quomodo eſſentia compoſitarum ſubſtantiarũ ad logicas intentiones ſe habeat, quo abſoluto, modus imponetur tractationi de compoſitis ſubſtantijs, & ex conſequenti parti priori, ſecundæ principalis huius operis. In hoc igitur capite, quamuis multa, eademque per propoſitiones, ſeu aſſertiones diſtributa habeamus, ne tamen prolixa nimis in huius literæ diuiſione partium enumeratio conſurgat, dicemus Auctorem noſtrum quinque potiſſimum efficere.

Capitis huius partes. Primo etenim ad præcedentia ſe continuans, & quod in præſenti ſibi propoſitum eſt aperiens, propoſitiones tres adfert de eſſentia compoſitarum ſubſtantiarum, quarum duæ priores ſunt negantes, & tertia affirmans. Secundo, eſſentiam in vltimæ propoſitionis ſenſu acceptam diuidit, ac ſubdiuidit; & de ipſa tria pronunciat, quorum primum, & ſecundum negant, tertium aſſirmat. Tertio, de eadem natura, vel eſſentia tres alias adfert concluſiones, quarum ſimiliter duæ priores ſunt negatiuæ, poſterior affirmatiua. Quarto, tres errores, in quorum primum lapſus eſt Auerroes, in alios vero incidere alij poſſent excludit. Quinto, & vltimo, epilogum breuem formans, colligit principale inſtitutum ſuum, docendo videlicet, qua nam ratione natura, & eſſentia ſubeat nomina ſecundarum intentionum. Cernere autem te puto, in tredecim partes caput hoc diuidi potuiſſe, quatenus nouem ſunt concluſiones, & tres errores reiecti, & epilogus, at moleſti certe nobis fuiſſemus, & legentibus fortaſſis moleſtiores.

Prima. Quo igitur ad primum ait; Vbi viſum fuit, quid nomine eſſentiæ in compoſitis ſubſtantijs ſignificetur, perſcrutandum eſſe, quomodo hæc eadem eſſentia ſe habeat ad rationem generis, ſpeciei, & differentiæ, (ecce ſecundas intentiones,) ponitur ergo prima hæc concluſio negans; Eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ per modum partis ſignificata, non eſt vel genus, vel ſpecies, vel differentia, ratio eſt, quoniam tunc eſſentia ita ſignificata diceretur in recto de ſingulari ſignato, & probatur conſequentia, quoniam & genus, & ſpecies, & differentia dicuntur in recto de indiuiduo, vt patet ex cap. præcedenti, falſitas

Prima Concluſio.

ſitas conſequentis probatur auctoritate Auicennæ, dicentis quinto ſuæ Metaphyſicæ ſub initium cap. ſexti, rationalitatem, (ecce eſſentiam ſignificatam nomine partis) non eſſe differentiam, ſed differentiæ principium, quare eadem ratione, humanitas non eſt ſpecies, nec animalitas genus. Auicenn.

Secunda itidem concluſio negans eſt: Eadem eſſentia, ſecundum quod eſt quædam res extra ſingularia exiſtens, non eſt vel genus, vel ſpecies, vel differentia, vt poſuiſſe videntur Platonici, probatur, tum quoniam genus, & ſpecies tunc non prædicarentur de indiuiduo, quod eſt falſum, patet conſecutio, quoniam Sortes non eſt hoc, quod ab eo ſeparatum eſt, falſitas conſequentis manifeſta relinquitur, tum quoniam illud ſeparatum non conducit ad cognoſcendum ſingulare hoc ſignatum, (cognoſcitur vtique omne per id quod eſt in ſe, non per id quod eſt extra ſe) genus autem, & ſpecies, & differentia ſunt illa, quibus indiuidua cognoſcuntur, quare &c. Secunda Concluſio.

Tertia concluſio affirmans eſt: Eſſentiæ prout ſignificatur per modum totius, vt nomine animalis, vel hominis conuenit ratio generis, vel ſpeciei, vel differētiæ; probatur primo per locū à diuiſione, ſi enim neque vt ſignificata nomine partis, neque vt à ſingularibus ſeparata, (& tamen eſſentiæ ſecundæ intentiones conueniunt,) ergo vt dicitur nomine totius, ſic ait, *& ideo relinquitur*, probatur ſecundo, quoniam eſſentia ita ſignificata continet implicite, & indiſtincte id totum, quod eſt in indiuiduo, ergo hoc modo eſt genus, vel ſpecies, vel differentia, conſtat illatio ex cap. ſuperiori, vbi vidimus, hæc enumerata in eo conuenire, vt totum in inferioribus ſignificarent. Tertia Concluſio.

Quo ad ſecundum; Eſſentia ſic accepta diuiditur quo ad noſtram conſiderationem, poteſt enim dupliciter conſiderari, vno modo, ſecundum naturam, & rationem propriam, quæ eſt abſoluta ipſius conſideratio, & de ipſa ſub hac acceptione hoc primo enunciatur, Quod ſcilicet nihil de ea dicitur, niſi quod ſibi vt ſic conuenit, quod nimirum in ſui definitione cadit, velut homini vt ſic conuenit, quod ſit animal rationale, eſſe vero album, vel nigrum, & alia id genus non conuenit homini vt ſic; Ideo ſi quæratur, num hæc natura poſſit dici vna, vel plures, neutrum dicendum eſt, quoniam quod ſit vna, vel multiplex, eſt extra hominis intellectum, & vtrumque ei poteſt accidere, nam ſi alterum eſſet de eius intellectu, tunc vel foret ſemper vna, vel ſemper multiplex, fieri enim nequit, vt alicui inſit oppoſitum eius, quod ineſt ſecundum ſe, veluti numquam leoni conueniet rationale, & tamen ipſam aliquando vnam intuemur, vt in Sorte, nonnumquam videmus multiplicari in pluribus, vt in Sorte, & Platone. Secunda pars. Prima Concluſio.

Alio modo poteſt conſiderari, ſecundum quod ſe habet in hoc, vel in illo, & ſic de ea dicitur aliquid per accidens, ratione ſcilicet illius in quo eſt, dicitur namque homo niger, quoniam Petrus eſt niger, at hoc non conuenit homini, vt homo, aliàs omnis homo eſſet niger.

Subdiuiditur deinde ſecunda hæc conſideratio, quoniam duplex poteſt hæc natura habere eſſe, alterum in ſingularibus, alterum in anima, & tunc adſertur ſecunda propoſitio: Naturæ ſcilicet in ſe conſideratæ neutrum conuenire, neque ſcilicet eſſe, neque non eſſe in ſingulari, & eadem ratione probatur, qua præcedens, ſi enim aliquid horum ſibi vt ſic vindicaret, vel ſemper, vel numquam eſſet in hoc, & in illo ſingulari, & tamen quandoque eſt in hoc ſingulari, interdum in pluribus. Secunda.

Tertia demum concluſio eſt affirmans, & bimembris: Natura hominis ab- Tertia.

ſolute conſiderata, abſtrahit à quouis eſſe, ſine tamen præciſione alicuius illorum, (hoc eſt, neque includit, neque excludit,) & hæc natura ſic conſiderata eſt, quæ prædicatur de omnibus indiuiduis, quæ concluſio vt clara in litera relinquitur.

Tertia pars. Prima Concluſio. Quo ad tertium; Prima concluſio negans de hac natura abſolute, & ſecundum ſe accepta ea eſt: Natura hæc, ſeu eſſentia non eſt vniuerſalis, probatur, de ratione vniuerſalis eſt, quod vnum exiſtens ſit commune multis, at naturæ humanæ ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem hoc non conuenit, tunc enim in quocumque inueniretur, foret communis, quod namque conuenit alicui ſecundum ſe, conuenit ei in quocumque ponatur, quod tamen eſt falſum, cum in indiuiduo nulla inſit communitas, nam omne quod eſt in indiuiduo, eſt iuxta ipſius indiuidui modum, indiuiduatum nimirum, &c.

Secunda. Secunda concluſio, & eadem negans eſt: Natura ſecundum illud eſſe, quod habet in indiuiduis, non habet rationem generis, nam genus, & omne vniuerſale eſt in multis vnum, quod plane non competit naturæ, quatenus eſt in indiuiduis; non enim in indiuiduis naturæ humanæ inuenitur ipſa humanitatis natura ſecundum vnitatem, ſed eſt in diuerſis diuerſa, &c.

Tertia. Tertia concluſio affirmans eſt: Ratio ſpeciei, (hoc eſt vniuerſalis) accidit naturæ humanæ ſecundum illud eſſe, quod habet in intellectu, probatur tum ex ſufficienti enumeratione, neque enim alia ſupereſt naturæ acceptio, in qua ſecundæ intentiones ei poſſint aſcribi, tum ratione, quoniam natura ſecundum eſſe in intellectu, eſt vna in multis, & de multis, ergo eſt vniuerſalis, conſecutio nota redditur ex vniuerſalis definitione, antecedens probatur, quoniam natura in intellectu eſt abſtracta ab omnibus indiuidualibus proprietatibus, & vniformiter ſe habet ad omnia indiuidua extra animam exiſtentia, eſt enim omnium imago, & in eorum cognitionem inducit, quatenus in ipſa conueniunt: Hinc, quoniam habet talem relationem ad omnia indiuidua, adinuenit intellectus rationem ſpeciei, ſiue vniuerſalis, & ei ipſam tribuit; Et propter dicebat Auerroes primo de Anima tex. 8. intellectum facere vniuerſalitatem in rebus, quod & Auicennas antea docuerat, quinto ſuæ Metaphyſicæ cap. 2. Auerroes. Auicenn.

Quarta Pars. Quo ad quartum; Reijcitur primus error Auerrois, qui tertio de Anima ad tex. quintum, ex vniuerſalitate huius formæ intellectæ, quam ponimus, quamque ponit ipſe, voluit vnitatem intellectus colligere, (nam in intellectu, tamquam in ſubiecto quieſcit hæc forma intellecta,) at fallitur, quoniam huius naturæ vniuerſalitas conuenit ſibi, quatenus eſt omnium, quæ in ipſa coeunt ſimilitudo, & eorundem repræſentatiua, non quatenus habet eſſe in hoc, vel in illo intellectu, ſic enim eſt quædam ſpecies particularis, quod aptiſſimo exemplo patefacit; ſi enim daretur aliquod ſimulachrum corporeum, quod multos homines referret, vtique imago huius ſimulachri haberet eſſe ſingulare, ac proprium, quatenus eſſet in hac materia, puta aurea, ænea, &c rationẽ tamen vniuerſalis, & communis cuiuſdam obtineret, quatenus plurium foret repræſentatiuum, eſſet ſingulare in eſſe, commune in repræſentari, ita natura intellecta, vt eſt in hoc, & in illo intellectu, eſt res ſingularis, vt eſt plurium expreſſiua, eſt vniuerſalis, & deſpecta vnitate quo ad eſſe, ſeu in eſſendo, ex vnitate quo ad repræſentari, aut in repræſentando, male intulit Commentator intellectus vnitatem, &c.

Occurrit deinde ſecundo errori, licet enim ſpecies dicatur de homine, &

homo dicatur de indiuiduo, puta Sorte, quamuis quod dicitur de prædicato, dicatur & de ſubiecto, non tamen ſequitur, ſpeciem dici de Sorte, & ratio huius diuerſitatis eſt, quoniam non ſecundum eandem rationem dicitur ſpecies de homine, & homo de Sorte, prædicatur enim ſpecies de homine, non ſecundum abſolutam hominis conſiderationem, ſed quatenus natura hominis habet eſſe in intellectu, vt habitum fuit vltima propoſitione præcedentis partis, homo autem prædicatur de Sorte vt ſic, & penes abſolutam hominis conſiderationem; Quod ſi eadem ratione vtrobique prædicaretur homo, certe Sortes eſſet ſpecies, nam dicitur homo de Sorte, vt eſt homo, & quicquid conuenit homini vt ſic, conuenit & Sorti, vnde ſi homini vt ſic conueniret ratio ſpeciei, vtique & Sorti competeret, &c.

Sed & errorem, qui tertio loco poſſet emergere interimit, cum enim prædicari de ſpeciebus conueniat generi per ſe, (ponitur quippe huiuſmodi prædicatio in generis definitione,) apparet, quod genus conueniat ipſis ſpeciebus, & ita ſpecies ſint genera; At ex litera elicitur quid ſit dicendum, vt ſcilicet in rebus, quibus tribuitur ab intellectu intentio prædicabilitatis valeat argumentum à genere ad ſpeciem, res enim quæ eſt ſpecies, eſt genus, homo enim eſt animal, non autem valeat in ſecundis intentionibus, vt ſcilicet ſpecies ſit genus, quæ quomodo accipienda ſint, expendetur in annotationibus.

Quo ad quintum colligit, quod toto hoc capite docere voluit, & docuit, quomodo ſcilicet eſſentia logicas intentiones reſpiciat, non enim ſibi conuenit ratio ſpeciei ſecundum abſolutam ſuam conſiderationem, neque quatenus habet eſſe extra animam, hoc eſt, in ſingularibus, ſed eam conſequitur iuxta eſſe, quod habet in intellectu, penes quem modum conueniunt ſibi intentiones ſecundæ, ratio videlicet generis, vel ſpeciei, vel differentiæ, & ita quo ad ſeriem literæ, finis imponitur primæ parti principali ſecundæ huius tractatus, &c. Quinta.

ANNOTATIONES.

Viſo quid ſignificetur nomine Eſſentia, &c.

CIRCA primam aſſertionem primæ partis, vbi dicitur, eſſentia nomine partis ſignificata non eſſe genus, &c. octaua parte ad caput præcedens ſatis clare innotuit, quomodo vnaquæque eſſentia, & nomine totius, & nomine partis poſſit ſignificari, & quid in altera, & altera ſignificatione importet, & quo pacto nomine partis expreſſa nequeat totum ſignificare, (id enim in adiecto implicaret,) quare ſi nequeat totum ſignificare, nequibit ſubinde ita ſignificata eſſe, vel genus, vel ſpecies, vel differentia, & collectio hæc iam ſatis, ſuperque patet. Sed illud alicui negotium faceſſere poſſet, quomodo dicatur à nobis hæc illatio eſſe manifeſta, nam ſuperiori capite pleniſſime vidimus, quod genus, & differentia de ſuo conceptu formali important partem dumtaxat ſpeciei, & ex conſequenti non dicuntur de ipſa in recto, quamuis de conceptu formali, & materiali ſimul totũ exprimant; Non ergo valet hæc conſequentia, quæ habetur ex litera; Eſſentia nomine partis accepta non dicitur de indiuiduo in recto, ergo nõ eſt genus, nam & genus Difficultas.

acceptum

acceptum pro ſuo conceptu ſolum formali, partem tantum refert, & eius formalis conceptus vt ſic, non dicitur in recto de indiuiduo, cum partem tantum dicat; Et augeri poteſt difficultas, quoniam dum alicui inſunt & conceptus formalis, & materialis, potius ſpectandus eſt formalis, quam materialis, cum illum primo, & vt ſic, hunc vero ſecundario, & ex conſequenti dicat, at generi, ac differentiæ gemini hi conceptus inſunt, ideo magis ea debemus inſpicere iuxta conceptum formalem, quam iuxta materialem, licet ergo de materiali dicant totum, quod eſt in indiuiduo, & de illo in recto prædicentur, non tamen de formali, non ergo bene infertur, ex eo quod eſſentia nomine partis importata non dicatur in recto, non eſſe genus, vel differentia, ſed potius oppoſitum poſſet colligi, cum neque genus, neque differentia de formali dicantur in recto. At hæc nihil prorſus obſtant, licet enim vera ſint, quæ inter obijciendum ſunt adducta, ſemper tamen negandum eſt, quod infertur, nam clare patet, Auctorem accepiſſe ſecundas intentiones illas, genus ſcilicet, ſpeciem, ac differentiam, vt nomine totius exprimuntur, ſic enim à ſeipſis differunt, vt nomine partis importantur, ita recta prædicatione de indiuiduo dicuntur, ita capiuntur quo ad id quod nedum explicite, ſed & implicite dicunt, ac demum ſumuntur iuxta id, quod de vtroque conceptu, & formali ſcilicet, & materiali dicunt; In qua acceptione optima eſt illatio, Si eſſentia nomine partis ſignificatur, ergo non eſt genus, non ſpecies, &c. Neque opus eſt hâc acceptionem ſuadere, conſtat enim, quod niſi ita accipiantur, non prædicantur in recto de indiuiduo, & tamen ea prædicari dicuntur in litera, immo ſi ſic non conſiderentur, non ſunt ſecundæ intentiones, ſed ipſarum principia, vt de rationalitate ex Auicéna in litera probatur, & ea propter dumtaxat id euenit, quoniam diuerſimode ſignificantur, aut ſcilicet nomine totius, aut partis, &c. Ex quo ruit & motiuum, quo videbatur augeri difficultas, nam vera eſt prima propoſitio, niſi ex vi ſignificationis æque importetur vterque conceptus, & formalis ſcilicet, & materialis, velut contingit in propoſito, dum ſecundæ intentiones totius nomine exprimuntur.

Soluitur.

Circa eandem primam aſſertionem, nota ſecundo, quod eſſentia ſignificata nomine partis, vt animalitas, rationalitas, & reliqua id genus, poſſunt comparari & ad animal, & ad hominem, cuius dicuntur partes, & ad hanc, vel illam animalitatem, ad hanc, aut illam rationalitatem, ſi primo modo comparentur, vere rationem habent partis, & nullatenus in recto dicuntur de indiuiduo, vt in litera docemur, at ſi ſecundo modo inſpiciantur, ſic animalitas rationem induit generis, nam more generis dicitur de hac, & illa animalitate, hominis ſcilicet, equi, &c. & ex conſequenti, totum dicet ipſarum animalitatum, ſimiliter rationalitas de hac, & illa rationalitate dicta, ſortitur naturam ſpeciei cuiuſdam, & totius, & totum earum eſſe dicit, quo ſanè modo in hac parte non conſiderantur, non enim vt ſic rationem ſubeunt partis, & tamen de ipſis vt nomine partis exprimuntur, nunc loquimur, & doctrinam hanc de animalitate, & rationalitate ad modum generum quorundam acceptis colliges fortaſſe ex Alberto, quinto Diuinorum tract. 6. cap. 13. ſi attentius ipſum legas, & ipſo referente, eam videntur adumbraſſe Alpharabius, & Auicennas, ſed obſcure admodum loquitur, & de rationalitate tantum mentionem habet, quam abſtractam vocat, dum ad modum generis, & totius ſignificatur.

Albertus Magnus.

Circa ſecundam aſſertionem in eadem parte, vbi dicitur eſſentia non eſſe res quædam extra ſingularia, vt Platonici ponebant, non eſt præſentis loci diſ-

ſerere,

ſerere, quomodo Plato poſuerit ideas à ſenſibilibus ſeparatas, quidve per ideas acceperit, id ſufficiat, quod eius verba ſaltem id referunt, potiſſimum in Parmenide, vbi longo ſatis proceſſu eas ponit, ac probat, atque quorũ ſint, qualeſve, & quam vim habeant, & quomodo ab ijs quorum ſunt participentur, patefacit, Dialogo etiam ſexto de Republica earum memoriam habet, & prope finẽ eas vmbras, ac imagines vocat, & ſub initiũ decimi ibidẽ dialogi ait, *Speciem vnamquãque ponere ſolemus de quibuſlibet pluribus, quibus idem nomen imponamus*, & adnectit exemplum de lectis, & menſis, *hæc enim plura ſunt, ideæ tamen horum duæ ſunt, vna lecti, altera menſæ*, denique in Timeo, (ne plurimum in hoc vagemur) legimus, *Neceſſe eſt huiuſmodi ſpecies eſſe, quæ per ſe ipſæ ſint, & intelligentia potius, quam ſenſibus comprehendantur*. Quam poſitionem vnà cum rationibus ad longum proſequitur, & repudiat Ariſtoteles, & proœmio primi Diuinorum, & per totum ferè ſeptimum eorundem, & cap. 4. ac 5. duodecimi lib. eiuſdem ſcientiæ, & fortaſſis ſenſum, quem verba Platonis præſeferebant, impugnauit ſolum Ariſtoteles, neque enim deſunt Platonis doctrinam profitentes, & Marſilius præcipue Ficinus, qui commentarijs dialogi illius ſexti admirabilia quædam, & ſacræ, ac diuinæ Theologiæ conformia valde ex Platonis ideis colligit, & nonnulla quoque alia ex eiſdem depromit comment. dialogi decimi allegati, & quidem loco priori ait ad aures Platonis, ideam boni non eſſe hanc, vel illam, hic, aut ibi, ſed ipſam eminentiſſimæ diuinitatis fœcunditatem, per omnia ſeſe potenter, ſuauiter, ac ſalubriter propagantem, & in expoſitione Timæi cap. 15. inquit, Platonem intelligere ideas rerum, non inter nubes, (vt maledicos quoſdam ait calumniari,) ſed in mundani architecti mente conſiſtere. Sed & Simplicius ad 100. primi de Cœlo ſub initium ait, Ariſtotelem ſecũdum antiquam conſuetudinẽ ſæpe inſtare ad ea, quæ apparent, (ex vi ſcilicet verborum,) quando ea ſuperficietenus accepta, non conſentanea ſunt veritati, & cauſam breuem adfert, vt ſcilicet auxilium ferat ijs, qui in ſuperficie veterum ſermones accipiũt, & non poſt multa ait, *Quare neque ad Theologos, neque ad Platonem tendunt Ariſtotelis inſtantiæ, ſed obuiat ad ſic ſuſcipientes dicta antiquorum, &c.* Quin & Auctor circa 106. eiuſdem libri duas vias adhibet, quibus tutatur Platonem à rationibus Ariſtotelis, dicens Ariſtotelem obijcere contra id, quod Platonis verba exprimebant, & exponens 6. ſecundi de Cœlo, bonum adfert ſenſum, in quo poſſit accipi impugnata ibi ab Ariſtotele opinio, quam Platoni ipſe Auctor tribuit, & eodem libro ad 12. tutatur Pythagoricos ab ijs, quæ in ipſos profert Ariſtoteles, cur ſcilicet duarum tantum poſitionum meminerint, & eas ſolum in cœlo locarint; quare demum dico, ita in hac parte eſſe accipiendum, dum dicitur, eſſentiam compoſitarum ſubſtantiarum non eſſe rem quandam ſeparatam, vt poſuerunt Platonici, hoc eſt, vt eorum verba referunt, quicquid tandem re ipſa Plato voluerit, &c.

Platonis nonnulla de Idearum poſitione.

Quomodo Ariſtoteles eas reijciat.

Marſilius Ficinus quomodo Ideas Platonis accipiat.

Simplicius.

D. Thom.

Rurſus in eiuſdem aſſertionis prima probatione aduerte, Auctorem dicentem, indiuiduum, ſiue Sortem non eſſe illud, quod ab eo ſeparatum, non autem dixit, non eſſe aliquid illius ſeparati, nam id Plato iuiſſet inficias, quandoquidem ponens ideas ſeparatas, modo quo diximus, aſſerebat hæc ſenſibilia eſſe participationes earum, ita perſæpe in Parmenide profert ideas participari ab ijs, quorum ſunt ideæ, diſcrepans nimirum à Pythagoricis in voce, qui ſenſibilia ideas habentia, non participationes, ſed imitationes earum dicebant, vt apud Ariſtotelem legis primo Diuinorum cap. 10. ideo ait, indiuiduum

Plato.

Pythagor.

Ariſtotel.

duum non eſſe ideam illam ſeparatam, hoc enim inſtituto ſuo erat ſatis, colligit namque, de ipſo non poſſe in recto prædicari, velut prædicatur & genus, & ſpecies, eſt enim Sortes homo, animal, & nedum imitatio, vel participatio hominis, aut animalis,&c.

Aduerte poſtremo, circa ſecundam probationem eiuſdem concluſionis, in qua aſſumitur, ſeparatum illud non conducere ad cognoſcendum hoc ſingulare, (quod fuit quoque motiuum Ariſtotelis ſeptimo Diuinorum 20. ad Platonis ideas reijciendas,) id poſſe dupliciter intelligi: primo, quod nullo modo faciat illud cognoſcere: ſecundo, quod non faciat cognoſcere quidditatiue, primo modo non cenſeo hoc dictum veritatem habere, nam & accidentia ex primo de Anima 11. maxime conferunt ad quodquideſt cognoſcendum,& cauſæ, & agentia, quamuis extrinſeca, & ſeparata ab ijs, quorum ſunt cauſæ, iuuant ad eorum notitiam, quocirca cum ideæ illæ eſſent, veluti cauſa illius ſingularis, quoniam hoc ab illa per participationem penderet, vnde magna connexio, ac reſpectus inter ea eſſet, quoniam ſingulare eſſet per attributionem ad ipſam, non intelligo, quomodo abſolute poſſit dici, in nullam ducere cognitionem; Accedit, quod Auctor prima par. quæſt. 85. artic. 3. ad quartum, inquit, vniuerſale ſecundum quod accipitur cum intentione vniuerſalitatis eſſe quodammodo principium cognoſcendi, quæ verba licet de alio vniuerſali, quam ſit idea ſint prolata, nihilominus, & idea conſiderata in ordine ad id, quod eam participaret, & vniuerſale quoddam, & cum intentione vniuerſalitatis ſpectaretur, quare eius notitiæ inſeruiret.

D.Thom.

Dico Ideas illas eſſe tamquam cauſas ſingularium, quorum ſunt ideæ, non enim concederet Plato, ideas illas vniuerſales pendere à ſingularibus, quorum ſunt ideæ, licet enim Peripatetici merito dicant, vniuerſalia pendere a ſingularibus, hoc tamen aſſerunt, quoniam apud ipſos vniuerſalia, (quæ rei eſt veritas) non niſi in ſingularibus exiſtunt, nam vniuerſale, aut nihil, aut poſterius eſſe, vere ab eorum Magiſtro primo de Anima 8. acceperũt; At volebat Plato, vniuerſalia, quæ poſuit exiſtere, (ſiue autem in mente diuina, ſiue ſeparata, nihil ad nos in præſentia,) hinc minus recte colligit Alenſis cap. 14. primi Diuinorum tex. 28. quod ideæ illę dependerent à ſingularibus, & ita eſſent dependentes, & non dependentes, non dependentes, quoniam ideæ, dependentes autem, quoniam vniuerſalia (ait) dependent à ſingularibus, at hoc vt dixi, negaret Plato, neque ea eo loci eſt Ariſtotelis intentio, ſed ſolum vult inferre, id quod eſt ad aliquid, eſſe prius abſoluto, vt eius verba clare volunt, & vt interpretantur Alex. Auctor, & Sueſſanus, gemina via deducens conſecutionem Ariſtotelis; quare neque alij recentiores bene accipiunt in eiuſdem loci expoſitione, quod numerus ſit quid ab alio dependens, cum enim hunc Plato poneret ideam, negaret ab alio pendere, niſi forſan hi ſic exponentes, nomine dependentiæ accipiant quamcumque habitudinem, vt videntur ſe quaſi explicare, ſed minus proprie loquimur, ſi dicamus id quod eſt cauſa, dependere ab eo cuius eſt cauſa, quamuis ad ipſum dicatur, ad quem ſenſum poſſet quis Alenſis ſtudioſus eius verba trahere, vt veritatem aſſecutum, (licet haud proprijs vocibus vſum) eum oſtenderet, &c.

Ariſtotel.

Alenſis.

Quando quid noſcatur quidditatiue.

Accipiatur ergo ſecundo modo probatio, quæ ſit in litera, dicendo, quod tale ſeparatum non facit cognoſcere quidditatiue illud ſingulare, nam tunc aliquid quidditatiua notitia attingitur, quando adeſt conceptus, eius quidditatem exprimens totam, atque naturam vſque ad vltimas differentias, & breuiter,

uiter, quando habetur eius definitio, conſtat autem, naturam, ac quidditatem cuiuſuis rei, ſeu definitionem non tradi per extrinſeca, aut ſeparata, ſed per intima, per genus ſcilicet, ac differentiam, quo pacto ſeparatum illud non faceret certe cognoſcere ſingulare; Quod autem Auctor de cognitione non quacunque indiſcriminatim, ſed quidditatiua intellexerit, ſuadetur & rationibus adductis, & quoniam ſic eum accepiſſe videtur Caiet. in præſenti, & demum, quoniam ſi bene inſpiciatur, ad hoc ſua ratio tendit, nam aſſumit, ſeparatum illud non ducere in notitiam ſingularis, ſubſumendum autem neceſſario eſt, ſed genus, & ſpecies ducunt in notitiam indiuiduorum, ergo &c. conſtat autem, genus, ſpeciem, & differentiam non in quamcumque, ſed in quidditatiuam eorum, quorum ſunt genera, &c. ducere: Nihil igitur obſtaret huic literæ, ſi contenderetur, ſeparatum illud gignere aliquam notitiam illius, à quo eſſet ſeparatum, etiam quo ad aliquod prædicatum ſibi proprium, ac quidditatiuum, ſufficit enim, quod non pariat eiuſdem quidditatiuam cognitionem; Et omnia circa probationes huius ſecundæ aſſertionis accipias, facta hypotheſi de eſſentia illa à ſingularibus ſeparata, ſi daretur, nam reuera non datur, &c. Mens D. Thomæ.

Circa tertiam aſſertionem eiuſdem primæ partis nihil venit adnotandum, nam toto cap. ſuperiori, & potiſſimum parte octaua, plene viſum fuit, quomodo eſſentia nomine totius ſignificata dicat implicite, ac indiſtincte quicquid eſt in indiuiduo, & quomodo ex conſequenti ſit genus, differentia, ſpecies, &c.

Natura autem, vel eſſentia ſic accepta, &c.

Circa totam ſecundam partem in communi, ex qua colligitur triplex illa naturæ acceptio, vel ſcilicet ſecundum ſe, vel quatenus eſt in ſingularibus, vel quatenus eſt obiecta intellectui, notabat facile Caiet. quod conditiones debitæ naturæ ſecundum ſe, ſunt prædicata tantum eſſentialia, homo enim ſecundum ſe non eſt niſi animal rationale, & vnicuique id tantum ſecũdum ſe conſiderato tribuitur, quod eſt de ſui definitione, idem enim ſibi vult ſecundum ſe, quod ſecundum ſuam naturam, & definitionem, atque ideo quodcumque prædicatum, vel accidentale, vel denominatiuum, vel relatiuum, (in abſolutis loquendo) arcetur à quauis natura ſecundum ſe conſiderata, quoniam arcetur à definitione; Quod etiam intelligo de natura accidentali, vbi videbor paradoxum enunciare, quod ſcilicet prædicata accidentalia remoueantur à natura accidentali, & tamen verum aſſero: licet enim naturæ accidentali tribuantur accidentia abſolute loquendo, verumtamen per ſe ei tribuuntur, nam quamuis ſint in ſeipſis accidentia, & alijs etiam comparata, inſunt nihilominus per ſe naturæ illi accidentali, & ſunt de eius definitione, eo modo, quo accidentium eſt definitio, quemadmodum diſgregare viſum, eſt vtique accidentalis operatio, & accidens quoddam eſt illa diſgregatio, albedini tamen non erit accidens, ſed per ſe ei inerit, hoc eſt, per ſe eam conſequetur, cum ex affluentia lucis, (quæ eſt albedini eſſentialis) neceſſario profluat, quare accidens non per accidens de ipſa ſecundum ſe dicetur, & non dicetur accidens, quod accidat ei, quamuis dicatur accidens abſolute: Sic nulli naturæ ſecundum ſe conſideratæ tribuitur aliquod prædicatum accidentale, ſed ſolum eſſentiale, vel in ſe, & illi naturæ ſimul, vel ſaltem illi naturæ: Conditiones Caietanus. Cuipiam ſecundũ ſe conſiderato, quid tribuatur.

nes vero, quæ debentur naturæ ſecundum eſſe in ſingularibus; & in intellectu, non ſunt prædicata eſſentialia, ſed denominatiua, quoniam homo non eſt res illa, quæ de ipſo dicitur, quatenus eſt in hoc ſingulari, puta albedo, ſed ab ea denominatur albus, ſimiliter non eſt relatio illa vniuerſalitatis, qua reſpiciat vel ſuperiora, vel inferiora, quæ conuenit ei, quatenus habet eſſe in intellectu, ſed à tali relatione denominatur ſpecies, quæ vniuerſale quoddam eſt, dum reſpicit inferiora, hoc eſt indiuidua, & etiam dum reſpicit genus, ſic enim ipſum reſpicit, quod exinde pullulat, vt & poſtea alia ſub ſe inferiora reſpiciat, ſaltem quatenus ſpecies eſt obiecta intellectui, quamuis fortaſſis numquam in re ſit illa habitura.

Obſeruat quoque eadem facilitate diſcrimen inter hæc, quæ conſequuntur naturam, quatenus habet eſſe in ſingularibus, & inter ea, quæ eandem comitátur, quatenus eſt in intellectu, quamquam enim inter ſe conueniunt, quod & hæc, & illa accidant ipſi naturæ, & ab vtriſque denominetur, differunt tamen, quoniam ea quæ illam ſequuntur, prout eſt in ſingularibus, aliquid reale ſibi addunt, vt puta eſſe album, nigrum, &c. quæ autem conueniunt ipſi, vt eſt in intellectu, nullam realitatem ſupra ipſam addunt, ſed denominationem ſolum rationis, vel relatiuam, vel negatiuam, nam omne ens rationis, vel relatiuum, vel negatiuum eſſe docuit Auctor quæſtionibus diſput. de Verit. q. 21. artic. 1. Siquidem dum dicitur, homo eſt ſpecies, prædicatum illud nihil reale addit ad hominem, ſed relationem ſolum rationis, qua reſpicit ſuum genus, eſt enim ſpecies, generis ſpecies. Addit inquam relationem formalem, vel formalitaté, & complementum illius relationis, quod purum conſtat eſſe ens rationis, ne fiat quæſtio de ſubſtrato relationis, illud enim eſt natura, quæ non eſt ex hoc quod intelligatur, ſed præexiſtit, &c. de quibus omnibus fuſius hoc eodē capite eſt agendũ, & quæſtione etiam de exiſtentia vniuerſalium ad caput ſequēs.

D. Thom.

Caietanus.

Dicit autem Caiet. ſpeciem dicere relationem ad genus, quoniam ſequitur ſententiam illam ſuam, quæ & mihi ſemper magis placuit, quod ſcilicet ſpecies vt ſic, & de primario ſui conceptu reſpiciat genus, ex conſequenti deinde, (non omnino extranee) indiuidua, &c.

Hinc facillime poteris obſeruare, quod dum proferimus naturam vt habet eſſe in ſingularibus, intelligimus de eſſe reali, quo coniuncta eſt illis, non autem de eſſe, quo illa poſſit reſpicere, & ad ipſa referri, vt ſcilicet de illis dicatur, & prædicetur, hoc enim modo conciderent ſecundum, & tertium membrum, quibus ſcilicet dicitur eſſe in ſingularibus, & in intellectu, nam ſecundum quod habet eſſe in intellectu, dicitur de ipſis ſingularibus, & ea reſpicit vt vniuerſale ſua particularia, quare dum pronunciamus, naturam vt habet eſſe in ſingularibus, loquimur de eſſe fundamentali, dum vero dicimus eandem naturam, vt habet eſſe in intellectu, ex quo deinde dicitur de eiſdem ſingularibus, & eſt in illis merito prædicationis, accipitur eſſe formale, quod ſtat nō in eo quod prædicatum ſit coniunctum cum ſubiecto, ſed in relatione, qua illud reſpicit; Hoc autem duplex eſſe, & formale, & fundamentale quomodo accipiatur, latius explicabo ad finem annotationum huiuſmet capitis, &c.

Circa rationē, qua probatur & prima, & ſecunda concluſio huius ſecundæ partis, quod ſcilicet natura de ſe, nec ſit vna, nec plures, nec ſimiliter ſecũdum ſe ſit, aut non ſit in ſingularibus, quoniam ſi alterum horum ſibi vindicaret, numquam aliud poſſet ei ineſſe, quia nequeat vlli rei oppoſitum competere eius, quod ſibi per ſe ineſt, cui propoſitioni bona pars doctrinæ totius huius

capitis,

capitis inniti apparet, obſerua, quod cum quattuor modis quid poſſit ſibi aliquid per ſe vindicare, iuxta quattuor modos perſeitatis aſſignatos ab Ariſtotele primo Poſter. cap. 4. allegata propoſitio intelligitur potiſſimum de eo, quod aliqua natura ſibi in primo modo vſurpat, cum enim id ſit vel definitio, vel pars definitionis, profectò eſt eſſentia, aut pars eſſentiæ, ſic ab eo cuius eſt nulla via poteſt ſeparari, quare longe minus valet ei oppoſitum ineſſe, facilius enim eſt, aliquod prædicatum naturale dimoueri ab aliquo ſubiecto, quam illius prædicati oppoſitum eidem tribuere, quoniam facilior eſt tranſitus à poſitiuo ad negatiuum, quàm à poſitiuo ad contrarium ſuum, quod enim poſitiuũ remoueatur vt ſic, vna ſufficit actio, vel forte vnius actionis ceſſatio, at quod contrarium inducatur, altera exigitur actio, ſic euenire poteſt aliquãdo, vt accidens proprium ſeparetur a ſubiecto, ſaltem per intellectum, at nequibit ei oppoſitum tribui. Nequit ergo ſeparari ab aliquo id quod ſibi in primo modo perſeitatis conuenit, & nedum non valet ſeparari in re, ſed neque in apprehenſione, licet enim ea quæ conueniunt in exiſtentia, & differunt in eſſentia, ſiue in certitudine, vt loquitur Auicen. octauo Metaphyſicæ cap. 6. vocans ſæpius eſſentiam certitudinem, hoc eſt, ea quorum vnum non eſt de certitudine, vel eſſentia alterius, alterum poſſit abſque altero intelligi, veluti linea abſque ſuperficie intelligitur, quoniam vnum non eſt de eſſentia alterius, quamuis ſint ſimul ſimultate exiſtentiæ, illa tamen, quæ nedum in exiſtentia, ſed & in eſſentia ſunt coniuncta, vt definitio, & definitum, & vniuerſim omnia, quæ de aliquo primo modo perſeitatis dicuntur, nequeunt ſeparari, neque quo ad rem, neque quo ad apprehenſionem, nequit quippe apprehendi homo, quin apprehendatur animal, quod ſi non poſſint ſeparari, multo minus inerit vnquam oppoſitum eorundem.

Ariſtotel. | Auicenn. | Inſeparabilia quo ad rem, & apprehenſionem.

De his itaque intelligitur ratio literæ, Si natura videlicet in primo modo perſeitatis aſcriberet ſibi vnitatem, vel non eſſe in ſingularibus, numquam inueniretur multiplex, & in ſingularibus, & e contra, ſi in primo modo vſurparet ſibi eſſe in ſingularibus, atque pluralitatem, numquam non eſſet in ſingularibus, & numquam non eſſet multiplex, & ratio adferebatur ex propoſitione, quam examinamus, Quoniam non poteſt fieri, vt alicui inſit oppoſitum eius, quod per ſe ineſt.

Non valet autem propoſitio hæc in illis, quæ aliquid ſibi vendicant in tertio modo perſeitatis, contingere enim poteſt, vt alicui ſolitarie accepto aliquod prædicatum inſit, quod tamen alicui coniunctum, vſurpabit ſibi prædicatum oppoſitum, non quidem ratione ſui vt ſic, tunc enim ſemper illud ſibi foret tribuendum, ſed ratione annexi illius, non pure, tunc enim ſolum denominaretur, at ratione vtriuſque; Veluti natura per ſe, hoc eſt, ſolitarie accepta vindicat ſibi, quod ſit indifferens ad eſſe vel in vno, vel in multis, at coniuncta ſingulari, iam vt ſic non eſt amplius indifferens ad hoc, vel illud eſſe, vel ſcilicet in vno, vel in pluribus, nam ita eſt in vno, quod nequeat vt ſic eſſe in pluribus, vt explicatius conſtabit quæſtione ſecunda ad hoc caput; Et Auctor prima ſecundæ q. 39. artic. 1. ſub initium dicebat, quod omnis triſtitia ſimpliciter, & ſecundum ſe, eſt quoddam malum, facta autem aliqua ſuppoſitione, nil prohibere aliquam triſtitiam eſſe bonam, & tamen ſi per ſe in primo modo triſtitia eſſet mala, numquam poſſet eſſe bona, ex vi rationis in hac parte, quam expendimus, vt recte ibi addubitabant Caiet. & Medina, at non ineſt malitia triſtitiæ ſecundum ſe in primo modo, ſed in tertio; ſic cum alio coniũcta,

D. Thom. | Caietanus. | Medina.

amittit illam malitiam,& prædicatum oppoſitum ſibi vſurpat, nempe bonitatem,& belle eo loco dicebat Caiet. cõmitti æquiuocationem in ly *per ſe*, non enim ſumitur, vt diſtinguitur contra per accidens, ſed vt diſtinguitur contra cum alio, hoc eſt, non ſumitur in primo modo, contra quem vere opponitur eſſe per accidens, ſed capitur tertio modo, cui vere opponitur eſſe cum alio; Et quamuis etiam tertio modo opponatur per accidens, (omni namque per ſe opponitur per accidens,) voce tamen quadam magis peculiari explicatur oppoſitum tertij modi per ſe,dum dicitur cum alio,nam modus ille ſignificat aliquid ex ſe ſolo,cui vt conſtat,formaliter opponitur eſſe cum alio,at de hoc modo perſeitatis non accipitur hic diſcurſus in hac parte, ſed de primo.

Caietani ſpeculatio.

Circa tertiam aſſertionem eiuſdem ſecũdæ partis, vbi ſecundo mẽbro ipſius dicitur,natura ſecundum ſe,& abſolute cõſiderata eſſe illa,quæ prædicatur de indiuiduis,dubium mouebat Caiet.nã cum natura ſecundũ ſe non ſit cõmunis, neque vniuerſalis,vt frequenter in hoc capite repetit Auctor, & vt in quæſtionibus definietur,difficile videtur aſſerere,quod ſecundum ſe dicatur de indiuiduis, nihil enim de pluribus poteſt prædicari,niſi fuerit vniuerſale, aut cõmune,cum vniuerſale illud ſit, quod de pluribus dicitur,ex ſeptimo Diuinorũ 45. & 46. quoniã ſcilicet eſt in pluribus,vt poſteriori textu legimus,quare dũ ponitur natura ſecundũ ſe dici de indiuiduis, videtur poni,quod ſecundum ſe ſit vniuerſalis,& quod ſecundũ ſe ſit in multis ſingularibus, & tamen prima eiuſdem aſſertionis parte dicitur,naturã ſecundum ſe abſtrahere à quouis eſſe, vel ſcilicet in vno,vel in pluribus: Et certe dubitatio non eſt omnino facilis,adeo vt referat Caiet. quoſdã dixiſſe,ex hoc textu haberi, quod in hac propoſitione *homo eſt animal*, neque ſit prædicatio ſuperioris,nec æqualis,nec inferioris; At dubitatio aufertur,ſi cum Caiet. cõſideremus rem quæ prædicatur & cõditionem,ſine qua non res illa prædicatur; quemadmodũ in natura humana, homo generat, tamquã res,(natura ſcilicet ſua,) at conditio ſine qua non generaret, eſt eius ſingularitas,nõ enim erit homo, ſed hic homo,cum actiones tribuãtur ſingularibus,ex procemio primi Diuinorum,& ignis cõburit ſtuppam vt res,at cõditio ſine qua non cõbureret,eſt eius ad illã approximatio,ſic dicimus,quod dum natura prædicatur de indiuiduis,res quæ prædicatur eſt natura ipſa, conditio autẽ ſine qua non prædicaretur,eſt eius ſuperioritas,ſeu æqualitas:oportet enim ex Porphirio cap.de differentia, aut æqua de æquis,aut ſuperiora de inferioribus prædicari,quod autem natura ipſa apprehendatur vt ſuperior,vel vt æqualis,id ſibi cõtingit,quatenus objicitur intellectui.Natura ergo ſecundũ ſe illa eſt,quæ tãquam res dicitur de indiuiduo, eſt enim prædicatio rei de re, non autẽ dicitur de indiuiduo iuxta eſſe,quod habet in indiuiduo,vel in intellectu,quando enim dico, Hieronymus eſt homo, nil aliud ſibi impertior, niſi quod ſit animal rationale, quod prædicatum liquet inſequi naturam hominis vt ſic,non autem ſibi tribuo,quod ſi vel ſpecies, vel in alio, quæ cõditiones inſequũtur naturam, prout habet eſſe vel in intellectu, vel in indiuiduis; Quod autem natura ſit ſuperior,vel cõmunis,vel æqualis ei,de quo dicitur,hæc conditiones ſunt, ſine quibus ipſa natura non diceretur de indiuiduis.

Dubitatio ſatis ardua.

Ariſtotel.

Diluitur cum Caietano.

Porphir.

At dices,ſi natura dicitur abſolute,& ſecũdũ ſe de indiuiduis,ergo ſecũdum ſe debet eſſe vniuerſalis,patet conſecutio,quoniã niſi habeat hãc conditionem (ex ijs,quæ diximus) non prædicaretur. Reſpondet Caiet.non dicere Auctorẽ, naturæ abſolute,quatenus abſtrahit ab omni eſſe conuenire, vt de indiuiduis prædicetur, ſed ait,quod res cui conuenit hæc conditio,eſt natura abſolute, & non

Aliud dubium.

Id ſoluit Caiet.

non aggregatum ex natura,& eſſe in intellectu, vel in ſingulari, adeo vt velit mea ſententia dicere Caiet. inſpexiſſe Auctorem rem, quæ prædicatur, non autem recenſuiſſe conditionem ſine qua non prædicatur, tamquam clarum relinquentem, quod ſi habeat prædicari, neceſſe ſit, adeſſe conditionem illam, vel ſuperioritatis, vel æqualitatis, &c.

Cæterum, vt hæc euidentiora reddantur, illud conſidero, quod naturam eſſe in intellectu, & habere eſſe in ſingularibus, aliquando ſunt rationes formales ipſius naturæ, cur ei aliquid tribuatur, aliquando vero ſunt ſolum conditiones, ſicut & agenti ad hoc vt agat, aliquid interuenit, tamquam ratio agendi, & aliquid, tamquam conditio ſine qua non, forma quippe ſua eſt ſibi ratio agendi, nam omne agens forma ſua agit, approximatio vero ſui ad paſſum, eſt conditio ſine qua non agit, oportet certe agens coniunctum eſſe paſſo, ſi actio ſequi debeat, vt docet Ariſtoteles ſeptimo Phyſ. 8. & 9. & deinde vſque ad 14. probat in motu & locali, & alterationis, & augmenti. Ita, quod natura, vtpote homo dicatur ſpecies, id conuenit ſibi, quatenus habet eſſe in intellectu, & id eſt ſibi ratio, cur dicatur ſpecies, & cur vere ſecundas intentiones ſubeat, nam harum formalitas, ab intellectu pendet, ſimiliter, quod denominetur coloratus, albus, &c. id ei prouenit, quatenus habet eſſe in ſingularibus, tamquam à ratione formali denominandi; at quod dicatur de indiuiduis, id ſibi debetur, ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem, tamquã per rationem, at requiritur vt ſit communis, æqualis, &c. tamquã conditio ſine qua non. Dum itaque dicitur in litera, naturam, vt præſcindit ab omni eſſe, dici de indiuidnis, excluditur & eſſe in intellectu; & in ſingularibus, tamquam rationes, non tamquam conditiones, ſine quibus non dicatur, at ſecundum ſe, & merito prædicatorum ipſam abſolute conſequentiũ dicitur de indiuiduis, ſiue enim animal rationale foret inferius ad hominem, vel non foret commune, adhuc tamen Hieronymus vere eſſet animal rationale, vere eſſet homo, &c.

Ratio agendi, vt agat. Conditio, ſine qua non.

Ariſtotel.

Hoc credo velle Caiet. quando inquit, rem illam, quæ eſt natura abſolute dici de indiuiduis, non autem aggregatum ex natura, & eſſe in intellectu, vel in ſingulari, intellige tamquam ex rebus, ſeu rationibus; cum quo ſtat, aliquid tamquam conditionem requiri, obijci ſcilicet intellectui, &c.

Sed & alia via multo breuiori rem hanc concludam, ſi dixero, non loqui Auctorem de prædicatione illa formali, quam facit intellectus, dum inquit, naturam ſecundum ſe prædicari de indiuiduis, tunc enim inſurgunt difficultates de vniuerſalitate, communitate, &c. quibus tamen ſatisfactum eſt, ſed loqui de prædicatione fundamentali, qua ſecluſo quouis opere intellectus aliquid dicitur de aliquo, & hoc vere dicitur eſſe illud, ſic natura non quatenus habet eſſe in intellectu, vel in ſingulari, ſed ſecundum ſe vere dicitur de indiuiduis, hoc eſt, Sortes, Plato, &c. vere ſunt animalia rationalia, (quæ ſunt prædicata inſequentia naturam, ſecundum abſolutam ſuam conſiderationem,) non autem ſunt, vel ſpecies, vel habentes nigredinem, aut albedinẽ, &c. Norunt ſiquidem Philoſophi omnes, & paſſim docent, omni tempore verum eſſe, quod homo ſit animal, ſiue homo ſit, ſiue non in rerum natura, & quod animal ſit ſubſtantia ſenſibilis, & huiuſcemodi, quæ perpetuæ veritatis eſſe clamant; Ita dico, omni tempore verum eſſe, ſeu intellectus conſideret, ſeu non conſideret, Sortem eſſe hominem, Platonem eſſe animal rationale, quamuis enim intellectu non exiſtente, non foret hoc pronunciatum, Sortes eſt animal

Alia ſolutio illarum dubitationum.

Cõmunis Philoſophorum conſenſio.

mal

mal rationale, & pronunciatum hoc ab intellectu ipſo pendeat, quod tamen Sortes ſit animal rationale, ipſiuſque pronunciati ſignificatum, minime pendet ab intellectu. Prædicatur itaque natura ſecundum ſe de indiuiduis, modo expoſito, & prædicatio fundamentalis nullo modo pendet ab intellectu, quamuis ſi formaliter prædicatio hæc debeat adeſſe, requiratur tamquam conditio, via declarata, vt ſit intellectui obiecta, &c.

Non tamen poteſt dici, quod ratio vniuerſalis, &c.

Circa primam aſſertionem tertiæ partis, vbi dicitur, natura ex ſe non eſſe vniuerſalis, quoniam numquam foret particularis, ex ui propoſitionis iam examinatæ, & tamen in Sorte eſt particularis, quicquid enim in eo eſt, indiuiduatum eſt, videri forſan alicui poſſet, hæc verba fauere Aureolo, qui vt dicebam ſub initio quæſtionis de indiuiduationis principio aſſeuerabat, naturam de ſe eſſe hanc, & ideo in caſſum indagari principium indiuiduationis, iam enim dicitur in litera, naturam in Sorte eſſe indiuiduam, quoniam quicquid eſt in indiuiduo, eſt ad modum illius, vt explicabamus, quod ſi ſit indiuidua, quoniam in ſingulari exiſtit, iam ergo cauſa ſuæ indiuiduationis eſt exiſtentia in indiuiduo, non eſt ergo aſſignanda vel ſignata materia, vel aliud quoduis indiuiduationis principium; At hæc procedunt ex indiſtinctione rei, & rationis eiuſdem rei, verum vtique eſt, quicquid eſt in indiuiduo, eſſe vt ſic indiuiduatum, & adeo verum, vt dicat Auicennas ſecundo ſuæ Metaphyſicæ, cap. 11. neminem ſanæ mentis oppoſitum poſſe imaginari, at quærenda eſt radix, & cauſa, vnde indiuiduum illud in quo quicquid eſt vt ſic, indiuiduatum eſt, (vel ſaltem eſt per modum principij indiuidui, vt accipere videtur dictum hoc, illud quaſi limitando Albertus ſuper prædicabilia tract. 2. cap. 3. verſus finem,) ſit indiuiduum, & ex conſequenti vnde natura, quæ eſt in ipſo ſit indiuidua, & hæc; Fatemur omnes Sortem eſſe indiuiduũ, & eius quoque naturam, at vnde huius, ſiue horum indiuiduatio proueniat, inquirendũ manet; nam naturæ ſecundum ſe accidit, quod ſit in hoc, vel in illo, vt viſum fuit, & copioſius hoc eodem capite videbitur, &c.

Auicenn.

Alb. magn.

Circa eandem probationem eiuſdem concluſionis, in qua dicitur, ſi natura eſſet vniuerſalis, tunc in quocumque inueniretur, foret vniuerſalis, quoniam quod conuenit alicui ſecundum ſe, conuenit ei in quocumque ponatur, inſtantias varias adferebat Caiet. circa præfatam propoſitionem, nam continuũ ſecundum ſe eſt diuiſibile in infinitũ, vel in ſemper diuiſibilia, ex primo Phyſ. 17. ex tertio eorundem primo, & 69. & ex primo Cœli 1. attamen non in quocumque ponatur, eſt in infinitum diuiſibile, fallit enim in rebus naturalibus, cum in omnibus natura conſtantibus ſit determinata magnitudo ex primo de Anima 41. & natura infinitum vitare, & finem ſemper quærere ſolet, vt dicitur primo de Generatione animalium cap. primo. Rurſus, motus ſecundũ ſe habet contrarium ex 5. Phyſ. 14. 49. & 50. & colligitur ex primo de Cœlo 86. & 87. & habetur 4. eiuſdem 22. & tamen motus cœli caret contrario, ex primo eiuſdem, 20. quod & probat Ariſtoteles à 24. vſque ad 32. incluſiue. Verum occurrit Caietan. quod propoſitiones allatæ, & eis ſimiles, accipiendæ ſunt non repugnanter, & negatiue, non autem poſitiue, præcipue in primo, vel ſecundo, vel quarto modo perſeitatis; ſufficit quippe motui vt ſic non repugnare, quod habeat contrarium, ſimiliter continuo vt ſic ſat eſt, quod

Caietanus.

Ariſtotel.

Quid ſufficiat motui.

Quid cõtinuo.

non

non repughet eſſe in ſemper diuiſibilia diuiſibile, quod autem in hoc, vel in illo ſubiecto, in hac, vel in illa natura motus careat contrario, & continuum nequeat in infinitum eſſe diuiſibile, id ſibi non repugnat, quatenus continuũ, & quatenus motus eſt, ſed prout in tali, aut tali ſubiecto, & natura exiſtunt, non enim id vindicant ſibi in aliquo modo perſeitatis, & poſitiue, ſed ſolum negatiue, ac non repugnanter; Quam ſane doctrinam ſic ipſe accipio, vt intelligatur de notificationibus, & deſcriptionibus rerum, & de nonnullis ipſas conſequentibus, non autem de veris omnino definitionibus, vt paulo inferius me declarabo, nam certe veræ definitiones non ſat eſt, vt non repugnanter, ac negatiue conueniant definitis, ſed poſitiue omnino de illis dicuntur, cũ abſque ipſis nedum non eſſe, ſed neque concipi queant, vt obſeruationibus ad ſuperiorẽ partem literæ dictum fuit; Quod autẽ continuum ſit in infinitũ diuiſibile, id potius eſt quoddam conſequens ipſum ratione materiæ, quam ratione formæ, vt colligis ex Auctore ad ſecundum illius primi de Cœlo, quare magis quædam eius paſſio eſt, quam abſoluta definitio; ſimiliter, quod motus ſit inter contraria, eſt quoddam ad ipſum ſequens, nam omne quod mouetur, ad aliquam formam mouetur, ſub qua non eſt, & quæ ei ſub qua eſt opponitur, alias ſub illa poſſet manere, & gratis ad ſimilem moueretur; Quod autem Caietanus hoc pacto ſit accipiendus, ipſemet ſubindicauit, diſcernens inter ea, quæ alicui conueniunt in primo, ſecundo, & quarto modo perſeitatis, & inter ea, quæ non repugnant ſibi, innuens certe, ad veritatẽ illius prioris non ſufficere nõ repugnantiã, ſed oportere, vt poſitiue adſit, quod ſibi tribuitur, &c. D. Thom.

Ex hac doctrina ruit, quæ poſſet adferri inſtantia contra rationem Auctoris, poſſet enim quis dicere, non valet, ſi natura vindicet ſibi communitatem, & vniuerſalitatem, ergo in quocumque ponatur, erit vniuerſalis, ergo in Sorte erit vniuerſalis, diceretur enim, quod vtique illa natura in Sorte eſt ſingularis, ratione illius in quo eſt, at non repugnat ſibi, quod vt ſic ſit communis, & vniuerſalis, ruit inquam, quoniam in ſua ratione arguit Auctor, ſi natura vindicaret ſibi poſitiue, & in aliquo modo perſeitatis, præſertim primo, quod foret vniuerſalis, neceſſe eſſet, vt in quocumque foret vniuerſalis, nedum non repugnanter, & negatiue, ſed & poſitiue, quod nullatenus affirmari poteſt de naturã in indiuiduo exiſtente, &c. Occurritur obiectioni tacitæ.

Dixi Caietani interpretationem per non repugnantiam, ac negatiue, non accipiendam de veris definitionibus, quod potiſſimum intelligo, quando definitur aliquid vere vniuocum, & aliqua vna natura, tunc enim, & primo illi quod definitur, & omnibus ſub illo contentis id tribuendum eſt poſitiue, & nedum non repugnanter, cum abſque illo, velut dicebam neque poſſit apprehendi; At ſi quidpiam analogum definiatur, & de multis ordine quodam, vel per attributionem ad aliquid dicatur, poterit tunc quibuſdam prædicatum illud poſitiue conuenire, quibuſdam ſat erit, ſi negatiue tribuatur, quatenus nimirum ſub illo continentur, tunc enim aliquid aliud eis aderit propriũ, quatenus talia, & talia ſunt, quod illis poſitiue aſcribatur; Veluti eſſe prædicabile de pluribus, analogice dicitur de differentijs, puta vltimis, & non vltimis, non vltimæ enim ita de pluribus prædicantur, vt de pluribus ſpecie differentibus dicantur, vltimæ vero nequaquam, ſed tamen hæc de pluribus differentibus ſpecie prædicatio conuenit ipſis non repugnanter, quatenus differentiæ ſunt, & quatenus continentur ſub illo quaſi analogo, at non conuenit ipſis, prout differentiæ tales ſunt. Rurſus in huiuſcemodi definitionibus ſufficit, Quomodo prædicari de pluribus conueniat vltimis differentijs.

ficit, vt aliquod prædicatum conueniat alicui non repugnanter, dummodo, & alia poſitiue ei conueniant, & illud idem quod de eo dicitur non repugnãter, ſub alia ratione poſitiue dicatur. Meipſum declaro; Definitur anima ab Ariſtotele ſecundo eiuſdem ſexto, ex eo quod ſit actus corporis phyſici potẽtia vitam habentis; ſufficit alicui animæ contentæ ſub anima in cõmuni, quod aliqua ex his poſitiue conueniant, vt talis anima eſt, & quædam non repugnanter, cum potiſſimum illud idem, quod ſub vna ratione conuenit ſibi non repugnanter, ſub alia poſitiue conueniat; Animæ quippe vegetali ineſt poſitiue, vt ſit actus corporis phyſici potentia vitam habentis, quod vero ſit actus primus, & poſitiue, & non repugnanter ſibi conuenit, poſitiue ſub ea ratione, qua actus primus eſt ſubſtantia, non repugnanter ſub ea ratione, qua actus primus eſt ſeparabilis à ſecundo, hoc eſt, ab operatione, vt ſequar priorem modum dicendi Caiet. ſecundo de Anima circa eandem definitionem, neque enim me præterit, alias adeſſe vias, & ab eodem Caiet. & ab alijs poſitas, quibus defendunt, animam vegetalem eſſe ab operationibus ſeparabilem.

Quid conueniat poſitiue animæ vegetali, & quid non repugnanter.

Hæc omnia dicta ſint, vt appareat non inepta eſſe via explicandi quaſdam definitiones, ac propoſitiones modo expoſito, negatiue ſcilicet, & per non repugnantiam, præſertim, quando alia ferè non occurrit via aptior, & vt Caietani doctrinam, (quam & hoc & alibi ad ſimilia adhibere conſueuit) non repudiandam manifeſtarem; Quæ tamen doctrina longe antea tradita inuenitur ab Auerroe comm. 1. ſeptimi Phyſ. & 15. ſexti, & 45. quinti eorundem, quibus locis docet, in priori videlicet, cœleſte corpus poſſe quieſcere vt corpus, non autem vt eſt aliquod corpus, & poſteriori habet, omne motum, vt eſt motum, ſiue vt mouetur, moueri poſſe motu velociori, quam ſit ſuus motus prout eſt motus, at quatenus talis motus nequaquam, vltimo vero loco inquit, omnem motum vt ſic, poſſe eſſe regularem, repugnare tamen huic, vel tali motui; ſed & com. 104. ſecundi de Cœlo, & mundo defendens Ariſtotelem a Themiſtio, dicebat generationem in tota terra in eo quod eſt corpus, eſſe poſſibilem, & in eo quod pars quæuis ipſius generabilis eſt, at impoſſibilem eſſe in tota terra, vt elementum eſt: quæ loca omnia aduertens Zimara in tabula, verbo *corpus*, dicebat, ex his elici poſſe, aliquid prædicatum poſſe alicui non repugnare ratione generis, quod tamen ſecundum rationem ſpecialem eidem repugnabit.

Auerroes.

Zimara.

Verumtamen auctor grauiſſimus ex noſtris ſuper art. primum quæſt. 75. primæ par. dicit, modum hunc explicandi definitiones per non repugnantiam, numquam ſibi placuiſſe, quod ſi de definitionibus penitus vniuocis, & omnino abſolutis, & quo ad omnia prædicata loquatur, nihil ab ipſo diſſentio, at quoniam reijcit modum dicendi Caiet. de anima vegetali, quomodo ſit actus primus, & quoniam aliquis ipſum poſſet accipere, vt de quauis definitione, ac quouis prædicato fuerit locutus, ideo oſtendendum eſt, eius argumentã contra doctrinam ex Auerr. Zimara, & Caiet. nihil cogere, dum enim inquit; Quod eadem ratione definitio hominis poſſet accommodari equo, nam ſecundum rationem animalis non repugnat equo, vt ſit rationalis, negamus hoc, quoniam nequit equus intelligi ſine irrationalitate, cum per illam conſtituatur, & illa eſt abſoluta eius numeris omnibus definitio, quare poſitiue conuenire debet definito; Non valet ſimiliter, quod ſecundo adfert, Vt ſcilicet pari via poſſet definiri anima per actum ſecundum, quoniam animæ vt ſic non repugnat eſſe ſemper in actuali operatione, vtputa animæ vegetali, at ſi anima

Viri docti iudicium aduerſus Caietanum.

Eius argumenta confutãtur.

diceretur actus ſecũdus, tunc foret accidens, quod cuicũque animæ repugnat; Rurſus nequit definiri anima in cõmuni ob aliquid, quod cõueniat huic animæ ſolũ, bene tamẽ poteſt definiri hęc anima, per hoc, quod animę in cõmuni cõuenit, nõ ergo poteſt definiri anima per actũ ſecundũ, quoniam hęc anima ſit ſemper in operatione actuali, ſed poteſt definiri anima hęc, vt dicatur actus primus: quoniã anima in cõmuni eſt actus primus; Demũ, ſub priori ratione anima vegetalis eſt actus primus quoniã ſubſtãtia, ſic per illũ valet definiri, at ſub priori ratione actus ſecundi, (quæ eſt eſſe accidens,) nequit, vlla anima definiri; &c.

Circa ſecundam aſſertionem eiuſdẽ tertiæ partis dubitare quis poſſet, quantam vim habeat illa probatio, qua dicitur, natura ſecundum eſſe, quod habet in indiuiduis non habere rationem generis, quoniam genus, & omne commune, ſeu vniuerſale eſt in multis vnum, natura autem in indiuiduis non inuenitur vna, ſed in diuerſis diuerſa, aut enim eſt ſermo de diuerſitate, vel vnitate eſſentiæ, aut exiſtentiæ, ſi de vnitate eſſentiæ, certe velut genus eſt vnum hac vnitate in ſuis ſpeciebus, ita & ſpecies in ſuis indiuiduis, eodem enim modo, vniuoce, ſcilicet & genus de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis dicitur, nam ſicut omnes ſpecies animalis naturam potiuntur ſenſitiua, ita omnes homines naturam rationalem participant, ſin autem ſermo ſit de vnitate, vel diuerſitate exiſtentiæ, verum vtique eſt, naturã in indiuiduis diuerſis eſſe diuerſam, at hoc modo, & genus, & vniuerſale, diuerſum habet eſſe in diuerſis ſpeciebus, non enim quo ad eſſe, homo eſt illud animal, quod eſt leo, gaudet enim vniuerſale vnitate ſolum rationis, & conceptus, non autem rei, ſeu formæ vnius, vt videbimus quæſtione de ipſius exiſtentia; Quod ſi dicatur loqui litera de vnitate generis quo ad eſſentiam, de vnitate vero naturæ in indiuiduis quo ad eſſe, quis non videat ipſam non vniformiter accipere diuerſitatem, vel vnitatem, ac ſubinde abſque arte, immo contra artem tranſitum facere, & nihil proinde poſſe concludere? Reſpondeo, de nulla vnitate naturæ in indiuiduis, hoc loco haberi ſermonem, ſed de vtraque diuerſitate, & eſſe ſcilicet, & eſſentiæ ipſius, quoniam natura in indiuiduis vt ſic nulla vnitate potitur, & quod careat illa exiſtentiæ in diuerſis indiuiduis, lucidius eſt, quam vt probetur, quodque illa eſſentiæ, aut conceptus, aut rationis, manifeſtatur, quoniam eiuſmodi vnitates naturarum, quæ vocantur communes, & vniuerſales, vel genera ſcilicet, vel ſpecies, conſurgunt ſolum ex apprehenſione intellectus præſcindentis ab ipſis ea, per quæ fiunt hæ, & indiuiduæ, & adunantis ad aliquam vnã rationem, ſiue ad aliquem vnum conceptum, vt enucleatius dicetur promiſſa quæſtione; quamuis enim natura, quæ eſt in ſingularibus, ſit illamet natura, quæ vniuerſalis ab intellectu efficitur, ipſa nihilominus ſecundum quod habet eſſe extra animam, ſeu in indiuiduis, non poteſt vlla vnitate eſſe vna, nõ enim eſt apta nata, vt ſit in multis, cum habeat eſſe indiuiduatum in ſuis ſingularibus, ita ſub hac ratione, prout in illis eſt, nullo modo eſt vna, ſic non legis in litera, naturam humanam in indiuiduis non poſſe habere rationem generis, ſed legis ſecundum illud eſſe quod habet in indiuiduis, ſub hac videlicet conſideratione, nam obiectiue loquendo, eadem eſt natura, quæ ſecundũ abſolutam ſuam conſiderationem neque eſt vna, neque plures, ſecundum eſſe in ſingularibus, eſt hæc, & indiuidua, ſecundum eſſe in intellectu, denominatur vniuerſalis; Ruit ergo argumentum, quoniam innitebatur naturæ ſpecificæ, non quatenus eſt in ipſis indiuiduis, ſed quatenus per intellectum apprehenditur vt vna, ſub qua conſideratione verum eſt, quod in arguendo dicitur,

Difficultas.

Remouetur.

Vnitates vniuerſales, vnde proueniant.

ſed ſub illa conſideratione non, dicimus eſſe diuerſam in indiuiduis. Si quis itaque ſciſcitetur, de qua diuerſitate in indiuiduis loqueris, cum litera dicens naturam eſſe diuerſam in diuerſis indiuiduis, de diuerſitate inquam eſſentiæ, an eſſe? Dic quod de vtraque, ſed præcipue de illa eſſentiæ, nam de illa eſſe clariſſimum id eſt, & nihil concluderetur, quoniam neque genus eo modo eſt vnum in multis, quod ſi petatur, qua vnitate natura ſit vna, ſecundũ eſſe quod habet in indiuiduis, Dic inanem eſſe iam interrogationem, cum in eſſentia, & in eſſe ſit diuerſa, &c.

De qua naturæ in indiuiduis diuerſitate loquatur D. Thomas.

Circa tertiam, & vltimam eiuſdem tertię partis aſſertionem, vbi dicitur, natura quatenus habet eſſe in intellectu eſſe vniuerſalis, multa ingenioſe tulit Caietanus ex tertio de Anima præcipue deprompta, quæ & nos perſtringemus, cum potiſſimum quorundam quæ adfert, nonnulla cognitio poſſit colligi ex iis, quæ dicta ſunt quæſtionibus de cognitione ſingularium, atque præſertim tertio, & de entis conceptu. Duo autẽ ſunt in præſenti principaliter ſupponenda, velut & quæſtionibus ad procemium libri dicebamus, alterũ, quod dentur ſpecies intelligibiles, alterum, quod detur intellectus agens, & hoc ſequitur ad illud, cum potiſſima huius intellectus functio, ſit elicere intelligibiles ſpecies ex phantaſmatibus.

Caietanus.

Quod autem ponendæ ſint ſpecies intelligibiles, non eſt huius loci ad vnguem examinare, ſufficiat, partem quæ affirmat, cui omnes prope adhærent eſſe veram, & dubio procul ad aures Ariſtotelis, nam expreſſe 121. ſecundi de Anima loquens de ſenſu ait, ipſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum, ſeu formarũ, ſine materia, quod & repetit tertio eiuſdem, ſexto, quod ſi in ſenſitiua facultate cognoſcente locantur ſpecies, multo magis certe in intellectiua, ſed & eodem tertio libro, textu ſexto ait, animam intellectiuam eſſe locum formarum, & octauo inquit, intellectum fieri ſingula ſcientem, quod & innuerat 8. Phyſic. 32. ſimiliter eodem 3. de Anima 37. legimus, animam eſſe quodammodo omnia entia, & mox 38. lapidem non eſſe in anima, ſed formam eius, & 18. dixerat, intellectum fieri omnia, ex quibus liquido conſtat, Ariſtotelem aſſignare ſpecies intelligibiles, non enim modo alio poteſt intellectus, vel anima omnia fieri, niſi quoniam omnium rerum ſimilitudinem poteſt in ſe habere, nam res ipſas numquam in ſe habet, vt de lapide tex. illo 38. dictum eſt; & clare nimis duodecimo Diuinorum 39. ait, intellectum ſeipſum intelligere, aſſumptione intelligibilis, & intelligentem fieri intelligibile, ita vt idem ſit intellectus, & intelligibile, at quomodo aſſumit intelligibile? vtique non ſecundum eſſe reale, quomodo ſit ipſum intelligibile? certe non in eſſe reali, igitur in eſſe intelligibili, atque ideo quoniam ſpeciem, formam, & ſimilitudinem rei intellectæ in ſe habet; ſimiliter cum cognitio fiat per ſimilitudinem, ſimile namque ſimili cognoſcitur ex primo de Anima 26. & 33. in naturis poſitiuis loquendo, & quæ primo cognoſcantur, ſcio enim priuationes per earum contraria, hoc eſt, per affirmationes cognoſci, ex tertio eiuſdem 25. certe nulla ſimilitudo eſt rei materialis ad extra vt ſic cum ipſa anima, requiritur itaque eius ſimilitudo, ac ſubinde eius intelligibilis ſpecies.

Ariſtotelis loca pro ſpeciebus intelligibilibus conſtituendis.

Nec te moueant duæ Ariſtotelis auctoritates, quæ à nonnullis conſueuere adferri ex quinto, & ex 14. eiuſdẽ tertij de Anima, vtrobique enim ait Philoſophus, intellectum nihil eſſe actu eorum, quæ ſunt, ex quibus videtur, vt nulla apud ipſum ſit ſpecies; Sed tantũ abeſt, vt ſpecies ponentibus hæc dicta officiãt, quod maxime faueant, nam vtroque loco addit Ariſtoteles, antequam intelle-

Occurritur nõnullis obiectionibus.

ctus intelligat, eſt enim veriſſimum, ante intellectiones primas, & in ſui principio, vt illo 14. legitur, nihil eſſe eorum quæ intelligit, ſubnectit tamen vtrobique, quod omnia deinde fit, per ſpecies ſcilicet, vt deduximus, quare nil aliud pro ipſis adferunt, quam quod intellectus antequam ſpecies recipiat, nullā habeat ſpeciem. Neque rurſus verum eſt, quod aiunt, obiectum ex ſe illuminatū ob intellectus agentis aſſiſtentiam abſque ſpecie, eſſe de ſe intelligibile, nam quouis modo, & quantūcumque ſit illuminatū, manet adhuc in phātaſia, & nūquam recipitur in intellectu, numquam fit imbibitio obiecti cum potētia, numquam forma lapidis eſt in anima, numquā anima fit omnia, numquā poſtremo intelligens fit intellectum, quę tamen cuncta in intellectione intercedere, dictū eſt. Denique, nihil obſtat quod dicunt, nos non experiri habere has ſpecies, quæ nihilominus ſi in intellectu eſſent, cognoſcerētur à nobis, habes enim latiſſime apud Capreolum ſecundo ſent d. 3. q. 2. ad argumenta permulta contra quartā conclusionem, & præcipue ad ſecundum Durandi, quomodo ex Auctore q. de Veritate decima, ar. 9. vbi quærit, quomodo anima cognoſcat habitus in ipſa exiſtentes, an ſcilicet per eſſentiam ſuam, an per aliquam ſimilitudinē, & ex D. Auguſtino varijs in locis, cognoſcamus nos has ſpecies, & in nobis illas experiamur; Dic vno verbo, ſpecies non comparari ad intellectum, vt obiecta prima, ſed vt ea, merito quorum feratur in obiectum, non enim ſe habent ad ipſum, vt obiectum quod cognoſcitur, ſed vt quo, vt ſcribit Auctor prima par. q. 76. art. 2. ad quartum, & 85. art. 2. per totum, quare non eſt, cur in directa cognitione intelligantur, non enim vt res quædam ſunt, ſed vt imagines formaliter tunc inſpiciuntur, reflexa tamen notitia attingi queunt, dum videlicet intellectus ſupra ſeipſum reflectitur, &c. *Capreol.* *Quomodo ſpecies cōparentur ad intellectum.* *D. Thom.*

At ſi plenius cupias videre neceſſitatem ponendi ſpecies, & quomodo argumenta omnia eorum, qui illas negant diſſoluantur, Capreolum adeas, & loco relato, ad argumenta ſcilicet contra quartam concluſionē, & in primo, diſt. 35. quæſt. prima ad argumenta varia aduerſus primam concluſionem. *Capreol.*

Quod attinet ad alterum, dari videlicet agentem intellectum, id adeo conſpicuum eſt, vt ad aures Ariſtotelis quis loquens, illum non poſſit negare, cum manifeſte tertio de Anima 17. & 18. illum ponat, & eius officia aperiat, & Ariſtotelem omnes ferè ſequuntur, vno fortaſſis excepto Durando in primo ſent. diſt. 3. quæſt. 5. licet Cardinalis Toletus q. ſua 13. ad tertium de Anima concluſione nona, Durandi ſententiam probabilem dicat, motus argumentis iam confutatis ab alijs, & bene, quoniam non tot requiruntur ad volendum, ſeu ad memorandum, ſeu appetendum, quot ad intelligendum; At ſi optas noſſe agentis intellectus neceſſitatem, vide Albertum magnum, Summa de homine, tractatu de intellectu, q. 2. ar. 1. & Auctorem prima par. quæſt. 79. art. 3. & q. de Veritate decima, art. 5. & de Spiritualibus creaturis art. 9. & de Anima ar. 4. & 2. cont. Gent. 77. vbi ultra eius neceſſitatem, omnium quoque ferè argumentorum in contrarium videbis ſolutionem; & nouiſſime Dominicus Banneſius, com. primæ par. loco allegato, & neceſſitatem agentis intellectus, & quomodo varia ſoluantur argumenta patefacit. *Ariſtotel.* *Durandus.* *Toletus.* *Alb. magn.* *D. Thom.* *Bannes.*

His itaque ſuppoſitis, vt videas quomodo accipiatur hæc tertia concluſio, quomodo ſcilicet natura, ſeu eſſentia ſecundum eſſe, quod habet in intellectu ſit vniuerſalis, notabis primo ex Ariſtotele loco memorato tertij de Anima, quod duplex in nobis eſt intellectus, alter dicitur agens, alter patiens, ſiue paſſibilis, & mutuo ſe reſpiciunt, quamuis intellectus agens agat in phantaſmata *Ariſtotel.*

modo breuiter declarando, & agat eliciendo ſpecies, quoniam tamen omnia quæ agit, agit ad id, vt poſsibilis intellectus intelligat, ideo in ordine ad ipſum dicitur agens, & poſsibilis patiens ab ipſo. Non intelligas autem, ideo poſsibilem pati ab agente, vt ab eo fiat, ſiquidem in eſſe rei alter non dependet ab altero, immo ſi debeat pati, præſupponitur quod ſit, ſed patitur vel in eſſe intellectus vt ſic, vel quo ad ſuam operationẽ, quæ eſt intelligere.

Finis functionũ intellectus agentis.

Cur dictus agens.

Dicitur ergo agẽs, quoniam eius eſt omnia facere, omnia ſcilicet, quæ ſunt in potentia intelligibilia, reddere actu intelligibilia, ſic non facit res ſecundum eſſe reale, quoniam neque lumen, cui ipſum comparat Ariſtoteles tertio de Anima 18. facit colores ſecundum eſſe reale, nam & in tenebris conſtituti colores, ſunt vere colores in eſſe rei, ſed eos reddit actu colores, quo ad actum videndi;

Intellectus poſsibilis vnde dictus.

Poſsibilis vero intellectus ideo dictus, quoniam eius eſt omnia fieri, omnia ſcilicet intelligere, & ea fieri in actu ſecundo in eſſe intelligibili; cum enim ex ſui natura in principio ſit à quouis obiecto denudatus, vt ſuperius dicebatur, omnia valet intelligere, cum ſit pura penitus potentia in genere intelligibilium, veluti in genere entium eſt materia prima, non eſt autem pura potentia in genere entium, vt falſo aliqui ſibi ſuaſum voluerunt, ſiue enim fuerit animæ ſubſtantia, ab ea ſolum formaliter diſtinctus, vt tuetur Scotus 2. ſent. d. 16. quæſt. vnica, ſiue realiter ab illa diſtinctus, vt ſuſtinemus nos à Magiſtro noſtro edocti prima par. q. 77. art. 1. patet vtroque modo eſſe actũ quendam, quod & adumbraſſe videtur Ariſtoteles, dum illo 17. eum appellat differẽtiam, aut virtutẽ animæ; & Auer. idipſum docet com. 4. eiuſdẽ tertij, vocans illum differentiam, ac virtutem.

Scotus. D. Thom. Ariſtotel. Auerroes.

Dicitur autem poſsibilis hic intellectus, & in ordine ad intellectum agentem, & quoniam ſemper ſi debeat intelligere, oportet vt patiatur ab obiecto, paſsione non deſtructiua ſed perfectiua, ſemper enim dum intelligit perficitur, cum eius motus non ſit actus imperfecti, ſed perfecti ex illo tertio de anima 28. Noſtrum vero intelligere licet ſit quoddam pati, ex eodem libro textu 12. non tamen eſt pati formaliter, ſed cauſaliter, vt eleganter nimis docebat Caiet. prima par. quæſt. 79. ar. 2. quod eſt dicere, cauſari poſsibilis intellectus intellectionẽ, ex paſsione, qua non per accidens, ſed per ſe patitur ab obiecto, ſemper enim, & tunc ſolum, quando patitur ab obiecto, intelligit, loquendo antequam receperit ſpecies, ſeu de intellectu nudo, vbi enim eſt iam actuatus, ſiue informatus ſpeciebus, non eſt amplius neceſſe, quod patiatur ab obiecto, ſi velit ea intelligere, quorum apud ſe ſpecies habet,

Caietanus.

Quomodo noſtrum intelligere ſit pati cauſaliter.

Quomodo nõ pati formaliter.

non eſt autem pati formaliter, quoniam nedum patitur intelligẽdo, ſed & agit, nam in ſeipſo producit intellectionem, & non ſolum actiue ad intellectionem concurrit ratione partis, neque ſolum ex eo quod iam ſpeciem tenet intelligibilem, ſed ſe toto, eſt namque intellectus in actu intelligibile in actu, tranſiuit enim in ipſum intelligibile, & ipſum intelligibile imbibitum fuit quodammodo, vt vtar voce Caietani in ipſo intellectu, & profunde dicebat Themiſtius tertio de Anima cap. 25. quod intellectus intelligẽdo, quaſi vertit ſe in ea, quæ intelligit, ſic ſe toto agit, factus eſt enim vis quędam animalis in actu, atque ideo ſe toto operans, quamuis ratione partis recipiat intellectionem, ratione ſcilicet ſui, vt eſt condiſtinctum quid ab intelligibili, quoniam vero eſt quædam potentia, & omnis potentia vt ſic reſpicit obiectum ſuum, ideo ab obiecto ſumit ſpeciem, & dicitur ſimpliciter potentia paſsiua, at non pure, modo inſinuato, qui viris ſaltem acutis ſufficiens eſt, neque enim hic locus apparet, in quo hæc minutatim perſequamur.

Themiſt.

Quid ſpectet potentia.

Nota ſecundo, quod aliquid poteſt eſſe in intellectu duobus modis, ſubiectiue ſcilicet, & obiectiue, tunc quidpiam eſt primo modo in intellectu, quando eſt in ipſo tamquam in ſubiecto, vt vox ipſa ſonat, ita ſcientiæ, ita ſpecies intelligibiles, ita habitus ſunt in intellectu, tunc autem eſt ſecundo modo, quando ipſi intellectui obiicitur, & eius actum terminat, quando enim ipſe intelligo lapidem, lapis eſt obiectiue in intellectu meo, non autem ſubiectiue, niſi eius forma, &c.

Quando quid ſit in intellectu ſubiectiue.

Quando obiectiue.

Nota tertio, duplex eſſe vniuerſale, alterum in repræſentando, alterum in prædicando, & illud eſt, quod repræſentat rem vniuerſalem, hoc eſt, naturam abſque conditionibus, ſiue principiis, quæ ipſam reddunt indiuidualem, hoc vero eſt, quod prædicatur de multis, tamquam de partibus ſuis ſubiectiuis, vt genus, ſpecies, &c. quod plane eatenus eſt vniuerſale, pro quanto vt obiicitur intellectui, non eſt impoſsibile, vt de multis prædicetur; Quæ impoſſibilitas, vel non repugnantia triplex eſſe poteſt, vel primo quod illa multa actu ſimultaneo ſint in rerum natura, veluti animal, quippe quod obiectum intellectui dicitur de leone, equo, boue, quos conſtat eſſe in rerum natura, quod vniuerſale vocabat Auctor prima par. quæſt. 13. artic. 9. & ſecundum rem, & ſecundũ rationem, quoniam natura illa ſenſitiua eſt in pluribus, nedum quatenus eſt obiecta intellectui, (quod eſt eſſe vniuerſale ſecundũ rationem,) ſed & realiter, quæ eſt natura vniuerſalis ſecundum rem; vel ſecundo, illa multa de quibus dicitur actu non ſint, poſſint tamen eſſe, vt mons aureus obiectus intellectui, eſt vniuerſale quoddam reſpectu montium ex auro qui non ſunt, & poſſunt eſſe, & poteſt nuncupari vniuerſale ſecundum rationem, (obiicitur namque intellectui res illa vt in pluribus,) & ſecundum rem, ſed ſolum in potentia, quoniam vt dicebatur, non eſt, tamen eſſe poteſt in multis; Vel tertio illa multa, nec ſint, nec poſſint eſſe, vt Intelligentia vnius ſpeciei, Raphael enim obiectus intellectui, eſt vniuerſalis reſpectu plurium, quos neque eſſe, neque poſſe eſſe credimus, quod vniuerſale appellatur ſecundum rationem tantum, quoniam numquam in re ipſa, vel erunt, vel poterunt eſſe plures ſub eadem ſpecie, &c.

Quid ſit vniuerſale in repræſentando.

Quid in prædicando.

D. Thom.

Ratio autem diuerſitatis horum vniuerſalium ea eſt, quoniam fundamentum, quod aliqua natura aliquibus multis realiter communicabilis ſit, eſt inuentio illius naturæ in multis, ita ſi natura inueniatur realiter in multis, fundare poteſt vniuerſale ſecundum rem, fundamentum autem communicabilitatis ſecundum rationem eſt ex parte noſtri intellectus, dum ſcilicet cognoſcitur natura abſque conditionibus indiuidualibus, ita omnis natura ſpecifica, vt intellectui noſtro eſt obiecta, eſt communis pluribus, quoniam non obijcitur vt hæc, ſed vt abſtrahens ab indiuiduantibus; Cumque res omnis quantumlibet immaterialis, prout terminat actum noſtri intellectus, repræſentetur ad modum rerum materialium, (in hoc enim ſtatu conſtitutus noſter intellectus, non niſi materialia per proprias ſpecies agnoſcit,) & res omnis, quatenus abſque conditionibus indiuidualibus relucet, non magis vnum, quam plura indiuidua reſpiciat, id profecto conſequitur, quod res omnis, vt eſt noſtro intellectui obiecta, poſſit dici vniuerſalis iuxta aliquem ex tribus illis modis.

Cauſa, cur aliqua natura ſit multis realiter communicabilis.

Hinc recte cum Caiet. colligo, non eſſe neceſſarium ad hoc vt aliquid actu dicatur vniuerſale in prædicando, quod natura obiecta intellectui referatur actu ad particularia, ſed ſat eſt, ipſam in illa eſſe diſpoſitione, ſecundum quam poſſit, quando ſibi placuerit intellectus relationem ſibi tribuere ad particularia,

Quid ſat ſit vniuerſali in prædicando.

ria, nihil addendo vltra ipſam actualem relationem, ſtatim etenim vt res obiecta eſt intellectui, ſit vniuerſalis, vt innuebam non longe ab initio primæ quæſtionis ad caput præcedens, & vt quæſtione de vniuerſalium exiſtentia explicatius dabo.

Nota quarto, quod res quæ eſt ad extra, eſt obiectiue in vtroque intellectu, poſſibili ſcilicet, & agente, & quidem in agente, quatenus poteſt actu intelligi, iam autem noſti, quo pacto ſit obiectiue in ipſo, quoniam ſcilicet eius actum terminat, nam actus huius intellectus eſt, ea quæ intelligibilia ſunt in potentia, efficere actu intelligibilia, quando itaque aliquid quod potentia tantum erat intelligibile, redditum eſt actu intelligibile, tunc terminauit actum intellectus agentis, & ex conſequenti eſt in ipſo obiectiue.

Quomodo res potentia intelligibilis, fiat actu intelligibilis.

Quomodo autem res illa, quæ potentia ſolum eſt intelligibilis, actu intelligibilis fiat, quicquid multi dicant, dicas tu fieri ex eo quod intellectus agens producit ſpeciem ipſius rei intelligibilis, eam ex phantaſmatibus eliciendo, quippe quæ repræſentat in habitu, vel in actu primo naturam abſque indiuidualibus conditionibus, atque ideo actu intelligibilem, quando ſubtractum ſit id quod prohibebat, ne actu foret intelligibilis, quare non cenſeas eam aliquid vel deperdere, vel acquirere, quaſi ſcilicet intellectus agens aliquid in ipſam influat, vel ab ipſa aliquid ſubtrahat, rudis enim foret hæc intelligentia, ſed intellectus ille facit, vt in re ipſa appareat vnum, & non aliud, natura videlicet, non conditiones indiuiduales, immo vero has occultat: Hoc Caiet. docte vocabat prima par. quæſt. 79. artic. 3. & ſuper tertium de anima cap. 2. ad tex. 18. relucentiam abſtractiuam, facit quippe intellectus iſte, vt reluceat natura, & eandem modo declarato abſtrahit à conditionibus indiuidualibus, illuſtratur autem phantaſma ab intellectu, non formaliter, (illud enim lumen non eſt in phantaſmate, tamquam in ſubiecto,) ſed obiectiue, inſtar coloris, non autem fit hæc illuſtratio penes totum quod eſt in phantaſmate, tunc enim & conditiones indiuiduales relucerent, atque ideo eſſent in propinqua diſpoſitione vt intelligerentur, ſed penes naturam ipſam dumtaxat, & quidditatem, nam conditionibus illis ſicut repugnat, vt a noſtro intellectu intelligantur, ita vt & illuſtrentur; Ita proprie actio hæc vocatur abſtractiua, quoniam eius ope vnum apparet, aliud non, & abſtractio in qua non eſt mendacium, & de qua loquebatur Ariſtoteles ſecundo Phyſ. 18. ſtat proprie in acceptione vnius, & non alterius ſibi coniuncti, ſic prius natura eſt illuſtratum phātaſma, quam actuetur intellectus poſſibilis; Nequit autem quidditas illa in phantaſmate collucens mouere ſufficienter poſſibilem intellectum, niſi ex illo phantaſmate eliciat intellectus agens ſpeciem intelligibilem; cumque & ſpecies intelligibilis, & relucētia illa phantaſmatis ſint effectus luminis ipſius intellectus agentis, conſequens ſit, quod ipſum lumen agentis intellectus ſit primum agens, & immediatum ſpeciei intelligibilis, quoniam inter ipſum, & iſtam, nullum mediat agens.

Caietanus.

Ratio abſtractionis.

Nec te moueat inauditus modus dicēdi inuentus à Zabarella lib. penultimo illorum 30. de Rebus naturalibus, cui titulus eſt de Mente agente, qui cap. 6. docet, abſtractionem fieri à poſſibili intellectu, non ab agente, leuiſſima ratione ductus, quam tamen vocat efficaciſſimam, quoniam abſtractio (inquit) nil aliud eſt, quam ſeparatio vnius ab alijs, & acceptio vnius, non acceptis alijs, ſed intellectus agens hoc nequit efficere in phantaſmatibus, quoniam omnia æque illuminat, & nequit hoc illuminare, non illud, velut lumen, quod picturam

Particulare Zabarellæ cogitatum, cum ſuo fundamento.

rum aliquam ferit, æque colores omnes illuſtrat, nec facit vt vnum abſque alio videatur; Sed ex dictis corruit vndique hæc obiectio, quoniam vidimus, agentem intellectum vere abſtrahere, & ſeparare quo ad relucentiam naturam à principijs indiuidualibus, & quare non omnia quæ ſunt in phantaſmate colluſtret, iam rationem ex Caiet. reddidimus, quoniam obſtat conditionibus materiæ illuminari, velut & intelligi, vnde æque illuminat omnia, quæ illuminationis paſſiuæ ſunt capacia, ſic exemplum de lumine nihil valet, quoniam omnes colores ſunt æque illuminabiles; Quod ſi velit dicere, poſsibilem etiam intellectum abſtrahere, quoniam recipit quidditatem abſque conditionibus materialibus, abundet in hoc modo loquendi, ſed aduertat, quod reuera non abſtrahit, quoniam non accipit vnum abſque alio, ſed totum id quod ſibi in ſpecie offertur ab intellectu agente, in eadem ſpecie intelligit, in qua ſola quidditas relucet; Rurſus aduertat, quod ſi ad abſtractionem vt ſic requiritur vltra prædicta, quod per ipſam res transferatur de ordine in ordinem, vt ipſe auctor eſt in fine eiuſdem capitis, hoc non inuenitur in poſſibili intellectu, quoniam agens id iam effecit, vt ſæpe docet Auerr. vnde abſtractio tribuitur intellectui agenti, & iure, eſt enim actio, quare debet eſſe opus intellectus, qui agat, neque vmquam comperies ab vllo graui philoſopho abſtractionem poſſibili intellectui aſcribi, quin Græci illi, qui eundem intellectum, & poſſibilem, & agentem voluerunt, ſemper tribuerunt poſſibili, vt poſſibilis eſt recipere formas, & ſpecies, agenti vero agere intelligibilia actu, immo hac ſola ratione dicitur agens, & ab Ariſtotele, & ab omnibus quos viderim, &c.

Repudiatur.

Auerroes.

4 Si vero conſideraueris id quod caute, ac diligenter attendendum eſſe dicebat Caiet. loco illo p. p. quod ſcilicet phantaſma nihil prohibet ſecundum diuerſa eſſe reponi in duobus generibus, quoniam ſecundum eſſe reale eſt in genere ſenſibilium, ſecundum eſſe relucentiæ, ſeu repreſentatiuum, eſt in genere intelligibili, differt enim intelligibile formaliter ab intelligibili obiectiue, quoniam illud ſecundum eſſe eſt immateriale, velut ſpecies intelligibilis, & reliqua immaterialia, hoc autem eſt immateriale ſecundum relucentiã tantum, videbis nihil concludere argumenta, quæ contra hunc dicendi modum ſingularem, & non deſpiciendum merito ibi à Caiet. nuncupatum obijcit Ferrarienſis ſecundo cont. Gent. cap. 77. licet & doctiſsimus vir expoſitor primæ partis loco eodem quæſt. videlicet 79. artic. 3. dicat, hanc Caiet. ſententiã ſufficienter à Ferrar. loco relato impugnari; neque quicquam adducitur ab his viris celeberrimis contra Caiet. cui non plene fiat ſatis ex eadem Caietani ibidem doctrina.

Defenditur Caiet. contra Ferrarienſem.

Ad primum namque Ferrar. quando petit, quid intelligatur per apparere in phantaſmate naturam, & non eius ſingularitatem, reſponde, primum membrum illorum trium, quæ interrogat ipſe, nimirum phantaſma repræſentare naturam abſque ſingularitate, quando inquit, hoc non poſſe dari, quoniam quantumuis phantaſma clarum ſit, ac illuſtratum, ſemper eſt in organo corporali, & materialiter, ac indiuidualiter repræſentat, dico hoc falſum eſſe, ſtat enim, quod ſecundum eſſe ſit in genere ſenſibili, at ſecundum relucentiam in genere intelligibili, ſic non eſt materiale in eſſe repræſentatiuo, non enim tunc cõſideratur, quatenus phantaſma vt ſic, ſed prout eſt lumine ſuperioris virtutis, agentis ſcilicet intellectus illuſtratum; adde, quod vltra hæc damus quoque ſpeciem intelligibilem ex eo elicitam ab eodem intellectu agente.

Quãtũuo

Quando ſecundo arguit, quod tunc phantaſma obiectiue illuſtratum poterit mouere poſsibilem intellectum, & eius actionem terminare, velut illuſtrari dicitur color obiectiue, & per lumen actu apparere, & fit potens mouere viſum, & actionem videndi terminare obiectiue, ſic non erit in ipſo phanſmate apparés natura vniuerſalis prius natura, quam ſpecies cauſetur in poſsibili intellectu, ſiquidem in illo priori erit terminata actio poſsibilis intellectus; At ſoluitur ex eadem doctrina, quoniam non eſt in ea actiuitate, vt mouere queat intellectum poſsibilem natura illa in phantaſmate, ſed requiritur ſpecies intelligibilis, velut & à colore illuſtrato emittitur ſpecies ad oculum, quare argumentum hoc pugnat cum ſuo auctore, ſicut enim color illuſtratus nequit terminare viſionem, niſi ſpecies ipſius ad facultatem videntem emittatur, (fit quippe viſio per intus ſpecierum ſuſceptionem, vt plene docet Ariſtoteles de Senſu & ſenſili cap. 2. contra Platonem, qui in Timeo dicebat fieri per emiſsionem luminis ob oculo,) ita licet phantaſma ſit illuſtratum, requiritur tamen ſpecies intelligibilis, ſi debeat intellectus poſſibilis intelligere, neque ponitur phantaſma illud obiectiuum adeo in illo priori illuſtratum, vt poſſit actum intellectus poſſibilis terminare, tunc enim redundaret ſpecies intelligibilis, ſed iccirco dicitur illuſtratum, quoniam appatet natura, & non conditiones indiuiduales; Sed & admiſſo diſputationis gratia id quod ex veritate non eſt admittendum, quod ſcilicet quidditas illa relucens in phantaſmate modo dicto, foret vnà cum intellectu agente ſufficiens motiuum ad intellectionem cauſandam, adhuc manet ſpeciei neceſſitas, vt ſcilicet intellectum ſit intra intelligentem, vt intellectus fiat idem, quod res intellecta, & ei intime vniatur, quæ nulla via poſſe abſque intelligibili ſpecie euenire, ex dictis conſtare arbitror.

Ariſtotel. Plato.

Similiter patet reſponſio ad argumentum recentioris illius, quod tamé non eſt aliud à primo Ferrar. ait enim, quidditatem illam relucentem in phantaſmate non eſſe perceptibilem ab aliqua potentia, quoniam neque à cogitatiua, vt ibidem Caiet. docet, (cogitatiua enim adæquat phantaſma, vt phantaſma, non autem vt eſt illuſtratum ſuperiori lumine, vt contingit in homine, vnde & phantaſma dormientis non eſt actu intelligibile, ſed tunc tantum, quando in actu relucet per lumen intellectus agentis,) neque ab intellectu, quoniã obiectum intellectus debet eſſe immateriale, illa vero quidditas vt eſt etiam ſub tali illuſtratione eſt ſenſibilis in eſſe ex eodem Caiet. &c. At dum dicitur illa natura eſſe ſenſibilis in eſſe, colligitur reſponſio, quoniam mox additur, quod eſt immaterialis quo ad relucentiam, & in eſſe repræſentatiuo, ita tamen, vt ſi debeat terminari actus intellectus poſsibilis, requiratur ſpecies modo declarato: Sic & alia motiua in ſecundo dubio, quod format ad eundem articulum hic Doctor colliduntur; nihil enim obſtat, quod ſit in phantaſmate corporeo hæc quidditas, quoniam non ponitur immaterialis in eſſe, ſed in repræſentari, (prope eſt vt pigeat idipſum toties repetere,) ſic ſoluitur primum, & ita quo ad relucentiam ponitur in ordine intelligibilium, & transfertur ab ordine ſenſibilium, ſic perit ſecundum, neque eſt ita actu intelligibilis, vt abſque ſpecie poſsit mouere poſsibilem intellectum, & non ponitur fruſtra tale actu intelligibile ante ſpeciem, quoniam ſic ſternitur via, vt intellectus agens eliciat ſpeciem ab illo phantaſmate, in qua reluceat ſola natura abſque códitionibus indiuidualibus; rurſus non ponitur, vt ab eo patiatur intellectus poſsibilis abſque ſpecie, ſic frangitur tertium, & vltimum; Ex quibus & illud patet, non

Defenditur itidem contra graué Auctorem modernum.

eſſe

eſſe contra Caiet. id quod Illuſtriſſimus Toletus quæſt. illa tertia decima tertij de Anima tamquam quintam concluſioné ſtatuit, non eſſe ſcilicet ſatis, intellectum agentem producere lumen illud ſecundum actum apparentię ab externo tantum, nam vltra hoc ponitur ſpecies, & ea interueniunt, quæ recenſuimus, &c.

Toletus.

Et quidem intellectus intelligendo materialia, intelligit res, vel non, hoc ſecundum non eſt dicendum, tunc enim non intelligeret, ſi itaque intelligat res, certe ſunt materiales, vel itaque fiunt vniuerſales, vel non, vtique fiunt, quoniam nequit intellectus noſter directe agnoſcere ſingularia, vel fiunt vniuerſales in eſſe, vel in repræſentari, non primum, quoniam nulla natura eſt in natura vniuerſalis, ergo ſecundum, ergo remanent res in ſeipſis ſingulares, & materiales, at intelliguntur vt depuratæ ſunt à conditionibus indiuidualibus, ſemper ergo obiecta intellectus noſtri ſunt in eſſe materialia, & tamen hoc adducunt iſti, quaſi argumentum validum contra hanc Caiet. doctrinam. Conformis quoque eſt via hæc doctrinæ, quam ponimus de cognitione noſtri intellectus, cum enim cognoſcat intellectus id, quod ſibi per intelligibilem ſpeciem offertur, apparet ipſum cognoſcere vniuerſalia tantum, quoniam ſpecies elicitur ab intellectu agente ex illo phantaſmate, non quatenus in ipſo eſt tota natura cum indiuidualibus affectionibus, ſed quatenus lucet ſola natura, (iam enim præceſſit ordine naturæ actio illa intellectus agentis, per quã ſplendeſcit natura ſola, & non cõditiones indiuiduales,) ſic ſpecies ſolum naturam offert, & non ſingularitatem, vt dicebatur quæſtione de cognitione ſingularium inter reſpondendum ad argumenta ſecundo loco poſita.

Confirmatur Caietani doctrina.

Sic itaque patet, quomodo natura, & res ad extra, quæ eſt intelligibilis ſolum in potentia, fiat intelligibilis in actu, quoniam per actionem intellectus agentis, ad quem id ſpectat modo declarato. Neque enim eſt vt impugnem alias vias, quibus functiones intellectus agentis explicantur, tum quoniam hæc non de totali induſtria in præſentia verſor, (licet quæ dixerim, ex vera ſententia dixerim,) tum quoniam prouincia mihi non eſt alios impugnandi, tum demum, quoniam mihi nunc ſufficit oſtendere viam quam ſequor, nulla premi difficultate.

Ex his notabis quinto, quod actio intellectus agentis duos terminos reſpicit, & alter quidem eſt ſpecies ipſa, quam elicit intelligibilis, alter vero eſt res cuius eſt illa ſpecies, quippe quæ res non fit ſimpliciter, ſed reddita eſt actu intelligibilis, quæ prius erat ſola potentia, ſpecies autem ipſa ſi proprie loqui velimus non apparet mihi, quod fiat actu intelligibilis ab intellectu agente, ſed potius ab illo dicenda eſt produci; non enim ſub aliqua ratione præceſſit, & deinde ab agente intellectu aliquid acquiſiuit, vt dicatur ſub aliqua ratione, de potentia ad actum tranſire, ſed ſimpliciter producta eſt; Inter terminos autem agentis intellectus non pono abſtractiuam illam relucentiam, hæc enim eſt potius via ad terminos, quam terminus, adde, quod clauditur ſub re ipſa facta intelligibili, modo expoſito; primus terminus vt cõſtat eſt ad intra, (non enim ſpecies ſunt, niſi in intellectu,) ſecundus vero, ad extra, res ſcilicet ipſa, quæ nihil reale ex hoc acquirit, ſed denominationem ſolum de nouo extrinſecam, ob quam ſcilicet dicitur eſſe actu intelligibilis, velut dum contemplor parietem, nihil reale ex mea contemplatione ei prouenit, ſed denominatio tantum extrinſeca, qua dicitur à me viſus, qui prius non dicebatur. Quare cum duos terminos ponamus actioni ipſius agentis intellectus, ex Caiet. doctrina,

Termini actionis intellectus agentis.

Quid obijciat Caietano Mercenarius.

ctrina, varie prorſus Archang. Mercenar. primo ſuarum dilucidationum volumine, dum aperit modum operandi intellectus agentis, tribuit Caiet. vt dixerit intellectum agentem nihil agere in phantaſmatibus; Quamuis enim nihil eis imprimat (vt & ipſe Mercenar. docet,) attamen ſpeciem ex eis elicit intelligibilem, eaque modo memorato illuminat; neque hoc eſt dicere, quod agat abſque actione, cum interueniat actio illa abſtractionis, manifeſtationis naturæ, & occultationis indiuidualium conditionum; Sed neque aliam vltra iſtas actionem tribuit ipſe Mercenar. agenti intellectui, niſi quod vult, vt ipſe intelligat, ſentit enim, quod idem intellectus ſit & agens, & poſſibilis, dicens fabulam eſſe, ac figmentum multiplicare hos intellectus, at cum id non probet, deprehenditur potius ipſe figmentum commentari, nec oportet me de omnibus ſolicitum eſſe; Supponamus nos cum Auctore prima par. quæſt. 79. artic. 10. eſſe potentias duas realiter diſtinctas, & iure, quoniam poſſibilis cum ſit pura potentia in genere intelligibilium, vt patuit, nequit ſe in actum reducere, indiget itaque alia virtute à ſe, quæ illum in actu reducat, ſed & Ariſtoteles illo 18. tertij de Anima numerat duos intellectus, & eis oppoſita tribuit munera, & alterum vocat efficiens, alterum materiam, nequit autem agens eſſe vnum numero cum materia, nam recenſens Ariſtoteles ſecundo Phyſ. 70. quæ cauſæ coincidant, meminit formæ, efficientis, & finis, non materiæ; omnes quoque Græci, & Arabes antiquiſſimi Ariſtotelis interpretes varia adeo, atque contraria de his intellectibus ſemper tradiderunt, vt manifeſtiſſime quiſquis colligere poſſit realem inter ipſos ex eorum ſententia eſſe diſtinctionem, quorum placita cap. ſexto, quæſtione quarta innuemus; At hic non eſt locus, vbi diſtinctio horum intellectuum data opera definiatur, & variæ vtriuſque operationes diligentius examinentur.

Defenditur Caietanus.

D. Thom.

Ariſtotel.

Redeuntes igitur dicamus, quod illa eadem res, quæ prout erat actu intelligibilis, terminabat intellectum agentem, dum actu intelligitur, terminus eſt intellectus poſſibilis, & obiectiue eſt in ipſo, eius actum qui eſt intelligere terminans; Intelligitur autem, ex eo quod ſpecies illa ex phantaſmate ab intellectu agente extracta, in ipſo intellectu poſſibili recipitur, & tunc intelligitur in habitu, & actu primo, conſtitutus vero idem intellectus in actu illo per ipſam, aliam deinde exprimit ſpeciem in ſeipſo, (ſic non eſt amplius intellectus pure poſſibilis, & paſſiuus, ſed & actiuus,) quæ vocatur ſpecies expreſſa, ſeu conceptus formalis, & tunc actu ſecundo, & perfecto intellectus intelligit, & neceſſaria eſt hæc ſecunda ſpecies, ſi perfecta debeat adeſſe intellectio, quæ tamdiu perſeuerat, quamdiu manet actualis intellectio, & intellectione deficiente, deficit & ipſe conceptus vt ſic, in actu ſcilicet ſecundo, nil enim prohibet, quod tranſeat vt ita loquar in ſpeciem impreſſam, & ſic res illa maneat in intellectu intellectione peracta, & ſit comprincipium alterius intellectionis, quæ prius fuit terminus alterius, ſic mille ſpecies poſſum ego habere in meo intellectu, vnicum tamen formalem conceptum vt ſic; Eapropter & actioni poſſibilis intellectus duos terminos aſcribemus; conceptum ſcilicet hunc, quem format, quem conſtat eſſe terminum ad intra, & rem ipſam actu intellectam, quæ eſt terminus ad extra, quæ nil aliud & ipſa acquirit, quam extrinſecam illam denominationem, qua dicitur actu intellecta, & relationem, qua refertur ad intellectum, intellecti ſcilicet ad intelligens.

Quomodo quidpiã à noſtro intellectu intelligatur.

Termini poſſibilis intellectus.

Siquidem veluti dum in effectu fit aliqua forma, (eo modo quo fit for-

ma,)

ma;) videmus materiam in qua recipitur forma, & agens in cuius virtute forma illa extrahitur ex aliqua alia materia, & formam ipſam, & demum cõpoſitum ipſum reſultans, ita ſeruata proportione, & modo ſuo, in intellectione inſpicimus materiam ex qua extrahitur forma intelligibilis, quæ materia eſt phantaſma, videmus formam illam extractam, quæ eſt ſpecies intelligibilis, intuemur agens ſua virtute extrahens formam, quod eſt intellectus agens, cernimus aliam materiam in qua recipitur forma, & hæc eſt intellectus poſſibilis, denique inſpicimus id quod prouenit, quod eſt ipſe intellectus in actu, factus vnum, & idem cum re intellecta.

Similitudo inter productionem rei in eſſe reali, & in eſſe intelligibili.

Neque proportio hæc videatur tibi omnino inepta, nam & Plato dialogo de Reſpub. ſexto, actum intelligendi generationem, & partum docte vocabat, quod & latius in Theeteto ex Socratis perſona adumbrauerat. Differentias vero inter id quod prouenit ex receptione ſpeciei intelligibilis in intellectu, & formæ in materia, ſcite aperiebat Caiet. prima par. quæſt. 14. artic. 1. & 79. artic. 3. & adeſt celebris illa Auer. propoſitio, quod Ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quam ex materia & forma, vt legis apud ipſum tertio de Anima com. 5. & latiſſime examinatur à Ianduno quæſt. 11. eiuſdem libri, at de his alias.

Plato.

Caietanus.

Famoſa Auerrois propoſitio.

Ex his elice differentiam, & conuenientiam inter rem, quando eſt obiectiue in intellectu agente, & quando eſt in intellectu poſſibili, conuenientia quippe eſt, quod quatenus terminat actum vtriuſque intellectus, eſt repræſentata abſque conditionibus indiuidualibus, & ex conſequenti abſtracta ab hic, & nunc; differentia vero eſt, quoniam vt terminat actum poſſibilis intellectus, nedum eſt actu intelligibilis, ſed & actu intellecta, aliàs neque terminaretur actus poſſibilis intellectus, neque adeſſet intellectio, vt autem terminat actum intellectus agentis, eſt quippe actu intelligibilis, cum non adſint ea, quæ intelligibilitati obſtant, non tamen eſt actu intellecta, quóniam tunc non intelligitur adeſſe poſſibilis intellectus, &c.

Nunc tandem poſt tot, quæ præmiſimus, accipe varios ſenſus huius tertiæ aſſertionis, qua dicitur, Natura quatenus eſt in intellectu eſſe vniuerſalis, & prior ſit, Natura prout terminat actum intellectus agentis, vel prout eſt in ipſo obiectiue, eſt vniuerſalis in prædicando, & patet hic ſenſus, tunc enim natura eſt abſtracta à conditionibus indiuidualibus, ergo ſibi vt ſic non repugnat dici de pluribus, ergo eſt vniuerſalis in prædicando, patent hæ illationes ex ijs, quæ præmiſimus; ſecundus ſenſus eſſe poteſt, Natura quatenus eſt in intellectu poſſibili recepta, ſecundum ſcilicet eſſe ſuum in illo ſubiectiuum, eſt vniuerſalis in repræſentando, tunc enim nihil aliud eſt, quam ſimilitudo immaterialis, quæ naturam ipſam à ſingularibus abſtractam repræſentat, tunc inquam nihil aliud eſt, quam ſpecies intelligibilis, vel impreſſa, vel expreſſa, (vtraque enim eſt, quoniam vtraque in noſtro intellectu eſt neceſſario ponenda,) & vnam, ac alteram, conſtat puram referre naturam ſine illis, quæ eandem indiuiduam conſtituunt; Tertius ſenſus eſſe poterit, Natura ſecundum eſſe quod habet in eodem intellectu poſſibili obiectiue, eſt vniuerſalis in prædicando, qui ſenſus eodem modo patet, quo primus; Non meminit auté Caiet. de eſſe repræſentatiuo vniuerſali naturæ in intellectu agente, vel forſan, quoniam id tamquam clarum ſuppoſuit, dum enim dixit, naturam illam eſſe vniuerſalem in prædicando, ſupponitur, quod prius ſit

Quotupliciter natura, quæ eſt in intellectu, ſit vniuerſalis.

Prætermittit quæ fieri poſſet obiectiuè.

vniuerſalis in repræſentando; numquam enim poſſet ſibi ineſſe dici de pluribus, niſi quatenus obiecta, inſpiceretur abſtracta ab hic, & nunc, & ab indiuiduantibus ipſam, & ſubinde ad omnia æqualiter ſe habens, & plurium vt in ea conueniunt expreſſiua, vnde neque de ipſa quo ad eſſe obiectiuum reſpectu poſſibilis intellectus locutus eſt, vt ſcilicet vniuerſalis ſit in repræſentando, de eſſe vero ſubiectiuo in intellectu agente nihil eſt, quod dicatur, quoniam ſpecies intelligibilis nullibi eſt ſubiectiue, præterquam in intellectu poſſibili, Vel forſan, quoniam natura ſecundum eſſe obiectiuum in intellectu agente non eſt vniuerſalis in repræſentando, quoniam repræſentatio importare videtur quandam habitudinem ad cognitionem, & intellectionem, nam res repræſentatiua nedum eſt alicuius, ſed & alicui repræſentatiua, intellectus vero agens non cognoſcit, quare relatione ad ipſum nequit vocari natura repræſentatiua, cum potiſsimum ſpecies ipſa intelligibilis, quamuis in eſſe rei ſit terminus intellectus agentis, vtpote ab ipſo ex phantaſmate elicita, tamen in eſſe repræſentatiuo eſt potius dicenda via, & medium quoddam, nam ad poſsibilem intellectum, cui repræſentet, tandem dirigitur, &c.

Quid dicat repræſentatio.

Dubium. Quod ſi dicatur, pari ratione non poſſe dici natura, vt eſt obiectiue in intellectu agente vniuerſalis in prædicando, quoniam vt dicatur de pluribus, comparanda eſt ad ea, de quibus dicitur, quod nequit eſſe, niſi ope intellectus poſsibilis, Dico hoc falſum eſſe, iam enim dixi, naturam ad hoc vt ſit vniuerſalis in prædicando, non requirere, vt actualiter referatur ad particularia, ſed ſat ſibi eſſe, vt ſit in illa diſpoſitione, ſecundum quam poſsit intellectus dum voluerit conferre ſibi relationem illam ad inferiora, vt videbitur tamquam proprio loco, quæſtione de vniuerſalium exiſtentia; conſtat autem, in illa eſſe diſpoſitione, quatenus terminat actum intellectus agentis, cum fuerit iam ab ipſo abſtracta ab ijs, quæ indiuiduam illam efficiunt; repræſentare vero, præſeferre videtur actualem relationem ad id cui ſit repræſentatio; At ſi quis vellet confugere ad repræſentationem quoque in radice, ſeu fundamentalem, tunc primam quam reddidi cauſam eligat, &c.

Soluitur.

Et quamuis hac natura intellecta, &c.

CIrca ſecundum errorem in quarta parte, vbi videbatur colligi poſſe, ſpeciem dici de indiuiduo, ſeu de Sorte, atque Sortem, ſeu indiuiduum eſſe ſpeciem, quoniam ſpecies dicitur de homine, & homo dicitur de Sorte, quod autem prædicatur de prędicato, prędicatur & de ſubiecto, &c. Præter ea quæ ibi ex Auctore in literæ enumeratione diximus, potes colligere reſponſionem formalem ad argumentum ex doctrina Caiet in hac parte, dicendo, quod aliquod prædicari de ſubiecto cõtingit dupliciter, vno modo formaliter, ſecundũ quod prædicatũ prædicatur de aliquo, (eſſe enim prædicati vt ſic, ſtat in dici de,) & ſic verum eſt, quod quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto, at tunc falſa eſt minor ſubſumenda, quod ſcilicet prædicatũ hominis, quod eſt ſpecies, prædicetur vt ſic eo modo, quo prædicatum Sortis, quod

Caietanus. *Duplex prædicatio.* *Eſſe prædicati.*

quod eſt homo dicitur de Sorte, nam ſpecies dicitur de homine, quatenus homo habet eſſe in intellectu, dicitur autem homo de Sorte, ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem, ſic non prædicatur vt prædicatum, & ſi eodem modo prædicaretur, concluderet argumentum, quoniam enim animal ſecundũ illud prædicatur de prædicato Sortis, ſcilicet de homine, ſecundum quod homo prædicatur de Sorte, prædicatur inquam vt prædicatum, (nam vt homo dicitur de Sorte, ſecundum eſſe ſuum abſolutum, & quidditatiuum, ita & animal de homine,) ideo bene ſequitur, Sortes eſt homo, homo eſt animal, ergo Sortes eſt animal: Alio modo ſtat, quod prædicatum prædicetur de prædicato, non vt prædicato, hoc eſt, non formaliter, & ſecundum eam rationem, ſecundum quam illud prædicatum dicitur de ſuo ſubiecto, velut in propoſito, ſpecies prædicatur de homine, non eo modo, quo homo prædicatur de Sorte, vt patuit, & ſic vera foret minor, quod ſcilicet ſpecies dicitur de homine, & hic de Sorte, at falſa maior, quod ſcilicet quicquid hoc modo dicitur de prædicato, dicatur & de ſubiecto, quare numquam aliquid poteſt concludi, cum in vno ſenſu ſit vera maior, falſa minor, in alio vera minor, falſa maior.

Quomodo ſpecies dicatur de homine. Quomodo homo de Sorte.

Sed & aliter potes dicere, valere nimirum argumentationem propoſitam, & regulam illam de modo prædicandi, quando non variantur termini, eiſdem enimuero eodem modo, (hoc eſt, nedum in voce, ſed & in re) manentibus terminis, tenet regula illa, & quicquid dicitur de prædicato, dicitur & de ſubiecto, at ſi fiat variatio in terminis, modus arguendi non tenet, ſic autem eſt in propoſito, nam quando dicitur, Sortes eſt homo, ly *homo* ſtat pro ſuppoſitione perſonali, quando autem dicis, Homo eſt ſpecies, ly *homo* ſtat pro ſuppoſitione ſimplici, & non pro hoc homine, quod ſi pro eodem ſupponeret *homo* vtrobique, valeret modus arguendi, at cum varietur, nulla eſt argumentatio.

Quando quod dicitur de præ dicato, dicatur de ſubiecto.

Circa tertium errorem in eadem quarta parte obſerua, argumentum quod contra determinata poſſet moueri, ſic poſſe formari, Genus per ſe prædicatur de ſpeciebus, ergo conuenit ipſis, ergo ſpecies erit genus, ſic homo, leo, erit genus, antecedens patet, quoniam illa eſt generis definitio, prior conſequentia probatur, non enim fieri poteſt, vt aliquid per ſe de aliquo prædicetur, & illi non conueniat, poſterior etiam conſecutio patet, ſi enim genus conueniat ſpeciei, & ſit pars ſuæ definitionis, & quæuis pars definitionis dicatur in recto de definito, ergo certe ſpecies erit genus. Vt hanc obiectionem plene diluas, nota cum Caietano in præſenti, quod prædicari ſumitur dupliciter, formaliter ſcilicet, & fundamentaliter, prædicatio formaliter eſt illa relatio, quam inuenit intellectus inter ſubiectum, & prædicatum propoſitionis, fundamentaliter, eſt coniunctio rei ſubiectæ cum re quæ prædicatur, vt in hac propoſitione, *Homo eſt animal*, prædicatio formaliter eſt illa relatio inuenta ab intellectu inter hæc tria *homo, eſt, animal*, facit enim vt *Homo* ſit ſubiectum, *eſt*, ſit copula, & *animal*, ſit prædicatum, prædicatio autem fundamentaliter eſt coniunctio hominis cum animali, quæ prædicatio ideo dicitur fundamẽtalis, quoniam eſt fundamentum prædicationis formalis, niſi enim cerneret intellectus hominem eſſe animal, hoc eſt, hominem coniunctum cum animali, non formaret hanc enunciationem, (ſi vera futura ſit,) homo eſt animal, non tribueret inquã relationes illas ſubiecti, prædicati, & copulæ. Vt enim legitur apud Platonem in Parmenide, circa ſextam ſuppoſitionem, oportet rem ſe habere eo modo quo dicitur, niſi enim ſic ſe haberet, haud quaquam vera diceremus. Genus quoque ipſum dupliciter, ac ſimiliter capitur, formaliter ſcilicet, & fundamen-

Caietanus. Qualis ſit prædicatio formaliter, & fundamentaliter ſumpta.

Vnde dicta prędicatio fundamentalis.

Plato.

Quid ſit genus fundamentaliter, & formaliter.

damentaliter, & quidem fundamentaliter, eſt ipſa natura, puta ſenſitiua, &c. formaliter vero, eſt illa relatio, quam tribuit intellectus illi naturæ ſenſitiuæ, vbi vidit eam indifferenter ſe habere ad ſpecies plures, tribuit inquam illi relationem generis, & hoc eſt, quod habes in litera, intellectum tribuere naturæ intentionem prædicabilitatis, & iure hæc natura dicitur eſſe genus fundamentaliter, eſt enim ratio, cur intellectus faciat vt ita dicam genus formaliter, tribuendo ei relationem illam, niſi enim eſſet in pluribus, & ad multa ſe indiſcriminatim haberet, non conferret ei intellectus intentionem illam prædicabilitatis, ſic dicitur in litera, *Prædicatio enim eſt quoddam, quod completur per rationem intellectus componentis, & diuidentis, habens tamen fundamentum in re*, Non ergo pendet omnino prædicatio ab intellectu, quoniam fundamentum eſt in re, ſed completur per intellectum, pendet formaliter, non fundamentaliter, nam eſſe fundat prædicari, & dici de fundatur ſuper eſſe in, loquendo ſemper de vniuerſali ſecundum rem, & ſecundum rationem; Et quod aperimus per has voces *fundamentaliter*, & *formaliter*, per alias quoque poſſumus explicare, *remote* ſcilicet, & *proxime*, natura enim remote prædicatur, (quatenus ſcilicet fundat prædicationem) genus autem proxime.

Quod dictum eſt de genere, eodem quoque modo eſt prorſus de ſpecie accipiendum, nam ſpecies formaliter eſt illa relatio, fundamentaliter eſt natura, &c.

Quot modis aliquid prædicetur de ſpecie.

Rurſus, aliquid dicitur prædicari de ſpecie dupliciter, vno modo, tamquã res denominata prædicabilis de ſpeciebus, & ita animal dicitur de leone, boue, &c. alio modo, vt id quo res denominatur prædicabilis de ſpeciebus, & ita genus in cuius definitione ponitur prædicari de ſpeciebus, de ipſis prædicatur, niſi enim animal eſſet genus, non diceretur formaliter de ſpeciebus, hoc eſt, non referretur ad ipſas, cum genus ſit formaliter illa relatio, vt ex dictis innoteſcere poteſt.

Appoſitũ Caietani ſimile.

Dat exemplum accommodatum Caiet. & hoc in loco, & ſuper Porphirii cap. de genere; ſicut enim aliquid dicitur diſgregatiuum viſus dupliciter, vno modo, tamquam id quod denominatur diſgregatiuum viſus, quo modo nix dicitur diſgregare viſum, (eſt enim res quæ diſgregat,) alio modo tamquam id, quo res denominatur diſgregatiua viſus, quo modo albedo eſt viſum diſgregans, cũ in ſui definitione, ſeu deſcriptione ponatur illa diſgregatio, niſi enim nix eſſet alba, non diſgregaret, & velut res quæ definitur per diſgregare, eſt albedo, & non nix, res autem denominata diſgregatiua, eſt nix, & non albedo, ita quod ad nos attinet, res definita per prædicari de ſpeciebus, eſt relatio generica, res autem quæ denominatur ita prædicabilis, eſt natura, quæ ſubeſt relationi, puta animal, & hæc natura vocari valet prima intentio, relatio vero illa, ſecunda intentio, quo modo ea vocabat Alenſis prope finem expoſitionis 47. ſeptimi Diuinorum.

Res definita prædicabilis de ſpecie.

Alenſis.

Res ergo definita per prædicari, eſt genus formaliter, non fundamẽtaliter, eſt enim relatio illa, non natura, res vero quæ denominatur prædicabilis eſt genus fundamẽtaliter, non formaliter, eſt enim natura, nõ illa relatio; Idẽ omnino ſentiendũ eſt de ſpecie ad indiuidua, vt nullo labore poteſt quiſquis applicare. Sic dicitur in litera, *Ratio prædicabilitatis poteſt claudi in ratione huius intentionis, quæ eſt genus*, (ponitur quippe in ſui definitione,) *nihilominus id cui intellectus intentionem prędicabilitatis attribuit*, (id ſcilicet, quod denominatur prædicari,) *non eſt ipſa intentio generis*, (non eſt vtique illa relatio,) *ſed po-*

tius id cui intellectus intentionem generis attribuit, dicitur namque natura ipſa genus, &c.

Ita demum colligere licet reſponſum ad obiectionem, quæ facta eſt, quoniam ſi ſit ſermo de eo, quod per ſe prædicatur de ſpeciebus, vt id quod denominatur prædicari, non eſt verum antecedens, quod ſcilicet hoc modo genus per ſe dicatur de ſpeciebus, non enim vt vidimus dicitur de ipſis, tamquam res denominata, ſed tamquam res definita, ſic quando infertur, ergo conuenit ipſis ſpeciebus, negatur, quoniam quod prædicatur per ſe tamquam ratio denominandi, vt illud ſcilicet merito cuius res denominatur, non conuenit illis, de quibus dicitur; Sic cum genus ſit id, quo res denominatur prædicabilis, ideo non conuenit ſpeciebus, ideo homo non eſt genus; Si ergo ſermo ſit de prædicatione de pluribus tamquam rei definitæ, conceditur antecedens, & negatur conſequentia, ſi autem de prædicatione illius, quod denominatur prædicabile, negatur antecedens, & conceditur conſequentia.

Sed vnico verbo hanc doctrinam claudes cum Caiet. ſi dixeris, quod aliquid prædicatur de ſpeciebus dupliciter, formaliter ſcilicet, & denominatiue, quod formaliter prædicatur de ſpeciebus, eſt genus, quod denominatiue, eſt animal, de eo quod prædicatur formaliter loquendo verum eſt antecedens, at negatur conſecutio, & eius probatio eſt falſa, eſt autem vera illa probatio de eo, quod prædicatur denominatiue, at tunc eſt falſum antecedens. Id itaque quod prædicatur denominatiue de aliquo, conuenit ei de quo prædicatur, non autem id quod formaliter, idem ſemper dicas ex proportione de ſpecie, in ordine ad indiuidua, nam ſpecies formaliter prædicatur, & ideo nõ conuenit indiuiduis, ideo Bonifacius non eſt ſpecies, homo autem prædicatur denominatiue de ipſis, ea propter eis conuenit, ac proinde Bonifacius eſt homo, ita non ſequitur, hominem eſſe genus, &c. Tradita doctrina breuiuscon cluſa.

At non videtur adhuc quieſcere intellectus, nam perarduum ei apparet, vt ſibi ſuadeat, quod genus de ſpeciebus formaliter prædicetur, & ipſis non conueniat, idem dico de ſpecie, cum videatur eſſe implicatio, vt aliquid de aliquo quacumque prædicatione prædicetur, & illi non conueniat, vt dicebatur in probatione conſequentiæ. Sed & dubitatio poteſt augeri, quare enim concedis, id quod de aliquo denominatiue dicitur, ei conuenire, & illud negas de eo quod formaliter dicitur? quænam maior ratio de vna, quam de alia ratione prædicandi? Hoc dubium nouitios logicos terrere conſueuit, & mihi quoque iuniori, ne dicam puero haud facile apparebat, cum potiſſimum & tunc, & postea, viros peracuti ingenij, hoc argumento conuictos viderim, vt dicerent, genus non pro intentione, ſed pro fundamento prædicari de ſpeciebus; At ſi ſubtiliter expendantur quæ modo tradita ſunt, omnis dubitatio recedet, & nihil hac in re operoſum conſpicietur. Enimuero docuimus duplicem eſſe prædicationem, formalem ſcilicet, & fundamentalem, & illam diximus eſſe relationem illam adinuentam ab intellectu, hanc vero, coniunctionem rei ſubiectæ cum prædicato; Nunc dico, quod eo modo, quo genus prædicatur de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis, eo modo conueniunt ipſis, at quomodo prædicantur? vtique formaliter, ergo & formaliter conueniunt, hoc eſt, referuntur, ſic genus eſt ſpeciei genus, & ſpecies generis ſpecies, idem dicas de ſpecie, & indiuiduis, accepta ſpecie, vt definitur per prædicari de ipſis, ſi enim ex prædicatione infertur conuenientia, ergo ex tali prædicatione, talis conuenientia, ergo ex prædicatione formali, quæ eſt relatio, conuenientia formalis, Difficultas. Augetur. Ex ijs quæ dicta ſunt diluitur.

quæ

Vide argumẽti defectum. quæ erit relatio; Quando ergo arguis, Genus prædicatur de ſpecie, ergo ſpecies eſt genus, committis fallaciam conſequentis, à prædicatione ſcilicet, ad talem conuenientiam, & facis tranſitum à prædicatione formali, ad fundamentalem, nam in antecedente loqueris de formali, in conſequente de fundamentali, tranſis à referri, penes quod attenditur prædicatio formalis, ad eſſe, iuxta quod deſumitur fundamentalis; Vnde colligi ſic debet, Genus dicitur de ſpecie, ergo ſpecies refertur ad genus; Ea propter non inficiamur, genus vllo modo conuenire ſpeciebus, immo vero docemus, quod eo modo conuenit, quo prædicatur, ſic nedum confutatur, ſed & retorquetur argumentum ſic dicendo, Eo modo conuenire debet genus ſpeciebus, quo modo de ipſis prædicatur, at ita prædicatur, quod non coniungitur cum ipſis, ſed ad ipſas refertur, ergo ita debet conuenire, non vt ſpecies ſint genus, ſed vt ad ipſum referâtur. Quoniam autem naturæ ipſæ genericæ, & ſpecificæ fundamentaliter dicuntur de ſuis inferioribus, hoc eſt, illis ſunt coniunctæ, (in hoc enim conſiſtit fundamẽtalis prædicatio,) ideo homo eſt animal, (ecce coniunctionem rei ſubiectæ cũ prædicato,) & Alexander eſt homo; & ſic patet etiam reſponſio ad id, quod videbatur augere dubitationem. Quare ſatis cautos eſſe oportet, ne inter arguendum ſimus in æquiuoco de ipſa prædicatione, ne ſcilicet fiat tranſitus à referri, ad coniungi, à prædicatione formali, ad fundamentalem, &c.

Quomodo acceperit Porphirius genus, dum illud deſcripſit. Ex his colligit Caiet. & bene, quod quando Porphirius in prædicabilibus cap. de genere ipſum deſcripſit, acceperit illud formaliter, hoc eſt, pro illa relatione iam explicata, non autem fundamentaliter, quod plane ita manifeſtatur, poſuit enim Porphirius in definitione generis prædicationem de ſpeciebus, hoc autem nequit ſaluari in genere fundamentaliter accepto, neque quo ad prædicationem formalem, neque quo ad fundamentalem, nam in animali, quod eſt genus fundamentaliter ſumptũ, dum definitur, non ponitur eius coniunctio cum ſuis ſpeciebus, nõ enim dicitur, quod animal ſit homo, equus, &c. Sic non cadit prædicatio fundamentalis, ſed neque formalis, quoniã in definitione rei non ponitur ſecũda intentio, qualis foret illa relatio ab intellectu inuenta, quare relinquitur, quod formaliter accipiatur in definitione illa data per prędicari; & aduerte me dicere, quod in definitione generis fundamentaliter accepti non cadit vel coniunctio, vel relatio, non autẽ dico, quin vtrumque ei poſſit tribui. Et non ſolum genus fuit à Porphirio formaliter acceptum, ſed & prædicari quoque de pluribus, & ita vna relatio, (prædicari ſcilicet de pluribus formaliter,) cadet in definitione alterius relationis, generis nimirum ſumpti formaliter; Quamuis dici poſſit, neque inconcinne, non eſſe duas has relationes, genus videlicet, & prædicationem de pluribus, ſed hanc eſſe illius explicatiuam, ſi enim ſit genus, (logice acceptum, quo modo nunc loquimur) certe prædicatur de pluribus: & hæc prædicatio poteſt dici definitio, genus autem definitum, & ſicut definitio rei abſolutæ non ponit in numero cum ſuo definito, ita relatio qua eſt definitio alterius relationis, non ponit in numerum cum relatione, quam definit, ſed ſunt vna, & eadem relatio, (intellige ſemper in concreto,) ſed poſterior explicat priorem, velut definitio explicat definitũ, & ratione ſolum diſtinguitur, in quo ſenſu dicuntur eſſe duæ relationes, & vna in alteriùs definitione cadere. Quod vero ly *prędicari* acceperit Porphirius formaliter, ex eo colligitur, quoniam nequiuit illud accipere fundamentaliter, nam in definitione generis formaliter accepti, (quod ſic à Porphirio fuiſſe acceptum, iam probaui,) non poteſt cadere prædicatio fundamentalis de ſpe-

Quomodo ibidem acceperit prædicari de pluribus.

de ſpecie, puta homine, eſſet enim ſtultum dicere, quod relatio generis ſit realiter coniuncta rei, quæ denominatur ſpecies, quod tamen eſſe oporteret, ſi genus formaliter acceptum fundamentaliter diceretur de ſpeciebus, nam relatio nomine generis formaliter importati ineſſet homini, leoni, &c. vnde homo leo, &c. poſſent dici prædicabiles de pluribus ſpecie, iam enim relationē generis coniunctam haberent; Quod ſi dicatur, coniungi illis relationem illā, quatenus terminata eſt, non quatenus de alijs dicitur, hoc quoque nequit eſſe, quoniam relatio illa ſolum ab intellectu tribuitur, ſic nequit rei vllo modo realiter coniungi, non itaque fundamentaliter de ipſis dici.

Et ſi bene inſpiciantur, & applicentur quæ dicta ſunt, potiſſimum de prædicatione formali, & fundamentali, nullo negotio, quæ omnia adferri ſolent, vt probetur definiri genus pro prima intentione, diluentur.

Et hæc de annotationibus ad hoc caput, nam quinta pars, in qua habetur epilogus ex ſe patentiſſima eſt, nihilque noui claudit, quare ſufficiat, illam in literæ diuiſione recenſuiſſe, &c.

QVAESTIONES.

Num tranſcendentia conueniant rerum naturis abſolute, & num in earum definitione ſint ponenda.

CIRCA primam aſſertionem ſecundæ partis, in qua dicitur, quod prædicata quidditatiua dicuntur de natura ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem, ea videlicet prædicata, quæ in ſui definitione cadunt, vt cum Auctore explicabamus, moueo quæſtionem, num omnia illa prædicata, quæ dicuntur conuenire naturæ ſecundum ſe acceptæ, debeant in eius definitione locari. In qua aperiam primo eius ſenſum, patefaciendo, quæ, & quot inquirantur, adducam ſecundo nonnulla argumenta pro vtraque parte, quæ difficultatem aliquam facere videntur, præmittam tertio concluſionem de paſſionibus entis, eam declarando, & propugnando, aliam ſubdens concluſionem, quæ reſpondeat primæ parti quæſiti, quarto, dubium famoſum circa ſecundam illam concluſionem ſuboriens mouebo, & diſſoluam, quinto, aliam ſtatuam concluſionem, quæ poſteriori quæſtionis membro ſatisfaciat, vltimo, argumenta confutabo, quæ definitis obſtare poſſent.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot in quæſtionem vocentur.

AVctor idem facit in hac litera iudicium de his, quæ naturæ ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem conueniunt, & de ijs, quæ in ſui definitione ponuntur, & merito, nam vt patuit in annotationibus ad hanc eandē

partem, conditiones debitæ naturæ ſecundum ſe, ſunt prædicata ſolum eſſentialia, quæ vtique conſtat eſſe de rei definitione, hanc enim vt auctor eſt Ariſtoteles primo magnorum Moralium cap. ſecundo, oportet cuiuslibet rei eſſentiam referre; Si quæ igitur erunt alicuius naturæ prædicata eſſentialia, & ex conſequenti de eius definitione, conuenient naturæ ſecundum ſe acceptæ, & e contra, quæ naturæ vt ſic conuenient, erunt de eius definitione.

Aristotel.

Obſerua tamen, præcipuam rei huius difficultatem verſari circa tranſcendentia, hæc enim omnia comitantur, ex Ariſtotele ſub initium ſexti, & poſtremi capitis quarti Topicorum, & ſubdebat, ens, & vnum in numero eorum eſſe, quæ cuncta ſequuntur, & de omnibus ſimpliciter prædicantur. Hinc, cum quæuis natura ſecundum ſe accepta ſit ens, & vna, & reliqua tranſcendentia ei inſint, videtur, quod ſint eius prædicata eſſentialia, & ex conſequenti, quod in cuiuſuis naturæ definitione ſint ponenda; Quare illud prius inſpiciendum apparet, quomodo tranſcendentia conueniant naturis rerum, ſintne prædicata earum eſſentialia, conueniant ne ipſis abſolute acceptis, atque ideo in earum definitionibus ſint ponenda.

Quid ſit inter tranſcendẽtia primum.

Inſuper aduerte, quod cum ens ſit primum inter tranſcendentia, vt ait Caiet. hoc loco, cum eius ratio cæterorum rationes præueniat, vt docet Auctor prima parte, quæſt. 5. art. ſecundo, & quæſt. de Veritate, quæſt. 21. art. primo, iccirco ſi manifeſtabitur, quomodo ens conueniat naturis rerum, manifeſtum quoque erit de reliquis tranſcendentibus; Quamuis etenim nihil quod eſt, realiter ab ente diſtinguatur, alioquin eſſet, & non eſſet, neque ſimiliter quid reale illi addat, eadem ratione, aliqua tamen dicuntur addere ſupra ens, prout modum ipſius intrinſecum exprimunt, qui nomine entis non exprimitur, vt ex Auctore q. illa & art. de Veritate, & quæſt. etiam eiuſdem prima, ar. primo dicebam quæſtione de analogia entis art. ſeptimo ad primum; Id autem dupliciter poteſt euenire, vt ſcite docet Auctor q. & art. vltimo relatis, nam modus qui exprimitur per illud additum, & non eſt in nomine entis expreſſus, vel eſt modus ſpecialis entis, ita vt non conueniat omni enti, & ſic adſunt decem prima rerum genera, nam ſubſtantia exprimit modum ſpecialem ipſius entis, eſſe ſcilicet in ſe, & non in ſubiecto, quem modum liquet non cõuenire omni enti, cum adſit modus alius eius, eſſe videlicet in alio, vel modus ille talis eſt, vt generaliter omne ens conſequatur, & ita ſunt ſex tranſcendentia, quæ vt dicebatur, ens omne ſequuntur, & ab ente non differunt, niſi penes ſignificationem modi, quem exprimunt, qui entis nomine non exprimitur; *Ens* enim ſumitur ab actu eſſendi, *Res* exprimit quidditatem, ſeu eſſentiam entis, *Vnum*, negationem diuiſionis in ſe, (non autem neceſſario diuiſionem ab alijs, nil minus enim foret homo vnus, ſi ſolus eſſet in mundo, & à nullo alio diſtingueretur,) *Aliquid*, videtur exprimere diuiſionem ab alijs, ſupponendo quod alia ſint, *Verum*, conuenientiam, vel relationẽ entis ad intellectũ, *Vnum* poſtremò conuenientiæ relationẽ exprimit eiuſdẽ entis ad partẽ appetẽtem, patet autẽ, omnia enumerata inſequi omne ens, & quamcumque naturam, ſic dicitur ab Ariſtotele quarto Diuinorum primo, & quinto, ipſum ens vt ſic habere paſſiones, quippe quæ ſunt tranſcendentia, quæ enumerauimus, & à nobis dicuntur veræ paſſiones, ac vere de eo cuius ſunt demonſtrabiles, quamuis non ſint reales in eo ſenſu, vt realiter ab eo cuius paſſiones extant, diſtinguantur; ad priorem namque paſſionis conſtitutionem ſufficit rationem ſubiecti eſſe prius conceptibilem, quam rationes paſſionis, & quod ipſe

D. Thom.

Aristotel.

conſe-

conſequantur per ſe rationem formalem ſui ſubiecti, quæ duo nemo diffitebitur inueniri in tranſcendentibus relatione ad ens, vt ex dictis elicitur; ad paſſionem autem vere realem, vltra hæc requiritur, quod ſit realiter à ſubiecto diſtincta, vt dicebatur, & quod eius ſubiectum ingrediatur ſuam definitionem, non vt eſſentiale, & intrinſecum, ſed vt quid additum, quorum neutrum inueniet quis inter paſſiones entis, & ipſum ens, vt norunt omnes veri metaphyſici, & vt ex hac quæſtione colligi poterit. Quid ſit de ratione paſſionis vere realis.

Duo itaque in hoc quæſito erunt videnda, quæ tamen ſe mutuo conſequuntur, & alterum ex altero pendet, quomodo ſcilicet ens, (& ſubinde quodуis tranſcendens,) conueniat rerum naturis, num ſcilicet abſolute, & in ſua conſideratione vt ſic acceptis, & deinde, num ſit ponendum in ipſarum definitione, & quidem vtraque pars videtur pro ſe habere rationes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta pro vtraque parte.

Illud primo ſuadere poteſt partem negantem, nam ens, vt dicebatur eſt ſubiectum tranſcendentium, quoniam hæc ſunt eius paſſiones, ergo in definitione ipſorum, ſeu ipſarum cadet vt additum, ponitur namque ſubiectum quaſi additamentum in definitione paſſionis ex ſeptimo Diuinorum, 17. & 19. ergo non dicetur de ipſis in quid, non ergo eſſentialiter, & tamen paſſiones entis ſunt quædam naturæ, immo naturas omnes circuunt, non ergo conuenit ipſis abſolute acceptis, &c. Adde, quod paſſiones entis dicuntur per ſe de ente, ergo ens dicetur de illis per accidens, vel ſaltem non per ſe, patet conſecutio ex primo Poſteriorum vnde à quibuſdam dicitur elici, propoſitiones per ſe, non conuerti in alias per ſe. Pro parte negante. Ariſtotel.

Secundo, Sufficiẽs diuiſio entis eſt in ens increatum, & in decem genera, & in partes eſſentiales eorundem prædicamentorum, paſſiones autem entis claret, non eſſe quid increatum, neque aliquod decem generum, neque eorum partes, aliàs non ambirent omne prædicamentum, ergo idem quod prius.

Tertio, Accipiatur *Vnum*, aut eſt præciſe ens, & hoc non eſt dicendum, tunc enim idem eſſet paſſio ſui ipſius, ergo addit aliquid, de hoc igitur addito aut ens dicitur quidditatiue, & hoc non, tunc enim *Vnum* includeret gemina vice ipſum ens quidditatiue, ſemel ſcilicet ratione ſui, & ſemel ratione illius additi, rurſus procedetur in infinitum, nam fieri poſſet quæſtio de illo addito, & ſic de alijs, eſt igitur dicendum, aliquid addere *Vnum*, (& reliquas entis paſſiones,) de quo non dicatur ens quidditatiue.

Quarto, Si in quæſtione quid eſt paſſiones entis ſubijcerentur ipſi, ab ipſis paſſionibus aliæ ſimul fluerent paſſiones ſimiles, & ab illis aliæ, & ita in infinitum, quo nihil abſurdius, probatur conſequentia, nam dum aliqua continentur ſub quauis natura communi quidditatiue, fluunt ab ipſis illius naturæ paſſiones.

Quinto, Si paſsiones entis includerent quidditatiue ens, non conuerterentur cum ipſo, at conuertuntur, ergo non includunt ipſum, probatur maior, quoniam nullum incluſum conuertitur cum eo, quod includit, nam in-

cludens dicit aliquid aliud, præter id quod includit, ſi aliquid aliud, ergo implicat, vt cum illo conuertatur.

Sexto, Si ens includeretur quidditatiue in naturis, & earum eſſet prædicatum eſſentiale, ergo poneretur in ipſarum definitione, patet conſequentia ex ijs, quæ diximus in huius quæſiti titulo explicando, conſequens autem

Ariſtotel. eſt contra Ariſtotelem octauo Diuinorum 16. & vltimo, vbi ait, ens non poni in definitionibus.

Si dicatur non poni in definitione, quoniam non eſt genus, vt ibidem videtur ex Ariſtotele elici, & quoniam forte tranſcenderet definita, tunc itaque male Ariſtoteles poſuiſſet in definitione animæ, ſecundo de eadem ſexto actum, nam & actus ipſe non eſt genus, niſi ab vno, veluti ens, & vnum, & præterea tranſcendere videtur animam definitam, quoniam ex quinto Di-

Auerroes. uinorum 14. & ex Auerroe primo de Anima ſexto, actus, & potentia diuidunt quoduis prædicamentum.

Opinio Scoti, & Antonij Andreæ. Propter tria priora argumenta, Subtilis Doctor, primo ſententiarum, diſtinctione tertia, quæſtione tertia, ſuſtinet ens non dici quidditatiue de ſuis paſſionibus, cui adhæſit Antonius Andreas, quæſtione tertia quarti Diuinorum; Sed & loco memorato docet Scotus, neque de vltimis differentijs prædicari in quid, quod probat duobus medijs, quæ non eſt vt adducam, vtrumque enim ſupponit, ens vniuoce dici de ſuis inferioribus, cuius contrarium iam concluſum eſt prima quæſtione ad caput ſecundum, ſed & ea habes clare, &

Caietanus. facile ſoluta hoc in loco à Caietano, & à Soncinate quæſt. 19. & à Chryſoſto-

Soncinas. mo Iauello quæſtione quinta, & ab Aquario dilucidatione tertia, & demum

Iauellus. à Petro Fonſeca quæſtione tertia ad caput ſecundum, libri ſemper quarti Di-

Aquarius. uinorum, quo libro omnes allegati auctores hoc negotium verſant.

Fonſeca. Ex altera vero parte videtur vtique quod ens de quibuſlibet naturis, & differentijs, & paſſionibus formaliter, ac quidditatiue dicatur, & ipſis ſecundum ſe acceptis conueniat, hoc autem ſic [illegible]

Rationes pro parte, quæ affirmat. Primo ſuadetur, vel differentiæ, & paſsiones entis clauduntur ſub ente, vel non, ſi hoc ſecundum, ergo non participant ipſum, ergo non ſunt entia, ergo ſunt nihil, omnes iſtæ collectiones videntur patere ad ſenſum, vt ita loquar, quod enim non clauditur ſub animali, non participat ipſum, & non eſt animal, non eſt dicendum, differentias, & paſsiones eſſe nihil, & non entia, ergo ſunt entia, (vel quæ, vel quibus, de hoc non eſt cura in propoſito,) ergo de ipſis dicitur ens. Quod ſi quis occurrat dicens, eſſe entia iden-

Defenditur prior ratio multipliciter. tice, non autem formaliter, contra, ergo formaliter erunt nihil, probatur, quoniam vel formaliter ſunt aliquid, vel nihil, non enim datur medium, ſi aliquid, ergo formaliter ſunt entia, nam ens, & aliquid conuertuntur; ſi non aliquid, ergo formaliter nihil; Præterea, ſi ſunt entia identice, non autem formaliter, peto, num conſiderata in illa identitate, vel in illo eſſe rei habeant aliquam formalitatem, vel non, ſecundum nequit dici, quoniam tantum abeſt, vt aliqua realitas nullum fundet prædicatum, quod omnis potius entitas plura fundet prædicata, ergo habent aliquam formalitatem, vel igitur illam entis, vel aliam, ſi illam entis, habeo quod volo, ſi aliam, ergo aliqua formalitas eſt prior formalitate entis, quod implicat, nil enim eſt vllo modo prius ente. Rurſus, eſt implicatio dicere, quod ſint entia identice, ſeu denominatiue, & non ſint entia formaliter, in his enim, quæ non ſunt tranſcendentia inuenientur ſane multa, quæ formaliter non participabunt aliquod ſuperius

præd-

prædicatum, quamuis identice illud de ipſis dicetur, at aliquod aliud prædicatum de ipſis neceſſario dicetur, veluti actio, & paſſio conueniunt identice in motu, non autem formaliter, nam de ipſis motus qui eſt eadem res dicitur, at non ſub eadem formalitate, aliquid tamen de ipſis formaliter dicitur, vt puta, quod ſint qualitates, quod ſubiectum perficiant, &c. at ſi dicas, de paſſionibus entis non prædicari formaliter ens, ſed ſolum identice, nil aliud inuenies, quod de ipſis formaliter dicatur, quoniam omnes alias formalitates præuenit illa entis, quæ non adeſt ipſis, & tamen ſi quid identice dicitur de alio, oportet vt aliquid prius de illo formaliter dicatur, nam ſi identificetur cum aliquo reali, oportet certe eſſe prius quid reale in ſe, ratione cuius realitatis, aliqua formalitas ei tribuatur; Quod ſi dicatur, hoc non contingere in tranſcendentibus, eo quod in ſe nequeant eſſe aliud ab eo, cui ſunt eadem, nam eſſent non entia, tunc argumentum maiores aſſumit vires, quoniam ſi nequeant aliud eſſe ab ente, ergo nedum identice, ſed & formaliter ſunt entia, aliàs nihil omnino de eis formaliter diceretur.

Secundo principaliter arguitur, Paſſiones entis ſunt formaliter ſcibiles, ergo formaliter ſunt entia, antecedens patet, nam de eis acceptis vt ſic, & formaliter multa proferimus, quæ de alijs ſi proferrentur; non eſſent vera, quod videlicet inſequantur omnia genera, quod cum ente conuertantur, &c. Conſequentia eſt clara, quoniam dicebat Ariſtoteles primo Poſter. cap. 2. quod non eſt, non ſcitur, & Hoſpes ille apud Platonem in Sophiſta inquiebat, id quod non eſt ens, neque proferri, neque recte dici, neque cogitari poteſt, ſed incogitabile, ineffabile, & irrationale exiſtit, ergo quod ſcitur, quod cogitatur, id de quo eſt ratio, vere eſt, &c. Ariſtotel. Plato.

Tertio, Aut ens prædicatur de omnibus, quæ participant rationem entis, aut non, ſi ſecundum, ergo non omnia ambit, & aliquid vltra ipſum eſt inueniendum, quod de ipſis prædicetur, quod eſt ridiculum, ſi primum, ergo prædicatur quoque de paſſionibus, & nedum idētice, ſed & formaliter, nam prædicationes non attenduntur penes res vt ſic, ſed vt ſtant ſub conceptibus, & vt formaliter conſiderantur, ſi enim prædicatio ſpectaretur penes res, & identice tantum, falſo negaſſet Ariſtoteles tertio Diuinorum 10. genus per ſe de differentia prædicari, & tertio Phyſ. 22. actionem eſſe paſſionem, &c. Iuxta quid ſpectandæ prædicationes. Ariſtotel.

Quarto, Aut ens quod partitur in decem genera, eſt ens ſe toto formaliter, aut non, ſi ſecundum, ergo aliquid eſt idem enti, & eſt formaliter non ens, & ſic idem eſt ens, & non ens, quod pugnat, ſi primum, ergo paſſiones entis, quæ idem ſunt cum ente ſic diuiſo, erunt formaliter ens, &c.

De alijs naturis non eſt cur probetur ens dici quidditatiue, cum id nullus neget, ſed qui alias vult rationes, quibus probatur, ens dici quidditatiue de paſſionibus, & de vltimis potiſſimum differētijs, videat Caiet. hoc loco, & Soncinenſem quæſtione memorata; ſufficiant attamen quæ adduxi, quæ id præcipue probant de paſsionibus entis, neque enim defuit eruditiſſimus Fonſeca, qui quæſtione illa relata, à Scoto recedens quo ad prædicationem entis de vltimis differentijs, illum ſectatus eſt, quo ad illam de paſſionibus. Caietanus. Soncinas. Fonſeca.

Hæc igitur ſunt, quæ pro vtraque quæſtionis parte potiſſimum adferri, & alicuius mentem fortaſsis implicatam, & irretitam retinere poſſent, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo ad ens ſe habeant eius paſsiones.

Prima Concluſio.

VT in medio dubitationum veritas apparere incipiat, ponatur prima hæc concluſio: Paſsiones entis ſunt cum ipſo ente conuertibiles.

Variæ conuenientiæ.

Pro notitia aduerte, quod dum dicimus eſſe conuertibiles, multo plus dicimus, quam quod ſint eadem res cum ente, nam aliqua erunt inter ſe eadem, quæ tamen non conuertentur, vt patet de genere, & de ſpecie; Cum autem adeſſe poſsit conuertentia & ſecundum rem, quando ſcilicet duo eandem naturam adæquate dicunt, veluti ſubiectum, & propria paſsio, & ſecundum prædicationem, vt quando de omnibus de quibus dicitur vnum, dicitur & aliud, vt genus, & differentiæ illæ ſimul, quæ genus ipſum euacuant, vt animal ex vna parte, & rationale, ac irrationale ex alia, & tertio, ſecundum conceptum, vt ea, quæ ſunt eadem inter ſe, & re, & ratione, cuiuſmodi ſunt ſynonima, noſtra concluſio intelligitur de prima, atque de ſecunda conuertibilitate, non enim paſsiones entis aliquid reale ſupra ipſum dicere poſſunt, & rurſus, de quibuſcumque dicitur ens, dicuntur & ipſius paſsiones, non autem accipitur de tertia, nam tunc foret nugatio dicere, ens vnum, ens verum, & in confeſſo eſt apud omnes, paſsionem à ſubiecto ſuo, iuxta conceptum ſaltem, & rationem differre. Eapropter conuertuntur paſsiones entis cum ente, & quo ad rem, & quo ad prædicationem, non autem quo ad conceptum.

D. Thom. Caietanus. Capreolus. Flandrienſ.

Argumenta nonnulla ſolent fieri de ſingulis ferè paſsionibus, at præcipue de vno, de vero, & de bono, quod cum ente non conuertantur, at quoniam communia ſunt, & apud citatos Auctores optime confutata leguntur, ſed potiſsimum illa de vno ab Auctore prima par. quæſt. 11. artic. 1. & à Caiet. ibidem, & à Capreolo in primo diſtinct. 24. ad argumenta Scoti contra tertiam concluſionem, & à Dominico Flandrienſe quarto Diuinorum, quæſt. 3. artic. 1. illa etiam de vero ab eodem Auctore eadem prima par. quæſt. 16. artic. 3. & demum illa de bono, quæſt. 5. artic. 1. & 3. & quæſt. de Veritate 21. artic. 1. ideo ea miſſa facio.

Illud dumtaxat aperiam, quomodo ratione differant, & quo ad conceptum non conuertantur.

Ratio Entis.

Scias itaque, quod ratio entis vt ſic, eſt abſoluta, non enim ens vt ſic vllàm relationem importat, paſsiones vero entis, aliquid ſuper hanc abſolutam rationem referunt, hoc autem cum nequeat eſſe quid reale additum enti, erit aliquid rationis, quare erit vel negatio, vel relatio, & accipe ſemper negationem, vel relationem, non prædicamentalem, vel ad aliquod genus determinatam, ſed tranſcendentalem. *Vnum* igitur addit ſupra ens negationem diuiſionis, nam ens vnum nil aliud eſt, quam ens in ſe indiuiſum, *Verum* autem, & *Bonum* addunt relationem, & illud quidem cõformitatis ad intellectum, (nam verum non in rebus, ſed in mente eſſe, accepimus ex vltimo ſexti Diuinorũ,) hoc autem conuenientiam ad vim appetentem. Sed diligenter conſidera, has paſsiones entis non importare puram illam relationem, aut negationem, tunc enim forent entia rationis tantum, neque ſolum ens, aliàs & in cõceptu etiam cum ente conuerterentur, & illi eſſent ſynonima, ſed vtrumque referunt, &

Quid addat Vnum enti. Quid Verum, Bonum.

ens ſcilicet, & negationem illam, vel relationem, adeo quod *Vnum* non dicit pure ens, neque pure indiuiſionem, ſed ens indiuiſum, vt ſcilicet ſtat ſub indiuiſione; idem dicas de *Vero*, ac de *Bono*, ſignificant namque ens, vt conforme intellectui, & vt conſonum appetitui.

Adeo vt paſſiones iſtæ ſint in rerum illarum, ſiue eorum nominum ſerie, quæ neque abſolutum, neque relatiuum præciſe exprimunt, ſed vtrumque ſimul, abſolutum nimirum, vt ſtat ſub reſpectu, velut dicunt Theologi, ideam in Deo non importare tantum eſſentiam diuinam, ita enim vti vnica eſt eſſentia diuina, ſic vnica foret idea, neque tantum reſpectum illum, quo creatura eam valet imitari, aliàs non foret eſſentia diuina, ſed vtrumque, eſſentiam ſcilicet Dei, vt eſt à creaturis imitabilis, & eſſentia eſt quid abſolutum, imitabilitas illa, quid reſpectiuum, vt conſtat; ſic *Verum* non dicit ſolum ens, neque ſolum relationem illam ad intellectum, ſed ens ſub illa relatione, ſic dicit abſolutum cum reſpectiuo. *In quo ordine ſint paſſiones Entis.* *Quid dicat Idea in Deo.*

Et ſi attente hoc vnum inſpicias, nullum videbis argumentum, quod hac in re vllius poſſit eſſe difficultatis, & præſertim in eo, quod ens de ipſis paſſionibus non dicatur quidditatiue, omnia enim difficiliora argumenta, (at facillima certe ſunt, ſi quod præmiſi ſpectetur,) petunt difficultatem tertij argumenti eorũ, quæ primo loco adducebantur; num ſcilicet paſſiones includant præciſe ipſum ens, aut aliquid addant, certe hoc ſecũdum dicendum eſt, alioquin idem eſſet dicere, ens eſt verum, & ens eſt ens, illud ergo quod addunt, eſt paſſio entis, de quo non dicitur ipſum ens, fatemur illud additum eſſe tale, de quo non dicitur ens reale, (de quo ente loquimur,) quidditatiue, at quando infertur, ergo illud additum eſt paſſio entis, ergo de paſſionibus entis non dicitur ens quidditatiue, hæc neganda ſunt, non enim paſſiones ſunt illud additum ſolum, tunc enim dicerent purum reſpectiuum, tunc non eſſent eadem cum ente; Dum ergo arguitur ab indiuiſione, ad *Vnum*, non eſt argumentum à toto quod eſt in re, ſed à parte ad totum, nedum enim vt dicebatur, *Vnum* dicit indiuiſionem, ſed & ens ſub tali indiuiſione. Ita non dicimus *Vnum* eſſe formaliter negationem, ſed bene aſſerimus, negationem eſſe de ſuo ſignificato formali, neque dicimus, ens includi formaliter in eo per quod determinatur ad *Vnum*, (non enim includitur ens reale in indiuiſione, quæ eſt negatio,) ſed dicimus includi quidditatiue in conceptu *Vnius*, quoniam eius conceptus non eſt ſola illa indiuiſio, ſed ens ſub indiuiſione, ita ens non eſt pars *Vnius*, ſed conceptus entis eſt pars conceptus *Vnius*, quoniam conceptus *Vnius* dicit ens ſub indiuiſione, ille vero entis non dicit negationem illam. Sed difficultatem videtur facere illud additum harum paſſionum ad ens, at ſemper recolere oportet, non ſaluari paſſiones ſub illis additis præciſe, ſed ſub ente, vt manet ſub illis, & ſic nimis aperte elucebit, ens dici de ſuis paſſionibus. *Vitioſum argumentum.* *Vbi ſtet ratio paſſionũ entis.*

Et tamen quidam recentiores, de quibus hac quæſtione mentio facta eſt, illud additum præciſe ſpectaſſe videntur, & cum de ipſo vt ſic non dicatur ens quidditatiue, male ſubintulerunt, ens non dici quidditatiue de paſſionibus, at nil mirum, ſi inconuenienti illo dato, hoc aliud (iuxta dictum Ariſtotelis primo Phyſic. 10. & 22.) ſequatur, inconueniens quippe eſt, in entis paſſionibus illud additum dumtaxat inſpicere, nam & id quod ſubſtat illis additionibus, tamquam ſubſtratum, & abſolutum inſpiciendum eſt. *Ariſtotel*

At inferius quæſtione 5. eiuſdem capitis, & libri, ſectione 5. arguere non deſiſtunt contra ea, quæ ſæpius inculcamus, quod ſcilicet *Vnum*, & reliquæ *Argumenta Fonſecæ aduerſus ea, quæ dicta ſunt.*

paſsiones formaliter includant ens; dicunt enim primo, Quod numquam affe-ctio rei tantam perfectionem includit, quantam res ipſa, cuius eſt affectio, hoc autem eueniret, ſi paſsiones entis formaliter includerent ipſum ens, immo vero poſſum ipſe roborare hoc argumentum, quod non ſolum æqualis, ſed & maioris perfectionis eſſent, adderent enim vltra ens, illam vel relationem, vel negationem, quam ipſum non includit; Sed nullum penitus eſt hoc argumentum, & maiorem illam vniuerſaliter, & abſolute negaret Scotus, & eius aſſeclæ, cum in vniuerſum doceant, paſsionem omnem eſſe eandem rem cum ſuo ſubiecto, ac proinde eiuſdem eſſe perfectionis cum ipſo, ſi non formaliter, ſaltem identice; Nos autem maiorem illam concedimus in entibus particularibus, cum fateamur, paſsiones eſſe accidentia ſubiecti, at in tranſcendentibus eam inficiamur, quandoquidem in his non niſi ratione à ſubiecto ſuo ſecernuntur paſsiones, atque ideo eam, & tantam dicunt perfectionem, quam, & quantam dicit ſubiectum. Adde, quod ſub hac ratione, quatenus ſunt paſsiones, videntur non eſſe tantæ perfectionis, nam ratio entis, earum rationes præuenit, & certe nulla eſt argumentatio, dicendo, *Vnum, Verum, Bonum*, &c. non debent dicere tantam perfectionem, quantam dicit ens, ergo non includunt formaliter ens, ſtat enim, quod ex alio capite exceſſus perfectionis ipſius entis ad ipſas paſsiones petatur. Ad confirmationem dicitur, quod ea quæ addunt huiuſcemodi paſsiones, nullam dicunt perfectionem, ſunt enim vel relationes rationis, vel negationes, penes quas nulla valet attendi perfectio; quo modo diſſoluere ſoleo ipſe argumentum illud, quod à nonnullis magnifieri audiui, quo conſueuit concludi, ſcientiam viſionis Dei, (& hoc obiter huius loci ſit,) potuiſſe eſſe perfectiorem, eo quod ad plura ſe potuiſſet extendere, (potuiſſet enim plura facere Deus, quam ſtatuerit ſe facturum, & ſic illa, quæ modo ſubduntur notitiæ ſimplicis intelligentiæ, ſubderentur ſcientiæ viſionis,) ſed vana argumentatio, nam reſpectus dumtaxat rationis fuiſſet adiectus illi ſcientiæ ad illa ſcibilia, penes quem nulla eſt deſumenda perfectio. Quod addunt, nullam affectionem, quæ fluit ex ſubiecto, poſſe ex eo conſtitui, iam enim ex ſeipſo flueret ſubiectum, & ſe ipſo eſſet poſterius, hoc quoque nihil eſt, non enim in tranſcendentibus datur hæc deriuatio paſsionum à ſubiecto, nec ſubinde hæc prioritas, ſiue poſterioritas, niſi ſecundum rationem, & nihil abſoni continet, quod ens ſic abſolute, (quale eſt ſubiectum tranſcendentium) ſit prius ſeipſo ſecundum rationem, quatenus eſt ſub indiuiſione.

Confutantur.

Cuiuſmodi ſint ea, quæ paſſiones addant Entis.

Quod vlterius dicunt, Indiuiſionem potius eſſe dicendam paſsionem entis, quam totum compoſitum, hoc non eſt admittendum, non enim indiuiſio in ſenſu ipſorum, ſed vnitas eſt paſsio entis: dixi in eorum ſenſu, nam ipſi ab indiuiſione præſcindunt ens, nos vero ſub vnitate includimus ens, vt patet, Quando inquiunt, affectionem accommodatius demonſtrari de ſubiecto, quam totum compoſitum, admittatur, ſed ſubſumo ego, affectionem eſſe non puram indiuiſionem, vt millies dixi, ſed ens ſub indiuiſione, quod patet dicere quid reale, & quid rationis, ex quo habetur reſponſio ad quandam eorum percontationem.

Demum explicant Auctorem dicentem p.p. q. 11. artic. primo, & de Verit. quæſt. 21. art. primo, *vnum* ſignificare non ſolum diuiſionem, ſed & entitatem, vt id voluerit, non de formali ſignificatione tantum, ſed & de connotatiua, at nimis violente trahere ipſum voluit ad opinionem propriam, ſemper enim

Reiicitur eius interpretatio de locis D. Thomæ.

enim ait, *Vnum* addere enti in diuiſionem, *Verum*, relationem illam, &c. Quod ſi addunt, iam illud includunt; Præterea ſemper ait, has paſſiones addere relationem, vel negationem, numquam ait eſſe relationes, eſſe negationes, & tamen loquitur de ipſis formaliter, vt paſſiones ſunt, & vt ab ipſo ente ratione diſtinguuntur, ergo formaliter ad eius aures includunt ens: Rurſus, poſſet quis dicere e contra, vt formaliter ſolum voluerit, vnum includere ens, & connotatiue illam negationem, velut ſentire viſus eſt Capreolus loco ſupra memorato ad tertium. Denique, ita mentem eius interpretati ſunt doctiſſimi ſui alumni, Caiet. Capreolus, & alij iam commemorati, qui plane eius ſenſum optime calluerunt.

Capreol.
Caietanus.

Cæterum aduerſus ea, quæ pluries inculcauimus, quod ſcilicet *Vnum* dicit negationem, dicit indiuiſionem, quod eſt de mente Auctoris locis relatis, & omnium eius diſcipulorum, & magni Alberti, quarto Diuinorũ tract. 1. cap. 4. & 5. & Aegidij q. 8. & Ianduni quæſtione quarta eiuſdẽ libri, & Auer. ibidem ad tertium, & quartum, & Alenſis ſuper 11. quinti, & nonum decimi eiuſdem facultatis, vbi poſtquam dixit, de ratione vnitatis eſſe indiuiſionem, ait nos nominare vnum per negationem, & priuationem, licet dicat poſitionẽ ſecundum rem, nam rem ipſam dicit indiuiſam, & denique Ariſtotelis quinto Diuinorum 11. vbi ait, quæcumque vniuerſim non habent diuiſionẽ, quatenus non habent, eatenus vnum dici, & nono decimi eiuſdem ſcientiæ habet, id quod eſt indiuiſibile, aut non diuiſum, vnum eſſe; Aduerſus inquam hæc, quamuis multa adferantur argumenta à Scoti ſectatoribus, potiſſimũ ab Antonio Andrea quæſt. 3. quarti Diuinorum, quoniam tamen à memoratis auctoribus, præcipue ab Alberto, Capreolo, Caiet. & Flandrienſe reiecta nouimus, ea omnia ſilentio abſoluenda duxi, vno excepto, quod non omnino facilis ſolutionis apparet, & cuius ſolutio, ea quæ de *Vnius* ſignificatione dixi confirmabit.

Alb. magn.
Aegidius.
Iandunus.
Alenſis.
Ariſtotel.
Antonius Andreas.

Eſt autem argumentum huiuſmodi: Multitudo componitur intrinſece ex vnitatibus, ergo vnitas dicit aliquid poſitiuum, probatur conſequentia, quoniã nullum poſitiuum componitur intrinſece ex priuationibus, conſtat autem, multitudinem eſſe quid poſitiuum, quare &c. Occurrebat huic argumento Auctor prima par. q. 11. art. 2. ad primum dicens, vnitates non conſtituere multitudinem, ſecundum id quod habent de ratione indiuiſionis, ſed quatenus habent de entitate, veluti & partes domus conſtituunt domum, quatenus ſunt quædã corpora, non quatenus ſunt non domus, ſic ruit argumentum vt patet, quoniam non componitur multitudo ex priuationibus, ſed ex entitatibus, quoniã non ex vnitatibus, ratione indiuiſionis incluſæ, ſed ratione contentæ entitatis.

Dubitatio in hoc negotio præcipua.
Soluitur à D. Thoma.

At circa hanc reſponſionem, dubium acutum ibidem mouebat Caiet. quoniã hoc modo non videtur accipi & multitudo, & vnitas formaliter, ſed materialiter, illa ſcilicet pro rebus multis, hæc pro re vna, & ſic non formaliter, non cõpletiue, ſed materialiter, & ſubſtantialiter tradi videtur hæc doctrina; poſſet tamen, dici ſermonem Auctoris eſſe & de multitudine, & de vnitate, quantum ad id, quod realiter ſunt.

Difficultas ex Caietano, contra illam ſolutionem.

Altius tamen, & formalius, vt ipſemet Caiet. loquitur, verba hæc Auctoris accipit dicendo, eius ſermonem eſſe de vnitate, & de multitudine formaliter, & vniuerſaliter, & quod dum ait, vnitates ſecundum id quod habent de ente componere multitudinem, non intendat de re, quæ eſt vna, ſed de ipſa vnitatis natura, vt actũ entis exercet, Vnitas enimuero tranſcendens dupliciter ſumi

Remouetur.

Vnitas quot modis capiatur.

poteſt, primo vt eſt indiuiſa, vt ſcilicet eſt non multitudo, & ſic fieri nequit, vt multitudinem componat, nam diuiſio tunc componeretur ex indiuiſione, alio modo, ſecundum id quod eſt, hoc eſt, ſecundum ipſam negationem diuiſionis, non quatenus exercet actum priuationis, ſed quatenus habet rationem entis, & ſic componit multitudinem formaliter, & completiue acceptam; Ita hæc diſtinctio contracta ad vnum, & multa tranſcendenter, non eſt diſtinctio priuationis à ſubiecto poſitiuo, ſed eſt diſtinctio actus priuatiui, ab actu poſitiuo, hoc eſt, non dicimus vnitatem quo ad poſitiuum componere, & quo ad priuatiuum non componere multitudinem, (tunc enim certe non vnitas, vt ſic, ſed res vna componeret,) ſed vere ipſa vnitas dicitur componere, at duos actus intuemur in hac vnitate vt ſic, & poſitiuum ſcilicet, ratione naturæ, quam importat, & priuatiuum, ratione indiuiſionis, quam includit, ſic diſtinguitur in hoc eodem ſubiecto actus poſitiuus, ab actu priuatiuo, & compoſitionem tribuimus actui illi poſitiuo, (ſemper tamen eam aſcribimus eidem ſubiecto, hoc eſt, eidem vnitati,) non actui priuatiuo; Sic indiuiſio ipſa, vt exercet actum priuationis non componit, & ipſamet, (ecce non diſtingui priuationem à ſubiecto poſitiuo,) vt cuiuſdam entis rationem, & actum habet, (ecce diſtinctionē actus poſitiui ab actu priuatiuo,) componit multitudinem, quæ plane in rei veritate eſt ens negatiuum formaliter, (ſonat enim plura diuiſa,) licet per affirmationem explicetur; Quare ad argumentum principale negatur, in re ipſa, multitudo eſſe quid poſitiuum, tamen abundans, & ſubtilis ex Caiet. doctrina allata eſt.

Quomodo vnitas componat multitudinem.

Ex his conſpicuum nimis redditur, quod *Vnum* in formali ſuo conceptu dicit illa duo, quæ ſæpe dixi, entitatem ſcilicet, & indiuiſionem, nam fatemur, formaliter vnitatem componere multitudinem, non tamen vt exercet actum indiuiſionis, ſed vt actum gerit entitatis, ſtando ſemper in ambitu formali ipſius; Ex hac eadem doctrina ſoluitur aliud argumentum, quod poſſet fieri, nam ex decimo Diuinorum 9. & 20. vnum, & multa ſunt contraria, quomodo itaque ex vnitatibus coaleſcit multitudo? patet enim, quomodo componant vnitates, vt ſcilicet exercent actum entitatis, ſub qua ratione non aduerſantur multitudini. Et quidem, dum ſumus in nominibus, quæ duo formaliter important, ſeu ex duobus formaliter integrantur, à negatione vnius partis, nō ſequitur abſoluta negatio, ſic nullum eſt argumentū; Vnitas non componit multitudinem ratione indiuiſionis, ergo non componit formaliter, &c.

Ariſtotel.

Secunda Concluſio.

Sed iam ponatur ſecunda concluſio: Ens, & reliqua tranſcendētia ſunt prædicata, quæ conueniunt naturæ, ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem acceptæ, & formaliter, & concomitatiue, & cauſaliter.

D. Thom.

De quauis profecto natura abſolute loquendo hac propoſitio eſt vera. Hæc natura eſt ens; Neque obſtat, quod aliquando non ſit in actu, ſed ſolum in potentia, nam vt docet Auctor ad octauum, decimi Diuinorum, in vltimis verbis lectionis tertiæ, ens quod diuiditur per decem prædicamenta, ſignificat ipſas naturas decem generum, ſecundum quod ſunt actu, vel potentia, quocirca omni modo, quo natura ſit, quæuis natura eſt ens; Rurſus, liquido conſtat, in quauis natura ſecundum ſe poſteriora tranſcendentia ſaluari, nam quæuis natura eſt vna, vera, bona, &c. eſt enim indiuiſa in ſe, attingibilis ab intellectu, nata conformari appetitui, &c. quare ſaluabitur & ens, cum in tranſcendentibus poſterioribus ſaluetur prius, ſemper etenim in ſecundo ſaluatur primum, & in poſteriori prius, vt docebat Auctor prima par. q. 60. ar. 1. & 62. ar. 7. Non intel-

ligas

ligas autem, ens ſaluari in *Vno, Vero*, & poſterioribus alijs tranſcendentibus, & in naturis particularibus, velut ſaluatur animal in homine, tūc enim dicendo, ens vnum, ens verum, homo ens, homo vnus, duo gradus diſtincti importarentur, quo modo dicendo *animal homo*, dicuntur duo gradus, ſenſitiuus ſcilicet, & intellectius, qui licet compoſitionem non faciant realem, compoſitionem attamen pariunt metaphyſicam, ſed imbibitur ens in poſterioribus tranſcendentibus, (& in quauis natura,) tamquam ſuperius in inferiori, nullum dicēs gradum ab ipſis diſtinctum, & conditiones huius prioris imbibitę ſunt, (ſic loquitur Caiet. prima par. q. illa 60.) in proprietatibus inferiorum, & penetrant quodammodo eas, & non conueniunt ſeparatim, velut proprietates animalis conueniunt quidem homini, at ſeorſum, ratione gradus diſtincti, quem importat homo, & quem importat animal, non enim homo ex vi gradus ſui præciſe accepti, & ſecundum formalem rationem, qua diſtinguitur à gradu animalis, eſt ſenſibilis, ſed ſolum eſt rationalis, licet in re ſit quoque ſenſitiuus, at eſt ſenſibilis, quatenus eſt animal, nam ſenſibile eſt proprium prædicatum animalis, ac ſubinde in quocumque inuenitur, & de quocumque dicitur, inuenitur, ac dicitur merito animalis, iuxta regulam ex primo Poſterior. cap. 4. de vniuerſali; At quæuis natura ſecundum ſe, & vt ſic, eſt ens, vna, vera, &c. quoniam proprietates entis, & aliorum tranſcendentium imbibuntur in naturis inferioribus, nullum gradum ſuper ipſas dicentes; ſic conſtat, eſſe prædicata, quæ naturis omnibus formaliter conueniant.

Quo pacto ſaluetur ens in poſterioribus tranſcendentibus.

Ariſtotel.

Sed & cauſaliter quoque, ac concomitatiue, & quidem cauſaliter, quoniam ab his tranſcendentibus habet vnaquæque natura, vt conſtituatur in eſſe, & in ratione naturæ, atque quidditatis, concomitatiue autem, quoniam ſi ſit aliqua natura, ſtatim conſequitur, vt eam ens, & omnia tranſcendentia comitentur, vt facile patet, cōſequitur enim vnitas, & reliqua tranſcendentia naturam omnē, vt eſt ens, non vt tale, & tale ens, tunc enim hoc, vel illud ens ſolum foret vnū, verum, &c. quod tamen eſt falſum; At nedum conueniunt tranſcendentia naturis ſecundum abſolutam ſuam conſiderationem acceptis, ſed & quatenus habent eſſe, & in ſingularibus, & in intellectu, nam homo in hoc, & in illo ſingularibus, & in intellectu exiſtens, ſortitur rationem entis, vnius, &c. & prout etiam obiectiue eſt in intellectu, debetur ſibi aliquod eſſe, licet non reale, ſed rationis, aliqua indiuiſio, aliqua eidem intellectui conformitas, &c. Illud tamen verum eſt, quod in ſua abſoluta conſideratione conueniunt ei tranſcendentia abſolute, at ſecundum hoc, vel illud eſſe, non abſolute, ſed hoc, vel illo modo limitato, vt ens, vnum ſpecie, numero, & modis conſimilibus, qui ad præſentem contemplationem non faciunt, quæ eſt de tranſcendentibus vt ſic.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quale ens cuiuis naturæ ſecundum ſe conueniat.

DVbium præcipuum, & ſatis arduum verſatur circa ea, quæ ſecunda illa cō clusione diximus, quale nimirum ſit illud ens, vel ſub qua ratione accipiatur, dum dicitur, quod cuilibet naturæ conuenit, ſit ne ens, vt ſignificat eſſentiam,

tiam, an vt ſignificat exiſtentiam, ſit ne ens nominaliter, an participialiter accéptum, & cum illud ens, quod dicitur de omnibus naturis effectis, vel creatis, ſit illud idem, quod diuiditur in decem prædicaméta, (nam natura omnis continetur, vel ſub ſubſtantia, vel ſub accidente,) dubitatio ex conſequenti emergit, quodnam ſit illud ens, quod in decem genera partitur, & ita rimabimur id, quod primo cap. huius operis ex Ariſtot. & Auctore dicebamus, ens videlicet vno modo dici, quatenus in decem cathegorias ſecabatur, à quo eſſentia ſumebatur, &c. iam enim, quale ſit hoc ens, ſpeculaturi cũ Caiet. hoc loco adſumus.

Vnde contingat ſumi nomen Entis.

Pro notitia terminorum ſcito, quod ens poteſt nominari, & ab eſſe eſſentiæ, & ab eſſe exiſtentiæ, veluti lucens poteſt nũcupationem trahere, vel à luce, vel à lucere, adeo vt ex proportione dicamus, lucere reſpondere exiſtentiæ, (nam & lucere eſt verbum, & exiſtentia ſumitur à verbo exiſtere,) lucem vero, eſſentiæ, (vtrumque enim nomen eſt,) & demũ lucens reſpondere enti; Ens vt ſumitur ab eſſentia idẽ valet, quod lucens ſumptũ à luce, ſic dicitur ens nominaliter, quoniam à nomine originẽ ducit, ens autẽ ſumptum ab exiſtentia, idem pollet, quod lucens ſumptum à lucere, ſic dicitur ens participialiter, nam à verbo *ſum*, *eſt*, deriuatur, & actũ eſſendi refert. Cumque ex Ariſtotele primò Perihermenias cap. 2. nomen in ſui ſignificatione nõ importet tempus, verbum autem ibidem cap. 3. ſignificet tempus, hoc erit diſcriminis inter ens ſumptum ab hoc nomine *eſſentia*, & acceptum ab hoc verbo *ſum*, quod illud ſignificabit ens abſque vlla temporis differentia, ſiue ſcilicet res fuerit, ſiue non fuerit, hoc autem illud non ſignificabit, niſi quatenus actu in tempore exiſtit. Rurſus, cum omni rei creatæ accidat, vt exiſtat, poteſt enim exiſtere, & non exiſtere, nulli vero rei accidat, vt habeat eſſentiam, aliàs eſſet res, & non res, illud ſequitur, quod prædicatum entis vt ſpectat ad exiſtere, ſeu vt ab ipſo ſumitur, non attineat in rebus creatis ad quæſtionem quid eſt, (nam huius quæſtionis terminus eſt ſola quidditas, ac eſſentia,) ſed ad quæſtionem an eſt, per quam concluditur eſſe, prædicatum autem entis ſumptum ab eſſentia, terminabit quæſtionem quid eſt.

Ariſtotel.

Quale ens pertineat ad quæſtionẽ an eſt, & quale ad illam quid eſt.

Mens Auicennæ.

Hinc variæ emerſere ſententiæ, Auicennas enim, vt refert Auctor ſuper tertium quarti, & octauum decimi Diuinorum, & ante ipſum Auerr. eiſdem locis dixit, quod ens non ſignificat ſubſtantiam rei, ſed aliquid additum, quoniam in qualibet re habente eſſe ab alio, aliud eſt eſſe rei, & aliud ſubſtantia, & eſſentia eius, hoc autem nomen *ens*, ſignificat ipſum eſſe, quare videtur, quod ſignificet aliquid additum eſſentiæ.

Mens D. Thomæ.

Auctor vero ibidem contra Auicennam docet, ens non prædicare aliquid additum eſſentiæ, neque eſſe prædicatum accidentale, & tamen difficilis apparet hæc Auctoris poſitio, & operoſum ſatis eſt videre, quomodo ab Auicenna in hoc diſſentiat, cum vnum ex præcipuis fundamentis in tota ferè ſua doctrina ſit, In omni re creata diſtingui realiter eſſe ab eſſentia, & quolibeto ſecundo, quæſt. 2. art. primo dicat, ens non eſſe prædicatum eſſentiale, & primò con. Gentes 25. doceat, ens non cadere in definitione ſubſtantiæ, ex quo apparet, ipſum cum Auicenna ſentire.

Sententia Ferrarienſis.

Hæc fortaſſis animo luſtrans Ferrarienſis loco mox ex primo contra Gentes recenſito, dicit ens nõ participialiter, ſed nominaliter prædicari de omnibus eſſẽtialiter, ſic forſan ex hac Ferrar. doctrina poſſet quis cõciliare Auctorẽ & Auicen. vt ſcilicet diceret, illum loqui de ente nominaliter, vt dicit eſſentiã, dum ait eſſe prædicatũ ſubſtãtiale, hũc vero de ente participialiter, & ſimiliter

Auctorem

Auctorē, quando ait nō cadere in definitione; Qui modus dicēdi aliquo tēpore mihi non diſplicuit. Subdit eo loci Ferrar. vel potius antea immediate inquit, ens nominaliter acceptum eſſe illud, quod in decem prædicamenta diuiditur, quod prius videtur docuiſſe Capreolus primo ſent. diſt. 8. q. 1. ad 3. Henrici contra primam concluſionem. Capreolus

Caietanus autem hoc loco aliter ſpeculatur, dicit enim, quod ens participialiter eſt illud, quod eſt tranſcendens, diuiſum in decem prædicamenta; vnde obſeruat, in nomine entis duo nos poſſe conſiderare, & illud ſcilicet, à quo nomen entis ſumitur, quod eſt ipſum eſſe, quo res eſt, & ſecundo id, ad quod nomen entis impoſitum eſt. Dictum ſiquidem fuit primo capite huius libri, id verſari diſcriminis inter ens, & eſſentiam; quod illud ſe habebat vt quod, hæc vt quo, hinc illud ſignificabat id quod eſt in quouis prædicamento, hæc autem id, quo res in prædicamento locatur. Conſiderās itaque Auicen. id quo res actu eſt, & à quo entis nomen impoſitū eſt, quod iam dixi, eſſe exiſtentiam, protulit abſolute, & ſimpliciter; ens eſſe prædicatum extra eſſentiam rei, extra illud inquam, à quo nomen entis fuit impoſitum: At vero Auctor præ oculis habuit non id, quo res eſt, ſed id, quod eſt, non inquam illud à quo, ſed id, ad quod nomen entis impoſitum eſt, quare contrarius fuit Auicennæ, non enim ipſum quod eſt prædicat aliquod extra eſſentiam rei. Aduertens inſuper, quod ipſum quo res eſt in rerum natura, actualis ſcilicet exiſtentia, non eſt naturæ extraneæ ab eo quod eſt, ſed eiſdem principijs conſtituitur, quibus ipſum quod eſt, noluit connumerare ens inter prædicata accidentalia. Et hoc de nullo alio quod ſit præter rei eſſentiam poteſt dici, vt ſcilicet conſtituatur per propria principia ipſius rei, excepta ipſa exiſtentia, nam omne aliud extra rei eſſentiam exiſtens, conſtituitur principiis propriis ſui generis, & prædicamenti, proprio ſcilicet genere, & propria differentia, non autem principiis ipſius rei, vel ipſius quod eſt, at ſola exiſtentia, vel ſolum exiſtere, extra rei eſſentiam exiſtens, conſtituitur eiſdem principiis, eodem genere, & eadem differentia, quibus conſtituitur ipſum quod eſt. Videbimus enim cap. ſequenti huius operis queſt. 6. in eodem genere collocari eſſe, in quo collocatur id, cuius eſt eſſe. Opinio Caietani. Quid ſignificet ens. Quid eſſentia Quid ſpectauerit D. Tho. Quid proprij obtineat exiſtentia.

Cum itaque ens dum prædicatur de aliquo, nō trahat illud extra proprium genus, & propriam differentiam, neque ratione ipſius quo eſt, (exiſtentiæ ſcilicet, nam eſſentia eſt, qua res eſt abſolute, exiſtentia vero, qua res in actu eſt,) neque ratione ipſius quod eſt, colligamus cum Caietano, eſſe prædicatum non accidentale, vt dicebat Auicennas, ſed ſubſtantiale, vt citatis locis aiebat Auctor, & ibidem Auerr. atque Ariſtoteles, qui dilucide inquit, idem eſſe dictu ens homo, vnus homo, & homo, non enim ſignificat aliquid diuerſum homo, eſt homo, & vnus homo, & tamen, ſi ens foret prædicatum accidentale, aliquid diuerſum diceret ens homo ab homine. Ariſtoteles

Ex quibus patet, modum illum conciliandi Auctorem, & Auicen. falſum eſſe, & ipſius Auctoris grauitatem minus decentem, & quidem falſitas patuit; non enim verum eſt, quod ens ſumptum etiam ab eo, quo res eſt, ſit prædicatum accidentale, & aliquid additum ſignificet, quandoquidem actualis exiſtentia, licet ſit aliud ab eſſentia, non tamen eſt ei quid ſuperadditum, more accidentis, tum quoniam non eſt accidens, tum quoniam per principia propria ipſius eſſentiæ conſtituitur, vt dictum eſt; derogat autem eius grauitati, tunc enim iniuria arguiſſet Auicennam, vt patet ex eius ratione, quam idem Au- Contra Ferrarienſem.

ctor

ctor adducit, & ſi de ente ſolum, vt dicit eſſentiam intellexiſſet, quod eſſet prædicatum ſubſtantiale, rem docuiſſet, de qua nulli vnquam fuit, aut erit dubium, quis enim ignoret, rei eſſentiam eſſe prædicatum ſubſtantiale? At res nimis patens eſt, velle ibi Auctorem illud ens, quod eſt aliud ab eſſentia (tale autem non eſt niſi exiſtere,) eſſe prædicatum ſubſtantiale.

Sed pro maiori horum intelligentia, & vt pateat, quomodo varia loca ex Auctore allegata, quæ ſibi non cohærere videntur, optime adinuicem conſentiant, imaginare mecum in præſentia, prædicata eſſe triplicis generis, quædam enim ſunt primo eſſentialia, & quidditatiua, & hæc ſunt ea, ex quibus coaleſcit definitio, quædã ſecundo ſunt accidentalia, quæ rem accidentalem, & additam, & extraneam dicunt, vt album de homine, quædam tertio mediam ſedem inter hæc videntur tenere, & vocantur prędicata ſubſtantialia, quippe quæ, nec quidditatem, nec accidens dicunt, ſed quid ſubſtantiale, ita vt neque ponantur in definitione, neque rem extraneam dicant, & huiuſmodi prædicatum eſt ens, ita namque de rebus prædicatur, quod non eſt accidens, per ea quæ dicta ſunt, neque ponitur in definitione, quoniã hæc abſtrahit ab exiſtentia, non tamen ab ordine ad ipſam, vt paulo inferius manifeſtum fiet. Neque turberis, quod definitio debeat totam rei ſubſtantiam aperire, id enim veritatem habet, quo ad ea prædicata, quæ ſemper rei ſubſtãtiæ inſeparabiliter adſunt, de quorum numero conſtat non eſſe exiſtentiam, rurſus intelligitur de iis, quæ vere ſunt rei partes, & eam integrant, cuiuſmodi non eſt eſſe, hoc enim neque eſt pars eſſentiæ, neque cum ea componit, (aliàs omnes ſubſtantiæ creatæ, vere eſſent compoſitæ in eſſentia, atque ſubſtantia,) vt cumulatius quæſtione illa 6. ad caput ſequens videbitur, denique accipitur de illis prædicatis, quæ quid peculiare de re definita aperiunt, ens autem nihil rerum proprium dicit, cum omnia in ipſo conueniant, vt art. ſequenti erit videre, &c. Ita non videbis Auctorem dicere, aut aduerſus Auicennam concludere, ens eſſe prædicatum eſſentiale, aut quidditatiuum, ſed notanter ait, eſſe ſubſtãtiale, hoc eſt, non accidentale, non dicẽs rem extraneam, non rem additam, vt ipſemet ſe declarat: ſic loca eius omnia, vbi habet ens accidere, non eſſe de rei conceptu, & ſimilia, explica ſemper non eſſe de definitione, non de quidditatiuo conceptu, & loca alia, in quibus inquit, ens eſſe prædicatum ſubſtantiale, non dicere accidens, interpretare, quod non dicit naturam extraneam, quod non prędicatur ad modum accidentis, non autem, quod ſit de definitione; Sic duo Dominici, Flandienſis videlicet, & Sotus dixerunt, ille quæſt. 3. ad quartum Diuinorum, art. 5. & iſte quæſt. prima ſuper prædicamenta, ad finem quæſtionis, eſſe non dici accidens ſubſtantiæ, neque in accidentis prædicamento reponi, ſed ad ſubſtantiæ cathegoriam reduci, & ab Auctore nuncupari prædicatum ſubſtantiale. Et reuera non egent Auctoris loca interpretatione, non enim inuenies ipſum dicentem, quod ens ſit prædicatum aut eſſentiale, aut quidditatiuum, neque rurſus, quod ſit accidentale, ſed tantum comperies ipſum vere, ac docte affirmantem, prædicatum ſubſtantiale.

Nec putes me immemorem eorum, quæ docui quæſt. 3. ad caput ſecundum, ſtat enim, quod idem ſibi velint ſubſtantia, eſſentia, & quidditas, & nihilominus adſit aliquod prædicatum ſpectans ad rei ſubſtantiam, quoniam non ſit accidentale, & non ſpectet ad eſſentiam, vel ad definitionem, propter rationes proxime dictas, quod ſi omnino ad ſubſtãtiam attineret, & eius pars, atque ſibi neceſſario coniunctum eſſet, cum eaque componeret, ac demum quid illius

Prædicata multiplicia.

Quale prædicatum ſit ens.

Quo pacto definitio totam rei eſſentiam dicat.

Quomodo loca varia D. Thomæ accipienda.

Flandrien.
Sotus.

Diluitur tacita obiectio.

Auctoris iudicium.

proprium diceret, poneretur vtique in definitione, ac ſubinde eſſentiale, & quidditatiuum foret.

Quod vero attinet ad ens illud, quod in decem prædicamenta diuiditur, iudico ipſe, poſſe probabiliter ſuſtineri cum Ferrar. & aliis, illud eſſe ens nominaliter acceptum: ſed mihi multo probabilius eſt dicere cum Caietano in præſenti, quod ſit ens participialiter. Quæ ut intelligas, nota hanc entis diſtinctionem accommodatam eſſe, ex eo patere, quod & eſſentia, & exiſtentia vocantur nomine entis, & quamuis ens vere à verbo *ſum* deriuare, & eius participium ſemper eſſe videatur, vt loco relato dicebat Sotus, attamen & eſſentia hoc nomine entis exprimitur, quoniam proprium adhuc deſiderat nomen, niſi forte quis velit vocare eſſentiam, vt præcedit exiſtentiam nomine rei, vt ibidem apparet vocari à viro doctiſſimo, quod non videtur diſplicuiſſe Fonſecæ quæſtione ſua tertia ad caput ſecundũ quarti Diuinorum, ſub initium ſecundæ ſectionis, qua ratione forſan aliquid veritatis poteſt habere, quod ait Sotus, talem ſcilicet entis diſtinctionẽ, non eſſe admodũ neceſſariam. At quoniam vſu communi, ipſa quoque eſſentia dicitur ens, certe vocem hanc diſtinguere oportuit, *ens* ſcilicet, vt dignoſcatur, quando ſumitur ab eſſentia, & quando ab eſſe; & illo modo dicitur nominale, hoc autem, participiale. Hac igitur diſtinctione ſi non penitus neceſſaria, at certe iure optimo ab omnibus ferè recepta, à nobis quoque admiſſa, nota deinde, illud quod directe ponitur in prædicamento, non eſſe vel eſſentiam, vel exiſtentiam, ſed ſubſtantias ipſas ſecundas, genera videlicet, & ſpecies, ſic neque eſſentia, neque eſſe diuiditur in prædicamenta, ſed ens vt quod, at dubitatio eſt de eo, quo tamquam cauſa ens reponitur in prædicamento, & ſubinde in ipſa genera partitur; Et quoniam ſæpe Auctor, & alij dicunt, vnumquodque ratione ſuæ quidditatis reponi in genere, ideo videtur fieri conſequens, vt ens quatenus dicitur ab eſſentia, ſit quod in genere collocetur, & in prædicamenta ſecetur; Si enim vnumquodque ratione ſuæ eſſentiæ locatur in genere, & ens quod in genera diuiditur, illud eſt, quod dicitur de omnibus contentis in genere, apparet certe, ens ſumptum ab eſſentia, diuidi in prædicamenta. Rurſus, cum eſſe dicatur accidere conceptibus prædicamentorum, nam ſiue quid exiſtat, ſiue non exiſtat, vere tamen eſt in prædicamento; vnde manauit omnium Metaphyſicorum proloquium; Rerum eſſentias eſſe æternas, Propoſitiones neceſſarias eſſe perpetuæ veritatis, Hominem eſſe animal rationale, non habere cauſam, (ſic ſemper eſſe in prædicamento, licet non exiſtat) de quibus vide ſi placet cumulate Paulum Soncinatem nono Diuinorum, quæſtionibus 4. 5. & 7. & nouiſſime Banneſium ſuper art. 3. quæſt. decimæ p. p. quædam de his diſſerentem, apparet eſsentia ſolum concurrere ad hoc, vt quid in genere ponatur, & ſic ens nominaliter illud erit, quod in prædicamenta ſecabitur. Tandem, cum dicat Auctor in fine expoſitionis tex. 8. decimi Diuinorum, ens quod diuiditur in decem genera ſignificare ipſas naturas, quatenus ſunt actu, vel potentia, expreſse colligitur, ens nominaliter diuidi in prædicamenta, nam ſi ens participialiter diuideretur, nõ diceret naturas, quatenus ſunt quoque in potentia, ſed tantum, quatenus actu ſunt. Ex quibus, & aliis nonnullis locis ex Auctore à Ferrar. loco memorato adductis, ſatis probabilis redditur poſitio ſua, & eorum, qui illum ſequuntur.

At ſi ex altera parte conſideremus, quod eſsentia abſque exiſtentia nihil eſt, vt clare habet Auctor quæſtionibus de Potentia q. 3. art. 5. ad 2. videbimus, quod

Fonſeca.

Quid directe in prædicamẽto ponatur.

Quæ iuuẽt ſententiã Ferrarienſis.

Metaphiſicorum peruulgata dicta.

Soncinen.
Bannes.
D. Thom.

Quæ faciant pro Caietano

quod dicere, aliquid reponi in genere ratione eſſentiæ ſine exiſtentia, eſt dicere, quod reponatur in genere ratione illius, quod nihil eſt. Accedit, quod nihil collocatur in genere, niſi genus habeat, & differentiam, genus autem, & differentia, vt ipſemet Ferrar. docet 2. contra Gent. cap. 95. & vt late videbimus quæſt. 5. ad caput ſextum, ſumuntur penes ordinē ad exiſtentiā, quare pugnat, aliquid locari in genere, nulla habita conſideratione ad ipſam actualem exiſtentiam. Præterea docet Auctor q. de Anima art. 1. ad 16. principia eſſentialia alicuius ſpeciei, materiam ſcilicet, & formam, (à quibus radicaliter in ſubſtantijs compoſitis ſumitur genus, & differentia) ordinari non tantum ad eſſe, ſed ad eſſe huius ſpeciei, quare principia eſſentialia, quibus ſpecies reponitur in genere, ordinantur nedum ad exiſtentiam, ſed & ad hanc exiſtentiam, abſque igitur præfato ordine, & habitudine non reponitur ſpecies in genere. Inſuper nullus negat, primam entis diuiſionem eſſe per increatum, & creatum, deinde hoc ens creatum partiri in cathegorias, at ſi fuerit ens creatum, ergo vt exiſtit, ergo vt eſt ſub exiſtentia, ergo ens participialiter, patet conſequentia, quoniam terminus creationis eſt eſſe, & creatur ipſa quidditas ſub exiſtentia, &c. Denique, ens completum, & perfectum, illud eſt, quod in decem genera diſtribuitur, vt ſatis patet, at tunc aliquid eſt perfectum, quando eſt in actu, vt inquit Auctor p. p. q. 4. art. primo, & loquor de actu exiſteutiæ, vt enim ibidem quæſt. 3. art. 4. ab eodem didicimus, eſſe eſt actualitas omnis formæ, vel naturæ, non enim aliquid ſignificatur in actu, niſi quatenus ſignificatur quod ſit, & profecto quamdiu res non eſt natura, quocumque eſſe gaudeat, vel obiecto, vel quidditatiuo, non dicitur eſſe perfecta ſimpliciter, & quamuis res gradus perfectionis ex ſuis eſſentijs accipiant, eſt enim aqua eſſentialiter perfectior terra, &c. non tamen gradus huius perfectionis petunt, præſcindendo ab eſſe, ſed ordinem ad ipſum includunt, ergo ens nequit eſſe perfectum, niſi exiſtat, ergo non diuiditur in cathegorias nulla habita relatione ad eſſe, ſic valde roborari videtur pars, quam probabiliorem pronunciaui.

D. Thom.

Prima entis partitio.

Creationis terminus.

D. Thom.

Cæterum non multum forſan in hoc negotio diſſidebunt adinuicem Caietanus, & Ferrar. nam dum iſte habet, ens vt ſumitur ab eſſentia, partiri in decem genera, non vult intelligere, quod nulla ratio habeatur ipſius eſſe, ſed ſolum, quod tale ens primo, & principaliter ſignificet ipſam eſſentiam, ſecundario autem ipſum eſſe; vt habetur non ſemel ex eodem, loco illo primi contra Gentes. Quando ſimiliter ille hoc loco vult, ens participialiter in prædicamenta ſcindi, non vult docere, quod nulla ratio habeatur ipſius eſſentiæ, clare enim cap. 5. huius libri, quæſt. ſua vndecima ad 4. inquit, hominis eſſentiam abſolute in reali prædicamento ſubſtantiæ reponi, ſed vult, quod potiſſima ratio entis huius diuiſi attendatur ex ipſo eſſe, vt enim eadem quæſtione ad 8. dicit, reponitur quid in genere ſubſtantiæ, quoniam eſt capax eſſe ſubſtantialis; Sic vterq; vult, ens quod in prædicamenta ſcinditur, & eſſentiam, & exiſtentiam includere, (certe quod vere eſt, & eſſentia, & exiſtentia conſtat) ſed Ferrar. vult, vt potiſſimum ab eſſentia ſumitur, Caietanus autem, vt ab eſſe ſecari in prædicamenta.

Qua via Caietanus, & Ferrarienſis queant conciliari

Et quoniam Caiet. ſententia longe probabilior vt dixi mihi apparet, præter argumenta mox relata, quæ certe concludunt, maximam habendam eſſe conſiderationem de ordine ad ipſam exiſtentiam, nunc probare intendo, quod maior eiuſdem exiſtentiæ habenda ſit ratio, quam ipſius eſſentiæ, ita vt ens

in cathegorias diuiſum, ſumatur præcipue ab exiſtentia, ac proinde ſit ens participialiter. Id autem breui præmitto, quod & ex dictis elici valet, & eſt de mente Caietani, & quæſtione illa allegata cap. quinto huius libri, & cap. 6. huiuſmet operis, quod nomine exiſtentiæ non accipitur in præſenti ipſamet exiſtentia actualis, ſed ſolum ordo, & habitudo ad ipſam. Tunc arguo ſic. Quotieſcumque in aliquo eſt aſſignare duo, quorum alterum ſe habeat vt potentia, & materia, alterum vt actus, & forma, potior conſideratio eſt habenda de eo, quod ſe habet vt forma, & actus, quam de eo, quod vices materiæ, atque potentiæ gerit, patet hæc propoſitio ex communi conceptione, & traditur ab Ariſt. 2. Phyſic. 81. & 91. & primo de partibus Animalium cap. quinto, & vltimo, non enim forma ob materiam, ſed e contra, at in ente quod diuiditur in decem genera, adſunt eſſentia, & exiſtentia, & illa huic comparata ſe habet vt materia, & potentia, hæc autem vt forma, & actus, vt clare tradit Auctor p.p.q. quæſt. 3. art. 4. ratione 2. ergo &c. Rationes aliæ pro opinione Caietani. Ariſtotel. D. Thom. Ariſtotel.

Præterea, Quod eſt poſterius generatione, eſt prius in intentione, ac perfectione ex 8. Phyſic. 58. & nono Diuinorum 15. quod & 2. de partibus Animalium cap. 1. & inductione, & ratione probabatur, at eſſe eſt vltima actualitas, & intelligitur poſterius eſſentia, vt colligitur ex locis omnibus Auctoris, quæ ſupra adferebantur in vltima ratione pro hac opinione, ergo eſt prius in intentione, ergo eſſentia ordinatur ad eſſe, ergo eſſe eſt finis eſſentiæ, ergo ratione huius ſecatur ens in cathegorias, & ſi dicatur ratione eſſentiæ, hoc tamen non accipitur, niſi quatenus ad exiſtentiam ordinatur, atque ideo potiſſimum ratione exiſtentiæ.

Poſtremo, Vnumquodque conſtituitur in genere per proprium genus, & per propriam differentiam, hac enim differt ab alijs, at differentia ipſa ſubſtantialis, & eſſentialis in ſui definitione includit ordinem ad exiſtentiam, ergo eſt de eſſentia entis repoſiti in prædicamento hic ordo ad eſſe; maior eſt clara, & minor eſt Porphirij in vltima, ac intima definitione ipſius differentiæ, vbi intimius, vt idem ait, naturam differentiæ contemplatus, eam inquit eſſe, quæ rem ad ipſum eſſe conducit, eſſentiam videlicet ipſam ad eſſe ſuum, tamquam ad finem, &c. Porphirius

In hac ſententia inuenio Alenſem quæſito tertio, quod format ad 14. quinti Diuinorum, vbi docet, quæſtionem qua quæritur de eſſe rei collocari ſub quæſtione generis, & prædicamenti, ait enim grauiſſimus Auctor, exiſtentiam eſſe complementum eſſentiæ, & rationem reddit conformem ijs, quæ dixi, quoniam numquam eſſentia aſſequitur perfectam rationem entis, donec obtineat eſſe exiſtentiæ, vnde ſubdit, quod licet eſſe exiſtentiæ ſit extra conceptum prædicamentorum, eſt tamen complementum omnium ipſorum, & quamuis ſit extra illorum conceptum, prout habent imperfectum eſſe, non eſt tamẽ extra conceptũ perfecti eſſe prædicamenti, & alia ſubdit ad hoc facientia; Idipſum confirmat inferius eodem libro, quaſi ad finem tex. 23. & quædam dicta Auerrois, quibus videtur innui, eſſe exiſtentiæ collocari ſub quæſtionibus accidentis, explicat & bene de ente, quod eſt verum, quod non eſt rei in ſe, ſed eſſe rei in anima, ſic enim ipſemet Auerroes 14. eiuſdem libri de hoc ente loquitur, de quo certum eſt, collocari in quæſtionibus accidentis, non autem intelligit de eſſe exiſtentiæ, &c. Alenſis. Auerroes.

Ad rationes vero, & teſtimonia Auctoris, & aliorum, ſi quæ ſint, quibus Ferrarienſis poſitio robur ſumere videtur, duplex eſt modus reſpondendi, &

Quo modo ſol ui poſſint, quæ pro Ferrarienſe fuere adducta.

primo dicendo, exiſtentiam accidere conceptui prædicamentorum imperfecto, eſſe autem de conceptu perfecto; Quod ſi hoc non placeat, (nam reuera nequit hæc reſponſio accommodari omnibus motiuis pro illa ſententia,) dicito ſecundo, quod de exiſtentia dupliciter loqui poſſumus, vel de ipſa in actu exercito eſſendi, vel de ordine, & habitudine ad ipſam, rationes omnes, & auctoritates excludunt exiſtentiam actualem, at numquam excludere intendunt habitudinem, & relationem tranſcendentalem eſſentiæ ad exiſtentiam; Et ſic vno verbo, de exiſtentia, & de habitudine ad ipſam diſtinguendo, videbis nullam auctoritatem obſtare, & nullum argumentum non ruere.

Quomodoque contra ipſum, poſſint ſimiliter ruere.

Si quis autem Ferrarienſi addictus, eum in hoc tutari vellet, poſſet omnibus auctoritatibus, & rationibus adductis occurrere, dicendo has, & illas concludere quidem, ens in prædicamenta diuiſum importare exiſtentiam, at ſecundario, ſed primario deſumi ab eſſentia, & fateor rationes primo loco adductas, hanc ſolutionem vtcumque ſubire poſſe, cum præcipue prima, & ſecunda ratio non concludant, quod per id quod eſt nihil abſolute quid reponatur in genere. licet enim eſſentia nihil ſit, quatenus nihil diſtinguitur contra non exiſtens, non tamen eſt nihil abſolute, cum ſit ens nominaliter, & iam dictum fuerit, duplex eſſe ens, alterum dicens eſſentiam, alterum importans eſſe, &c. At quoniam video rationes ſecundo loco relatas, ægre hac via confutatum iri, eapropter Ferrarienſis ſententiam, haud facile poſſe defenſari crediderim, &c.

Quid tandem de Ferrarienſis ſententia.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quomodo ens, & alia tranſcendentia non ponantur in rerum definitione.

Concluſio.

Quid per definitionem explicetur.

RESpondentes ſecundæ parti quæſtionis, ponamus hanc concluſionem; Neque ens, neque reliqua tranſcendentia ſunt in vllius naturæ definitione ponenda. Hoc autem declaratur ſimul, & probatur, nam per definitiones explicatur, in quo natura aliqua conueniat, & à quo differat, ſic genus aſſignat primum, differentia ſecundum, vt ſi ponantur tranſcendentia in definitionibus, nihil de rebus peculiare enunciabitur, vt facile patet, omnis enim natura eſt ens, vna, vera, bona, &c. Accedit, quod vt bene ait Caiet. hoc in loco, ea tantum prædicata eſſentialia ponuntur in definitione, quæ alium gradum ſupra res, vel ſupra naturas dicunt, non enim alium gradum dicis de homine, dicendo illum eſſe ens hominem, vnum hominem, &c. quam ſi dicas hominem tantum; Ideo Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 43. dicebat, nihil aliud in definitionibus adeſſe, niſi primum genus, & differentiam, conſtat autem, tranſcendentia non habere rationem differentiæ, (enimuero omnia in ipſis conueniunt,) neque generis, nam ens tertio Diuinorũ 10. non eſt genus, eademq. ratio eſt de alijs tranſcendentibus, ſed de ente ſpecialiter quædam art. præcedenti ex inſinuatione habita ſunt, quæ late patefaciunt, ipſum neutiquam in definitionibus poſſe admitti.

Caietanus.

Ariſtotel.

Quare ſic limitanda, & accipienda venit Auctoris propoſitio, circa quam fuit mota quæſtio, Omnia quidem eſſentialia prædicata fore in definitionibus

bus locanda, dummodo alium gradum eſſentialem definiti explicent, eſt tamen vera abſolute propoſitio, quod omnia prædicata eſſentialia conueniunt naturis abſolute ſumptis, & conſideratis. Ob hanc eandem rationem, prædicata quoque negatiua, quamuis fundamentaliter accepta, (non enim loquor de ipſis ſumptis formaliter, & vt per opus intellectus tribuuntur naturis,) conueniant cuiuis naturæ acceptæ ſecundum ſe, & vt ſic, ac ſubinde ſint prædicata eſſentialia, non tamen in earum definitionibus ſunt ponenda, quoniam ita ſumptæ negationes, nihil aliud ſunt, quam genus, & differentia propria rei, ſic nullum alium gradum eſſentialem definiti explicant, vt enim ait Caiet. fundamentum, quare de homine dicantur negationes naturarum, quæ diſparatæ ſunt, nihil aliud eſt, quam eiuſdem hominis natura, nam quoniam homo eſt animal rationale, ideo non eſt leo, non ceruus, & vt dicebat Aegidius quæſt. 6. quarti Diuinorum, per illam eandem formam, & materiam, (ecce genus, & differentiam radicaliter,) per quam habeo, vt ſim homo, habeo vt non ſim capra, non bos, &c.

Quomodo omnia eſſentialia prædicata in definitionibus ponenda.

Caietanus.

Aegidius.

Ita patent duo illa, quæ propoſui in titulo quæſiti perſcrutanda, quomodo videlicet ens, & tranſcendentia alia conueniant naturis, & num in definitione ſint ponenda, quæ proinde ſatis pro deciſione veritatis faciant.

ARTICVLVS SEXTVS.

Reſpondetur argumentis, quæ ſententiæ definitæ poſſent obeſſe.

AD primum eorum, quæ primo loco pro parte negante adducebantur, reſpondeo, auctoritates Ariſtotelis, de ſubiecto, quod velut additum ponitur in definitione paſſionis, intelligi de eo, quod eſt vere ſubiectum, & de vera paſſione, quæ vere ſubiecto accidit, non autem de ſubiecto, & paſſione ſecundum rationem tantum, quale eſt ens, & tranſcendentia, tunc enim idem accideret, & eſſet additum ſibi ipſi, intelliguntur itaque in terminis ſpecialibus, velut in homine, & riſibili; ſimiliter auctoritas ex primo Poſter. pro confirmatione allegata intelligitur de propoſitionibus in terminis ſpecialibus, non autem in tranſcendentalibus, vbi omnia ſunt eadem, & ratione ſolum, aut conceptu differunt.

Senſus locorum Ariſtotelis.

Ad ſecundum dicitur, quod diuiditur ens per vnum, & multa, & dicitur de paſſionibus ſuis, in quas diuiditur, anteaquam in decem cathegorias partiatur, &c.

Ad tertium, Viſum fuit ſatis tertio articulo, paſſiones entis aliquid ipſi addere, de quo non dicitur ens reale, (ſunt enim entia rationis negatio, & relatio, quas enti addunt paſſiones,) at nulla eſt illatio, ergo de paſſionibus non dicitur ens, ſed deberet inferri, ergo de illis additionibus, ſeu additis, ibi autem conſtabat, entis paſſiones non eſſe additiones illas formaliter, quamuis ſint de earundem formali ſignificato.

Ad quartum dicitur, quod ſi fiat ſermo de re ipſa, nulla eſt conſequentia, & nullum eſt argumentum, non enim fluunt paſſiones ab ente, ſi proprie loquamur, quoniam ſunt eadem res cum ipſo, at loquendo ſecundum quod videntur noſtris conceptibus ſubeſſe, negatur conſequentia, quoniam

paſſiones entis, non ideo continentur ſub entis natura, vt ab ipſis fluant paſſiones aliæ, ſed quod ipſæ ab ente vt ita loquar fluxerint, velut album continetur ſub albedinis natura, non quod ipſo aliquid aliud ſit album, vt ſit per ipſam albedinem, ſed vt ipſum in ſe ſit album. Dico deinde formaliter ad propoſitionem illam pro probatione conſequentiæ, Quando ſcilicet aliqua continentur ſub aliqua natura communi quidditatiue, fluunt ab ipſis paſſiones illius naturæ, veram eſſe, quando continentur formaliter, non quando continentur materialiter, hoc eſt, quando continentur ſub illa eadem ratione, ſub illa natura, ſub qua ratione conuenit illi naturæ, vt ab ipſa fluant paſſiones, ſi vero non ſub illa ratione continentur, non ſequitur vt ab ipſis paſſiones illius naturæ fluant, modo autem paſſiones entis continentur ſub ente, quatenus ratione ab ipſo differunt, ratio autem entis eſt, vt ab ipſo oriantur illæ paſſiones, ſub qua ratione non continentur ſub ipſo paſſiones ſuæ.

Quando dum aliqua continentur ſub aliqua natura cõmuni quidditatiue, fluant ab ipſis paſſiones illius naturæ.

Soncinas.

Quando incluſum conuertatur cum includente.

Ad quintum negatur conſequentia, & ad probationem recte Soncinas q. illa 19. quarti Diuinorum ad quintum reſpondebat, quod includens aliquid, & vltra hoc quidpiam addendo, quod additum non eſt minoris ambitus, quam ſit illud primo incluſum, tunc incluſum conuertitur cum includente, ſic autem paſſiones entis includunt ipſum ens, & addunt aliquid, quod ad omnia ſe extendit, ad quæ & ens, *Vnum* enim addit indiuiſionem, *Verum*, conformitatis relationem ad intellectum, &c. quæ omne ens conſequuntur, & ita *Vnum* includens ens, poteſt cum eodem conuerti, ſi autem paſſiones aliquid includerent, quod in minus ſe haberet, quam ens incluſum, tunc non conuerterentur cum ipſo, quoniam illud additum limitaret ipſum, velut homo limitat animal, quoniam vltra animal incluſum, includit rationale, quod eſt minoris ambitus, quam animal, inde non conuertitur homo cum animali, &c.

Ariſtotel.

Ad ſextum, articulus præcedens patefecit, quare non ponantur tranſcendentia, & præcipue ens in definitionibus, licet in rerum naturis quidditatiue includantur; Ita ruit, quod adfertur de definitione animæ, non enim actus eſt de numero tranſcendentium, neque enim circuit omne ens, cum ex primo Phyſic. 78. & primo de Generatione 11. ens ſit duplex, actu ſcilicet, & potentia, ſic actus non eſt tale tranſcendens, relatione ad animam definitam, quod aliquem gradum non dicat, & ipſam ab alio definito non diſcernat, (per actum plane diſtinguitur anima à materia, quæ eſt pura potentia, & altera pars compoſiti, &c.) de quibus tranſcendentibus dumtaxat accipitur, quando dicitur, non eſſe in definitionibus ſtatuenda.

Argumenta adducta ſecundo loco pro parte affirmante, concludunt quæ docuimus in quæſtione.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

Num naturæ ſecundum ſe inſit vnitas, aut pluralitas.

CIRCA eandem primam aſſertionem eiuſdem ſecundæ partis, vbi dictum eſt, naturam ſecundum ſe, & abſolute acceptam, neque eſſe vnam, neque plures, neque ſcilicet vnitatem, neque pluralitatem ſibi vt ſic eſſe aſcribendam, moueo quæſtionem cum Caiet. num natura abſolute, & ſecundum ſuam conſiderationem ſumpta habeat vnitatem, vel pluralitatem. In qua difficultate, ingenijs quoque acutiſſimis ſatis ardua octo præſtabo, primo enim, quid ſit id, quod in dubium vocetur explicabo, ſecundo, argumenta varia, & quorundam ſententias referam, tertio, quotuplex ſit vnitas aperiam, & vtramque explanabo, quarto, patefaciam quomodo vtraque illa vnitas ſe habeat ad eſſe extra animam, quinto, diſcutiam, an aliqua vnitas pluribus communis ſit extra animam, ſexto, concluſionem præmiſſam in 5. art. declarabo, & tuebor, ſeptimo, concluſionem ſtatuam, quæ demum huic quæſtioni directe ſatisfaciat, vltimo, quæ argumenta obſtabunt ijs quæ tota quæſtio definierit, diluam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid in quæſtionem veniat.

NOn eſt quæſtio de vnitate numerali, quoniam illa ſolum eſt vna numero natura, quæ eſt in hoc, vel in illo indiuiduo, nunc autem conſtat, nos nó inquirere de hac natura, vt ſedem habet in indiuiduis, ſed vt eſt in abſoluta ſua conſideratione, ac ſecundum ſe, ſimiliter non inquirimus de vnitate illa rationis, quæ naturam ipſam conſequitur, quatenus eſt in intellectu, tunc enim non foret quæſtio de natura ſecundum ſe, adeo quod vltra vnitatem numeralem, quæ debetur naturæ, vt eſt in indiuiduis, & illam rationis, vt eſt in intellectu, quærimus, num aliquam aliam vnitatem, vel pluralitatem ſibi vt ſic obtineat.

Rurſus, cum præter numeralem vnitatem, triplex alia vnitas aſſignetur, vt patet ex quinto Diuinorum 12. ſpecifica ſcilicet, generica, & proportionalis, ſeu analogica, de triplici hac vnitate non eſt quæſtio, num earum aliqua naturæ vt ſic debeatur, nam ex Auctore, & Alenſi, & Scoto, & Antonio Andrea, & Sueſſano, & ex communi ferè ſententia, diuiſio illa Vnius ibi ab Ariſtotele tradita, vocatur logica, & ſecundum logicas intentiones, ſaltem ratione prædicandi, atque ideo ab intellectu fabrefactas, & naturæ tributas, prout in intellectu habet eſſe obiectiuum. Ariſtotel. Commune iudicium, circa vnitates aſſignatas quinto Diuinorũ 12.

Inſuper, cum quot modis dicatur ens, totidem dicatur & vnum, cum duplex ſit ens, reale alterum, alterum rationis, duplex quoque erit vnitas, realis

ſcilicet

ſcilicet & rationis, ſic indagatur de vtraque vnitate, num ſcilicet natura ſecundum ſe habeat vllam vnitatem, vel realem, vel rationis; Neque turberis, ſi dixeris, non eſſe quæſtionem de vnitate rationis, notanter enim addidi de vnitate illa rationis, quam conſequitur, ex hoc quod eſt in intellectu, de hac enim non quæritur, at quoniam vnitas omnis, prout diſtinguitur contra vnitatem rei in actu exiſtentis, poteſt vocari rationis, veluti & ens quod actu non exiſtit, poteſt quadam ratione dici ens rationis, ea propter iure poteſt eſſe quæſtio, an natura vt ſic potiatur aliqua vnitate, vel ſcilicet reali, vt in actu exiſtat, vel rationis, vt ſcilicet quamuis actu non exiſtat, vnitate nihilominus gaudeat.

Denique, cum omnis vnitas ſub ea ratione, qua à numerica diſtinguitur, poſſit iure vocari formalis, ſiue fuerit realis, ſiue rationis, quærimus, num natura ſecundum ſe habeat aliquam formalem vnitatem; formalis vero vnitas conſiſtit non in reſpectu ad partes aliquas ſubiectiuas, de quibus dicatur, veluti contingit in vnitate logica, quæ eo modo prædicandi attenditur, ſed in modo quo eſt in ſeipſa; Cum autem præhabita quæſtione ſatis innotuerit, vnitatem dicere indiuiſionem, & nihil addere ſupra ens, niſi hanc indiuiſionis negationem, dum inquiritur, num natura vt ſic aliqua vnitate formali gaudeat, inquiſitio eſt, num aliquo modo ſit in ſe indiuiſa, & quoniam multipliciter, vt patebit contingit diuiſio, & indiuiſio formalis adeſſe, de omni diuiſione, atque indiuiſione formali indiſcriminatim eſt noſtra quæſtio, ac proinde de quauis vnitate, &c.

In quo ſtet formalis vnitas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Arguitur in vtriuſque partis ſuffragium.

Rationes pro parte affirmante.

Ariſtotel.

Apparet certe aliquã vnitas naturę vt ſic tribuẽda eſſe, ſi enim nõ eſſet vna, neque definiri, neque intelligi poſſet, intelligitur autem, & definitur, ergo eſt vna, conſecutio quo ad vtramque partem probatur ex Ariſtotele, & quo ad primam ex ſeptimo Diuinorum 13. quo ad ſecundam, ex quarto eorũdem 10. ibi enim habetur, definibile non eſſe quod non eſt vnum, hic vero, quod nihil intelligere contingit, nihil vnum intelligentes.

Deinde, Ex quarto Diuinorum tertio, ens, & vnum eandem naturam dicũt, & vt præcedenti quæſtione vidimus, in re ipſa conuertuntur, ergo quod eſt ens, eſt vnum, at natura ſecundum ſe accepta eſt ens, aliàs non foret natura, ergo ſecundum ſe eſt vna.

D. Thom.

Tertio, Aperte docet Auctor tractatu de genere cap. 7. quod in ipſa natura abſolute ſumpta, & ſecundũ quod non eſt in inferioribus cõſiderata, eſt quædam vnitas, & rationem ſubdit, quoniam definitio eius eſt vna, & nomen vnum; Idipſum habet eodem tractatu cap. 15. eſſe videlicet naturas quaſdam, quæ præter vnitatem, quam habent in intellectu, aliam quandam vnitatem habent in eſſe quidditatis, vel naturæ, vel eſſentiæ, quare & vnitatem, quæ ineſt ipſis per intellectum, docet deſcendere in inferiora, quod negat de vnitate, quam habent in ſeipſis, &c.

Præterea quarto probatur, naturã ſecũdum ſe habere aliquam realem vnitatem

tem minorẽ vnitatẽ numerali,(cõuenit enim inter omnes,nõ poſſe habere vnitatem numeralem,) Ex ſeptimo Phyſ. 29. in ſpecie athoma fit cõparatio, quoniam eſt vna natura, non autem in genere, quoniam genus non habet talem vnitatem, tunc vel eſt ſermo de vnitate reali, vel rationis, non ſecundum, quoniam & conceptus generis apud intellectum eſt vnus, velut eſt conceptus ſpeciei, ergo de vnitate reali, non numerali vt conſtat, nam ſpecies non gaudet vnitate numerica, & præterea, in tali vnitate non fit comparatio, ergo natura ſecundum ſe habet realem vnitatem minorem numericam. Ariſtotel.

Quinto, Si natura nullam habet vnitatem realem, ergo non plus diſtinguitur hic homo ab hoc homine, quam à lapide, ergo omnia forent æque diſtincta, patent illationes, quoniam hic homo differt ab hoc homine numero, ſic & à lapide, neque plus poteſt à lapide differre, quoniam in nullo poteſt plus realiter conuenire cum hoc homine, quam cum lapide, nam conuenientia nulla realis poteſt eſſe numeralis, & ſi alia non datur, iam æque cuncta differunt. Vt breui dicatur ſic; Omnia quæ differunt, ac diſtinguuntur, numero diſtinguuntur, ac differunt, & in nullo alio reali queunt conuenire, ſi natura nullam habeat realem vnitatem, ergo omnia æque differunt, quod eſt falſum, magis enim conueniunt duo homines, quam homo, & lapis; Confirmatur, quoniam videmus animalia vnius ſpeciei maiori ſe inuicem dilectione proſequi, gratius conuiuere, ac multo ſimiliora eſſe, quam animalia vel ſpecierum, vel generum diuerſorum, vt patet ad ſenſum, & tamen conſtat, non conuenire in aliqua numerica vnitate, ergo in aliqua alia reali, non enim eſt confugiendum ad illam rationis, quæ etiam in ſpeciebus variis ſub vno genere adeſt, &c.

Sexto, Nulla vnitas realis amouetur ab aliquibus, niſi illa includant aliquam diuerſitatem, quæ ſit illi vnitati oppoſita, nam oppoſitum non remouetur ab aliquo, niſi per aliud oppoſitum, at indiuidua eiuſdem ſpeciei, non includunt aliquam diuerſitatem extra intellectum, quæ ſit oppoſita vnitati naturæ ſpecificæ, diuerſitas namque numerica non opponitur ſpecificæ, ſed ſolum numericæ vnitati, ergo ab iſtis numero diſtinctis non remouebitur vnitas naturæ extra intellectum.

Sexto, Quæ diſtinguuntur realiter, & non ſecundum omnem rationem incluſam in eis, conueniunt in aliqua vna ratione, & habent vnitatem aliquã realiter, videtur clara hæc propoſitio, ſed indiuidua eiuſdem ſpeciei diſtinguuntur realiter, & non ſecundum omnem rationẽ incluſam in eis, ergo, &c. probatur minor, tum quoniam Sortes non diſtinguitur à Platone inquantum homo, nam tunc omnis homo diſtingueretur à Platone, & ita Plato diſtingueretur à ſeipſo, ergo non penes omnem rationem diſtinguitur, tum quoniã nihil diſtinguit aliquid ab alio, niſi illud cadat ſub contradictorio illius, (non enim albedo diſtinguit album, niſi ab eo, quod cadit ſub non albo,) ergo humanitas in Sorte non diſtinguet ipſum ab aliquo, niſi cadat ſub contradictorio hominis, ſub non homine ſcilicet, at Plato vt conſtat, non cadit ſub non homine, ergo humanitas in Sorte non diſtinguet ipſum à Platone, ergo ſunt indiſtincti Sortes, & Plato in humanitate, ergo humanitas habet ſecundum ſe realem vnitatem minorem numerica, &c.

Octauo, & vltimo, Si natura ſpecifica nõ eſſet vna extra animam actualiter, & realiter, tunc vnitas ſpeciei eſſet ficta, illud enim ens, cui nihil ad extra reſpondet, eſt fictum, quare ſi ſpeciei vnitas ſit tantum in intellectu, & ei nulla

vnitas

vnitas realis in re reſpondeat, ficta eſſet, & nihilominus vere, ac realiter duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, omni intellectus opere ſemoto, ſunt vnum in ſpecie, nam quæ non habent diuiſionem vt ſic, ſunt vnum, ex quinto Diuinorum 11. indiuidua autem in ſpecie non habent diuiſionem, quare, &c.

Ariſtotel.

Propter quartum, & quintum argumentum Scotus ſeptimo Diuinorum q. 18. & ſecundo ſent. diſt. 3. quæſt. prima docet, naturam ſecundum ſe habere vnitatem aliquam realem minorem vnitate numerali, ad quod probandum quattuor alia eiſdem locis adducit argumenta, de quibus quæſtione ſequenti de vniuerſalibus fiet mentio; Propter eadem argumenta Antonius Trombeta quæſt. 8. ſeptimi Diuinorum in Scoti ſententiam adducitur, & addit argumenta, quæ nos ſexto, & ſeptimo loco retulimus, & aliud etiam, quod ideo non recenſui, quoniam eodem vitio laborat, quo deprehendetur laborare ſextum, Antonius quoque Andreas q. ſua 16. ad eundem librum Diuinorum, tertia conclusione ob eaſdem rationes, quas adfert Scotus, huic eidem ſententiæ manus dedit. In quam Iandunus etiam deſcendit q. ſua 12. quinti Diuinorũ, motus octauo, & vltimo argumento noſtro, & alijs quibuſdam, quæ vniuerſaliũ exiſtentiam admiſcent.

Poſitio Scoti. Antonij Trombetę. Antonij Andreæ. Ianduni.

Hæc mihi viſa ſunt argumenta efficaciora, quibus videtur probari, naturam abſolute ſumptam, habere aliquam vnitatem, & realem, & minorem numerali.

Ex altera parte, nulla penitus vnitas, aut pluralitas naturæ ſecundum ſe acceptæ tribui poſſe apparet, ſic enim manifeſte docet Auctor hoc loco, circa cuius verba mouetur hæc quæſtio, ſic illud probatum reliquit, & nos cum ipſo in literæ diuiſione, tunc enim vel ſemper eſſet vna, vel multiplex, vt deducebatur, & tamen modo vnitatem, modo pluralitatem ſibi conuenire intuemur.

Rationes pro parte, quæ negat.

Præterea, Adeſt teſtimonium illud percelebre, ac peruulgatum apud omnes, qui hanc difficultatem verſant ipſius Auicennæ, quinto libro ſuæ Metaphyſicæ cap. primo, vbi ait, equinitas eſſe tantum equinitas, nam in definitione equinitatis non ingreditur vniuerſalitas, vel particularitas, hæc enim accidunt ipſi quidditati, vt quidditas eſt.

Famoſum Auicennæ dictũ.

Tertio, Quicquid eſt ad extra in rerum natura, eſt ſingulare, at vnitas hæc, quæ ponitur in natura, realis eſt, & ad extra, ergo eſt ſingularis, ergo non habet natura vnitatem minoré vnitate numerali, omne ſiquidem quod eſt, vnũ numero eſt; maior propoſitio conſtat, tum inductione, quoniam omne ens in mundo, aut eſt hæc ſubſtantia, aut hoc accidens, tum ratione, quoniam quicquid eſt præter Deum, aut ab ipſo accepit eſſe per creationem, aut à ſecundis cauſis per generationem, at generatio eſt circa ſingularia, ex procemio primi Diuinorum cap. primo, & ſeptimo eorundem 26. & 27. pari ratione, & creatio, vt norunt Theologi, minor autem eſt ipſa poſitio, contra quam arguitur.

Ariſtotel.

Quarto, Si natura quæ eſt in Sorte, habeat vnitatem realem ſpecificam minorem vnitate numerali, iam igitur in Sorte ſunt duæ vnitates reales, ergo & duæ entitates, patet conſecutio, quoniam cuilibet vnitati reſpondet entitas ſua, & e contra, ſic multiplicata vnitate, multiplicabitur entitas, hæ duæ entitates, ſunt duæ humanitates, ergo Sortes habet duplicem humanitatem, ergo eſt duo homines; Neque poteſt reſponderi, vnitatem illam ſpecificam non ponere in numero, nam ponitur ab ipſis realis, & minor vnitate numerali, quare nequit illi eadem eſſe; Neque poteſt dici, quod vnitate numerica ſuperueniente,

Defenditur hæc quarta ratio.

ueniente, illa recedat, tunc enim numquam adeſſet in re, numquam foret realis, quoniam ſemper eſt coniuncta numericæ; Adde, quod vt ipſi arguunt in ſexto argumento, non aufertur vnitas realis ab aliquo, niſi per ſuum oppoſitũ, ergo vere manebit in Sorte, ergo in quouis indiuiduo duæ reales vnitates, ac proinde indiuiduum non eſt indiuiduum.

Confirmatur hæc ratio, Eſſe reale non ſuſcipit magis, & minus, quamuis enim ſit diſcrimen inter ens permanens, & ſucceſſiuum, attamen ita reale ens eſt hoc pro illo tunc, in quo eſt, ac illud; ſic itaque, realis erit illa naturæ vnitas, non minus quam numerica, nam licet diſcriminentur in tali realitate, non tamen in realitate, ergo ſicut vnitati numericæ reſpondet entitas, ita & vnitati illi minori numerica vnitate, debet ſua entitas reſpondere, & duplex hæc vnitas eſt in indiuiduo, ergo duplex entitas; Neque valet dicere, vt videtur longo proceſſu innuere Trombeta loco allegato, dum reſpondet ad primum, quod hæ duæ naturæ, communis videlicet, & numerica in indiuiduo non diſtinguantur; Quoniam ſi ſit realis vnitas illa minor, & ſit alia huius, alia illius vnitas, iam realiter diſtinguuntur, pugnat enim, quod ſint duæ realitates, & quod vt duæ maneant, & quod non realiter diſtinguantur, ſaltem in natura limitata, quæ non habet, vnde ſibi omnia eadem faciat, ex illorum autem ſententia manet, vt prius arguebam, quare &c. Antonius Trombeta.

Denum, Si vnitas hæc naturæ ſecundum ſe eſt realis, ergo in illa conuenient indiuidua eiuſdem ſpeciei, ergo in aliquo vno reali conueniunt, ergo in ſingulari, ergo non erunt duo indiuidua, & quidem priores duæ conſequentiæ patent, poſteriores quoque euidentes relinquuntur ex tertio argumento, vbi probatum eſt, omne quod eſt in mundo reale, eſſe ſingulare, implicat autem, duo ſingularia diſtincta in ſingulari conuenire. Confirmatur, quoniam corrupto Sorte, adhuc remaneret aliquod eius quidditatiuum, & reale, & ſic non omnino corrumpitur, nam vnitas illa remanet, aliàs cum illa ſit omnibus indiuiduis illius ſpeciei communis, ſi corrumperetur, oporteret ad vnius indiuidui interitum, omnia alia interire, quod ſi dicatur corrumpi quidem, at non abſolute, ſed vt eſt huius, & huius, iam aliquod vnum, & idem reale millies in die acquiret, & deperdet eſſe, via generationis, & corruptionis, quæ omnia abſona ſunt.

His igitur, & illis priori loco relatis argumentis, res ſatis dubia apparet, vt non penitus facile ſit dignoſcere, quæ rationes ſint validiores.

ARTICVLVS TERTIVS.

Duplex vnitas adſertur, & explicatur.

Conclusio. Conclusionem ſtatuamus, quæ dicat: Duplicem eſſe vnitatem, vt ad propoſitum attinet, alteram numeralem, alteram formalem, & hanc formalem multiplicem inueniri.

Quid ſit vnitas. Vt hanc concluſionem percipias, nota quod cum vnitas nihil aliud ſit, quam indiuiſio, vt primo art. dicebatur, & hæc indiuiſio ſit quædam priuatio, ſeu negatio, ex natura ipſius diuiſionis, quæ eſt illius habitus, & affirmatio, dignoſcetur quotuplex ſit, nam iuxta diuiſionis varietatem, varias quoque nacti eri-

mus vnitates; affirmationem etenim, priorem negatione docuit Ariſtoteles ſecundo Cœli 18. & priuationem ex habitu innoteſcere, ab eodem didicimus 3. de Anima 25. Vt autem non obſcure patuit in annotationibus ad caput præcedens, duplex datur diuiſio, quædam ſcilicet materialis, quæ oritur ex principijs indiuiduationis, & quædam formalis, quæ fit per eſſentialia, & illa quidē eſt diuiſio formæ, at non formalis, hæc vero quoniam eſt formæ vt ſic, formalis ſubinde eſt, & hæc multiplex conſurgit, nam quædam eſt per eſſentialia principia propria, quædam per eſſentialia principia communia, & quatenus hæc magis, & minus ſunt communia, eatenus maior, & minor diuiſio eſt formalis, ſic inter duo indiuidua eiuſdem ſpeciei cernis diuiſionem non formalem, ſed numeralem, quoniam eorum diuiſio non eſt ex principijs eſſentialibus, ſed ex indiuidualibus tantum, non per intrinſeca formæ, ſed per extrinſeca, at inter duo indiuidua diuerſarum ſpecierum, puta inter hunc hominē, & Brunellum intuemur diuiſionem formalem, animal enim vt ſic, & formaliter in illos eſt diuiſum per rationale, & irrationale, inter hunc hominem vero, & hanc plantam, latiorem inſpicimus diuiſionem, quoniam differt hic homo per principia eſſentialia magis communia, quam eſſent rationale, & irrationale, per quæ differebat à Brunello, nam differt per ſenſibile, & inſenſibile, & conſtat, ſenſibile eſſe principium, quod pluribus ſpeciebus conuenit.

Ariſtotel. *Quotuplex diuiſio.* *Qualis diuiſio inter indiuidua eiuſdem ſpeciei.* *Qualis inter illa ſpecierū diuerſarum.*

His viſis, eodem prorſus modo de vnitate ſentiendum eſt, vt inquit hoc loco Caietanus, quemadmodum enim diuiſio numeralis illa erat, quæ proficiſcebatur ex principijs indiuidualibus; ſic vnitas numerica ea erit, quæ talem diuiſionem nequit compati, & cum ex quinto Diuinorum 12. ſi aliqua ſunt vnum numero, ſint etiam vnum ſpecie, & omni alia vnitate, non autem vice verſa, ſi vnitas numerica ſit per indiuiſionem principiorum indiuidualium, multo magis includet etiam indiuiſionem principiorum eſſentialium, ita neque materialiter, neque formaliter erit indiuiſibilis, ſic erit vera, & abſoluta vnitas. Sicut autem diuiſio formalis erat, quæ merito principiorum eſſentialium emergebat, ita vnitas formalis erit, quæ ſecum habebit priuationem formalis diuiſionis, & ſi nullam diuiſionem formalem admittet, erit formalis vnitas ſimpliciter. Et tandem, velut diuiſio illa non vna erat, quoniam multiplicia aderant principia eſſentialia, iuxta quæ attendebatur, ita & formalis hæc vnitas multiplex apparebit, ſecundum varia prædicata eſſentialia, & principia magis, ac minus communia, in quæ, ſeu per quæ non diuidetur, ita videbis, Sortem vnum numero, & numerali vnitate gaudere, quoniam non eſt in ſe per differentias materiales diſtinctus, & multo minus per formales, vnde omni potitur vnitate; Hominem autem cernes carere vnitate numerica, quoniam per materiales differentias in Alexandrum, & Adrianum eſt partitus, eſt tamen vnus formaliter, & formali vnitate ſimpliciter fruitur, cum non poſſit diuidi per eſſentiales differentias; quoniam eſt ſpecies athoma, per athomam differentiam conſtituta, vt commemoratis annotationibus dicebatur; Animal vero contemplaberis vnum quidem formaliter, at non ſimpliciter, eſt quippe vnum formaliter, quatenus non patitur diuiſionem per hæc eſſentialia, ſenſibile videlicet, & inſenſibile, (nam ſi per hæc diuideretur, non remaneret animal, cum ſenſibile ſit proprium eius conſtitutiuum,) non eſt autem vnum vnitate formali ſimpliciter, quoniam ſecum admittit diuiſionem aliquam formalem, cum diuidatur per rationale, & irrationale, quæ liquet eſſe eſſentialia, & ſic quo magis ad ſuperiora in recta linea præ-

Caietanus. *Ariſtotel.* *Vnitas numerica quæ.* *Quę formalis.* *Quomodo vnū indiuiduū.* *Quomodo vna ſpecie.* *Quomodo vnum genus.*

dicamentali pergis, minorem vnitatem formalem comperis, quandoquidem prædicata ſuperiora ſunt communia magis, atque ideo multiplici diuiſione formali diuiſibilia, quod ſi arborem, quam habes à Porphirio egreſſus, inſpicias ens, ipſum vt minimum vnum agnoſces, vnum quidem, quatenus non eſt in ſe diuiſum proportionaliter, vt minimum autem, quoniam cum hac debili adeo vnitate, tantam diuerſitatem formalem ſecum admittit.

Quomodo vnum ens.

Sic itaque, velut omnis vnitas eſt indiuiſio, ita hæc, & illa vnitas, eſt hæc, & illa indiuiſio, huius ſcilicet, & illius diuiſionis priuatio, ſic dum audis Hieronymum eſſe vnum numero, audis illum eſſe ens, quod caret diuiſione numerali; & quando dicis homimem, & animal eſſe vnum formaliter, dicis vtrumque carere diuiſione formali, licet diuerſimode, quoniam ille caret omni formali diuiſione, ac ſubinde eſt vnus formaliter ſimpliciter, hoc vero, non niſi ſecundum quid, quoniam cum ſua formali vnitate, patitur formalem aliquam diuiſionem, vt ex ijs, quæ dicta ſunt patere cuique poteſt.

Ex his colliges, optime dixiſſe Auctorem in expoſitione 31. ſeptimi Phyſicorum, quod genus non eſt aliquid vnum ſimpliciter, ſed ſpecies ipſa eſt quid vnum ſimpliciter; genus enim, (ait) non eſt vere vna natura, ſpecies vero eſt vna natura, quoniam ſpecies ſumitur à forma vltima, quæ ſimpliciter eſt vna in rerum natura, genus autem non ſumitur ab aliqua forma, quæ ſit vna in rerum natura, ſed ſecundum rationem tantum, quoniam ſecundum diuerſas formas in natura rerum exiſtentes, diuerſæ ſpecies generis prædicationem ſuſcipiunt, hinc apud logicum rationes conſiderantem, genus erit vnum, quod non erit apud phyſicum, res, ac naturas contemplantem; Ita ſpecies maiori gaudet vnitate, quam genus, quoniam dicit aliquam formam, quæ quantum eſt in ſe, indiuiſibilis eſt, quod enim in hoc, & illo indiuiduo facta ſit alia, non prouenit ex aliquo illius formæ vt ſic, ſed ſolum ex parte materiæ ſub quantitate; genus vero dicit formam indeterminatam, & quæ in ſui eſſentia habet, vnde realiter fiat multiplex, non enim talis natura per extrinſeca ſolum, velut ſpecies, ſed & per intrinſeca fit multiplex. Immo illud addiderim, quod genus per ſe eſt diuerſificabile, per accidens autem eſt vnum, per ſe vtique diuerſificabile, quoniam ſibi eſt eſſentiale, vt illa natura potiatur, quæ per formas diuerſa fiat, quod autem habeat naturam vnius, ex intellectu prouenit, qui in duabus formis ſaltem, hoc eſt, in duabus ſpeciebus per duas differentias, ac formas oppoſitas, exilem quendam, & tenuem conceptum gignit. At vero de ſpecie totum oppoſitum proferam, dicam enim, eſſe ſibi eſſentiale, vt ſit vna, iam enim dixi ſumi ab vna, eademque indiuiſibili forma, accidere vero ſibi, vt talis forma multiplicetur, ab extrinſeco videlicet, ex parte, & agentis, & recipientis, & materiæ ſignatæ, &c. Sic vnitas per ſe aſpicit ſpeciem, diuerſitas ei accidit; at e contra, diuerſitas per ſe aſpicit genus, & ei accidit vnitas. Hinc eleganter Alenſis non longe à fine comm. 15. quinti Diuinorum vocabat formam, & conceptum generis non vnum, ſed fractum, & dicebat, quod in veritate magis poteſt dici plures conceptus, quam vnus, non enim aliud eſt ipſum genus, quam plures formæ, intellectus beneficio reductæ ad talem conceptum generis communem, melius tamen mihi placet, generis conceptum dicere frangibilem, quam fractum, vt idem doctor ibidem perpaucis interiectis ipſum vocat, nam tandem vnus eſt conceptus, quem format intellectus de genere, & in ratione generis non

D.Thom.

Vnde ſumatur ſpecies.

Vnde Genus.

Quam formā dicat ſpeciei.

Quam Genus.

Quid generi eſſentiale.

Quid ſpeciei.

Alenſis.

eſt fractus, neque in ordine ad ſuperiora, (ſi fuerit ſubalternum,) ſed cum hac vnitate, eſt frangibilis, & per alios formales conceptus ſpecificabilis; Sic Paulus à Soncino quæſt. ſua prima ad quartum Diuinorum dicebat, conceptum genericum eſſe magis confuſum, quam ſit conceptus ſpeciei, quoniam plures ſpecies indifferenter comprehendit, diſtinctum tamen illum fatetur, quatenus dicit vnam naturam, nam animal dicit ſenſibilitatem, & conceptus iſte ſenſibilitatis in eſſe generis non eſt fractus, (ſi enim frangatur, non remanet genus, ſed ad ſpecies deſcendit,) bene tamen de ſe frangibilis, ac ſpecificabilis eſt.

Soncinas.

Dum autem pluries audiſti, ſpeciem ſignificare vnam formam, vnum quid dicere, quod eſt à forma vna in rerum natura exiſtente, non ſuſpiceris eſſe ſermonem de aliqua vna forma numero, de aliqua re, quæ vna numero exiſtat, hoc enim falſum penitus eſt, velut enim genus non exiſtit niſi in ſpeciebus, ita neque ſpecies, niſi in indiuiduis, vtraque enim vnitas, & generis, & ſpeciei non eſt niſi rationis, vt plenius hac eadem, & ſequenti quæſtione conſtabit, at id accipias iuxta materiam de qua loquimur, de vnitate ſcilicet formali, vt patet ex dictis, ſemper namque ponimus ſpeciem eſſe vnam formam, hoc eſt, indiuiſibilem formaliter, eſt tamen diuiſibilis in plura numero, quocirca nequit eſſe vna numero, nam Auctore teſte ad primum decimi Diuinorum, non eſt in diuerſis ſingularibus aliqua natura vna numero, quæ poſſit dici ſpecies, ſed intellectus apprehendit vt vnum illud, in quo omnia inferiora conueniũt, & ſic in intellectus apprehenſione ſpecies ſit indiuiſibilis, quæ realiter eſt in diuerſis indiuiduis diuerſa; quare & Ariſtoteles ibidem ait, quod vnum ſpecie eſt indiuiſibile cognitione, & ſcientia, & ratione, & Alenſis eodem loco inquit, humanitatem in cognitione, & ratione vnam eſſe, quoniam cognoſcere humanitatem, eſt cognoſcere vnam realitatem, & vnam formalitatem, & tamen humanitas non eſt vna in eſſe, quoniam ſecundum illud multiplicatur, & diuiditur, vnde plura in eſſe, ſunt vnum in cognitione, & conceptu: Hinc Porphyrius cap. de ſpecie docebat, plures homines, (ecce diuerſitatem in eſſe,) vnum hominem eſſe, participatione ſpeciei, vbi cernis conceptus vnitatem.

D.Thom. Ariſtotel. Alenſis. Porphyr.

At mox dices, ſi neque ſpecies eſt vna in re, ſed vnitas ei ex intellectu accidit, ergo velut dicebatur generis conceptus frangibilis, quoniam eius vnitas ſibi ex intellectu proueniebat, ita & ſpeciei conceptus, frangibilis erit nuncupandus, At ex doctrina tradita, nullum eſſe hoc motiuum deprehenditur, quandoquidem non eadem vnitas prouenit conceptui generis, ac ſpeciei ope intellectus, quoniam ille generis ita eſt vnus, vt tamen formaliter ſit frangibilis, ſic non eſt vnus ſimpliciter formaliter, ſed ſecundum quid, ille vero ſpeciei ita eſt vnus, vt nullo modo in formas plures queat partiri, ſic formaliter eſt vnus ſimpliciter, & quoniam ſemper in præſenti de formali vnitate loquimur, ideo merito ſpecies dicitur vna ſimpliciter, genus vero nequaquam, Non itaque conceptus generis ea propter dicitur frangibilis, quoniam ab intellectu eius vnitas proueniat, nam tunc & ille ſpeciei talis dici deberet, ſed quoniam talis vnitas, formaliter ſcilicet diuiſibilis, &c.

Dubitatio. Soluitur. Quomodo ſit vnus cõceptus generis. Quomodo ille ſpeciei.

Cæterum vbi hæc de vnitate numerica, & formali effati ſumus, ſciſcitatur iure quis, an hæ vnitates ſint reales, an vero rationis; Pro quo nota cum Caietano in præſenti, quod ens reale duobus modis dicitur vno modo,

Caietanus.

modo, vt diſtinguitur contra ens fabricatum ab intellectu, ſeu fictitium, alio modo, vt diſtinguitur contra illud, quod actu non exiſtit. Tunc dico, quod ſicut eſſentia generica, vel ſpecifica eſt ens reale primo modo, ſic & earum vnitas pari via eſt ens reale, idem enim eſt iudicium de quauis re, & de eius vnitate, quare vtraque vnitas eſt ſecundum ſe realis, non in eo ſenſu, vt in rerum natura exiſtat, ſed ita realis, vt non fictitia; velut autem entitas numerica, ſiue eſſentia vna numero, eſt ita realis, vt in actu extra nihil exiſtat, eſt inquam realis ſecundo modo, ita et eius vnitas eodem pacto realis cenſenda eſt; Sed quoniam illud dumtaxat vere, ac proprie reale ens eſt, quod ſecundo modo accipitur, ideo vnitas formalis non niſi cum addito, realis ſecundum ſe vocanda apparet, hoc eſt, non conficta ab intellectu, non fictitia, vnitas autem numeralis, ſimpliciter, & abſolute realis eſt dicenda. Quod autem ens reale in ſecundo caſu tantum ſit vere, & omnino ens reale, patet & ex Ariſtotele, & ex Auctore, nam ille in cathegorijs cap. de ſubſtantia ait, deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid remanere, iſte vero quæſtionibus diſputatis de Potentia, quæſt. 3. art. 5. ad ſecundum habet, eſſentiam abſque exiſtentia, hoc eſt, antequam actu exiſtat, nihil eſſe; liquet autem, quod ſi eſſentiæ prædicamentales antequam ſint, eſſent quid vere reale, & primis ſubſtantijs deſtructis aliquid remaneret, & ſine exiſtentia haud congrue poſſent nihil vocari.

Quomodo realis vnitas generica, & ſpecifica.

Quomodo realis illa indiuidui.

Ariſtotel.

D. Thom.

Satis itaque patet, dari vnitatem numericam, & formalem, quid vtraque ſit, quomodo realis, & non realis, & quomodo inter vnitates formales attendatur latitudo, vt ſemper unitas ſpecifica ſit dicenda maior, quam illa generis, & inter illas generum, maior illa inferioris, quare in hoc terminetur tertius hic articulus, &c.

Epilogus dictorum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo vnitas numeralis, & formalis ſit extra animam.

ILlud pro quarto propoſito dicamus, Vtramque vnitatem, & numeralem ſcilicet, & formalem, extra animam exiſtere. Quam concluſionem, ſeu quod pronunciatum, adeo manifeſtum eſſe legimus apud Caiet. hoc loco, vt nullus ſanæ mentis illud poſſit inficiari: In Sorte etenim, quouis intellectu negotio poſthabito, videmus vnitatem, & numeralem, nam caret in ſeipſo diuiſione numerali, & formalem, quoniam caret itidem diuiſione formali cauſabili per principia, & propria, & communia, formalis autem vnitas iuxta multiplicitatem quidditatiuorum, aut formalium prædicatorum, multiplex eſt, nam quatenus eſt animal, vnitatem habet formalem, qua nequit ſecari per ſenſibile, & inſenſibile, quatenus corpus, illa gaudet, qua nequit partiri in corporeum, & incorporeū, &c. Et velut in quouis indiuiduo vnumquodque eius prædicatum quidditatiuum eſt extra animam, (ſiquidem extra animam Sortes eſt animal, viuens, corpus, &c.) ita quæuis eius vnitas formalis, extra animam eſſe iudicari debet.

Concluſio.

Caietanus.

Quot vnitates in Sorte.

Vt quæ dicimus intelligas, & non credas, me mihi ipſi non conſtare, dum art. præcedenti aſſerebā, vnitatem formalē non eſſe quid vere, ac proprie reale, nunc autem dico, hanc eandem vnitatem eſſe extra animam, ac vere realem,

D.Thom. id aduertere debes, quod colligitur ex Auctore tractatu de genere, opuſculo 42. cap. 7. & plene habetur in Capreolo 3. ſent. diſt. 5. quæſt. 3. ad varia Scoti argumenta contra primam concluſionem, & attente conſideranti apparebit, idipſum innui, licet breuiſſime à Caietano in hac quæſtione circa quartum quod proponit, quod nimirum natura in ſe ipſa abſolute conſiderata gaudet quadam vnitate in eſſe quidditatis, eſt enim in ſe vna eſſentia, quippe quæ vnitas, non ex intellectu, ſed ex ſe ipſa ſibi ineſt, quam ſuperiori articulo dicebam realem in primo ſenſu, hoc eſt, ab intellectu non fabrefactam; eadem vero natura conſiderata prout habet eſſe in ſingularibus, aliam obtinet vnitatem, vere, ac proprie realem, (interim miſſam facio vnitatem rationis, quam ſortitur, quatenus habet eſſe in intellectu, nam de vnitatibus realibus nunc eſt ſermo,) quæ ſibi prouenit ex illo, & ex illis ſingulari, & ſingularibus, in quo, & in quibus eſt, ex hoc autem, quod merito ſingularium, in quibus inuenitur, aduenit ſibi hæc realis vnitas, non amittit aliam illam vnitatem, quam ſibi vt ſic in ſua natura vindicat, adhuc enim in ſingulari exiſtens, id ei ineſt, quod de eius intellectu abſolute eſt, vt dicebat Auctor loco nominato, & Caiet. vbi ſupra ait, quod illa vnitas naturam ſemper comitatur, & ratio idipſum demonſtrat, quoniam quod alicui in eo quod tale conuenit, in quocumque ponatur, ei conuenit.

Quam vnitatẽ acquirat natura vt eſt in ſingulari.

Hanc igitur vnitatem, quæ naturæ vt ſic ineſt, ſecundum ſe dicimus realem, non in ſecundo ſenſu, vt ſcilicet ſecundum ſe, (nota ly, *ſecundum ſe*) ſit in actu extra animam exiſtens, ſed ſolum ea ratione eſt realis, quod non eſt chimerica, aut fictitia; Cum enim quidditas illa, ſeu eſſentia in ſe ſpectata, & vt eſt extra omnia ſingularia, non ſit quid proprie reale in actu exiſtens, ſed ſolum in potentia, illud conſequitur, vt neque eius vnitas in illa conſideratione ſit vere realis, quoniam conuenit naturæ, vt præcedit indiuidua, in quibus vera ipſius naturæ realitas incipit; Sic docte vt ſemper Auctor eodem tractatu cap. 15. dicebat, animal ſic acceptum, (hoc eſt, in ſui natura, & definitione) non dicere aliquod ens, cum non ſit in natura aliquod animal ſolum, ſed dicere eſſentiam, quæ ſane non habet exiſtentiam; niſi per id, quod habet eſſentiam (ecce ſingularia,) ſic quot erunt habentia eſſentiam, tot erunt eſſentiæ ſecundum eſſe, & mox ſubdit, quod habebit & eſſe, & vnitatem ab habente eam, quoniam idem eſt iudicium de vnitate, & eſſe, cum vnum, & ens conuertantur.

D.Thom.

Sic igitur verum eſt, vnitatem illam formalem, de qua art. præcedenti ſermo habitus eſt, non eſſe ſecundum ſe realem, niſi in priori illo ſenſu, at quatenus iam natura eſt in ſingulari, vnitas illa ſit vere, ac proprie realis, quæ tamen realitas non ineſt ſibi ſecundum ſe, ſed quatenus eſt in ſingulari, & cum in omni ſingulari nedum ſit hæc vnitas formalis, iam facta realis, ſed etiam vnitas numeralis, iam patet veritas noſtræ concluſionis, quod ſcilicet vnitas vtraque extra animam exiſtit, & inſuper omnia cohærent, quod ſcilicet vnitas formalis non ſit ens reale, quaſi actu exiſtens, verumtamen actu extra animam exiſtit, quoniam id verum eſt de natura ſecundum ſe accepta, hoc de eadem, quatenus eſt in hoc, vel illo indiuiduo.

Quod vt faciliùs adhuc reddatur, & omnibus in aperto ſit, id cogitabis, quod vnitas hæc vere realis, quam dicimus aduenire naturæ ſecundum illud eſſe, quod habet in ſingularibus, nequaquam dicenda eſt conuenire ipſi naturæ quidditatiue, aut eſſentialiter, etiam quatenus eſt in ſingularibus, nam vt

hoc

Hoc capite vidimus, & denuo videbimus, ipſi naturæ accidit & vniuerſalitas, & ſingularitas, quare huiuſmodi prædicata, vt ſcilicet dicatur vna, vel vniuerſalis, ſunt naturæ vt ſic aduentitia, & extranea, in quocumque eſſe natura ipſa concipiatur: Idem dicas de vniuerſalitate, quæ dicitur de eadem natura ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, quamuis enim ſibi ſub tali eſſe conueniat, non tamen eſſentialiter, aut quidditatiue, etiam ſub tali eſſe; Horum ratio non deſideratur, quoniam quod alicui accidit, numquam de ipſo ſub vlla ratione, vel ſtatu quidditatiue prædicatur; Itaque vere dicam, naturā ſecundum ſe non eſſe vmquam vnitate reali, poſteriori illo ſenſu vnam, ſemper tamē hac vnitate gaudere, dum eſt in ſingularibus, neque aliàs vmquam illam obtinere, niſi quando eſt ſub ipſis; ſimiliter dicam, naturam non eſſe vniuerſalem, niſi quatenus eſt in intellectu, & tunc ſub tali ratione eſſe ſemper vniuerſalem, & tamē numquam ex ſe ſub tali quoque eſſe, ac ratione, dici vniuerſalem; Ita ſenſu profundo Albertus Magnus quinto Diuinorū, tract. 6. cap. 7. dicebat, *Vniuerſale licet ab hoc quod eſt in intellectu non ſit uniuerſale, non eſt tamen uniuerſale, niſi eus in intellectu*. Hoc eſt, ipſa natura, cui tribuitur vniuerſalitas, non eſt vniuerſalis, ex hoc quod habeat eſſe in intellectu, ita ſcilicet vt vniuerſalitas in illo eſſe conueniat ipſi eſſentialiter, vel quidditatiue, (ſemper enim naturæ vt ſic in quouis eſſe accidet eſſe vniuerſalis,) non eſt tamen vniuerſalis, niſi quatenus eſt in intellectu, numquam enim ineſt naturæ vniuerſalitas, niſi beneficio intellectus, qui eam conſiderat abiunctam ab iis omnibus, quæ eam reddunt indiuiduam; Ita ſubtili ſtilo Subtilis Doctor diſt. illa 3. ſecundi ſent. quæſt. 1. dicebat, quod natura habens eſſe in intellectu, non habet primo ex ſe vniuerſalitatem, hoc eſt, non competit ei vniuerſalitas etiam in illo ſtatu eſſentialiter, quoniam licet ipſa intelligatur ſub vniuerſalitate, & ſub modo ipſam intelligendi, attamen docte inquit, vniuerſalitas non eſt pars conceptus eius primi, hoc eſt, intelligo ipſe, non cadit in ſui quidditate, & definitione, quoniam non eſt pas conceptus metaphyſici, ſed logici, vnde colligit, primam naturæ intellectionem eſſe, vt ei non cointelligatur aliquis modus, neque ille, quatenus eſt in intellectu, neque ille, prout eſt extra intellectum, quamuis modus intelligendi naturæ intellectæ, vt habet eſſe in anima ſit vniuerſalitas, (nam ſub illo eſſe eſt vniuerſalis,) ſed illa, vniuerſalitas ſcilicet, non eſt (inquit) modus intellectus, hoc eſt, non eſt modus conceptus quidditatiui, & eſſentialis ipſius naturæ, etiam in tali eſſe, ſic pari paſſu, neque vnitas illa realis realitatis exiſtentiæ eſt de conceptu ipſius naturæ, quatenus etiam conſideratur, vt eſt in ſingularibus, &c.

Quæ ſēper extranea ſint naturæ ſecúdum ſe.

Albertus Magnus.

Subtilis doctrina Scoti.

Ita elucere arbitror, quomodo licet vnitas formalis exiſtat extra animam, quod hoc articulo docetur, numquam tamē natura vt ſic habeat vnitatem formalem realem, hoc eſt, actu exiſtentem, ſed realem dumtaxat, quoniam non ab intellectu formatam, quod ſuperiori articulo aſſeuerabatur.

Sed dubium mouebat Caiet. circa has vnitates, formalem ſcilicet, & numeralem, quas in vno, eodemq; indiuiduo reperiri diximus, quomodo ſcilicet ab inuicem differant, an videlicet realiter, an ratione tantum, & velut clare dubium mouet, ita quoque clare diſſoluit. Collige tu, quod cum vnitas dicat ens ſub indiuiſione, includit neceſſario & poſitiuum, & priuatiuum, vt quæſtione proxima ſancitum fuit, ratione itaque poſitiui, non realiter, ſed ratione ſolum diſtinguuntur hæ vnitates, nam illamet res, & illudmet ens, (ecce poſitiuum,) quod eſt vnum formaliter, eſt etiam vnum numeraliter, idem enim

Dubium ex Caietano.

Ex eodem ſoluitur.

Sortes eſt Sortes, & homo, & ex conſequenti, idem eſt, quod caret vtraque diuiſione, & formali, & numerali, & vtraque gaudet vnitate, ratione vero priuatiui, cum aliud ſit id, quo priuat vnitas numeralis, & aliud, quo formalis, fiet vt reali penes hoc vnitates iſtæ diſtinctione differant, cum enim vnitas ratione priuatiui incluſi, ſit diuiſionis priuatio, ex natura ſui habitus conſideranda eſt, veluti eam articulo præcedenti hac via, & inuenimus, & multiplicauimus; Differunt autem realiter diuiſio numeralis, & diuiſio formalis, nam alia realiter ſunt, quantum eſt in ipſis prædicata varia formalia, penes quæ attenditur formalis diuiſio à prædicatis indiuidualibus, iuxta quæ deſumitur numeralis, & ita ſunt alia, quod in aliquibus ſeparata inuenientur hæc prædicata, & hæ diuiſiones; Sic in ſubſtantiis ſeparatis videmus diuiſionem formalem abſque numerali, (differunt enim ſpecie, non numero,) in his vero ſubſtantiis corruptioni obnoxiis, cernimus eiuſdem ſpeciei indiuidua habere diuiſionem numeralem, non autem formalem, ita enim differunt numero, vt ſpecie conueniant.

Dixi, *Quantum eſt in ſe*, quoniam in Sorte non inſpiciemus differre realiter prædicata, à quibus ſumitur diuiſio realis, ab illis, à quibus ſumitur numeralis, quoniam in ipſo idem realiter eſt homo, & hic homo, at hoc nihil obeſt, quando ſermo eſt de prædicatis ipſis ſecundum ſe; Cũ itaque habitus iſtarum vnitatum realiter differãt, dico quod abſolute loquendo, hæ vnitates etiam realiter differũt, quoniam vt arguit Caiet. quarumcumque priuationum habitus ſecernuntur realiter, & ipſas quoque priuationes realiter oportet ſecerni, ſic quoniam alia eſt realiter diuiſio formalis à numerali, alia etiam realiter eſt illa ab hac vnitate. In Sorte quoque hæ vnitates dico, quod quantum eſt in ſe realiter differũt ratione dicta, at quatenus ſunt in Sorte, quoniam in ipſo non differũt realiter prædicata formalia, & indiuidualia, dico, quod nõ diſtinguuntur realiter: nam hæc, & illa prædicata ſunt vnius, & eiuſdem numero rei, & indiuidui; Et hoc opinor voluiſſe innuere Caiet. quãdo vbi affirmauit, has vnitates in Sorte quo ad priuationes diuiſionum importatas, realiter diſtingui, (quod ipſe intelligo abſolute loquẽdo, nõ quatenus in Sorte vt ſic,) mox addidit: *Dummodo non fiat vis in hoc, quod diſtinctio realis ſit paſſio entis realis*, tũc enim certe nequeũt realiter diſtingui, cum vtraque diuiſio, cuius priuationem dicit vnitas, ſit vnius entis realis; Intelligo autem in vno & eodem vt ſic, neq; ratione priuatiui abſolute loquendo realiter diſtingui has vnitates, nam quod formaliter ſecernantur, nullus dubitare valet, at quantum eſt ex meritis ipſarum ſimpliciter, ratione priuatiui realiter ſecernuntur, quoniam alia eſt diuiſio formalis, alia numeralis, ergo alia priuatio diuiſionis, ergo alia vnitas, &c.

Quomodo in Sorte vnitas formalis, & numeralis diſtinguantur.

Illud poſtremo circa hoc aduerte, quod habes à Caietano tertia ſua propoſitione, quod ſcilicet vtraque vnitas extra animam exiſtens, multiplicatur ad earum rerum, quarum ſunt vnitates multiplicationem, nam ſi res, & rei vnitas ſunt vnum, & idem, nedum realiter, ſed & conuertibiliter, certe multiplicatis rebus, multiplicantur & ipſæ vnitates, ſic multiplicatis indiuiduis, eorundem numerales vnitates multiplicantur, ſic alia eſt vnitas numeralis Lelij, alia Socratis, & hoc facilitatis plenum eſt; Vnitates ſimiliter formales ad multiplicationem eorum, quorum ſunt vnitates multiplicantur, & quoniam hæ vnitates iuxta formalium prædicatorum indiuiſionem deſumuntur, quot indiuiſiones horum prædicatorum erunt, tot ſimiliter erunt vnitates forma-

les

lex, etiam in vno, & eodem compoſito, ſeu indiuiduo, vt in Socrate vltra vnitatem numericam, aderit & formalis, & multiplex, iuxta varia prædicata formalia, & quidditatiua, quæ in ipſa ſunt, ſic erit in ipſo vna formalis vnitas, quoniam eſt homo, alia quoniam animal, alia quoniam viuens, &c. vt enim omne prædicatum quidditatiuum dat aliquod eſſe, ita certe dat aliquā vnitatem; Quas ſane formales vnitates non credas in vno, ac eodem indiuiduo realiter eſſe diſtinctas, quoniam ab vna, & eadem forma ſub varijs conſiderationibus, & gradibus accipiuntur, quippe quæ forma omnia illa continet, ſi non formaliter, ſaltem eminenter; realiter tamen hæ vnitates ſecernuntur quantum in ipſis fuerit, & vt ſunt in variis ſuppoſitis, nam realiter diſtincta eſt formalis illa vnitas in lapide, per quam non eſt diuiſus per corporeum, & incorporeum, ab vnitate illa formali, quæ eſt in Sorte, quatenus eſt animal non diuiſus per ſenſibile, & inſenſibile, at in Sorte vnitas illa, qua eſt corpus, non eſt diſtincta realiter ab illa vnitate, qua eſt animal, vt dictum fuit, &c.

Quot formales vnitates in Socrate.

Quomodo ab inuicem ſecernantur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Nullam eſſe vnitatem pluribus communem extra animam.

Sit hæc concluſio tertia in ordine huius quæſtionis: Nulla vnitas exiſtit in rerum natura extra animam, quæ ſit communis pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis, loquendo in rebus creatis.

Concluſio.

Pro huius notitia obſerua, quod aliquam vnitatem pluribus in rerum natura eſſe communem, poteſt accipi dupliciter, poſitiue primo, & negatiue ſecundo, vtroque modo intelligitur hæc concluſio, & quidem quod non poſitiue, luce clarius lucet, neque enim inueniet quis citra diuinam naturam, aliquam, quæ vna, atque indiuiſa manens ſit in pluribus ſuppoſitis, eſt enim arcanum admirabile, & omnem captum ſuperans in ſanctiſſima Triade, vt natura diuina, vna numero exiſtens, ſit indiuiſa in tribus illis perſonis, & tria illa ſuppoſita realiter ab inuicem diſtincta, vna, & eadem numero natura gaudeant. Similiter dico, quod neque negatiue talis natura inuenitur, non enim datur vlla natura, quæ nulli ſuppoſito ſit propria, quod eſt eſſe commune negatiue; Quod vt intelligas, ſcies, quod natura quæ extra animam exiſtit, dupliciter poteſt conſiderari, primo ſecundum ſe, ſecundo quatenus iam eſt extra animam; ſi ſecundum ſe, ac ſolitarie conſideretur, profecto eſt communis pluribus negatiue, tunc enim non magis eſt appropriata huic, quam illi indiuiduo, at ſi ſpectetur vt extra animam exiſtit, iam non eſt amplius negatiue communis, quoniam non eſt amplius huic, & illi indiuiduo indifferens, ſed ita propria facta eſt illi indiuiduo, in quo eſt, vt nulli alteri poſſit amplius communicari, ſiue eſſe communis; Ex his penetrabis ea, quæ inter obſeruationes huius literæ innuebamus, quod ſcilicet aliquid poteſt conuenire alicui per ſe, vel in primo, ſecundo, & quarto modo perſeitatis, vbi ſemper aliqua cauſalitas, vel modus intrinſecus poſitiuus includitur, vel in tertio modo, vbi nulla cauſalitas, nullumque poſitiuum, ſed ſola ſolitudo exprimitur, ſic dum dicimus, quod naturæ ſecundum ſe acceptæ conuenit illa indifferentia, & communitas negatiua, non intelligimus in primo ſenſu, intrinſece ſcilicet, cauſaliter, & poſitiue, tunc enim & extra animam talis communitas ei conueniret, ſed in ſecundo ſenſu, vt ſcilicet in tertio modo perſeitatis, & ſolitarie, & negatiue.

Arcanum in ſanctiſſima Trinitate.

Quomodò naturæ ſecūdum ſe inſit communitas negatiua.

Hinc intimius ſpeculaberis, quoniam enim per ſe in hoc ſenſu, ſolitarie ſcilicet, opponitur ei, quod eſt eſſe cum alio, vt facile patet, quoniam illud dicit ſolitudinem, hoc aſſociationem, ideo quando natura erit cum alio, oppoſitum ſibi inerit illius, quod ei inerat ſolitarie acceptæ, oppoſiti namque modi eſſendi, oppoſitas quoque exigunt conditiones, quare cum naturæ ſolitarie conſideratæ inſit communitas illa negatiua, & indifferentia, eidem vt cum alio coniuncta eſt, inerit ſibi eſſe ita huic propriam, quod non illi, nam eſſe proprium opponitur ei, quod eſt eſſe commune, patet autem, quod natura extra animam exiſtens eſt cum alio, & ſolitudinem illam amiſit, (omnis namque natura exiſtens, in aliquo indiuiduo exiſtit,) igitur dum extra animam exiſtit, non communis vlla communitate, ſed ita propria erit ſuppoſito illi, in quo eſt, quod nulli alteri communis. Nullum itaque eſt argumentum à natura ſecundum ſe, ad ſeipſam, vt eſt extra animam, quoniam dum dicitur natura ſecundum ſe, ſola natura exprimitur, & ſolitarie accipitur, & ſic de ea prædicatur communitas illa negatiua, at dum dicitur natura, vt extra animam exiſtit, additur ipſi quædam conditio, quæ eſt eſſe extra animam, quare merito huius conditionis annexæ aliud prædicatum ei conueniet, & quoniam hæc conditio nedum eſt alia ab illa conditione, (ſi ita ſit vocanda,) qua natura accipitur ſecundum ſe, verum etiam eſt oppoſita, vt iam pateſeci, eapropter nedum aliud, ſed & oppoſitum prædicatum eſt tribuendum, vt eſt extra animam, prædicato illi, quod de ipſa ſecundum ſe dicitur; At de ipſa ſolitarie ſumpta dicebatur illa communitas, ergo ab eadem extra animam arcendum eſt hoc prædicatum, & ſibi oppoſitũ ſubintrat, adeo vt vere dicatur ita propria ei in quo eſt, vt non communis, & tota doctrina ex hoc pendet, quod indifferentiam illam, vel communitatem non exigit ſibi natura poſitiue, & intrinſece, ſed ſolum negatiue, ſub ea videlicet ratione, qua conſideratur vt non eſt cum alio, quare mox alteri coniuncta, prædicatum illud amittit.

Quid dicatur de natura, vt eſt extra animam.

Scotus.

Quocirca minus vere locutus eſt Scotus, quando ad finem quæſtionis illius primæ in ſuperioribus allegatæ, dixit communitatem conuenire naturæ extra intellectum, & non eſſe quærendam cauſam communitatis aliam ab ipſa natura, quaſi eadem natura ſit cauſa ſufficiens ſuæ communitatis, nos enim dicimus, talem communitatem negatiue dumtaxat ſibi conuenire, & quatenus eſt non cum alio, veluti pari via, vniuerſalitatem ex eſſe quod habet in intellectu, & ſingularitatem ex aſſociatione, quam habet ad indiuidua, ſibi conuenire docemus. Et quoniam conditio ſolitudinis non conuenit naturæ ratione ſui eſſentialiter, vel poſitiue, neque ea ratione, qua eſt extra animam, (tunc enim ſemper eſt aſſociata, & numquam ſola,) illud relinquitur, vt conueniat ſibi ratione intellectus, quippe qui natus eſt diuidere ea, quæ ſunt adunata in eſſe, vt auctor eſt Auerr. duodecimo Diuinorum 39. & prædocuerat Auicenna 5. parte de Anima cap. 5. ſic licet in eſſe extra animam numquam natura ſit ſola, ſed ſemper coniuncta cum affectionibus indiuidui, attamen intellectus ſeparat hanc naturam ab his conditionibus, & ſic ſeparata, ſub hac conſideratione eſt indifferens, & negatiue communis, quo ſit, vt ante actum intellectus nulla communitas in ipſa natura inueniatur. Ideo quemadmodum inquiritur cauſa, vnde natura habeat eſſe extra animam, & vnde habeat eſſe ſolitarium, quoniam neutrum in ſua ratione includit, (tunc enim omni tempore aliquid horum ei ineſſet,) ita etiam indaganda eſt cauſa ſuæ communitatis, & ſingularitatis, illa enim comitatur ipſam ratione eſſe ſui ſolitarij, vt ita loquar, hæc ratione

Auerroes. Auicen.

tione ſuæ exiſtentiæ extra animam. Non ergo communitas ſequitur naturam ratione ſui, tunc enim, vt bene arguit Caiet. in hac parte, Sortes eſſet communis, Plato eſſet communis pluribus, quæ ſtulta ſunt, & patet conſecutio, quoniam quod ſequitur naturam ratione ſui, prædicatur ſimpliciter, & abſque vllo addito de ſuppoſito illius naturæ, conſtat hæc propoſitio ex regula Ariſtot. in anteprædicamentis, Quando alterum de altero prædicatur, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur & de ſubiecto, liquet autem, naturã humanam prædicari de ſuis indiuiduis, quare ſi de natura ſecundũ ſe, & ratione ſui prædicatur hæc communitas, profecto hoc idem prædicari debet de indiuiduis, & hoc argumentum non latuit Zimaram annotatione illa ſua nobili ad quæſtionem 12. Ioannis Ianduni in tertium Diuinorum, vbi valide certe hanc argumentationem & repetit, & propugnat à vanis quibuſdam reſponſionibus, quæ ſibi poſſent adferri. Enimuero veluti quoniam vnitas formalis ſequitur naturam ratione ſui, ideo abſolute dicitur de indiuiduis illius naturæ, nam Plato eſt vnus formaliter, non video, quare communitas, ſi ſequatur naturam ratione ſui, non dicatur pariter de indiuiduis; ſimiliter quoniam prædicata eſſentialia, dicuntur de natura ratione ſui, iccirco de indiuiduis etiam dicuntur, nam Plato eſt corpus, ſubſtantia, &c. cur ſi communitas dicatur de natura ratione ſui, non dicatur Sortes communis pluribus. Accedit, quod vniuerſalitas, & ſingularitas non dicuntur de ipſa natura eſſentialiter, vel ſecundum ſe, vt præcedenti art. ex eodem Scoto ibidem patuit, ergo ab oppoſito, ſi vnitas hæc realis ſibi ſecundum ſe conueniat, de eadem eſſentialiter dicetur, quare & de omnibus, quæ ſtant ſub ipſa natura, non enim eſt maior ratio de vno, quam de alio prædicato, ſi omnia de ipſa eſſentialiter dicantur, &c.

Caietanus.

Ariſtotel.

Zimara.

ARTICVLVS SEXTVS.

Idipſum magis explicatur, ac defenditur.

VT hanc veritatem tibi, & alij efficias teſtatiorem, & omnia prope argumenta, quæ aduerſus ipſam adduci ſolent diluas, notabis, quod valde differunt hæc duo, ſi dicatur, natura inquantum huiuſmodi non eſt propria alicui, & ſi dicatur natura inquantum huiuſmodi eſt non propria, ſeu communis, primum ſiquidem docemus, & verum eſt, naturæ enim vt ſic non conuenit, vt alicui ſit propria, tunc enim ſemper ei eſſet propria, ſecundum autem falſum eſt, & illud negamus, non enim eſt verum, quod naturæ vt ſic conueniat eſſe non propria alicui, vel communis, tunc enim ſemper foret non propria, & numquam alicui propria, & ex hac litera iam patent hæ collectiones. Abſtrahit itaque ab vtroque ipſa natura quantum eſt in ſe, ab eſſe ſcilicet proprio, & ab eſſe non proprio, & neutrum ſibi vt ſic determinate vindicat, velut etiam animal abſtrahit à rationali, & irrationali, & motus ab eſſe actionis, & ab eſſe paſſionis, ſic verum eſt dicere, animal inquantum huiuſmodi non eſt rationale, & motus vt ſic non eſt actio, aliàs omne animal foret rationale, & omnis motus actio, eſt autem falſum dicere, quod animal vt ſic ſit non rationale, & motus vt ſic ſit non actio, quoniam tunc nullum animal eſſet rationale, & nullus motus eſſet actio, & priores conſequentias hoc caput docuit, quod enim conuenit alicui in eo quod tale, conuenit ei ſemper, &

A quo abſtrahant natura ſecundum ſe.

de omni, poſteriores quoque, nam fieri nequit, vt alicui vlla ratione inſit oppoſitum eius, quod ſibi per ſe ineſt.

Caietanus.

Vt enim habes hoc loco à Caietano, magna diſtantia eſt inter propoſitionem negatiuam, & affirmatiuam de prædicato infinito, addita reduplicatione, quamuis etenim, vt habes ab Ariſtotele ſecundo de Interpretatione cap. primo, ab affirmante de prædicato infinito, valeat ad negantem, & e contra, quando propoſitiones non ſunt cum reduplicatione, (valet enim, homo eſt non iuſtus, ergo homo non eſt iuſtus, & valet, homo non eſt iuſtus, ergo homo eſt non iuſtus,) quandò tamen ipſis propoſitionibus apponitur reduplicatio, licet ab affirmante de prædicato infinito, valeat ad negantem de prædicato finito, (eſt enim bona ſyllogizatio, Homo vt ſic eſt non iuſtus, ergo homo vt ſic non eſt iuſtus,) non tamen valet e contra à negante de prædicato finito, ad affirmantem de prædicato infinito, nõ enim valet hæc argumentatio, Homo vt ſic non eſt iuſtus, ergo homo vt ſic eſt non iuſtus, ſi enim homo in eo quod homo eſſet non iuſtus, nunquam homo poſſet eſſe iuſtus, & tamen verum eſt, quod vt ſic non eſt iuſtus, at non ſequitur, ergo vt ſic non eſt iuſtus, quoniam vt ſic abſtrahit ab eſſe, & non eſſe iuſto; ſic itaque non valet, Natura vt ſic non eſt propria alicui, (ecce negantem de prædicato finito,) ergo natura vt ſic eſt non propria, (vbi vides affirmantem de prædicato infinito,) & cum non proprium idem ſonet, quod commune, non valet, ergo natura vt ſic eſt communis, quoniam licet de ſe non ſit propria, tamen de ſe non eſt non propria, ſeu communis, quoniam vt dicebatur, abſtrahit ab vtroque, & nihilominus argumenta ferè potiora aduerſariorum hoc peccato laborant, dicunt enim, Natura vt ſic non eſt propria, ergo natura vt ſic eſt non propria, vel communis: ſimiliter non valet, Naturæ ratione ſui non repugnat eſſe in alio, ergo natura vt ſic eſt de ſe communis, aut in alio, eſt enim verum, quod ſibi non repugnat eſſe in alio, & eſt verum, quod eidem vt ſic non ineſt eſſe in alio, & hæc valde adnotanda merito aiebat Caietanus, tum in hoc negotio, tum etiam in illo de vniuerſalium exiſtentia, vt videbimus) ſemper enim in conſimilibus argumentationibus incidit fallacia, illa à negante de finito prædicato, ad affirmantem de infinito prædicato, vt notauit Capreolus in ſecundo diſt. 3. quæſt. prima ad primum Aureoli primo loco contra ſecundam concluſionem, & Dominicus Sotus quæſt. 2. ſuper prædicabilia, & Toletus Cardinalis quæſt. ſua 3. ibidem.

Varlæ propoſitionum illationes.

Quomodo argumẽta aduerſariorum deficiant.

Caietanus.

Capreolus.
Sotus.
Toletus.

Dubitatio ex Trombeta.

Neque moueat difficultas illa, cuius meminit hoc loco Caiet. & adducta fuit à Trombeta quæſt. illa 81 ſeptimi Diuiniorum, pro confirmatione ſui argumenti, quod ſcilicet duo indiuidua eiuſdem ſpeciei circũſcripto omni actu intellectus conueniant in ſpecie, & ſint vnum formaliter extra animam, vtpote indiuiſa & indiſtincta formaliter extra animã, ergo in aliqua vna natura communi extra animam conueniunt, cũ omnis indiuiſio, ac indiſtinctio præſupponat vnitatem, Non vt ſit ita ait Caiet. non vno tantũ modo aliqua duo, quæ ſuppoſitaliter ſint diſtincta contingit eſſe vnum formaliter, ſed duplici via id eſſe contingit, vel primo vt adueniunt illa duo in aliquo extra animam communi vtrique, & illud vnũ ſit in vtroque indiuiſum, & iuxta hunc modum, exceptis tribus diuinis perſonis, quæ in vna numero natura conueniunt, nihil aliud inuenies, vel ſecundo, vt habeant inter ſe mutuam negationẽ diuiſionis formalis, & ſic inter omnia indiuidua eiuſdẽ ſpeciei datur hæc formalis vnitas, quoniã nullo intellectu cõſiderante, Sortes habet hãc negationẽ, vt ſ. nõ ſit formaliter

Excluditur cũ Caietano.

à Pla.

à Platone diuiſus, & Plato ſimiliter non eſt formaliter diuiſus à Sorte, & quoniam ad hoc vt aliqua ſint vnum formaliter, requiritur, & ſufficit, quod non ſint diſtincta formaliter, quoniam nihil aliud refert vnum, quam ens indiuiſum, aut indiſtinctum, & tale vnum, ens tali modo indiſtinctum, vt ſæpe ſæpius dixi, ea propter cum duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſint vere extra animam formaliter ab inuicem indiſtincta, iccirco verum abſolute eſt, quod ſint vnum formaliter extra animam; Non ergo ad poſitionem hanc; quod duo ſint vnum formaliter, ſequitur neceſſario, vt in aliquo vno vtrique communi conueniant; ſed bene ſequitur, vel vt in aliquo communi conueniant; vel quod vtrumque negatione diuiſionis formalis ab altero gaudeat; quare ſimile eſt, ac ſi argueretur, eſt animal, ergo eſt rationale, patet enim, quod & irrationale eſſe poteſt, ſic non valet, ſunt vnum, ergo in aliquo communi conueniunt, quoniam poſſunt etiam eſſe vnum ob illam negationem diuiſionis, & cum vnitas illam diuiſionis negationem dicat, potius ex vnitate debet inferri, ergo mutuam dicunt ad inuicem formalis diuiſionis negationem; quam inferatur, in aliquo vno communi conuenientia.

Quo pacto duo indiuidua ſint vnũ extra animã formaliter.

Veruntamen quoniam argumentum videtur petere, quod omnis indiſtinctio præſupponat vnitatem, & inſtari poſſet fortius, quod omni intellectus opere ceſſante, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei conueniant in aliquo vno, nimirum in ſpecie, ideo dicas breuiter, vt colligitur ex tertio art. huius quæſtionis, quod vnitas ſpeciei eſt vnitas tantum rationis, ideo aliqua conuenire in vna ſpecie, nil aliud eſt, quam conuenire in vnitate rationis, & in vno conceptu; non autem in aliqua communi realitate; participant inquam in illa notione, & in illo conceptu, quem intellectus impertitur ipſi naturæ, quatenus eam remotis omnibus indiuiduantibus contemplatur, non autem participant in vlla vnitate reali, quæ tribuatur naturæ ſecundum ſe, non enim vnitas aliqua realis animalis gratia exempli deſcendit ad hominem, vel leonem, tunc enim in ipſis non multiplicaretur animalis natura, & non eſſent homo, ac leo, duæ naturæ reales ſenſitiuæ, & duo animalia, veluti quoniam natura diuina, vna vnitate reali numerali deſcendit, vt ita dicam ad Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ideo non ſunt tres naturæ diuinæ in ipſis, ſed vna dumtaxat, & tres illæ ſemper glorioſæ Perſonæ, non ſunt tres dij, ſed vnus Deus. Cum itaque quot ſpecies ſunt ſub vno genere, totidem ſint naturæ, nulla vnitas realis ipſius generis ad ipſas ſpecies deſcendit, (quoniam nullam vere, ac proprie realitatem habet animal vt ſic, ſed ſolum vnitatem illam eſſentiæ realem, hoc eſt, non ficticiam,) ſic ipſæ ſpecies in nulla vnitate reali extra animam, neque ſimiliter indiuidua alicuius ſpeciei in vlla vnitate reali extra animam, (nota ly *extra animam*,) conueniunt, neutra enim vnitas, vel ſpeciei, vel generis hoc modo eſt realis, vt viſum fuit art. 3. quare in vnitate dũtaxat conceptus, & rationis conueniunt, & in illa vnitate eſſentiæ, ac definitionis, ſic vnica eſt definitio omnium indiuiduorum vnius ſpeciei, (quo modo indiuidua queunt definiri,) & ſimiliter omnium ſpecierum vnius generis vt ſic, Sortes enim, & Plato, & reliqua indiuidua humanæ naturæ ſunt animalia rationalia, & plura in re, ac realiter, at in conceptu, & definitione, vnum animal rationale ſunt, in eſſentia ſcilicet, & quidditate ſpecifica, & ſimiliter homo, bos, leo, plura animalia ſunt realiter; at vnum animal ſolum in conceptu generico; & in tali quidditate ab his, & illis indiuiduantibus per intellectum abſtracta, &c.

Quid ſit aliqua conuenire in vna ſpecie.

Quomodo varia indiuidua ſint plura, & vnum.

Quomodo ſimiliter variæ ſpecies.

De

De illa itaque vnitate naturæ reali extra animam accipio Auctorem, quando tractatu illo de natura generis cap. 7. 9. & 15. ait, vnitatem naturæ non deſcendere ſub inferioribus, de vnitate inquam illa, quæ naturæ conuenit ſecundum ſe, quæ quomodo ſit, & non ſit realis, cumulate ſatis vidimus proximo art. quarto; Quando autem dico participare ſpecies in eſſentia generis, nil aliud intelligo, niſi quod conueniant in eſſentiæ illius vnitate, quam ſortitur natura ex eſſe, quod habet in intellectu, nam liquido conſtat, nec genus, nec ſpeciem eſſe quid conueniens naturæ ſecundum ſe, at ſolum quatenus ab intellectu conſideratur, tunc enim ratione vniformitatis ad omnia, quam ſortitur, ſemotis per intellectum omnibus indiuidualibus conditionibus, tribuitur ipſi ratio vniuerſalis, vnde ſub hac ratione non multiplicatur hæc natura in ſuis inferioribus, nam plures homines ſunt vnus homo, & vnum animal participatione generis, & ſpeciei, vt allegato tractatu cap. 5. & 7. verbis apertis ipſe docebat, & Porphirius etiam capite de ſpecie.

D. Thom.

Porphir.

Dic ergo tandem, quod in aliqua vnitate rationis, & conceptus conueniūt indiuidua eiuſdem ſpeciei, non autem in vllo extra animam reali, neque verum eſt, quod omni operatione intellectus non exiſtente, conueniant indiuidua in ſpecie, ſi de ſpecie formaliter loquamur, hæc enim fit per opus intellectus, relatio videlicet illa, & vniformitas naturæ ad indiuidua, fundamentaliter autem poteſt concedi, quod conueniant in ſpecie, hoc eſt, in illa natura, quæ ab intellectu poterit concipi abſtracta ab indiuiduis, & ad ea vniformis, at hoc modo patet, non conuenire in aliquo reali vt ſic, quoniam in natura vt realis eſt differunt, ſed in aliquo reali, non quatenus reale, ſed prout commune fieri poterit per intellectum; At quo pacto fundamentale, & formale ſpeciei, ſiue communis, ſiue vniuerſalis ſit, & non ſit extra animam, manet nos diſputatio quæſtione ſequenti, vbi de vniuerſalium exiſtentia erit ſermo, &c.

Non valet autem, quod ſolet opponi, quod ſcilicet ſi vnitas ſpeciei ſit ſolum vnitas rationis, quod indiuidua differant ſolum ratione, quoniam per idem, (dicunt) eſt aliquid vnum in ſe, & diſtinctum ab alijs, ſed ſingularia ſunt vnū ſolum vnitate rationis, ergo differunt tantum ratione, ſimiliter fieri conſueuit argumentum de quouis prædicamento, ſit ne vnum vnitate reali, aut rationis, nobis dicentibus, rationis tantum, quoniam vt recte dicebat Capreolus in primo diſt. 8. q. 2. ad 19. contra reſponſionem datam quartæ probationi ſeptimi argumenti contra primam concluſionem, non oportet prædicamenta habere vnitatem realem, ſic quod contenta ſub vna cathegoria conueniant in aliqua natura communi omnibus realiter extra animam, ſed ſufficit, vt habeant vnum, & eundem modum prædicandi de ſubſtantia prima, nam prædicamentum, inquantum prædicabile non eſt aliquid extra animam, ſed eſt ordinatio prædicabilium ſecundum ſub, & ſupra, &c. tunc ſolet inſtari; Si prædicamentum ſit vnum vnitate tantum rationis, ergo ab alijs prædicamentis ratione tantum diſtinguitur, eadem ſcilicet propoſitione, per idem eſt aliquid vnum in ſe, & diſtinctum ab alijs, &c. At vt habes apud eundem Capreolum in tertio diſt. 5. quæſt. 3. ad tertium principale Scoti contra primam concluſionem, ſi hæc argumentatio teneret, probaretur ſimiliter, quod duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ differrent ſpecie ad inuicem, ſic enim dici poterit, eodē aliquid eſt vnum in ſe, & diſtinctum ab alijs, at Sortes eſt quid vnum in ſe vnitate numerali, & ſpecifica, ergo hac vnitate numerali, & ſpecifica differt à Platone, ergo ſpecie ab ipſo differt, &c.

Dubitatio.

Remouetur eſt Capreolo.

Quid cōmune ſufficiat prædicamentis.

Aduerte

Aduerte tamen, quod in hac argumentatione comperies incidere æquiuocationem, quoniam male ſubſumitur minor, fateor enim, quod eodem quo aliquid eſt vnum in ſe, ſit ab alijs diſtinctum, ſed ſua realitate ſaltem formaliter indiuiduum eſt vnum in ſe, licet radicaliter id proueniat ex materia ſignata, ſubſumitur autem, quod ſingularia ſunt vnum vnitate rationis, at ſunt vnum adinuicem hac vnitate, non vnum in ſe, quoniam proprijs realitatibus ſunt vnũ in ſe, alijs vero comparata, ſunt vnum vnitate rationis, ſpeciei ſcilicet, vel generis, quocirca velut realitatibus proprijs ſunt vnum in ſe realiter, ita & his realitatibus vnumquodque ab alijs realiter, & non tantum ratione diſtinguitur; & pari via quoniam adinuicem ſunt vnum vnitate tantum rationis, (non enim in aliquo reali conueniunt,) ideo adinuicem quoque differunt diſtinctione rationis ſub illa conſideratione, qua accipiuntur vt vnum vnitate rationis. at quoniam nedum ſunt vnum, quatenus adinuicem comparantur, (immo hæc eſt minima vnitas, quoniam rationis tantum,) ſed proprijs realitatibus, ideo nedum ratione, ſed & proprijs realitatibus differunt, & ſic realiter; Soluitur alia via.

At contingit deceptio in ly *vnum in ſe*, in maiori enim ſumitur vt relatum ſibi ipſi, & identice, vt ita dixerim, & ſic vera eſt propoſitio, quod eodem, quo aliquid eſt vnum in ſe, ab alijs etiam ſecernitur, vt abunde vidimus quæſtione de principio indiuiduationis, in minori autem accipitur ly *vnum in ſe*, non ſibi, ſed alijs relatum, & per comparationem ad alia, nam dicitur, ſed indiuidua ſunt vnum in ſe vnitate rationis, vbi clare patet, accipi vnum in ſe non correſpondenter cuique propriæ realitati, ſed vt cum alijs confertur, Negatur itaque, quod indiuiduum ſit vnum in ſe vnitate rationis, ſed cum alijs eſt vnum hac vnitate, quod eſt dicere, cum alijs conuenit, quando autem infertur, ergo per hoc idem ab alijs debet differre, tantum abeſt, vt hoc argumentũ aliquid concludat, quod ſeipſum penitus deſtruit, quoniam per aliud cõuenit cum alijs, & per aliud ab eiſdem differt, non enim idem ſub eadem ſaltem ratione valet eſſe principium conuenientiæ, & diſtinctionis in ordine ad eadem, nam contrariorum, cauſas eſſe contrarias notiſſimum eſt, & poſitum ab Ariſtotele 2. de Generatione 56. quare non ſolum ab eodem non poteſt proficiſci cõmunio cum alijs, & ab eiſdem ſegregatio, ſed requiritur non modo alietas, verum & contrarietas in horum cauſis, ſeu principijs, &c. Defectus argumenti propoſiti. Ariſtotel.

Hanc doctrinam applica perfacile motiuo illi de conuenientia rerum in vno prædicamento, non enim vnum prædicamentum differt ab alio, vnitate quæ correſpondeat toti prædicamento, hæc enim eſt vnitas rationis, ſed vnitatibus ſingulorum, quæ in illa cathegoria continentur, quæ vnitates ſunt reales, loquendo de vnitatibus ſingulariũ, rurſus non eſt neceſſum, omnia prædicamenta realiter ab inuicem differre, quoniam diſtinguuntur proxime penes varios modos prædicandi, qui fundatur in varijs modis eſſendi, vt dicebam in annotationibus ad primum caput huius libri; Sic relinquitur, nulla vnitas realis dari extra animam communis pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis, (natura diuina excepta, quam à concluſione ſemouebamus,) vel poſitiue, vel negatiue.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quam vnitatem habeat natura ſecundum ſe accepta.

Concluſio.

Doctrina antiqua, & communis de varia naturæ acceptione.

SIt vltima concluſio pro hac quæſtione, quæ eidem directe reſpondeat; Natura ſecundum ſe, & abſolute ſumpta habet vnitatem quandam. In cuius gratiam nota primo, quod doctrina hæc, quam tradit Auctor hoc loco, & circa quam quæſtionem hanc formaui de triplici acceptione naturæ, videlicet ſecũdum ſe, & ſecundum eſſe in ſingularibus, & ſecundum eſſe in intellectu, & quod de ipſa abſolute, & ſecundum ſe conſiderata, neque vnitas, neque pluralitas ſit enunciandi, quoniam ab vtroque abſtrahit, & vtrumque ſibi accidat, eſt doctrina antiqua ipſius Auicennæ cap. primo ſuæ Logicæ, & toto primo cap. libri 5. ſuæ Metaphyſicæ, & Alberti magni tract. 2. ſuper prædicabilia cap. 3. & quinto Diuinorum tract. 6. cap. 7. & eiuſdem Auctoris quolibeto octauo, art. primo, & tractatu de natura generis cap. 2. & 9. & Scoti diſt. & quæſtione in ſuperioribus allegata. & Alenſis in expoſitione ſeptimi tertii Diuinorũ, & Soncinenſis quæſt. 31. ad ſeptimum eorundem, & Zimaræ annotatione illa in quæſt. 12. Ianduni, quam receperunt, & Sotus, & Toletus quæſtionibus ſuis citatis, & quam ſatis comprobauimus, & literam exponentes, & quæſtionibus iſtis, quoniam ſi de ſe natura eſſet vel vna, vel multiplex, ſemper talis eſſet: Attamen hac concluſione doceo, quod natura ſecundum ſe conſiderata habet vnitatem quandam, quam & demonſtratiue oſtendere mihi videntur duo priora argumenta adducta in principio ſecundi art. quæſtionis, & tertium quoque apud me, cum ſit ab expreſſo Auctoris teſtimonio depromptum, & eam docet Caiet. in præſenti, & Alenſis loco nominato.

Quantum D. Thomæ auctoritas apud Auctorem valeat.

Notabis autem, hanc vnitatem, quam naturæ ſecundum ſe tribuo, non eſſe numeralem, quoniam natura de ſe eſt tantum natura, eſſentia, & quidditas non autem eſt hæc numero natura, niſi merito indiuiduorum, in quibus eſt, & tamen tunc etiam ſub tali eſſe, vnitas illa numerica non conuenit ei eſſentialiter, quare ſemper numerica vnitas eſt de accidentibus, quæ ipſam eſſentiam conſequuntur, nomine accidentis accipiendo, quicquid non eſt de definitione, vel de conceptu rei: Cum ergo non ſit hæc vnitas numeralis, formalis erit, non tamen in eo ſenſu, vt ſit vel generica, vel ſpecifica formaliter, has etenim vnitates, formaliter ab intellectu fieri videmus, hæc vero actum omnem intellectus præuenit, nam & conſiderante, & non conſiderante intellectu, ſemper natura vt ſic vnitate ſua formali gaudet, quæ dicitur vnitas naturæ, & eſſentiæ, vt enim humanitas, & equinitas ſunt plures eſſentiæ, ita humanitas eſt de ſe vna ſolum eſſentia, quæ vnitas realis eſt realitate eſſentiæ, cum non ſit ficititia, vel ab intellectu inuenta, non eſt autem vnquam de ſe realis realitate exiſtentiæ, licet dum erit in ſingularibus, hæc exiſtentiæ realitas ei inerit, atque vt ſic, & ſecundum ſe, vt patet ex iis, quæ adducta ſunt, art. præcipue quarto, quam realem vnitatem art. præcedenti diximus non communicari indiuiduis, non deſcendere ad inferiora, quoniam illam in ſe retinet natura, anteaquam deſcendat in partes ſubiectiuas, vel fuerint ſpecies, vel indiuidua.

Vnitas generica, & ſpecifica à quo formaliter fiant.

Hanc vnitatem formalem, quam aſcribimus naturæ, & hoc modo realem

agnouit

agnouit & Capreolus, quando in tertio, diſt. 5. q. 3. ad tertiam improbationē in tertio principali argumento contra primam concluſionem dicebat, nos poſſe ponere duplicem vnitatem realem, vnam numeralem, quæ competit indiuiduo, aliam ſpecificam, vel genericam, quæ conuenit ipſi naturæ ſpecificæ, natura enim humana in Sorte eſt vna vnitate ſpecifica reali, ad hunc ſenſum (ait,) quod natura, quæ ſubſternitur intentioni ſpeciei, vel generis eſt in ſe vna vnitate naturæ, & eſſentiæ, & poſt pauca inquit, vnitatem illam non eſſe complete realem in actu, quoniam conuenit naturæ, vt præcedit indiuidua, in quibus certe incipit actualis, & completa realitas, & poſt nonnulla, antequam immediate reſpondeat ad quartum principale concedit, quod nonnulla vniuerſalia habent in re aliquam vnitatem, quam non facit intellectus. In his vero quæ audiſti ex Capreolo, intelligas nomine vnitatis ſpecificæ, & genericæ, non vnitates iſtas formaliter, has enim optime ſciebat ipſe per opus intellectus dumtaxat fieri, & genus, ac ſpeciem pro formali eſſe intentiones ſecundas, ab intellectu ſolum formatas, vt mille locis docuit, & eiſdem mox citatis, & in primo diſt. 8. quæſt. 2. dum ad permulta argumenta contra primā concluſionem reſpondet, ſed accipe, fundamentum vnitatum iſtarum, ſpecificæ ſcilicet, & genericæ, quod nihil aliud eſt dictu, quam vt detur vnitas, quæ congruit naturæ, vnitas inquam eſſentiæ, & quidditatis, vt prædeclaratum eſt, & vt eius verba haud ineuidenter manifeſtant.

Capreol.

In quo incipiat vera realitas.

Damus itaque naturæ ſecundum ſe acceptæ vnitatem formalem, & realem, quatenus reale id dicitur, quod ab intellectu non eſt fabricatum, non autē aliquam vnitatem vere realem, quæ dicatur minor vnitate numerali, & quæ communis ſit inferioribus ſuis; Quādo autē Auctor in litera, & Auicen. & alij, quin & nos ipſi non ſemel diximus, naturā ſecundū ſe, & abſolute acceptam, neque vnitatē, neque pluralitatem habere, id accipiendum eſt, vel primo, vt ſit ſermo de vnitate numerali, hæc enim accidit ipſi naturæ, vel ſecundo de vnitate exiſtentiæ, quæ ſimiliter ei per aliud ineſt, vel tertio de vnitate formali formaliter ſpecifica, atque generica, nam & hæc eſt extra ſui eſſentiam, & quidditatem, conſequitur namque ipſam, non vt in ſe eſt, ſed prout habet eſſe in intellectu, velut & duæ priores recenſitæ conſequuntur ipſam, quatenus habet eſſe in ſingularibus. Quamobrem haud vera apparet interpretatio quorundam illius ſententiæ Auicennæ, quod ſcilicet equinitas eſt ſola equinitas, non vna, vel plures, dum dicunt, eam fore accipiendam de vnitate numerali, non autem de ſpecifica, adeo quod volunt, naturam quidem de ſe non eſſe vnam vnitate numerali, ſed bene eſſe vnam vnitate ſpecifica, at velut primum verum eſt, ita ſecundum à veritate procul abeſt, ſi intelligant de vnitate ſpecifica formaliter, nam hæc ipſi accidit, & vt recte dicebat Sotus quæſtione illa ſecunda ad procemium Porphirij, ſi natura de ſe eſſet vna vnitate ſpecifica, iam de ſe haberet pluralitatem, & eſſet plures, quod tamen eadem propoſitione, quam interpretantur negatur, nam dicere, vnitatem ſpecificam, eſt dicere plura numero, & præterea ſatis dilucidum eſt, vnitatem ſpecificam conſurgere formaliter beneficio intellectus, & eſſe quid naturam ſequens, prout habet eſſe in intellectu. Fateor attamen, me non inuenire Subtilem Doctorem hac interpretatione explicare dictum illud Auicennæ, vt ibidem ait Sotus, nam diſt. & quæſt. illa ſecundi ſent. inquit, quod dictū Auicennæ intelligitur, quod natura non ſit vna vnitate numerali, quod & nos docemus, non video autem, quod ſubdat, intelligere Auicennam, naturam de ſe eſſe vnam vnitate ſpecifica, immo ait, quod

Quę vnitas realis inſit naturæ vt ſic.

Quomodo natura vt ſic nō habeat vnitatem.

Reijcitur quorundam explicatio circa propoſitionē Auicennæ.

Sotus.

neque eſt vna vnitate numerali, neque plures pluralitate oppoſita tali vnitati, & tamen ſi de ſe vna eſſet vnitate ſpecifica, iam eſſet plures, pluralitate oppoſita vnitati numerali.

Concluduntur, quæ hac quæſtione dicta ſunt.

Colligamus igitur, naturam ſecundum ſe, & abſolute acceptam non eſſe vnam, vel plures, vt habetur in litera, vnitate inquam, vel pluralitate numerali, eſſe tamen vnam vnitate formali, (ſic datur vnitas numeralis, & formalis, quæ fuit doctrina 3. art.) quippe quæ formalis vnitas non eſt realis realitate exiſtentiæ, ſed eſſentiæ, realiter tamen extra animam exiſtit, velut & numeralis, (quod ar. 4. tradebatur,) quoniam tamen formalis illa vnitas, quæ conuenit naturæ ſecundum ſe, non eſt realis, quaſi ſecundum ſe ad extra exiſtens, quoniã non communicatur inferioribus ſuis, ea propter indiuidua in nullo reali extra animam conueniunt, & non datur vnitas realis in his inferioribus extra animã communis pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis, vel poſitiue, vel negatiue, (vt dixi art. 5. & explicatum, ac defenſatum reliqui ar. 6.) Sed illa vnitas formalis, quam ſibi natura vt ſic vindicat, & quæ poteſt dici fundamentum vnitatis ſpecificę, vel genericæ, quatenus eſt in ipſa natura vt ſic, intra ipſam manet, neque inferioribus communicatur, vt art. hoc 7. docui; Ex quibus quattuor concluſionibus, ſeu prouinciatis hac quæſtione contentis, abunde patuerunt, & tres concluſiones, quæ habentur in ſecunda parte, & duæ priores, quæ habentur in tertia parte literæ, &c.

In quibus cũ Scoto conueniamus.

Ita cernere licet, in quo diſſentiamus à Scoto hac in re, & in quo eidẽ aſſentiamus, conuenimus quippe, quod ſimul ponimus triplicem illam acceptionẽ naturæ, & nimirũ ſecundum ſe, & in ſingularibus, & in intellectu, & rurſus vnà docemus, naturam de ſe neque eſſe vnam numeraliter, neque vniuerſalẽ, ſed & vniuerſalitatem, & ſingularitatẽ illi accidere, & vt ipſe diſt. illa, ac quæſtione loquitur, hæc ſunt naturaliter poſteriora ipſa natura vt ſic, & vt habet quæſt. illa 18. ſeptimi Diuinorum, ſicut à producente coniungitur natura ſingularitati, ita à re agente, & ſimul ab intellectu agente coniungitur vniuerſalitati; Diſcriminamur autem, quoniam ipſe largitur naturæ ſecundum ſe vnitatẽ quãdam realem, quam vocat minorem vnitate numerali, & in hac vnitate vult inferiora illius naturæ conuenire, nos nullam vnitatem ad extra realem naturę ſecundum ſe tribuimus, ac proinde negamus, dari aliquam realem vnitatem communem pluribus; Vult ille, naturam ſecundum ſe eſſe communem, & eſſe ſibi ipſi ſufficientem cauſam communitatis ſuæ, & nullam aliam cauſam eſſe inquirendam, (vnde neceſſario faciat oportet diſtinctionem inter eſſe commune, & vniuerſale ipſius naturæ, quoniam illud naturæ ſecundum ſe confert, hoc vult vltimate fieri per opus intellectus,) nos ipſi naturæ vt ſic nullam damus communitatem, ſed huius cauſam ſciſcitandam eſſe volumus, velut & cauſa eiuſdem ſingularitatis inquiritur, &c. Vt tota hac quæſtione docuimus, & ſequenti etiam docebitur, &c.

In quibus diſſentiamus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Confutantur, quæ obſtant definitis in quæſtione.

Nihil eſt, cur reſpondeatur tribus argumentis priori loco adductis pro parte affirmante, quandoquidem confirmant, & coincunt veritatem vltimæ noſtræ aſſertionis, vt ibi dicebatur, deſcendentes igitur

Ad

Ad quartum, reſpondeo, veriſſimum eſſe, in ſpecie athoma fieri comparationem, at ex hoc non ſequitur, quod huic naturæ reſpondeat ad extra aliqua realis vnitas minor vnitate numerali, ſed ſufficit vnitas rationis, non valet autem quod infertur, tunc & in genere poſſe fieri comparationem, quoniam ad talem comparationem requiritur vnitas formalis ſimpliciter, & vnius formæ, quæ formaliter ſit indiuiſibilis, qualem vidimus eſſe in ſpecie, non autem in genere, argumentum vero ſupponere videtur, nullam dari latitudinem inter vnitates rationis, quod ſane licet ſit verum quo adformale, (omnes enim æque fiũt per intellectum,) falſum attamen eſt quo ad ſubſtratum, quoniam magis conueniũt, quæ in vnam ſpeciem coeunt, quam quæ in genus, quoniam maior eſt vnitas formalis ſpeciei, quam generis, vt 3. art. declaratum fuit.

Quæ formæ vnitas exigatur ad comparationem.

Ex hac doctrina apte intellecta poterit colligi ſolutio ad quintum, nam ſi de reali diſtinctione fuerit ſermo, nedum concedo, ſed & doceo, quod non magis diſtinguitur Petrus à Paulo, quam ab hoc leone, nam ad diſtinctionem omnino realem, velut requiritur, ità ſufficit, quod hoc nõ ſit illud, neque aliquid illius, qua eadẽ via conſtat diſtingui Petrus à Paulo, & ab hoc leone, Diſtinctio quippe vera realis, quæ ſcilicet eſt inter duas res diſparatas nõ ſuſcipit magis, & minus, vnde ſi de reali diſtinctione ſit ſermo, velut reuera eſt, conceditur quod infertur in quinto argumẽto. At quoniam in diſtinctionibus formalibus datur gradus multiplex, vt art. 3. viſum fuit, ideo longe maiori diſtinctione formali diſtinguitur Petrus ab hoc leone, quam à Paulo, immo vero non diſtinguitur formaliter à Paulo, ſed tantum ab hoc leone, vt facile patet, & maiori diſtinctione formali diſtinguitur ab hoc lapide, quam ab hoc leone, & maiori adhuc ab Intelligentia, quam à lapide, & demum maiori ab albedine, quam ab Intelligentia, quoniam in paucioribus prædicatis formalibus conuenit cum ijs vltimo loco recenſitis, quam cum illis, quæ prius commemorabantur, iuxta quæ varia prædicata formalia, varia formalis diuiſio, atque vnitas penſatur; Et ratione maioris huius formalis conuenientiæ, quæ vnius ſpeciei ſunt, magis ſimilia cernũtur in natura, affectionibus, motibus, maior inter ipſa dilectio emergit, iocundius commorantur, & alia obeunt, quæ in eiuſdem argumenti confirmatione referebantur.

Quid requiratur, & ſufficiat ad realem omnino diſtinctionem.

Ad ſextum dico, quod vel nihil contra me concludit, vel ſupponit probandum, ſi enim intelligat argumenti auctor, quod indiuidua nihil includant oppoſitum vnitati rationis ipſius ſpeciei, fateor, at nihil contra me, ſequitur enim, vnitas ſpecifica eſſe vnitas rationis, & non auferri ab ipſis indiuiduis, at ſi intelligat, indiuidua non remouere vnitatem ſpeciei realem, iam ſupponitur, quod debet probari, quod ſcilicet vnitas ſpeciei ſit vnitas vere realis, ſed certe non remouent indiuidua vnitatem ſpeciei realem, quoniã nõ adeſt realis hæc vnitas, & quod non adeſt, nequit remoueri, & quoniam hoc ipſum ſupponit argumentum, quod ibidem immediate poſt hoc adfert Trombeta, ideo non eſt vt aliter ſoluatur, nam colligit, quod numeralis diuerſitas non poterit remouere vnitatem ſpecificam, ſed diſtinguas de vnitate hac ſpecifica, vel enim eſt rationis, vel realis, ſi primum, nihil aduerſus nos, ſi ſecundum, probetur quod adſit, & quod ea propter nequeat remoueri.

Hac eadẽ ſolutione cadit aliud Trombetę argumentũ.

Septimũ itidem argumentum nil noſtræ determinationi contrarium concludit, concedo etenim, indiuidua eiuſdem ſpeciei ab inuicem realiter differre, & non ſecundum omnem rationem in eis incluſam, at ſi diſtinguantur realiter, certe colligitur, quod non conueniant in aliquo reali, quod autem non ſecun-

dum omnem rationem differant, nil aliud habetur, niſi quod in aliqua vnitate rationis,& formali,non tamen reali conueniant,quæ eſt noſtra ſentẽtia; Quod ſi nomine rationis in qua cõueniunt,accipiatur ratio aliqua realis,hoc eſt probandum,vnde conſtat,nullas eſſe illationes, quæ ad ſenſum arguentis inferuntur, ſed ſequitur ſolum, indiuidua eiuſdem ſpeciei in aliqua rationis, non rei vnitate conuenire.

Ad octauum patuit ſolutio ex ar.6.non enim valet hæc argumentatio; Hæc duo ſub aliqua ratione ſunt vnum,ergo in aliquo cõueniunt,quoniã ſunt vnũ, ex eo quod vtrumque caret formali diuiſione ab inuicem,& ſi in aliquo cõueniant,illud eſt vnum quid vnitate rationis,non reali,& conſtat, vnitatem illam rationis ſpecificam non eſſe fictitiam,aut vanam,quoniam materiale,ſubſtratũ, ac fundamentum eſt in ipſa re,natura ſcilicet ipſa reddita ab intellectu communis,de quo fundamento, atque ſubſtrato plura mox dicenda erunt, ea quæ iam ſequitur quæſtione.

Quod attinet ad argumenta ſecundo loco adducta, vt probarent naturã ex ſe nullam vnitatẽ habere,iam art.ſuperiori patuit, quomodo tria priora debeãt intelligi,concludunt enim de vnitate,vel numerali,vel ſpecifica formaliter,vel reali realitate exiſtentiæ,in quorũ nullo ſenſu tribuo ipſi naturæ vt ſic vnitatẽ; quartum vero,& quintum cum ſuis confirmationibus confirmant ea,quæ docuimus, & quæ potiſſimum nobis tota hac quæſtione ſcopus, & inſtitutum fuere, cui iam modum imponere placet, &c.

QVAESTIO TERTIA.

An vniuerſalia extra animam exiſtant.

CIRCA tertiam concluſionem, quæ habetur in tertia parte, vbi dicitur,ratio ſpeciei, vel vniuerſalis accidere naturæ ſecundum illud eſſe, quod habet in intellectu, quod firmabatur & ratione,quoniam natura in intellectu exiſtens, vniformiter ſe habet ad omnia,& eſt vna in multis,& de multis,& auctoritate Commentatoris com.8.primi de Anima dicẽtis, intellectum illum eſſe,qui facit in rebus vniuerſalitatem, & Auicen.5.ſuæ Metaphyſ.cap.2.moueo quæſtionem non minus celebrem, quã arduam,num videlicet natura ſit ſolum vniuerſalis, quatenus habet eſſe in intellectu,an vero etiam in ſeipſa,& num vniuerſalia ſint ſolum in intellectu, an etiam in ipſis rebus,& nulla actione intellectus exiſtente habeant eſſe, an vero fiant ſolum per opus ipſius intellectus. Cuius quæſtionis nouem erunt partes, nam primo dilucidabitur eius ſenſus,ac titulus,ſecũdo,quid viri clariſſimi hac in re ſentiant cum ſuis fundamentis potioribus adducam, tertio quædam præmittam ab omnibus recepta, quarto concluſionem ſtatuam pro vera ſententia, ac vniuerſalis naturam ex parte explicabo,& in Scoti ſentẽtia rimanda commorabor, quinto poſitam concluſionem confirmabo, ſexto vndenam oriatur vniuerſale,quomodo fiat,& eius affectiones pateſaciam,ſeptimo quattuor difficultates mouebuntur contra originẽ vniuerſalis, & ſimul remouebuntur, octauo alia difficultas contra idem adducetur, in cuius ſolutione modus cognitionis eiuſdem vniuerſalis verſabitur, vltimo confutabuntur rationes ſecundo art. pro aliorum ſententia inductæ.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid in dubium vocetur.

IN aperto eſt apud omnes, multiplex vniuerſale dari, cum autem omne vniuerſale vt ſic,& formaliter ſit in genere relationis,vt docebat Auerroes ſeptimo Diuinorum 48. & 57. hinc reſpectum dicet, & ad aliqua referetur, quodcumque fuerit illud vniuerſale; Datur enim quintuplex vniuerſale,iuxta quintuplicem ordinem, vel reſpectum,quem poteſt importare ad ea,in ordine ad quæ eſt vniuerſale, nam vel eſt habitudo cauſæ ad effectum, vel ſignificantis ad ſignificata, vel exemplaris ad exemplata, vel repræſentantis ad repræſentata, vel demum ſuperioris ad inferiora per prædicationem; Et quidem iuxta primam habitudinem,accipitur vniuerſale in cauſando,iuxta ſecundam,in ſignificando, iuxta tertiam,in eſſendo, iuxta quartam, in repræſentando, & poſtremo iuxta quintam, in prædicando; Primo modo vniuerſale,eſt Deus glorioſus, qui vnus in ſe, ac ſimpliciſſimus exiſtens,eſt omniũ cauſa, à quo cœlum, & natura tota dependet,vt dicebat Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 38. & à quo eſſe communicatum eſt omnibus, quamuis alijs clarius, aliis obſcurius,vt idem Philoſophus dixit primo Cœli 100. Similiter Intelligentiæ, Cæli,Sol,& reliqua aſtra poſſunt dici modo ſuo vniuerſalia in cauſando, coadiuuant enim ad horum inferiorum procreationem, vt de cœlis patet 2. de Generatione 55. 56. & 59. & primo de Generatione animaliũ cap. 2. commemorat Ariſtoteles eos, qui cœlum,ſolem, & reliqua id genus nomine genitoris, ac patris appellabant, vt dicebatur ſub initium obſeruationum ad ſecundum caput huius libri, & Auerroes com. 34. duodecimi Diuinorum ait,Solem ab antiquis appellatum Dominũ vitæ. Vniuerſale ſecundo modo eſt vox, ſeu voces, quæ plurium ſunt ſignificatiuæ, officium namque vocum eſt ſignificare,ſic voces iſtæ,genus, ſpecies, populus, ciuitas,&c. ſunt vniuerſalia in ſignificando. Vniuerſale in eſſendo eſſet,ſi daretur quædam ſubſtantia,vel idea per ſe exiſtens,quæ omnibus conferret eſſe,vt idea hominis,ex cuius participatione omnia indiuidua ſpeciei humanæ eſſent homines. Vniuerſale in repræſentando, id eſt,quod imago eſt, ac ſimilitudo multorum, vt ſi adeſſet ſtatura,vel ſimulachrum plures homines repræſentans,& imago in opificis mente quatenus eſt ſimilitudo multorum artefactorum,poteſt hoc modo dici vniuerſale, & diuina eſſentia,quatenus eſt ſpeculum lucidiſſimum, in quo vniuerſa collucent, poteſt ſub hac ratione dici vniuerſale in repræſentando. Denique vniuerſale in prædicando illud eſt,quod de multis dicitur,ac prædicatur, velut animal, homo, & reliqua id genus, patet autem cuique facile per ſingula diſcurrenti, quod ſi ſumantur vniuerſalia hæc pro formali, non autem pro re illa,quæ dicitur vniuerſalis, in vnoquoque inuenitur reſpectus, & relatio ſaltem rationis, qua ad illa refertur, merito quorum dicitur vniuerſale,quæ ſane relationes, ac habitudines iam nominatæ ſunt.

In quo prædimento ſit vniuerſale.

Quotuplex dé tur vniuerſale.

Ariſtotel.

Auerroes.

Sol ab antiquis quomodo dictus.

Noſtra itaque quæſtio non eſt de vniuerſali primo,ſecundo,tertio, & quarto, ſed de quinto dumtaxat, conuenit enim inter omnes, vniuerſale primo modo dictum eſſe in rerum natura, immo ſupra rerum naturam,loquendo potiſſimum de prima, & vniuerſaliſſima Cauſa, fatentur ſimiliter omnes, voces

Quid inter omnes conueniat

ipſas

ipſas, nullum habere eſſe reale ad extra, ſed ſolum in intellectu, antequam exprimantur, (anima tunc cogitante, ſeu opinante, & ſermonem ad ſeipſam voluente, vt voce Platonis vtar in Theæteto ex perſona Socratis,) vbi autem

Plato.

proferuntur, ſtatim prolatæ euaneſcunt, quare nullo eſſe ad extra, quod vel minimum permaneat gaudent. tertio autem modo exploratum cuique eſt non dari in rerum natura vniuerſale ſubſiſtens, id enim peripateticus quiſque à Magiſtro ſuo edoctus reiicit, quamuis vel in vocibus ipſis eiuſmodi vniuerſalia appareat conſtituiſſe Plato, quicquid fuerit de eius mente, vt adnotabam ad ſecundam concluſionem primæ partis huius literæ, quod tamen Ariſtoteles

Ariſtotel.

iam penitus exterminauit, vt ibidem dicebam, & primo Diuinorum, cap. toto 14. per ſex rationes, & in ſeptimo per multos contextus, & cap. 4. & 5. lib. 13. eorundem; Et quoniam in idea boni aſtruenda præcipuus videtur fuiſſe Plato, vt conſtat dialogo 6. de Republica, ideo hanc ſpecialiter euertit Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 6. triplici ratione, ſaltem quo ad verba, vt ſcilicet bonum per eſſentiam non debeat poni per modum ſpeciei ſeparatæ, velut homo per eſſentiam, non tamen negat Ariſtoteles dari bonum per eſſentiam, Deum videlicet, vt patet ex 52. duodecimi Diuinorum, vnde in re conſentit

D. Thom.

Caietanus.

Porphirius

Platoni, vt adnotauit Auctor p. par. quæſt. 6. art. 4. & ibidem etiam Caiet. Quãuis itaque fuerit olim perardua difficultas de exiſtentia horum vniuerſalium, vt fatetur Porphirius in principio ſui libelli de prædicabilibus, vbi negotium hoc, altiſſimum vocat, quoniam tamen ab Ariſtotele relatis locis euerſa prorſus ſunt, vnde primo Diuinorum 32. & decimotertio eorundem cap. 3. ſummæ 2. dicebat, Ideas non eſſe cauſas, nec motus, nec tranſmutationis alicuius, nec ad ſcientiam aliorum prodeſſe, (ſic excluduntur duo potiora fundamenta, quibus Plato aſſeuerabat ideas, alterum enim erat ob rerum generationem, alterum ob earundem ſcientiam, vt videre eſt in Parmenide, & in Timeo, licet hoc poſteriori loco, poſterioris ſolum fundamenti habeatur recordatio,) dicere autem, quod ſint exemplaria, & quod cætera eis participẽt, vana, & figmenta, ſeu metaphoras poeticas eſt dicere, & ſeptimo eorundem 28. dicebat, quod ſi quæ formæ ſunt præter ſingularia, ad generationes, & ſubſtantias nihil proſunt, & primo Poſter. cap. 8. dicebat, ob demonſtrationem non eſſe neceſſe, vt ſint ſpecies, aut vnum aliquid extra multa, & ibidem cap. 18. inquiebat, Valeant igitur ideæ, monſtra enim ſunt, & demum primo moralium Eudemiorum cap. 5. (vbi ideam præcipue boni repudiat,) habebat, ideas non boni ſolum, ſed cuiuſcumque alterius inutiliter, contentioſeq; aſſirmari. Quam ſententiam, omnium Peripateticorum aures, & animos occupaſſe merito diximus, & argumenta ideas aſtruentium, inania penitus ab eodem Ariſtotele declarata neminem fugit; adeo quod nec de huiuſmodi vniuerſali dubitabimus, ſed illud tamquam peripatetici neutiquam dari ſupponemus; Vniuerſale etiam quarto modo huius quæſtionis fines non intrat, quoniam nouit vnuſquiſque non dari imagines ad extra plurium expreſſiuas, ſed dumtaxat intelligibiles ſpecies, ſeu formales conceptus, quippe qui plura profecto queunt exprimere, at nullibi ſunt ſubiectiue, præterquam in intellectu.

Ariſtotelis loca, quibus reiicit Ideas.

Præcipua Platonis fundamenta pro Ideis ſtatuendis.

Eapropter quæſtio ſolum verſabitur in vniuerſali quinto, & vltimo modo accepto, quod vt patuit, dicitur in prædicando, ſic in dubium vertimus, num ad extra in rebus ipſis detur aliqua natura, quæ de multis dicatur, ac proinde in prædicando vniuerſalis habeatur.

De quo vniuerſali quæratur.

Nota

Nota vlterius, quod quoniam prædicari completur per actum intellectus rem vnam alteri tribuentis, prædicatum nimirum de ſubiecto enunciantis, iccirco non vocatur in difficultatem, num in rebus ipſis remoto opere intellectus, ſit hoc vniuerſale prædicabile, ſed quoniam ſundamentum huius prædicationis,ac reſpectus, qui per intellectum completur,eſt inuentio illius naturæ in pluribus, quæ dicitur de multis, ideo inquirimus, num vniuerſale ratione huius, vt ita dicam inhærentiæ ſit in rebus ipſis, & eſt quærere, num in rerum natura ſit quidditas, & natura aliqua, quæ de ſe abſque intellectus opere ſit in multis.

Per quid compleatur prædicari.

Adhuc obſerua, non eſſe idem adæquate, & conuertibiliter dicere, ens extra animam, & ens reale, licet enim omne ens extra animam,ſit ens reale,non tamen e regione, nam multa quæ non ſunt entia, niſi in anima,ſunt vere entia realia, vt patet de ſpeciebus intelligibilibus,de conceptibus formalibus, de actibus intelligendi, & de habitibus intellectualibus, conſtat ſiquidem, ens illud, quod in prima diuiſione entis per ſe tradita ab Ariſtotele quinto Diuinorum 14. in decem prædicationis figuras partitur,eſſe ens reale, & ſubinde patet,ea quæ enumerauimus eſſe in genere qualitatis, & in prima eius ſpecie, ſi actus demas intelligendi, qui cum ſint actus, neque unt eſſe habitus, quod ipſum dicas de conceptibus formalibus, qui qualitates ſunt parum manentes; quæ tamen omnia non niſi apud animam ſedem habent, ſic itaque non indagatur, num hoc vniuerſale in prædicando ſit ens reale abſolute,ſed ita reale; vt ſit extra animam in ipſis rebus, &c.

Quomodo ſe habeant ens extra animã, & reale.

Ariſtotel.

Vltimo nota, hanc quæſtionem eſſe maxime affinem quæſtioni mox antea definitæ, & ab eadem omnino ferè pendere, ſi enim extra animã detur in ipſa natura realis aliqua vnitas, minor licet numerali, & naturam vt ſic poſitiue ſequatur communitas,& aptitudo,vt ſit in pluribus,& demum in illa communitate inferiora illius naturæ conueniant, iam elicitur fieri conſequens,vt hoc vniuerſale, de quo loquimur detur ad extra, ſin autem nullam de ſe naturæ completam, & vere realem vnitatem habeat, & aptitudo præfata ei poſitiue non adſit, & de ſe, at ei accidat, ita vt communitas illa non inueniatur extra animam, apparet non dari tale vniuerſale in rebus, adeo vt videri forſan poſſit quæſtio hæc in illa fuiſſe definita. Quoniam tamen multa, ac multa ſpeciatim de hac vniuerſalium exiſtentia fiunt argumenta, & perplura de natura,ac origine eorundem vniuerſalium ſuperſunt videnda, ideo viros quoſque pergraues imitatus, merito hanc quæſtionem ſeorſum diſcutere animo conſtitui.

Connexio inter quæſtionẽ ſuperiorem,& iſtam.

Quærimus itaque, num vniuerſale,quod dicitur in prædicando, quod formaliter acceptum refertur ad ea, de quibus prædicatur,ſit pro fundamento huius prædicabilitatis, quod eſt in pluribus inueniri aliquod reale, ita vt in rebus ipſis extra animam inueniatur, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta varia pro parte minus vera.

INnumeræ prope rationes ſolent in hac materia circumferri, quæ prolixitate potius, quam nimia difficultate hominum animos fatigant, & torquent;

Quo-

Scotus. Trombeta. Antonius Andr. Capreolus

Quoniam autem omnia argumenta Scoti, & eorum qui ſibi adhæſerunt, formata ab eodem Subtili Doctore locis illis præcedenti quæſtione allegatis, ſecundo videlicet ſent. diſt. 3. quæſt 1. & ſeptimo Diuinorum quæſt. 18. & ab Antonio Trombeta qq. ſuis 8. & 9. & ab Antonio Andrea, quæſt. 16. eiuſdem ſeptimi Diuinorum, iam longe ante me ad plenum confutauit Capreolus dupliči in loco, primo ſcilicet ſent. diſt. 8. quæſt. 2. ad quartam probationem 7. argumenti contra primam concluſionem, vbi in hoc negotio vnum, & viginti argumenta diſſoluit, & in 3. diſt. 5. quæſt. 3. eadem ferè argumenta aduerſus primam concluſionem adducta reijcit, & Caietanus etiam hoc loco omnia prope difficiliora comminuit, quoniam inſuper à Zimara annotatione illa ſuperiori quæſtione relata, in quæſtionem nimirum 12. Ianduni ad tertium Diuinorum potiora aduerſariorum fundamenta, euerſa penitus, & colliſa video, demum quoniam à nonnullis recentioribus in quæſtionibus ſuis procemialibus ad libellum Porphirii, nobis aduerſans opinio reiecta inuenitur, eapropter haud multa argumenta adferre conſtitui, ſed illa dumtaxat, quæ firmiora iudicaui, ex quorum ſolutione, adhibitis fundamentis, quæ pro veritatis declaratione iaciam, nullius difficultatis in hoc negotio non patebit ſolutio, qui autem plures cupit rationes videre, legat commemoratos Auctores, & præcipue Capreolum.

Caietanus. Zimara.

Sit itaque primum argumétum, primo quoque loco adductum à Caietano, deſumptum ex loco à definitione ad definitum: Quotieſcumque datur extra animam ſemota quauis actione intellectus res, quæ ſit apta nata eſſe in pluribus, tunc extra animam datur vniuerſale, ſed verum illud, igitur verum & iſtud, maior propoſitio patet, quoniam ea eſt definitio vniuerſalis tradita ab Ariſtotele primo de Interpretatione, ſub initium cap. 5. & 7. Diuinorum 45. vt videlicet natura ſua aptum ſit ineſſe pluribus, minor probatur, quoniam ſi naturæ vt ſic nõ conueniat aptitudo ad eſſe in pluribus, ergo talis aptitudo ei repugnat, ergo numquam poterit ab intellectu ſibi tribui, ergo pari via poſſet talis aptitudo conferri ſingulari, & indiuiduo ab ipſo intellectu, nam velut indiuiduo repugnat, ita & naturæ, ſi ei de ſe non conueniat.

Ariſtotel.

Secundo, Subſtantiæ ſecundæ ſunt entia extra animam realia, & hæ ſunt vniuerſales, ergo &c. probatur maior, tum quoniam ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in prædicamento, omne autem quod eſt in prædicamento, eſt ens extra animam, tum quoniam ſunt realiter in primis ſubſtantiis, vt habetur cap. de ſubſtantia in cathegoriis, quicquid autem eſt realiter in ente reali, reale eſt, minor clara eſt ex eodem cap. nam ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur de primis, ſic dicuntur de pluribus, ſic ſunt vniuerſales. Quod ſi dicatur, ſecundas ſubſtantias eſſe reales ratione rei, & naturæ, & ſubſtrati, non ratione vniuerſalis, & prædicabilis, Tunc contra, quoniam magis diſtat ens reale ab ente rationis, quam ſubſtantia ab accidente, vt manifeſtum eſt, at cenſet abſurdum Ariſtoteles primo Phyſic. 52. & ſeptimo Diuinorum 47. quod ſubſtantia componatur ex accidentibus, igitur abſurdius eſt, quod ens reale componatur ex ente rationis, ſubſtantiæ autem ſecundæ ſunt reales, & ſunt ſecundæ ob illam vniuerſalitatem, ergo vniuerſalitas illa eſt in ipſis rebus, & non ab intellectu, aliàs componerentur intrinſece ex ente rationis, &c.

Inſtantia.

Roboratur ratio.

Tertio, Paſſioni reali tribuendum eſt ſubiectum reale, alioquin paſſio nobilior eſſet ſubiecto, & vlterius, ens reale haberet pro ſubiecto ens rationis, quæ abſona ſunt, ſed paſſiones conueniunt primo vniuerſali, & per illud reliquis,

ex

ex primo Poſter.cap.4.ergo vniuerſale eſt quoddam reale,& in rebus; Adde, quod paſſiones hæ reales, aut conueniunt ſingularibus vt ſic,aut quatenus participant in aliquo vniuerſali, non primum, quoniam tunc vni indiuiduo tantũ ineſſet aliqua paſſio, quoniam vt ſic diſtinguitur ab alio,ergo ſecundũ,ergo prius conuenit vniuerſali, & merito illius ſingularibus. Similiter adſunt multæ ſcientiæ reales, & præcipuæ tres illæ ſpeculatiuæ, quas colligebat Ariſtoteles ſexto Diuinorum 2.vel ergo obiecta ipſarum ſunt ſingularia, vel vniuerſalia, non illud, quoniam locis mille clamat Ariſt. & omnes philoſophi, ſcientias non eſſe de ſingularibus,ergo iſtud,obiecta vero ſciētiarum realium oportet eſſe realia,dant enim ſpeciem ſcientiis,ergo vniuerſalia ſunt realia.

Quarto, Adſunt mille pronunciata ab omnibus prope recepra,quæ veritatē nequeunt ſortiri, ſi ponatur vniuerſale non eſſe in re, ſed ſolum ab intellectu formatum,dicitur enim vniuerſale eſſe ſempiternum,eſſe vbique,res præterea prædicatur in quid de re,vniuerſalia tantum ſunt,quæ definiuntur,datur generatio vniuoca in re ipſa,cuius proximum fundamentum eſt vnum, vt habetur quinto Diuinorũ 20.quod ſane vnum nequit eſſe,vel genęrãs,vel genitũ, ergo aliquid vtrique commune,demum dicitur materia,& forma ſpectare ad quidditatem vniuerſalis, at vero conſtat ens rationis non poſſe eſſe ſempiternum, non vbique,non prædicari in quid, non vere definiri, non poſſe conſtituere generationem ſubſtantiæ, & demum non eſſe vlla quidditas, erit ergo vniuerſale, quid vere reale, &c. Varia pronunciata ferè communia.

Quinto, Natura primo intendit ſpeciem, quam ſingulare, vel indiuiduum, ergo ſpecies eſt quid reale,ergo vniuerſale eſt quid extra animam reale, antecedens videtur docuiſſe Auerroes prope finem com.34. ſecundi de Anima,& ſimiliter prope finem com. 37. duodecimi Diuinorum, & Auctor p. p. q. 85 art.3. ad 4. inquit,vltimæ naturæ intentionem eſſe ad ſpeciem, non ad indiuiduum,prima conſecutio eſt manifeſta, quoniam quod primo intenditur à natura,debet eſſe quid reale, quoniam natura non intendit primo intentiones rationis, ſpeciem autem nullus ambigit eſſe quid vniuerſale, quare & ſecunda conſecutio eſt euidens. Auerroes. D. Thom.

Sexto, Vniuerſale eſt obiectum intellectus, ergo præcedit ipſum, ergo non fit ab ipſo, ergo eſt reale, antecedens eſt clarum, prima conſequentia patet ex 33.ſecundi de Anima,vbi dicitur, obiecta eſſe priora potentiis, reliquæ vero conſequentiæ notæ ſunt ex terminis; Si dicatur vniuerſale præcedere intellectum poſſibilem,non autem agentem,ſed ab ipſo fieri, contra, Obiectum ſenſus eſt vniuerſale, (non enim hoc album,ſed album videt oculus,) qui tamen ſenſus præcedit intellectum etiam agentem,ergo & vniuerſale erit prius intellectu agēte, quod enim eſt prius priore,multo magis eſt prius poſteriore, &c.

Septimo, Habet expreſſe Ariſtoteles 2. de Anima 68. quod nec aqua in eo quod aqua,nec aer vt aer perſpicua, aut viſibilia ſunt, ſed quoniam eadem natura eſt in vtroque,velut & in cœlo, quod ibi appellat corpus perpetuum ſurſum,patet autem, in his quæ tanto interſtitio diſtant non eſſe eandem naturam numero, ergo vel ſpecie, vel genere, ergo datur natura communis ad extra, nam ad extra nominata corpora ſunt perſpicua,neque confugiendum eſt ad rationem communem, nam Ariſtoteles inquit naturam eſſe communem. Ariſtotel.

Octauo, & vltimo, Nullo intellectus opere exiſtente,vel homo,leo, & reliqua id genus ſunt ſpecies, & conueniunt in genere,vel non, ſi primum, ergo vniuerſalia eſſe nullus negat in rebus, nam ſpecies, & genera, vniuerſalia eſſe

nullus negat, ſi ſecundum, ergo intellectu ceſſante, & homine dormiente, homo, & leo non erunt ſpecies, non conuenient in genere, non different ad inuicem, quod videtur ridiculum, omni nãque intellectus actione poſthabita concedimus multas eſſe ſpecies animaliũ, vbi enim primo Deus creauit mũdum, nullo intellectu abſtrahẽte vniuerſalia, verum fuit, creatas eſſe rerum ſpecies, & genera, &c. Neque fit ſatis huic argumento dicendo, hominem, & leonem nullo intellectu conſiderante eſſe quidem animalia, non autem ſpecies, conuenire in animali, non autem in genere, quoniam reuera ſiue cogitet intellectus, ſiue non, ſemper homo, & leo ſunt ſpecies animalis, & nedum dicuntur animalia, ſed & ſpecies, ſimiliter animal dicitur genus ipſorum, quare nedum pro materiali, ſed & pro formali, ſecluſa quauis intellectus actione videtur, quod ſint in rerum natura ſpecies, genera, ac proinde vniuerſalia, &c.

Defenditur ratio.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ea præmittuntur, in quibus conſentiunt omnes.

Ex Caietani doctrina, quot ſint in vniuerſali.

PRo cognitione veritatis, certa primo loco ab incertis ſeparanda ſunt: Aduerte igitur ex Caiet. in hac quæſtione, quod tria in vniuerſali, de quo eſt ſermo cernimus, primo vniuerſalitatem ipſam, quæ eſt relatio rationis ad inferiora, ſecundo rem, quæ huic vniuerſalitati, & relationi ſubſternitur, & ab illa denominatur vniuerſalis, tertio aptitudinem ad eſſe in multis, quæ poteſt dici quid medium inter rem, & vniuerſalitatem, quoniam res eſt omnino abſoluta, vniuerſalitas illa formalis omnino reſpectiua, hæc vero aptitudo nonnihil ſapit & abſoluti, & reſpectiui, eſt enim in re ipſa abſoluta, (eo modo quo ponetur eſſe,) reſpiciens tamen illa, in quibus poteſt eſſe, & inueniri; Conueniunt itaque omnes Reales, rem ipſam, quæ denominatur vniuerſalis, ſi fuerit realis, eſſe extra animam, ſin vero fuerit res rationis, vt prædicatum, ſubiectum, & ſimilia, eſſe in anima tantum, conſentiunt ſimiliter, relationem illam formalem vniuerſalitatis ab intellectu effici, atque adeo non eſſe vel quid reale, vel quid extra animam, at difficultas omnis inter nos, & ſcholam Subtilem præcipue in eo ſita eſt, num aptitudo illa ad eſſe in pluribus ſit ad extra in rerum natura, adeo vt omnĩ opere intellectus remoto, ipſa natura, ipſa res, quæ denominatur vniuerſalis, ſit apta eſſe in pluribus, an vero aptitudo hæc conueniat ſibi ſolum ex opere intellectus.

Eadem doctrina alia via ex Capreolo.

Hæc quæ ex Caietano ſub vocibus vniuerſalitatis, rei, aptitudinis dixi, aliis vocibus manifeſtabat Capreolus loco illo relato 3. ſen. ad primum Scoti dicẽs, vniuerſale poſſe ſumi quattuor modis, primo materialiter, vel pro ſuo materiali, quod denominatur vniuerſale, vel actu, vel potentia ecce rem ipſam, ſecundo formaliter, aut pro ſuo formali, à quo denominatur, ecce vniuerſalitatem, quæ eſt relatio rationis, tertio pro aggregato, ſeu compoſito ex vtriſque, materiali ſcilicet, & formali, quarto pro materiali, vt eſt ſub formali, vbi vides & rem, & aptitudinem, & illam vniuerſalitatem, & iam communis eſt omnium doctrina, & diſtinctio, quod dupliciter ſumitur vniuerſale, vel materialiter, & denominatiue, vel formaliter, (quæ primo quæſtionis primę procœmialis articulo à nobis inſinuabatur,) quam diſtinctionem habes prius ab Auctore ſeptimo Diuinorum ad text. tex. 44. vbi ait, vniuerſale dupliciter ſumi, vel pro natura

Communis diſtinctio.

D. Thom.

tura

tura, (ecce rem, ecce materiale,) vel pro natura, vt ſubeſt intentioni vniuerſalitatis, (ecce formale, vel materiale ſub formali.) & tractatu quoque de natura generis cap. 5. & p. p. q. 85. art. 2. eandem habet diſtinctionem, & concedunt omnes, vniuerſale pro materiali eſſe in re, pro formali fieri ab intellectu. Illud vnum breuiter adnotauerim, quod eo loci Capreolus facit diſtinctionem inter vniuerſale pro materiali, & formali, & vniuerſale pro materiali ſub formali, ait enim, aliud eſſe dicere A ſub B, & compoſitum ex A, & B, quam plane diſtinctionem accipio ipſe, non ex parte ſignificati, aut rei, aut rerum, quoniam vtrobique idem ſignificatur, ſed ex parte modi ſignificandi, quando enim dicitur materiale, & formale, ſeu aggregatum ex vtroque, vtrumque videtur ex æquo, & in recto ſignificari, quando autem dicitur materiale ſub formali, videtur exprimi, quod materiale importetur quaſi ſecundario, & tamquam materia, & quaſi in obliquo, formale vero de principali, & in recto, & vt forma, at in noſtro propoſito idem erit ſi accipiatur vniuerſale pro materiali, & formali ſimul, vel pro materiali, vt eſt ſub formali, dabunt enim omnes, materiale ipſius vniuerſalis, vel vniuerſale pro materiali eſſe in rebus, & nullo modo ab intellectu pendere, formale vero, aut vniuerſale pro formali, omnino ab intellectu fieri, & non eſſe quid in rebus. Modus loquẽdi Capreoli.

Et quando dico omnes in hoc, ſiue in his conuenire, intelligo de omnibus philoſophis, qui Reales dicuntur, neque enim me fugit adeſſe Nominales, & eorum præcipue ducem Ocham cap. 14. ſuæ logicæ, ex quorum ſententia colligitur, nullum eſſe vniuerſale à parte rei, ſed tantum in repręſentando, veluti ſunt conceptus, vt homo, animal, corpus, &c. quibus conceptibus nullum obiectiuum conceptum volunt in re reſpondere, præter ſingulares homines, & ſingularia animalia, quæ volunt immediate ſignificari per illos conceptus; At vero Reales omnes, conceptus illos nolunt ſignificare immediate homines ſingulares, vel animalia ſingularia, ſed rationem communem hominis, & animalis, quippe quæ rationes ſunt conceptus obiectiui immediate per illos conceptus formales ſignificati, ſingulares vero homines, & hæc animalia ſunt ſignificata mediata, & ſecundaria, & materialia, quæ in illis rationibus conueniunt, quæ proinde rationes ſunt formalia ſignificata conceptuum illorũ mentalium; At quoniam ſatis apud omnes compertum eſt, indiuidua alicuius ſpeciei nedum conuenire in voce, ſed & in ratione ſpecifica, ſimiliter ſpecies alicuius generis, non ſolum vocem, ſed & rationem eiuſdẽ generis communem habere, & vtramque rationem primo, ac formaliter exprimi conceptu hominis, verbi gratia, & animalis, alioquin vniuerſale omne penitus fictitium eſſet, nullum in re habens fundamentum, & manifeſtum eſt, quod nomina, & voces non ſunt principalia ſignificata, ſed ea, quibus aliquid ſignificatur, vnde dum dicitur Alexander eſſe homo, ly *Homo*, vox quidem eſt communis, at non vt vox principaliter ſignificatur, ſed ſecundario, res vero ipſa, ſeu ratio communis illa eſt, quæ primo exprimitur media voce ipſa, ſimiliter definitiones ſunt rerum, non ſingularium, vt patet ex omnibus, & ex clara Ariſtotelis ſententia, ſeptimo Diuinorum 37. & 53. quare vniuerſalium, non autem vocum, ſeu nominum, non enim horum valet eſſe definitio, cum nullam habeãt quidditatem, ſed & ſcientiæ eſſent tantum de vocibus, non autem de rebus, conſtat enim, ſcientias eſſe dũtaxat vniuerſaliũ, vnde videtur omnis ſcientia ſubuerti, vt non immerito iſtos, qui vniuerſale, nomen ſolum dicunt, ſcientiarum deſtructores vocauerit Alex. Achillinus lib. de vniuerſalibus dub. 1. poſt explicationem ter-

Sententia Ocham, & aliorum Nominalium.

Sententia Realium.

Multa aduerſus Nominales.

Ariſtotel.

Achillin.

Ariſtotel. minorum,&c.vel dubio 2. in ordine,quoniam demum ex primo Ethic. cap. 4. ſuperuacaneum eſt omnes opiniones velle exquirere,iccirco Nominalibus relictis,ſupponamus cum Ariſtotele,& Realibus philoſophis,vniuerſale pro re, vel pro materiali eſſe in re ipſa,& ab intellectu neutiquam formari,vniuerſale autem pro intentione,ſiue pro formali,ab ipſo intellectu fieri, &c.

Aduerte vlterius, quod quoniam tota difficultas conſiſtit in illa aptitudine naturæ,ad hoc vt ſit in pluribus, ideo merito ſtat difficultas de exiſtentia vniuerſalium,quamuis enim aptitudo non ſit vel res,quæ denominatur vniuerſalis,vel formalitas vniuerſalitatis,attamen eſt tota radix, & ratio,quare ipſa natura denominetur vniuerſalis, & quare intellectus tribuat ei vniuerſalitatem, non enim res,vt res præciſe eſt totũ,ac completum materiale vniuerſalis, alioquin res omnis vniuerſalis eſſet,& cum indiuiduũ ſit res quædam,foret vniuerſale,ſed illa res eſt vniuerſalis,quæ apta nata eſt vt ſit in pluribus,ita vt nõ iniuria,res ipſa poſſit dici fundamentum remotũ vniuerſalis, immo in potẽtia longe ab actu elõgata poteſt dici vniuerſale,at ipſa aptitudo,de qua loquimur eſt fundamentum proximum ipſius vniuerſalis,non enim natura, vel res vt ſic,veluti dicebam, ſed natura cum tali aptitudine denominatur vniuerſalis, quare docebunt omnes,vniuerſale quo ad fundamentum remotum, & vniuerſale in potentia eſſe extra animam, at controuerſia erit de vniuerſali in potentia proxima, de aptitudine videlicet illa, quæ quoniam complet vniuerſale quo ad rem, (nam formaliter vltimate neminem latet,compleri per illam intentionem, &c.) cum ſit quæſtio de hac aptitudine, num ſit extra animam, iure eſt quæſtio de vera vniuerſalium exiſtentia.

Quæ res ſit vniuerſalis.

Inſuper obſerua,inter omnes conuenire, quod naturæ ut ſic, & ſecundum abſolutam ſuam conſiderationem non repugnat eſſe in pluribus, tunc enim ſibi ſemper repugnaret,& numquam poſſet in hoc,& illo reperiri,ut non ſemel circa hoc caput deductum fuit, ſed dubitatio eſt, an non ſolum talis aptitudo ei non repugnet, ſed etiam illam ſibi de ſe ut ſic exigat, & vſurpet; Hinc ſi ad vniuerſalis cõſtitutionem ſufficeret ſola non repugnantia ad eſſe in pluribus, certe uniuerſale eſſet ad extra, quoniam tali naturæ ad extra,(non tamen cum reduplicatione, ut ſcilicet eſt ad extra,)non repugnat præfata aptitudo, & ſic omnis ſublata eſſet controuerſia, at quoniam nedum non repugnanter, ſed & poſitiue natura uniuerſalis commemoratam aptitudinem poſtulat, & Scotus cum ſuis alumnis,& alij fatentur, & docent,naturam de ſe habere ut ſit in pluribus, Auctor uero cum aliis docet,hanc aptitudinem ſibi per opus intellectus poſitiue aduenire,& nullatenus ſibi ut ſic ineſſe,ut præcedens quæſtio manifeſtauit,eapropter dicent illi,uniuerſale eſſe ad extra,quod nos inficias ibimus.

Scotus. D.Thom.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vera ſententia de exiſtentia vniuerſalium, & eorum, quæ ad hoc voluit Scotus examinatio.

Concluſio. RESpondens propoſitæ quæſtioni, ſtatuo hanc cõcluſionem: Vniuerſale non eſt ad extra in ipſis rebus,ſed ſolum fit per opus intellectus. Et quãuis ex ijs,quæ modo dicebantur, conſtare iam poſſit de quo vniuerſali intelligatur concluſio,& quod vniuerſale negetur eſſe ad extra,pro clariori tamen notitiã

ſcies

ſcies, & quidem facile, quod quotieſcumque datur aliquod nomē plura ſignificans, vel omnia eodem modo, vel quædam de materiali, & in obliquo, & quædam de formali, & in recto, ſi nomen prolatum non reddatur verum pro omnibus, pro quibus ſupponit, tunc falſo abſolute enunciatur, ſed abſolute negandum eſt, quamuis ratione vnius ſolummodo importati falſitatem contineret, ex alijs autem veritatem, in nomine namque vt ſic non importatur diſiunctio, ſed ſola collectio, ad quam collectionem, quæ omnia nomine illo importantur, concurrere debent, ſi eius ſignificatum verum eſſe debeat, ſatis enim nouit dialecticus quiſque, ad veritatem propoſitionis collectiuæ, aut copulatiuæ exigi vtriuſque partis veritatem, & Plato in Cratilo ex perſona Hermogenis, non multum ab initio dicebat, orationis, quæ vera eſt, partes omnes veras eſſe, & magnas, & exiguas; Cum itaque hoc nomen *vniuerſale* ſit plurium ſignificatiuum, vt patuit, dum dico ipſum non eſſe in rerum natura, nolo intelligere quo ad omnia quæ importat, ſed accipio, vt non iuxta omnia quæ dicit, ſit in rebus, & nedum hoc intelligo de formalitate illa intentionis, quam ex omnium conſenſu dixi eſſe ſolum per opus intellectus, ſed potiſſimū de aptitudine illa, quam & complementum vniuerſalis in actu, & medium quid inter rem, & intentionem, ſeu formalitatem eſſe dixi art. præcedenti, & breui in concluſione intelligo, aptitudinem illam ſæpius repetitam non conuenire rei ad extra, & nedum quatenus eſt ad extra, tunc enim in ſingulari exiſtens, oppoſitum ſibi efflagitat modum, nempe eſſe in vno tantum, ſed neque naturæ in ſe vt ſic, licet extra animam exiſtenti, iam enim antehabita quæſtione oſtendi, talem aptitudinem conuenire naturæ, quatenus ſolum habet eſſe in intellectu.

Quid importetur in nomine.

Quid requiratur ad veritatē propoſitionis collectiuæ.

Plato.

Aduerte autem, me ſuperiori art. dixiſſe, vniuerſale exigere ad ſui conſtitutionem poſitiue aptitudinem illam ad eſſe in pluribus, & non ſufficere ſibi non repugnantiam ad tale eſſe, quoniam vt optime ait Caiet. hoc loco, dum ab Ariſtotele definitur vniuerſale locis memoratis in primo argumento Scoti, & alibi, vt primo Poſteriorum, cap. 8. & ſecundo eorundem cap. 18. & vltimo, ipſa aptitudo, ſeu non repugnantia ad eſſe in pluribus affirmanter ponitur, & non per non repugnantiam; accedit, quod cum ex Auerroe primo Poſteriorum cap. 24. (& eſt ipſi Commentatori tex. 182.) vniuerſale, & ſingulare ſint duæ intentiones oppoſitæ, quod etiam notum eſt ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia in prædicamentis definiente ſubſtantiam primam, quæ eſt ſingularis, per nō dici de ſubiecto, ſubſtantiam vero ſecundam, quæ eſt vniuerſalis, per dici de ſubiecto, quo modo conueniet ſingulari eſſe in vno ſolo, conueniet vniuerſali eſſe in pluribus, ſingulari vero affirmanter, & nedum per non repugnantiam conuenit, vt ſit in vno ſolo, quare & eſſe in pluribus, poſitiue exponendum eſt de ipſo vniuerſali, probatur minor, aliàs humanitas, vel quæuis natura vt ſic, & ſecundum ſe foret, & vniuerſalis, & ſingularis, nam ab ipſa vtraque repugnantia remouetur, neque enim ſibi repugnat eſſe in vno, vel in pluribus, quare ſi ipſi ſufficiat talis non repugnantia, & ſimiliter vniuerſali, iam eadem natura vt ſic, & de ſe, (& in hac reduplicatione ſtat vis argumenti,) erit vniuerſalis, & ſingularis; Præterea, ſicut ſingulari repugnat eſſe in pluribus, ita oportet, vt & vniuerſali repugnet eſſe in vno tantum, vt enim ſe habet ſingulare ad vnum, ita vniuerſale ad multa, ſi autem dicatur vniuerſale conſtitui per ſolam non repugnantiam, iam vniuerſali non repugnabit eſſe in vno tantum, quoniam per hoc, quod ſibi non repugnat eſſe in pluribus, non ſequitur, vt repugnet ſibi eſſe in

Quomodo vniuerſale poſtulet aptitudinē ad eſſe in pluribus.

Ariſtotel.

Auerroes.

Quomodo ſingulari conueniat eſſe in vno ſolo.

ſe in vno tantum, ergo talis non repugnantia, non ſat eſt ad vniuerſale conſtituendum. Addo ego, quod quamuis alicui definito, vt tale ens peculiare eſt, ſufficiat aliquod prædicatum in ſui definitione poſitum, ſibi non repugnanter conuenire, vt obſeruabam circa probationem primæ aſſertionis, tertiæ partis huius literæ, attamen oportet & aliquod denique prædicatum ipſi poſitiue cõuenire, vt ibidem dicebam, & probabam, non facile autem quis aſſignare valebit, quale prædicatum poſitiue ſit vniuerſali vt ſic tribuendũ, cum nihil aliud ſit, quam vnum de multis, & in multis, & ſi aſſignaretur hoc prædicatũ, (quod tamen non video, quale poſſit eſſe,) neſcio quomodo naturam vniuerſalis cõcinne Ariſtoteles aperuiſſet, quippe qui quattuor in locis iam à me citatis, eius eſſentiam tradens, illud reticuiſſet, & non niſi per non repugnantia prædicata illud definiuiſſet. Sed & illud vrget, quod vtique poteſt admitti, alicui particulari ſub aliquo communi contento aliquod prædicatum conuenire, non niſi non repugnanter, at quod alicui communi, de quo primo eſt definitio, tribuatur ipſa definitio, niſi per non repugnantiam, id fieri nequit, quoniam cum de ipſo nil aliud, quam illa definitio pronuncietur, iam nihil poſitiue de illo dicetur, & ſic nulla erit, vel quidditas, vel ratio, vel natura, vel conceptus. Tandem, ſi ad vniuerſalis rationem, ſola ſufficiat non repugnantia, vane penitus altercarentur ad inuicem doctores de exiſtentia ad extra ipſorum vniuerſaliũ, quoniam diffitetur nemo vt dicebam, & ratio ſæpe adducta conuincit, naturæ vt ſic aptitudinem illam non repugnare.

Quid exigat vnũquodque definitum.

Quod ſi hæ rationes proteruos non conuincant, adeo vt velint, ad vniuerſale in actu conſtituendum ſufficere non repugnantiam illam, ſeu aptitudinẽ non repugnanter, iam dicam, quæſtionem non amplius de re, ſed de nomine eſſe, diſputabitur enim, vtrum hæc natura ex eo ſolum, quod ſibi nõ repugnet eſſe in pluribus, ſit dicenda vniuerſalis, an non, ſed non erit de re ipſa controuerſia, quoniam vt dixi, & repetij, conſentiunt omnes, & naturam dari ad extra, & eidem competere non repugnantiam illam negatiue, ſed nolumus eam appellare vniuerſalem, ob rationes quas adduxi, quoniam ſcilicet memoratam aptitudinem ad eſſe in pluribus de ſe poſitiue non habet.

Quod ſi Scotus nomine vniuerſalis, quod concedit in rebus extra animam, nil aliud voluit, quam eſſe extra animam naturam, cui non repugnet eſſe in multis, nil nobis in hoc cum ipſo, at reuera putauit, naturam ratione ſui vindicare ſibi aptitudinem ad eſſe in multis, vt manifeſte patuit ſuperiori quæſtione, vnde voluit perquirendam eſſe cauſam, cur natura ſit ſingularis, quoniam ſingularitatem de ſe non habet, noluit autem inueſtigari rationẽ, ob quam ſit cõmunis, quoniam de ſe eſt ſibi communitatis ſuæ cauſa, vt ex eodem ibidem adferebam, quocirca ſi non vniuerſale, & non vniuerſalitatem, certe communẽ naturam, & communitatem, realem eſſe, & ab intellectu non pendere credidit, & docuit. Vtor autem hoc modo loquendi, quoniam Doctor ipſe Subtilis non longe ante finem quæſtionis illius primæ diſt. tertiæ, ſecundi ſent. licet ponat vnitatem illam realem in natura ſecundum ſe minorem vnitate numerali, tamen immediate ſubdit, non ideo naturam illam eſſe eiuſmodi, cui potentia proxima conueniat dici de quolibet, ſed tantum eſſe in proxima potentia, vt eſt in intellectu poſſibili, & nullo verbo interiecto ait. *Eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc, & per conſequens ei de ſe non repugnat eſſe non hæc, ſed tale commune non eſt uniuerſale in actu, quoniam deficit ei illa indifferentia, ſecundum quam completiue vniuerſale eſt vniuerſale, ſecundum quam ſcilicet ip-*

Quid voluerit Scotus.

ſum idem aliqua identitate eſt prædicabile de quolibet indiuiduo, ita quod quodlibet ſit ipſum. Ex quibus verbis elicitur manifeſte, doctorem hunc Subtilem, & grauem ponere diſcrimen inter commune, & vniuerſale, & illud ponere in re, hoc autem non, niſi in potentia, & hac non proxima, niſi quatenus eſt in poſſibili intellectu.

Circa quæ verba non defuerunt, qui ſcripta Scoti in ſententiarum libros à ſe caſtigata, illuſtrata, ac locupletata in lucem edentes Venetijs 1580. in margine poſuerint hæc verba; *Hic patet error aduerſariorum, qui imponunt doctori, ſenſiſſe vniuerſale etiam præter intellectum, quamuis natura vnitas non ſit numeralis ex rei natura.* Et quidem ipſe non negauerim, ob verba relata ex ipſo Scoto, & ob ea, quæ dicit quæſtione 13. ſeptimi Diuinorum, quod ſcilicet vniuerſale completum eſt, quod eſt in pluribus, & de pluribus, non actu, ſed potentia propinqua, tale nihil eſt, niſi ex conſideratione intellectus, & quæſtione 18. eiuſdem libri ait, quod vniuerſale pro ſubiecto, ſeu potentia propinqua, eſt neceſſario in intellectu obiectiue habitualiter, aut in actu primo, quamuis non actualiter, vel in actu ſecundo, ita quod ſine illo concomitante obiectum non ineſt ei vniuerſalitas: Propter hæc inquam dederim, ſatis dubiam in hoc apparere Scoti ſententiam, quoniam ex altera parte expreſſe, vt vidimus ponit, & pluribus nititur efficere, commune reale in re, quouis intellectus actu remoto, non autem facile quis finget apparens diſcrimen inter aliquod commune pluribus, & aliquod vniuerſale, niſi fiat recurſus ad intentionẽ illam ſecundã reſpectus, ac prædicationis, quæ ab intellectu ipſi vniuerſali confertur, at hoc nõ eſt ad propoſitum, tum quoniam reſpectum hunc damus, velle Scotum ab intellectu fieri, tum quoniam, & hunc reſpectum eodem modo communi illi, velut & vniuerſali tribui poſſe, ac debere videbimus, quare videntur pugnare hæc duo, dari ſcilicet commune reale in rebus, & non dari vniuerſale in actu, vel ſaltem potentia propinqua. Quid de Scoti mente videatur Auctori.

Accedit, quod de mente Scoti, commune illud ſuum reale eſt vere in pluribus, vnde eiuſdem ſpeciei indiuidua per ipſum conueniunt in illa reali vnitate naturæ, quod autem eſt in pluribus, nulli dubium eſt, quin ſit vniuerſale, cum hæc ſit eius definitio, vt habetur ex dictis. Adde, quod quæſtione illa ſecundi ſenten. non multis interpoſitis, poſt illa, quæ ex ipſo recitaui, exponens quoddam dictum D. Damaſceni, quod ſuæ poſitioni de hoc communi reali videtur officere ait, quod commune illud, quod eſt in diuinis, (natura ſcilicet, & eſſentia diuina,) non eſt ita commune, quod ſit prædicabile de multis, licet ſit ita commune, quod non repugnet ſibi eſſe in alio, quam in eo, in quo eſt, (ita enim eſt in Patre, vt ſibi non repugnet eſſe in Filio, ac Spiritu ſancto,) quare ſi debeat ſatis auctoritati illi facere, ſubſumendum eſt, (quod vt clarum reliquit Scotus,) vt commune hoc reale, quod ipſe ponit in creaturis, ſit de multis prædicabile, ita enim differet ab illo communi, quod eſt in diuinis, de multis igitur commune hoc ſuum reale prædicatur, quare eſt vniuerſale, hæc enim, & non alia eſt vera vniuerſalis natura, neque dicendum eſt prædicabilitatem per intellectum compleri, de hoc enim nulli dubitatio eſt, vt paulo ante dixi. Rurſus, vniuerſali, quod dicit per intellectum compleri, & non niſi in intellectu eſſe, vel aduenit res, vel aptitudo millies nominata, vel illa relatio, ſeu intentio intellectus, non primum, nam res ipſa eſt ad extra, non ſecundum, quoniam ex eius ſententia, natura de ſe eſt in pluribus, & eſt ſibi ipſi ſufficiens ſuæ communitatis cauſa, ergo tertium, at de hoc nullus dubitat, Quomodo cõmunis natura diuina.

tat, & nullus, (quem ſciam,) imponit Scoto, quod poſuerit vniuerſale, quo ad tale complementum non pendere ab intellectu. Ad hæc, Scotus dicit, naturam ſemper de ſe eiuſmodi eſſe, vt ſibi eſſe in alio non repugnet, non tamen eius conditionis eſſe, cui proxima potentia conueniat dici de quolibet, (eſſe ſcilicet vniuerſalis,) ſed tamen eſt in potentia proxima, vt eſt in intellectu poſſibili, peto, quid nomine huius potentiæ proximæ velit, non rem ipſam, vel naturam, vt patet, quæ non pendet a poſſibili intellectu, non aptitudinem ad hoc vt ſit in pluribus, hanc enim ipſe poſitiue ſtatuit in natura ſecundum ſe, ergo relationem illam, qua intellectus refert naturam ad inferiora, & formalem illam vniuerſalitatem accipit, hanc vero iterum diximus neminem imponere Scoto, & nihilominus abſonum eſſe videtur, relationem illam formalem vocare fundamentum proximum, non enim aliquod vlterius expectatur, quod poſſit dici ſuper eam fundari, cum ſit ipſa poſtremum vniuerſalitatis complementum, & præterea, ſub illa intellectus relatione conſtituta natura, non eſt amplius in potentia proxima, ſed vere in actu tunc dicitur de quolibet inferiori; Quod ſi dicatur Subtilis Doctor nomine proximæ potentiæ nõ accepiſſe hanc relationem, aſſignetur quid acceperit, cum perſpicuum ſit, neque aptitudinem accipere valuiſſe, neque confugiendum eſt, vel ad actionem agentis intellectus, vel ad ſpeciem intelligibilem productam, vel ad quid aliud huiuſcemodi, quoniam hæc omnia, non niſi opere intellectus accedente, fieri poſſe, ſciunt omnes, & nullus ſomniauit, quod voluerit Scotus, hæc in re adeſſe poſſe abſque intellectus beneficio.

At demum quicquid fuerit de Scoti ſententia, quæ ſatis obſcura, & intricata, & ægre forſan ſibi conſtans ex ijs, quæ attuli redditur, (in qua me plus iuſto immoratum quis notare poſſet,) dicimus tandem nos, vniuerſale ſolum pro materiali, vel vt alij dicũt pro fundamẽto remoto, & pro ſubſtrato, vel vt loquuntur alij metaphyſice ſumptum eſſe in rebus ipſis, aptitudinem vero illam ad eſſe in pluribus, & relationem intellectus, ſeu formalitatem vniuerſalis eſſe non niſi per opus intellectus; Sic dicam, in rebus ipſis ad extra eſſe rem, quæ eſt ipſum vniuerſale, at non eſſe vniuerſale, vt vniuerſale, eſt extra animam vniuerſale identice, non formaliter.

Quomodo vniuerſale ſit, & non ſit ad extra.

Illamet natura profecto, quæ eſt in rebus ipſis, eſt eadem, quæ eſt vniuerſalis in intellectu, & quæ ſecundum ſe conſideratur, non enim iuxta triplicem naturæ acceptionem ſæpius huius capitis litera, & quæſtionibus ſuperioribus frequenter repetitam datur triplex natura, ſed vnius, & eiuſdem naturæ triplex eſt acceptio. Et cum naturam ſecundum ſe, neque communem, neque vniuerſalem velimus, neque ſimiliter vt eſt in ſingularibus, ſupereſt, vt communitas, ac vniuerſalitas accidant, & adueniant ei per actionem intellectus, & quatenus habet eſſe in ipſo intellectu, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Probantur quæ dicta ſunt.

QVamuis quæ de vniuerſalium exiſtentia ſentiamus, ſuperiori quæſtione ſufficienter concluſa dicere poſſimus, quando viſum fuerit, aptitudinem ad eſſe

ad eſſe in pluribus non competere naturæ vt ſic, aliàs diceretur de quouis ſub ea contento, quoniam quæ ſequuntur naturam ſimpliciter, dicuntur abſolute de inferioribus illius naturæ, & omnis aptitudo, quæ fluit ab aliqua natura vt ſic, inuenitur in quolibet ſingulari ipſius, vnde Sortes eſſet communis pluribus, eſſet aptus natus communicari pluribus, vt ibi deducebamus, (quæ argumenta ideo hic adumbramus, quoniam ea repetit hoc loco Caiet.) attamen pro certiori rei certiſſimæ confirmatione ſic arguo: Naturæ vt eſt in ſingularibus repugnat poſſe eſſe in pluribus, atque ideo, eſſe vniuerſalem, ſed natura vt eſt extra animam, non eſt niſi in ſingularibus, ergo naturæ vt eſt extra animam repugnat poſſe eſſe in pluribus, ac ſubinde vniuerſalitas; ergo nequit eſſe vniuerſale in rebus, vel extra animam; maior propoſitio quamuis maniſeſtiſſima, probatur, natura enim in quouis ſingulari exiſtens fit incommunicabilis cuiuis alij, quod ſi incommunicabilis, ergo nequit eſſe in pluribus, nihil enim aliud eſt eſſe in pluribus, quam communicari pluribus, Neque dicat quis, naturam in ſingulari non eſſe quidem in pluribus, poſſe tamen eſſe, & ita gaudere illa aptitudine, hic enim non videt, quomodo natura in ſingularibus nedum ſit incommunicata, ſed & incommunicabilis, quare non ſolum ab ea negatur actus, ſed & aptitudo communicabilitatis, præterea non videt, quomodo aliquid otioſum penitus ponat in natura, cótra Ariſtotelem quinto de Generatione animalium cap. 8. & vltimo, & pluribus alijs locis commemoratis in quæſtione de ſingularium cognitione, nam hæc aptitudo numquam ad actum vel reducetur, vel poterit reduci, fruſtaneam vero eſſe aptitudinem illam, quæ ad actum nequeat reduci, neminem latet, & id docuit Auer. primo de Cœlo, & mundo com. 20. & ratione patet, cum potentia, vel aptitudo ſit merito actus; quod enim in aliqua natura communi aliqua ſtatuatur aptitudo, & hæc in compluribus ad actum reducatur, in aliquo vero nequeat reduci, ob aliquid impedimenti, id tolerabile eſt, quæ enim ſunt à natura, aut ſemper ſunt, aut frequenter, ex ſecundo Phyſic. 77. at quod in natura, quatenus eſt in ſingularibus ponatur illa aptitudo, quæ in nullo umquam penitus ſingulari ad actum queat reduci, (quod de neceſſitate eſt dicendum, ſi ponatur vniuerſale in rebus, & ſi dicatur aptitudo illa conuenire naturæ ſecundum ſe,) certe nulla ratione, immo contra omnem rationem aſſeritur. Præterea ex 5. Diuinorum. 17. & ex 9. eorundem 2. colligitur, cuius potentiæ paſſiuæ reſpondere actiuam, vtrobique enim potentia paſſiua definitur in ordine ad actiuam, & e contra, quare ſi naturæ in ſingularibus ineſt potentia hæc, & aptitudo paſſiua ad eſſe in pluribus, aderit potentia actiua reſpondens, quæ aliquando eam in actum reducat, at nullus aſſignabit potentiam vllam agentem, quæ faciat, vt natura quæ eſt in Sorte, ſit aliquando in Platone, vel migret de hoc in illo indiuiduo, vt quiſque nouit, quare nulla via eſt ponenda in natura ad extra huiuſcemodi aptitudo, & cum hæc ſit medium inter rem, & intentionem ipſius vniuerſalis, & ſit rei ratio, quare denominetur, & ſit vniuerſalis; vt antea dixi, illud conſequitur, vt res ſola, ſiue materiale, ſiue fundamentum remotum vniuerſalis ſit in natura, non autem vel fundamentum proximum, vel eius formale.

Motiua vix iā ſinuata. *Prior ratio.* *Defenditur vrie, & roboratur.* *Ariſtotel.* *Auerroes.* *Ariſtotel.*

Denique, hæc natura quatenus eſt in ſingulari hoc, & illo, intelligitur vt quoddam ſingulare, & conditiones ſingularis, aut ſingularitatis ab intellectu ei tribuuntur, dum eam reflexa agnitione nouit, & propoſitio hæc videtur ex terminis nota, ex qua ſumpta pro antecedente, inſero hanc conſequentiam, ergo naturæ vt ſic, & ſecundum ſe fieri non poteſt, vt inſit vlla communitas, & pro-

Alia ratio.

Scotus. batur conſecutio ex doctrina vera, & quam idem Scotus docet illa diſtinctione, & quæſtione memorata, tum quando primo loco arguit contra opinionem primo loco ab ipſo adductam, tum in principio determinationis ſuæ in illa ſecunda quæſtione, quod videlicet fieri nequit, vt intellectus intelligat aliquod obiectum ſub ratione oppoſita rationi illius obiecti, quia enim hominis rationi vt ſic ineſt animal, nequit umquam intellectus hominem intelligere ſub oppoſito animalis, & ſic de alijs, quare ſi rationi naturæ vt ſic ineſt communitas, & vnitas illa realis, in qua conuenire vult Scotus inferiora illius naturæ, iam dum intellectus intelligit naturã, quatenus eſt in ſingularibus ſub ratione ſingularis, intelligit eam ſub ratione oppoſita ſuæ rationi; Certe qua ratione non vult Scotus, naturam de ſe eſſe ſingularem, quoniam intellectus intelligens eam ſub ratione vniuerſalis, intelligeret illã ſub ratione oppoſita rationi ſuæ, quod fieri non poteſt, ita debebat ab eadem natura ſecundum ſe reijcere communitatem, quoniam dum ab intellectu intelligitur ipſa natura vt eſt ſingularis, intelligitur ſub ratione ſibi oppoſita, non enim video, quod ſi ratio vniuerſalis repugnet rationi ſingularis, ratio e contra ſingularis non repugnet rationi communis; Et eo magis hæc ratio contra Scotum videtur efficere, quoniã ipſe docet, ſingularia nedum reflexa, ſed & directa cognitione percipi ab intellectu, quocirca cognoſcens directe intellectus naturam ſingularem, vt eſt in ſingularibus, cognitione directa eam agnoſcit ſub ratione oppoſita rationi ipſius naturæ, & hæc ratio apparet mihi concludere aduerſus Scotum. Quod ſi dicatur non concludere, illud ſaltem habebitur, quod neque ratio eius prima contra primam illam opinionem, per quam ipſe mouetur, vt doceat naturæ non ineſſe de ſe ſingularitatem concludet, ſed certe vera eſt doctrina illa Scoti, qua ductus remouet à natura ſecundum ſe ſingularitatem, hinc vera erit & hæc doctrina, qua conuincitur, & communitas ab eadem natura ſecundum ſe accepta eſſe omnino reijcienda.

Si itaque nec vniuerſalitas illa formalis, nec aptitudo ad eſſe in pluribus conuenit naturæ ſecundum ſe, ſed vtrumque ſibi ineſt ratione ſolitudinis ſuæ, qua conſideratur non coniuncta huic, vel illi, ſed ab omnibus ipſam indiuiduantibus ſeiuncta, & abdicata, cum non niſi in intellectu ſit in hac ſolitudine, & abſtractione, ſequitur infallibilis veritas meæ concluſionis, Vniuerſale ſcilicet non eſſe in rebus ipſis ad extra, ſed ſolum fieri per opus intellectus; Sic in litera, circa quam difficultas hæc mota eſt, colligebatur ratio vniuerſalis non congruere naturæ, niſi ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, ſic bene adſerebatur dictum Auer. (quod tamen non latuit Auicennam quinto ſuę Metaph. cap. illo 2.) quo ait primo de Anima 8 intellectum illum eſſe, qui in rebus vniuerſalitatem facit, vbi vides dicere Commentatorem, intellectum facere vniuerſalitatem, non in ſe ipſo, ſed in rebus, quod ſi ſit ab intellectu, certe non eſt in rebus, quod & cõfirmauit vltimis verbis 18. tertij de Anima dicens, vniuerſalia nullum habere eſſe extra animam, quoniam aliàs nulla eſſet neceſſitas intellectus agentis, & ſub initium quarti duodecimi Diuinorum dicebat, vniuerſalia apud Ariſt. eſſe collecta ex particularibus in intellectu accipiente inter ea conſimilitudinem, & ea unam intentionem faciente, & alibi ſæpe docet, uniuerſalia fieri per opus intellectus, & nullatenus eſſe in rebus; Sed ex dictis, & rurſus hac eadem quæſtione dicendis, & iam ſatis firmata, & magis firmanda deprehendetur noſtra hæc poſitio, quare &c.

Auerroes.
Auicen.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vnde originem ducat vniuerſale, eiuſque natura.

QVamuis ex ijs, quæ ad hanc literam, vbi formata fuit hæc quæſtio obſeruaui, non obſcure forſan colligi poſsit modus, quo fit vniuerſale, & quomodo eſſe obtineat, ad clariorem tamen negotij huius notitiam, nonnulla in præſentia addam, quibus vnà cum illis coniunctis, eiuſdem origo, & natura omnino dilucidabitur.

Hinc ſcias, quod vt ſæpe ſæpius diximus, natura poteſt tripliciter conſiderari, primo ſecundum quod in ſe eſt res, & quidditas quædam, ſecundo prout in hoc, & illo inuenitur, & tertio prout refertur ad intellectum, primo modo conſiderata, nihil habet extraneæ naturæ admixtum, neque ſingularitatem, neque pluralitatem, ſed eſt ſimplex in ſe, quatenus vero eſt in hoc, & in illo, multa ei accidunt, & ſingularitas ſcilicet, & pluralitas, & multiplicatio, à quibus potius denominatur, quam quod reuera vmquam talis vt ſic abſolute ſit, ſecundum autem quod refertur ad intellectum, illam ſolum conſequentem, & non cauſantem, (vt excludatur diuinus intellectus, à quo, & ipſa, & quoduis aliud recipit eſſe, de qua natura tali intellectui, ſeu Intelligentiæ primæ comparata, quædam admiſcet Albertus magnus, dum de hac triplici naturæ acceptione loquitur, vt tract. ſecundo ſuper Porphirium, cap. tertio,) ſortitur vniuerſalitatem, & vniuerſalis denominatur. Imaginor ſiquidem, quod acceptio ipſius naturæ ſecundum ſe, fit media quædam inter acceptionem illam eiuſdem naturæ, quatenus conſideratur in hoc, & in illo, & aliam, ſecundum quod ad intellectum refertur, nam in ſe conſiderata, neque eſt vniuerſalis, neque ſingularis,, in hoc vero, & in illo eſt ſingularis, in intellectu autem, vniuerſalis; ſed eſſe ſingulare, & vniuerſale ſunt duo extrema, & horum intentiones opponuntur, ac contrariæ ſunt, vt art. 4. dicebam ex Auerroe cap. 24. primi Poſter. quare merito fit, vt ſi natura quatenus eſt in hoc, & in illo, eſt ſub oppoſita conditione ſibi ipſi, quatenus eſt in intellectu, & prout eſt in in hoc, & illo, denominatur ſingularis, prout eſt in intellectu, denominetur denominatione oppoſita, dicatur inquam vniuerſalis. Vera autem radix iſtorum, & cauſa à priori eſt, quoniam dum eſt in hoc, & illo conſideratur vt eſt in his limitata, & indiuiduata, quare denominatur hæc, & indiuidua, dum autem eſt in intellectu, conſideratur abſque hoc, & illo, & abſque his, quæ eam limitatam, & indiuiduam reddunt, hinc dicitur vniuerſalis; Profecto ſemotis ijs, quæ naturam reddunt particularem, remanet natura in communitate, & indifferentia, qua non magis hoc, quam illud reſpicit, ſed vniformiter ad omnia refertur, ſic non eſt amplius huic, vel illi propria, ſed cunctis æque communis, ac ſubinde vniuerſalis, ſic non ideo quoniam natura varie denominetur, varia obtinet eſſe, ſed quoniam varia ſortitur eſſe, iccirco varias ſubit denominationes; Sic cernis, vnde originem trahat ipſum vniuerſale, ex ipſo nimirum intellectu, hic enim eſt, qui largitur naturæ vniuerſalitatem, quatenus conſiderat naturam ipſam, & eſſentiam abſque iis, quæ ipſam reddunt indiuiduam, ab omnibus ipſis profecto eam abſtrahens, & quoniam locus, & tempus præcipue, ſi extrinſece loquamur, aliquod indiuiduũ reddunt, quoniam ille determinat ita hic, quod non alibi, hoc vero ita nunc, quod non in alia temporis differentia, eapropter intellectus non conſiderando in natura has diffe-

Quid habeat natura vt ſic.

Quid prout eſt in ſingularis.

Albe. mag.

Quid vt eſt in intellectu.

A quo ortum habeat vniuerſale.

rentias,ſed ab eiſdem abſtrahendo, contemplatur eam ſibi obiectam,non coarctatam loco,vel tempori, ac ſubinde vbique,ac ſemper exiſtētem, & ideo vniuerſalem, nam de natura vniuerſalis eſt, vt ſit vbique,& omni tempore.

Proprietates vniuerſalis.

Certe velut ad aures Platonis conſueuit dici vniuerſale reale dari, quoniam realiter à ſingularibus ponebatur ſeparatum , ita apud nos datur vniuerſale in intellectu,quoniam prout eſt in ipſo,conſideratur vt ſeparatum à ſingularibus, & ab iis,quæ reddunt naturam ipſam ſingularem .

Diluitur tacita obiectio.

Quomodo natura occurrat intellectui.

Non cenſeas autem,intellectum falſum eſſe,dum tribuit naturæ vniuerſalitatem,quæ tamen natura ad extra in rebus eſt ſingularis,quoniam non ita ei tribuit vniuerſalitatem , vt eam dicat vniuerſalem , quatenus eſt in rebus , ſed illam dicit vniuerſalem , prout ſibi obiicitur , obiicitur autem vt vniuerſalis, quoniam vt depurata , & expoliata à materiæ conditionibus , neque tamen dicas falſo obiici , quoniam videlicet in rebus eſt ſingularis , & abſque rebus in quibus eſt ipſi obiicitur , quoniam non fertur intellectus ad res , vt ſunt in ſeipſis,vt facit voluntas , ſed res fiunt intra ipſum intellectum , qui fit in actu ex hoc, quod res in eſſe intelligibili ſunt intra ipſum , poteſt autem vere offerri intellectui vnum abſque alio,ſic offertur natura abſque ſingularitate,ſic non falſo offertur,quoniam non eſt neceſſe,vt totum quod eſt in re ſubiiciatur intellectui,immo in propoſito noſtro eſt impoſſibile,quoniam directe,vel per propriam ſpeciem nequit ipſa ſingularitas ſubiici,cui natura ad extra eſt coniuncta ; & hæc eſt vis abſtractionis intellectus, dum vnum abſque alio conſiderat,velut enim ſeparatio realis eſt , quando vnum ab alio in re ſeparatur,ita intellectus ſeparatio conſiſtit in contemplatione vnius , & non alterius,nil enim aliud eſt abſtrahere,quam vnum abſque alio intueri,vt quęſtionibus huius operis proœmialibus dicebatur , &c.

Separatio realis.

Separatio intellectus.

Quomodo ſingularitas coniuncta, & non coniuncta naturæ.

Cauſa vero,& radix,cur vere poſſit intellectui ſubiici natura abſq; ſingularitate eſt,quoniā ſingularitas accidit naturæ,& licet ſit ei coniuncta in exiſtentia,non tamen eſt ei vnita in eſſentia,ſeu in certitudine,ſeu in cōceptu,natura etenim eſt prior in ſe,& in ſui quidditatiuo conceptu,tum vniuerſalitate,tū ſingularitate,quod ſi de ſui conceptu foret ſingularitas,vtiq;nec abſtractione ſimplici,ſeu præciſiua,nec abſtractione alia poſſet abſque iqſa intelligi .

Et quidem hactenus vidimus,vniuerſale fieri ab intellectu,& naturā non denominari vniuerſalem,niſi quatenus habet eſſe in intellectu, modum autē quo intellectus faciat ipſum,& iā innuimus,& in obſeruationibus ad hanc literam cumulate expreſſimus:Exiſtente ſiquidem natura in phantaſmate,& accedente lumine intellectus agentis,qui naturā dūtaxat facit apparere,omnibus,quæ illam indiuiduam effecerant,occultatis penitus,& in vmbra manentibus , iam in illo phantaſmate relucet natura vniuerſalis ex vi illius abſtractionis, at non eſt ita vniuerſalis, vt ſe ipſa ſit ſufficiens in potentia proxima mouere poſſibilem intellectum, quare exigitur ſpecies eius intelligibilis,quam ex illo phantaſmate eliciat intellectus agens,quippe quæ mox producta,mouet poſſibilem intellectum,& in ipſo recipitur,ſimulque ab eodem percipitur .

Sententia Authoris de origine vniuerſalis.

Ita ipſe intelligo fieri vniuerſale,& hæc mea eſt ſententia,quod nimirum ex illa abſtractione intellectus agentis mox cōſurgat,& prodeat vniuerſale,quod vero adſit eius ſpecies intelligibilis , quod habeat eſſe ſubiectiue in intellectu , hæc eo tendūt,vt cognoſcatur,nō vt ſit, immo vero præſupponitur prius eſſe , deinde hæc requiruntur,vt cognoſcatur, & nō abſolute , ſed ſolū ab humano intellectu,cōſtat ſiquidē vniuerſalia, & naturas vniuerſales multo lucidius ab

intel-

intellectu Diuino, & Angelico percipi, quam à noſtro, & tamen in ordine ad illos intellectus non exigitur ſpecies eo modo, quo in noſtro intellectu conſtituitur, nam Deus per ſuam eſſentiam cuncta exactiſſime nouit, & Angelus etiam ſub quadam ratione communi, prout in ipſo inferiora hæc continentur, per eſſentiam ſuá non diſſimiliter intuetur, licet ad hoc vt rerum naturas dearticulate contépletur, inditæ ſibi fuerint à naturæ auctore rerum omniũ ſpecies, at hæc non multũ in præſenti faciunt: Illud ſufficiat, vniuerſale fieri per illam, quam dixi abſtractionem, eius vero ſpecié intelligibilem, & alia, quæ hoc côſequuntur, facere quidé ad eius cognitionem, non auté ad ipſius productionem in ſe, at ſolum in intellectu. Sic quando dicitur vniuerſale hoc factum per abſtractioné, (quod veteres nominarunt vniuerſale poſt rem,) eſſe notam rerum in anima acceptam, vel habitum, vel diſpoſitionem, vt illud nuncupat Albertus vbi ſupra, id non accipio de vniuerſali in ſe, quoniam hoc non dico ipſe eſſe notam, vel ſpeciem rerum, ſed volo eſſe naturam, & eſſentiam ipſam ſic abſtractam, conſideratam ſcilicet abſque ijs, quæ illam indiuiduam faciunt, (non actu conſideratam, ſed mox conſiderabilem, accedente videlicet ſpecie intelligibili,) illa vero memorata accipio de vniuerſali quo ad eſſe cognitum, & ſubiectiuum in intellectu poſſibili, & rurſus, naturam illam, ac eſſentiam modo præfato per intellectum agétem abſtractam, volo eſſe vniuerſale formale, & in actu, non autem vniuerſale materiale, vel fundamentale, vel formale in potentia, vt illud vocat Zimara annotatione illa ſua commemorata, quoniam ait vniuerſalitatem illam cauſatam per intellectum agentem, non eſſe comparationem illam vniuerſalis ad particulare, quod ſane verum eſt, at vero vniuerſalis formalitas non ſtat in illa comparatione, ſed poſita eſt in abſtractione memorata, comparationem vero illam, dico eſſe quid conſequens vniuerſale, iam formale factum beneficio abſtractionis.

Vniuerſale quomodo ab antiquis dictũ.

Quale vniuerſale ſit natura abſtracta ab intellectu ag[...]

Zimara.

Et quidem natura ipſa ad extra, & vt eſt in ſingularibus, eſt materiale, ac fundamentale ipſius vniuerſalis, & eſt vniuerſale formale in potentia, at natura ſic abſtracta, & relucens, abſque illa indiuiduali conditione apud me eſt vniuerſale in actu formale, & quicquid deinceps ſequitur, & ſpecies eius intelligibilis, & eſſe ſuum ſubiectiuum in poſſibili intellectu, & eius comparatio ad ſingularia, nihil faciunt ad vniuerſalis côſtitutionem, ſed ſolum vel ad eius cognitionem, vel illud conſequuntur. Nihil quippe minus natura illa à conditionibus materiæ abiuncta eſſet vniuerſalis, licet ab intellectu poſſibili nõ perciperetur, licet eius ſpecies intelligibilis non produceretur, licet ad ſingularia non côpararetur, etenim natura vniuerſalis in alio non eſt conſtituta, quam vt ſit apta nata eſſe in multis, quod plane ſit ope illius abſtractionis, tunc enim relucet vt communis, vt indifferens, vt æqualiter ad omnia ſe habens, & ex conſequenti apta nata eſſe in multis, ac proinde vniuerſalis.

Natura Vniuerſalis.

Hæc autem licet alicui forſan quo ad verborum ſonum poſſint noua videri, tamen intimius rem contemplanti, apparebunt ex ſenſu profundo, & magni Alberti, & Auctoris, & nobilium eius diſcipulorum deprompta; Albertus enimuero quinto Diuinorum, tract. 6. cap. 6. vbi docte nimis de vniuerſalis origine tractat, inquit eſſe omnino abſurdum putare, quod natura habeat communicabilitatem ex eo quod comparetur pluribus, actu, vel potentia plura exiſtentibus, non enim (ait) comparatio, qua pluribus comparatur, eſt cauſa huius, nam tale eſt per intellectum ante hanc comparationem, nihil enim comparatur pluribus, niſi ſit communicabile, quare communicabilitas eſt cau

Albe. Mag.

ſa, vt

D. Thom. ſa,vt comparetur pluribus,non cauſata à tali comparatione, &c. Auctor vero
opuſculo 55. habet,naturam,quæ erat ſingularis,effici vniuerſalem per actio-
nem intellectus depurantis ipſam à conditionibus,quæ ſunt hic,& nunc. Ca-
Caietanus. ietanus etiam dum hoc loco reſpondet ad ſecundum,& Capreolus locis nomi
Capreolus natis in reſponſione ad argumenta, expreſſe docent,vniuerſale non fieri ab in-
tellectu poſſibili,ſed ab intellectu agente,quem ſane liquet nihil aliud facere,
quam depurare, & abſtrahere naturam, via quam manifeſtaui ab indiuiduali-
bus proprietatibus;Neque confugias ad ſpeciem intelligibilem,quam elicit idē
intellectus agens,hæc enim vt dicebam non fit, vt vniuerſale ſit,ſed vt cogno-
ſcatur, & docte Capreolus in tertio,diſt. 5. q. 3. ad quaſdam confirmationes
contra tertiam ſolutionem ad primum Scoti contra primam concluſionem di-
cebat,omnia illa argumenta ex falſo intellectu poſitionis ſuæ procedere, ac ſi
diceret,quod intellectus poſſibilis intelligendo fabricet vniuerſale,hoc autem
ſubdit non dicimus, ſed illud facit intellectus agens non intelligendo,ſed ab-
ſtrahendo, & antea immediate eadem reſponſione dixit, obiectum intellectus
fieri vniuerſale per actum intellectus agētis,qui intellectus (ſubdit,)non cōpa
rat vniuerſale ad plura extra, quoniā id efficit intellectus poſſibilis ergo nulla
tenus dici poteſt, fieri vniuerſale per illā poſsibilis intellectus comparationē.

Quod ſi vera formalitas ipſius vniuerſalis, ſine qua vere non eſſet vniuer-
ſale formale,fieret per reſpectum illum,quo comparatur ad ſua inferiora, non
video quomodo verum eſſet, intellectū poſſibilem non facere vniuerſale,cum
talis comparatio ab ipſo fiat, neque eſt dicendum, intellectum agentem face-
re vniuerſale quo ad fundamentale, hoc enim falſum eſſet, non enim res, ſeu
natura,quæ eſt fundamentale vniuerſalis fit ab intellectu agente;Si itaque viri
clariſſimi docent,vniuerſale fieri ab intellectu agente, (vnde adeſt pulchrum
Themiſt. illud Themiſtij dictum 3. de Anima cap. 25. intellectum agentem eſſe ceu ar-
chitectum quendam,& fabricatorem notionum,)vtique etiam docent fieri per
illam abſtractionem, non autem per aliquid,quoduis illud fuerit ad ipſam ſe-
Caietanus. quens. Sed & Caietanus circa tertiam aſſertionem tertiæ partis huius literæ
corollarie eliciebat,quod ad hoc,vt aliquid ſit vniuerſale in actu in prædicādo,
non requiritur actualis relatio naturæ, quæ obiiciatur intellectui ad particu-
laria, ſed illud ſufficere, vt res ipſa in ea ſit diſpoſitione, ut intellectus iuxta
Albertus placitum ſuum poſſit relationem illam ei tribuere,(ſic & Albertus tract. 2. ad
Magnus. prædicabilia cap. 1. & tract. 3. capite ſimiliter tertio dicebat,vniuerſale non ſo
lum illud eſſe, quod prædicatur,ſed quod aptum natum eſt prædicari de mul-
tis, & eſſe in illis,) nihil addendo præter relationem ipſam actualem; non ita-
que de mente Caietani requiritur comparatio ad vniuerſale in actu,& forma-
le, ſed abſtractio illa ſufficit; Nec mouearis,quod vniuerſale non ſit in illa di-
ſpoſitione, vt ei poſſit intellectus relationem illam conferre, niſi merito ſpe-
ciei ſuæ intelligibilis fuerit in ipſo, hoc enim licet verum ſit, per accidens ta-
men ſe habet in hoc, quoniam id non prouenit ex eo, quod vere vniuerſale
abſque ſpecie non ſit productum per illam abſtractiuam relucentiam, ſed ex
eo quod poſſibilis intellectus illud non agnoſcit,niſi eius ſpecie informatus;&
cum illud non cognoſcat, nequit ei relationem illam largiri, vnde ſi ſublata
intelligibili ſpecie cognoſceretur vniuerſale ab intellectu,(velut dicunt ij,qui
ſpecies negant intelligibiles) vniuerſale,quod iam ex abſtractione emanauit,in
ea foret diſpoſitione, vt illud ad particularia referre, ſeu comparare, ſuo libi-
to poſſet intellectus.

At de-

At demonſtratiue, (quantum ego ſentio,) viro thomiſtæ commonſtro vniuerſale vt ſic non fieri per illam comparationem poſſibilis intellectus, & arguo ſic: Intellectus poſſibilis dum intuetur naturam illam, quam comparat ad particularia, vel natura illa eſt prius vniuerſalis, aut ſingularis, non datur medium, ſi vniuerſalis, ergo non conſtituitur ab ipſo in eſſe vniuerſalis per talem comparationem, ſi ſingularis, ergo directe, & forſan primo cognoſcit intellectus ſingulare, quod nullus Auctoris alumnus concedet, vt patuit quæſtione 2. procœmiali; Neque poteſt dici, quod ſimul intelligat, & comparet, tum quoniam prius natura ſaltem eſt cognitio, quam comparatio, cum nullum ignotum queat comparari, tum quoniam præceſſit iam ſpecies intelligibilis, per quam ipſe intellectus poſſibilis in actu primo conſtitutus fuit, quam ſane cõſtat apud nos, non niſi naturæ vniuerſalis eſſe repræſentatiuam, & fateor me hoc argumento conuinci. Sed & illud omni veritate plenum, & apud Thomiſtas receptiſſimum eſt, quod rem effici primo, ac directe intelligibilem, nil aliud ſit, quam effici vniuerſalem, nam ſola materialis ſingularitas impedimento eſt, quo minus res ſint actu intelligibiles, quod itaque intelligibilia in potentia, facit intelligibilia actu, efficit & ſingularia, vniuerſalia, nullus autem dubitat, intellectum agentem hoc præſtare, eatenus namque dicitur agẽs, quatenus agit res intelligibiles actu, quæ prius potentia ſolum intelligibiles erant, vt dicunt omnes, & claris percipue, ac diſertis verbis Themiſtius 3. de anima c. toto 24. ergo intellectus agens facit vniuerſalia, non ergo conſtituuntur per comparationem illam poſſibilis intellectus.

Ratio pro Auctoris ſententia.

Defenditur.

Quid ſit effici quidpiam primo intelligibile.

Themiſt.

Quare tum auctoritatibus, tum rationibus, doctrina quam tradidi de natura, & conſtitutione vniuerſalis tam certa eſſe debet, quam quod certiſſima; Neque miretur quis, me de re iſta ſolicitari, quoniam præterquam quod materia ſatis ardua eſt, natura, & origo vniuerſalis, acceſſit etiam, quod viros clariſsimos, & Prædicatorij quoque inſtituti vidi publice, & acerrime docentes, vniuerſale fieri per illam intellectus poſsibilis comparationem, & numquam ante ipſam eſſe vere, formaliter uè aliquod vniuerſale, ſed & Dominicus Sotus quæſtione ſecunda ſupra procœmium Porphirij ait, viros quoſdam ſui temporis eandem ſententiam ad aures etiam Auctoris docuiſſe, at & illorum, & iſtorum placita diſplicentia, ſatis arbitror extirpaſſe.

Sotus.

Illud ergo conſtitutum habeatur, vniuerſale fieri ab intellectu agente per relucentiam illam abſtractiuam toties commemoratam, ex qua prouenit, vt natura ſolum luceat abſque ijs, quæ illam indiuiduam faciunt, quæ natura, ac quidditas ita præciſa, eſt vniuerſale formale in actu, neque quid vlterius exigitur ad eius conſtitutionem, ſic patet, ipſum non eſſe ſpeciem intelligibilem, non purã intentionem, etiam pro formali acceptum, ſed naturam, ſed eſſentiam ſic abſtractam, non quidem ſecundum eſſe, vt patet, ſed beneficio intellectus agentis, eam in eſſe repręſentatiuo conſtituentis, & cognoſcibilem proponentis poſsibili intellectui, & cum ſic accepta non deſcendat ad indiuidua, quoniam in eo quod ad ipſa deſcendit, iam amittit illud eſſe, quod ex intellectu obtinuerat, & quæ iam vna erat, & quæ æquo modo ad inferiora ſua ſe habebat, iam hæc, & indiuidua, & multiplicata emergit, inde non ſequitur, indiuidua ipſius in vllo reali ad extra conuenire, ſed ſolum in communi conceptu, ratione, & ſpecifica eſſentia, &c.

Quid ſit vniuerſale.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Dubitatur aduerſus ea, quæ proxime dicta ſunt.

VT quæ dixi, illuſtriora reddantur, dubia nonnulla contra meipſum moueo, quibus ſolutis, nihil fortaſsis in animo legentis remanebit, quod cauſæ poſsit eſſe, vt quam feci determinatio ſibi non arrideat, confutabũtur autem ex eademmet doctrina tradita, vt & inde eius nobilitas, ac veritas elici queat.

Prior dubitatio. Dubium autem primo occurrit, quoniam videtur natura eo modo accepta, qui mox declarabatur, cum præciſione videlicet à conditionibus materiæ ſignatæ, eſſe natura ipſa ſecundum ſe, & ſecundum abſolutam ſuam conſiderationem, & cum tali naturæ tribuamus vniuerſalitatem, illud apparet, quod naturæ ſecundum ſe inſit vniuerſalitas, contra ea, quæ & præcedenti, & præſenti quæſtione ſæpe inculcauimus, vel quod male fuerit aſsignata quidditas vniuerſalis, cum dictũ ſit accidere naturæ, quatenus habet eſſe in intellectu; Quod autem natura ſic accepta, ſit natura ſecundum ſe, & in ſua nuda eſſentia conſiderata, probo, nam clarius eſt, quam vt probationis egeat, naturam cum illa præciſione, non eſſe cum ſingularitate coniunctam, at neque cum vniuerſalitate, non enim tunc eſt in pluribus, non dicitur de pluribus, vt patet, hæc etenim fiunt ope intellectus poſsibilis, naturam ipſam conſiderantis, vt eſt in multis, eandem ad multa referentis, non enim in ſe, vel eſt in multis, vel dicitur de multis, ſed ipſam naturam ante quemuis actum intellectus poſsibilis in illa præciſione conſtituo, quare ſibi tunc non ineſt vniuerſalitas, clarum autem eſt, naturæ ſecundum ſe acceptæ nihil accidere præter ſingularitatem, & vniuerſalitatem, hinc cum neutrum ipſi ſub illa relucentia abſtractiua conueniat, vel nihil remanet ipſius, vel remanet natura ſecundum ſe, cui tamen ſic remanenti tribuitur vniuerſalitas, &c.

Secunda dubitatio. Dubium ſecundo adeſt, quoniam docui, eſſentiam vniuerſalis in illa abſtractione & fieri, & compleri, quæ vero omnia poſtea fiunt, conſequi ipſum vniuerſale, quod & præcipue de illa comparatione, qua refertur ad particularia dixi, huic enim videtur obſtare Auicennas quinto ſuæ Metaphyſicæ cap. 2, vbi ait, vniuerſalitatem non accidere alicui naturæ, niſi cũ ceciderit in formatione intelligibili, & ſubdit eius vniuerſalitatem non eſſe ex hoc quod eſt in anima, ſed ex eo quod comparatur ad multa ſignata habentia eſſe, vel opinata, particularia ſcilicet, quæ verba euertere prorſus apparent, quæ docui, elicitur enim, non fieri vniuerſale, niſi per ſpeciei inteligibilis formationem, hæc enim eſt formatio intelligibilis; ſed neque in hoc vniuerſalitatem naturæ compleri, verum ex illa comparatione ad ſingularia, ipſe autem docui, vtrumque præſupponere vniuerſale ipſum iam conſtitutum; Sed & Auctor opuſculo illo 55. ait, ſpeciem non eſſe vniuerſalem ex eo quod ſit in anima, ſed quoniam ad multa ſingularia comparetur, quibus verbis moti forſan fuerunt illi, qui in via eius docuerunt, non fieri, ſeu non compleri vniuerſale, niſi merito illius comparationis, &c.

Auicenn.

D.Thom.

Tertia difficultas. Dubito tertio, quoniam principio 3. articuli huius quæſtionis, dum certa ab incertis ſegregabam, pro certo omnibus eſſe dixi, formale vniuerſalis fieri ab intellectu, & vniuerſalitatem ipſam formalem pari certitudine, reſpectiuam

eſſe

eſſe addebam, & ſæpius dixi, formale vniuerſalis eſſe relationem rationis ſibi ab intellectu tributam, quare videor mecum ipſe pugnare, dum deinde aſſeuero vniuerſale formale poſitum eſſe in illa abſtractione, & relationem, quam ei aſcribit intellectus, non eſſe formale vniuerſalis, ſed illud conſequi, & videor nedum mihi, ſed & omnibus aduerſari, vno ore docentibus, vniuerſale pro formali eſſe relationem rationis, & omnino ab intellectu fieri, quam ſane relationem liquet ab intellectu poſſibili proficiſci, quare omnia collabi videntur.

Quarta. Sed & illud quarto apparet obſtare, quoniam id quod prouenit ex aliquo, non eſt illud à quo prouenit, ſed ad ipſum ſequitur, patet hæc propoſitio, quoniam idem non prouenit à ſeipſo, tunc enim eſſet, & non eſſet, ſed intentio vniuerſalis prouenit ex abſtractione intellectus, vt affirmat Auctor p. par. q. 85. art. 3. ad primum, ergo intentio vniuerſalis non ſolum non eſt abſtractio, ſed neque ſtat in abſtractione, at illam conſequitur, &c. D.Thom.

Solutio prioris dubitationis. Reſpondeo ad primum, quod ſi de re ipſa loquamur, illamet natura vt art. 4. dixi, eſt quæ conſideratur ſecundum ſe, & quæ habet eſſe in ſingularibus, & quæ offertur obiecta intellectui, vnde quo ad ipſam rem, nulli dubium eſt, naturam acceptam cum illa præciſione, ſeu abſtractione, eſſe naturã, quæ ſecundũ ſe conſideratur, at formaliter loquendo, & cum reduplicatione falſum eſt, naturam ſic abſtractam eſſe naturam ſecundum ſe, quoniam natura ſecundum ſe accipitur, quatenus ei inſunt prædicata ſua eſſentialia, & quidditatiua, & nihil aliud de ea vt ſic dicitur, at natura cum illa præciſione conſideratur, prout vniformiter ſe habens ad multa, vel ad omnia ſibi inferiora, vt in omnibus illis poteſt eſſe, ac de eiſdem dici; Rurſus, naturæ ſecũdum ſe, nullo actu intellectus accedente conueniunt prædicata ſua quidditatiua, non ſit autem natura eo modo à ſingularibus abſtracta, niſi opera intellectus agentis, vnde negatur, quod ſic abſtracta natura non ſit vniuerſalis, neque obſtat, quod prout relucet in illa abſtractione, nec ſit in multis, nec de multis dicatur, neque ea eſt definitio vniuerſalis, ſed quod poſſit eſſe in multis, & de ipſis dici, vt ſuperiori art. dixi, & vt elicitur ex Auerr. dicente primo Cœli 92. in definitione vniuerſalis poni, vt ſit natum dici de pluribus, nemini autẽ ignotum debet eſſe, naturam ſic abſtractam poſſe & in multis eſſe, & de multis dici, cum non ſit ad hoc, vel illud definita, nec magis hoc, quam illud reſpiciat, ſed vniformis ſit ad omnia, quare proxime valet eſſe in multis, quoniam nil aliud id ſibi prohibet, niſi eiuſdem appropriatio huic, vel illi, quæ omnia in illa abſtractione ſubmota ſunt. Neque quis dicat, tunc magis, vel formalius effici vniuerſalis, quando iam eſt in multis, & de ipſis dicitur, hoc enim falſum eſt, quamuis etenim magis tunc reluceãt illi actus, & in formationis ſcilicet, vt ita loquar, et prędicationis, nõ tamẽ magis relucet natura vniuerſalis, quoniam, (vt dicebam,) non eſt eius natura vt ſit, vel dicatur de multis, ſed vt poſſit & eſſe, & dici, vnde verum eſt, dum vniuerſale actu eſt in multis, & de eis dicitur, eius potentiam ad actum reduci, at nego in illa reductione ſtare vel naturam, vel formalitatem ipſius, &c. Auerroes. Excluditur obiectio.

Ad ſecundam difficultatem. Auctoritas Auicennæ in ſecundo argumento allegatã duo videtur referre, & primo, quod vniuerſale non ſit, niſi merito ſpeciei intelligibilis, & ſecundo, quod ſit conſtitutum in comparatione illa ad inferiora, at de primo dicetur ſequenti art. Dico itaque quo ad ſecundum, quod neque Auicennas, neque Auctor opuſculo relato, nomine comparationis ad ſignata, vel indiuidua accipiũt relationem illam actualem intellectus, qua refertur vel genus ad ſpecies, vel hæc ad indiuidua, ſed intelligunt vniformitatem illam, qua natura ſic ab- Quid nomine comparationis ad ſingularia accipiant D. Thom. & Auicennas.

ſtracta habet ad inferiora ſua, tunc enim, vt frequenter dictum eſt, non magis reſpicit vnum, quam aliud, & ſic ipſemet Auctor ibidem manifeſtat, ſe nomine comparationis accipere vniformem illam rationem, quam habet natura ad omnia, quorum eſt natura; communitatem profecto illam, ac indifferentiam non magis ad vnum, quam ad aliud, ſic vbique explica, ſi quos inuenias dicentes, vniuerſale fieri per comparationem. Vel ſi quis contenderet, quædam dicta intelligi debere de comparatione illa per prædicationem, qua genus ad ſpeciem, hæc ad indiuidua refertur, explica de comparatione non actuali, ſed fundamentali, non autem admittas vmquam fieri vniuerſale per cõparationem illam vltimam, & actualem, nam magis diſtat abſtractio intellectus agentis ab actuali comparatione, quam diſtet ſpecies intelligibilis ab eadem comparatione, & tamen iam demonſtratum fuit, vniuerſale fieri, atque compleri per illam abſtractionem, & quo ad eſſe nõ pendere ab intelligibili ſpecie, multo minus ergo pendebit ab actuali illa comparatione; Sed reuera Auctor, (cuius teſtimonia potiſſimum expendenda ſunt) ſatis ſe explicauit, quid comparationis nomine acciperet, vt dicebam, neque quid huic contrarium colliges ex Auicenna ibi, ſi attente toto illo cap. 2. eum legas.

Solutio prior tertij dubij. Vt tertium argumentum diſſoluas, dic primo eadem prorſus doctrina, omnes intelligere de relatione, & reſpectu fundamentali, non formali.

Secunda. Dicito ſecundo, eos intelligere de comparatione illa actuali poſſibilis intellectus, & hoc vocari formale ipſius vniuerſalis, ſed non tamquam dans eſſe, & formam ipſi, illud enim ex præuia abſtractione ſortitum eſt, ſed tamquam complementum vltimum ipſius, quod vltimam ei det perfectionem, ſed non eiuſmodi, vt ſine illa non ſit vere vniuerſale, adeo vt nomine ly *formalis* accipiatur quid deſumptum à forma, non quatenus dat eſſe, ſed quatenus rem in poſtrema quadam extrinſeca perfectione, ac complemento locat, &c.

Tertia. Dicito tertio, aliud eſſe loqui de vniuerſali quo ad eſſe, & aliud quo ad cognoſci, ratione primi ſit vere, ac formaliter per abſtractionem à conditionibus indiuidualibus, ratione ſecundi, ſit merito ſpeciei intelligibilis, iuxta quem ſenſum poſſent aliquorum dicta nonnumquam accipi, at de hoc, articulo ſequenti.

Quarta. Quomodo ſe habeant vniuerſale, & prædicabile. Dicito quarto, quod ſi ſubtiliter quis inſpiciat, nonnihil diſcriminis comperiet inter vniuerſale, & prædicabile, quoniam vera natura vniuerſalis eſt eſſe in pluribus, natura autem prædicabilis eſt dici de pluribus, & ſe habent inſtar cauſæ, & effectus, ſeu more antecedentis, & conſequentis, nam ad eſſe vniuerſale, ſequitur eſſe prædicabile; Nec te moueat, quod omne vniuerſale ſit prædicabile, & e contra, cum hoc enim ſtat diſcrimen aſsignatum, nam & omnis homo eſt riſibilis, & vice uerſa, & tamen multo magis differt riſibile ab homine, quam prædicabile ab vniuerſali. Dico itaque, quod vniuerſale vere, ac formaliter ſit ope intellectus agentis per illam abſtractionem, prædicabile vero poteſt dici, quod fiat ab intellectu poſsibili merito reſpectus illius, & relationis, quam tribuit vniuerſali ad particularia. Dico, *poſſe dici*, nam certe definitio prædicabilis non eſt, vt actu dicatur de multis, ſed vt proxime, & immediate dici poſsit, at definitionem ipſius extendendo vt dicatur de multis actu, nulli dubium eſt, quod tunc ſit ab intellectu poſsibili prædicabile, ſeu vniuerſale, quatenus prædicabile eſt, non autem quatenus vniuerſale; quoniam autẽ quæſtio eſt de vniuerſali in prædicando, quæ duo videtur admiſcere, & vniuerſale ſcilicet, & prædicabile, & vltimus eius actus vt eſt prædicabile, completur ex

Definitio prædicabilis.

tali

tali comparatione, eapropter dicunt omnes, formale tale vniuerſalis in comparatione illa conſiſtere, &c.

Dicito quinto, quod aliud eſt fieri vniuerſale vt ſic, & aliud eſt fieri hoc, vel illud vniuerſale, vniuerſale vt ſic, fit per abſtractionem intellectus agentis, vniuerſale hoc, & illud, puta genus, vel ſpecies, fit per comparationem illam poſsibilis intellectus ad inferiora, præceſsit vtique in illa abſtractione vniuerſale vere, ac formaliter, at non tale vniuerſale, quod ſit vel genus, vel ſpecies, non enim neceſſario conſurgit mox genus ex hoc, quod natura ſit apta eſſe in multis, nam poteſt & conſurgere ſpecies, ſimiliter eadem ratione non mox de neceſsitate conſurgit ſpecies, quoniam ad rationem generis, non ſufficit vt ſit aptum eſſe in multis, ſed vltra exigitur, vt ſit in multis ſpeciebus, & vt ſua immediata inferiora ſint ſpecies, ex illa autem abſtractione hoc non prouenit determinate, vt patet, ſi fiat abſtractio humanitatis ab indiuiduis; Intellectus autem poſsibilis conferendo vniuerſale illud iam factum per abſtractionem, ſi adfuerint ſpecies, quæ ei immediate ſubijciantur, faciet illud eſſe genus, & tale denominabit, at ſi fuerint indiuidua illa immediata inferiora, faciet vniuerſale illud ſpeciem, ac ſpeciem denominabit, abſtrahit quippe vniuerſale & à genere, & à ſpecie, quoniam ei vt ſic accidit, quod hæc, vel illa ſub ipſo immediate collocentur, nam ad eius naturam ſat eſt, vt aptum ſit eſſe in multis, quæcumque fuerint illa multa. Et hoc eſt, quod innuebam art. 3. primæ quæſtionis ad tertium caput, & hunc in locum accuratiori, ac latiori conſideratione rimandum pollicebar, cum dicebam, intellectum potius dare nomen ipſi vniuerſali, dum comparat illud ad ſua inferiora, quam quod faciat ipſum vniuerſale.

Quinta.

Quid poſtulet ratio generis.

Nego itaque, vniuerſale vt ſic fieri per comparationem ad inferiora ab intellectu poſsibili, quoniam fit per abſtractionem, concedo autem, tale vniuerſale ex illa comparatione reſultare, ceu nego animal vt ſic conſtitui per rationale, vel per irrationale, vtrumque enim ei accidit, cócedo autem, hoc animal, videlicet hominem per rationale conſtitui; Quoniam igitur genus, & ſpecies fiunt formaliter per comparationem illam, & omne vniuerſale in prædicando, vel eſt genus, vel ſpecies, vel illorum more ſe habet, ideo nó immerito dici poteſt, & dicitur, vniuerſale quo ad formale conſtitui per relationem illam rationis, & intentionem, quam eidem præbet intellectus poſsibilis, ſed vniuerſale vt ſic conſtituitur per abſtractionem, & ex relatione illa, aut comparatione denominatur potius, quam vllo modo eſſe obtineat.

Non intelligas autem ad eſſentiam generis, & ſpeciei ſpectare, vt actu dicantur, illud de ſpeciebus, hæc de indiuiduis; nam ſufficit, quod aptitudine; at talem, & talem aptitudinem videntur ſortiri, quando videat intellectus quæ immediate illis ſubſint, quod vtique non contingit, niſi comparentur ad ſua inferiora, quod de vniuerſali vt ſic nequit dici, non enim requiritur, vt ſit aptum eſſe in his, vel illis inferioribus, ſed quod in inferioribus, &c. Veruntamen & hæc ſane accipito, nam etiam in illa abſtractione præciſa ſi fuerit gratia exempli, animal, vere tunc quantum in ſe fuerit, erit genus, ab intellectu autem potius nomen, quam eſſe ſortitur, ſimiliter ſi homo, erit in ſe ſpecies, at non habebit nomen adhuc, &c.

Cæterum ex hac vltima via dicendi, quam modo ſubnectam, difficultas omnis plene, ac facile auferetur, & priores modos ad ubertatẽ potius doctrinæ excogitaui, & ad declarandum, quomodo argumentum tertio loco adductum, quod ſatis arduum apparet, varias habeat ſolutiones; nunc vero quæ adferam

nedum commoſtrabunt, argumentum nihil concludere, ſed mirum in modum conſona erunt ijs, quæ de vniuerſali conſtitutione tradita ſunt.

Sexta ſolutio omnibus aptior.

Reſpondeo igitur ſexto loco ad tertium arg. & dico, veriſſimum eſſe id quod ab omnibus dicitur, quodque ego aſſerui, & aſſero, vniuerſale nimirū fieri per relationem illam, & per reſpectum, quem ab intellectu obtinet, & eius formale eſſe quid in relatione completum, & alia omnia, quæ in argumento recenſebantur, at nomine huius relationis, vel reſpectus, vel etiam comparationis, non accipitur comparatio illa, qua à poſſibili intellectu comparatur ad partes ſubiectiuas, & ad inferiora, ſed intelligitur vniformis illa ratio, & relatio, quam habet ad illa inferiora ſua, & per quam non magis vnum, quam aliud reſpicit, vt dicebatur in confutatione præcedentis argumenti, tunc enim munere intellectus agentis reddita eſt natura ſeiuncta, & abdicata ab ijs, quæ huic, & illi appropriatam eam reddebant, vnde ijs exuta, remanet eodem modo ad omnia ſe habens, & ad ipſa refertur, quantum eſt de ſe in illo ſtatu æqualiter ad ſua inferiora, in quibus nata eſt eſſe, quod forte voluit innuere Auicen. quando loco in art. præced. relato dicebat, eorum iudicium, (inferiorum ſcilicet, quæ reſpicit natura communis,) quantum ad ipſum vniuerſale eſſe idem, hoc eſt, ipſum illa æquali, & vniformi reſpectu intueri, & quoniam quicquid ex opere intellectus vt ſic prouenit, illud quid rationis merito dici debet, cum talis indifferentia, communitas, & ad omnia reſpectus proueniat naturæ beneficio intellectus agentis, ideo iure vocatur talis relatio quid rationis, & dicitur formale ipſius vniuerſalis, cū eius fundamentale ſit res, ac natura ipſa, & rurſus optima ratione dicitur, vniuerſale eſſe vniuerſale, iuxta eſſe, quod habet in anima, hoc eſt, non ſecundum quod ad extra eſt, ſed quatenus intra, & quatenus intellectus agens circa naturam operatus eſt, illam abſtrahendo, & ab ea materiæ conditiones fugando, non autem accipiendum eſt ſtricte, ipſum habere eſſe ſubiectiuum in intellectu poſſibili, niſi fuerit ſermo de ſpecie eius intelligibili, & de ipſo, vt intellectum, & ad vltimam ſui actualitatem reductum, vt ſcilicet actu de his, & illis dicatur, quod tamen non eſſe de ſui eſſentia, ex pluribus iam hac quæſtione diſſeminatis, & præcipue ex reſponſione ad primum in hoc ipſo art. conſtare, & poteſt, & debet.

Per quam relationem, & comparationē fiat vniuerſale.

Auicen.

Quomodo vniuerſale ſit iuxta eſſe, quod habet in anima.

Diluitur quarta dubitatio.

Ad quartum non eſt difficile reſpondere, dico enim, quod ſi nomine intentionis viuerſalitatis intelligatur illa naturæ vniformitas, qua modo non diſſimili, vbi abſtracta fuit, reſpicit ſua inferiora, doceo prouenire ex abſtractione, & dum infertur, ergo vniuerſalitas non eſt abſtractio, concedo, ſed ſtatim ex abſtractione conſequitur, & non docui, vniuerſalitatem eſſe abſtractionem, ſed dixi per abſtractionem fieri vniuerſale, & ſi nomine illius intentionis accipiatur reſpectus ille, ſibi ex comparatione ab intellectu poſſibili tributus, ſimiliter concedo ſequi ad abſtractionem, ſed non tamquam quid dans eſſe ipſi vniuerſali vt ſic, ſed tamquam conſtitutum iam ſuppone̅s &c. Quod ſi nonnumquam legeris abſtractionem eſſe vniuerſalitatem, memento ſtatim concreti reſpondentis illi abſtracto, & cogita, naturam abſtractam eſſe vniuerſalem, &c.

ARTI-

ARTICVLVS OCTAVVS.

De vniuerſali, vt ab intellectu cognitum eſt.

ILlud poſtremo aliquam poſſet gignere difficultatem; Docent namque omnes, vniuerſale eſſe obiectum intellectus, nequit autem offerri intellectui, niſi merito ſpeciei intelligibilis à phantaſmatibus abſtractæ, quocirca videtur natura vniuerſalis in ſpecie intelligibili eſſe conſtituta, Accedit auctoritas illa Auicennæ relata ſuperiori art. in 2. argumẽto, ex qua habetur, non fieri vniuerſale, niſi merito ſpeciei intelligibilis, ſed & ab omnibus docetur ſpecies intelligibilis eſſe vniuerſalis, & præterea millies docuimus, naturam non eſſe vniuerſalem, niſi ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, conſtat autem, non eſſe ipſam in intellectu ſecundum rem, ſed ſolum merito ſuæ ſpeciei, vel formæ, vt dicitur tertio de Anima 38. ergo vniuerſale omne ſtat in ſpecie intelligibili, & demum eſt celebre philoſophorum aſſertum, vniuerſale eſſe, dum intelligitur, ſingulare dum ſentitur, hinc Alexander ſecundo naturalium quæſtionum cap. vltimo dicebat, genus vt ſic, (eſt autem eadem ratio de omni vniuerſali,) non eſſe aliquam rem ſubiectam, ſed ſolum nomen, & communitaté ſuam habens in intelligi, non in aliqua ſubſiſtentia, Themiſtius etiam ad primũ de Anima tex. 8. ſcripſit, genus eſſe aut meram notionem ſine euidenti aliqua ſoliditate, ex tenui, ſubobſcuraque ſimilitudine ſingularium collectam, aut penitiſſime nihil, &c. & demum Auerroes tertio Diuinorum com. 10. aiebat, vniuerſale, & indiuiduum eſſe duas naturas, & illud eſſe intellectum, hoc vero ſenſibile, quæ omnia ſatis indicant, vniuerſale vel eſſe ſpeciem ipſam intelligibilem, aut notionem, vel non niſi merito huius notionis, ac ſpeciei prodire in eſſe; Neque ſatisfit his teſtimonijs, ſi dicatur intelligi de vniuerſalibus vt cognita ſunt, quoniam cum nullum aliud eſſe habeant præter hoc, quo intelliguntur, manet difficultas de eorum eſſe abſoluto, nam aliud non eſt ab eorundem eſſe intellecto, &c.

Auicenn. Ariſtotel. Alexan. Themiſt. Auerroes.

Pro ſolutione dico, quod loquendo de vniuerſali, vt cognitum, atque intellectum à nobis eſt, ſub hac reduplicatione, ac formalitate, non conſurgit, niſi ex productione ſpeciei intelligibilis, & tunc in habitu, & per modum actus primi cognoſcitur, ſiue producitur cognitum, per modum vero actus ſecundi, & in actu vltimato producitur in eſſe cognito per formationem ſpeciei expreſſæ, quamuis enim in phantaſmate reluceat natura abſque conditionibus indiuidualibus, medio lumine intellectus agentis, non tamen eſt in actu proximo, & ſufficienti ad hoc, vt moueat poſſibilem intellectum, velut in obſeruationibus huius capitis dicebam, & quidem ante ſpeciei productioné datur res, quæ eſt obiectum intellectus, non obiectum ipſum in actu, quoniam obiectum vt ſic, ſonat obijci, & cognoſci ab intellectu, quæ non contingunt, niſi merito ſpeciei, ratione cuius ipſa natura, ac quidditas dicitur eſſe in intellectu, non quidem ſubiectiue, quoniam natura ipſa eſt ad extra, ſed obiectiue, ſpecies vero eſt in intellectu ſubiectiue, ſed quoniam illa ſpecies, vt ſpecies formaliter in actu exercito, nihil aliud eſt in eſſe intelligibili, quam natura, cuius eſt ſpecies, quoniam vt dicebat Auctor q. de Veritate quarta, art. 8. ſimilitudo rei eſt quodammodo ipſa res, eo modo quo dicitur anima eſſe quodammodo omnia, & idem

Vnde exſpãt vniuerſale vt cognitum.

Quid ſit ſpecies intelligibilis vt ſic.

D.Thom.

motus in imaginem, & in rem, cuius eſt imago, ideo & ipſa natura in eſſe intelligibili, vel relucentiæ, vel repræſentatiuo eſt in anima, ſecundum autem eſſe reale eſt ad extra, quo modo non eſt vniuerſalis, quoniam non vna in omnibus, ſed huic, & illi propria, &c.

Quomodo Caietanus intelligendus.

Sic intellige Caiet. quando hac quæſtione ad primum contra ſecundam reſponſionem ad ſecundum ait, nullo intellectu conſiderante dari vniuerſale in actu, dummodo producta ſit ſpecies intelligibilis, hoc enim accipitur de vniuerſali, vt obiectum formaliter eſt intellectus, at vniuerſale in eſſe rei, nedum materialiter, ſed & formaliter datur in actu ſubito facta relucentia illa abſtractiua, quamuis tunc non cognoſcatur, & potiſſimũ de mente Caiet. cui adhæreo, docentis prima par. quæſt. 79. art. 3. talem relucentiam præcedere ſaltẽ natura, (iuxta quam naturæ, non neceſſario durationis prioritatem multa ſoluuntur argumenta,) productionem ſpeciei intelligibilis.

Sensus verborum Auicênæ.

Quando ergo Auicennas inquit, vniuerſale non accidere naturæ, niſi cum ceciderit in formatione intelligibili, dic primo, quod ſi nomine formationis intelligat ſpeciem intelligibilem, loquitur de vniuerſali, quo ad eſſe cognitũ, & quatenus eſt formaliter obiectum intellectus, dic ſecundo, quod per illam formationem non accipit ſpeciem, ſed effectionem illam abſtractiuam intellectus agentis, quæ iure debet vocari formatio intelligibilis, tum quoniam eſt actio intellectus, tum quoniam vere diſponit naturam, vt paſſiuæ intellectionis ſit capax, cum ab ea remoueat conditiones illas, quæ impedimẽto ſunt, quo minus valeat intelligi, & de claſſe ſenſibilium incipiat ipſam ad illam intelligibilium transferre, tum quoniam inducta auctoritate dicitur cum *primo* ceciderit in formatione intelligibili, conſtat autem *primo* naturam ab intellectu agente fieri abſtractam, quam eiuſdem ſpeciem produci, quare abſtractio ipſa eſt prima formatio, & actio intelligibilis. Quod vero additur, ſpecies intelligibilis eſſe vniuerſalis, nihil nobis obeſt, quoniam eſt vniuerſalis in repræſentando, & non eſt vniuerſale illud de quo loquimur; Quod dicitur natura eſſe vniuerſalis, quatenus eſt in intellectu, id accipiendum eſt, (vltra ea quæ ad finem art. præcedentis dixi,) quod natura non eſt vniuerſalis ſecundum ſe, neque ſecundum quod eſt in ſingularibus, ſed eſſe vniuerſale obtinet ex actione, atque operatione intellectus, quatenus nimirum per intellectum agentem abſtrahitur. Tandem, quod dicitur vniuerſale eſſe, dum intelligitur, explica de vniuerſali, vt obiectum eſt formaliter intellectus, & vt actu, vel habitu cognitum eſt, vel explica, dum intelligitur, hoc eſt, dum circa ipſum intellectus negotiatur, & denique in illo priori, in quo ponitur in eſſe merito abſtractionis, ante productionem ſpeciei intelligibilis, poteſt aliqua via concedi, quod intelligatur, hoc eſt, quod quantum eſt ex ſe, incipiat relucere, & ſeiunctum eſſe à materiæ conditionibus, quæ ipſi obſtaculo erant, ne intelligeretur, ſi tamen ſufficienter mouere debeat poſſibilem intellectum, requiritur intelligibilis ſpecies, quare prius eſt in via proxima nimis intellectioni. Explica poſtremo de vniuerſali illo, quod nedum poteſt eſſe in multis, ſed quod actu eſt in multis, ad eaque actu refertur, cuiuſmodi liquet, non eſſe, niſi intelligatur, niſi comparetur, & non raro multi de hoc vniuerſali loquuntur, & multa pronunciant, opponendo ipſum inferioribus ſuis, &c.

Cur abſtractio intellectus agentis vocanda ſit formatio intelligibilis.

Quomodo vniuerſale ſit, dũ intelligitur.

Id vero quod in fine argumenti adferebatur, & quod militat aduerſus diſtinctionem non ſemel traditam de vniuerſali, quo ad eſſe, & quo ad cognoſci, falſum eſt, nam quamuis pura formalitas vniuerſalis, communitas ſcilicet illa indiffe-

indifferentia, æqua ad inferiora habitudo, ſit quid rationis, ſit notio, non ſit aliqua ſubſiſtentia, ſed ſtet in intelligi, hoc eſt, ab intellectu omnino pendeat, vt dicebant grauiſſimi illi Ariſtotelis Interpretes, inter arguendum commemorati, attamen vniuerſale nõ ſtat in illo ſolum reſpectu, & in illa præciſa formalitate, ſed conſiſtit in ſuo materiali, ac formali ſimul, hoc eſt, in natura, & quidditate, ſub illo reſpectu, ſub illa indifferentia ad inferiora, &c. velut dicebatur prima quæſtione ad hoc caput, Vnum non importare ſolam indiuiſionem, vel ſolum ens, ſed hoc, vt ſtabat ſub illa; Sic non valet, formale vniuerſalis eſt pura notio, purus rationis reſpectus, ergo vniuerſale eſt pura notio, &c. quoniã vniuerſale nedum dicit illud formale, ſed & materiale, vel ſubſtratum; quare philoſophi illi de formali pure ipſius vniuerſalis accipiendi ſunt, & iure, quoniam loquuntur de intentione generis ſecunda, de genere logice ſumpto. In quo poſita ſit ratio vniuerſalis.

Vnde abeſt à vero, quod nullum aliud habeat eſſe vniuerſale formaliter, quam per ſpeciem ſuam intelligibilem, nam habet eſſe in phantaſmate natura illa ſic abſtracta, & vniuerſalis effecta, ſiue in cogitatiua merito ſui phantaſmatis, quod corporeum eſt quo ad eſſe, immateriale vero quo ad repræſentari, vt late viſum fuit in obſeruationibus ad hoc caput, vbi occurrimus iis, quæ contra hoc vel poſſunt, vel ſolent adferri, & realiter ibi adeſt natura illa vniuerſalis quo ad repræſentari, communitas vero illa, & indifferentia non quæras vbi ſit, nam cum ſit rationis reſpectus, nullibi habet eſſe ſubiectiuum. In quo habeat eſſe vniuerſale.

Illud vltimo adnotari poſſet pro materia huius argumenti, quod vniuerſale illud erumpens ex relucentia abſtractiua intellectus agentis, anteaquam ſupponatur eius intelligibilis ſpecies elici, poteſt dici, & materiale, & formale ſimul, & materiale tantum, materiale, ac formale, quo ad eſſe, materiale tantum, quo ad cognoſci, quoniam ſcilicet adeſt tunc res, quæ cognoſcetur, & quoniam omne prius, & potentiale, comparatum poſteriori, poteſt, & ſolet vocari materiale ex Alexandro tractatu de intellectu, cap. 1. & ex Auerroe dicente duodecimo Diuinorum 26. potentiam reduci ad materiam, ideo vniuerſale illud materiale, & formale ſimul in eſſe, comparatum ſibi ipſi, quatenus à poſſibili intellectu valet agnoſci, poteſt vocari materiale ſolum, velut homo vt eſt animal rationale, eſt vere, ac formaliter homo, comparatus tamen alicui inclinationi, vel habitui, cuius eſt capax, poteſt dici quid materiale, ſic ante ſpeciei intelligibilis productionem datur vniuerſale materiale, quatenus eſt obiectum intellectus, licet detur, & formale, & materiale quo ad rem, & in eſſe, &c. Alexan. Auerroes.

Ex quibus omnibus, quæ tota hac quæſtione allata ſunt, collige, vniuerſale pro re, vel pro fundamento remoto, vel in potentia dari extra animam, at in potentia propinqua, vt ſcilicet aptum eſt eſſe in multis, non dari in rebus ipſis ad extra, ſed ſolum intra animam, vnde ex materiali, & formali conſtatur, & quid aggregatum dicit ex re, & intentione, effici vero ab intellectu agente per abſtractionem, vbi mox in tenebris ponuntur indiuiduales conditiones, & ad lucem deducitur natura ſine illis conditionibus, & tunc dari materiale, & formale ipſius quo ad eſſe, in quo ſtatu eſt ſubiectiue in cogitatiua, merito ſpeciei ſenſibilis, ſeu phantaſmatis, quo vero ad ſui completam notitiam, effici merito ſpeciei intelligibilis, & vt ſic eſſe vere obiectum poſſibilis intellectus, in quo merito ſpeciei ſuæ intelligibilis eſſe ſubiectiuum obtinet, &c. Sed iam argumenta pro contraria ſententia ſoluamus. Eorum quæ dicta ſunt concluſio.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

Confutantur argumenta adducta ſecundo articulo.

Prima ſolutio primi argumẽti.

RESpondeo ad primum, quod nullo intellectu conſiderante, naturæ ſecundum ſe non repugnat quidem eſſe in pluribus, at quando infertur, ergo remoto actu intellectus eſt vniuerſalis, negatur conſequentia, vidimus enim quarto art. vniuerſali non ſufficere non repugnantiam negatiue, ſed exigi, vt affirmanter talem aptitudinem ſibi aſcribat, quam naturæ, vel ſecundum ſe, vel vt eſt ad extra ineſſe negamus, licet enim id ei non repugnet, attamen neque ei vt ſic conuenit, abſtrahit quippe ab vtroque; & ſuperiori quæſtione explicatius apparuit, non valere argumentum in reduplicatiuis a propoſitione quę negat, ad eam quæ affirmat de prædicato infinito, ſic non valet dicere, humanitati, vt ſic non repugnat eſſe in pluribus, ergo humanitati vt ſic, conuenit aptitudo, ſeu non repugnantia ad eſſe in pluribus.

Secunda ſolutio.

Reſpondeo ſecundo, quod etiam ſi admitteretur natura circumſcripto quouis actu intellectus vſurpare ſibi talem aptitudinem, quod attamen nullatenus admitto, cum falſiſſimum ſit, adhuc non teneret illatio, qua dicitur, ergo ſecluſo actu intellectus datur in re vniuerſale, quoniam de ratione vniuerſalis nedum eſt, vt ſit aptum eſſe in pluribus, ſed requiritur vnitas, adeo quod vnum exiſtens ſit aptum eſſe in multis, conſtat autem, quod natura ad extra eſt in indiuiduis diuiſa, & ſeparata, ac multiplicata, quot enim indiuidua, tot naturæ, at opere dumtaxat intellectus efficitur vna, nam merito abſtractionis ab ijs abdicata, quæ ipſam huic, & illi propriam reddebant, obtinet rationis vnitatem, & communitatis reſpectum ad inferiora ſua, cum igitur efficiatur vna per intellectum, relinquitur, non eſſe de ſe in rebus vniuerſalem. Non ſequitur autẽ, poſſe intellectum talem aptitudinem tribuere indiuiduo, quoniam indiuiduũ nequit per intellectum abſtrahi ab indiuidualibus principijs, his enim ſublatis, aufertur & ipſum; natura vero quoniam talem in eſſe intelligibili poteſt ſubire abſtractionem, ſub qua poteſt eſſe vna in pluribus, iccirco naturæ, non indiuiduo dat intellectus illam aptitudinem.

Ratio vniuerſalis.

Ad ſecundum bene ibidem reſpondebatur, ſecundas videlicet ſubſtantias eſſe reales ratione rei, & quidem in ſubſtantijs ſecundis duo contemplamur, alterum quod ſint ſubſtantiæ, alterum quod ſecundæ, ratione primi ſunt reales, & nullatenus ab intellectu pendent, ratione ſecundi fiunt ab intellectu, & cum quatenus ſecundæ, non quatenus ſubſtantiæ prædicentur de primis, & ſint vniuerſales, illud conſequitur, vt earum vniuerſalitas fiat per intellectum; hinc apud philoſophum primum, qui res vt res, & vt entia conſiderat, ſubſtantiæ nõ dicuntur de aliquo, apud logicum autem res conſiderantem, vt ſtant ſub intentionibus ſecundis, ſubſtantiæ ſecundæ dicuntur de primis, quatenus nimirum ſubſunt intẽtioni vniuerſalitatis; Hinc Auctor tractatu de natura generis cap. 9. dicebat, ſecundas ſubſtantias per actum rationis tranſire in ſimilitudinem accidentis, non quia amittant propriam ſubſtantiam in rerum natura, ſed quoniam accipiunt rationem vniformitatis in anima, ſic ruit, quod contra reſponſionem adferebatur, eſt enim verum, nullum ens reale componi ex ente rationis, at quando dicitur, ſubſtantias ſecundas eſſe entia realia, diſtingue, & dic,

Subſtantię ſecundæ qua ratione pendeãt ab intellectu.

D.Thom.

quod

quod quatenus ſubſtantiæ, ſunt entia realia, & ſub hac ratione non componuntur ex aliquo ente rationis, quoniam vt ſic non prædicantur, non ſunt vniuerſales, at quatenus ſecundæ, non ſolum non eſt inconueniens, quod eis admiſceatur ens rationis, vniuerſalitas, & prædicabilitas, ſed eſt neceſſarium, ex hoc enim ſunt ſubſtantiæ ſecundæ, &c.

Ad tertium reſpondetur, quod eo modo quo paſſio eſt realis, ſubiectum quoque eſt reale, non datur autem paſſio realis vniuerſalis, vel vna in multis, ſed eſt realis ratione rei, & naturæ, cui deinde tribuitur intentio, & vniuerſalitas ſcilicet, & vnitas, ſic & vniuerſali pro re, non pro intentione accepto ineſt paſſio, homo enim eſt, cui primo conuenit gratiâ exempli ridere, non autẽ homo vniuerſalis, nam ſi riſibilitas eſſet paſſio hominis vniuerſalis, non inueniretur in hoc, & in illo homine, quos nemo non videt eſſe ſingulares; Et quando dicitur, hæc realis paſſio, vel conuenire primo vniuerſali, vel primo ſingularibus, dico, quod conuenit naturæ vniuerſali aptitudine, & potentia, non tamquã alicui quod operetur, vel quod ſit ſubiectum, ſed tamquam quo indiuiduũ operatur, & recipit paſſionem; & illud, vniuerſale ſcilicet pro re, eſt reale, non realitate vniuerſalitatis, ſed realitate vel ſubiecti, vel fundamenti; & quidem paſſiones omnes, operationes omnes ſunt ſingularium, non quatenus hæc, & illa ſunt, ſed quatenus conueniunt in ratione communi eſſentiæ, quæ eſt realis, tum quoniam non eſt ficticia, tum quoniam in potẽtia eſt ad extra realis, merito exiſtentiæ ſuæ, (at non ſecundum ſe;) in hoc, & illo; Similiter, obiectum ſcientiæ ſat eſt, quod ſit vniuerſale in potentia, & fundamentaliter, natura videlicet, & res ipſa, quæ obijcitur intellectioni, quæ deinceps denominatur vniuerſalis; Et cum in vniuerſali illa duo perſæpe repetita inueniantur, materiale ſcilicet, & formale, res quæ eſt obiectum ſcientiæ realis, eſt extra animam, non autem modus ille, quo obijcitur, vniuerſalitas ſcilicet, vel vnitas rationis in multis, ſcientiæ vero realis obiectum eſt reale, non autem modus obiecti, obiectum autem eſt res ipſa, ita non ſequitur, quod ſi extra animam ſit res obiecta, quod extra animam ſit vniuerſale, quoniam vniuerſale in actu nedum nominat rem obiectam, ſed & modum eiuſdem, immo modus iſte eſt formale in ſignificato vniuerſalis; Quando igitur arguis, Obiectum ſcientiæ realis eſt reale, & eſt extra animam, concedo, quando ſubſumis, ſed obiectum ſcientiæ realis eſt vniuerſale, dico, quod committis fallaciam figuræ dictionis, mutas enim quid in quale, ſeu in quale quid, nam tranſis à re obiecta, quæ eſt quid, ad modum rei obiectę, qui eſt quale, vel ad rem cum tali modo, quod eſt quale quid; Res ergo obiecta eſt realis, modus eius eſt quid rationis, vniuerſale autem quoniam vtrumque dicit, non conceditur eſſe reale, ſed cum addito ſolum, ratione ſcilicet primi, & materialis.

Quomodo realis paſſio conueniat vniuerſali.

Qua ratione obiectũ ſcientiæ realis ſit reale.

Ad quartum, ex eadem doctrina elicitur ſolutio, nam vniuerſale pro re, vel pro materiali prædicatur, definitur, eſt ſcibile, & alia id genus ſibi aſcribit, (intellige tamen prædicari fundamentaliter,) & ſic materia, & forma attinent ad quidditatem vniuerſalis, hoc eſt, rei naturalis, quæ denominatur vniuerſalis, at vniuerſale pro aptitudine, ſeu pro formali, eſt modus, aut conditio ipſius rei prædicabilis, definibilis, ſcibilis, &c. primo modo vniuerſale non efficitur ab intellectu, at ſecundo modo tantum, ſic omnia quæ in argumento inuoluuntur, tributa ipſi vniuerſali, ſunt vera pro materiali, cum quo ſtat, quod aptitudo illa, & vniuerſalitas, quæ fit ab intellectu, ſit modus, & conditio, qua deficiente, res ipſa non prædicaretur, non definiretur, non ſciretur, non enim res vt res prædica-

Qua ratione multa de vniuerſali enunciantur.

tur, definitur, ſcitur, aliàs de omni re hæc vera eſſent, cum tamen nullum horũ reddatur verum de ſingularibus; Prædicatio quippe non conuenit rebus, niſi quatenus ſunt ſub aliqua conditione intentionali, vt dicebatur in reſponſione ad ſecundum; hinc Ariſtoteles metaphyſicum agens, ſeptimo illius ſcientiæ 46. dicebat, ſubſtantiam non dici de ſubiecto.

Aduertas autem, me non dicere, vniuerſale ipſum pro formali, vel pro aptitudine præciſe prædicari, definiri, ſciri, hoc enim nihil veritatis haberet, nam nulla foret prædicatio eſſentialis, aut in quid, & definitio, ac ſcientia eſſet entium rationis, & intentionum, quæ omnia valde diſſentanea ſunt, ſed dico res ipſas vere prædicari, definiri, & ſciri, at non niſi vt ſubſtant intẽtioni vniuerſalitatis, quæ eſt modus, & conditio rerum, quæ memorata ſunt; Et ex hac doctrina, de re, & modo, ſeu conditione rei, vel de vniuerſali pro materiali, & pro formali, quæ communis eſt apud omnes Thomiſtas, & quam tradiderũt maiores noſtri, omnia ferè argumẽta penitus intereunt, eorũque vires omnino confringũtur, & multi decipiuntur, dum audientes, vniuerſale pro formali eſſe ens rationis, dicere relationem, intentionem, & eiuſmodi, mox colligunt, eſſe ens rationis, dicere purum reſpectum, &c. quaſi vniuerſale diceret formale illud ſolum, & nõ ſubſtratum, non materiale, vt ſtat ſub illo formali, vt adnotaui ar. ſuperiori.

Quomodo res prædicetur, definiatur, ſciatur.

Duo autem præcipue quarto hoc argumento inuoluuntur, de quibus aliquid perbreui, ac ſigillatim eſt dicendum; Alterum eſt, vniuerſale eſſe vbique, & omni tempore, quod planè aſſerit Ariſtoteles primo Poſteriorum, cap. 24. & ibidem Auerr. Dic facile cum Alberto ſeptimo Diuinorum tract. 1. cap. 3. & cum Auctore prima par. q. 16. ar. 7. ad ſecundum, quod vniuerſale dicitur eſſe vbique, & ſemper negatiue, quatenus ſcilicet ex ſe non eſt determinatum ad vllum tempus, vel locum, ſed in quocumque priori, & poſteriori habet eſſe, abſtrahitur enim ab hic, & nunc, quæ duo reddunt aliquid ad locum, & tempus definitum, non eſt autem vbique, vel æternum in eo ſenſu, vt poſitiue habeat aliquid in ſe, vnde ad locum omnem, & tempus ſe extendat; hoc enim ſoli Deo conuenit. Sed & Capreolus in 3. diſtinct. illa 3. & quæſt. 3. ad 11. argumentum, ex quibuſdam locis Auctoris colligebat, ex quinque vijs potiſſimũ vniuerſale eſſe perpetuum, & vbique, & primo via illa proxime dicta, ſecundo, quoniam non corrumpitur per ſe, at per accidens, ad corruptionem ſcilicet indiuiduorum, quod colligitur ex Ariſtotele ſeptimo Diuinorum 53. dicente, nõ corrumpi, vel generari quidditatem vt ſic, ſed hanc quidditatem generari, hanc quidditatem corrumpi, tertio, quoniã habet perpetuitatem, vel æternitatẽ in diuino intellectu, quarto, quoniam ſemper ſunt indiuidua vniuerſalium, ad aures illorum philoſophorum loquendo, qui hanc rerum vniuerſitatem, ſemper fuiſſe, & numquam defuturam errantes poſuerunt, quinto, quoniam ſemper ſunt præſto intellectui, vbi factus eſt in actu per ſpeciem intelligibilem, poteſt enim arbitratu ſuo formare conceptus vniuerſalium, ſic non conuenit vniuerſali ambitus totius loci, ac temporis, prout eſt res, & natura quædam, ſed quatenus per intellectum abſtrahitur ab hic, & nunc.

Ariſtotel. Auerroes. Alb. magn. D. Thom. Quomodo vniuerſale ſit vbique, & ſẽper. Idem latius ex Capreolo. Ariſtotel.

Alterũ quod tãgitur in argumẽto, eſt de generatione vniuoca, quomodo eſſe valeat, ſi nõ adſit aliquod reale cõmune generanti, & ei quod generatur, & ſimile vtrique, ac ſubinde vniuerſale; Dicito ex Caiet. in hac parte, ſimilitudinẽ fundari ſupra res ipſas, tamquã fundamentũ, vnitatẽ vero nõ eſſe fundamentũ ſimilitudinis, ſed conditionẽ fundamenti, nam proprie fundamentum ſimilitudinis ſunt res ipſæ duæ, at habentes hanc conditionem, vt non ſint formaliter ab inuicem

Caietanus. Quid ſit fundamentum ſimilitudinis.

nicem diſtinctæ, quare fundamentum ſimilitudinis vt quod non eſt vnum, ſed ipſæ res, vnitas vero formalis eſt quo, ſeu ratio, ſeu conditio fundamenti; Sic accipiendus eſt Ariſtoteles loco illo quinti Diuinorum, dum ait, ea eſſe ſimilia, quorum qualitas eſt vna, quod & antea 16. eiuſdem libri dixerat; Sed & admiſſo, vnitatem eſſe fundamentum ſimilitudinis, non ſequitur adhuc dari aliquid vnum commune vtrique; dicemus etenim, hoc vnum, ſuper quod ſimilitudo fundatur, non eſſe vel quod generat, vel quod generatur ſeorſum, & diuiſim, ſed eſſe hoc vnum, generans ſcilicet, & genitum ſimul, ſunt enim vnum formaliter; Si autem arguas deinde, Quod generat, & quod generatur ſunt vnum formaliter, ergo habent aliquod vnum commune vtrique, ex præcedentis quæſtionis art. 6. patet nullam eſſe hanc illationem. Ariſtotel.

Vel dicas ex Capreolo vbi ſupra, quod fundamentum proximum ſimilitudinis eſt vnum vnitate reali in potentia, non in actu, natura enim albedinis, quæ eſt in duobus albis, habet aptitudinem ad vnitatem realem, & foret vna realiter, ſi quæ ſunt extra eius rationem auferrentur, conditiones illæ videlicet, quæ ipſam indiuiduam, & hanc, vel illam faciunt; At quoniam talis aptitudo numquam ad actum hunc reducetur, vnde gratis omnino videtur aſſignari, dic ex eodem ibidem, quod quæuis natura, ſecundum ſe conſiderata, antequam deſcendat ad indiuidua, habet in ſe aliquam vnitatem, quam tamen indiuiduis ſuis non communicat, vt ſuperiori quæſtione dictum fuit, ſuper quam vnitatem nil abſurdi eſt, vt dicatur ſimilitudo fundari, &c. Capreol.

Et quidem, vel in generante, & genito datur aliqua natura realis vtrique communis, vel non, primum nemo aſſerit, non enim realiter loquendo humanitas, quæ eſt in Sorte, eſt humanitas Platonis, hoc enim eſt proprium diuinæ naturæ, vt vna, & eadem numero manens communicetur tribus ſuppoſitis, ſi itaque non datur aliqua communitas realis, quæ ſit eadem in eo, quod generat, & quod generatur, erit profecto vnitas ſola rationis; At ſi latius peroptes videre, quomodo hoc motiuum de vniuoca generatione, nihil concludat de aliqua reali communitate, vel vniuerſalitate ponenda, & quomodo æque militet contra Scotum auctorem ſuum, Zimaram adeas annotatione illa ſua, qua reſpondet ad ſextum, & vltimum eiuſdem Scoti. Zimara.

Ad quintum concedo, naturæ ſcopum, & inſtitutum eſſe conſeruationē ſpeciei, at non ſecundæ illius intentionis, ſed ſpeciei, vt ſtat pro prima intentione, non enim intendit natura conſeruare hominem vniuerſalem, ſed ſemper aliquem, & aliquem hominem, quandoquidem cupit, vt ſemper ſit aliquis homo, cum enim nequeat hic homo ſemper permanere idem in indiuiduo, permanet ſemper idem in ſpecie, in alio, & alio homine; Enimuero ope, & auxilio generationis, homo immortalitatem, & perpetuitatē in ſpecie aſſequitur, vt eſt apud Platonem 4. de Republica, & apud Ariſtotelē ſecundo de Anima 34. & ſecūdo de Ortu, & interitu 59. & ſecūdo Oeconomicorū cap. 2. Quod ſi natura intēderet ſpeciem, prout ſpecies dicit ſecundam intentionem, vel vnitatem aliquā rationis, vel ex natura rei, vel realem minorem numerali, (vt omnia admittamus,) ridiculam immortalitatem, vel perpetuitatem ſibi conſeruandam proponeret, verum namque eſt, quod habet Ariſtoteles cathegoria de ſubſtantia, deſtructis ſubſtantijs primis, nihil aliorum remanere; Sed & in conſpicuo eſt ex proœmio primi Diuinorum, & ex 12. eorumdem 18. generationes, & operationes eſſe circa ſingularia, & generari à natura hunc, & illum hominem, non hominem in communi, quod legis etiam ſeptimo eiuſdem diſciplinæ 53. & Quis naturæ ſcopus. Plato. Ariſtotel.

colligis ex primo Ethic. in fine. cap. 6. Intendit ergo natura conſeruationẽ ſpeciei, hoc eſt, vult ſemper aliquod indiuiduũ eſſe, nam dum adeſt aliquis homo, ſaluatur ſpecies hominis, ſpeciem autem hoc modo acceptam pro prima intentione, fatemur eſſe quid reale, in alio vero ſenſu, pro ſecunda intentione ſolum, nequaquam, ſed nulla eſt conſecutio, ergo ſpecies eſt ſecunda ſolum intentio; non enim puram hanc intentionem dicit, ſed naturam ſub ipſa, &c.

Prior ſolutio ad ſextam rationem. Quomodo cõparetur vniuerſale intellectui agenti. Quomodo poſſibili.

Ad ſextũ dic primo, vniuerſale eſſe obiectũ poſſibilis intellectus, atque ideo ipſum præcedere, non autẽ eſſe obiectum intellectus agentis, ſed ad ipſum cõparari, quaſi effectũ ad cauſam, & quidem cũ potentia in principio patiatur ab obiecto, quoniam hoc in illa ſuam ſpeciẽ imprimit, quando ſermo eſt de obiecto comparato ſuæ potentiæ, eſt ſermo de potentia paſſiua, qualis eſt poſſibilis intellectus, cui comparatur vniuerſale, vt obiectũ, quodque dicimus ipſum præcedere, non autem intellectũ agentem, quare bene ibi reſpõdebatur; Ad impugnationem, vide quæ dixi q. 2. procœmiali ar. 3. & habebis, obiectum ſenſus non eſſe quid vniuerſale, quamuis ſenſus ſit obiecti vniuerſaliter, &c.

Secunda.

Dic ſecundo, vniuerſale pro re, & pro fundamento, ſeu materiali eſſe prius vtroque intellectu, & agente ſcilicet, & poſſibili, at pro cõditione illa, aptitudine, ac vniformitate, nequaquam præcedere intellectum agentem; Ariſtoteles vero in argumento allegatus, dixit obiectum anteire potentiam, non autẽ vel modum, vel conditionem obiecti, hoc enim ſtat fieri à potentia, non quidem paſſiua, ſed actiua, qualis eſt agens intellectus.

Tertia.

Dic tertio, obiectum in potentia præcedere potentiã, ſiue rem, quæ eſt obiectum, at obiectum in actu, eſt ſimul cũ potentia in actu, nam intellectus intelligens lapidem in eſſe intellecto, eſt ipſemet lapis cognitus; ſic vniuerſale quatenus formaliter obiectum eſt, & ab intellectu cognitum, non præcedit poſſibilẽ intellectum, ſed eſt ſimul cum ipſo. Loquor autem de vniuerſali, vt obiectũ formaliter, nam quo ad eſſe, & pro materiali, & pro formali præcedit intellectum poſſibilem iuxta ſæpe dicta, & præcipue ſuperiori articulo. Omnes has reſponſiones accommodatas valde iudico, & eas tradit Capreolus locis nominatis, & duas priores Caiet. in præſenti, at prima, & facilior, & clarior, & maxime conformis determinationi, quam fecimus apparet.

Ad ſeptimum dicitur, nihil aliud ibi velle Ariſtotelem, niſi quod & cœlum, & aer ſunt diaphana, non autem quod conueniant in aliqua natura cõmuni extra animam, ſic dicit, aer non eſt diaphanus, quoniam aer, nam tũc ſoli aeri ineſſet diaphaneitas, neque ſimiliter ſolum cœlum, eadem ratione; Ita hæc natura *diaphaneitas* ſcilicet, quæ eſt quædam qualitas nomen deſiderans, quæ ex raritate, ac ſpiritualitate prouenit, non ponit aliquod commune cœlo, & aeri, vel aquæ, ſed omnia vt diaphana ſunt ponit, ac dicit, velut primo capite huius libri dicebamus, eſſentiã ſignificare aliquid cõmune omnibus naturis generũ, & ſpecierum, non quia aliquã naturam communẽ omnibus naturis poneret, ſed quoniam omnes naturas ponebat, vt in eo conueniebant, quod eſſentiæ erant, &c.

Quid dicat diaphaneitas.

Iudiciũ Soti.

Ad octauum, & vltimũ reſpondens Dominicus Sotus q. illa 2. ad procœmiũ Porphirij dicebat, quod ante omnẽ intellectus actionẽ ſimpliciter dantur ſpecies, & genera, & quod ſic abſolute, & abſque vlla additione appellanda ſunt, ſubdit autẽ quod tametſi nõ ſunt vniuerſalia in actu ſine opere intellectus, ſũt tamẽ ſpecies, & genera, quoniã vt hæc ſint, ſufficit, quod Petrus ſit homo, ſit animal, ſic enim inquit, res dicũtur eſſe eiuſdem ſpeciei, & generis, nõ tamen adeo proprie fortaſſis cõceditur his verbis, abſque opere intellectus eſſe vniuerſalia,

quoniã vniuerſale videtur deſignare, quod ſpecies,& genera habeant intẽtionem vniuerſalitatis, quod ſane non eſt abſque actione intellectus, ad hoc autem vt ſint ſpecies, & genera, ſufficit adeſſe fundamentum vniuerſalitatis.

Sic Doctor iſte celebris diſcrimen apertum ponit inter hoc, quod aliquid ſit vniuerſale, & quod ſit genus, vel ſpecies, quoniam ad eſſe generum, atque ſpecierum vult ſufficere, fundamentum adeſſe vniuerſalitatis, & rem eſſe eiuſmodi, vt in potentia ſint abſtrahibiles, ad eſſe autem vniuerſalium, requiri videtur, quod ſpecies,& genera intentionem habeant vniuerſalitatis. Ponit diſcrimen inter vniuerſale, & genus, ac ſpeciẽ.

At dum Doctoris huius verba, & ſenſum conſidero, videtur mihi, non modo rem nouam, vt ipſe perhibet, ſed & voces nouas inuenire, ſatis enim omnibus dilucidum eſt, quod ſemota quauis actione intellectus, dantur res ipſæ, quę ſunt genera, & ſpecies, & dantur fundamenta vniuerſalitatis, & demum dantur res abſtrahibiles in potentia; num autem hæc ſint uocanda ſpecies, ac genera, hoc eſt, quod mihi apparet ipſum introducere, partem ſcilicet affirmantem, ait enim expreſſe, commemorata ſufficere ad hoc, vt omni actu intellectus remoto, dicantur eſſe ſpecies, dicantur eſſe genera, tum quoniam inquit, ſic habet cõmunis modus concipiendi, tum quoniam vniuerſale eſt obiectum intellectus, non ſolum quando actu mouet, ſed & quando poteſt mouere, ceu & propoſitio, & ſyllogiſmus ſunt nomina ſecundæ intentionis etiam, quando actu non cognoſcuntur, tum quoniam homo eſt ſimpliciter cæcus ſine opere intellectus, quamuis cæcitas non ſit actu ens, niſi per opus intellectus.

Sed reuera, malo ipſe in oppoſita verſari ſententia, & dicere, quod velut ſecluſo actu intellectus, non ſunt vniuerſalia ſimpliciter, & abſolute, ſed ſolum pro re, pro materiali, & pro abſtracto, ita & ſpecies, & genera ſint ſolum quo ad ſubſtratum, & fundamentum, non autem formaliter, niſi per opus intellectus; Ad quod moueor primo, quoniam ſi vniuerſale, quo ad ſuum formale emergit tantum beneficio intellectus, id ipſum dicendum vtique eſt de generibus, ac ſpeciebus, ſunt enim vniuerſalia & ipſa, immo multo magis hoc de ipſis dici debet, nedum enim ſunt vniuerſalia, ſed & talia vniuerſalia, vnde ad ipſorum formationem nedum requiritur intellectus agens, qui abſtrahat, ſed & aliquo modo poſſibilis, qui cõparet, vt declaraui proximo art. 7. dum quinto loco tertiæ difficultati occurrebam, quare veritate caret, quod ait Sotus, ſufficere ad conſtitutionem generum, ac ſpecierum, vt res ſint in potentia abſtrahibiles, quoniam & actualis abſtractio quæ præceſſerit, expoſtulatur, & ferè comparatio ad inferiora, hinc facilius poſſet concedi, vniuerſalia eſſe in rebus abſolute ſine operatione intellectus, quam genera, & ſpecies, quoniam plus de opere intelectus exigitur ad conſtituendum hõc, & illud vniuerſale, quale eſt genus, & ſpecies, quam ad conſtituendum vniuerſale vt ſic, & tamen recte ipſe negat, vniuerſalia eſſe abſolute ſine opere intellectus, vnde id magis deberet negare de generibus, & ſpeciebus; Deinde, ſi aliquod genus non adſit in rerum natura, multo minus aderit ſpecies illius generis, ſi enim non fuerit animal, neque homo erit, conſtat enim ſpecies ex genere, & differentia, at vniuerſale vt ſic, patet eſſe tamquam genus ad ſpecies, & genera; quare ſi negentur vniuerſalia eſſe in natura, eodem paſſu negandum eſt de ſpeciebus, ac de generibus. Accedit, quod nomine ſpeciei, ac generis, vel accipitur ſola res, vel res, & intentio, ſi ſola res, de hoc non eſt quæſtio, nam ab omnibus conceditur, res generis, res ſpeciei eſſe in natura, ſi res cum intentione, hoc aduerſatur & ſibi ipſi, idcirco admittere nolenti, vniuerſalia eſſe in natura,

Mens Auctoris illi Soti cõtraria.

Prima ratio contra Sotum.

Secunda.

natura, quoniam videntur importare intentionem vniuerſalitatis, quæ non adeſt, niſi beneficio intellectus, & veritati, quoniam intentio generis, & ſpeciei, eſt intentio ſecunda, & omnem ſecundam intentionem, ſubtracto intellectu, omnino perire, nullus ignorat. Rurſus, hæc nomina, genus, & ſpecies, vel importanc ſingularia, vel vniuerſalia, non primum, vt patet, ergo ſecundum, ergo formaliter, abſolute, & abſque addito ſine opere intellectus ſunt vniuerſalia in rebus, quod negat ipſe, reiecimus nos. Præterea, quando intellectus comparat rem, quæ eſt genus ad ſpecies, rem quæ eſt ſpecies ad indiuidua, peto, num aliqua intentio adueniat rebus, quæ comparantur, an nulla, hoc ſecundum non eſt dicendum, tunc enim vane compararentur, & docet ratio, quod acquirunt nomen ſuperioris, prædicabilis, &c. & in art. illo 7. dicebamus, ex tali comparatione erumpere vniuerſale hoc, & illud, ergo aliqua intentio acquiritur, & ea certe, quæ modo dicebatur, videlicet prædicabilis, ſuperioris, &c. tale vero ſuperius, tale prædicabile non eſt, niſi aut genus, aut ſpecies, iuxta varia ſcilicet, quæ rebus comparatis ſubiacent, non ergo ante illam comparationem præexiſtebat intentio, vel nomen, vel generis, vel ſpeciei, quo circa falſum eſt, ante actum omnem intellectus adeſſe ſimpliciter genera, adeſſe ſimpliciter ſpecies; Tandem in rebus ad extra, non adeſt definitio ſpeciei, non generis, vt ſatis patet, nam formaliter complentur per actum intellectus depurantis naturas ab indiuidualibus, & prope comparantis hoc; & illud ſuperius ad hæc, & illa inferiora, quare neque erunt ad extra in rebus ipſa definita, genus ſcilicet, & ſpecies abſque opere intellectus, ſed per intellectum, quo ad ſuum formale complebuntur.

Tertia. Quarta. Poſtrema.

Capreol. Et hæc eſt clara mens Capreoli in primo, diſt. 8. q. 2. ad varias conſequentias tertij contra ſolutionem quartæ probationis aduerſus ſeptimum principale, ait enim, dum reſpondet ad primam conſequentiam, quod ſpecies, inquantum huiuſmodi non eſt extra animam, neque diuerſitas ſpecierum, aut generum, & ad tertiam inquit, quod homo, & aſinus ante actum intellectus ſunt diſtincti realiter, ſed quoniam nullum extremum illius diſtinctionis ante actum intellectus denominatur ſpecies, ideo ante actum intellectus non dicitur illa diſtinctio actu ſpecifica, quoniam nõ eſt actu inter duas ſpecies, &c. Ecce quod deficiente actu intellectus, homo, aſinus, non dicuntur ſpecies, neque eorum diſtinctio ſpecifica.

Ad argumenta Soti. Neque argumenta viri doctiſſimi aliud probant, quam dari ſpecies materialiter, & fundamentaliter ante actum intellectus, & iam diximus, verum non eſſe, ſufficere ad ſpecies, & genera, vt dentur res in potentia abſtrahibiles, oportet enim, quod iam per intellectum agentem ſint abſtractæ, & deinceps, quod per poſſibilem comparentur, vel ſaltem ſint in proxima diſpoſitione, vt poſſint ab intellectu comparari, in qua plane diſpoſitione non erunt, niſi prius fuerint abſtracta, & tunc ſolum poterunt mouere intellectum poſſibilem, & eiuſdem eſſe obiectum, vel obiecta; Similiter propoſitiones, ſyllogiſmi, & reliqua id genus pro materiali tantum ſunt ſine operatione intellectus, non autem pro formali.

Quod demum addit de cæcitate, non videtur eſſe ad propoſitum, quoniam cæcitas eſt priuatio, & nullum eſſe ponit, vnde licet non adſit intellectus conſiderans, Sortes eſt cæcus, hoc eſt, priuatus eſt facultate vidente, at ſpecies, & genera ſunt ſecundæ intentiones, & relationes poſitiuæ, quæ aliquod ens rationis ponunt, ac ſubinde ceſſante intellectu, non ſunt niſi fundamentaliter, &

pro

pro re, ſeu natura, ſeu ſubſtrato, ſeu denominabili, ſeu materialiter, ſeu metaphyſice, ſeu demum in potentia, quo etiam modo, aut quibus modis, docuimus ante actum intellectus inueniri vniuerſalia in rebus, non autem formaliter, niſi intellectus actione adueniente, agentis, quo ad eſſe rei, poſſibilis, quo ad eſſe cognitum, &c.

Et hæc pro ſolutione argumentorum, pro vltimo quæſtionis art. ac proinde pro tota hac quæſtione, inter famoſas difficillima, & inter difficiles famoſiſſima.

QVAESTIO QVARTA.

Num ad hoc vt intellectus intelligat, requiratur ſpecies expreſſa.

CIRCA ea, quæ adduximus in gratiam tertiæ eiuſdem aſſertionis tertiæ partis, quibus ſæpe diximus, duplicem poni debere in intellectu poſſibili ſpeciem, ſi actu ultimato rem aliquam agnoſcere debeat, alteram, quæ ſibi ab obiecto merito agentis intellectus imprimatur, alteram, quam ipſemet ſub illa ſpecie poſitus, deinde exprimit, vt actu contempletur obiectum illud, quod habitu ſolum primæ ſpeciei beneficio intueri poſſe dicebam, quæ omnia erant de mente Caiet. & ab ipſo eodē loco innuebantur, licet huius rei declarationem alio loco, & tempore ſe allaturum pollicebatur, mouere placet quæſtionem diebus noſtris apprime celebrem, num neceſſario in quouis intellectu, & præcipue humano ponenda ſit gemina hæc ſpecies, an vero altera tantum ſufficiat. Quæ ſane quæſtio decem partibus conſtabit, vt in prima explanetur eius titulus, in ſecunda, quid alij ſentiant, & quibus argumentis moueantur inſpiciamus, in tertia, nonnulla pro vtriuſque ſpeciei neceſſitate præmittantur, in quarta, ſpeciei expreſſæ natura expendatur, in quinta, quomodo hæc eadem ſpecies intelligatur, in ſexta, quomodo præmiſſa ſpecierum neceſſitas ſit accipienda, & quid ſit intellectio examinetur, in ſeptima, ad quæſtionem reſpondeatur per concluſiones duas, quo ad Deum, in octaua, duabus itidem concluſionibus ſatisfiat, quo ad Angelos, in nona, duplici adhuc concluſione reſpondeatur, quo ad hominem in vtroque ſtatu, & patriæ ſcilicet, & viæ, in poſtrema, ſoluantur argumenta, quæ art. ſecundo continebantur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponat, quid inueſtiget quæſtio.

SVpponit præſens quæſtio, dari ſpecies in noſtro intellectu, & ad eius actum, hoc eſt, intellectionem eſſe neceſſarias, ad quod ſane probandum quamuis non omnes conatus, & induſtriam annotationibus ad hanc literam contu-

contulerim, non inualide tamen arbitror, ibidem ſuaſum reliquiſſe, vt rurſus hac eadem quæſtione aliqua via manifeſtabitur. Supponentes igitur, quod intelligibilis ſpecies illa, quam ex phantaſmatibus per intellectum agentem extractam recipit intellectus poſſibilis, ideo vocetur impreſſa, incertum eſt, an præter ipſam exigatur & altera, quæ ab eodem intellectu formetur, quippe quæ expreſſa vocatur.

Vlterius, Apud omnes illos qui ſpecies ponunt intelligibiles conuenit, poni debere ſpeciem illam, quam vocamus impreſſam, exploratum enim habent, cognitionem fieri oportere per ſimilitudinem, vt habes primo de Anima 16. & 33. ex antiquorum philoſophorum, & ex Ariſtotelis ſententia, eapropter ſtatuunt ſpeciem illá emiſſam ab obiectis in phantaſmata, hoc eſt, in illis, tamquam in fundamento latentem, non tamen vmquam in actu exiſtentem, (de ſpeciebus profecto intelligibilibus eſt totus hic ſermo;) niſi beneficio intellectus agentis educatur, eamq. neceſſariam dicunt, vt in intellectu adſit ſimitudo rei cognitæ. At omnis difficultas eſt de ſpecie altera, quæ expreſſa dicitur, num poſt priorem illam ſpeciem, & ſimilitudinem in intellectu retentam, altera hæc ſimilitudo, & ſpecies ſit ponenda, ad hoc vt proueniat cognitio. Quando autem dico, omnes ponere ſpeciem illam impreſſam, intellige vel de ipſa vera ſpecie recepta, vel de aliquo, quod ſit intra ipſum intelligentem, & vices gerat talis ſpeciei, non enim in omni cognoſcente videbimus conſtitui huiuſmodi ſpeciem vere receptam, quæ ipſi intellectui ſit forma, ſed bene inſpicietur in quouis intelligente, & in quacumque intellectione, aliquid adeſſe ſuppleus partes illius ſpeciei, vtpote, quod ſimilitudo exiſtat rei cognitæ; Ita ſupponitur neceſſitas impreſſæ; & indagatur illa expreſſæ.

Ariſtotel.

Rurſus, Cum cognoſcens ſit in duplici potentia ad cognitionem, eſſentiali ſcilicet, & accidentali, & prior vocetur potentia ad actum primum, ſeu ad formam, poſterior dicatur ad actum ſecundum, & operationem, quæ duplex potentia clare elicitur ex Ariſtot. octauo Phyſicorum 32. & tertio de Anima, 8. nulli dubium eſt, quod ad conſtituendum intelligentem in actu oppoſito potentiæ primo modo, vt nimirum habeat in ſe principium, quo poſſit intelligere, immo quod in habitu, & potentia quadam intelligat, ſufficiat ſpecies impreſſa, & nullatenus requiratur expreſſa, nam omnibus in aperto eſt, vel eſſe debet, tunc non adeſſe ſpeciem expreſſam, ſecus in nulla potentia foret tunc intellectus, & tamen poſt primæ illius ſpeciei receptionem, eſt in potentia accidentali, vel ad actum ſecundum, vel ad operationem, ſed difficultas eſt, num ſpecies ipſa impreſſa, vel quid loco illius, ita ſufficiat ad cognitionem, vt nedum conſtituat intelligentem in actu primo, ſed & tantæ ſit virtutis, vt præbeat ipſi intellectui, quod iuxta placitum ſuum poſſit reduci ad actum ſecundum, oppoſitum poſteriori potentiæ, abſque vlla alia ſpecie, vt quamuis vere ſit in potentia ad intellectionem actualem, ad eam nihilominus tranſire ſibi liceat abſque interuentu alterius ſpeciei.

Duplex potentia.

Quod ſi hæc vnico verbo cupias habere, dic neminem dubitare, num ſpecies impreſſa ſe ſola ſufficiat ad principium intellectionis, hoc enim docet omnes, modo tamen declarando, ſed queſtio eſt, num etiam ſufficiat ad intellectionem terminandam, ſi enim ad vtrumque ſufficiens erit, nulla apparebit neceſſitas ponenda ſpeciem expreſſam, quoniam ab iis, à quibus ponitur, vt intellectionis terminus ſtatuitur, &c.

Quid ſit omnibus certum.

Verum aduerte, quod qui contendunt fore ponendam in omni intelligente

ſpeciem

ſpeciem expreſſam, ita eam volunt, vt vere ſtatuatur, & vere, ac realiter ab intelligente per intellectum exprimatur, non enim volunt vlla via ſufficere, vt aliquid loco eius aſſignetur, quod eius munera obeat, & terminus ſit intellectionis, veluti ſentiunt & ipſi, & omnes, in aliquo cognoſcente ſufficere aliquid gerens vices ſpeciei impreſſæ, & eſſe principium intellectionis, hinc in aliquibus dicent, non eſſe vere ponendam ſpeciem impreſſam, ſed quid eius loco ſat eſſe, at in eiſdem expreſſam ſpeciem ita locant, vt nolint quid aliud eius vices ſupplere; quocirca verſabitur difficultas, num in quouis intelligente vltra impreſſam ſpeciem, vel aliquid loco eius ſe habens, ponenda vere ſit ſpecies expreſſa, quippe quæ ſolet vocari & verbum præcipue à Theologis, & conceptus formalis, & intentio intellecta, & conceptio rei intellectæ, omnia enim hæc nomina idem referunt, vnde quando hoc, quando illud à variis adfertur. Nomina ſpeciei expreſſæ.

Illud etiam obſerua, quod cum in vniuerſum detur triplex intelligens, Deus ſcilicet, Angelus, & Homo, quæſtio hæc in ſumma amplitudine manens, de omni intelligente quærit. Id tamen verum eſt, quod de diuino intellectu loquendo, breuiſſima eſt rei deciſio, quare tota difficultas erit de intellectu angelico, & humano, & cum in duplici ſtatu poſsit conſiderari homo, in illo ſcilicet viæ, & in illo patriæ, vel vt viator, & vt beatus, & comprehenſor, de vtroque ſtatu erit quæſtio, & longe difficilior de homine beato, nam qui ſpecies expreſſas ponunt, ſummo conſenſu eas tribuunt homini viatori, at eidem vt comprehenſori quidam aſcribunt, quidam auferunt, quidam & auferunt, & aſcribunt. Quotuplex intelligens. Huius quæſiti latitudo.

Supponitur igitur hac quæſtione, dari ſpecies intelligibiles, & ad quamcumque intellectionem requiri ſpecies impreſſas, vel quid earum partes gerens, ſed inueſtigatur, num vltra ipſas, & alia ſpecies, expreſſa videlicet vere, ac realiter in quouis intelligente ſit neceſſario conſtituenda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid alÿ ſenſerint, & cur ita.

FRanciſcus Ferrarienſis primo contra Gent. cap. 53. conſtanter affirmat, in omni cognitione intellectiua naturali requiri de neceſſitate expreſſam ſpeciem, vnde ait, angelos quando ſe intelligunt, formare præfatam ſpeciem. De beatis vero, vtramque partem ait poſſe defendi, ſic & rationes pro vtraque parte diſſoluit; Quarto etiam eiuſdem operis, cap. 11. videtur ſupponere, angelum in ſui intellectione formare intentionem illam. Opinio Ferrarienſis.

Idipſum de beatis videtur voluiſſe antea Capreolus, nimirum, vtramque partem poſſe tutari, nam in primo d.27. ad octauũ eorum, quæ ſecundo loco aduerſus primam concluſionem adducta ſunt, partem affirmantem videtur docere, & ſupponere, inquirit enim, num beatifica viſio ad vnum, vel ad plura verba terminetur, & id dubium eſſe ait, ſubdens veriſimile eſſe, quod ad vnum; at in quarto, diſt. 49. quæſt. 5. ad primum primo loco contra primã concluſionem ait, communiter teneri, quod beati non habeant aliud verbum diſtinctum à verbo increato, ob intimam præſentiam verbi ad beatũ intellectum, ceu neque aliam ſpeciem intelligibilem habent, quam diuinam eſſentiã, qua- Opinio Capreoli.

re, ſi iis ſtandum eſt, quæ vltimo docuit vir longe grauiſſimus, eum apparet eſſe in parte negante quo ad beatos, nam quo ad angelos nihil explicite omnino videtur docuiſſe.

Sententia Bartholomæi Torres.

Bartholomæus Torres ſuper art. 1. quæſt. 27. p. par. diſputatione quinta opinionem Ferrarienſis ſectatus eſt, nam tertio dubio ſuſtinet, angelos formare verbum in intellectione propria, dubio autem quarto, de beatis vtrumque ait poſſe defenſari, quamuis exiſtimet probabiliorem partem, quæ aſſirmat.

Aliorum placita.

Alij in noſtra familia Doctores clariſſimi, qui totam Auctoris primã part. & alia eiuſdem fœliciter commentati ſunt, art. & quæſtione relata, de beatis proferunt ſententiam negantem, de angelis vero affirmantem dicũt eſſe multo probabiliorem, quod & inferius art. 1. q. 56. omni aſſeueratione confirmant.

Denique alij, qui in eiuſdem primæ partis loca multa doctas lucubrationes tulerunt; quæſt. 12. art. 2. diſputatione prima, & inferius quæſtione illa 27. art. 1. diſputat. 8. memb. 3. & 4. acerrime contendunt partem affirmantem eſſe veram, & in angelis, & in beatis, & in quauis cognitione, verbum neceſſario intercedere dicunt, & probant.

Et quidem cum varia ab Auctoribus nobilibus pro eorum ſententiis firmandis adducantur argumenta, ipſe quæ potiora iudicauerim, & quæ reuera nonnihil difficultatis continere videbuntur adferam; Et dum argumenta proponentur, quæ oſtendere videntur beatos formare verbum, eadem erunt & pro angelorum intellectione, maior enim difficultas apparet in beatis, vnde nullus illud aſſeueranter docuit, præter eos, quos vltimo loco recenſui, nam alij diſputatiue in hoc proceſſerunt, & quidam affirmanter de angelis loquentes, vbi ad cognitionem beatificam acceſſerunt, oppoſitum vt patuit enunciarunt.

D. Thom.

Quare ſit illud primum argumentum apud omnes vulgatiſſimum, deſumptum ex Auctoris teſtimonio p. par. quæſt. 27. art. illo primo, vbi ait, Quicumque intelligit, ex hoc quod intelligit, producit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptus rei intellectæ, ex vi intellectiuæ proueniens, & ex eius notitia procedens, omnis igitur qui intelligit, conceptum format, ergo & angelus, & beatus. Confirmatur, quoniam velut terminus intrinſecus calefactionis eſt calor, ita & terminus intellectionis eſt hic conceptus, & hæc ſpecies; Neque ſit ſatis huic argumento, ſi dicatur, verbum eſſe terminum intrinſecum intellectionis in homine viatore, & pronunciatum ex Auctore adductum, diſtribuere pro viatoribus, vt ait Caietan. ibidem, tum quoniam vniuerſalis eſt propoſitio, ac proinde non debet reddi particularis, vel indefinita, tum quoniam dum verba facit de ſanctiſſimæ Trinitatis arcano, eam adfert, quod ſi in viatoribus ſolum hominibus locum haberet, non eſſet ad rem.

Secundo, Quemadmodum albefacere non eſt aliud, quam producere albedinem, ita cognoſcere non eſt aliud, quam potentiam cognoſcentem vitaliter operari, & exprimere in ſe ipſa imaginem rei cognoſcendæ, vnde exaggeratur plurimum hoc argumentum à recentioribus, & iteratur ſæpius dicendo, numquam ſe intelligere valuiſſe, quo pacto aliquid ſit actio, & nullius rei productæ ſit actio, & quod aliquid agat, & actione ſua nihil producat, & implicare dicunt contradictionem, quod ponatur actio ſine ſuo termino, cum itaque intellectio ſit actio, aſſignare oportet, quid per hanc actionem producatur, quippe quod nil aliud eſſe poteſt, quam hæc expreſſa ſpecies. Confirmatur, quoniam dum res intelligitur, dicitur quod concipitur, ergo aliquo

quo conceptu, ergo in omni intellectione exprimitur conceptus, &c.

Tertio, Si quid obſtaret, quo minus angelus, & beatus producerent verbum, illud certe eſſet, quoniam obiectum habent ſibi maxime coniunctum, ac præſens, & immateriale, hæc enim ratio allegatur ab iis, qui negant ipſos exprimere verbum, at hæc ratio nulla eſt, ergo &c. probatur minor, tum quoniã anima eſt immaterialis, ſemper ſibi ipſi præſens, & tamen dum ſe intelligit, format conceptum, vt patet ex Auctore, quæſtione de Veritate 4. art. 2. dicente, quod etiam quando mens intelligit ſeipſam, eius conceptio non eſt ipſa mens, ſed aliquid expreſſum à notitia mentis, idipſum docet quæſt. nona de Potentia art. 5. dicens, intellectum dum intelligit ſeipſum, formare ſui conceptum, tum quoniam diuina eſſentia, (& hoc argumentum efficaciſſimũ, atque non facilis ſolutionis vocat Torres,) eſt purus actus, & immaterialis, et intime præſens diuino intellectui, adeo vt nil coniunctius eſſe poſſint, (dicunt recentiores,) & tamen Deus cognoſcendo ſe producit verbum, vt docet Fides, ergo & angelus, & beatus formabunt verbum, licet eorum obiectum ſit immateriale, & ipſis coniunctum, tum demum, quoniam ſi præſentia obiecti ſufficiat ad excluſionem verbi, cum in ſpecie impreſſa præſens ſit obiectum intellectui, ſat erit illa præſentia, quare poſt impreſſam ſpeciem, non eſt, vt detur expreſſa. — D.Thom. — Torres.

Quarto, Eſſentia angeli vt ſic abſtrahit ab hic, & nunc, nam & angelus ſi definiat ſuam quidditatem, non ponit in tali definitione actualem exiſtentiam, eſſentia vero eadem ſecundum eſſe reale, & vt eſt in re non abſtrahit ab hic, & nunc, vel ab actuali exiſtentia, ergo intellectio, qua intelligit angelus ſuam eſſentiam, & quidditatem, non terminabitur ad eſſentiam angeli, quatenus eſt in re, ſed quatenus abſtrahit ab actuali exiſtentia, hoc autem cum non ſit in ipſa re, ſequitur, quod ſit in verbo mentali, quod ab exiſtentia actuali abſtrahat. Adde, quod eſſentia angeli ex propria ratione eſſentiali non eſt actu intellecta, quoniam accidentaliter hoc ei conuenit, quatenus terminat cognitionem, quæ eſt accidens, igitur non eſt ſufficiens obiectum cognitum, & actu, quare oportet, vt illam trahat intellectus ad ſeipſum per intellectionem, formando eius conceptum, &c.

Quinto, Adeſt Auctoris auctoritas, quæ in hoc negotio videtur Achilles, ipſe enim quarto contra Gent. 11. habet manifeſte, quod quamuis intentio intellecta ſit angelis omnino intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtantia, & loquitur de cognitione, qua angelus ſeipſum cognoſcit, vbi & ſupponit angelum formare intentionem in ſui cognitione, & eandem intentionem non eſſe eius ſubſtantiam; Sed & quod mirum magis apparet, Caiet. qui patronus cenſetur poſitionis contrariæ, p. par. q. 14. art. 2. ſupponit, angelum in ſui cognitione formare conceptum, qui non eſt ſubſtantia ſua, quicquid ille ſit. — D.Thom. — Caietanus.

Denique, idem nequit eſſe principium, & terminus eiuſdem actionis, ſed eſſentia angeli ex communi ſententia eſt principium illius intellectionis, qua ſe ipſum intelligit, nam gerit vices ſpeciei intelligibilis, ergo nequit gerere vices termini, & verbi, cumque omnis actio habeat terminum, velut & principium, ſequitur, vt aliquid aliud ab ipſa eſſentia pro termino debeat aſſignari, ergo conceptus, ergo ſpecies expreſſa, &c.

Ex altera parte non deſunt, vel qui vanas omnino has expreſſas ſpecies, & verba autument, vel qui ea ponentes, non tamen ab intellectione diſtingui pu-

tent, quorum vel placita, vel argumenta, & eorundem confutationes ha-
Capreolus. bes apud Capreolum in primo, diſt. 27. q. 2. & diſt. 35. q. 1. & in ſecundo, diſt
3. quæſt. 2. ad complura argumenta contra quartam præcipue concluſ. & po-
Caietanus. tiora eorum fundamenta legis etiam ſoluta a Caiet. p.p.q 27. art. 1. & à Barth.
Torres. Torres. & ab aliis nobilibus ingeniis, quorum commentaria ad eundem art. ex-
Ferrar. tant, & nonnulla eorum, qui negant ſpecies à Ferrarien. 3. de Anima q. 8. & ab
Aquarius. Aquario ibidem, & de ſpeciebus varias quæſtiones habes à Ianduno eodem li-
Iandunus. bro, à quæſt. ſcilicet 14. vſque ad 19. & à Iauello ibidem duas quæſt. directorias
Iauellus. potius, quam reſoluentes; quare in his nihil eſſe immorandum putaui, eo vel
maxime, quoniam ex determinatione, quæ fiet, manifeſtanda eſt harum opi-
nionum exilis firmitas, immo multa infirmitas, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Nonnulla pro vtriuſque ſpeciei neceſſitate præmittuntur.

NOta primo, quod vt colligitur ex annotationibus ad hoc caput, & ex
Cur ponatur ſpecies impreſſa. priori art. huius quæſt. ideo præcipue ponitur ſpecies intelligibilis, vt in-
tellectus habeat in ſe ſimilitudinem rerum, quas intelligit, & fiat ipſamet intel
lecta in actu, ſic enim dicebamus cum Ariſt. poſt mille alia loca, potiſſimum
Ariſtotel. duodecimo Diuinor. 39. intelligentē fieri intelligibile, ita vt idem ſit intellectus
Themiſt. & intelligibile, ſic cum Themiſt. 3. de Anima 25. intellectum intelligendo ver-
Alexander. tere ſe in ea, quæ intelligit, vnde Alex. duodecimo illo Diuinorum ad 37. di-
cebat, intellectū in actu nihil aliud eſſe, quam forma quæ intelligitur, & ſub-
dit, quod velut ſenſus in actu idem eſt, quod actu ſenſibile, & e contra, ſic
intellectus actu idem eſt, quod actu intelligibile, & verſa vice, & infra expo-
nens 39. habet, quod intelligens efficitur id quod intelligit, quam doctrinam
non ſemel repetit primo ſuo libro de Anima cap. 26. ſatis autem conſtare po-
teſt, animam, ſeu intellectum intelligentem effici rem intellectam, non in eſſe
reali, ſed ſolum intelligibili, & intentionali, nam opinionem Empedoclis ponē
tis animam conſtitutam ex elementis omnibus, & vnumquodque ipſorum eſſe
Albe. mag. vt refert Ariſtoteles primo de Anima 25. plene ibidem reiectam legimus, vnde
Albertus 3. de Anima, tract. 3. princ. cap. 12. exponens Ariſt. dicentem 37. illius
libri, animam eſſe quodammodo omnia, dicebat eſſe *quodammodo*, quoniam
ipſa non eſt omnia ſecundum eſſe materiale, ſed ſecundū eſſe intentionale ſpe-
Alexander. cierum, quod & prædocuerat idem Aphrodiſæus eodem ſuo libro de Anima,
cap. toto 28. vbi docte oſtendit, quomodo anima ſit quodammodo res omnes
vbi concludit, cenſendū eſſe, quod anima vna cum rebus idē ſit, vt intercedente
ſenſu, atque intellectu prædita ſit facultate ſuſcipiendi ſpecierum. Idipſum vo-
Themiſt. luit & Themiſt. 3. de Anima, cap. 52. dicēs animam eſſe omnia, quoniā efficitur
forma rerū, non tamen cū materia earū, nō enim lapis in anima eſt, neq; ignis.

Nota ſecundo, quod quoniam intellectus eſt potentia paſſiua, patitur enim
ab obiecto, quoniam ex duodecimo Diuinorum, illo 37. mouetur intellectus
ab intelligibili, & intelligere eſt quoddam pati, ex tertio de Anima 12. cum
Quomodo patiatur intellectus ab obiecto. nequeat pati ab obiecto ſecundum eſſe reale, nec ſecundum tale eſſe recipe-
re, patietur ſecundum eſſe intelligibile, & intentionale, merito ſpeciei, in qua
iuxta tale eſſe relucet obiectum; Quomodo autem, & à quo fiat ſpecies iſta,

& quo pacto in poſſibili intellectu imprimatur, iam præfatis annotationibus explicatum dedi. Hanc vero actionem obiecti, & paſſionem intellectus ab ipſo, credo intellexiſſe eundem Aphrodiſæum, quando ad illum 39. eiuſdem 12. pulchre dixit, quod antequam intellectus actu intelligat, intelligens, & quod debet intelligi relatiua ſunt, & inter ſe vt ad aliquid dicta opponuntur, in ipſo vero actu, vnum fiunt, & deſinunt eſſe oppoſita, quoniam tunc ratio ad aliquid, ſeu relationis nequit illis conuenire, (quam doctrinam formaliter tradebat etiam primo illo ſuo de Anima, cap. 15.) ſic dico, relationē hanc eſſe agentis ad paſſum, vel mouentis ad motum, nam priuſquam intellectus intelligat, mouet ipſum intelligibile, vt dicebatur, ſic relatiue ad inuicem opponuntur, at dum actu intelligit, ceſſat motio illa ex parte obiecti, & receptio ex parte intellectus, vnde in eis non eſt amplius inuenire oppoſitionem hanc; Ratio vero huius duplex eſſe poteſt, altera, quoniam vt dicebam, intellectus in actu efficitur ipſum intellectum, vnde cum ſint unum, & idem, nequeunt amplius opponi, altera, quoniam vt annotationibus dicebatur, noſtrum intelligere non eſt pati formaliter, ſed ſolum cauſaliter adeo quod præceſſit actio illa, & motio, & receptio, & paſſio, & in actuali intellectione non adeſt formaliter paſſio illa, & actio, non enim intelligit intellectus in receptione vt ſic, ſed requiritur vitalis ipſius actio, qua exprimat in ſe conceptum, & formet intellectionem, & efficiatur idem cum re intellecta, quare cum in actuali intellectione non conſideretur formaliter receptio illa, & motio, ſed ſolum vt antecedenter, nequeunt amplius opponi vlla oppoſitione.

Elegans Alexandri doctrina.

Hinc obſeruabis tertio, & videre incipies neceſſitatē nedum ſpeciei impreſſæ, (hanc enim omnino ferè ſupponimus hac quæſtione, quamuis, & ex inſinuatione oſtenderimus,) ſed etiam expreſſæ. Cum enim noſtrum intelligere non ſit purum pati, neque formaliter ſtet in paſſione, non complebitur intellectio, ex eo quod poſſibilis intellectus recipiat ab agente ſpeciem intelligibilē obiecti, tunc enim & diaphanum ſentiret, quoniam recipit ſpecies colorū, &c. ſed exigitur vt & ipſe intellectus agat, & ſpecie illa informatus, eliciat ſuā intellectionem, quippe quæ eſt actio vitalis nobiliſſima, quæ ſubinde ab ipſo actiue, & vitaliter proficiſci debet; Immo præfatus Alexander ſecundo lib. ſuo de Anima cap. 19. vult potius intellectum dici actiuum, quam paſſiuum, inquit enim, quod licet ſit ſuſceptiuus formarum, tamen ſit ſimul agens, vt eas intelligat; licet quæ deinde ſubdit, minus vera ſint, quoniam ſupponit eundem eſſe intellectum agentem, & poſsibilem, quare vocari etiam actiuum alia ratione, quoniam agit intelligibilia, at nos munus hoc agenti intellectui tribuimus, poſsibili vero ſpecierum receptionem, ſimul tamen, & actionem ad eas intelligendas.

Neceſsitas ſpeciei expreſſæ.

Alexan.

Dixi in receptione ſpeciei impreſſæ non compleri intellectionem, (quoniā tunc certe intellectio eſſet pura paſsio intellectus, quoniam in illo ſigno, intellectus ſolum recipere agnoſcitur,) initiabitur tamen eo tempore, quoniam iam adeſt principium, quo talis actio poſsit in actum exire, & ab intellectu elici, complebitur autem, quando aderit terminus intellectionis, quando inquam intellectus merito ſpeciei impreſſæ conſtitutus in actu ſufficienti, vt poſsit agere, & intelligere, mox agit, & intelligit. Rurſus, cum omnis completa intellectio de qua nunc loquimur, ſit prorſus actualis, per ſpeciem impreſſam non eſt intellectus in actu vltimato, ſed in potentia adhuc ad actualem intellectionem, vt clare habemus tertio de Anima 8. & vt ratio conuincit, nam intellectus

vbi acquiſiuit ſpecies alicuius cognoſcibilis,& firmiter illæ ſibi adhæſerunt, ſi eas ſpecies apud ſe retinet,vt contra Auicennam docet, ac probat Auctor ſecundo con.Gent.74.& prima par.quæſt.79.art.6. eiuſdem Auicennæ motiuũ reijciens; Quod ſi ſpecies illæ ſufficerent ad actualem, & omnino completam cognitionem,iam vbi intellectus alicuius rei ſpeciem obtinuit, ſemper eandẽ actu ſpecularetur, quod eſt contra experientiam, veluti quoniam ſufficiunt illæ ad habitualem notitiam,ſemper intellectus præditus ſpeciebus, dicitur in habitu intelligere,vnde ab Alexan.primo illo de Anima cap.21.& 24. ſtatuebatur intellectus in habitu; Præterea, ſi ſpecies impreſſa ſe ſola ſufficeret ad conſtituendum intellectum in actu cognitionis completo,male diceret Ariſtoteles loco relato tertij de Anima, quod vbi intellectus factus eſt ſingula ſciens, tunc poteſt ſpeculari,oportuiſſet enim dicere, quod actu ſpeculetur, & non quod ſit in potentia, & falſo 8.Phyſ.32. dixiſſet,quod qui habet ſcientiam,(beneficio ſcilicet ſpecierum impreſſarum,) potentia eſt ſciens quodammodo, ſed non velut & antea,quam diſceret,dicendum vtique ſibi erat, quod eſt omnino in actu,& non quod ſit in potentia.

D.Thom.

Alexan.

Ariſtotel.

Neque te moueat Zabarella libro ſuo de ſpeciebus intelligibilibus qui 18. eſt inter illos 30.qui cap.6. adhærens Auicennæ,nititur probare,ſpecies non remanere poſt intellectionem, & inducitur argumentis, quæ iam confutauit Iandunus quæſtione 16 tertij de Anima,ſed ipſe ait debiliter eſſe ſoluta,& tamen non aperit hanc debilitatem,immo ex doctrina Auctoris,& Caiet. locis præfatis,ſaltem præcipua eius fundamenta ruunt. Vide etiam Marcum Antonium Genuam,quæſtione ſua ad octauum illum tertij de Anima,recte probantẽ ſeruari ſpecies,& eaſdem non eſſe ipſam intellectionem,teſtimonio Ariſtotelis,& Græcorum; At de hoc aliàs, ſi quando de ſpeciebus intelligibilibus data opera tractauero, illud nunc ſufficiat, motiua Zabarellæ apud Iandunum probe, atque formaliter confutata legi.

Zabarella.

Iandunus.

Genua.

Licet itaque ſcientiam habeat homo merito ſpecierum intelligibilium, adhuc tamen dum non actu contemplatur,eſt in potentia ad ipſam actualem cõtemplationem, ſed diuerſimode, quoniam ante receptionem ſpecierum erat in potentia eſſentiali, nedum ſcilicet ad operari, ſed & ad poſſe operari,& ad formam,vbi autem ſpeciem recepit,iam principio præditus eſt, quo poſsit operari,& intellectionem elicere,vnde eſt ſolum in potentia ad actum ſecundum, & ad operationem. Vbi illud obiter aduerte,non eſſe idem dicere,hoc eſt in potentia eſſentiali,& dicere, hoc eſt in potentia ad ſubſtantiam, vel ſubſtantiali, nam & potentia eſſentialis in propoſito dicit ordinem ad aliquod accidentale, puta ad intelligere, & materia prima dumtaxat antequam recipiat formam,eſt in potentia ſubſtantiali ad ipſam, per formam enim collocatur in eſſe abſolute, at meus intellectus dicitur in potentia eſſentiali, accidentali tamen, (hoc eſt, ad accidens,) ad quid intelligendum,cuius ſpeciẽ non habet apud ſe,actuatus vero ſpecie,eſt in potentia accidentali,adeo vt nomine potentiæ eſſentialis accipiatur in hac materia negatio illius actus,ſeu formæ, ſeu complementi, quo quid in actu primo conſtituitur,quamuis in eſſe accidentali, potentia vero accidentalis importat remotionem ab actuali ſolum operatione,& ab actu ſecũdo. Aduerte quoque,quod non quæuis potentia ad actum,aut formam poteſt dici eſſentialis, nam intellectus in actu primo per ſpeciem conſtitutus ponitur à nobis in potentia adhuc ad formam, vtpote ad ſpeciem expreſſam formandam, vnde ſub intelligibili ſpecie poſitus, foret adhuc in potentia eſſentiali,

Diſcrimen inter eſſe in potẽtia eſſentiali, & potentia ad ſubſtantiã.

Quæ potentia eſſentialis.

Quæ accidentalis.

(vt

(vt ſibi ſuadebat Durandus in primo diſtin. 27. quæſt. ſecunda, quarta ratione principali contra nos arguens,) quod eſt contra ea quæ docemus, ſed quando dicitur potentia eſſentialis reſpicere formam, intelligitur de forma, quæ antecedat operationem, & ad eam concurrat in ratione principij, non autem de forma, quæ ſequatur operationem, & concurrat vt terminus, & vt adhibeam vocem Caiet. prima par. quæſt. 27. art. primo, intelligitur de forma præuia actui, conſtabit autem, ſpeciem expreſſam non habere rationem principij in intellectione, ſed termini, non antecedere intellectionem, ſed terminare, & eam quodammodo comitari, &c. Caietanus.

Nota quarto, quod dum intellectus intelligit aliquid, adeſt primo ipſe intellectus, obiectum deinde quod intelligitur, actio ipſa, ſcilicet intellectio, aliquid ſeruiens intellectui, vt principiet intellectionem, & vltimo aliquid, quod eandem intellectionem terminet; Illud igitur quod vt principium deſeruit intellectui, eſt ſpecies intelligibilis, nam omne agens agit merito ſuæ formæ, vnde ex diuerſitate formarum, quibus idem quoque agens agit, proficiſcitur diuerſitas effectuum; Dico autem intelligibilem ſpeciem inſeruire intellectui tamquam principium, non enim mihi placet eam vocare principium intellectionis abſolute, cum intellectus ſit illud principium, ſed eam cum Caiet. vbi ſupra, & alijs appellabo comprincipium, nam ſimul cum intellectu eſt principium intellectionis. Et quidem intellectio vt ſic, vt actio eſt, ab intellectu, tamquã à principio, vt autem eſt huius, vel illius rei intellectio proficiſcitur merito ſpeciei, hac enim actuatus intellectus, intelligit hoc, alia, aliud. Non cenſeas autem, eo modo intellectum concurrere ad intellectionem per ſpeciem, quo modo aqua calida ad calefactionem, vt enim docte dicebat Caiet. prima par. quæſt. 79. ar. 2. tunc ſola ſpecies actiue cauſaret intellectionem, ceu ſolus calor eſt cauſa calefactionis, & intellectus non cauſaret intellectionem, niſi tamquam ſuſtinens rationem intelligendi, velut aqua calefacit, nõ niſi vt ſubiectum, & ſuſtentatiuum caloris, nam ſi calor poſſet eſſe per ſe, & non foret in aqua tamquam in ſubiecto, æque calefaceret, velut æque calefacit, quando eſt in alijs ſubiectis, puta in lapide, ligno, &c. & aqua ipſa remoto calore nullam virtutem habet in ſe, vnde calefaciat, ſed oppoſitam vim obtinet: Hæc autem cogitare de intellectu, rude nimis eſt, quandoquidem remota ſpecie intelligibili habet in ſe radicalem virtutem, qua poſſit intelligere, licet non formalem, non exactã, quam intellige ibi à Caiet. ab intellectu arceri, ſic enim de ſe nullam agendi vim haberet, neque factus in actu per ſpeciem ageret, ſicut quoniam diaphanũ nullius eſt virtutis actiuæ, ideo neque à receptione ſpecierum coloris agit, factus itaque in actu ipſum intelligibile, habet rationem agendi formaliter, quã antea non niſi in radice, & inchoatiue obtinebat; cumque intellectus non acquirat ipſum intelligibile, ſed in illud tranſeat, ipſumque actu fiat, vt prædocui, ſequitur, quod hoc totũ, intellectus videlicet in primo actu, (ſemper enim modo loquimur de ſpecie impreſſa,) agat, cum iam ſit vis animalis facta in actu, vt ex eodem Caiet. in obſeruationibus ad hanc partem inſinuabam; Eſt igitur ſpecies impreſſa comprincipium intellectionis, & cum ea ratione ſit cõprincipium, vt ſpecies formaliter eſt, & vt repræſentans, non autem vt res quædam, vel qualitas, ſequitur, quod obiectum ſit præſens intellectui merito illius ſpeciei, tamquam comprincipium, ſed quoniam hoc non ſufficit, cum exigatur, vt præſens ſit etiam in ratione obiecti formaliter, quod nihil aliud eſt, quam in ratione termini, (obiectum enim vt ſic non dicit cauſam, ſed ſolum terminum,)

Quot ad intellectionem cõcurrant.

Caietanus.

Quæ virtus ad intelligẽdum, inſit intellectui ante ſpeciei receptionem.

Quid dicat obiectum.

num,) hoc fit munere ſpeciei expreſſæ, quæ niſi ponatur, obiectum intellectus non eſſet intra intellectum, (quod tamen eſſe debere docet Ariſtoteles ſecundo de Anima 59. & 60.) actualitate actus ſecundi, quippe quod nequit præſtari à ſpecie impreſſa, cum hoc ſit munus termini, illa vero partes gerat comprincipij.

Cur ſtatuitur ſpecies expreſſa.

Quapropter ſtatuitur ſpecies hæc expreſſa, quoniam impreſſa non eſt ſufficiens ad conſtituendum intellectum in actuali intellectione, & quoniam in eius receptione intellectus paſſiue tantum ſe habet, cum tamen intellectio nõ ſit pura paſſio, ſed actio vitalis, & quoniam obiectum formaliter, vt obiectum, & vt terminus, intra intellectum ponendum eſt, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid ſit ſpecies expreſſa.

Scotus. Caietanus. Torres. Bannes. Definitio ſpeciei expreſſæ.

Circa huius ſpeciei expreſſæ, ac verbi eſſentiam, & in quodquideſt ipſius aſſignando, (eo modo quo accidentia habent eſſentiam, & quodquideſt) varij varie opinati ſunt, & quinque opiniones recenſentur à Scoto 22. diſt. primi ſent. & nonnullas habes à Caiet. & Torres, & Banneſio primo illo art. q. 27. primæ par. quas vide ſi placet; ipſe enim eam dumtaxat verbi definitionem adferam, quæ vera eſſe viſa eſt, & quæ colligitur ex Auctore, & ex eius ſchola vniuerſa; Quare dicemus, conceptum hunc, & verbum eſſe formalem ſimilitudinem, & expreſſam rei cognitæ, quam intellectus per intellectionem in ſe producit, ac format, & ſic eſt terminus intellectionis.

D. Thom. Species expreſſa cuius ſit ſimilitudo.

Quæ definitio dilucide colligitur ex ipſo prima parte loco allegato, & primo con. Gent. 53. & quæſt. de Potẽtia Dei octaua, art. primo. Dicimus eſſe ſimilitudinem, non quidem ipſius intellectus, ſed obiecti, quod intelligitur, loquendo quãdo intellectus intelligit aliud à ſe, vnde quamuis hæc ſpecies oriatur ab intellectu, non tamen ipſum repræſentat, ita Auctor loco mox memorato de Potentia Dei dicebat, hanc ſimilitudinem ab alio oriri, & aliud repræſentare. Nota tamen diligenter, quod quoniam omne agens agit ſibi ſimile, quia forma eſt ratio agenti vt agat, ideo quod fit, eſt ſimile formæ, non autem agenti abſolute, & quoniam forma per quam intellectus producit hanc ſpeciẽ expreſſam, eſt impreſſa ſpecies, quam nullus ignorat eſſe ſimilitudinem rei intellectæ, immo rem ipſam vt intellectam, (accipe ſemper in habitu, & actu primo,) iccirco ſpecies expreſſa eſt ſimilitudo rei intellectæ, nõ ipſius intellectus, ſic eſt ſimilis formæ, per quam intellectus agit, ſic veritatis plenum eſt, quod

D. Thom. Cuius etiã ſit ſimilitudo.

docet Auctor prima parte, quæſt. 41. art. 5. quod omne producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile, quantum ad formam qua agit; Quod ſi ſubtilius velles ſpeculari, poſſes dicere, ſpeciem hanc expreſſam eſſe nedum ſimilitudinem rei, quæ intelligitur, ſed & intellectus, non quidem vt res quædam eſt, vel vt intellectus abſolute, ſed quatenus eſt principium productiuum ipſius ſpeciei expreſſæ, & quatenus formaliter in hac productione conſideratur, iam enim ponitur in actu per ſpeciem impreſſam, dum dicitur elicere intellectionem, & alteram hanc ſpeciem producere, at dum eſt ſub ſpecie, iam tranſi-

tranſiuit in ipſum intelligibile in actu primo, & habitu, & factus eſt ipſum intelligibile, quare nedum eſt ei ſimile, ſed eſt ipſamet res intellecta, quocirca ſi verbum ſit ſimile rei intellectæ, erit & ſimile ipſi intellectui, vt ſic, neque hoc eſt contra Auctorem, ſeu me ipſum, qui ab illo edoctus dicebam, non eſſe ſimile intellectui, ſed rei intellectæ, nam diuerſa conſideratio de ipſo intellectu in cauſa eſt, vt diuerſa de eodem vere pronuncientur.

Dicitur hæc ſimilitudo, expreſſa ab intellectu per intellectionem, & hoc patet ex antehabitis; Neque turberis, quod ipſa intellectio ſit in genere actionũ immanentium, de quibus loquens Ariſtoteles nono Diuinorum 16. dicebat, nihil per eas produci, iam enim ad hæc & ſimilia argumenta, quæ aduerſum nos Scotus, & Durandus locis allegatis, & alij etiam obijciunt, habes apud Auctoris diſcipulos locis non ſemel citatis, quomodo multiplici via reſpondeas, & primo dicendo, nihil per actiones immanentes produci neceſſario, nihil tamen prohibere aliquid produci, vnde permiſſiue aliquid per ipſas producitur, ſecundo, quod per ipſas nihil producitur, quod ſit nobilius ipſa actione, vel ad quod ipſa actio ordinetur, produci tamen quidpiam ignobilius ipſa, & quod in eius gratiam ordinetur, tertio, quod per eas nihil producitur extra, cum quo tamen ſtat, aliquid ad intra produci, quod maneat in ipſo producente, & reſpiciat ipſum nedum ſub ratione principij ſed etiam ſubiecti. Ariſtotel. Scotus. Durand. Quomodo vijs varijs nihil per actiones immanentes producatur.

Applica intellectioni, relatione ad verbum, & dic illam hoc permiſſiue producere, dic illud non eſſe illa nobilius, neque hanc ad illud ordinari, ſed e contra, (non enim intelligo, vt producam verbum, ſed produco verbum, vt intelligam,) denique dic, verbum non exire extra intelligentem, ſed in ipſo manere; Et quæuis ſolutio eſſe poteſt verbis Ariſtotelis conſentanea, optime enim ſaluatur differentia, quam ibidem vult docere inter actiones tranſeuntes, & immanentes, nam ſemper per tranſeuntem producitur aliquid, ceu per ædificationem ædificatiua domus, (& eſt exemplum, quo ibi vtitur Philoſophus,) Rurſus, domus eſt finis ædificationis, & ad eam ædificatio ordinatur, & tandem patet, domum eſſe quid extra productum; Et ex ſecunda interpretatione horum verborum Ariſtotelis habes & alterius argumenti, quod ijdem nobis opponũt confutationem, non enim ſequitur, verbum eſſe nobilius intellectione; Quod ſi dicant, productum per operationem, eſſe nobilius ipſa operatione, audiant Ariſtotelem ſub initio primi cap. primi Ethicorum dicentem, quod in ijs, quorũ præter actiones fines aliqui ſunt, in his opera ipſa, (hoc eſt, producta per operationes,) cẽſentur præſtãtiora ipſis operationibus; at verbũ non eſt finis intellectionis, ſed intellectio eſt finis verbi, producitur nãque in eius gratiã, vnde poteſt habere rationẽ vltimi, at non vere finis, ſeu finalis cauſæ, & inter vltimũ, ac finem, latũ eſſe diſcrimen habes ab Ariſt. ſecũdo Phyſ. 23. dicente, poetam illũ deriſorie fuiſſe locutum, dum inter hæc nihil diſcernebat; Et vno verbo, quod productum ſit nobilius productione, in tranſeuntibus actionibus ſolum tenet. Ariſtotel. Quando productum ſit nobilius productione.

Dicitur hæc ſpecies terminus intellectionis, eo ſcilicet ſenſu, qui nunc innuebatur, hoc eſt, illud quod terminat, & eſt vltimum eius. Scias nihilominus, quod Auctor de hoc verba faciens loco memorato primi cont. Gent. 53. dixit, quod erat quaſi terminus intelligibilis operationis, vbi appoſuit ly *quaſi*, multiplici ratione, vt imaginor, primo vt innueret, quod diximus, non eſſe ſcilicet terminum abſolute, quaſi finem, ad quem ordinetur intelligibilis operatio, cum res e contra ſe habeat, vt dictum fuit; deinde, quoniam velut ſpecies impreſſa rationem habebat principij non abſolute, ſed comprincipij, ita de hac D.Thom. Quare verbũ dicatur quaſi terminus intellectionis.

ſpecie in ratione termini ſentiendum eſt, vt nimirum potius vocetur contermi nus, ſimul videlicet cum intellectu hanc actionem terminans, nam certe, vt intellectus eſt principium ſuæ operationis, ita & terminus, hoc eſt, ceu initiatur, ita & terminat, & hæ ſpecies ſunt ei rationes, quibus & det principium, & terminum ſuæ actioni, tertio, quoniam vere loquendo obiectum, & res ipſa eſt terminis intellectionis, vnde quæſtione illa de Potentia Dei memorata dicebat, intellectum formare conceptionem, qua mediante refertur ad rem, nam ſi abſolute cōceptio iſta foret terminus intellectionis, iam intellectio eſſet de ſpeciebus, non de rebus, quod eſt fatuum, quodque reijcitur ab ipſo prima parte q. 85. art. 2. & alibi ſæpe; Verum tamen eſt, quod ſi ſpectetur verbum, non vt res quædam eſt, ſed formaliter, idem prorſus eſt quod obiectum ipſum in re, quamuis differat in modo eſſendi, vt infra videbimus.

D. Thom.

Inter hæc obſerua, quod ex quacumque notitia, ſeu ex quouis actu intelligendi dicimus produci verbum, & non ſolum ex notitia perfecta, quoniam vt recte ait Capreolus diſt. illa 27. ad decimum eorum, quæ ſecundo loco aduerſus primam concluſionem adducta ſunt, quemadmodum datur multiplex gradus cognitionis, ita adeſt multiplex gradus verbi, & perfecti ſcilicet, & imperfecti, vnde non ſequitur, vt illorum, quæ exili cognitione attingimus, non habeamus verbum; Vbi ſcias, non ſe conſequi hæc duo, adeſt cognitio per ſpeciem intelligibilem, & adeſt cognitio imperfecta, quoniam licet verum ſit, omnē cognitionem poſſe dici imperfectam, quando ſola ſpecies intelligibilis inuenitur, tunc enim habitualiter ſolum res cognoſcitur, non tamen omnis cognitio eſt imperfecta, quia adſit ſola ſpecies impreſſa, nam aliquando adeſt etiam & expreſſa, & tamen eſſe poteſt imperfecta notitia, nō eo ſenſu, vt ſit habitualis, ſed quoniam imperfecte nonnumquam verbum repræſentabit, vnde erit terminata illa notitia, (ſemper enim dum adeſt ſpecies expreſſa, terminari accipitur intellectio,) ſed imperfecta erit; Immo proprie loquendo cognitio in aduentu ſolius ſpeciei intelligibilis nequit dici abſolute imperfecta, ſed habitualis vocanda eſt, & in ſui principio, nam ſpecies illa in ordine ad intellectum noſtrum non parit alio modo notitiam, niſi quod intellectum in actu conſtituit, vnde poſſit intellectionem incipere, poteſt tamen dici imperfecta, comparata ſibi ipſi, quando erit terminata, nam & ſpecies illa eſt actualis rei ſimilitudo, at habitualis in ordine ad intellectum, vt adnotaſſe viſus eſt Ferrarien. q. 8. tertij de Anima.

Capreol.

Quomodo ſe habeāt cognitio per ſpeciē intelligibilem & cognitio imperfecta.

Ferrarien.

Quamuis autem perfectior appareat ſpecies expreſſa, quam impreſſa, propterea quod lucidius, & articularius repræſentet obiectum, ex alio tamen capite, impreſſa dignior oſtenditur, quoniam habet rationem actiui, & comprincipij, & firmior eſt, ac permanens in intellectu poſt actualem intellectionem, quod non eſt verum de ſpecie expreſſa vt ſic; Rurſus, aliquando expreſſa hæc ſpecies non exprimet id omne quod relucebit in impreſſa, vnde & hac ratione, illa eſt hac imperfectior; denique non eſt ſola ſpecies impreſſa, quæ producat, & ſit cauſa illius intentionis, ſed intellectus in actu cum ipſa ſpecie, vnde non eſt cur dicatur nō poſſe ab impreſſa ſpecie produci expreſſa, quoniam cauſa ſit dignior effectu, &c. Neque ſequitur proceſſus in infinitum in ſpeciebus, quoniā non eſt ſomniandū, ſpeciē expreſſam, aliā cauſare ſpeciē, & ſic de alijs, vt ſuſpicari viſus eſt Durandus nominato loco, iam enim dicimus ipſam terminum, & obiectum intellectionis; quærere autem, quare terminus non ſit cauſa alterius, eſt quærere, quare finis nō ſit principiū, & quare terminus ſit terminus.

Comparatio inter ſpecies impreſſam, & expreſſam.

Durandus.

Neque

Neque obſtat, quod ſit perfectior, quam impreſſa, & tamen illa cauſet ſpeciem, iam enim vidimus, quomodo ſit, & non ſit perfectior, & totam eius perfectionem in eo docemus eſſe conſtitutam, vt lucidius ſit obiecti repræſentatiua; & addo, quod accidit ſpeciei vt ſic, aliam ſpeciem cauſare, nam quod per ſe eſt de ratione ſpeciei, eſt repræſentare, ſunt enim in numero illarum rerum, quas natura fecit, vt repræſentarent, non vt eſſent, niſi concomitanter, & ſpecies vt ſpecies, ſunt rerum ſimilitudines, non res, niſi neceſſitate concomitātiæ, quare vis nobilitatis earum vt ſic, facienda eſt in eſſe ſimilitudinis, & repræſentatiui. Quapropter, vanum eſt argumentum, ex nobilitate ſpeciei, arguere actiuitatem, quo fit, vt in ratione ſpeciei vt ſic, & formaliter, libenter concedam, ſpeciem expreſſam digniorē eſſe impreſſa, ob perfectiorem ſcilicet repræſentationē, licet alijs nominibus impreſſa ſpecies queat dici excellentior, vt patuit.

Quid ſit de ratione ſpeciei.

Cæterum dices, ſi verbum producitur per actum intelligendi, & per intellectionem, iam igitur intellectio præcedit verbum, quomodo igitur ſtat, quod dicimus, verbum eſſe neceſſarium in intellectione, ſi prius quam adſit, præceſſerit intellectio? Huic dubio occurrens Torres loco allegato primę partis priori parte quintæ diſputationis ait, quod verbum producitur per rem, quæ eſt actus intelligendi, & per rem illam, quæ eſt intellectio, at nō formaliter quatenus eſt intellectio, & actus intelligendi, quoniā inquit verbū eſſe prius intellectione, & conſtat id quod prius eſt, nō poſſe produci per id quod poſterius eſt, quod videtur prius voluiſſe Paulus Soncinas in epitome ad Capreolū, quando in primo, diſt. illa 27. quæſt. ſecunda ad finem argumentorum cōtra primam concluſionem dixit, quod poteſt eſſe entitas quæ eſt intellectio, non exiſtente verbo, tamen non eſt intellectio, niſi dum terminatur ad verbum, vnde ait, quod logicaliter diceretur intellectio eſſe non exiſtente verbo, nō tamen eſſe intellectio; At hæc reſponſio, & doctrina abeſt à vero, fatetur enim Torres, & omnes qui ad aures Auctoris ponunt verbum, quod ſit terminus intellectionis productus per ipſam, quod ſi producitur per ipſam, quomodo eſt prius ipſa? vtendo argumento ſuo ab oppoſito, quoniā quod producitur, nequit eſſe prius producente; Neque dicendum eſt, produci per intellectionem, quatenus actio eſt, non quatenus intellectio, tum quoniam per omnem actionem intellectus, vt res eſt, poſſet dici, quod produceretur, tum quoniam procedit ab actione intellectus, prout eſt in actu per ſpeciem, quæ ſane actio eſt vera intellectio, & formaliter, ſecus nihil ad intellectionem vt ſic conferret ſpecies impreſſa, ſi non daret intellectui, vt eliceret intellectionem formaliter.

Dubium.

Soluitur à Torres.

Soncinas.

Impugnatur illa ſolutio.

Alij viri doctiſſimi ſuper eundem locum videntur concedere, quod verbum ſit prius intellectione in genere cauſæ formalis, tamquam ſpeciem dans illi intellectioni, at in genere cauſæ efficientis, intellectionem præcedere verbum, & quidem hoc ſecundo prolatum veritatem habet, ſed quod verbum præcedat intellectionem, non placet, & licet ſit obiectum, ac det ſpeciem, tamen dum dicitur eſſe obiectum, dicitur terminus, & ex conſequenti dare ſpeciem tamquam terminus, non tamquam quid prius; accedit, quod ſpecies etiam impreſſa eſt obiectum, & dat ſpeciem intellectioni, (ideo enim hoc intelligo, quia meus intellectus eſt informatus hac ſpecie, & aliud, quia alia ſpecie, vt ſuperiori art. dicebam,) quare ipſa præbet ſpeciem, tamquam principium, & ſi hoc non dicatur præſtare, quid præſtabit? Quare facile dico pro ſolutione, intellectionem dupliciter poſſe conſiderari, & ſcilicet vt eſt in fieri iam incæpta, &

Aliorum ſolutio.

Nō probatur.

Apta ſolutio.

natura, quoniam videntur importare intentionem vniuerſalitatis, quæ non adeſt, niſi beneficio intellectus, & veritati, quoniam intentio generis, & ſpeciei, eſt intentio ſecunda, & omnem ſecundam intentionem, ſubtracto intellectu, omnino perire, nullus ignorat. Rurſus, hæc nomina, genus, & ſpecies, vel important ſingularia, vel vniuerſalia, non primum, vt patet, ergo ſecundum, ergo formaliter, abſolute, & abſque addito ſine opere intellectus ſunt vniuerſalia in rebus, quod negat ipſe, reiecimus nos. Præterea, quando intellectus comparat rem, quæ eſt genus ad ſpecies, rem quæ eſt ſpecies ad indiuidua, peto, num aliqua intentio adueniat rebus, quæ comparantur, an nulla, hoc ſecundum non eſt dicendum, tunc enim vane compararentur, & docet ratio, quod acquirunt nomen ſuperioris, prædicabilis, &c. & in art. illo 7. dicebamus, ex tali comparatione erumpere vniuerſale hoc, & illud, ergo aliqua intentio acquiritur, & ea certe, quæ modo dicebatur, videlicet prædicabilis, ſuperioris, &c. tale vero ſuperius, tale prædicabile non eſt, niſi aut genus, aut ſpecies, iuxta varia ſcilicet, quæ rebus comparatis ſubiacent, non ergo ante illam comparationem præexiſtebat intentio, vel nomen, vel generis, vel ſpeciei, quo circa falſum eſt, ante actum omnem intellectus adeſſe ſimpliciter genera, adeſſe ſimpliciter ſpecies; Tandem in rebus ad extra, non adeſt definitio ſpeciei, non generis, vt ſatis patet, nam formaliter complentur per actum intellectus depurantis naturas ab indiuidualibus, & prope comparantis hoc; & illud ſuperius ad hæc, & illa inferiora, quare neque erunt ad extra in rebus ipſa definita, genus ſcilicet, & ſpecies abſque opere intellectus, ſed per intellectum, quo ad ſuum formale complebuntur.

Tertia. *Quarta.* *Poſtrema.*

Capreol. Et hæc eſt clara mens Capreoli in primo, diſt. 8. q. 2. ad varias conſequentias tertij contra ſolutionem quartæ probationis aduerſus ſeptimum principale, ait enim, dum reſpondet ad primam conſequentiam, quod ſpecies, inquantum huiuſmodi non eſt extra animam, neque diuerſitas ſpecierum, aut generum, & ad tertiam inquit, quod homo, & aſinus ante actum intellectus ſunt diſtincti realiter, ſed quoniam nullum extremum illius diſtinctionis ante actum intellectus denominatur ſpecies, ideo ante actum intellectus non dicitur illa diſtinctio actu ſpecifica, quoniam nõ eſt actu inter duas ſpecies, &c. Ecce quod deficiente actu intellectus, homo, aſinus, non dicuntur ſpecies, neque eorum diſtinctio ſpecifica.

Ad argumenta Soti. Neque argumenta viri doctiſſimi aliud probant, quam dari ſpecies materialiter, & fundamentaliter ante actum intellectus, & iam diximus, verum non eſſe, ſufficere ad ſpecies, & genera, vt dentur res in potentia abſtrahibiles, oportet enim, quod iam per intellectum agentem ſint abſtractæ, & deinceps, quod per poſſibilem comparentur, vel ſaltem ſint in proxima diſpoſitione, vt poſſint ab intellectu comparari, in qua plane diſpoſitione non erunt, niſi prius fuerint abſtracta, & tunc ſolum poterunt mouere intellectum poſſibilem, & eiuſdem eſſe obiectum, vel obiecta; Similiter propoſitiones, ſyllogiſmi, & reliqua id genus pro materiali tantum ſunt ſine operatione intellectus, non autem pro formali.

Quod demum addit de cæcitate, non videtur eſſe ad propoſitum, quoniam cæcitas eſt priuatio, & nullum eſſe ponit, vnde licet non adſit intellectus conſiderans, Sortes eſt cæcus, hoc eſt, priuatus eſt facultate vidente, at ſpecies, & genera ſunt ſecundæ intentiones, & relationes poſitiuæ, quæ aliquod ens rationis ponunt, ac ſubinde ceſſante intellectu, non ſunt niſi fundamentaliter, & pro

pro re, ſeu natura, ſeu ſubſtrato, ſeu denominabili, ſeu materialiter, ſeu metaphyſice, ſeu demum in potentia, quo etiam modo, aut quibus modis, docuimus ante actum intellectus inueniri vniuerſalia in rebus, non autem formaliter, niſi intellectus actione adueniente, agentis, quo ad eſſe rei, poſſibilis, quo ad eſſe cognitum, &c.

Et hæc pro ſolutione argumentorum, pro vltimo quæſtionis art. ac proinde pro tota hac quæſtione, inter famoſas difficillima, & inter difficiles famoſiſſima.

QVAESTIO QVARTA.

Num ad hoc vt intellectus intelligat, requiratur ſpecies expreſſa.

CIRCA ea, quæ adduximus in gratiam tertiæ eiuſdem aſſertionis tertiæ partis, quibus ſæpe diximus, duplicem poni debere in intellectu poſſibili ſpeciem, ſi actu vltimato rem aliquam agnoſcere debeat, alteram, quæ ſibi ab obiecto merito agentis intellectus imprimatur, alteram, quam ipſemet ſub illa ſpecie poſitus, deinde exprimit, vt actu contempletur obiectum illud, quod habitu ſolum primæ ſpeciei beneficio intueri poſſe dicebam, quæ omnia erant de mente Caiet. & ab ipſo eodē loco innuebantur, licet huius rei declarationem, alio loco, & tempore ſe allaturum pollicebatur, mouere placet quæſtionem diebus noſtris apprime celebrem, num neceſſario in quouis intellectu, & præcipue humano ponenda ſit gemina hæc ſpecies, an vero altera tantum ſufficiat. Quæ ſane quæſtio decem partibus conſtabit, vt in prima explanetur eius titulus, in ſecunda, quid alij ſentiant, & quibus argumentis moueantur inſpiciamus, in tertia, nonnulla pro vtriuſque ſpeciei neceſſitate præmittantur, in quarta, ſpeciei expreſſæ natura expendatur, in quinta, quomodo hæc eadem ſpecies intelligatur, in ſexta, quomodo præmiſſa ſpecierum neceſſitas ſit accipienda, & quid ſit intellectio examinetur, in ſeptima, ad quæſtionem reſpondeatur per concluſiones duas, quo ad Deum, in octaua, duabus itidem concluſionibus ſatisfiat, quo ad Angelos, in nona, duplici adhuc concluſione reſpondeatur, quo ad hominem in vtroque ſtatu, & patriæ ſcilicet, & viæ, in poſtrema, ſoluantur argumenta, quæ art. ſecundo continebantur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponat, quid inueſtiget quæſtio.

SVpponit præſens quæſtio, dari ſpecies in noſtro intellectu, & ad eius actum, hoc eſt, intellectionem eſſe neceſſarias, ad quod ſane probandum quamuis non omnes conatus, & induſtriam annotationibus ad hanc literam

contu-

contulerim, non inualide tamen arbitror, ibidem ſuaſum reliquiſſe, vt rurſus hac eadem quæſtione aliqua via manifeſtabitur. Supponentes igitur, quod intelligibilis ſpecies illa, quam ex phantaſmatibus per intellectum agentem extractam recipit intellectus poſſibilis, ideo vocetur impreſſa, incertum eſt, an præter ipſam exigatur & altera, quæ ab eodem intellectu formetur, quippe quæ expreſſa vocatur.

Vlterius, Apud omnes illos qui ſpecies ponunt intelligibiles conuenit, poni debere ſpeciem illam, quam vocamus impreſſam, exploratum enim habent, cognitionem fieri oportere per ſimilitudinem, vt habes primo de Anima 16. & 33. ex antiquorum philoſophorum, & ex Ariſtotelis ſententia, eapropter ſtatuunt ſpeciem illã emiſſam ab obiectis in phantaſmata, hoc eſt, in illis, tamquam in fundamento latentem, non tamen vnquam in actu exiſtentem, (de ſpeciebus profecto intelligibilibus eſt totus hic ſermo;) niſi beneficio intellectus agentis educatur, eamq. neceſſariam dicunt, vt in intellectu adſit ſimitudo rei cognitæ. At omnis difficultas eſt de ſpecie altera, quæ expreſſa dicitur, num poſt priorem illam ſpeciem, & ſimilitudinem in intellectu retentam, altera hæc ſimilitudo, & ſpecies ſit ponenda, ad hoc vt proueniat cognitio. Quando autem dico, omnes ponere ſpeciem illam impreſſam, intellige vel de ipſa vera ſpecie recepta, vel de aliquo, quod ſit intra ipſum intelligentem, & vices gerat talis ſpeciei, non enim in omni cognoſcente videbimus conſtitui huiuſmodi ſpeciem vere receptam, quæ ipſi intellectui ſit forma, ſed bene inſpicietur in quouis intelligente, & in quacumque intellectione, aliquid adeſſe ſupplens partes illius ſpeciei, vtpote, quod ſimilitudo exiſtat rei cognitæ; Ita ſupponitur neceſſitas impreſſæ; & indagatur illa expreſſæ.

Ariſtotel.

Rurſus, Cum cognoſcens ſit in duplici potentia ad cognitionem, eſſentiali ſcilicet, & accidentali, & prior vocetur potentia ad actum primum, ſeu ad formam, poſterior dicatur ad actum ſecundum, & operationem, quæ duplex potentia clare elicitur ex Ariſtot. octauo Phyſicorum 32. & tertio de Anima, 8. nulli dubium eſt, quod ad conſtituendum intelligentem in actu oppoſito potentiæ primo modo, vt nimirum habeat in ſe principium, quo poſſit intelligere, immo quod in habitu, & potentia quadam intelligat, ſufficiat ſpecies impreſſa, & nullatenus requiratur expreſſa, nam omnibus in aperto eſt, vel eſſe debet, tunc non adeſſe ſpeciem expreſſam, ſecus in nulla potentia foret tunc intellectus, & tamen poſt primæ illius ſpeciei receptionem, eſt in potentia accidentali, vel ad actum ſecundum, vel ad operationem, ſed difficultas eſt, num ſpecies ipſa impreſſa, vel quid loco illius, ita ſufficiat ad cognitionem, vt nedum conſtituat intelligentem in actu primo, ſed & tantæ ſit virtutis, vt præbeat ipſi intellectui, quod iuxta placitum ſuum poſſit reduci ad actum ſecundum, oppoſitum poſteriori potentiæ, abſque vlla alia ſpecie, vt quamuis vere ſit in potentia ad intellectionem actualem, ad eam nihilominus tranſire ſibi liceat abſque interuentu alterius ſpeciei.

Duplex potentia.

Quod ſi hæc vnico verbo cupias habere, dic neminem dubitare, num ſpecies impreſſa ſe ſola ſufficiat ad principium intellectionis, hoc enim docet omnes, modo tamen declarando, ſed queſtio eſt, num etiam ſufficiat ad intellectionem terminandam, ſi enim ad vtrumque ſufficiens erit, nulla apparebit neceſſitas ponenda ſpeciem expreſſam, quoniam ab iis, à quibus ponitur, vt intellectionis terminus ſtatuitur, &c.

Quid ſit omnibus certum.

Verum aduerte, quod qui contendunt fore ponendam in omni intelligente

ſpeciem

ſpeciem expreſſam, ita eam volunt, vt vere ſtatuatur, & vere, ac realiter ab intelligente per intellectum exprimatur, non enim volunt vlla via ſufficere, vt aliquid loco eius aſſignetur, quod eius munera obeat,& terminus ſit intellectionis, veluti ſentiunt & ipſi, & omnes, in aliquo cognoſcente ſufficere aliquid gerens vices ſpeciei impreſſæ, & eſſe principium intellectionis, hinc in aliquibus dicent, non eſſe vere ponendam ſpeciem impreſſam, ſed quid eius loco ſat eſſe, at in eiſdem expreſſam ſpeciem ita locant, vt nolint quid aliud eius vices ſupplere; quocirca verſabitur difficultas, num in quouis intelligente vltra impreſſam ſpeciem, vel aliquid loco eius ſe habens, ponenda vere ſit ſpecies expreſſa, quippe quæ ſolet vocari & verbum præcipue à Theologis, & conceptus formalis, & intentio intellecta, & conceptio rei intellectæ, omnia enim hæc nomina idem referunt, vnde quando hoc, quando illud à variis adſertur. Nomina ſpeciei expreſſæ.

Illud etiam obſerua, quod cum in vniuerſum detur triplex intelligens, Deus ſcilicet, Angelus, & Homo, quæſtio hæc in ſumma amplitudine manens, de omni intelligente quærit. Id tamen verum eſt, quod de diuino intellectu loquendo, breuiſſima eſt rei deciſio, quare tota difficultas erit de intellectu angelico, & humano, & cum in duplici ſtatu poſſit conſiderari homo, in illo ſcilicet viæ, & in illo patriæ, vel vt viator, & vt beatus, & comprehenſor, de vtroque ſtatu erit quæſtio, & longe difficilior de homine beato, nam qui ſpecies expreſſas ponunt, ſummo conſenſu eas tribuunt homini viatori, at eidem vt comprehenſori quidam aſcribunt, quidam auferunt, quidam & auferunt, & aſcribunt. Quotuplex intelligens. Huius quæſiti latitudo.

Supponitur igitur hac quæſtione, dari ſpecies intelligibiles, & ad quamcumque intellectionem requiri ſpecies impreſſas, vel quid earum partes gerens, ſed inueſtigatur, num vltra ipſas, & alia ſpecies, expreſſa videlicet vere, ac realiter in quouis intelligente ſit neceſſario conſtituenda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid alij ſenſerint, & cur ita.

FRanciſcus Ferrarienſis primo contra Gent. cap. 53. conſtanter affirmat, in omni cognitione intellectiua naturali requiri de neceſſitate expreſſam ſpeciem, vnde ait, angelos quando ſe intelligunt, formare præfatam ſpeciem. De beatis vero, vtramque partem ait poſſe defendi, ſic & rationes pro vtraque parte diſſoluit; Quarto etiam eiuſdem operis, cap. 11. videtur ſupponere, angelum in ſui intellectione formare intentionem illam. Opinio Ferrarienſis.

Idipſum de beatis videtur voluiſſe antea Capreolus, nimirum, vtramque partem poſſe tutari, nam in primo d. 27. ad octauũ eorum, quæ ſecundo loco aduerſus primam concluſionem adducta ſunt, partem affirmantem videtur docere, & ſupponere, inquirit enim, num beatifica viſio ad vnum, vel ad plura verba terminetur, & id dubium eſſe ait, ſubdens veriſimile eſſe, quod ad vnum; at in quarto, diſt. 49. quæſt. 5. ad primum primo loco contra primã concluſionem ait, communiter teneri, quod beati non habeant aliud verbum diſtinctum à verbo increato, ob intimam præſentiam verbi ad beatũ intellectum, ceu neque aliam ſpeciem intelligibilem habent, quam diuinam eſſentiã, quare ſi Opinio Capreoli.

re, ſi iis ſtandum eſt, quæ vltimo docuit vir longe grauiſſimus, eum apparet eſſe in parte negante quo ad beatos, nam quo ad angelos nihil explicite omnino videtur docuiſſe.

Sententia Bartholomæi Torres.

Bartholomæus Torres ſuper art. 1. quæſt. 27. p. par. diſputatione quinta opinionem Ferrarienſis ſectatus eſt, nam tertio dubio ſuſtinet, angelos formare verbum in intellectione propria, dubio autem quarto, de beatis vtrumque ait poſſe defenſari, quamuis exiſtimet probabiliorem partem, quæ affirmat.

Aliorum placita.

Alij in noſtra familia Doctores clariſſimi, qui totam Auctoris primã part. & alia eiuſdem fœliciter commentati ſunt, art. & quæſtione relata, de beatis proferunt ſententiam negantem, de angelis vero affirmantem dicũt eſſe multo probabiliorem, quod & inferius art. 1. q. 56. omni aſſeueratione confirmant.

Denique alij, qui in eiuſdem primæ partis loca multa doctas lucubrationes tulerunt; quæſt. 12. art. 2. diſputatione prima, & inferius quæſtione illa 27. art. 1. diſputat. 8. memb. 3. & 4. acerrime contendunt partem affirmantem eſſe veram, & in angelis, & in beatis, & in quauis cognitione, verbum neceſſario intercedere dicunt, & probant.

Et quidem cum varia ab Auctoribus nobilibus pro eorum ſententiis firmandis adducantur argumenta, ipſe quæ potiora iudicauerim, & quæ reuera nonnihil difficultatis continere videbuntur adferam; Et dum argumenta proponentur, quæ oſtendere videntur beatos formare verbum, eadem erunt & pro angelorum intellectione, maior enim difficultas apparet in beatis, vnde nullus illud aſſeueranter docuit, præter eos, quos vltimo loco recenſui, nam alij diſputatiue in hoc proceſſerunt, & quidam affirmanter de angelis loquentes, vbi ad cognitionem beatificam acceſſerunt, oppoſitum vt patuit enunciarunt.

D. Thom.

Quare ſit illud primum argumentum apud omnes vulgatiſſimum, deſumptum ex Auctoris teſtimonio p. par. quæſt. 27. art. illo primo, vbi ait, Quicumque intelligit, ex hoc quod intelligit, producit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptus rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, omnis igitur qui intelligit, conceptum format, ergo & angelus, & beatus. Confirmatur, quoniam velut terminus intrinſecus calefactionis eſt calor, ita & terminus intellectionis eſt hic conceptus, & hæc ſpecies; Neque fit ſatis huic argumento, ſi dicatur, verbum eſſe terminum intrinſecum intellectionis in homine viatore, & pronunciatum ex Auctore adductum, diſtribuere pro viatoribus, vt ait Caietan. ibidem, tum quoniam vniuerſalis eſt propoſitio, ac proinde non debet reddi particularis, vel indefinita, tum quoniam dum verba facit de ſanctiſſimæ Trinitatis arcano, eam adfert, quod ſi in viatoribus ſolum hominibus locum haberet, non eſſet ad rem.

Secundo, Quemadmodum albefacere non eſt aliud, quam producere albedinem, ita cognoſcere non eſt aliud, quam potentiam cognoſcentem vitaliter operari, & exprimere in ſe ipſa imaginem rei cognoſcendæ, vnde exaggeratur plurimum hoc argumentum à recentioribus, & iteratur ſæpius dicendo, numquam ſe intelligere valuiſſe, quo pacto aliquid ſit actio, & nullius rei productæ ſit actio, & quod aliquid agat, & actione ſua nihil producat, & implicare dicunt contradictionem, quod ponatur actio ſine ſuo termino, cum itaque intellectio ſit actio, aſſignare oportet, quid per hanc actionem producatur, quippe quod nil aliud eſſe poteſt, quam hæc expreſſa ſpecies. Confirmatur, quoniam dum res intelligitur, dicitur quod concipitur, ergo ali-

quo

quo conceptu, ergo in omni intellectione exprimitur conceptus, &c.

Tertio, Si quid obſtaret, quo minus angelus, & beatus producerent verbum, illud certe eſſet, quoniam obiectum habent ſibi maxime coniunctum, ac præſens, & immateriale, hæc enim ratio allegatur ab iis, qui negant ipſos exprimere verbum, at hæc ratio nulla eſt, ergo &c. probatur minor, tum quoniā anima eſt immaterialis, ſemper ſibi ipſi præſens, & tamen dum ſe intelligit, format conceptum, vt patet ex Auctore, quæſtione de Veritate 4. art. 2. dicente, quod etiam quando mens intelligit ſeipſam, eius conceptio non eſt ipſa mens, ſed aliquid expreſſum à notitia mentis, idipſum docet quæſt. nona de Potentia art. 5. dicens, intellectum dum intelligit ſeipſum, formare ſui conceptum, tum quoniam diuina eſſentia, (& hoc argumentum efficaciſſimū, atque non facilis ſolutionis vocat Torres,) eſt purus actus, & immaterialis, et intime præſens diuino intellectui, adeo vt nil coniunctius eſſe poſſint, (dicunt recentiores,) & tamen Deus cognoſcendo ſe producit verbum, vt docet Fides, ergo & angelus, & beatus formabunt verbum, licet eorum obiectum ſit immateriale, & ipſis coniunctum, tum demum, quoniam ſi præſentia obiecti ſufficiat ad excluſionem verbi, cum in ſpecie impreſſa præſens ſit obiectum intellectui, ſat erit illa præſentia, quare poſt impreſſam ſpeciem, non eſt, vt detur expreſſa.

D. Thom.

Torres.

Quarto, Eſſentia angeli vt ſic abſtrahit ab hic, & nunc, nam & angelus ſi definiat ſuam quidditatem, non ponit in tali definitione actualem exiſtentiam, eſſentia vero eadem ſecundum eſſe reale, & vt eſt in re non abſtrahit ab hic, & nunc, vel ab actuali exiſtentia, ergo intellectio, qua intelligit angelus ſuam eſſentiam, & quidditatem, non terminabitur ad eſſentiam angeli, quatenus eſt in re, ſed quatenus abſtrahit ab actuali exiſtentia, hoc autem cum non ſit in ipſa re, ſequitur, quod ſit in verbo mentali, quod ab exiſtentia actuali abſtrahat. Adde, quod eſſentia angeli ex propria ratione eſſentiali non eſt actu intellecta, quoniam accidentaliter hoc ei conuenit, quatenus terminat cognitionem, quæ eſt accidens, igitur non eſt ſufficiens obiectum cognitum, & actu, quare oportet, vt illam trahat intellectus ad ſeipſum per intellectionem, formando eius conceptum, &c.

Quinto, Adeſt Auctoris auctoritas, quæ in hoc negotio videtur Achilles, ipſe enim quarto contra Gent. 11. habet manifeſte, quod quamuis intentio intellecta ſit angelis omnino intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtantia, & loquitur de cognitione, qua angelus ſeipſum cognoſcit, vbi & ſupponit angelum formare intentionem in ſui cognitione, & eandem intentionem non eſſe eius ſubſtantiam; Sed & quod mirum magis apparet, Caiet. qui patronus cenſetur poſitionis contrariæ, p. par. q. 14. art. 2. ſupponit, angelum in ſui cognitione formare conceptum, qui non eſt ſubſtantia ſua, quicquid ille ſit.

D. Thom.

Caietanus.

Denique, idem nequit eſſe principium, & terminus eiuſdem actionis, ſed eſſentia angeli ex communi ſententia eſt principium illius intellectionis, qua ſe ipſum intelligit, nam gerit vices ſpeciei intelligibilis, ergo nequit gerere vices termini, & verbi, cumque omnis actio habeat terminum, velut & principium, ſequitur, vt aliquid aliud ab ipſa eſſentia pro termino debeat aſſignari, ergo conceptus, ergo ſpecies expreſſa, &c.

Ex altera parte non deſunt, vel qui vanas omnino has expreſſas ſpecies, & verba autument, vel qui ea ponentes, non tamen ab intellectione diſtingui pu-

tent, quorum vel placita, vel argumenta, & eorundem confutationes ha-
Capreolus. bes apud Capreolum in primo, diſt. 27. q. 2. & diſt. 35. q. 1. & in ſecundo, diſt
3. quæſt. 2. ad complura argumenta contra quartam præcipue concluſ. & po-
Caietanus. tiora eorum ſundamenta legis etiam ſoluta à Caiet. p. p. q. 27. art. 1. & à Barth.
Torres. Torres. & ab aliis nobilibus ingeniis, quorum commentaria ad eundem art. ex-
Ferrar. tant, & nonnulla eorum, qui negant ſpecies à Ferrarien. 3. de Anima q. 8. & ab
Aquarius. Aquario ibidem, & de ſpeciebus varias quæſtiones habes à Ianduno eodem li-
Iandunus. bro, à quæſt. ſcilicet 14. vſque ad 19. & à Iauello ibidem duas quæſt. directorias
Iauellus. potius, quam reſoluentes; quare in his nihil eſſe immorandum putaui, eo vel maxime, quoniam ex determinatione, quæ fiet, manifeſtanda eſt harum opinionum exilis firmitas, immo multa infirmitas, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Nonnulla pro vtriuſque ſpeciei neceſſitate præmittuntur.

NOta primo, quod vt colligitur ex annotationibus ad hoc caput, & ex
Cur ponatur ſpecies impreſſa. priori art. huius quæſt. ideo præcipue ponitur ſpecies intelligibilis, vt intellectus habeat in ſe ſimilitudinem rerum, quas intelligit, & fiat ipſamet intellecta in actu, ſic enim dicebamus cum Ariſt. poſt mille alia loca, potiſſimum
Ariſtotel. duodecimo Diuinor. 39. intelligenté fieri intelligibile, ita vt idem ſit intelectus
Themiſt. & intelligibile, ſic cum Themiſt. 3. de Anima 25. intellectum intelligendo ver-
Alexander. tere ſe in ea, quæ intelligit, vnde Alex. duodecimo illo Diuinorum ad 37. dicebat, intellectũ in actu nihil aliud eſſe, quam forma quæ intelligitur, & ſubdit, quod velut ſenſus in actu idem eſt, quod actu ſenſibile, & e contra, ſic intellectus actu idem eſt, quod actu intelligibile, & verſa vice, & infra exponens 39. habet, quod intelligens efficitur id quod intelligit, quam doctrinam non ſemel repetit primo ſuo libro de Anima cap. 26. ſatis autem conſtare poteſt, animam, ſeu intellectum intelligentem effici rem intellectam, non in eſſe reali, ſed ſolum intelligibili, & intentionali, nam opinionem Empedoclis ponētis animam conſtitutam ex elementis omnibus, & vnumquodque ipſorum eſſe
Albe. mag. vt refert Ariſtoteles primo de Anima 25. plene ibidem reiectam legimus, vnde Albertus 3. de Anima, tract. 3. princ. cap. 12. exponens Ariſt. dicentem 37 illius libri, animam eſſe quodammodo omnia, dicebat eſſe *quodammodo*, quoniam ipſa non eſt omnia ſecundum eſſe materiale, ſed ſecundũ eſſe intentionale ſpe-
Alexander. cierum, quod & prædocuerat idem Aphrodiſæus eodem ſuo libro de Anima, cap. toto 28. vbi docte oſtendit, quomodo anima ſit quodammodo res omnes vbi concludit, cenſendũ eſſe, quod anima vnà cum rebus idē ſit, vt intercedente ſenſu, atque intellectu prædita ſit facultate ſuſcipiendi ſpecierum. Idipſum vo-
Themiſt. luit & Themiſt. 3. de Anima, cap. 52. dicēs animam eſſe omnia, quoniā efficitur forma rerũ, non tamen cũ materia earũ, nō enim lapis in anima eſt, neq; ignis.

Nota ſecundo, quod quoniam intellectus eſt potentia paſſiua, patitur enim ab obiecto, quoniam ex duodecimo Diuinorum, illo 37. mouetur intellectus ab intelligibili, & intelligere eſt quoddam pati, ex tertio de Anima 12. cum
Quomodo patiatur intellectus ab obiecto. nequeat pati ab obiecto ſecundum eſſe reale, nec ſecundum tale eſſe recipere, patietur ſecundum eſſe intelligibile, & intentionale, merito ſpeciei, in qua iuxta tale eſſe relucet obiectum; Quomodo autem, & à quo fiat ſpecies iſta,

& quo pacto impoſſibili intellectu imprimatur, iam præfatis annotationibus explicatum dedi. Hanc vero actionem obiecti, & paſſionem intellectus ab ipſo, credo intellexiſſe eundem Aphrodiſæum, quando ad illum 39. eiuſdem 12. pulchre dixit, quod antequam intellectus actu intelligat, intelligens, & quod *Elegans Alexandri doctrina.* debet intelligi relatiua ſunt, & inter ſe vt ad aliquid dicta opponuntur, in ipſo vero actu, vnum fiunt, & deſinunt eſſe oppoſita, quoniam tunc ratio ad aliquid, ſeu relationis nequit illis conuenire, (quam doctrinam formaliter tradebat etiam primo illo ſuo de Anima, cap. 25.) ſic dico, relationẽ hanc eſſe agentis ad paſſum, vel mouentis ad motum, nam priuſquam intellectus intelligat, mouet ipſum intelligibile, vt dicebatur, ſic relatiue ad inuicem opponuntur, at dum actu intelligit, ceſſat motio illa ex parte obiecti, & receptio ex parte intellectus, vnde in eis non eſt amplius inuenire oppoſitionem hanc; Ratio vero huius duplex eſſe poteſt, altera, quoniam vt dicebam, intellectus in actu efficitur ipſum intellectum, vnde cum ſint unum, & idem, nequeunt amplius opponi, altera, quoniam vt annotationibus dicebatur, noſtrum intelligere non eſt pati formaliter, ſed ſolum cauſaliter, adeo quod præceſſit actio illa, & motio, & receptio, & paſſio, & in actuali intellectione non adeſt formaliter paſſio illa, & actio, non enim intelligit intellectus in receptione vt ſic, ſed requiritur vitalis ipſius actio, qua exprimat in ſe conceptum, & formet intellectionem, & efficiatur idem cum re intellecta, quare cum in actuali intellectione non conſideretur formaliter receptio illa, & motio, ſed ſolum vt antecedenter, nequeunt amplius opponi vlla oppoſitione.

Hinc obſeruabis tertio, & videre incipies neceſſitatẽ nedum ſpeciei impreſſæ, (hanc enim omnino ferè ſupponimus hac quæſtione, quamuis, & ex inſinuatione oſtenderimus,) ſed etiam expreſſæ. Cum enim noſtrum intelligere *Neceſsitas ſpeciei expreſſę.* non ſit purum pati, neque formaliter ſtet in paſſione, non complebitur intellectio, ex eo quod poſſibilis intellectus recipiat ab agente ſpeciem intelligibilẽ obiecti, tunc enim & diaphanum ſentiret, quoniam recipit ſpecies colorũ, &c. ſed exigitur vt & ipſe intellectus agat, & ſpecie illa informatus, eliciat ſuã intellectionem, quippe quæ eſt actio vitalis nobiliſſima, quæ ſubinde ab ipſo actiue, & vitaliter proficiſci debet; Immo præfatus Alexander ſecundo lib. ſuo de *Alexan.* Anima cap. 19. vult potius intellectum dici actiuum, quam paſſiuum, inquit enim, quod licet ſit ſuſceptiuus formarum, tamen ſit ſimul agens, vt eas intelligat; licet quæ deinde ſubdit, minus vera ſint, quoniam ſupponit eundem eſſe intellectum agentem, & poſsibilem, quare vocari etiam actiuum alia ratione, quoniam agit intelligibilia, at nos munus hoc agenti intellectui tribuimus, poſsibili vero ſpecierum receptionem, ſimul tamen, & actionem ad eas intelligendas.

Dixi in receptione ſpeciei impreſſæ non compleri intellectionem, (quoniã tunc certe intellectio eſſet pura paſsio intellectus, quoniam in illo ſigno, intellectus ſolum recipere agnoſcitur,) initiabitur tamen eo tempore, quoniam iam adeſt principium, quo talis actio poſsit in actum exire, & ab intellectu elici, complebitur autem, quando aderit terminus intellectionis, quando inquam intellectus merito ſpeciei impreſſæ conſtitutus in actu ſufficienti, vt poſsit agere, & intelligere, mox agit, & intelligit. Rurſus, cum omnis completa intellectio de qua nunc loquimur, ſit prorſus actualis, per ſpeciem impreſſam non eſt intellectus in actu vltimato, ſed in potentia adhuc ad actualem intellectionem, vt clare habemus tertio de Anima 8. & vt ratio conuincit, nam intellectus

vbi

vbi acquiſiuit ſpecies alicuius cognoſcibilis,& firmiter illæ ſibi adhæſerunt, li eas ſpecies apud ſe retinet,vt contra Auicennam docet, ac probat Auctor ſecundo con.Gent.74.& prima par.quæſt.79.art. 6. eiuſdem Auicennæ motiuũ reijciens; Quod ſi ſpecies illæ ſufficerent ad actualem, & omnino completam cognitionem,iam vbi intellectus alicuius rei ſpeciem obtinuit, ſemper eandẽ actu ſpecularetur, quod eſt contra experientiam, veluti quoniam ſufficiunt illæ ad habitualem notitiam,ſemper intellectus præditus ſpeciebus, dicitur in habitu intelligere,vnde ab Alexan.primo illo de Anima cap.11.& 14. ſtatuebatur intellectus in habitu; Præterea, ſi ſpecies impreſſa ſe ſola ſufficeret ad conſtituendum intellectum in actu cognitionis completo,male diceret Ariſtoteles loco relato tertij de Anima, quod vbi intellectus factus eſt ſingula ſciens, tunc poteſt ſpeculari,oportuiſſet enim dicere, quod actu ſpeculetur, & non quod ſit in potentia, & falſo 8. Phyſ.32. dixiſſet,quod qui habet ſcientiam,(beneficio ſcilicet ſpecierum impreſſarum,) potentia eſt ſciens quodammodo, ſed non velut & antea,quam diſceret,dicendum vtique ſibi erat, quod eſt omnino in actu,& non quod ſit in potentia.

D.Thom. Alexan. Ariſtotel.

Neque te moueat Zabarella libro ſuo de ſpeciebus intelligibilibus qui 18. eſt inter illos 30.qui cap.6. adhærens Auicennæ,nititur probare,ſpecies non remanere poſt intellectionem, & inducitur argumentis, quæ iam confutauit Iandunus quæſtione 16 tertij de Anima,ſed ipſe ait debiliter eſſe ſoluta,& tamen non aperit hanc debilitatem,immo ex doctrina Auctoris,& Caiet. locis præfatis,ſaltem præcipua eius fundamenta ruunt. Vide etiam Marcum Antonium Genuam,quæſtione ſua ad octauum illum tertij de Anima,recte probantẽ ſeruari ſpecies,& eaſdem non eſſe ipſam intellectionem,teſtimonio Ariſtotelis,& Græcorum; At de hoc aliàs, ſi quando de ſpeciebus intelligibilibus data opera tractauero, illud nunc ſufficiat, motiua Zabarellæ apud Iandunum probe, atque formaliter confutata legi.

Zabarella. Iandunus. Genua.

Licet itaque ſcientiam habeat homo merito ſpecierum intelligibilium, adhuc tamen dum non actu contemplatur,eſt in potentia ad ipſam actualem cõtemplationem, ſed diuerſimode, quoniam ante receptionem ſpecierum erat in potentia eſſentiali, nedum ſcilicet ad operari, ſed & ad poſſe operari,& ad formam,vbi autem ſpeciem recepit,iam principio præditus eſt, quo poſſit operari,& intellectionem elicere,vnde eſt ſolum in potentia ad actum ſecundum, & ad operationem. Vbi illud obiter aduerte,non eſſe idem dicere,hoc eſt in potentia eſſentiali,& dicere, hoc eſt in potentia ad ſubſtantiam, vel ſubſtantiali, nam & potentia eſſentialis in propoſito dicit ordinem ad aliquod accidentale, puta ad intelligere, & materia prima dumtaxat antequam recipiat formam,eſt in potentia ſubſtantiali ad ipſam, per formam enim collocatur in eſſe abſolute, at meus intellectus dicitur in potentia eſſentiali, accidentali tamen, (hoc eſt, ad accidens,) ad quid intelligendum,cuius ſpeciẽ non habet apud ſe,actuatus vero ſpecie,eſt in potentia accidentali,adeo vt nomine potentiæ eſſentialis accipiatur in hac materia negatio illius actus,ſeu formæ, ſeu complementi, quo quid in actu primo conſtituitur,quamuis in eſſe accidentali, potentia vero accidentalis importat remotionem ab actuali ſolum operatione,& ab actu ſecũdo. Aduerte quoque,quod non quæuis potentia ad actum,aut formam poteſt dici eſſentialis, nam intellectus in actu primo per ſpeciem conſtitutus ponitur à nobis in potentia adhuc ad formam, vtpote ad ſpeciem expreſſam formandam, vnde ſub intelligibili ſpecie poſitus, foret adhuc in potentia eſſentiali,

Diſcrimen inter eſſe in potẽtia eſſentiali, & potentia ad ſubſtantiã.

Quæ potentia eſſentialis. Quæ accidentalis.

(vt

(vt ſibi ſuadebat Durandus in primo diſtin. 27. quæſt. ſecunda, quarta ratione principali contra nos arguens,) quod eſt contra ea quæ docemus, ſed quando dicitur potentia eſſentialis reſpicere formam, intelligitur de forma, quæ antecedat operationem, & ad eam concurrat in ratione principij, non autem de forma, quæ ſequatur operationem, & concurrat vt terminus, & vt adhibeam vocem Caiet. prima par. quæſt. 27. art. primo, intelligitur de forma præuia actui, conſtabit autem, ſpeciem expreſſam non habere rationem principij in intellectione, ſed termini, non antecedere intellectionem, ſed terminare, & eam quodammodo comitari, &c. Caietanus.

Nota quarto, quod dum intellectus intelligit aliquid, adeſt primo ipſe intellectus, obiectum deinde quod intelligitur, actio ipſa, ſcilicet intellectio, aliquid ſeruiens intellectui, vt principiet intellectionem, & vltimo aliquid, quod candem intellectionem terminet; Illud igitur quod vt principium deſeruit intellectui, eſt ſpecies intelligibilis, nám omne agens agit merito ſuæ formæ, vnde ex diuerſitate formarum, quibus idem quoque agens agit, proficiſcitur diuerſitas effectuum; Dico autem intelligibilem ſpeciem inſeruire intellectui tamquam principium, non enim mihi placet eam vocare principium intellectionis abſolute, cum intellectus ſit illud principium, ſed eam cum Caiet. vbi ſupra, & alijs appellabo comprincipium, nam ſimul cum intellectu eſt principium intellectionis. Et quidem intellectio vt ſic, vt actio eſt, ab intellectu, tamquã à principio, vt autem eſt huius, vel illius rei intellectio proficiſcitur merito ſpeciei, hac enim actuatus intellectus, intelligit hoc, alia, aliud. Non cenſeas autem, eo modo intellectum concurrere ad intellectionem per ſpeciem, quo modo aqua calida ad calefactionem, vt enim docte dicebat Caiet. prima par. quæſt. 79. ar. 2. tunc ſola ſpecies actiue cauſaret intellectionem, ceu ſolus calor eſt cauſa calefactionis, & intellectus non cauſaret intellectionem, niſi tamquam ſuſtinens rationem intelligendi, velut aqua calefacit, nõ niſi vt ſubiectum, & ſuſtentatiuum caloris, nam ſi calor poſſet eſſe per ſe, & non foret in aqua tamquam in ſubiecto, æque calefaceret, velut æque calefacit, quando eſt in alijs ſubiectis, puta in lapide, ligno, &c. & aqua ipſa remoto calore nullam virtutem habet in ſe, vnde calefaciat, ſed oppoſitam vim obtinet: Hæc autem cogitare de intellectu, rude nimis eſt, quandoquidem remota ſpecie intelligibili habet in ſe radicalem virtutem, qua poſſit intelligere, licet non formalem, non exactã, quam intellige ibi à Caiet. ab intellectu arceri, ſic enim de ſe nullam agendi vim haberet, neque factus in actu per ſpeciem ageret, ſicut quoniam diaphanũ nullius eſt virtutis actiuæ, ideo neque à receptione ſpecierum coloris agit, factus itaque in actu ipſum intelligibile, habet rationem agendi formaliter, quã antea non niſi in radice, & inchoatiue obtinebat; cumque intellectus non acquirat ipſum intelligibile, ſed in illud tranſeat, ipſumque actu fiat, vt prædocui, ſequitur, quod hoc totũ, intellectus videlicet in primo actu, (ſemper enim modo loquimur de ſpecie impreſſa,) agat, cum iam ſit vis animalis facta in actu, vt ex eodem Caiet. in obſeruationibus ad hanc partem inſinuabam; Eſt igitur ſpecies impreſſa comprincipium intellectionis, & cum ea ratione ſit cõprincipium, vt ſpecies formaliter eſt, & vt repræſentans, non autem vt res quædam, vel qualitas, ſequitur, quod obiectum ſit præſens intellectui merito illius ſpeciei, tamquam comprincipium, ſed quoniam hoc non ſufficit, cum exigatur, vt præſens ſit etiam in ratione obiecti formaliter, quod nihil aliud eſt, quam in ratione termini, (obiectum enim vt ſic non dicit cauſam, ſed ſolum terminum,)

Quot ad intellectionem cõcurrant.

Caietanus.

Quæ virtus ad intelligẽdum, inſit intellectui ante ſpeciei receptionem.

Quid dicat obiectum.

num,) hoc fit munere ſpeciei expreſſæ, quæ niſi ponatur, obiectum intellectus non eſſet intra intellectum, (quod tamen eſſe debere docet Ariſtoteles ſecundo de Anima 59. & 60.) actualitate actus ſecundi, quippe quod nequit præſtari à ſpecie impreſſa, cum hoc ſit munus termini, illa vero partes gerat comprincipij.

Cur ſtatuitur ſpecies expreſſa.

Quapropter ſtatuitur ſpecies hæc expreſſa, quoniam impreſſa non eſt ſufficiens ad conſtituendum intellectum in actuali intellectione, & quoniam in eius receptione intellectus paſſiue tantum ſe habet, cum tamen intellectio nō ſit pura paſſio, ſed actio vitalis, & quoniam obiectum formaliter, vt obiectum, & vt terminus, intra intellectum ponendum eſt, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid ſit ſpecies expreſſa.

Scotus. Caietanus. Torres. Bannes. Definitio ſpeciei expreſſæ.

Circa huius ſpeciei expreſſæ, ac verbi eſſentiam, & in quodquideſt ipſius aſſignando, (eo modo quo accidentia habent eſſentiam, & quodquideſt) varij varie opinati ſunt, & quinque opiniones recenſentur à Scoto 22. diſt. primi ſent. & nonnullas habes à Caiet. & Torres, & Banneſio primo illo art. q. 27. primæ par. quas vide ſi placet; ipſe enim eam dumtaxat verbi definitionem adferam, quæ vera eſſe viſa eſt, & quæ colligitur ex Auctore, & ex eius ſchola vniuerſa; Quare dicemus, conceptum hunc, & verbum eſſe formalem ſimilitudinem, & expreſſam rei cognitæ, quam intellectus per intellectionem in ſe producit, ac format, & ſic eſt terminus intellectionis.

D.Thom.

Quæ definitio dilucide colligitur ex ipſo prima parte loco allegato, & primo con. Gent. 53. & quæſt. de Potētia Dei octaua, art. primo. Dicimus eſſe ſimilitudinem, non quidem ipſius intellectus, ſed obiecti, quod intelligitur, loquendo quādo intellectus intelligit aliud à ſe, vnde quamuis hæc ſpecies oriatur ab intellectu, non tamen ipſum repræſentat, ita Auctor loco mox memorato de Potentia Dei dicebat, hanc ſimilitudinem ab alio oriri, & aliud repræſentare. Nota tamen diligenter, quod quoniam omne agens agit ſibi ſimile, quia forma eſt ratio agenti vt agat, ideo quod fit, eſt ſimile formæ, non autem agenti abſolute, & quoniam forma per quam intellectus producit hanc ſpeciē expreſſam, eſt impreſſa ſpecies, quam nullus ignorat eſſe ſimilitudinem rei intellectæ, immo rem ipſam vt intellectam, (accipe ſemper in habitu, & actu primo,) iccirco ſpecies expreſſa eſt ſimilitudo rei intellectæ, nō ipſius intellectus, ſic eſt ſimilis formæ, per quam intellectus agit, ſic veritatis plenum eſt, quod docet Auctor prima parte, quæſt. 41. art. 5. quod omne producens aliquid per ſuam actionem, producit ſibi ſimile, quantum ad formam qua agit; Quod ſi ſubtilius velles ſpeculari, poſſes dicere, ſpeciem hanc expreſſam eſſe nedum ſimilitudinem rei, quæ intelligitur, ſed & intellectus, non quidem vt res quædam eſt, vel vt intellectus abſolute, ſed quatenus eſt principium productiuum ipſius ſpeciei expreſſæ, & quatenus formaliter in hac productione conſideratur, iam enim ponitur in actu per ſpeciem impreſſam, dum dicitur elicere intellectionem, & alteram hanc ſpeciem producere, at dum eſt ſub ſpecie, iam tranſi-

Species expreſſa cuius ſit ſimilitudo.

D.Thom.

Cuius etiā ſit ſimilitudo.

tranſiuit in ipſum intelligibile in actu primo, & habitu, & factus eſt ipſum intelligibile, quare nedum eſt ei ſimile, ſed eſt ipſamet res intellecta, quocirca ſi verbum ſit ſimile rei intellectæ, erit & ſimile ipſi intellectui, vt ſic, neque hoc eſt contra Auctorem, ſeu me ipſum, qui ab illo edoctus dicebam, non eſſe ſimile intellectui, ſed rei intellectæ, nam diuerſa conſideratio de ipſo intellectu in cauſa eſt, vt diuerſa de eodem vere pronuncientur.

Dicitur hæc ſimilitudo, expreſſa ab intellectu per intellectionem, & hoc patet ex antehabitis; Neque turberis, quod ipſa intellectio ſit in genere actionũ immanentium, de quibus loquens Ariſtoteles nono Diuinorum 16. dicebat, nihil per eas produci, iam enim ad hæc & ſimilia argumenta, quæ aduerſum nos Scotus, & Durandus locis allegatis, & alij etiam objiciunt, habes apud Auctoris diſcipulos locis non ſemel citatis, quomodo multiplici via reſpondeas, & primo dicendo, nihil per actiones immanentes produci neceſſario, nihil tamen prohibere aliquid produci, vnde permiſſiue aliquid per ipſas producitur, ſecundo, quod per ipſas nihil producitur, quod ſit nobilius ipſa actione, vel ad quod ipſa actio ordinetur, produci tamen quidpiam ignobilius ipſa, & quod in eius gratiam ordinetur, tertio, quod per eas nihil producitur extra, cum quo tamen ſtat, aliquid ad intra produci, quod maneat in ipſo producente, & reſpiciat ipſum nedum ſub ratione principij ſed etiam ſubiecti. Ariſtotel. Scotus. Durand. Quomodo vijs varijs nihil per actiones immanentes produ catur.

Applica intellectioni, relatione ad verbum, & dic illam hoc permiſſiue producere, dic illud non eſſe illa nobilius, neque hanc ad illud ordinari, ſed e contra, (non enim intelligo, vt producam verbum, ſed produco verbum, vt intelligam,) denique dic, verbum non exire extra intelligentem, ſed in ipſo manere; Et quæuis ſolutio eſſe poteſt verbis Ariſtotelis conſentanea, optime enim ſaluatur differentia, quam ibidem vult docere inter actiones tranſeuntes, & immanentes, nam ſemper per tranſeuntem producitur aliquid, ceu per ædificationem ædificatiua domus, (& eſt exemplum, quo ibi vtitur Philoſophus,) Rurſus, domus eſt finis ædificationis, & ad eam ædificatio ordinatur, & tandem patet, domum eſſe quid extra productum; Et ex ſecunda interpretatione horum verborum Ariſtotelis habes & alterius argumenti, quod ijdem nobis opponũt confutationem, non enim ſequitur, verbum eſſe nobilius intellectione; Quod ſi dicant, productum per operationem, eſſe nobilius ipſa operatione, audiant Ariſtotelem ſub initio primi cap. primi Ethicorum dicentem, quod in ijs, quorũ præter actiones fines aliqui ſunt, in his opera ipſa, (hoc eſt, producta per operationes,) cẽſentur præſtãtiora ipſis operationibus; at verbũ non eſt finis intellectionis, ſed intellectio eſt finis verbi, producitur nãque in eius gratiã, vnde poteſt habere rationẽ vltimi, at non vere finis, ſeu finalis cauſæ, & inter vltimũ, ac finem, latũ eſſe diſcrimen habes ab Ariſt. ſecũdo Phyſ. 23. dicente, poetam illũ deriſorie fuiſſe locutum, dum inter hæc nihil diſcernebat; Et vno verbo, quod productum ſit nobilius productione, in tranſeuntibus actionibus ſolum tenet. Ariſtotel. Quando productum ſit nobilius productione.

Dicitur hæc ſpecies terminus intellectionis, eo ſcilicet ſenſu, qui nunc innuebatur, hoc eſt, illud quod terminat, & eſt vltimum eius. Scias nihilominus, quod Auctor de hoc verba faciens loco memorato primi cont. Gent. 53. dixit, quod erat quaſi terminus intelligibilis operationis, vbi appoſuit ly *quaſi*, multiplici ratione, vt imaginor, primo vt innueret, quod diximus, non eſſe ſcilicet terminum abſolute, quaſi finem, ad quem ordinetur intelligibilis operatio, cum res e contra ſe habeat, vt dictum fuit; deinde, quoniam velut ſpecies impreſſa rationem habebat principij non abſolute, ſed comprincipij, ita de hac D.Thom. Quare verbũ dicatur quaſi terminus intellectionis.

ſpecie in ratione termini ſentiendum eſt, vt nimirum potius vocetur contermi nus, ſimul videlicet cum intellectu hanc actionem terminans, nam certe, vt intellectus eſt principium ſuæ operationis, ita & terminus, hoc eſt, ceu initiatur, ita & terminat, & hæ ſpecies ſunt ei rationes, quibus & det principium, & terminum ſuæ actioni, tertio, quoniam vere loquendo obiectum, & res ipſa eſt terminis intellectionis, vnde quæſtione illa de Potentia Dei memorata dicebat, intellectum formare conceptionem, qua mediante refertur ad rem, nam ſi abſolute cōceptio iſta foret terminus intellectionis, iam intellectio eſſet de ſpeciebus, non de rebus, quod eſt fatuum, quodque reijcitur ab ipſo prima parte q. 85. art. 2. & alibi ſæpe; Verum tamen eſt, quod ſi ſpectetur verbum, non vt res quædam eſt, ſed formaliter, idem prorſus eſt quod obiectum ipſum in re, quamuis differat in modo eſſendi, vt infra videbimus.

D. Thom.

Inter hæc obſerua, quod ex quacumque notitia, ſeu ex quouis actu intelligendi dicimus produci verbum, & non ſolum ex notitia perfecta, quoniam vt recte ait Capreolus diſt. illa 27. ad decimum eorum, quæ ſecundo loco aduerſus primam concluſionem adducta ſunt, quemadmodum datur multiplex gradus cognitionis, ita adeſt multiplex gradus verbi, & perfecti ſcilicet, & imperfecti, vnde non ſequitur, vt illorum, quæ exili cognitione attingimus, non habeamus verbum; Vbi ſcias, non ſe conſequi hæc duo, adeſt cognitio per ſpeciem intelligibilem, & adeſt cognitio imperfecta, quoniam licet verum ſit, omnē cognitionem poſſe dici imperfectam, quando ſola ſpecies intelligibilis inuenitur, tunc enim habitualiter ſolum res cognoſcitur, non tamen omnis cognitio eſt imperfecta, quia adſit ſola ſpecies impreſſa, nam aliquando adeſt etiam & expreſſa, & tamen eſſe poteſt imperfecta notitia, nō eo ſenſu, vt ſit habitualis, ſed quoniam imperfecte nonnumquam verbum repræſentabit, vnde erit terminata illa notitia, (ſemper enim dum adeſt ſpecies expreſſa, terminari accipitur intellectio,) ſed imperfecta erit; Immo proprie loquendo cognitio in aduentu ſolius ſpeciei intelligibilis nequit dici abſolute imperfecta, ſed habitualis vocanda eſt, & in ſui principio, nam ſpecies illa in ordine ad intellectum noſtrum non parit alio modo notitiam, niſi quod intellectum in actu conſtituit, vnde poſſit intellectionem incipere, poteſt tamen dici imperfecta, comparata ſibi ipſi, quando erit terminata, nam & ſpecies illa eſt actualis rei ſimilitudo, at habitualis in ordine ad intellectum, vt adnotaſſe viſus eſt Ferrarien. q. 8. tertij de Anima.

Capreol.

Quomodo ſe habeât cognitio per ſpeciē intelligibilem & cognitio imperfecta.

Ferrarien.

Quamuis autem perfectior appareat ſpecies expreſſa, quam impreſſa, propterea quod lucidius, & articulatius repræſentet obiectum, ex alio tamen capite, impreſſa dignior oſtenditur, quoniam habet rationem actiui, & comprincipij, & firmior eſt, ac permanens in intellectu poſt actualem intellectionem, quod non eſt verum de ſpecie expreſſa vt ſic; Rurſus, aliquando expreſſa hæc ſpecies non exprimet id omne quod relucebit in impreſſa, vnde & hac ratione, illa eſt hac imperfectior; denique non eſt ſola ſpecies impreſſa, quæ producat, & ſit cauſa illius intentionis, ſed intellectus in actu cum ipſa ſpecie, vnde non eſt cur dicatur nō poſſe ab impreſſa ſpecie produci expreſſa, quoniam cauſa ſit dignior effectu, &c. Neque ſequitur proceſſus in infinitum in ſpeciebus, quoniā non eſt ſomniandū, ſpeciē expreſſam, aliā cauſare ſpeciē, & ſic de alijs, vt ſuſpicari viſus eſt Durandus nominato loco, iam enim dicimus ipſam terminum, & obiectum intellectionis; quærere autem, quare terminus non ſit cauſa alterius, eſt quærere, quare finis nō ſit principiū, & quare terminus ſit terminus.

Comparatio inter ſpecies impreſſam, & expreſſam.

Durandus.

Neque

Neque obſtat, quod ſit perfectior; quam impreſſa, & tamen illa cauſet ſpeciem, iam enim vidimus, quomodo ſit, & non ſit perfectior, & totam eius perfectionem in eo docemus eſſe conſtitutam, vt lucidius ſit obiecti repræſentatiua; & addo, quod accidit ſpeciei vt ſic, aliam ſpeciem cauſare, nam quod per ſe eſt de ratione ſpeciei, eſt repræſentare, ſunt enim in numero illarum rerum, quas natura fecit, vt repræſentarent, non vt eſſent, niſi concomitanter, & ſpecies vt ſpecies, ſunt rerum ſimilitudines, non res, niſi neceſſitate concomitãtiæ, quare vis nobilitatis earum vt ſic, facienda eſt in eſſe ſimilitudinis, & repręſentatiui. Quapropter, vanum eſt argumentum, ex nobilitate ſpeciei, arguere actiuitatem, quo fit, vt in ratione ſpeciei vt ſic, & formaliter, libenter concedam, ſpeciem expreſſam digniorẽ eſſe impreſſa, ob perfectiorem ſcilicet repræſentationẽ, licet alijs nominibus impreſſa ſpecies queat dici excellentior, vt patuit. Quid ſit de ratione ſpeciei.

Cæterum dices, ſi verbum producitur per actum intelligendi, & per intellectionem, iam igitur intellectio præcedit verbum, quomodo igitur ſtat, quod dicimus, verbum eſſe neceſſarium in intellectione, ſi prius quam adſit, præceſſerit intellectio? Huic dubio occurrens Torres loco allegato primę partis priori parte quintæ diſputationis ait, quod verbum producitur per rem, quæ eſt actus intelligendi, & per rem illam, quæ eſt intellectio, at nõ formaliter quatenus eſt intellectio, & actus intelligendi, quoniã inquit verbũ eſſe prius intellectione, & conſtat id quod prius eſt, nõ poſſe produci per id quod poſterius eſt, quod videtur prius voluiſſe Paulus Soncinas in epitome ad Capreolũ, quando in primo, diſt. illa 27. quæſt. ſecunda ad finem argumentorum cõtra primam concluſionem dixit, quod poteſt eſſe entitas, quæ eſt intellectio, non exiſtente verbo, tamen non eſt intellectio, niſi dum terminatur ad verbum, vnde ait, quod logicaliter diceretur intellectio eſſe non exiſtente verbo, nõ tamen eſſe intellectio. At hæc reſponſio, & doctrina abeſt à vero, fatetur enim Torres, & omnes qui ad aures Auctoris ponunt verbum, quod ſit terminus intellectionis productus per ipſam, quod ſi producitur per ipſam, quomodo eſt prius ipſa? vtendo argumento ſuo ab oppoſito, quoniã quod producitur, nequit eſſe prius producente; Neque dicendum eſt, produci per intellectionem, quatenus actio eſt, non quatenus intellectio, tum quoniam per omnem actionem intellectus, vt res eſt, poſſet dici, quod produceretur, tum quoniam procedit ab actione intellectus, prout eſt in actu per ſpeciem, quæ ſane actio eſt vera intellectio, & formaliter, ſecus nihil ad intellectionem vt ſic conferret ſpecies impreſſa, ſi non daret intellectui, vt eliceret intellectionem formaliter. Dubium. Soluitur à Torres. Soncinas. Impugnatur illa ſolutio.

Alij viri doctiſſimi ſuper eundem locum videntur concedere, quod verbum ſit prius intellectione in genere cauſæ formalis, tamquam ſpeciem dans illi intellectioni, at in genere cauſæ efficientis, intellectionem præcedere verbum, & quidem hoc ſecundo prolatum veritatem habet, ſed quod verbum præcedat intellectionem, non placet, & licet ſit obiectum, ac det ſpeciem, tamen dum dicitur eſſe obiectum, dicitur terminus, & ex conſequenti dare ſpeciem tamquam terminus, non tamquam quid prius; accedit, quod ſpecies etiam impreſſa eſt obiectum, & dat ſpeciem intellectioni, (ideo enim hoc intelligo, quia meus intellectus eſt informatus hac ſpecie, & aliud, quia alia ſpecie, vt ſuperiori art. dicebam,) quare ipſa præbet ſpeciem, tamquam principium, & ſi hoc non dicatur præſtare, quid præſtabit? Quare facile dico pro ſolutione, intellectionem dupliciter poſſe conſiderari, & ſcilicet vt eſt in fieri, iam incæpta, & Aliorum ſolutio. Nõ probatur. Apta ſolutio.

vt eſt terminata, vel vt eſt in habitu, & vt eſt in actu, vel vt eſt in actu primo, & vt eſt in actu ſecundo, omnia namque hæc idem referunt in propoſito; Intellectio priori via conſiderata eſt prior verbo, ipſum præcedit, ipſum producit, poſteriori ſenſu accepta, eſt quodammodo poſterior ipſo, hoc eſt, merito ipſius completur, & ſine ipſo non eſt completa, & terminata, ſicut & motus eſt prior termino in fieri, & in fluxu, & in via, at in facto eſſe adeſt terminus.

Quomodo intellectio ſit prior verbo.

Quando igitur dicimus, ſpeciem expreſſam requiri ad intellectionem, intelligimus de intellectione completa, terminata, & in facto eſſe, quando vero dicimus, intellectioné præcedere ſpeciem expreſſam, loquimur de intellectione in via, & in fieri, & ad terminum tendéte, quam vere ſentio eſſe intellectionem, nedum entitatem, ſeu logicaliter, ſed vere omnino, non tamen completã, aut terminatam, de qua ſola procedunt ſi quæ ſint motiua; At ex eo quod non ſit in facto eſſe, & completa intellectio, negare omnino quod adſit intellectio, leuiſſimum viri graues autumabunt, &c.

Et quidem, ſi intellectio non fiat in inſtanti, ſed temporis ſucceſſu, & nonnulla intercedat duratio, cuiuſdamque motus continuitas, res facillima eſt captu, quomodo imperfecta intellectio, & in via dicatur antecedere verbum, ſin autem fiat in inſtanti, vt colligitur ex tertio de Anima 28. quod ibidem docet Auerroes, & alij, & apparet mens Auctoris tertia part. quæſt. 34. art. 2. tota prioritas de qua locuti ſumus, accipienda eſt per modum naturæ, & cauſalitatis, non per modum durationis; quamuis poſſet forſan dici, diſtinguendo de intellectione, vt quo ad ſpeciei receptionem, & ſecundum illud iudicium imperfectum, & qualemcumque apprehenſionem, intellectio ſit in inſtanti, quo vero ad exactam notitiam, & plenum de rebus iudicium, aliquando fiat in tempore, vt cernere eſt in illis, qui vbi quidpiam attigerunt, iugi, & continuata contemplatione in eodem obiecto verſantur, vt rectius illud poſſideant; immo res ipſa docet, poſſe quempiam multo tempore continuare actum ſcientiæ circa aliquam concluſionem, quemadmodum & viſio quamuis fiat in inſtanti, poteſt nihilominus per multum temporis continuari, quod ſi quis vim faceret, dicens, in primo inſtanti illius contemplationis productum eſſe verbum, licet deinde perſeueret contemplatio, meminerit iſte, me in eo caſu loqui, dum intelligimus rem partim notam, partim ignotam, adeo vt non niſi in fine ſpeculationis obiectum ponatur perfecte intelligi, non autem loqui de contemplationibus illis, in quibus habita plena rei notitia, in eadem immorantes, nobis complaceamus, &c.

Ariſtotel. Auerroes. D. Thom.

Illud etiam circa verbi naturam aduerte, quod cum duo reſpiciat, & intellectum ſcilicet à quo exprimitur, & rem quam ipſum exprimit, vt hoc eodem articulo innuebatur, poterit contineri ſub claſſe eorum nominum quæ important non abſolutum præciſe, neque relatiuum omnino, ſed vtrumque; eſt ſiquidem qualitas quædam realis intentionalis, (ecce abſolutum,) dicens relationem ad intellectum, & rem, ecce reſpectiuum; Ita mihi placet ſententia Torres loco non raro memorato diſputatione ſecunda, dicentis conceptum hunc importare relationem ad intelligentem, vel dicentem, & ad rem dictam, nequit enim negari, quin referatur relatione effectus ad cauſam in ordine ad intellectum, & relatione ſigni, ſiue manifeſtantis, ad ſignatum, & manifeſtatum, in ordine ad rem cuius eſt conceptus; diſplicet autem

Torres ſententia.

tem

tem quod ſubdit, quod videlicet dicere importet relationem realem ad conceptum, quoniam certe dicere, eſt vera actio immanens, ac proinde nequit proprie vocari relatio, ſed potius qualitas, vt 6. art. conſtabit, & in hoc ſenſu tantum militant argumenta Doctoris recentioris contra ipſum formata ſuper eundem primæ par. articulum.

Quod autem conceptus, ſeu verbum ſit quid relatiuum, & relationem importet ad intelligentem, vltra inductam rationem, quæ ſufficiens eſt, adeſt & ſententia Auctoris p.p. q. 34. art. 1. ad tertium, & art. 3. ad quartum, & Caiet. ibidem. Et quidem in diuinis, verbum eſt relatiuum ſecundum eſſe, quoniam eſt relatio ſubſiſtens perſona illa diuina, quæ eſt Verbum, & relatione geniti refertur ad Patrem gignentem, &c. In nobis autem res videtur eſſe dubia, num ſit relatiuum ſecundum eſſe, & dicerem, quod ſi ſpectetur vt res, & qualitas quædam, non eſt relatiuum ſecundum eſſe, ſi vero conſideretur vt verbũ formaliter eſt, credo quod ſit relatiuum ſecundum eſſe, quoniam verbum vt ſic nihil aliud eſt, quam ſimilitudo, quam conſtat eſſe veram, ac formalem relationem, & quæ ſimilia ſunt vt ſic, vere ſunt relatiua, vnde poſt relationem illam, qua vt effectus refertur ad cauſam ſuam, ad intellectum nimirum ipſum exprimentem, (quam communem habet cum omnibus aliis rebus productis,) exiſtimo relationem, qua refertur ad rem, cuius eſt conceptus, eſſe ſibi maxime eſſentialem, loquendo ſemper de ipſo formaliter, & vt ſic; & potior iudicio meo eſt hæc relatio in ipſo, quam fuerit illa, qua intellectum reſpicit, licet hæc intelligatur præcedere illam, at relatio hæc effectus ad cauſam communis eſt, omnibus aliis, quæ cauſata ſunt, vt dicebam, & nihil de ipſo conceptu peculiare, ac proprium in hoc adfertur, at relatio illa, qua reſpicit obiectum, cuius eſt conceptus, eſt ſibi eſſentialis, & peculiaris, quoniam vt ſic eſt eius ſimilitudo formaliter, & hic eſt ipſius finis, cum producatur, vt repræſentet, vt ſit ſimilis, quod ſi ab obiecto conceptus iſte exprimeretur, iam duplici relatione ipſum reſpiceret, & producti ad producens, & ſimilis, ceu hac duplici relatione refertur filius, qui eſt patri ſimilis ad ipſum patrem, quoniam autem hic conceptus vt ſic, & in actu exercito, nihil aliud eſt, quam ipſummet obiectum in eſſe intelligibili, ideo nequit eſſe realis hæc relatio, ſed rationis dumtaxat, puta eiuſdem ad ſeipſum ſub alia, & alia ratione, manifeſtantis ſcilicet, & manifeſtati, neque confugias ad ipſum, vt res, & qualitas, ei tribuendo relationem aliquam in ordine ad obiectum, nullam enim inuenies, quoniam vt res eſt, nequaquam ſimilis inuenitur, &c.

D.Thom.
Caietanus.

An verbum in nobis ſit relatiuum ſecundum eſſe.

Comparatio inter reſpectũ verbi ad intelligẽtem & ad rem intellectam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quo pacto expreſſa ſpecies intelligatur.

SEntiendũ profecto eſt, quod ſpecies iſta ſic formaliter, & in actu exercito, prout ſcilicet eſt ipſummet obiectũ in eſſe intelligibili, nedũ intelligatur vt quo, vel vt ratio, qua cognoſcatur obiectũ, ſed vt quod, & vt obiectũ; Sic expreſſe docet Auctor q. de Potentia 9. art. 5. dicens, hoc verbum eſſe primo, & per ſe intellectum, & quæſt. quarta de Veritate art. 2. ad 3. habet, conceptionem intellectus, nedum eſſe id quod intellectum eſt, ſed etiam id quo res intelligitur, vbi prius ponit, quod ſit intellectũ vt quod, quam vt quo; Sic Capreolus illa

D.Thom.

Capreolus

diſt.

Caietanus. Torres. Bannes.

diſt. 27. ad 3. primo loco aduerſus primam concluſionem, ſic Caiet. Torres, Bannes, loco ſæpe citato p.p. Et certe, cum eodem motu moueatur quis in imaginem, & in rem, cuius eſt imago, ex primo de Memoria, & reminiſcentia, cap. 3. ſi moueatur noſter intellectus in obiectum, cur ſimul non mouebitur in hanc ſpeciem, quæ eſt eius imago?

Ariſtotelis dubitatio. Themiſt.

Dubitationem mouebat ibi Ariſtoteles de memoria, quando excitatur ab aliqua rei imagine, vtrum imaginem illam recordetur animus, an illud vnde imago profecta eſt, vt inter cæteros clare exponit Themiſtius eodem libro, cap. decimotertio. Si enim recordetur imaginem, iam nihil abſens poterimus meminiſſe, nam illa imago eſt præſens, ſi autem obiectum, cuius eſt imago, quomodo poteſt hoc accidere, vt aſpiciens imaginem, magis recordetur illius rei, obiecti ſcilicet, quod non aſpicit, quam imaginis, quam tunc intuetur?

Ab eodem ſoluta.

Reſpondet Ariſtoteles, quod animal pictum in tabula, & animal eſt, & imago, & idem, & vnum eſt vtrumque in eſſe, hoc eſt ſubiecto, non tamen ratione, & conſideratione, quoniam conſiderari poteſt & vt animal, (materialiter ſcilicet, & in ratione rei,) & vt imago formaliter, ſic dum conſideratur vt imago, nobis offert id cuius eſt imago, & eſt vnum, & idem cum illa re, ſic inquit, accipiendum eſt de phantaſmatibus, quæ ſuſcipit intellectus, ſunt enim aliquid ſecundum ſe, hoc eſt quo ad rem, & materialiter, & ſunt alterius phantaſmata, & ſecundum ſe ſpeculamenta, aut phantaſmata ſunt, vel vt loquitur Themiſtius, ſpectra, & viſa, quatenus autem alterius ſunt, imagines, & memorialia ſunt, ſic poteſt eſſe hæc imago obiectum memoriæ, ſeu vt inquit Ariſtoteles, memoriale, & cum memoria ſit præteritorum, & hæc imago, vt res ſit præſens, ſequitur, quod non vt res intelligatur, ſed vt imago formaliter, nam quando conſideratur vt res, ſentitur ab anima, ait Ariſtoteles, & viſioni, ac imaginationi ſubiicitur, inquit Themiſtius, quando vero conſideratur vt imago, obiectum memoriæ eſt, quoniam obiectum, cuius eſt imago refert, quippe quod abſens eſt, quare hæc imago intelligitur vt quod, & eſt quid intellectum, aliàs ſi ſolum vt quo perciperetur, in illo motu in imaginem non attingeret intellectus rem abſentem, non recordaretur, &c.

Quid ſit imago vt ſic.

Sed vltra Auctoris, & Ariſtotelis, & aliorum auctoritatem, probatur & ratione, quoniam imago vt ſic nihil aliud eſt, quam id cuius eſt imago, non enim tunc ſpectatur ſecundum eſſe, & quo ad rem, ſed vt repræſentans formaliter, quare ſi id cuius eſt imago attingatur vt quod, ergo & imago, at non ſunt duo hæc quæ attinguntur, in quo decipi video, qui contrarium docent, & quoſdam recentiores graues p.p. loco nominato, dicunt enim cum Durando diſt. illa allegata, quod nos non lateret cognoſcere hunc conceptum, ſi eum vt quod, & vt obiectum attingeremus, cum numquam cognoſcens ignoret ſe cognoſcere rem, quam cognoſcit, & tamen nos non percipimus id cognoſcere, vbi clare nimis ſupponunt, conceptum, & obiectum eſſe quid diſtinctum, & duo cognita, & volunt nos cognoſcere duo, & hoc ſcilicet, & illud, cum tamen conceptus formaliter acceptus, & obiectum ſint vnum, & idem cognitum; Et hoc præuidit Auctor tertio ſenten. diſt. 14. q. 1, art. 1. quæſtiuncula 4. dum dixit, quod ratio cognoſcendi eſt forma rei, inquantum eſt cognita, quoniam per eam fit actu cognita, vnde ratio cognoſcendi, & res cognita ſunt vnum cognitum, & vtriuſque eſt vna cognitio, nam & forma, (inquit,) eſt ratio materiæ, cur exiſtat, & tamen vnum, & idem eſſe eſt materiæ, & formæ. Præterea arguo ſic; Vbi intellectus cognouit obiectum ſuum,

Durandi, & aliorum motiuum, nullum oſtenditur.

D.Thom.

poteſt reflecti ſupra actum ſuum, & cognoſcere ſe cognouiſſe, & inſpicere deinde conceptum illum, vt res quædam eſt, & in eſſe materiali, hoc nullus negabit, quoniam & verba Ariſtotelis mox allegata id innuunt & res ipſa docet; peto igitur, an in directa cognitione, quæ præceſſit, cognouerit intellectus conceptum illum, an non, ſi primum, habeo quod volo, ſi ſecundum, quid igitur effecit hic conceptus in cognitione? Dicetur, quod fuit ratio cognoſcendi obiectum, & fuit cognitus vt quo, at tunc omnis cognitio foret ratiocinata, & ex vno aliud cognoſceretur, & diſcernere ſemper oporteret inter rationem cogniti, & ipſum cognitum, cum tamen oppoſitum accidat, nã in inſtanti attingimus obiectum, & præterea obiectum intellectus, & cognitum debet eſſe intra ipſum intellectum, vt ex Ariſt. ſecundo de Anima, 59. & 60. dicebam art. 3. oſtendant autem iſti, quomodo obiectum vt cognitum erit intra intellectum, niſi conceptus ipſe, vt quod, & vt obiectum agnoſcatur, &c. Ariſtotel.

Colligamus itaque cum Caietano, quod dum diſtinguimus hunc conceptum vt res eſt, & vt conceptus formaliter eſt, omnia facile ſoluimus, & interpretamur. Dicitur autem ratio cognoſcendi, & cognoſci vt quo, nam ſine ipſo non agnoſceretur obiectum, ſed dum obiectum cognoſcitur, non fit hæc ratiocinatio, vt & quo, & quod cognoſcatur, ſed poſtea cognoſcere valet intellectus, quod fuerit ratio cognoſcendi, &c. Caietanus.

Id poſtremo circa hunc conceptum, & ſpeciem expreſſam in communi aduertas, aliquos ſentire, vt non realiter, ſed formaliter ſolum diſtinguatur ab intellectione, ceu diſtinguitur terminus motus à motu, quam opinionem placuiſſe doctiſsimis magiſtris Victoriæ, & Soto, narrat Torres prima parte diſputat. ad locum p. p. millies relatum, quibus & adhæſit ibidem grauiſſimus ſcriptor noſtri temporis, & omnia Auctoris loca, ex quibus elicitur diſtinctio verbi ab actu intelligendi, explicant de formali diſtinctione, non autem reali. Alii vero cenſent, realem eſſe diſtinctionẽ inter actum intelligendi & verbum, ſic Caiet. Torres, Banneſius eodem loco p. p. & Ferrarienſis 1. cont. Gent. cap. illo 53. prope finem, quæ ſententia mihi probatur, & arbitror eſſe Auctoris, nam eius verba in hoc negotio ægerrime ſuſtinent interpretationem de diſtinctione ſolum formali, vt Torres, & Bannes obſeruarunt, ſed & rationes non deſunt, quarum duas innuit cap. illo Ferrarienſis, & alias adfert Banneſius, quas cum adhuc non viderim ſolutas, validas iudico, cum enim verbum ſit id quod intelligitur, ſequitur, vt non ſit ipſa intellectio, ſed ab ea re diſtinguatur, velut quod videtur non eſt actio, quæ eſt videre, & hæc vnica ratio ſufficiens apparet. Quapropter, non ex eo præciſe, quod intelligere ſit actus perfecti, non tendentis de potentia ad actum, docet Ferrarienſis, & nos cum ipſo, conceptum differre realiter ab actu intelligendi, ſed & ex eo, ac potiſſimum, quod eſt obiectum ipſius intellectionis; ſic licet alii termini motuum non differant realiter à ſuis motibus, quamuis etiam ſint motus quidam inſtantanei, vt illuminatio &c. hoc nihil obſtat, quoniam non ſunt obiecta illorum motuum, ſic nihil eſt, quod contra Ferrarienſis reſponſum excogitauit vir ille loco p. p. allegato. Accedit, quod parum nimis deberet quis ſolicitus eſſe de ſtatuendo hoc conceptu, quandoquidem re ipſa eſſet tãdem idem, quod intellectio, & ſicut nullus negat intellectionem, ita nullus negaret conceptum, & parum differremus a Scoto, & Durando ponentibus verbum eſſe ipſam intellectionem, nam hoc modo formaliter ſolum diſtinguitur, quod ipſi non negarent.

Quorundam ſententia.

Opinio Caiet. Torres. Bannes. Ferrar. D.Thom.

Rationes pro ſententia poſteriori.

rent: Denique omnis intellectio eſſet cognitio reflexa, quoniam eſſet cognitio verbi ab ipſa non realiter diſtincti, ita cum in omni intellectione cognoſcatur verbum.(quod ſupponitur, vt pote mox declaratum, & probatum,) iam cognoſcetur aliquid vt eſt pars intellectionis, & ſic reflexa ſit omnis cognitio, & cet.

Colliguntur [illegible] hucuſq; dicta.

Ex quibus omnibus colligas quambreuiſſime, ſpeciem hanc expreſſam eſſe formalem, & actualem rei intellectæ ſimilitudinem, productā ab intellectu per actum intelligendi, terminum, & obiectum intellectionis, intra ipſum intellectum manentem, cognitam vt quo, & quod, & re ab intellectione diſtingui; Colligere etiam potes ex te ipſo varia, in quibus diſcriminetur à ſpecie impreſſa, præcipue ex doctrina art. præcedentis, vnde vanum conuincitur argumentum illud, quo dicitur, ad poſitionem harum ſpecierum impreſſæ, & expreſſæ in noſtro intellectu ſequi, vt in eodem ſint duæ formæ eiuſdem ſpeciei, quandoquidem neque in eſſe vt ſic, neque in repræſentari ſunt eiuſdem ſpeciei, quoniam in eſſe, altera eſt comprincipium, altera conterminus, in repræſentari, altera in habitu, altera in actu vltimato, &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

Quando locum habeat vtriuſque ſpeciei neceſſitas, & quid ſit intellectio.

QVæ hactenus docuimus de his ſpeciebus, accipi debent relatione ad noſtrum intellectum, dum in hoc ſtatu ſumus; Nos enim ſcientiam à rebus deſumentes, & nihil ſine phantaſmate intelligentes ex 30. & 39. tertij de Anima, & ex primo cap. lib. de Memoria, & reminiſcentia, nullum obiectum habemus intra animam, ſed ſumus nuda tabula, vnde ſi rerum cognitionem nobis comparare debemus, oportet earum ſimilitudinem merito ſpecierum venemur, vt patuit, ſic enim ipſarum beneficio res materiales, & abſentes, quas ideo nequimus attingere, fiunt immateriales, & nobis præſentes. Quod ſi alia via alicui intellectui obiecta intelligenda fuerint in actu ſufficienti, vt intelligātur præſentia, & ipſe modis aliis eorum ſimilitudines obtinuerit, non erit opus his ſpeciebus ſuperadditis, nam ſublato fine, tolluntur & ea, quæ ſunt ad finem, ſapienter enim Plato in Gorgia ex perſona Socratis Polum alloquentis dicebat, & repetebat, non quæ alicuius gratia agimus nos velle, ſed illud cuius gratia illa agimus; quo circa dum nobis ſpecies paramus, vt nobis obiecta præſentia, & immaterialia reddamus, non ſpecies, ſed obiecta volumus, & propter hæc illas volumus; ſi itaque aliunde obiectum fiat præſens intelligenti, & intra ipſum conſtitutum agnoſcatur, nullatenus in ſic intelligente locum habebunt hæ ſpecies.

Ariſtotel.

Plato.

Quæ, & quot requirantur ad alicuius rei intellectioné.

Quæ vt illuſtriora reddantur, illud ſciendum venit, quod quattuor concurrunt ad hoc, vt obiectum aliquod intelligatur, primo vt obiectum ſit vnitum cum potentia cognoſcente, ſecundo vt gerat munus principii formalis, actuando ipſam potentiam, tertio vt eandem potentiam moueat, quarto vt eidem intellectui inhæreat, duo priora ſunt de eſſentia cuiuslibet intellectionis, numquam enim aliquid intelligetur, niſi fuerit vnitū cum potentia cognoſcente, &

te, & niſi intellectus ſit in actu intelligendi conſtitutus, & actuatus, tertium, & quartum accidunt intellectioni vt ſic, quâdo nimirum obiectum non eſt intimum intellectui, tunc enim oportet, vt moueat, & quando quod cognoſcitur, per ſui ſimilitudinem receptam agnoſcitur, cū enim illa ſimilitudo ſit accidens, oportet vt inhæreat; Verum ſi obiectum fuerit ſemper intimum intelligenti, ac per ſe ſubſiſtens, ratione primi non mouebit, (nam mouet, vt vniatur,) ratione ſecundi, non inhærebit; Ita pereleganter Auctor pri. par. quæſt. 14. art. ſecundo ad ſecundum. & quæſt. 56. art. primo in corp. & ad tertium dicebat, quod moueri, & pati conuenit intellectui, prout eſt in potentia, per hoc enim differt ab intelligibili, & ei aſſimilatur merito ſpeciei intelligibilis, & perficitur per ipſam, ceu potentia per actum, quæ de intellectu ſemper intelligibili coniuncto nequeunt dici; ſimiliter art. illo poſteriori dicebat, nihil referre, an forma, quæ eſt principium actionis ſit inhærens, an per ſe ſubſiſtens. Ita dum art. tertio ex Ariſtotele, Alexandro, & alijs dicebamus, intelligens in actu fieri, & eſſe intellectum in actu, id accipiendum eſt, vel per identitatem, vel per informationem, nam aliquis intellectus eſt omnia intellecta per identitatem, vt diuinus, aliquis eſt aliqua per identitatem, & aliqua per informationem, vt angelicus, aliquis eſt omnia per informationem, vt humanus, velut dicetur; Sic quod natura cognoſcens ſit alia, quod intelligens ſit intellectum, id vario modo euenit, vt docebat Caietanus pri. par. art. 1. quæſt. 14. Quod ſi dicas, quo pacto queant obiecta eſſe intima, & coniuncta intellectui, ſi non ei inhæreant, ſi non eum informent? Iam dixi, quod ſemper requiritur vnio obiecti cum potentia, & coniunctio, at non talis vnio, non talis coniunctio, quæ videlicet ſit per informationem, aut per inhæſionem, quoniam datur vnio per identitatem, ſi vnio ſit vocanda, quæ longe excedit illam per inhæſionem, quoniam vel erit vnum cum potentia intelligente ſubiecto, & ſuppoſito, vel etiam re, & ſola ratione differens, vt inter aſſignandas concluſiones ſequentis art. patefiet. Sic dicebat B. Doctor art. illo primo quæſt. 56. quod non minus calefaceret calor, ſi eſſet in ſe ſubſiſtens, quam modo calefaciat, dum inhæret, non quod calor eſſet ſeparatus, vel ab igne, vel à combuſto, (vt accepiſſe videtur Scotus 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 3. non longe ab initio,) ſed ſi ei coniunctus eſſet, ac maxime intimus, at non per inhæſionem, ſed ex identitate, &c.

D.Thom.

Quot modis intelligens in actu ſit res intellecta.

Caietanus.

D.Thom.

Scotus.

Quoniam itaque ſpecies impreſſa, & expreſſa, de quibus ſermo hucuſque habitus eſt, inhærent, & vniunt obiectum per inhæſionem, ideo vtraque accidit intelligenti vt ſic, nam ambæ conueniunt illi intellectui, qui alia via nequit obiectum coniunctum habere, rurſus, quoniam ponuntur, vt coniunctum faciant obiectum, quod exhibent per informationem, eapropter dū obiectum erit per identitatem vnitum alicui intelligenti, ſpecies iſtæ procul, ac penitus erunt ab eo arcendæ, ac ſubmouendæ.

Iam vero de intellectione loquentes, illud ſumma animi attentione erit obſeruandum, (in quo totum ferè hoc negotium clauditur, & quo omnia prope difficiliora argumenta profligantur,) quod vt ſcriptum reliquit Caietanus p. p. quæſt. 79. art. ſecundo, actiones immanentes ſunt potius qualitates, quam actiones, vel paſſiones, nam nomine termini potius, quam actionis eas ſignificamus, dicimus enim intellectionem, volitionem, quippe quæ per intelligere, & velle producuntur, ſic rationem ſapiunt magis qualitatis, & magis intelligere poſſet dici actio, per quam producatur hic terminus, ſci-

Quid ſint actiones immanentes.

licet intellectio, at neque intelligere vere eſt actio, quoniam non eſt motus phyſicus, neque actus imperfecti, & poteſt eſſe in inſtanti, quorum nullum ei ineſſet, ſi propriè actio eſſet; Ita ſubtiliter aiebat Caietanus, quod in intellectu dum intelligit, modum quendam actiui magis, & paſſiui intuemur, quam actionem, & paſſionem, & ſic inter ſapientes loquendum eſſe dicebat, nam certe intelligere non eſt formaliter pati, neque formaliter agere,

Quid ſit intelligere.

ſed ex vtroque proueniens, eſt actiuè, & paſſiuè vitaliter operari, idem namque intellectus induit rationem paſſiui, dum recipit ſpecies, & actiui, dum elicit intellectionem, & tamen neque ſpeciem recipere, neque elicere intellectionem eſt formaliter intelligere, quoniam hæc intelliguntur antecedere intellectionem, quippe quæ ex ijs emanans, in eo conſtituta eſt, vt intelligens ſit actu res intellecta; Adeo vt intelligere formaliter non conſiſtat in vlla receptione, vel vllo actu elicitiuo, ſed ab his cauſatur, & poſitum eſt in eo, vt intelligens ſit, vt modo dicebam obiectum intellectum; ſic tantum abeſt, vt debeat quæri quidnā per intellectionem producatur, quis ſit effectus productus per talem actionem, (quod tamen minus acute ſpeculantes ſumma anxietate quæritant,) quod ipſa intellectio illa eſt, quæ tāquam verus effectus, & qualitas promanauit ex ſpeciei receptione, vel vt de omni intelligente loquar, ex vnione, ac coniunctione obiecti cum potentia, vnde qui ea quærunt, quod habent quærunt, ac ſubinde nil mirum, ſi non inueniant. Hinc recentioribus efflagitantibus à quo producatur hæc qualitas, quæ eſt intellectio,

D. Thom.

iampridem verbis diſertis occurrit Auctor q. octaua de Veritate, art. ſexto, dicens, quod intelligere conſequitur ad paſſionem, qua intellectus recipit ſpeciem, (vbi id requiritur,) & ad actionem, qua intellectum vnitum eſt intelligenti per modum actus primi, tamquam effectus ad cauſam; Non eſt igitur, cur nonnulli quæſt. 12. art. ſecundo diſputat. prima ad primam par. dicant, non poſſe aſſignari per quam actionem producatur hæc qualitas, quæ eſt intellectio.

Ex qua paſſione, & actione proueniat intelligere.

Soncinas.

Sed & Soncinas quæſt. 21. noni Diuinorum iam docuit, actionem immanentem contineri ſub actionis genere quo ad vocem, & actionem vocari, ob geminam quam habet ad veram actionem ſimilitudinem, ſed veram eſſe qualitatem, in eiuſque prima ſpecie locari, quamuis non mihi plene ſatisfaciat in illa quæſtione, tum quoniam non aſſignat à quo, & per quam actionem producatur huiuſmodi qualitas, tum quoniam rationes, quibus probat actionem immanentem eſſe qualitatem, & non actionem, ſi priorem demas, (in qua tamen eſt aliquid difficultatis, de qua egit ipſe quæſt. 19. præcedenti,) de facili ſolui poſſunt, vt patet eas conſideranti; nihilominus pro docto viro dici poteſt, quæſt. illa id ſolum iure definiuiſſe, quod in dubium vocauerat, &c.

Intellectio itaque non eſt actio, adeo vt terminus poſt eam expectetur, loquendo ſemper de intellectione perfecta, & in vero actu, ſed eſt ipſemet terminus ex illa actione, ac paſſione vitali intellectus emanans, ratione quarum dicimus, intelligere eſſe actiuè, ac paſſiuè vitaliter operari, & in intellectione modum quendam actiui, & paſſiui aſſignamus, nam in illis completur, & ex eis emergit: Nomine autem termini non accipias in præſenti intentionem, vel ſpeciem expreſſam, quam ab actu intelligendi, (vt ſcilicet conſideratur initiatiuè, & quaſi in via,) realiter ſecerni, ſuperiori articulo dictum eſt, ſed ipſammet intellectionem iam completam, & terminatam, quæ nil aliud eſt, quam vt intelligens ſit actu intellectum; ſic expreſ-

Quid nomine termini in præſenti accipiatur.

ſe loco

ſe loco allegato ait Caietanus, ſic ratio conuincit, quoniam ad nihil aliud quis intelligit, niſi vt fiat res intellecta; Et ita docta, ac ſubtili via liberamur ab omnibus prope difficultatibus; quando enim dicitur intellectio eſſe actio, intelligere eſſe agere, omnia in rigore neganda ſunt, quoniam ſunt termini prouenientes ex actione, ac paſſione iam memoratis. Et ſi dicatur, quod cuiuſuis actionis oporteat aſſignare terminum, nega primo intellectionem eſſe actionem, deinde communicando in voce cum arguentibus, concedas intellectionem antecedenter ſumptam, & præſuppoſitiue, pro receptione videlicet ſpeciei, & pro intellectionis elicitiuo eſſe paſſionem, & actionem, cui ſane actioni aſſigna terminum nobilem, ac vltimatum, ipſam videlicet intellectionem in actu completo, & ipſum intelligens eſſe rem intellectam; ſic ex huius termini aſſignatione, & ex diſtinctione intellectionis, quando antecedenter, vel cauſaliter ſumatur, & quando formaliter, omnium ora obſtrues. Quorſum quis intelligat. Quomodo intellectio ſit actio, & paſſio, & terminus.

Profecto, quemadmodum calefacere non eſt quod calefactum eſſe, quoniam illud eſt via, hoc terminus, & poſt calefactum eſſe, nil aliud expectatur, ita quod intelligens ſit res intellecta, eſt terminus intellectionis, dum accipitur antecedenter, præſuppoſitiue, & cauſaliter, ſed differt calefactio ab actu, quo prouenit, vt intelligens ſit res intellecta, quoniam primo illa fit temporis ſucceſſu, & propria gaudet voce diſtincta ab ea, qua eiuſdem terminus explicatur, at actus intelligendi vt plurimum eſt inſtantaneus, ac forſan ſemper, (loquendo ſaltē de ſimplici intellectione,) & non obtinuit adhuc propriam vocem, qua diſtinguatur à termino, (accipiendo ſemper actum intelligendi antecedenter, nam formaliter iam patuit, quod non ſit actio,) quoniam vtrumque exprimendo, intellectionem proferimus, niſi forte nouas voces inueniens quis, velit dicere, actionem illam, atque paſſionem antecedenter, & cauſaliter vocari intellectionem, ſeu actum intelligendi, & terminum eiuſdem, dici hoc, quod eſt, intelligens eſſe rem intellectam. Cæterum illud ſemper ante oculos habeas, intellectionem formaliter acceptam non eſſe actionem, ſed ex actione effectum proficiſcentem, ac ſubinde argumenta, quæ ad hoc exaggerantur, ſumpta ex conditionibus actionis, negligas.

Non ſum ignarus, poſſe dici, & non imperite, de ratione cuiuſuis actionis eſſe quidem, vt habeat terminum, at non oportere ſemper, vt terminus ille per ipſam actionem producatur, terminatur enim viſio ad colorem, quem certe ipſa non producit; ſimiliter terminabitur intellectio ad obiectum, quod tamen per ipſam minime producetur; neque ſequitur, dari actionem, per quam nihil producatur, quoniam omnis actio terminatur ad aliquid, vel illud per ipſam fuerit productum, vel non, at quæ hucuſque diximus, & ſubtiliora video, & enucleatius intellectionis naturam rimantur.

Terminum igitur intellectionis, (antecedenter, ac cauſaliter ſumptæ,) ſpeculantes, quoniam aliquando intelligens eſt res intellecta, quoniam intellectum eſt immateriale, præſens, & intra intelligentem, ideo nulla ſpecie, nullouè ſimulachro producto, habetur quicquid poteſt per intellectionem haberi, quoniam vero nonnumquam intelligens non eſt res intellecta, ſed oportet vt fiat, cum obiectum ſit extra intelligentem, hinc exigitur aliquid per intellectionem illam antecedenter, & quaſi in via fieri, quo id eueniat, vt nimirum obiectum ſit intra ipſum, & idem cum ipſo fiat; Quapropter vbi fuerit

obiectum diſtans, erit neceſſaria ſpeciei expreſſæ productio, cuius ope, quæ commemorabantur emergant, vbi vero aderit obiectum intraneum præſens, vana prorſus erit eiuſmodi ſpecies; ſic quæ omnia dixi tota hac quæſtione de ſpecie expreſſa, de eius productione, certe accipies, vbi illa locum habet, & vbi adeſſe eam conſpexeris.

Terminus intellectionis per ſe, & per accidens.

Sic intellectionis terminum & per ſe, & per accidens contemplari licebit, per ſe nil aliud eſt, quam vt intelligens ſit ipſa res intellecta, vt ſæpe repetij, per accidens, erit ſpecies expreſſa, (quæ tamen ſupplet terminum per ſe, quoniam eius beneficio, intelligens eſt res intellecta,) ſic vere eſt per accidens, quoniam deſeruit termino per ſe, vnde quando hic poteſt haberi ſine illa, ipſa redundat; illum in omni intellectione neceſſarium quiſquis intelligit fatebitur, hic vero in iis intellectionibus, (propriam vocem deſidero, vt explicem actionem, & paſſionem, quæ antecedit cauſaliter intellectionem formaliter acceptam,) in quibus non poteſt intelligens eſſe intellectum abſq; ipſo termino per accidens, poterit dici neceſſarius, & per ſe, non quidem intellectioni vt ſic, ſed huic intellectioni.

Ex hac doctrina prudenter applicata, nullum video argumentum in hoc negotio non plene confutatum iri, quam doctrinam ij, qui tardioris ingenij ſunt, laborent potius, vt aſſequantur, quam ſubito, & parum prudenter reiiciant, cuius ſane veritas conſpicua magis apparebit his duobus articulis ſequentibus, & etiam in confutatione argumentorum, &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quomodo ſe habeat Deus ad formandum verbum.

Concluſio Fidei Catholicæ.

SIt prior concluſio: Deus optimus maximus, ſi notionaliter, ſeu perſonaliter pro perſona Patris accipiatur, intelligendo format Verbum. Hæc eſt de fide, & eam paſſim docent ſacræ paginæ, & orthodoxi Patres, eamque habes ab Auctore prima par. quæſtione illa 27. art. primo, & ab omnibus, qui ad illum artic. ſcripſerunt, & ab vniuerſis Scholaſticis cum Magiſtro Sententiarum in primo, diſtinct. 27. Et nihil neceſſe habeo, quo vel punctum temporis in hoc detinear, quoniam ad hanc quæſtionem non facit, loquimur enim de ſpecie expreſſa, quando producitur in gratiam intellectionis, vt nimirum abſque ipſa nequeat adeſſe intellectio, conſtat autem cuique Theologo, quod Deus Pater non producit Verbum, vt per ipſum intelligat, tunc enim eſſet ſapiens ſapientia genita; quod pronunciatum retractatum fuit à B. Auguſtino primo libro Retractationum, non longe à principio cap. 26. tunc Filius, & Spiritus ſanctus, qui non producunt verbum, non intelligerent, quod eſt impium. Et quidem tantum abeſt, vt ea ratione Pater producat Verbum, quo per ipſum intelligat, quod e contra Verbum habet à Patre, & quod ſit, & quod intelligat, vt omnibus Theologis in aperto eſt; Non producit itaque Pater Verbum, tamquam neceſſarium ad ſuam intellectionem, cum prius noſtro modo loquendi, ſeipſum, & omnia comprehendat,

D. Auguſt.

quam

quam Verbum producat, ex probabiliori ſententia Auctoris, prima parte quæſtione 34. art. 3. ſed illud gignit ex naturæ fœcunditate, per actum tamen intellectus, vt eſt dicere. Vnde mirari ſatis nequeo & Torres, & recentiores alios, qui hoc argumentum adducunt, vt probent, obiecti præſentiá, & coniunctionem nihil obſtare productioni, ſeu formationi verbi, quaſi quod producatur Verbum à patre, vt præſentia ei fiant obiecta, & tamen viri oculatiſſimi ſeipſis oculatiores fuiſſent, ſi mentis oculos ad Filium, ac Spiritum ſanctum direxiſſent, æque ac Patrem intelligentes, & eadem ſcientia pleniſſima potientes, & tamen verbum neutiquam producentes. D.Thom. Torres.

Secunda concluſio: Deus eſſentialiter acceptus intelligendo nō format verbum, ſi nomine verbi accipiatur quid realiter ab intelligente diſtinctum, nam ſibi ipſi præſens maxime eſt, & in eius eſſentia cuncta relucent, & eſt in ſummo puritatis, atque immaterialitatis gradu, idéque in eo prorſus ſunt, & quod intelligit, & quo, & quod intelligitur, & intellectio, nulla etenim ibi poteſt, aut adeſſe, aut ſuſpicari compoſitio, ſic omnia eſt per identitatem, nihil per informationem, quoniam diuina ſua eſſentia eſt omnium rerum ſimilitudo, ac ſpeculum lucidiſſimum, quippe quam poſſumus imaginari gerere vices ſpeciei intelligibilis; & ſimiliter Dei conceptio, eſt nedum eiuſdem Dei, ſed & aliorum omnium exacta ſimilitudo; Vnde quando in eſſentialibus communibus omnibus diuinis perſonis loquentes Theologi, adhibent voces verbi, & conceptionis intellectæ, vt adhibuit Auctor primo cont. Gent. cap. 53. nomine verbi accipitur id, ad quod immediate terminatur actus intelligendi, vel ſit aliquid realiter diſtinctum ab intelligente, vel à re intellecta, vel ſit res intellecta, vt eſt intellecta, vt ibidem notat Ferrarienſis, & hoc modo diuina eſſentia dicitur verbum, vt intellecta, quoniam eſt omnium ſimilitudo, quam ſolam intuens Deus, nihil eſt quod non intueatur; ſic interpretare Ariſtotelem duodecimo Diuinorum 51. dicentem, Deum ſeipſum intelligere, alia vero quædam dignius eſſe non intelligere, hoc eſt, nihil intuetur extra ſe, tamquam in quo, & in medio, ſed omnia videt, vt quod, vt obiectum, vt terminum, quo modo eum interpretatur Auctor quæſtione de Veritate ſecunda, art. quarto, ad quintum, & prima parte, quæſt. 14. art. 5. ad primum exponit D. Auguſtinum, ſimile quid proferentem libro 83. quæſt. quæſt. 46. dum ſcilicet ait, Deum nihil extra ſe intueri; Vel dicas cum eodem Auctore, ad locum illum duodecimi Diuinorum, mentem Ariſtotelis eſſe, vt Deus nil aliud à ſe intelligat, quippe quod ſit perfectio ſui intellectus, vel quod ſit primo ab ipſo intellectum, vt expoſuiſſe ibidem videtur Alenſis, & illud certe fuit Ariſtotelis conſilium, nam ideo probat Deum ſe tantum intelligere, quoniam cum intellectum ſit perfectio intelligentis, aliud à Deo eſſet perfectio Dei, hoc autem verum eſt de obiecto primario, & quod ſpeciem præbeat intellectioni, & quo ad ſuam ſimilitudinem, ac ſpeciem, non quo ad ſubſtantiam, quo modo verum eſt, nihil aliud à Deo intelligi, quoniam diuina eius eſſentia eſt obiectum primarium, & omnia in illa intuetur; Et quamuis Themiſtius tertio de Anima cap. 45. dicat, Deum non intelligere mala, neque priuationes, cui & Genua adhæſit in via Ariſtotelis ſuper 25. eiuſdem libri, audiendus tamen non eſt, vnde & idem Themiſtius paraphraſi ſua ad duodecim. Diuinorū, poſt multa de intellectu, ac intellectione primæ cauſæ, ait tandem, primum intellectum eſſe principiū omnium eorum, quæ ſunt, & hæc ab eo cognoſci, conſtat autem, quod non omnino perfecte ea agnoſceret, niſi quæ eis accidunt intelligeret, de quorum

Secunda Concluſio. Summa Dei ſimplicitas. D.Thom. Ferrarien. Ariſtotel. D.Thom. Alenſis. Themiſt. Genua.

numero ſunt & mala, & priuationes; Accedit, quod huiuſmodi aliquo modo participant ens, & ſi non aliud, ſaltem rationis, & Albertus vndecimo Diuinorum tract. ſecundo, cap. 34. de mente Ariſtotelis ait, diuinas intelligentias intelligere priuationes, veluti ars ſcit peccata artis, per hoc, quia formam artis non habent perfectam; Sed quicquid fuerit de aliquorum philoſophorum ſententia circa diuinum intellectum, eiuſdemque intellectionem, id nihil ad rem de qua nunc agimus attinere conſpicitur.

Alb. magn.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Quomodo ad idem Angelus.

Concluſio.

SIt prima, vel tertia concluſio: Angelus in illa cognitione, qua ſe intelligit, non format ſpeciem expreſſam. Hæc concluſio eſt contra omnes cómemoratos Auctores art. huius quæſtionis ſecundo, eam tamen vnus docet Caiet. prima par. quæſt. illa 27. & art. illo primo in ſolutione tertiæ difficultatis, cui Bannes eodem loco ait conſentire viros plurimos, & doctos ex Thomiſtis, & præcipue doctiſſimum Melchiorem Cano; At vbi non adeſt Auctor in contrarium in conſimilibus difficultatibus, quæ citra hæreſis, aut vllius temeritatis notam pro vtraque parte tueri valent, vnus Caiet. mihi pro omnibus eſt, &c.

Caietanus.

Quanti faciat Caietanũ Auctor.

Prior ratio pro Concluſione.

Sed probatur primo, quoniam obiectum angelici intellectus eſt immateriale, eſt præſens, eſt coniunctum, & per identitatem, quæ præcipua eſt coniunctio, immo non coniunctio, ſed identitas, eſt intra ipſum intellectum angeli, ergo fruſtra penitus formaret ſibi de ſe verbum, nota eſt conſequentia, quoniam vt patuit, ad nihil aliud ponitur verbũ, niſi vel vt immateriale, vel vt præſens, vel vt coniunctum, vel vt intra intelligentem obiectum conſtituat. Sed qui contrariam ſententiam defenſant, hæc omnia ferè concedentes dicunt, poni debere expreſſam ſpeciem in angelo, quoniam eſt terminus intrinſecus intellectionis, & de ratione intima cuiuſuis intellectionis; Sed iam ex art. 6. conſtat, ipſam intellectionem formaliter eſſe terminum, & effectum, quare termini non eſt terminus, rurſus vidimus, huiuſcemodi ſpeciem eſſe per accidens terminum intellectionis vt ſic, licet huius, & illius intellectionis poſſit eſſe terminus per ſe, ac neceſſarius, terminus autem intellectionis per ſe, iam aſſignatus eſt, (intellectionis inquam cauſaliter, & antecedenter ſumptæ,) vt videlicet intelligens ſit res intellecta, quod optime ſaluatur in angelo, & verius, quam in noſtro intellectu, quoniam noſter intellectus dum aliquid intelligit, eſt res intellecta in eſſe ſolum intentionali, merito ſpeciei, in angelo autẽ vere, ac realiſſime, merito ipſiuſmet rei immediate, abſque vlla ſuperaddita ſimilitudine. Vnde Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 51. dicebat, in abſtractis à materia idem eſſe intelligens, & intellectum, quod prædocuerat tertio de Anima 15. & vltra ea, quæ de hoc Ariſtotelis pronunciato dixi in quæſtione de cognitione ſingularium ad finem primæ concluſionis, conſtat quod ex eadem radice, qua quid habet in abſtractis rationem intelligentis, habet & rationem intelligibilis, ſunt enim ſubſiſtentia, & à materia, quæ obſtat intellectioni immunia, quod ſi forent idem intelligens, & intellectum in ipſis ratione ſpeciei, & ſimilitudinis,

Defenditur.

Ariſtotel.

litudinis, tunc nihil particulare de ipſis pronunciaretur, nam & in rebus materialibus intelligens homo lapidem, eſt lapis merito ſuæ ſpeciei, quocirca in abſtractis à materia ſunt idem quod intelligit, & quod intelligitur, ſeipſis, in eſſe rei, & naturæ, & non munere alicuius ſpeciei ſuperadditæ, velut in noſtro intellectu contingit, quare cum in intellectione, qua ſeipſum nouit angelus, idem ſit quod intelligit, & quod intelligitur, & in eſſe intelligibili, & in eſſe reali, (hæc enim duo eſſe in abſtractis conuertuntur,) ſequitur, vt nullam formet ſpeciem, ſed ad ſeipſum nullo medio intercedente terminetur intellectio; Non ignores tamen, quod ſi ſermo ſit de ſuppoſito intelligente, idem realiter ſunt intelligens, & angelus, qui intelligitur, vt facile patet, at ſi loquamur de potentia, quæ immediatum eſt principium intellectionis elicitiuum, ſic realiter differt à re intellecta, quoniam potentiam illam in genere qualitatis ſtatuimus, & ex conſequenti accidens à ſubſtantia angeli intelligentis realiter diſtinctum, ſed hæc nihil obſtant, nam loquimur de eo quod intelligit, & quod intelligitur, intellectiuam autem potentiam conſtat, non eſſe eam quæ intelligit, ſed qua intelligens intelligit.

In abſtractis à materia quomodo intelligens ſit res intellecta.

Præterea, Auctor ſecundo cont. Gent. 98. declarans exacte modum, quo vna ſubſtantia ſeparata cognoſcit aliam, prope finem ait, quod ſubſtantia ſeparata ſeipſam intelligit per eſſentiam ſuam, & ſubdit ſtatim, quod ſecundum hoc, idem eſt in ipſis intellectus, intellectum, & intelligere, quæ erat Ariſtotelis auctoritas mox allegata, quam & eodem cap. recenſuerat; propoſitionē itaque Ariſtotelis vniuerſaliter de abſtractis prolatam reſtringit, quando ſubſtantia ſeparata cognoſcit ſeipſam, igitur de mente ipſius, angelus in ſui cognitione non format verbum, alioquin idem non foret intelligens, & intellectum, cum potiſſimum, verbum ſit obiectum intellectionis, & vt quod intelligatur, vt patefeci ad aures eius, & vt omnes ferè nobis in hoc aduerſantes docent. Quod ſi quis ad illud confugeret, vt diceret, ipſum fore accipiendum de eſſe intelligibili, vt ſcilicet in tali eſſe ſint vnum, & idem intelligens, & intellectum; Aduertat iſte ex multiplici capite aberrare, primo namque, & Ariſtoteles, & Auctor nihil peculiare de abſtractis pronunciaſſent, vt paulo ante deducebam, ſecundo, non erat cur Auctor dictum Philoſophi ad intellectionem ſubſtantiæ ſeparatæ in ſui cognitione limitaſſet, quoniam & quando aliam intelligētiam, & quoduis aliud à ſe cognoſcit, eſt idem in eſſe intelligibili cum illis, tertio, dum ſeparata ſubſtantia aliam à ſe intelligit, in tali intellectione locat ſpeciē ſuperadditam, non autem quando ſeipſam agnoſcit, ergo de eſſe naturali, ac rei intelligit. Accedit, quod idem Auctor prima par. quæſt. 56. art. primo, vbi accurate inquirit, an angelus cognoſcat ſeipſum, (& potius modum, quam an eſt talis cognitionis inueſtigat, quoniam nullus ſapiens dubitauit, num ſe cognoſceret ſubſtantia ſeparata, vt ibi adnotabat Caiet.) definit, quod cognoſcit ſe per eſſentiam, ac formam ſuam naturalem, nulla addita ſpecie, at ſi verbū formaret, iam ſpecies eſſet addenda, de qua tamen nec verbum habet; Et quamnis argumentum à negatione non ſit conuincens, quod tamen Doctor aliquis longe celeberrimus materias omnes ad viuum reſecans, in re nobili de angelorum cognitione, hanc expreſſam ſpeciem reticuerit, quæ tamen ſi ab ipſis formaretur, potiſſima eſſet in eorum ſerie, quæ ad intellectionem cōcurrunt, hoc non eſt de facili enunciandum, & qui illud profert, diminutionis nota Auctorem arguere videtur, at nedum diminutionis, ſed & falſitatis, quoniam ipſo docente, quod ſe per ſe cognoſcat, ſi ponatur ſpecies expreſſa ſuperaddita, iam

Alia ratio. D. Thom.

Difficultas aduerſus rationē.

Multipliciter diluitur.

non

non per ſe,at per hanc ſpeciem ſe cognoſcit, nullus enim negabit, quod ſaltem eiuſmodi ſpecies cognoſcatur, vt quo; Quod ſi dicerent, ipſam poni vt terminum dumtaxat intellectionis, velut quidam eorum affirmare videntur, poſtulandum eſt, an ille terminus deſeruiat intellectioni, an non, ſi ſecundum, vane formabitur, & tamen nihil fruſtaneum natura nouit,ſi primum, vel certe vt quo,ſeu vt quod agnoſcatur, & cum ipſi nolint,vt quod, relinquitur,vt quo,ergo non cognoſcit angelus ſe per ſeipſum, ſed merito illius ſpeciei,& nihilominus ijdem doctores cum Auctore loco nominato affirmāt, angelum ſe per ſeipſum cognoſcere. Neque quis mihi occurrat,ly *per* denotare principium, & ſic negari ſpeciem ſolum impreſſam,nulla eſt hæc reſponſio, quoniam ly *per* denotat quamcumque cauſalitatem, & quoduis medium; rurſus argumentum de nota diminutionis manet in robore.

Alia ratio. Inſuper,aduerſarij omnes, Ludouico Molina excepto,negant in ſenſatione produci ſpeciem expreſſam, ergo neque in angelo dum ſe intelligit erit ponenda, patet conſecutio, quoniam & in hoc caſu obiectum eſt apprime præſens, ceu & in ſenſu,vt patet,quod ſi dicatur poni, vt terminus intellectionis, quoniam quicumque intelligit,ex eo quod intelligit,&c. ponatur itaque & in ſenſu, quoniam quicumque ſentit,&c. & hoc argumentum auctor iſte, qui in ſenſu etiam ponit ſpeciem expreſſam, (contra omnem rationem,) merito adducit in Ferrarienſem,& alios, volentes talem ſpeciē produci ab angelo,non à ſenſu.

Quarta ratio. D.Thom. Rurſus,ex Auctore quæſt.octaua de Veritate, art. ſexto ad ſeptimum,angelus eſt ſemper in actu cognitionis ſuæ eſſentiæ,& ſic omnes fere Thomiſtæ docent, & etiam qui nobis hac in re aduerſantur,ſaltem de facto,quicquid fuerit, num à tali cognitione poſſint ceſſare, quare ſemper vbi angelus creatus eſt, ſe cognouit, cognoſcit, & cognoſcet, at ſi ponatur tale verbum,abſonum valde apparet, ſtatuere eiuſmodi verbum æterno tempore à parte poſt perdurans,& quod actu ſemper intellectioni deſeruiat, cum tamen de ipſo vbique dicatur, non diu permanere, ad differentiam ſpeciei impreſſæ, quæ ſemper manet, at hoc modo æque manebunt impreſſa, & expreſſa ſpecies, & accidens omnino ſuperadditum perpetuum in ipſo angelo vltra potentias,& actiones, & impreſſas ſpecies, de quo nullus vmquam locutus eſt, locabitur.

Poſtrema ratio. Sed & illud negligendū nō eſt,quod hæc cōcluſio apud omnes philoſophos eſt receptiſſima,vt cōſtare poteſt ex omnibus ferè, qui circa finē duodecimi Diuinorū ſcripſerunt,immo in via Ariſtotelis permulti,nullū omnino volunt ponere accidens in Intelligentijs, quamuis fallantur, de qua re perpauca ſequēti concluſione dicam: quare illud ſaltem in propria ipſarū cognitione debemus ſaluare,vt nullum nimirum ſuperadditum accidens conſtituamus; Quod ſi dicant,ſe hanc opinionem defenſare in Theologia, & in veritate ſic ab ipſis exiſtimata, quicquid fuerit de philoſophis, meminerint iſti, quod in rebus illis, quæ nullatenus ad fidei ſanctæ integritatem faciunt, & quas quiſque pro ſuo captu abſque vlla fidei iactura, & amplecti,& reiicere valet,in magnam cedere theologorum dignitatem, ſi philoſophis conſentiant, ſic enim ab ipſis non irridentur, perperam cenſentibus, quod omnia alia leuibus rationibus ducti profiteantur; quod certe vnus inter alios ex aduerſariis aduertere debebat,qui documentum hoc de omni, quæ maior poſſit theologorum cum philoſophis conſenſione ſuper art.4.quæſt. 50.1. par. tradebat, hinc non debebat hac in re ab omnibus philoſophis recedere, à quibus tamen in hoc recedens, ab Auctore etiā,& à veritate receſſit, vt planius adhuc fiet in argumentorū confutatione.

Dicamus

Dicamus itaque, quod velut eſſentia propria angeli in ſui cognitione vices gerit ſpeciei impreſſæ, vt totus cœtus Theologorum tradit, vniendo nimirum obiectum cognoſcendum cum potentia cognoſcente, (quippe quod vnum munus eſt ſpeciei impreſſæ, vt ſic, omnia vero alia ei accidunt,) ita & munus obit ſpeciei expreſſæ, quoniã eſt ſubſiſtens, ab omni materia immunis, ac proin de actu de ſe intelligibilis, abſque vllius ſpeciei interuentu; Non eſt autem ignorandum, quod intellectiua angeli potentia, vt ſupra innuebatur eſt principium immediate, ac proxime elicitiuum intellectionis, non autem ipſa eſſentia, niſi remote, & radicaliter, quippe quæ concurrit vt fons, & radix intellecta in actu, vt enim ſi flueret ab eſſentia, cui foret coniunctum obiectum per ſpeciem impreſſam, eliceret intellectionem, ita & multo magis fluit ab eſſentia ſola, quoniam ſeipſa magis vniuit obiectum ſibi, quam feciſſet ſpecies impreſſa, ſi adſuiſſet, quoniam hæc, & per informationem, (ſupponitur enim, quod foret accidens,) & in eſſe intelligibili tantum, illa vero per identitatem, & in eſſe tum intelligibili, tum naturali; ſic eſſentia angelica gerit vices principij formalis, ea ratione, qua vnit intime ſeipſam cum potentia intellectiua, nõ autem quatenus ab ipſa fluat intellectus determinatus ad ſui cognitionem, nã ſub hac ratione ſe habet vt fons, & radix, quocirca eſſentia non erit ſubordinata intellectui, quamuis intellectio ſit actio vitalis ab intellectu proueniens, quoniam ſpecies intelligibilis non cõcurrit ad intellectioné, quatenus eſt actio vitalis vt ſic, ſed quatenus eſt talis actio, nam ſpecies, ſpeciem dat, & modum intellectioni, non ſubſtantiam, non enim facit intellectionem, ſed huius, & illius obiecti intellectionem, neque ſequitur, quod adhuc ſubordinetur intellectui eſſentia eadem angeli, quamuis vt obiectum concurrat ad ipſum intellectum, quoniam concurrit non inhærendo, adde, quod nedum vt obiectũ concurrit, ſed vt cauſa remota, & radix, cui ſubinde coniunctus intellectus notitiã elicere valet, vt potius dicendum eſſet, intellectiuam potentiam eſſe ipſi eſſentiæ ſubordinatam. At de modo, quo angeli eſſentia concurrat vt ſpecies intelligibilis, profunde prima par. quæſt. 56. agitur, neque hic eſt locus, vt plura ad hoc adferantur.

Quo pacto cõcurrat eſſentia angeli in ſuip ſius cognitione.

Quæ diximus de cognitione angeli reſpectu ſui ipſius, dicas & de cognitione illa naturali, qua cognoſcit Deum, quoniam eſſentia ſua eſſentialiter eſt effectus Dei, & ſic per illam ſufficienter Deum abſque vlla addita ſpecie nouit; quemadmodum enim dicunt Theologi, angelum per eſſentiam ſuam vices ſpeciei gerentem ſeipſum agnoſcere, ita dicunt, per eandem eſſentiam idipſum muneris exercentem cognoſcere, (loquendo ſemper de cognitione naturali) Deum, & ſimiliter eſſe ſemper in actuali Dei cognitione, quare neque in hac intellectione locum habebit ſpecies expreſſa, &c.

Quomodo naturali cognitione agnoſcat Deum Angelus.

Sit ſecunda, vel quarta concluſio: Angelus in aliorum intellectione format ſpeciem expreſſam.

Secunda concluſio.

Enimuero, quemadmodum ex communi Theologorum ſententia, impreſſit Deus eorum mentibus ſpecies ſuperadditas, quibus alia à ſe cognoſcerent, ſic ex vi illarum ſpecierum, dum quiuis eorum ad actualem alicuius obiecti notitiam ſe conuertit, format hanc ſpeciem, quæ actu completo, & ſecundo repræſentet ſibi obiectum, quoniam ſpecies illæ inditæ non niſi per modum actus primi, & habitus offerunt ſibi ea, quorum ſunt ſpecies, & in hac concluſione Theologos illos omnes conuenire arbitror, qui ſpecies expreſſas ad intelligendum concurrentes ponunt.

Qua ratione ſint omnia in angelo.

Scias vero, me loqui de perfecta, & abſoluta notitia, nam quo ad communem quandam cognitionem, cum & ſuperiora, & inferiora ſint in angelo, illa participatiue, hæc aliquo modo eſſentialiter, hoc eſt, non perfecte, aut ſecundum propriam rationem, ſed iuxta rationem quandam communem, vt docet Auctor prima par. quæſt. 55. art. primo ad tertium, iccirco intuens angelus eſſentiam ſuam, (quod facit abſque vlla addita ſpecie,) poteſt dici, quod omnia quodammodo intueatur, ſed modo ſermo eſt de cognitione perfecta, atque omnino diſtincta.

D. Thom.

Dixi omnes Theologos couenire in hac aſſertione, nam fortaſſis philoſophi reclamabunt, moti auctoritate Ariſtotelis duodecimo Diuinorum 51. dicentis, in abſtractis à materia idem eſſe intelligens, & intellectum, vnde Themiſtius prope finem cap. 73. tertij de Anima videtur innuere, angelos, quos ibi vocat animalia cœleſtia intelligere alia, ea ratione, qua ſunt cauſæ generãtes effecta, vnde euenta ſua cognoſcunt, hoc eſt, vident ſe eſſe cauſas rerum, ideo dum vident ſe, vident res. Simplicius vero in fine 29. com. eiuſdem libri dicebat, Intelligentias, vtpote dæmonia, & cœleſtia animalia, ac diuina intelligere alia intrinſecus, hoc eſt, ex ipſorum natura. Auerroes illa ſua magna diſputatione 3. contra Algazelem protulit, Intelligentias noſſe alia, quoniam ſunt cauſa ordinis, & diſtinctionis rerum. Magnus quoque Albertus vndecimo Diuinorum, tract. ſecundo, ſub initium cap. 33. de mente Ariſtotelis ait, ſeparata entia intelligere ens cauſatum per illum modum, quo ſunt cauſæ ipſius, & dat exemplũ de intellectu practico, & de arte, & nullam ſpeciem eis additam dare videtur, & colligit in fine capitis, inſufficienter dixiſſe Themiſtium, intelligẽtias cognoſcere res, ex eo quod ſint cauſæ rerum, niſi determinetur modus cauſalitatis. Demum philoſophi prope omnes nullam videntur ſpeciem additam locare in intelligentijs, at decipiuntur, quoniam Theologi vniuerſi eaſdem in ipſis conſtituunt, & D. Auguſt. 2. ſuper Geneſim ad literam cap. 8. docet, Deum menti angelicæ impreſſiſſe rerum ſimilitudines, quas in eſſe naturali produxit, & idẽ Albertus prima par. ſummæ de quattuor cœuis vt theologus, & iuxta veritatem loquens, quæſtione de intelligentijs angelorum ar. 2. in ordine 12. ponit in ipſis ſpecies omnium rerum inditas. Dictum vero Ariſtotelis duodecimo Diuinorum accipiendum eſt, quando intelligentia cognoſcit ſeipſam, & eſt valde aduertendum, quæ omnia toto illo contextu, & capite profert Ariſtoteles de ſumma ſimplicitate, ac perfectione primi intellectus, & primæ Intelligentiæ, non eſſe ita per omnia ad alias intelligentias expendenda, aliàs adæquarent reliquæ intelligentiæ primam in nobilitate, ac ſimplicitate, quod falſum eſt, quodque Auerroes memorata diſputatione reijcit. Vel dicamus, philoſophos illos fortaſſis accepiſſe de cognitione illa communi, qua intuens intelligentia ſeipſam, intuetur & alia, nam tandem ex eo quod ſint quadam via cauſæ rerum, ac diſtinctionis, & ordinis, non ſequitur clara, atque perfecta notitia, ſed communis dumtaxat. At de abſtractorum ſimplicitate, in annotationibus, & quæſtionibus ad caput ſequens huius libri erit non obſcura tractatio.

Ariſtotel.

Themiſt.

Simplic.

Auerroes.

Alb. magn.

D. Auguſt.

Quomodo accipiendus Ariſtoteles.

Quamuis itaque Intelligentiæ ſint ſibi adinuicem præſentes præſentia rei, non tamen præſentia ſufficienti obiectiua, vnde non per ſeipſas, ſed per additas ſpecies, vna cognoſcit aliam. Neque vel parum mouearis, ſi quidam nouiſſime docuerit ad articulum ſecundum quæſtionis 56. primæ partis, quod dum à ſe inuicem duo angeli non diſtant, vnus poſſit alium intuitiue cognoſcere per ſubſtantiam illius concurrentem in ratione ſpeciei intelligibilis, hoc

Recentioris placitum.

enim

enim eſt & contra Auctorem, quem tamen ibi vir iſte exponit, & contra veritatem, quoniam illa eſt præſentia rei, non obiecti, & ſupponit, localem diſtantiam impedire cognitionem in rebus ſeparatis, quod eſt falſum, vt oſtendit Auctor eadem prima par. quæſt. 89. ar. 7. & 2. con. Gent. 96. & rurſus ſupponit, angelicum intellectum recipere ſpecies à rebus, cum tamen de mente Auctoris, ac nobiliorum Theologorum, non per ſpecies acceptas, ſed eis connaturales intelligat, quod magnam intelligentiarum præſtantiam declarat. Sed de his aliàs; maneat veritas concluſionis; Intelligentiam intelligendo alias intellectione diſtincta, & propria, formare ſpecies expreſſas, velut & impreſſas ad hoc habet à naturæ auctore, &c. Impugnatur. D. Thom.

ARTICVLVS NONVS.

Quomodo ad idem homo in ſtatu patriæ, & viæ.

Sit prima, vel 5. concluſio: Beatus in cognitione beatifica non format verbũ. Hæc concluſio eſt Caiet. 1. par. quæſt. 12. ar. 2. & quæſt. illa 27. ar. 1. & Romani Aegidij quolibeto quinto, quæſtione nona, vbi eã probat, tum ex præſentia, tum ex actualitate, tum ex infinitate obiecti; & hanc ita reor eſſe mentem Auctoris, vt qui oppoſitum ſuſpicetur, à ſententia eiuſdẽ omnino recedat; Clare ſiquidem priori loco nunc citato triplici ratione probat, per nullam ſpeciem creatam poſſe diuinam eſſentiam videri, at neminem latet, tale verbum ſi à beato formaretur, quod eſſet ſpecies creata, quare, &c. Neque ſatisfacit, quod adfert Ferrar. primo cont. Gent. cap. illo 53. poſſe ſcilicet ibi, vt loquatur de ſpecie expreſſa, quæ eliciatur à forma creata, non autem de ſpecie, quæ exprimatur à forma increata, & infinita, qualis foret ſpecies expreſſa in beato, quoniã eam eliceret in virtute formæ increatæ, diuinæ ſcilicet eſſentiæ ſibi vnitæ, non valet inquam hæc reſponſio, cum quoniam tandem ſpecies illa foret creata, & ſic idem quod prius, quamuis enim intellectui beati ſit diuina eſſentia in ratione formæ intelligibilis vnita, finite tamẽ participatur à beato, vnde nequit ſpeciem elicere infinitam, tum quoniã poſſet pari via dici, quod virtute diuina daretur eiuſmodi ſpecies impreſſa creata, & potiori ratione poſſet dici, quoniam ad eam actiue eliciendam non concurreret beatus, (ſpecies profecto impreſſas non producit intellectus, ſed recipit,) vnde tota efficacia tribueretur Deo, in ſpecie vero expreſſa multum tribueretur intellectui beato, actiue illam elicienti, vnde ratio D. Thom. hac via admiſſa omnino infirmaretur, tum quoniam rationes illæ tres, quæ probant de ſpecie impreſſa, pariter, & à fortiori, vt veriſſime ibi ait Caiet. probant de expreſſa, nam & expreſſa hæc ſpecies erit ordinis inferioris, vt deducit prima, non erit ſuũ eſſe, vt dicitur in ſecũda, & erit limitata, vt colligit tertia ratio, quare impertinẽs eſt, quod adducitur pro reſpõſione. Concluſio. Caietanus. Aegidius. D. Thom. Ferrarien.

Dixi cum Caiet. has rationes à fortiori procedere de ſpecie expreſſa, quoniã ſi nequeat dari impreſſa, quæ tamẽ poni poſſet repræſentatiua per modũ actus primi, & habitus, & imperfecte, multo minus erit aſſignare expreſſam, quæ repræſentet in actu ſecundo vltimato, & perfecto; Et præterea, admirabile ſemper cuique bene conſideranti apparebit, quod abſolute, & vniuerſaliter negantem poſitionem adferat Auctor de ſpecie creata, & tamen cum duæ tantũ ſint ſpecies, quæ repræſentent, altera impreſſa, altera expreſſa, poſſit adeſſe ſpecies expreſſa, & de hac nulla ab ipſo fiat commemoratio, quæ tamen expreſſius, vt

dicebatur repræſentaret. Rurſus, ibidem dicebat, quod dicere, Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere, diuinam eſſentiam non videri, quod eſt erroneũ; Reſpondet Ferrar. hoc accipi de medio extraneo omnino à cognoſcente, & ab actu cognitionis, verbum autem foret intrinſecum vtrique, &c. At ridiculam propoſitionem adduxiſſet Auctor, quando dixit, medium in quo tollere immediationem, quis enim hoc dubitet de medio prorſus extraneo? & præterea, ſpecies impreſſa eſt ne quid extraneum à cognoſcente, & à cognitione? non vtique, quare igitur ſi hæc ſpecies intrinſeca vtrique accederet, non videretur diuina eſſentia, & cũ ſpecie expreſſa videretur? Non adfero reſponſiones Torres, tum quoniam ab alijs impugnatæ manent, tum quoniã ex his & ipſæ ruũt, tum denique, quoniam non attingunt ſcopum, nam rationes Auctoris pẽſandæ ſunt, quibus negat, ſimilitudinem vllam creatam poſſe repræſentare Deum, & potiſsimum prima, quæ ex vi repræſentationis procedit, quæ vt dictum fuit, æque, ac magis etiam procedunt de ſpecie expreſſa.

Torres.

Nonnullorum opinio cõtraria D. Thomæ.

Nec te conturbẽt quidã recentiores, qui illo ar. Auctorẽ exponentes, & ipſi omnino contradicẽtes, cenſent poſſe dari ſpeciẽ creatã impreſſam, repræſentantem diuinã eſſentiã; nam præter illa, quæ ibi à Caiet. habes, & à Capreolo in 4. diſt. 49. q. 5. circa primã concluſionẽ, & à Ferrarienſe 3. con. Gent. 49. pro ſolutione obiectionum Aureoli, illud quoque aduertas, quod ſpecies intelligibilis aliquid clare repræſentans, vt eſt ex parte rei, oportet vt ſit vel æque, vel magis immaterialis, quã ſit res ab ipſa repræſentata, aliàs non adiumento, ſed impedimento foret intellectioni; Sic dicito, quod quoniã nulla creata ſpecies, quæuis illa fuerit, poteſt hoc habere, vt Deũ vel ſuperet, vel exæquet in immaterialitate, ea propter nulla talis ſpecies, eũ vt eſt poterit repræſẽtare; Illud etiã cogita, quod talis viſio eſt obiecti infiniti, vnde nulla finita ſpecies ad id valet perducere, neque obſtat, quod finite videat beatus, quoniam ex parte obiecti, non ex parte modi metienda eſt actio, & hoc duplici fundamento, nullum argumentum non ruet; At aliàs in expoſitione 1. par. Auctoris vberius de his, & de alijs fauente Deo diſſeram.

Quid requiratur ad ſpeciem intelligibilem perfectam.

Defenditur D. Thomas.

Præterea, pro concluſione ſic arguo, Diuina eſſentia eſt forma in eſſe intelligibili in intellectu beati gerens vices ſpeciei impreſſæ, ſublatis omnibus imperfectionibus, vt docet ibidem Auctor ad tertium, quem ſequuntur aduerſarij, at quis amabo dicat, diuinam eſſentiam vniri intellectui beato, ea ſolum ratione, vt in actu primo, non autem prorſus abſoluto repræſentet ſeipſam intellectui? quod ſi ſufficientiſsime ſeipſam vniat, ad quid formabitur ſpecies expreſſa? Sed ſi dixerint, nõ ob repræſentationẽ poni verbum, ſed vt ſit terminus intellectionis, iam ex art. immediate præcedẽtibus, patet etiam, atque etiam vanitas huius reſponſi. Accedit, quod expreſſam hanc ſpeciem nullus aſsignauit, ſed docent omnes, viſionem beatificam terminari immediate ad diuinam eſſentiã, quapropter nullum medium, vel quo, vel quod in tali intuitu ponendum eſt; Denique adeſt ratio, quæ & beatum, & angelum æque probat non formare ſpeciẽ hanc, non enim multiplicãda ſunt entia abſque neceſsitate, & vane fit per plura, quod paucioribus poteſt abſolui, vt elici poteſt ex 1. Phyſ. 56. ſed abſque eiuſmodi ſpecie, optime ſaluatur, beatũ videre Deũ, & angelũ ſeipſum noſſe, vt patuit, & rurſus manifeſtũ fiet ar. ſeq. hinc otioſa penitus deprehẽditur hæc ſpẽs.

Scias autẽ facile, me tota hac concluſione locutum eſſe de beato formaliter reſpectu beatificæ viſionis, non autem cognitionis naturalis, vel reuelatæ, &c.

Vltima concluſio.

Sit ſecunda, vel ſexta concluſio: Noſter intellectus corpori coniũctus, vel homo,

mò viator in omni ſua intellectione actuali,atq; perfecta format ſpeciē expreſſam,etiā dum cognoſcit ſeipſum ; Quoniā licet anima ſit ſibi ipſi præſens ſēpet præſentia rei,& loci,nō tamē præſentia,quæ ſufficiēs ſit ad actualē notitiā,quæ ſolet vocari præſentia obiectiua , ſic & ſpecies, & habitus,qui ſunt in ipſa,patet eſſe ſibi præſentes præſentia loci, nō tamen ea ſemper cognoſcit,quoniā per impreſſās ſpecies non offeruntur in actu completo ; Et quidem hanc concluſionem docent omnes , qui verbum vnquam poſuerunt, & eandem patefecerunt , quæ omnia ferè ab artic. tertio vſque ad ſeptimum allata ſunt ; Ita omnia loca accipiantur de neceſſitate huius conceptus,qui licet extrinſecus ſit intellectui, cum non ſit de eius eſſentia , non eſt tamen extrinſecusab ipſa intellectione, cum intelligere hominis corpori huic coniuncti nequeat abſque hoc conceptu compleri, vt docebat Auctor quæſt. 8. de Potentia Dei, art. primo ; ſic quoniam à nobis obiecta ſunt abſentia , & in ſe materialia , oportet reddi præſentia , & immaterialia , quippe quod non euenit, niſi beneficio vtriuſque ſpeciei , & impreſſæ videlicet , & expreſſæ , & ſicut à propria cognitione angelica, & beatifica ſemouebamus conceptus iſtos, propter rerum obiectarum præſentiam , & ſpiritualitatem,ita ob materiam, & eorum abſentiam à noſtro intellectu, eos de neceſſitate in nobis conſtituimus , &c. D.Thom.

ARTICVLVS DECIMVS.

Confutantur argumenta articulo ſecundo adducta.

PRimo argumento , quod propoſitioni illi Auctoris peruulgatæ innititur , dicendum eſt,ly *quicumque* diſtribuere pro homine viatore,non autem vel pro beato, vel pro angelo, & eſt ſenſus, quicumque homo corpori vnitus intelligit , format in ſe conceptū rei intellectæ ; eſt igitur vniuerſalis illa propoſitio in ſubiecta materia de intellectu humano , quo ad cognitionem naturalem , & non indefinita , vt dicebat prima impugnatio . Quod autem ſecundo additur , quod de ſanctiſſima Triade loquens Auctor , illam protulerit , nihil obſtat , quoniam ex his ſenſibilibus vt licet, in cognitionem diuinorum deuenimus , quod ſi neceſſaria foret propoſitio , iam aliqua via naturali probaretur dualitas perſonarum in diuinis, quod non eſt aſſerendum ; Scio reſponſiones , quæ dari conſueuerunt, & quód Fides nobis reuelaſſet oppoſitum, & quod valeat de cognitione naturali , & creata ; ſed faciliori via ab his expedimur,dum cum Caiet.p.p.q.27.art. 1. dicimus , propoſitionem hanc non eſſe ſcitam vniuerſaliter, non tamen abs re adducitur , quoniam eiuſmodi rationes ſunt ſuadentes , non conuincentes . At videant aduerſarij , an talis propoſitio vt iacet adducatur ad concludendam proceſſionem Verbi in diuinis; Profecto quicumque intelligit in humanis format conceptum , vt per ipſum intelligat rem ſibi obiectam , at non hac ratione Pater format Verbum , vt vidimus in 1.concluſ. Rurſus,ſi teneret vniuerſaliter præfata propoſitio, iam probaretur,& Filium, & Spiritū ſanctum,dū intelligunt formare verbum,quod nulla via eſt admittendū. Senſus axiomatis D.Thomæ. Caietanus.

Ad ſecundum , quod videtur palmarium , ex ſexto articulo patet reſponſio , ſed primo dico , non ita exaggerari debere hoc argumentum , vt videatur contradictio, quod per actionem immanentem nihil producatur , cum illam propoſitionem pronunciauerit primo Ariſtóteles nono Diuinorum 16. cum eam abſolute veram acceperit Scotus, Durandus , & alij viri acutiſſimi , Scotus. Durandus.

cum

cum & Caiet. & alij Thomiſtæ percelebres eam in aliquo ſenſu admittere videantur, dum dicunt, permiſsiue per eiuſmodi actiones aliquid poſſe produci, quare dant, aliquando nihil per illas produci. Dico ſecundo, omnem actionem habere terminum, vel per ſe productum, vel aliunde. Dico tertio, actiones immanentes eſſe potius qualitates, quam actiones, vnde omne argumentum ex natura actionis deſumptum, in his nullum eſt, vt ibidem dixi. Dico vltimo, quod accipiendo intellectionem cauſaliter, & antecedenter, iam oſtendimus, quid pro termino ſibi ſit aſsignandũ, quod ſi dicatur, aſcribi debere verbum, iam in conſecutione patet interuenire fallaciam conſequentis, &c.

Quod adſertur pro confirmatione, rem videlicet nos concipere, dum eam intelligimus, concedo, ergo aliquo conceptu, dico, vel conceptu, qui ſit alius à re concepta in eſſe naturali, vel qui ſit ipſamet res in eſſe cognito, primum non eſt neceſſarium, ſecundum in omni intellectione locum habet, quod ponimus & nos.

Ad tertium, in quo tria inuoluuntur, colligitur ad ſingula reſponſio ex doctrina tradita, nam quo ad primum, anima eſt quidem ſibi præſens præſentia rei, non autem obiecti, vt poſtrema concluſione dicebatur, & quamuis ſecundum ſe ſit immaterialis, & non minus in propoſito quam ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, quoniam tamen huic corpori alligata, nihil poteſt intelligere, niſi mediis phantaſmatibus, hinc requiritur eius ſpecies, quod locum non habet in angelo, & in homine beato; Et mirum eſt, quomodo Thomiſtæ motiuum hoc de anima adducant, cum tamen Auctor ſub initium cap. 98. ſecundi contra Gentes, oſtendat, & expreſſe doceat, alio modo intellectum noſtrum ſe intelligere, & alio modo intelligentiam noſſe ſeipſam, quoniam ille per ſpeciem, cum ſit potentia intelligibilis, hæc per ſeipſam, quoniam actu eſt intelligibilis, &c. Secundum motiuum, quod efficax cenſebatur, prima concluſio omnino debilitauit, cum alia longe ratione formet verbum Pater in diuinis, quam formet creatus intellectus, ille enim ex pleniſsima, & comprehenſiua omnium cognitione, & ex naturæ fœcunditate, hic vero vt intelligat, &c. Quod vltimo loco adferebatur, ex proceſſu quæſtionis conſtat, nihil officere, quoniam non ſufficit præſentia obiecti merito ſpeciei impreſſæ ad eius actualem omnino notitiam.

Qua præſentia ſit ſibi præſens anima.

D. Thom.

Quartum facile ſoluitur, quoniam angelus noſcens ſeipſum, ſe cognoſcit, vt eſt à parte rei, nimirum hic, & nunc exiſtentem, & ab actuali exiſtentia nullatenus abſtrahentem, quod ſi adhuc ex impoſsibili cognoſceret eſſentiam ſuam, vt abſtractam ab exiſtentia, cur eadem eſſentia non poterit ſe ipſam ſibi abſque alio conceptu repræſentare? an non eſt immaterialis? an non eadem per identitatem? Quod autem adiicitur, friuolum valde eſt, neſcio enim, quomodo accidat angelicæ eſſentiæ, vt actu intelligatur, & vt actu terminet cognitionem ipſius angeli, cum & ſemper intelligatur, & ſit perpetuo coniuncta, & agente, ac paſſo debite approximatis ſequatur actio, ex octauo Phyſic. 32. Sed concedamus, quod de ſe non ſit actu intellecta, & quod accidat ei, quatenus terminat actu cognitionem, ergo ad hoc requiritur conceptus, & ſpecies, nulla eſt hæc conſequentia, nam ſeipſa terminat, & ſemper terminat, quoniam angelus eſt ſemper in ſui actuali cognitione, vt auctor quoque huius argumenti docet, quare nulla opus eſt ſpecie.

Ad quintum, quod Auctoris alumnis difficilis certe ſolutionis apparet, & quod non raro animum meum hærere fecit, ſemel audiui à thomiſta peracuto dari

to dari hanc reſponſionem, quod quando ibi ait Auctor, intentionem intellectam in angelo non eſſe ſubſtantiam, quando ſe cognoſcit, intelligebat de exacta illa cognitione, qua angelus cognoſcit ſe, quatenus in ipſo ſunt ſpecies omnium rerum, ab eius eſſentia fluentes, non autem de quacumque ſui ipſius cognitione, conſtat autem, veriſsimum eſſe, quod ſi angelus debeat cognoſcere eſſentiam ſuam ſub ea ratione, qua rerum omnium ſpecies habet, & adeo prægnans eſt, atque fœcunda, quod format intentionem, & quod illa intentio non eſt eius ſubſtantia, at loquendo de cognitione ſuæ eſſentiæ vt ſic, ſecluſis ſpeciebus non format verbum, & quod ab eo intelligitur, eſt eius ſubſtantia. Hanc reſponſionem non omnino damno, quandoquidem in re difficili, aliquid adſerre, quod vel vmbram veritatis habeat, non apparet contemnendum, quoniam tamen ſupponit hæc reſponſio, ſpecies connaturales angelo, eſſe proprias eius paſsiones, quod in controuerſia adhuc conſtitutum eſt, & forte pars negans probabilior eſt, ideo difficilior apparet reſponſio, quã argumentum cui adhibetur. Rurſus, ait ibi Auctor, quod angelus per ſe cognoſcit ſe ipſum, quod ſi datam reſponſionem ſequamur, iam non per ſe, ſed per additas mille ſpecies ſe cognoſcet, & præterea intentio intellecta non erit angelo omnino intrinſeca, quod tamen ibidem vult Auctor. Quo circa, licet quid veritatis poſsit reſponſio illa continere, eſt tamen aliena à mente Auctoris eo loci. *Prior ſolutio.* *Iudicium de illa ſolutione.*

Alij Auctoris diſcipuli, & aliorum magiſtri, alium dicendi modum excogitarunt, vt videlicet intentio intellecta in actu non ſit eius ſubſtantia formaliter, ſed identice, & differat ab eo ſecundum eſſe obiectiuum, non ſecundum eſſe ſubiectiuum, hoc eſt dictu, angelus vt intellectus differt à ſe ipſo, vt intelligens ratione, & formaliter, non autem ſubiecto; Sed quamuis hæc doctrina ſit vera, non eſt tamen ad mentem Auctoris, quoniam & Deus quatenus a ſe intelligitur, differt ratione à ſe ipſo, vt intelligens eſt, ſic nihil eſſet diſcriminis inter angelicum, & diuinum intelligere, contra Auctorem ibi. *Alia ſolutio.*

Alij eiuſdẽ Auctoris ſectatores clariſsimi dicebant, inſpicienda eſſe in ipſo ea, quæ ex inſtituto pertractat, non autem ea, quæ obiter inſerit, nemo autem non videt, quod cap. illo 11. nullatenus ſibi propoſitum conſilium eſt de angelica cognitione agere, ſed de generatione Filij Dei, & de iis, quæ de eodem Filio in Scripturis dicuntur, vnde toto illo capite, & valde oblongo nil aliud profert de cognitione angelorum, immo vbi duo illa verba protulit, mox comparat rurſus intelligere diuinum cum intelligere humano, nulla deinde habita mentione de intelligere angelico; & nequaquam ſpernenda eſt hæc reſponſio, quam etiam minime neglectui habebat R.P. Magiſter Alphonſus Soto Ord. Prædicatorum theologus abſolutiſsimus, in Patauina Academia Theologiæ famoſiſsimus profeſſor, quẽ adhuc viuentem honoris cauſa nomino, nam certe loca illa ſpectãda ſunt, in quibus de induſtria aliquid definitur. Et pro huius reſponſi confirmatione id poſſumus addere, quod illud non parum firmabit, quod nimirum vbi data opera, & loco germano de propria cognitione angelica verba habet, vt quæſtione de Veritate 8. art. 6. ſecundo contra Gent. cap. illo 98. & p.p. quæſt. 56. art. primo, nullam penitus mentionem habet de tali intentione, ſed ſemper abſolute profert, angelum ſe per ſuam eſſentiam cognoſcere, quare proprij loci conſiderandi ſunt, non autem tralaticij, & omnino ferè accidentarij. *Tertiam reſponſum.* *Alphonſus Sotus. Probatur.*

Veruntamen & aliam reſponſionem imaginor, & ea eſt, quod verba Auctoris

Auctoris reſponſio. ctoris, accipienda ſint virtualiter, non formaliter, veluti & accipiuntur propoſitiones variæ à philoſophis, & à theologis; dicebat vtique Ariſtoteles 2. Cœli 15. motum cœli incœpiſſe in oriente, vnde ibi probat, oriens eſſe dexteram partem cœli, cum tamen apud Ariſtotelem motus cœli numquam incœperit, ſed vult dicere, quod ſi incœpiſſet, certe in oriente incœpiſſet, ſic illa propoſitio facit ſenſum virtualem, non formalem, ſimiliter dicunt philoſophi, conſtitui ſpeciem per differentiam, & tamen reuera differentia non conſtituit ſpeciem, quoniam nihil ſe ipſum conſtituit, ſed volunt dicere, quod ſi ſpecies conſtitueretur ab aliquo, illud eſſet differentia; Sic Theologi dicunt, immutabilitatem in Deo eſſe cauſam æternitatis, & tamen nulla cauſa ibi poteſt aſſignari, ſed ſi diuina æternitas ab aliquo poſſet cauſari, ab immutabilitate cauſaretur; neq; in re maniſeſtiſſima eſt ulterius immorandũ. Quapropter dico, velle ibi dicere Auctorẽ, quod ſi angelus dũ ſe intelligit, formaret intentionem, illa intentio non foret ſua ſubſtantia, ſed eſſet verum accidens, ſic optime ſaluat differentiam, quam inter diuinum, & angelicum intelligere aſſignat, quoniam Deus format verbum, quod eſt ſuamet ſubſtantia, at ſi formaret angelus verbum, eſſet accidens. Neque quis dicat, quod non defuiſſet hic modus loquẽdi Auctori, nam rudis eſt hæc cogitatio, quoniam neque Ariſtoteli, neque Theologis deeſſent hi modi loquendi in allegatis, & conſimilibus propoſitionibus aliis, & præterea, ſi ita Auctor fuiſſet locutus, nulla iam Thomiſtis de hoc супereſſe poſſet dubitatio, at quoniam non ſe omnino in hoc explicaſſe viſus eſt, eapropter eius diſcipuli hac in re varij ſunt.

Senſus variarum propoſitionum.

Denique reſpondeo, quod quoniam angelus dum ſe intelligit, inter ipſum vt intelligit, & vt intelligitur, mediat potentia intellectiua, quæ eſt elicitiua immediate intellectionis, ideo ex hoc capite dici poteſt intentio intellecta non eſſe eius ſubſtantia, hoc eſt, ipſemet vt intellectus eſt, non eſt ſubſtantia eius, quoniam intercedit accidens, quod eſt potentia intellectiua, ſic ex parte termini hæc intentio intellecta, hoc eſt, angelus, (nam nullam format ſpeciem ſuperadditam,) vt eſt intellectus, eſt ipſamet angeli ſubſtantia, at ex parte medij, & principij elicientis hanc intellectionem, non eſt eius ſubſtantia, ut ly *intentio intellecta* non referatur ad terminum præciſe, ſed ad terminũ cum omni eo, quod de neceſſitate interuenit, ad hoc vt intelligatur. Neque dicas, reddi ex hoc infirmam doctrinam Auctoris, & præcipuum fundamentum meum, quo dico, angelum ſe per ſe ipſum agnoſcere; nam ly *per ſe* excludit ſolam ſpeciem additam, & impreſſam, & expreſſam, non autem potentiam intellectiuam, & intelligere, quorum vtrumque conſtat in via ipſius eſſe accidens in omni creato intellectu.

Alia eiuſdem ſolutio.

Neque putes, vltimam hanc reſponſionem ab Auctore eo loci eſſe alienam, quoniam bene conſideranti apparet, eum ibi colligere, intentionem intellectam in Deo eſſe ſuam ſubſtantiam per hoc, quod intelligere eſt ſuum eſſe, & intellectus eſt ſua ſubſtantia, vnde & ex parte horum mediorum colligit diſcrimen inter intelligere diuinum, & humanum, & angelicum.

Caietanus. Illud quoque te obſeruare volo pro huius argumẽti cõfutatione quod Caiet. p. p, q. illa 27. ar. 1. vbi docuit, angeũ lin ſui cognitione non formare verbũ, paucis interiectis, dum aperit, quid ſit verbum, remittit legentem ad illud 11. caput 4. contra Gent. quod certe nec ſomnio concepiſſet, ſi vidiſſet auctoritatem hanc velle, vt angelus formaret verbum, quomodo enim id in eodem commentario ingenium illud acutiſſimum non animaduertiſſet? Sed vtinam

Caiet.

Caieta nus hanc Auctoris auctoritatem fuiſſet interpretatus, at cum id ab ipſo factum non videamus, varios ſenſus audiſti, ex quibus difficultas ſublata eſt, &c.

Ad locum autem Caietani pri par.quæſt. 14. art. ſecundo, qui & ipſe non eſt facilis ſolutionis, & explicationis, alterum ex duobus dicere oportet, vel nos debere amplecti id, quod poſterius ad 27. quæſtionem ſcripſit, vbi conſtanter profert, angelum in ſui cognitione non formare verbum, vel quod magis placet, ne Caietanum breui quæſtionum interſtitio ſibi contrarium faciamus, dicemus verba illa protuliſſe in arguendo, non autem in definiendo, & quamuis dum reſponſum dat argumento, dicat in ſolo Deo conceptum, qui eſt ſpecies expreſſa eſſe ſubſtantiam, inde tamen non fit conſequens, angelum formare conceptum, ſed quod ſi formaret, eſſet accidens, quod veriſſimum eſt. Si autem dicatur, quod tunc in angelo etiam intelligens, & intellectum erunt idem, quod ibi videtur Caiet. negare, dico, quod ſunt idem, ſed non omnibus modis, quoniam per intelligere, & per potentiam intellectiuam fit intelligens intellectum, quod intelligere, & quæ potentia realiter differunt à ſubſtantia angeli intelligente, & intellecta, vnde non negat Caiet. intelligens, & intellectum in angelo eſſe idem, quoniam contradiceret Ariſtoteli tertio de Anima 15. & duodecimo Diuinorum 51. & Auctori ſecundo contra Gent. cap. 98. vt in proceſſu quæſtionis patuit, ſed inquit, quod non ſunt idem omnibus modis, & ex parte nimirum medij, hoc eſt, potentiæ proxime elicientis intellectionem, & ex parte eiuſdem intellectionis.

Quomodo accipiendus Caietanus.

Ariſtotel.

D.Thom.

Ad quintum, & vltimum perfacilis eſt ſolutio, ſi dicatur, idem ſub eadem ratione non poſſe eſſe terminum, & principium, at angelus ſub alia ratione intelligit ſe, vbi eſt principium, & ſub alia à ſeipſo intelligitur, vbi rationem habet termini; eſt vtique principium, quatenus ſe ipſum immediate vnit, & per identitatem cum ſua potentia, eſt terminus, prout iam in actu intellectus conſideratur, &c. Sed iam de hac quæſtione ſatis.

QVAESTIO QVINTA.

Num pro pluralitate hominum, ſit pluralitas intellectuum?

CIRCA quartam partem literæ, in qua reijcitur error Auerrois, qui intellectus vnitatem, ex formæ intellectæ vniuerſalitate collegit, & eiuſdem fundamentum confutabatur, quæſtionem excito nobiliſſimam, & perarduam de vnitate, ſeu multiplicatione intellectus, num ſcilicet vnus dũtaxat ſit intellectus in omnibus indiuiduis humanæ ſpeciei, an vero ad ipſorum indiuiduorum multiplicationem multiplicetur; quæ nouem articulis complebitur, in quorum primo explicabitur titulus, in ſecundo, ſententias falſas prorſus, ſtultas, ac hæreticas adferam, in tertio, nonnulla ad quæſtionem neceſſaria adducam, in quarto, bimembris concluſio ſtatuetur, & declarabitur, in quinto, quo ad vtramque partem ſimul probabitur, in ſexto, adhuc probabitur, ſed ſigillatim, ac ſeorſum pars vna ab altera, in ſeptimo, rationes quaſdam Auctoris pro huius

quæſiti veritate propugnabo, & efficaces oſtendam, in octauo, motiuum Auerrois præcipuum ex vniuerſalitate formæ intellectæ deſumptum, quod in hac litera adſertur expendam, & nullum declarabo, in vltimo, quæ argumenta ſupererunt confutanda, confutabo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponatur, & quid, & apud quos quæratur.

CVm duplicem in anima noſtra partialem intellectum, agentem ſcilicet, & poſſibilem conſtituamus, vt euidenter colligere potuiſti, & ex annotationibus huius capitis, & ex proxime habitis quæſtionibus, quæſtio hæc erit de vtroque intellectu, quoniam de vtroque varii varia ſenſerunt; Circa intellectum vero poſſibilem magis inſiſtemus, tum quoniam de hoc ſolo loquitur hæc litera, circa quam emergit quæſtio, tum quoniam in hoc multus fuit Auerroes, cuius errorem dumtaxat confutatum legis in textu.

Non ignores autem, me in præſenti ſupponere, animam intellectiuam eſſe formam hominis ſubſtantialem, & corpus informantem, non autem formam aſſiſtentem, quo modo nauta dicitur forma nauis, nam qui hoc in dubium vocare vellet, altera quæſtio eſſet formanda, & quidem copioſiſſima, de qua nulla eſt in litera mentio, cuius tamen pleniſſimam habes ſolutionem apud Auctorem quæſtione de Spiritualibus creaturis, artic. ſecundo, & quæſtione de Anima, articulo ſimiliter ſecundo, & ſecundo contra Gentes, cap. 56. 59. 60. 61. 68. 69. & 70. vbi perdocte viis omnibus, etiam quo ad principia Ariſtotelis commonſtrat, animam intellectiuam eſſe formam homini coniunctam, & hominem ſpeciem ſuam ſortiri ab ipſa, & poſſibili intellectu, non autem à cogitatiua, vel ab intellectu paſſiuo, quod & oſtendit pri. par. quæſt. 76. art. primo. Quicquid enim fuerit de mente Auerrois in hoc, non eſt cur magna nos teneat ſollicitudo, nam quamuis ab omnibus prope antiquioribus, & recentioribus, quos viderim ei tribuatur, vt cenſuerit, animam intellectiuam aſſiſtere homini, & ab eo eſſe ſeparatam quo ad eſſe, vt certe eius verba referre videntur, commento potiſſimum quinto tertij de Anima, non defuerunt attamen quidam eius doctrinam ſectantes, qui doceant illum exiſtimaſſe, animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialem homini dantem eſſe, ceu Alexander Achillinus vltimis verbis dubij quarti, & poſtremi quolibeti ſui tertij, vbi poſtquam ſex viis probauit hanc veritatem, inter quas quinta erat ex conſequentiis, quas infert Commentator, & multa argumenta ex quinque viis deſumpta confutauit, dubium illud, & quolibetum dicit ſe claudere hoc dicto, quod ſcilicet non errat Auerroes in hoc quæſito, an intellectus poſſibilis det eſſe homini. Et Ferrarienſis ſecundo contra Gentes 59. & tertio de Anima, quæſtione quinta, refert quoſdam iuniores Auerroiſtas, qui nonnullis eiuſdem Auerrois dictis innixi, cenſent ad aures eius, intellectum eſſe formam dantem eſſe homini, quamuis in omnibus hominibus ſit vnus numero, quæ tamen dicta idem Ferrarienſis vtrobique oſtendit non concludere, vt ea fuerit Auerr. voluntas, cum ex commento illo quinto tertij de Anima conſpicuum ſit, ipſum po-

D. Thom.

Commune de Auerroe iudicium.

Achillin.

Ferrarien.

fuiſſe intellectũ ab homine ſecundum eſſe ſeparatum, quando potiſſimum inuehit contra Alexandrum, & eius rationes ſoluit; Sed & ex commento 36. eiuſdem libri videtur mens eſſe Auerrois eadem, vt ſcilicet anima aſſiſtat homini; Soncinas etiam quæſt. 25. duodecimi Diuinorum ait, quoſdam adeſſe dicentes, Auerroem ſenſiſſe, vt anima ſit homini quo ad eſſe coniuncta, & ſecundum operationem tantum ſeparata, ipſe nihilominus contrarium cum via communi de Auerr. ſentit, Et quæſt. illa, & 24. proxime præcedente, & 58. & 59. eiuſdem libri. Auguſtinus quoque Niphus commento illo ſuo adeo prolixo ad eundem quintum tertij de Anima, poſtquam citauit opinionẽ Iandúni in hoc negotio, & impugnauit, commemorat quoſdam Auerrois ſectatores, qui ad aures ipſius dixerunt, intellectum, & intellectiuam animam eſſe formam hominis ſubſtantialem; quæ hominem in ſpecie conſtituit, & deinde adfert placitum cuiuſdam Vitonienſis, qui idipſum de mente Auerrois docuit: Sed quoniam via Auerrois quocumque modo exponatur, inſolubiles patitur difficultates; ideo iure ibidem collegit Sueſſanus, (relata prius, atque reiecta mente Ioannis Bachonitani de modo intelligendi in hoc Auerr.) poſitionẽ Commentatoris eſſe meram fictionem, quoniam quouis modo exponatur, eſt impoſſibilis, & contra naturalem philoſophiam, vnde tenet, & pro ſententia Ariſtotelis, & pro veritate, animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani, à qua eſt hominis eſſe, & operatio, ſecundum quam homo eſt homo, & animal rationale, & formaliter intelligens. Soncinas. Sueſſanus.

Sic colligere debes; minus veritatem habere, quod à quibuſdam dicitur, apud omnes ſcilicet hæc mutuo ſe inferre, animam intellectiuam eſſe formam homini dantem eſſe, & intellectum multiplicari ad indiuiduorum multiplicationem, quamuis etenim rem ita ſe habere, & ego, & alij multi ſentiant, non tamen omnes, vt patet de iis, quos recenſuimus, quippe qui & cenſent, animam intellectiuam eſſe formam hominis ſubſtantialem, & tamen vnam in omnibus indiuiduis; inter quos præcipuus eſt Achillinus, qui & primum probauit, vt dixi, & ſecundum etiam eodem quolibeto, dubio ſecundo conatus eſt demonſtrare ad aures Ariſtotelis, ſic non erit vana hæc quæſtio, licet primum illud ſuppoſuerimus, quamuis idipſum dum vnitas intellectus impugnabitur, non obſcure probandum ſit. Falſa nonnullorum cogitatio.

Scias autem, quæſtionem hanc formari in gratiam philoſophorum; & Ariſtotelis, quale nimirum fuerit horum iudicium, nam quo ad rei veritatem, & Fidem catholicam patentiſſimum eſt, multiplicari intellectum ad multiplicationem hominum, & error iſte de intellectus vnitate in omnibus hominibus damnatus inuenitur in Concilio Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. octaua, vbi etiam eodem modo definitur, anima intellectiua eſſe forma hominis, quare de his nullus catholicus dubitat, ita Iandunus in fine quæſt. 7. tertij de Anima ait, quod quamuis ad aures Ariſtotelis, & Auerrois ſit vnus omnium intellectus, & anima intellectiua ſit forma aſſiſtens, oppoſitum tamen horum ſuſtinet, quod nihilominus inquit ſe non probare aliqua demonſtratione, quoniam non habet, & ſi quis eas habeat, dicit gaudeat; vnde ſola fide perhibet ſe tenere, quod anima intellectiua ſit forma dans eſſe homini, & quod intellectus ad eorum multiplicationem multiplicetur, Achillinus quoque ſoluit rationes, quæ videbantur intellectus vnitatem in via Ariſtotelis probare, &c. Conciliũ Lateranen. Iandunus. Achillin.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Errorem aliquorum, & eorundem fundamenta.

AVerroes commento illo quinto 3. de Anima, vbi multa præmiſit, quæ non modicas difficultates ferunt circa intellectus naturam, vbi priſcorum philoſophorum placita retulit, ait denique, ſibi viſum eſſe ſcribere mentem ſuam, & inquit, quod ſi illud quod ſibi apparet, non fuerit completum, erit principium complementi, & ſic rogat fratres, qui ſcriptum illud ſuum viderint, ſcribere ſuas dubitationes, nam ex eorum dubitationibus fortaſſis horum veritas inuenietur, ſi nondum ab ipſo fuerit inuenta, & ſi fuerit inuenta, vt ipſe fingit, (ſic loquitur,) tunc per illas quæſtiones declarabitur.

Modus loquendi Auerrois.

Accedens itaque ad propoſitam de poſſibilis intellectus multiplicatione difficultatem, (quam quæſtionem non ſemel valde difficilem, & maximam habere ambiguitatem dicit,) inquit, impoſſibile eſſe, vt intellectus copuletur cum vnoquoque hominum, & per eorum numerationem numeretur; Et quoniam videt hominem intelligere, hoc enim in ſeipſo & aliàs & actualiter tunc, dum rem hanc contemplabatur, & ſcribebat, experiebatur, eapropter modum aperit, quomodo hic intellectus homini copuletur, adeo vt homo intelligat, & ait manifectum eſſe, hominem non eſſe intelligentem in actu, niſi ob continuationem intellectus cum eo in actu.

Quotuplex cõpoſitio.

Præmittit autem, quod duplex eſt compoſitio, vel copulatio, altera eſt materiæ, & formæ, congregatum enim ex eis eſt vnicum, altera autem intellectus materialis, & intentionis intellectæ in actu, & quod ex his componitur, non eſt quid tertium aliud ab eis, velut compoſitum ex materia, & forma eſt aliud à materia, & à forma, & ex hoc loco elicitur celebre illud Auerr. proloquium, fieri ſcilicet magis vnum ex intellectu, & intelligibili, quam ex materia, & forma. Cum itaque ſi homo debeat intelligere, per intellectum ſibi copulatum illud efficiat, non continuabitur ei intellectus, niſi ope alicuius harum partium, vel ſcilicet partis, quæ intelligibilis eſt, quaſi materia, vel partis, quæ eſt quaſi forma; & cum doceat fieri non poſſe, intellectum copulari cum vnoquoque hominum, & ad eorum numerationem numerari ratione partis, quæ eſt de eo quaſi materia, ratione ſcilicet intellectus materialis, remanet, vt ipſe ait, hanc continuationem intellectorum cum nobis hominibus fieri per continuationem intentionis intellectæ cum nobis, ſic numeratur ratione partis, quæ eſt in nobis aliquo modo quaſi forma.

Explicantur verba Auerrois.

Vt quæ ex Auerroe relata ſunt percipias, ſcias primo, quod nomine intentionis intellectæ, ſeu imaginatæ, vel intentionum intellectarum accipit Auerroes ipſa phantaſmata, ſcias ſecundo, quod per intellectum materialem, intelligit intellectum poſſibilem, non quia in ſe ſit materialis, ſed quoniam vt materiale quoddam ſe habet in ordine ad intentiones imaginatas, vel intellectas, quas recipit, & hæ ſpecies, vel intentiones, vel phantaſmata, ſunt forma poſſibilis intellectus, ſe habent enim vt colores ad viſum, vnde ſicut colores ſunt formæ potentiæ videntis, ſic illæ intentiones ſunt formæ intellectus poſsibilis; Cum itaque ſi debeat homo intelligere, requiratur & poſsibilis intellectus, & forma intellecta, inquit continuari intellectum nobis merito formæ

illius, vel intentionis, cuicumque autem talis forma coniungitur, & intellectus coniungitur, iam enim dixit, non fieri aliquod tertium ex intellectu, & intentione intellecta, ſed vnum eſſe, vel fieri aliud, & vult multiplicari intellectum ad hominum multiplicationem, non penes id quod ſe habet vt materiale in intellectione, non inquam penes poſſibilem intellectum, ſed iuxta id quod ſe habet vt forma, iuxta nimirum intentiones intellectas, vel phantaſmata, quæ ſunt ſubiecta quædam illarum intentionum, ſeu formarum intellectarum; Sic intellectus denominabitur plures extrinſece, quatenus varia phantaſmata habent ordinem ad ipſum, in ſe autem vnus erit, æternus, & immortalis, corruptibilis vero merito phantaſmatum, per quæ dicitur nobis continuari, & multiplicari; Ipſa quoque intellecta imaginata ſunt generabilia, & corruptibilia, merito tantum ſubiecti, per quod vera ſunt, hoc eſt, merito phantaſmatum, ſunt autem æterna merito ſubiecti, per quod ſunt vnum entium in mūdo, quod ſane ſubiectum ait eſſe intellectum materialem, vel poſſibilem; ſic conſiderata hæc intellecta vt ſunt entia ſimpliciter, non in ordine ad aliquod indiuiduum, vere dicuntur eſſe æterna, & ſemper intelligi, non autem quandoque ſic, quandoque non, at ſecundum multitudinem, & diminutionem, quæ eis prouenit à poſtrema perfectione, hoc eſt, à formis intellectis, & phantaſmatibus, & cogitatiua, ſic ſunt generabilia, & corruptibilia, & multiplicantur. Ita colligit Auerroes, quod puer erit intelligens in potentia duplici via, nam primo formę imaginatæ, quæ ſunt in eo, ſunt intellectæ in potentia, ſecundo, intellectus materialis, qui natus eſt recipere intellectum illius formæ imaginatæ, eſt recipiens in potentia, & continuatus nobis in potentia, quoniam cum continuetur merito intentionum, & hæ in puero ſint in potentia ſolum intellectæ, ſequitur, vt talis continuatio, ſit ſolum potentialis.

Phantaſmata quomodo ex Auerroe corruptibilia, & æterna.

Hæc eſt Auerrois ſententia, quam ex eius prope verbis formaliter collegi, nam à diuerſis diuerſimode adfertur, quoniam certe quacumque via exponatur, eſt impoſſibilis, vt ſuperiori art. cum Sueſſano dicebam.

Confirmat hanc ſuam poſitionem Commentator quibuſdam argumentis, & multa alia à nonnullis, qui ſibi adhæſerunt formantur, & præſertim à Ianduno, & Achillino locis memoratis; At circa Auerrois argumenta recte obſeruatum video à Romano Aegidio quæſtione ſua famoſa de Poſſibilis intellectus pluralitate, quod non ſunt niſi vna ratio, & vnicum argumentum, quoniam omnia illi fundamento innituntur, & radici, quod intellectus eſt immaterialis, iccirco intulit, non poſſe multiplicari, & ibidem facile oſtendit commemoratus auctor, omnes Auerrois rationes, quas ad ſex redegit, vel pendere ex præfato fundamento, vel ſaltem illud admiſcere; formemus tamen nos quaſdam rationes breuiter, quæ fortiores iudicatæ fuerint, pro Commentatoris poſitione.

Rectum iudicium Ægidij de Auerrois rationibus.

Et prima ſit, quod ſi ponatur multiplicari intellectus ad multiplicationem indiuiduorum humanæ ſpeciei, tunc eſſet hoc aliquid ſingulare, ſic foret corpus, aut virtus in corpore, ſic eſſet materialis, nihil enim multiplicatur ratione corporum, niſi ſit vel materiale, vel in materia; Ex hoc autem ſequuntur multa abſurda, tunc enim erit ipſe intellectus intentio intellecta in potentia, nam quod eſt materiale, concernit hic, & nunc, & potentia ſolum eſt intelligibile. Rurſus, cum intentio intellecta in potentia ſit ſubiectum, quod mouet intellectum illum qui recipit, hoc eſt poſſibilem, non autem ſubiectum motum, (intentiones quippe mouent intellectum, non ſunt motæ,) igitur idē

Auerrois argumenta.

mouebit

mouebit ſeipſum, & denique, cum intentio intellecta in potentia recipiatur in intellectu, ſi ponatur intellectus eſſe eiuſmodi intentio, iam idem recipiet ſeipſum, quæ omnia impoſſibilia apparent, &c.

Secundo, Si reciperet ſeipſum intellectus, & intentio, intentionem, tunc reciperet ſe vt diuiſa, & ſic virtus intellectiua nihil differet à ſenſitiua, materiales enim erunt ambæ, & materialiter recipient, immo nulla foret differentia inter eſſe, quod habet forma extra animam, & illud quod habet in anima, nã vtrobique erit ſingulare, atque ideo materiale, & hactenus quidem hæc motiua inde deſumuntur, quod eſſet intellectus materialis, ſi multiplicabilis.

Tertio, Si multiplicetur intellectus cum hominibus, iam eis eſſet contiictus, eiſque vt ita dicam immerſus, & cum illis fieret, ac produceretur, at contrarium habetur ex Ariſtotele, nam tertio de Anima 4. docet cum Anaxagora, intellectum eſſe immiſtum, quod & ibidem tex. 6. repetit, & primo eiuſdem 82. ait, rationabiliſſimum eſſe, quod intellectus ſit antiquiſſimus, & diuinus, & de intellectu agente legimus eodem lib. tertio, tex. 19. eſſe ſeparabilem, immiſtum, & impaſſibilem. *Ariſtotel.*

Quarto, Si quot homines, tot intellectus ponantur, cum de mente Ariſtotelis generatio ſit æterna, iam homines infiniti præceſſerunt, iam ergo & intellectus infiniti, igitur apud Ariſtotelem datur infinitum in actu, quod tamen vbique acerrime negat.

Themiſt. Auerroem præceſſit lucidiſſimus Themiſtius, qui per nonnulla capita tertio illo de Anima, à 27. vſque ad 32. incluſiue docet, hominis eſſentiam conſiſtere in intellectu agente, & hominem eſſe intellectum agentem, & cap. 28. id probat teſtimonio Ariſtotelis primo de Anima 66. quem textũ valde exaggerat, & ibidem 20. tertij eiuſdem adducit, & cum illo comparat, quos duos textus idipſum docere, & ſibi reſpondere oſtendit, quos tamen pro ſe non debebat adducere, quoniam ſunt contra ſe, vt videbitur, & cap. 30. adſert pro ſe Theophraſtum; In trigeſimo autem primo patefacit, intellectum agentem non eſſe Deum, ſed animæ noſtræ partem, vel ſpeciem, vnde poſtremo cap. 32. docet, hunc agentem intellectum eſſe vnum in omnibus hominibus, quod probat argumentis prope eiſdem, quibus poſſibilis intellectus vnitatem probabat Auerroes, vnde firmiores rationes ſuas in hoc negotio deſumpſit Auerroes à Themiſtio, petit enim, quomodo differrent hi intellectus, ſi plures ponantur, nam ſingularia, quæ ſub eadem ſpecie habentur, materiæ interſtinctione, (vt vertit Hermolaus Barbarus,) diſcernuntur, ſic intellectus foret materialis, ecce fundamentum Auerrois, ex quo deinde motiua alia, vt audiſti deduxit; Sic dicit, quod velut vnus eſt Sol, & lux, quæ ab eo prodit, quaſi ab eo abiungitur, & diuellitur, ſic intellectus agens eſt vnus, & multi, qui illuminantur, vnde ait, intellectum agentem comparari ab Ariſtotele lumini 3. ſcilicet de Anima 18. quod & confirmat ex communibus animi prænotionibus, & conceptionibus, & ex illa notitia primorum principiorum ingenita, & impreſſa ope naturæ in omnium mentibus, non autem vlla ratione, vel vlla doctrina; Sed & illud adducit de doctrina, quæ à magiſtro in diſcipulum trãſfunditur, neque enim ille docere, neque hic addiſcere poſſet, niſi ab vtroque eadem commentatio tractaretur, vnde idem erit intellectus diſcipuli, & magiſtri, eſt enim idem actus intellectus, quare & eadem eſſentia, quod idem motiuum cap. 33. immediate ſequenti repetit. Et hanc fortaſſe cauſam eſſe ait, quare ad homines tantum pertineat docere, & diſcere, nam in reliquis ani- *Eius rationes illis Auerrois ſimiles.*

malibus

malibus conſtitutio animarum, & præparatio eſt inepta, & contumax, vt intellectum potentiæ poſſint recipere, qui ab intellectu agente perficiatur, &c.

Conueniunt itaque Themiſtius, & Auerroes, quod vnicus ſit intellectus omnium hominum, quamuis enim ille loquatur de intellectu agente, iſte autem de poſſibili, attamen & Auerroes ait denique loco frequenter allegato, poſt ea quæ de intellectu poſſibili adducit, ſic vniuerſaliter eſſe ſentiendum de intellectu agente, qui creat intellecta, velut de intellectu diſtinguente, & recipiente dictum eſt, & apud Auerroem idem eſt intellectus agens, & poſſibilis realiter, & quatenus agit, & intelligit, dicitur agens, quatenus recipit ſpecies, dicitur poſſibilis; Differunt autem, quoniam Themiſtius vult homines eſſe eſſentialiter intellectum agentem, Auerroes autem vult intellectum poſſibilem eſſe ſeparatum, & non coniunctum nobis, niſi merito continuationis explicatæ. Quomodo Themiſtius & Auerroes conſentiant. Quomodo diſſentiant.

Et hæc de antiquorũ ſẽtẽtia quo ad intellectus vnitatẽ breuisſimo epilogo; nam ſi cumulatius videre cupias mentẽ Themiſtij de poſſibili intellectu, & iudicium Alexandri, ac Simplicij circa naturam, & vnitatem vtriuſque intellectus, poſt ipſoſmet Græcos doctores, vide Albertũ tertio de Anima, tract. 2. à cap. 2. vſque ad ſeptimum, vbi priſcorum philoſophorum errores, & eorundem confutationes habes; Vide etiam Sueſſanum in collectaneis, & comm. ad illum 5. tertij de Anima, & Toletum Cardinalem quæſt. eiuſdem libri 10. & 14. Themiſt. Simplic. Alb. magn. Sueſſanus. Toletus.

Quod vero ad recentiores attinet, iam dixi, & Achillinum, & Iandunum, (ſi tamen vbi tot poſt ipſos ſcripſerint, ſint inter recentiores commemorandi,) locis recenſitis Auerroem imitatos, & ſibi ſuaſum habuiſſe, quod hoc idẽ ſenſerit Ariſtoteles, quos Mirandulanum referunt aliqui ſubſecutum, & nouiſſime Genua hos omnes ſectatus eſt quæſt. ſecunda ad illum quintum, dicens vnicum eſſe intellectum ad aures Ariſtotelis, & eundem homini ſolum aſſiſtere, non autem eius vere formam eſſe, &c. Genua.

ARTICVLVS TERTIVS.

Obſeruationes pro veritate definienda.

Illud ante omnia præmitto, quod negotium hoc de intellectus vnitate, vel pluralitate, optime iam pridem, & egregie diſcuſſum fuit ab Alberto, tertio de Anima loco allegato, cap. 7. & ſecunda parte Summæ de homine, quæſtione de intellectu ſpeculatiuo, art 3. & ab Auctore opuſculo de hac materia data opera, (quod philoſophi illi qui ſe chriſtianos agnoſcunt, accuratius certe inſpicere deberent,) & quæſt. diſputatis de Spiritualibus creaturis art. 9. & de Anima art. 3. & 2. cont. Gent. 73. & 75. & prima par. quæſt. 76. art. 2. quibus in locis, & omnia aduerſariorum argumenta, nullius eſſe roboris declarat, & veritatem ipſam efficacisſime concludit. Aegidius etiam peramplam quæſtionem ad hoc formauit, & nonnihil etiam dixit quolibeto ſecundo, art. ſecundo, Sueſſanus quoque loco allegato Auerrois argumenta diſſoluit, quod ipſum præſtat Achillinus, quamuis de mente Auerrois, & Ariſtotelis contrariũ cenſeat; Et Paulus Soncinas duodecimo Diuinorum quæſtionibus illis 24. & 25. mentem Auerrois, & quo ad animæ intellectiuæ aſſiſtentiam, & quo ad intellectus vnitatem nobiliter impugnat, & poſteriori quæſtione adfert ex Alb. magn. D. Thomæ loca. Aegidius. Sueſſanus. Achillin. Soncinas.

Auerr.

Auerr. ſententiã Theophraſti, Themiſtij, Alexandri, Auicennæ, Abumazer, &c. quare ſuperuacanea ferè poſſet hæc mea quæſtio apparere, cum tanta fœlicitate à nobilisſimis ingenijs ventilata fuerit, quod attendentes & Ferrarienſis, & Bannes, ille in fine cap. 75. libri contra Gent. allegati, dixit multa potuiſſe adduci in illius capitis explicationẽ, ſed quoniam ab Auctore alibi plenisſime ſunt explicata, ideo ea data opera præteriuit, iſte vero loco relato primæ par. hanc quæſtionem ſilet, remittens lectorem ad quoſdam ex commemoratis auctoribus. Sed & illud accedit, quod Cardinalis Toletus quæſtionem ſuper hoc plenam certe tractauit ſecundo de Anima quæſt. ſecunda, vbi ex Auctore, & alijs quos recenſui, manifeſte demonſtrat, mentẽ Auerrois eſſe ab omni veritate, & à principijs Ariſtotelis, ac veræ philoſophiæ omnino diſſentaneam, & Pererius ſexto de rerum naturalium principijs cap. 23. intellectus pluralitatẽ probat; Aquarius etiam dilucidatione ſecunda ad duodecimũ Diuinorum negotium hoc attigit, & demum Zabarella lib. 27. illorum 30. quem de mente humana nuncupauit, à cap. 2. vſque ad decimum oſtendit, animam intellectiuã eſſe formam hominis informantem, Auerr. opinionem diſcutiendo, & extirpando, & à cap. illo 10. vſque ad 13. eiuſdem ſententiam de intellectus vnitate ſubuertit, & Auctoris argumentis probat, ad hominum multiplicationẽ multiplicari, & eius argumenta ferè potiora comminuit. Attamen cum omnibus his, quoniam de re hac meminit litera in hac parte, & quæſtio hæc non minus docta, quam ardua eſt, & ſemper in illa quid noui poſſe adferri videtur, ideo eam non prætereundam iudicaui, remittens nihilominus te ad nominatos auctores, & loca, ſi & plura argumenta confutata, & plures rationes pro veritate formatas poſt huius meæ quæſtionis lectionem videre forſan in mentem veniat.

Ferrarien. Bannes. Toletus. Pererius. Aquarius. Zabarella.

Noto itaque primo, quod intellectus dicitur quattuor modis, vt habes ab Auerroe com. 20. tertij de Anima, nam dicitur de intellectu materiali, de agente, de eo qui eſt in habitu, & vltimo de virtute imaginatiua, ſeu cogitatiua.

Quotuplex intellectus acceptio.

Intellectus poſſibilis ille eſt, qui poteſt omnia fieri in eſſe intelligibili, vt dicebat Ariſtoteles eodem libro tex. 18. & nihil eſt actu, priuſquam intelligat, nullaque alia gaudet natura, niſi hac, vt ſit posſibilis, vt ibidem tex. quinto legimus; ly *poſſibilis* autem, vt notabat Caiet. primo cap. eiuſdem libri, non attenditur ſecundum potentiam ad actum ſecundum, nam intellectus in tali potentia eſt intellectus in habitu, ſed conſideratur ex potentia ad actum primum, ad ſpeciem ſcilicet intelligibilem, ſic iſte intellectus nedum eſt in potentia ad cognóſcere, (ecce actum,) ſed & ad naturas cognoſcibiles, nullam enim earum ex ſe, vel ex ſui natura in principio obtinet, aliàs non fieret omnia, ſed aliquid factus eſſet, & rurſus, alia, nõ poſſet fieri, quoniã ſi quid intus exiſtat, prohibet accedere extraneum, ex famoſa propoſitione tex. 4. eiuſdem libri, & penes hanc posſibilitatem, vel potentiam, quæ eſt ſibi differentia ſubſtantialis, ac ſubinde ab eo inſeparabilis, differt humanus intellectus ab aliis, quippe qui ex ſe naturaliter aliquod ſaltem habent cognoſcibile, nam de diuino intellectu, nulli dubium eſt, omnia eſſe ſibi naturaliter cognita, quod & de intellectibus intelligentiarum dicendum eſt, de cognoſcibilibus naturaliter loquendo, merito inſuſarum ſpecierum, &c.

Quid ſit poſſibilis intellectus. Caietanus.

Poteſt autem hic intellectus tripliciter in rerum natura inueniri, vt ibidem quibuſdam interpoſitis ſcribit Caiet. nam primo poteſt eſſe in ſtatu pure potẽtiali, ſecundo in ſtatu habituali, & tertio in ſtatu actuali.

Varius intellectus illius ſtatus.

Primo

Primo modo inuenitur in pueris, tunc enim eſt inſtar nudæ tabellæ, in qua nihil eſt depictum, & dicitur in potentia, non ab illa, quæ eſt eius ſubſtantialis differentia ipſius conſtitutiua, ſed ab ea, quæ talis ſtatus cõditionem conſtituit, quam ſane amittit, dum mutat ſtatum, dum videlicet aliquam ſpeciem intelligibilem acquirit.

Secundo modo inuenitur in ſapientibus habentibus quidem varias ſpecies intelligibiles, at non actu contemplantibus, & in hoc ſtatu dicitur à quibuſdam intellectus in habitu, ab Ariſtotele vero ibidem tex. 8. vocatur in actu, & vtriuſque modi loquendi idem eſt ſenſus, nam vocatur in habitu, dum comparatur ad actum ſecundum, dicitur in actu, dum confertur cum ſeipſo, antequam ſpeciem vllam haberet; Eſſe quippe in habitu, vel habere ſpeciem, & non actu contemplari, eſt medium inter illud eſſe, ſub quo nullam habet ſpeciem, & illud, ſub quo eſt in actuali contemplatione, ſic comparatum primò, ſortitur rationem actus, ſecundo, induit nomen habitus, nam medium alteri extremo collatum, alterius naturam obtinet, vt habetur 4. de Cœlo 34.

Tertio modo reperitur in ijs, qui actu quidpiam contemplantur, & vocatur intellectus in actu ſecundo, & completo. Non me præterit, hunc intellectum in actu à nonnullis vocari, & ſpeculatiuum, quando nimirum cognoſcũtur res, & fit ſtatus in contemplatione, vt videlicet non dirigantur ad opus, & practicum, quando ſcilicet e contra cognoſcuntur res in gratiam operis, & ad illud diriguntur; At mille nomina, & diſtinctiones adſerantur, vnus, & idem eſt intellectus pro diuerſitate ſtatuum, ſub quibus conſideratur, varia obtinẽs nomina; Sic quando audis intellectum non ineſſe omnibus hominibus, non accipias de intellectu, vt ſic abſolute, & quo ad ſubſtantiam, & in primo ſtatu, alioquin illi homines quibus dicitur non adeſſe, non eſſent homines, ſed intelligas de intellectu in ſecundo, vel in tertio ſtatu, de intellectu nimirum perfecto, vel per habitus, vel per actus, per ſpecies ſcilicet, vel per actualem contẽplationem. Similiter, quando legis contemplatiuum intellectum aduenire poſt, non ſuſpiceris dici de intellectu quo ad rem vt ſic, ſed vt formaliter contemplatiuus eſt, & eſt dicere, potentiam intellectiuam non à principio eſſe perfectam per actus contemplandi, tunc enim eſt tabula raſa, vt dicebam, ſed temporis ſucceſſu acquirit ſpecies, quibus acquiſitis deinde ſpeculatur; ſic Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 39. dicebat, fœlicitatem noſtram perbreui tempore nobis ineſſe, Deo autem beatitudinem ſuam æterno tempore, quoniam nimirum, vt ibi dicebat Aphrodiſæus, quando noſter intellectus, qui facultate intelligibilia eſt, (ecce naturam intellectus materialis, ſeu poſſibilis,) ex extrema doctrina, ac optima viuendi ratione fit actu intelligibilia, (ecce intellectũ, & in habitu, & in actu,) tunc optimam, & beatiſſimam, & omni voluptate iocundiorem vitam agimus, quæ verbis (ait) explicari non poteſt, quam ſane breui nos tempore degimus, quoniam non ſemper hanc vitam tranſigimus, ſed quando noſter intellectus efficitur actu intelligibilia, hoc eſt in actu, &c. Verum duplicis dicti ſenſũ. Ariſtotel. Alexan.

Intellectus vero agens cum relatiue reſpiciat poſſibilem, eſt ille, qui omnia facit ex proportione ad poſſibilem, velut autem poſſibilis non fit realiter omnia, non ſcilicet ignis, terra, &c. ſed in eſſe intelligibili, ſic agens intellectus facit omnia, non realiter, & abſolute, (vnde male ex hac effectione collegit Alexander, hunc intellectum eſſe Deum,) ſed ſolum intelligibiliter, quæ enim facultate erant intelligibilia, actu talia reddit, vt ſcilicet mouere poſſint intelle- Quis ſit intellectus agens.

ctum poſſibilē, modo iā ſatis plene explicato inter annotationes huius capitis.

Dicitur autem agens relatione ad poſſibilem, quoniam ſi iſte debeat pati, & intellectionem recipere, oportet vt ille agat, patitur quidē iſte ab obiecto medijs phantaſmatibus, & ſpeciebus intelligibilibus, at ab his non pateretur, niſi ille ageret, quare niſi adſit intellectus agens, poſſibilis non erit intellectus, in eſſe intellectus, in actu. At vero non cenſeas, intellectum hunc agentem in eſſe intellectus cōſtitui ex eo quod omnia modo expoſito faciat, velut per potentiam declaratam conſtituebatur intellectus poſsibilis in eſſe ſuo, nam facere omnia conſtituit eſſe eorum, quæ fiunt, (ſub ea profecto ratione, qua fiunt,) non autem dat eſſe facienti, factum ſiquidem ſortitur eſſe ex eo quod fit, faciēs vero non ideo eſt, quia faciat, ſed ideo facit, quoniam eſt, nam agere præſuppo nit eſſe; Intellectus ergo poſſibilis conſtituitur in eſſe intellectus, (nam in eſſe rei præceſſit,) per fieri intelligibilia, hoc enim fieri terminatur ad eſſe illius, quod eſt ſubiectum factionis, at intellectus agens nequit conſtitui in eſſe intellectus ex eo quod faciat intelligibilia in alio, ſed conſtituitur in eſſe ſuo, ex eo quod de ſe abſque eo, vt ab alio deducatur, eſt actu in genere intellectuali, in quo poſsibilis eſt pura potentia.

Diſcrimen inter factum, & facieńs.

Et ſcias facile, quod de his duobus intellectibus materialiter, & quo ad rē loquendo, vterque ex ſe actus quidam eſt, ſunt enim ambo accidētia animæ noſtræ, at in genere intellectuali, & formaliter ſi ita loqui liceat, poſsibilis eſt pura potentia, agens eſt actus quidam, vnde ad hoc vt poſsibilis fiat actu intellectus, requiritur opus intellectus agentis, vt oſtendebatur, neque dico cum aliquod recipit, fieri poſsibilis intellectus, ſed intellectus, nam potius amittit eſſe poſsibile, quoniam aliquam ſpeciem recipiens, tranſit à potentia ad actum, attamen quoniam potentia illa eſt ſui differentia conſtitutiua vt dicebatur, ea propter ab eo vt ſic & ſecundum ſe conſiderato numquam ſeparatur, Oppoſitum intueor in intellectu agente, hic enim de ſui natura actus quidam eſt in genere intellectuali, neque ab vllo fit intellectus in actu, dum autem facit intelligibilia, via iam aſsignata, non fit intellectus, ſed potius fit agens, vbi e contra dū poſsibilis recipiebat, non poſsibilis, ſed intellectus fiebat; Quod itaque agens intellectus omnia faciat, non eſt differentia ſua ſubſtantialis, ſed eius effectus, quoniam ſcilicet eſt actu intellectus, quippe quod eum in eſſe conſtituit.

Omnia facere quomodo ſe habeat ad intellectū agentem.

Intellectus tertio loco in habitu ſumitur pro intellectu ſpeculatiuo, quippe qui conſtat ex duobus intellectibus nunc adductis, poſsibili ſcilicet, & agente, ille namque intellectus eſt iam intelligens, ergo eſt intellectus materialis, vel poſsibilis, & iam oportet, vt adfuerit concurſus intellectus agentis, vt patuit; Num vero ad hunc intellectum ſufficiant duo prænominati intellectus, vt videtur fuiſſe ſententia Theophraſti, ac Themiſtij, vel vlterius requirantur intentiones imaginatæ, vel phantaſmata, vt putauit Auerr. (vnde ex hác parte, quatenus à phantaſmatibus dependet, mortalem, & corruptibilem eum poſuit,) hoc nihil ad rem meam in præſenti.

Quid ſit intellectus in habitu.

Intellectus quarto, & vltimo modo accipitur pro cogitatiua, aut imaginatiua facultate, de quo locutus eſt Ariſtoteles 3. de Anima 20. quando dixit, intellectum paſsiuum corrumpi, & ſine hoc nihil intelligere animam, cum enim in hac vi, & facultate ſeruentur phantaſmata deſumpta ex obiectis, atque ei per alias vires ſenſiles interiores tranſmiſſa, & demandata, & intelligentem oporteat phantaſmata ſpeculari, ex eodē lib. 39. & nūquam ſine phantaſmate intelligat anima, (intellige in ratione motiui ante ſpecies receptas, & terminatiui

Quis intellectus quarto loco acceptus.

tiui poſt ſpecierum receptionem,) ibidem 30. illud conſequitur, vt abſque intellectu hoc quarto modo accepto, nihil homo animauè intelligat.

Nota ſecundo, quod hominem eruditum arbitror neminem, qui re ipſa edoctus, hos intellectus in ſe nō deprehēdat, vel modo tres prius recēſiti differant re, vel ratione tantum, id nihil retulerit in præſentia. Experitur quippe homo, ſe de nouo in dies aliquid ſcire, quod prius ignorabat omnino, & circa aliquid ſpeculari, in quo prius non occupabatur, (quicquid ſenſerit, ac probare contēderit Plato in Phedone ex perſona Cebetis, & Socratis, docens diſciplinam noſtram nihil aliud eſſe, quam reminiſcentiam,) vbi vide; intellectum poſſibilem, experitur ſe abſtrahere à phantaſmatibus ſpecies, & à formis, vel conditionibus particularibus, formas, & intentiones vniuerſales, quippe quod nil aliud eſt, quam facere actu intelligibilia, cognoſcit vtique quis noſtrum, ſe arbitratu ſuo intueri in communi quæcumque offeruntur, quod dubio procul nequit euenire ſine abſtractione, non enim in rebus ipſis ſunt vel communia, vel vniuerſalia, ecce intellectū agentem, experitur quiſque ſe aliquid quauis temporis differentia intueri, & non raro circa ſpeculabilia occupari, & illa poſſidere, ecce intellectum ſpeculatiuum, tandem experitur quilibet ſe habere ſpecies ſenſiles, & repræſentantes materialia & res cum conditionibus indiuidualibus, agnoſcit ſe diſcurrere, ſormare propoſitiones ſingulares, inductiones facere, &c. ecce cogitatiuam, cuius ope commemorata præſtat homo. Plato.

Cum itaque homo quicumque agnoſcat vel ex effectibus ipſis hos intellectus apud ſe eſſe, & ipſum eum eſſe, qui medijs his intellectibus omnia hæc munera exerceat, mirum valde eſt, cur non vnicuique homini intellectus iſti ſint tribuendi, & non multiplicentur ad ipſorum hominum multiplicationē, & eo admirabilior conſurgit admiratio, quod ab aduerſarijs ponitur cogitatiua, vel intellectus quarto modo ſumptus proprius cuique homini, quæ tamen negotiatur circa ſingularia, circa illa ſyllogizat, & diſcurrit, de mente potiſſimum Auerrois, & Græcorum ferè omnium, bene docentium non cognoſcere intellectum noſtrum ſingularia, ſed hominem illum eſſe, qui medio quarto intellectu ea percipit, & circa ipſa diſcurrit, & ſe alijs vijs exercet, quippe quæ munera non habet cogitatiua vt ſic, alioquin & in brutis perfectis has functiones intueremur, quod vanum penitus eſt, quare hæc ſortitur ex coniunctione ad intellectum, & primo, & ſecundo, & tertio modo acceptum, vt quæſtionibus etiam procemialibus vidimus, quapropter ſi in quouis homine inueniuntur memorata officia cogitatiuæ, mirum eſt non inueniri intellectus alio modo acceptos, quibus coniunctus intellectus in quarta acceptione, operationes præfatas abſoluit; Quare veluti ex actibus cogitatiuæ, quos in homine inſpexerunt, cuique ipſorum propriam cogitatiuam tribuerunt, admirationis plenum eſt, cur & non intellectus alios cuique ſigillatim adſcripſerint, cum in vnoquoque ſeorſum eorundem intellectuum opera intueamur; Cæterum tota huius diſcriminis cauſa, ea viſa eſt, quoniam ſi poſsibilem, & agentem intellectum in eadem ſpecie multiplicabant, & ſingulares ponebant, mox ipſis videbatur, vt eſſent materiales, & indiuiduales, at commonſtrabit hæc quæſtio, vanam penitus eſſe hanc imaginationem, ac ſubinde eorundem poſitionem vaniſsimam. Officia cogitatiuæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Reſpondetur quæſtioni per bimembrem concluſionem, quæ declaratur.

Concluſio.

BImembrem hanc ſtatuo cōcluſionem: Vnuſquiſque homo proprium habet intellectum, & poſſibilem, & agentem, & vterque intellectus multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum humanæ ſpeciei: De intellectu tertio modo ſumpto non eſt ſpecialis difficultas, quoniam tandem cōſurgit ex primo, & ſecundo intellectu, vnde ſi illi multiplicentur, & hic etiam multiplicabitur.

Pro declaratione, nota primo, nullum eſſe inconueniens, vt in anima noſtra ſint hi duo intellectus, poſſibilis ſcilicet, & agens, & ratione illius dicatur anima omnia fieri, & ex conſequenti eſſe in potentia paſſiua, ratione huius dicatur omnia facere, & ſubinde eſſe in potentiā actiua, vnde apparet idem eſſe in actu & potentia, quoniam vt ſcite patefacit Auctor q. de Spiritualibus creaturis ar. decimo ad quartum, & q. de Anima ar. 5. & 2. cont. Gen. cap. ferè toto 77. nil prohibet, vt aliquod ſit in potentia ſecundum vnam conſiderationem, & actu ſecundum aliam, vt eſt videre in omni quod mouetur, dum actu mouetur, ſic anima intellectiua aliquid eſt in actu, ad quod phantaſmata ſunt in potentia, & verſa vice, phantaſmata aliquid habent in actu, ad quod anima eſt in potentia. Et quoniam apertiſſime loquitur locis allegatis, ideo ſummatim id collige dicendo, quod anima noſtra in actu eſt immaterialis, ac proinde naturæ intellectualis, vbi enim immaterialitas, ibi intellectio, in actu autem non eſt vt cognoſcat hoc, vel illud determinate, fit quippe omnis cognitio, quatenus ſimilitudo rei cognitæ recipitur in potentiā cognoſcente, non habet vero anima apud ſe actu ſimilitudines rerum determinatas, quas cognoſcat, ſic ad hoc, & illud cognoſcendum eſt in potentia. E contra phantaſmata in actu habēt ſimilitudines huius, & illius determinatæ rei, ſunt enim ipſæmet rerum ſimilitudines, & in potentia ſunt intelligibilia, non actu, quandoquidem ſunt ſimilitudines rerum ſenſibilium, quæ indutæ adhuc ſunt indiuiduales conditiones, & ſunt in organis corporeis, vnde nequeunt à nobis intelligi, quoniam tamē in ijs, quæ repræſentant poteſt accipi natura depurata ab omnibus conditionibus indiuiduantibus, iccirco ſunt intelligibilia in potentia. Sic itaque anima eſt intelligibilis actu, at rerum determinationem habet potentia, phantaſmata e contra, vt dictū fuit; Ita in ipſa duplex virtus conſtituitur, altera, quæ phantaſmata efficiat actu intelligibilia, ecce intellectum agentem, altera quæ ſit in potentia ad rerum ſenſibilium determinatas ſimilitudines, ecce intellectum poſſibilem.

D. Thom.

Diſcrimen inter animā, & phantaſmata.

Nota ſecundo ex eodem ibidem, quod adeſt non nihil diſcriminis inter animam intellectiuam, & reliqua agentia naturalia in hoc, quod eſt fieri actu aliā, ſeu in receptione formarum ad quas eſt in potētia, quoniā in naturalibus vnū eſt in potentia ad aliud ſecundū illum eundē modū, quo in illo alio inuenitur, ſic nedū eſt in potētia ad rem recipiendā, ſed & ad modū rei, ignis enim ita eſt potentia aer, quod dum recipiet formā aeris, eam recipiet iuxta illum modum, quo inuenitur in aere, at anima eſt quidē potētia ad rerū ſimilitudines recipiendas, quæ ſunt in phātaſmatibus, ſed nō ſecundū illum modū, quoniā in eis ſunt

illæ

illæ ſimilitudines, vt dicebatur rerum materialium vt ſic, hoc eſt, cum conditionibus indiuiduantibus, quo pacto illas nõ recipit intellectus, nam opus eſt, ſimilitudines ipſas ad quid ſublimius eleuari, depurari videlicet à materialibus conditionibus, ex qua depuratione, vt non raro patuit, redduntur actu intelligibiles; Ex quo ipſe adderē, non eſſe in potentia intellectiuam animam ad recipiendas ſimilitudines à phantaſmatibus vt ſic, & immediate, quãuis etenim ante productionem ſpeciei intelligibilis natura illa reluceat in phantaſmatibus ſine conditionibus indiuidualibus munere intellectus agentis, vt late patuit quæſtione de Vniuerſalium exiſtentia, attamen non poteſt ſufficienter mouere poſſibilem intellectum, niſi accedat intelligibilis ſpecies ex his phantaſmatibus deſumpta, at de his quæſt. illa cumulate differui.

Quomodo ſit in potentia anima ad ſpecies intelligibiles, a phantaſmatibus deſumptas.

Quatenus ergo anima facit vt phantaſmata ſint actu intelligibilia, prædita eſſe debet intellectu agente, quatenus ſimilitudines à phantaſmatibus ipſis extractas debet recipere, poſſibilem intellectum in ea ponimus; Cuius rei exemplum ibidem peraccomodatum adeſt, vt ſi oculus vltra diaphaneitatem, quæ ſibi ineſt, merito cuius poteſt colores recipere, haberet tantum lucis in ſe, vt ſufficiens eſſet ad reddendos colores actu viſibiles, vt aliquo modo apparet in oculis quorundam animalium, puta cati, tunc enim in oculo eſſet virtus actiua, & paſſiua, ita oculo reſpondet anima, paſſiuæ illi virtuti, & diaphaneitati, intellectus poſſibilis, actiuæ, agens, &c.

Nota tertio, quod ſi declarētur modus, quo multiplicatur anima intellectiua, apparebit etiam, quomodo intellectus illi multiplicentur, ſunt enim in vnaquaque anima, & eius potentiæ, ac virtutes; multiplicatio autem animæ noſtræ ex ſui natura deſumitur, cum enim non ſit in ſeipſa ſpeciei completæ, ſed pars compoſiti humani ex ipſa, & corpore prouenientis, in quo compoſito ineſt ſpeciei complementum, vnibilis eſt ipſi corpori, vt pars parti, vt exinde proueniat totum, vnde multiplicatur anima, prout eſt huic, & illi corpori vnibilis, multiplicatur inquam ſecundum numerum, non ſecundum ſpeciem, velut cernimus hanc albedinem differre numero ab illa, quoniam illa in vno, hæc in alio ſubiecto eſt; diſcrimen attamen non mediocre intercedit, quoniam albedines, & aliæ naturales formæ dependent à ſuis ſubiectis, nedum in fieri, ſed & in eſſe, anima vero humana non dependet in eſſe à corpore, neque corpus eſt cauſa eſſe ipſius, vt plene videbimus quæſtione tertia ad ſextum caput; Quamuis itaque non habeat anima materiam tamquam partem ſui, ceu habent compoſita naturalia, vel materiã *ex qua* ſit, in quo conuenit cum Intelligentiis, tamen eſt forma alicuius materiæ, & materiam habet *in qua* recipitur, & iuxta diuiſionem hanc materiæ, in qua eſt, & cuius eſt forma, multæ ſunt animæ vnius ſpeciei; quod de intelligentiis nequit dici, vtpote quæ neque materiam *in qua* habeant.

Quam materiam non habeat, & habeat anima.

Sed nota quarto diligenter, (ex hoc quippe permulta aduerſariorum argumenta comminuuntur,) quod licet anima ſit hæc, & ſingularis per diuiſionem naturæ ſpecificæ, non tamen eſt ſingulare quoddam materiale, & in hoc differimus ab Auerroe, Themiſtio, & aliis, qui ex eo quod animam ponerent numero in eadem ſpecie multiplicai, ſtatim ſibi conſequens videbatur, vt foret materialis, quoniam enim materialia hoc habent, vt ſint multa ſub vna ſpecie, cogitarunt e conuerſo, omnia ſub vna ſpecie eſſe materialia, & decepti ſunt; vnde nedum intulerunt, intellectum eſſe ſingularem, nam tunc ex ſingularitate vt ſic, & vt opponitur vniuerſali in prædicando non impedi-

Error priſcorum Philoſophorum.

pedi-

pediretur cognitio, non foret in potentia ſolum intelligibilis, vt deducunt, ſed collegerunt, eſſe ſingulare materiale, vt ſcilicet diſtinguitur contra vniuerſale in eſſe, ſi daretur, & ita incommoda illa deduxerunt, quoniam quod eſt hoc modo particulare, non totam in ſe habet naturam, (aliàs non partiretur ſpecies in multa indiuidua,) ſed partem tantum, (nam partes alias, alia eiuſdem ſpeciei indiuidua obtinent,)& ſic vniuerſalem cognitionem impediri dicebant. Quare ſingularia duplicis ſolum ordinis ponebant, alia ſcilicet, quæ tota ſunt natura ſpecifica, quæ ſunt velut vniuerſalia in eſſendo, eo nomine videlicet, quoniam totam ſuam naturam contineant, alia vero, quæ naturam ſpecificam ſecundum partem tantum claudunt, & numero in eadem ſpecie multiplicantur, & materialia ſunt, vnde ſi intellectum in eadem ſpecie multiplicabilem, aut multiplicatum poſuiſſent, mox cenſebant, vt eſſet materialis, & ſic impeditiuus cognitionis & actiuæ, & paſſiuæ, & alia inferebant abſurda.

Singularia multiplicis ordinis.

Nos vero, vt acute ſcripſit Caietanus prima parte quæſt. 76. articulo ſecundo in reſponſione ad tertium, cum Auctore ponimus tertium genus ſingularium, & dicimus quædam eſſe ita ſingularia, (intellige in prædicari,) vt tamen ſint velut vniuerſalia in eſſe, ob rationem, quæ adferebatur, quoniam ſcilicet totam ſpecificam naturam continent, quæ nequaquam numero multiplicantur, & quæ nihil obſtant intellectioni, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, alia vero ſunt ſingularia, quæ non totam continent naturam ſpecificam, ſed numero multiplicantur, & hæc duplicis ordinis facimus, quoniam quædam ſunt materialia, & ex conſequenti impeditiua intellectionis, quædam ſunt immaterialia, quæ non impediunt intellectionem, quamuis enim participent naturam ſpecificam, tamen & quod participat, & quod partipatur eſt ordinis immaterialis, & id genus ſingularia ſunt intellectus noſtri, & ſpecies intelligibiles, & actus intelligendi.

Nullus ergo ex numerali in eadé ſpecie multiplicatione debet inferre materialitatem, nã intercedit fallacia conſequentis, & fit argumétum à ſuperiori ad inferius affirmanter, quoniam non vno modo contingit adeſſe multiplicationem ſub eadem ſpecie, quando autem cum Auctore ponimus, non poſſe inueniri multiplicationem in eadem ſpecie abſque materia, nomine materiæ accipitur quoduis receptiuum, alioquin ſi ad omnem multiplicationem in eadem ſpecie neceſſaria foret materia proprie accepta, iam lumen gloriæ in variis beatorum intellectibus non poſſet recipi, & multiplicari. Nullam itaque difficultatem ex intellectus multiplicatione propter ſingularitatem patimur nos, quam non patiantur & illi, qui vnicum intellectum ponunt, nam vt optime dicebat Auctor in fine illius reſponſionis ad tertium, ſi etiam vnus foret intellectus, oporteret ipſum eſſe & aliquem, & quendam, & ſingularem, & ſimiliter ſpeciem, per quam intelligit, eſſe aliquam, & quandam, & hanc, nam quo ad materialitatem, iam patuit, & nos cum hac numerali ipſius multiplicatione, nullatenus ipſum materialem ponere, &c.

D. Thom.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Probatur concluſio quo ad vtramque partem.

IAm uero declarata concluſio, probanda venit quo ad vtramque partem ſimul, Et quidem ratio, quæ inſinuata fuit ad finem art. tertij, apparet conuincens, nam in vnoquoque homine adeſt operatio vtriuſque intellectus, ergo adeſt vtraque forma, à qua operationes illæ proficiſcantur, oportet certe in homine inueniri principia intrinſeca harum operationum, neque enim fieri poteſt, vt vitalis, & maxime interna operatio prouéniat à principio extrinſeco, & ſeparato, cum in eo potiſsimum ſtet ratio vitalis operationis, vt à coniuncto ſibi principio prodeat; Quod ſi intellectus iſti ponantur omnibus cõmunes, iam ego operabor per principia non mihi coniuncta, eſt enim prorſus impoſsibile, vt demonſtrabo, quod vnus, ac idem intellectus ponatur forma alicuius, & ſit pluribus communis, quod ſi non ponatur coniunctus vt forma, tunc operationes vitales, recipiendi nimirum ſpecies, eaſque abſtrahendi exercet homo per principia extrinſeca, quod pugnat, vnionem autem illam, & continuationem ab Auerroe confictam, fictitiam penitus oſtendam. Natura operationis vitalis.

Secundo arguo ſic: Differt omnis homo à brutis, non quatenus eſt animal, nam & brutum eſt animal, & tunc genere differret, ſed quatenus eſt tale animal, rationale ſcilicet, at rationale non ſumitur niſi ab anima intellectiua, ergo quilibet homo habet animam intellectiuam, non dicitur autem anima intellectiua, niſi quatenus prædita eſt intellectu, ergo quilibet homo habet proprium intellectum; Neque vnio Commentatoris ſufficit, nam ſemper quocumque modo exponatur illa copulatio, remanet intellectus ſecundum eſſe extrinſecus ab homine, quare ſequitur differentia alicuius eſſentialis, & ſpecifica eſſe illi extrinſeca, quod nequit capere intellectus, quis enim concipiat, principium alicuius conſtitutiuum, & diſtinctiuum, eſſe ab eo cuius eſt principium ſeparatum? Quod ſi dicatur eſſe intrinſecum eiuſmodi principium, atque hominem informans, commune tamen omnibus hominibus, vt nonnulli acceperunt Auerroem, iam homines omnes forent vnus homo, vt enim ſi omnes homines haberent eaſdem carnes, & eadem oſſa, & breuiter eandem materiam ſignatam, eſſent hic homo indiuidualiter, ita ſi omnes haberent eundem numero intellectum, forent vnus numero homo, quemadmodum enim habent à materia ſignata, vt ſint hic, & ille, hoc, & illud indiuiduum, ita habent ab anima vt ſint hic, & ille homo, & hoc, & illud indiuiduum, non quatenus hoc, & illud abſolute, id enim à materia ſignata emergit, ſed quatenus hoc, & illud, huius, & illius ſpeciei, nam per formam vnumquodque in ſpecie reponitur, ſicut namque à materia ſumitur diſtinctio, & vnitas numeralis, ita à forma vnitas formalis; Neque reſponſiones Achillini, & aliorum aliquid valent, quod ſcilicet intellectus poſſibilis ſit de genere Intelligentiarum, atque ideo ſit hic indiuiduatione, quæ non repugnat vniuerſalitati, vnde poteſt eſſe in hoc, & illo, (ecce eius vniuerſalitatem,) quamuis ſit vnus numero, & ſingularis; Hæc enim ſunt prope abſurdiora, quam ſit poſitio ipſa, quamuis abſurdiſſima, nam bene arguit Zabarella cap. 11. allegati libri, quoniam aut forma, aut materia eſt principium indiuiduationis, ſi forma, Obiectio. Aufertur. Achillini, & aliorum commenta. Zabarella.

ma,

ma,(adde tu,vt vult ipſe Achillinus primo de elementis dubio 26.) cum ſit intellectus vnica forma, vnum numero indiuiduum conſtituet,& ſic omnes homines erunt vnus homo, ſi materia, iam forma in his carnibus, & in his oſſibus recepta, hæc effecta eſt, & ita eſt hæc, & numero ab aliis omnibus diſtincta.

Præterea arguo ipſe pluribus, cum enim vniuerſale, & ſingulare in ordine ad vnum, & idem opponantur, ſi fuerit ſermo de vniuerſalitate rei, vel in eſſe, certe poſſibilis intellectus ſi fuerit ſingularis, ceu de facto eſt in me,in te, & in illo, nequibit eſſe vniuerſalis, & e contra, ſi fuerit vniuerſalis, (præterquam quod eſſet idea iam vniuerſalis in eſſe, quas vbique, & perpetuo reiicit Ariſtoteles, & omnes peripatetici,) non poterit eſſe ſingularis; Præterea, cum Ariſt.duodecimo Diuinorum à 42.vſque ad 47. incluſiue collegerit numerum ſphærarum, concludit ſtatim in primis verbis 48. quod rationabiliter arbitrandum eſt,tot eſſe intelligentias, & principia mouentia, quot ſunt ſphæræ, quæ mouentur, quod & eodem textu probat, quomodo igitur poſſibilis intellectus poteſt eſſe intelligentia? Meminit ne vmquam Ariſtoteles de illo, quando de intelligentijs verba habuit? Mouet ne ſphæram aliquam intellectus poſſibilis? Quomodo erunt 55. intelligentiæ iuxta 55. ſphæras, ibidem 47. ab Ariſtotele collectas? Sed cum unicuique ſphæræ propriam aſſignaret intelligentiam, quæ eius eſt motrix, quomodo huic intelligentiæ, intellectui ſcilicet poſſibili tot homines poſſunt tribui, tamquam ſphæræ, quos vel moneat, vel quod plus eſt informet? Eſt ne virtutis infinitæ hæc Intelligentia in mouendo, vel in informando, & dando eſſe? An non docent omnes Theologi vna voce, quod uia naturali nequit angelus ſimul eſſe in pluribus locis, quomodo igitur hic intellectus poterit ſimul,& ſemper eſſe in mille,ac infinitis propemodum hominibus? Et cum verior Theologorum ſententia ſit, angelum eſſe in loco merito ſuæ operationis, & negetur poſſe ſimul eſſe in pluribus locis, quoniam non eſt ea virtute donatus,vt operationem ſuam ad varias, & diſparatas partes ſimul poſſit applicare, vnde tanta vis, & facultas in hoc intellectu poſſibili, quem ipſi in numerum intelligentiarum redigunt, vt ſimul,& ſemper nedum operetur in tot, & tot hominibus, & adeo diſtantibus, in omnibus inquam partibus terræ, & noui mundi, ſed & in eiſdem ſit informatiue, ipſis eſſe conferendo? Quod ſi tantæ virtutis ſit hic intellectus poſſibilis,vel eſt perfectior intelligentiis illis ab Ariſtotele ibi inuentis,vel imperfectior, non perfectior,quoniam ibidem 44. inquit Philoſophus, ordinem ſubſtantiarum mouentium eſſe iuxta ordinem aſtrorum, vbi Alexander ait, inter motores hunc eſſe primum,illum ſecundum, alium tertium,cum motores ſic ſe habeant, vt ea, quæ ab ipſis mouentur, & profecto loquitur de primitate nobilitatis, ac perfectionis, quoniam vt eodem loco ait Auctor,continens eſt nobilius contento, & hoc ſe habet vt materia, illud vt forma, quod etiam dicebat Ariſtoteles quarto de Cœlo 35. Hinc ſphæra ſuperior, quæ ambit inferiorem,erit perfectior, ac ſubinde intelligentia, quæ eam mouet, quod & expreſsis verbis ad eundem contextum ſcripſis Alenſis; Auerroes etiã ibidem, Vbi quædam dixit de ordine mouentium orbes penes nobilitatem, ait forte melius eſſe illud quod Ariſtoteles intendebat, ordinem videlicet ipſorum in nobilitate,eſſe ſecundum ordinem eorum in loco, (intellige à ſigno, & à poſteriori, non enim quia hoc ſit in ſuperiori loco,eſt nobilius,ſed quoniam eſt præſtantius, ideo ſuperior ei locus eſt tributus,) cum itaque id quod mouet

[Margin notes: Ariſtotel. — Numerus intelligẽtiarum iuxta Ariſtot. — Ariſtotel. — Alexander. — D.Thom. — Alenſis. — Auerroes.]

uet intellectus poſſibilis ſit longe inferius loco iis, quæ mouentur ab illis intelligentiis, igitur & motum, ac ſubinde ipſum mouens erit imperfectius, ſi ergo eſt imperfectior illis intelligentiis, quomodo tanta eſt virtutis, vt infinita mobilia ſemper moueat, & ſecundum aliquos ex aduerſariis, det eis eſſe?

Denique, intellectui poſſibili, & agenti videmus tributas conditiones omnino diuerſas ab illis, quæ tribuuntur ipſis intelligentiis, nam poſſibilis nihil eſt actu eorú, quæ intelligit anteq intelligere, eſt in ſui principio, & ſemper in ſui natura vt ſic conſideratus nuda tabella, vt patuit, illæ vero intelligentiæ ſemper ſunt in actu intellectionis, & ſunt actus ſubſiſtentes in genere intelligibili; agens etiam intellectus facit intelligibilia in potentia, actu intelligibilia, abſtrahit ſpecies, &c. quæ conſtat non conuenire intelligentiis illis; nullus autem ignorat, diuerſitatem operationum, & effectuum primo, & per ſe intentorum arguere diuerſitatem in cauſis.

Quod ſi ad omnes has meas argumẽtationes dicatur, concludere ipſas vtique poſſibilem intellectú, & agentem non eſſe de numero illarũ intelligentiarum, quas recenſet Ariſtoteles 12. illo primæ Philoſophiæ, nihilominus eſſe intelligentias, Meminerit ſic dicens, quod voluntarie omnino reponuntur in genere intelligentiarum apud peripateticos, quandoquidem Ariſtoteles alias intelligentias non agnouit; Quod ſi nihil omnino tradidiſſet Ariſtot. de his intellectibus, poſſent vtcumque in claſſe intelligentiarum admitti, & nonnulla ex quadam accommodatione eis tribui; At cum de vtroque intellectu 3. de Anima accurate, & de induſtria diſſeruerit, & vtriuſque naturam aſſignauerit, & nihil omnino de ipſis duodecimo Diuinorum tradiderit, immo ſi non oppoſitas prorſus, remotas ſaltem, & diſparatas valde functiones his, & illis vt dicebatur adſcripſerit, illud de neceſſitate peripateticus quiſque ſibi videbit enunciandum, hos intellectus in intelligentiarum ſerie nullatenus poſſe redigi, cuiuſmodi intelligentias accipiunt philoſophi, & præcipue Ariſtoteles, &c. Obiectio. Excluditur.

Pro hac eadem concluſione adeſt eiuſdẽ Ariſtotelis expreſſa auctoritas primo tertij de Anima, vocantis intellectum partem animæ; ſimiliter 17. eiuſdem ait, in anima noſtra adeſſe has differentias, velut & in omni natura, agentis ſcilicet & patientis, & mox ſequenti contextu inquit, has differentias eſſe intellectum poſſibilem, & agentem, & 40. illiuſmet libri colligit ſe tractaſſe de intellectu, qui eſt potentia animæ, hoc eſt de vtroque intellectu, immo ait, animam conſtare duplici potentia, ſenſu ſcilicet, & intellectu; Sunt itaque hi intellectus, & partes, & differentiæ animæ noſtræ, quiſquis autem homo propria fruitur anima intellectiua, aliàs omnes homines eſſent vnus homo, & vnico eſſe formali gauderent, quare proprium obtinet intellectum, & poſſibilem, & agentem, &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtraque pars eiuſdem concluſionis ſeorſum confirmatur.

AB intellectu agente exordientes, vide Auctorem de Spiritualibus creaturis art. 10. & de Anima art. 5. & 2. contra Gent. 76. & p. p. q. 79. ar. 4. & colliges rationem firmiſſimam, cuius iam meminimus, & ſuperiori, & tertio D. Thom.

art. deſumptam videlicet ex huius intellectus operatione, quam quilibet homo in ſe agnoſcit, vnde actionis huius oportet eſſe principium in nobis formaliter inhærens; Alias inuenies rationes apud ipſum locis illis, & præſertim ſecundo illo contra Gent. quæ huius intellectus pluralitatem demonſtrabunt, quamuis enim cap. illo non oſtendat immediate, & directe illius pluralitatem, ſed ſolum quod ſit animæ pars, & non aliqua ſubſtantia ſeparata, inde tamen neceſſario colligitur pluralitas, cum quiſquis hominum hoc intellectu gaudeat, & vnus intellectus nequeat eſſe plurium hominum, velut vna anima non valet plures materias informare; Sed & cap. 78. eiuſdem contra Gentes, probat ad aures Ariſtotelis, hunc intellectum eſſe partem animæ noſtræ, (velut in fine ſuperioris articuli dicebamus nos ex eodem Philoſopho eſſe partem, ac differentiã noſtræ animæ, quæ proinde loca & nunc deſeruiunt,) atque ideo multiplicabilem, ſic non erit Deus, vt locis relatis probat Auctor, & antea demonſtrauerat Themiſtius tertio de anima cap. 31. & poſtea Zimara de mente quoque Auerrois contra Sueſſanum, & Achillinum in tabula, verbo *Intellectiua virtus* longo diſcurſu, ſed neque alia quæuis ſubſtantia ſeparata, at vera noſtræ animæ pars, hominem informans; Sed multæ, & ferè omnes rationes, quas mox adducam ad poſſibilis intellectus vnitatem euellendam, de facili accommodari queunt ad probandam huius intellectus agentis pluralitatem, immo earum nonnullæ illud directe concludunt, &c.

Themiſt. Zimara.

Non ſum neſcius, Zabarellam libro ſuo 29. inter illos naturales cap. 13. docere intellectum agentem eſſe Deum, & cap. ſequenti nititur, (rem certe ridiculam,) id Auctoris teſtimonio comprobare, cum tamen omnibus illis locis relatis doceat, & probet Auctor ipſe, ipſum eſſe partem, & facultatem animæ noſtræ, & eorum ſententiam reſpuat, qui illum, Deum eſſe ſtatuerunt; vnde vane, & imprudenter omnino in vltimis verbis cap. decimi ſcripſit, illum non in re ipſa, ſed in ſola ferme appellatione aberraſſe; Omnino alienus eſt Auctor ab hac poſitione, ſed non omnia ad vnguem rimari conceditur, nec placet, nam ſcripta hæc noſtra in immenſum emergerent, ſufficiat, argumenta Zabarellæ eſſe omnino leuia, & iam ab Auctore, & aliis confutata, & adde, quod argumentis Auctoris, quibus conatur cap. 16. reſpondere, (vide, an ea fuerit eius ſententia,) non reſpondet, & quando verſans ſecundum argumentum inquit, poſſe illud in Auctorem inſolubiliter retorqueri; oſtendit ſe Theologiæ fores non adiiſſe, dum ait, Deum in rebus intelligibilibus abſque cauſis ſecundis immediate agere, hoc enim eſt contra Scholaſticos omnes ſecundo ſent. diſt. 11. docentes, angelos inferiores illuminari à ſuperioribus, & quod magis eſt, aduerſatur D. Dionyſio lib. cœleſt. hierarch. cap. 8. & 15. & alij Patres ſancti id docent, colligendo ex ſcripturis ſacris. Rurſus, Angeli illuminant homines, vt idem D. Dionyſ. cap. quarto ibidem docet, de quibus vide ſi placet Auctorem prima parte, quæſt. 106. art. primo, & quarto, quo ad angelos; & quo ad homines quæſt. 111. art. primo, & Bannes quæſt. illa 106. & art. illo primo ad primum dubium dixit, non carere temeritate, ſi negetur illuminatio angelorum, quare perperam locutus eſt Zabarella. Quod vero ſubdit de anima intellectiua, quæ creatur à ſolo Deo immediate, non eſt ad propoſitum, nam ratio creationis requirit, vt nihil præſit illius, quod creari debet, at vero vbi creata eſt anima, circa ipſam, & circa eius vires intellectiuas, poſſunt operari, & de facto operantur creati illuminato-

Falſum Zabarellæ de D. Thoma cogitatum.

Mens Scholaſticorum.

D. Dioniſ.

D. Thom. Bannes.

minatores, & intellectum confortando, & rerum ſimilitudines proponendo, velut faciunt angeli hominibus, & ſuperiores angeli inferioribus, quamuis ali quo diſcrimine interueniente inter ipſas rerum ſpecies, vel ſimilitudines, quæ proponuntur, de quo vide Auctorem loco vltimo allegato, quare male adiecit Zabarella, non requiri alium illuminatorem creatum, ſed miſſa iam hæc faciamus.

Nunc de poſſibili intellectu loquamur, ſic primo arguentes: Hic intellectus eſt coniunctus homini vt forma, ergo eſt impoſsibile, vt ſit vnus numero in omnibus hominibus, antecedens quãuis tota hac quæſtione ſupponã, breuiſsime tamen probo, Illud eſt propria forma alicuius, quod ei dat ſpeciẽ, hæc propoſitio eſt manifeſta, ſed intellectus dat ſpeciem homini, ergo &c. minor manifeſtatur à priori, quoniam ideo homo exercet operationes hominis, quia habet animam intellectiuam, ex propria autem operatione innoteſcit natura, & ſpecies, nam ideo hoc animal operatur hoc modo, quia eſt huius ſpeciei, & illud alia opera exercet, quoniam eſt alterius ſpeciei, nemini autẽ ignotum eſt, proprias hominis operationes eſſe componere, diuidere, diſcurrere, ſyllogizare, cognoſcere finem, & rationem finis, quæ omnia intellectus beneficio emanãt, in cuius rei ſignum, omnis, & ſolus homo hæc præſtat; conſequentia probatur, quoniam ſi intellectus erit vnus numero, omnes homines eſſent vnus numero, vt enim de ratione hominis eſt, quod ſit ex anima, & corpore, ſic de ratione huius hominis eſt, vt ſit ex hac anima, & ex hoc corpore, quod ſi tu habeas eundem intellectum, quem habeo ipſe, iam tu, & ego ſumus vnus numero homo; Ita ſequitur, quod ſibi obijciebat Auerroes com. illo ſuo 5. vt ſcilicet ego eſſem per eſſe tui, & tu eſſes per eſſe mei; Profecto, velut impoſsibile eſt, quod diuerſorum ſit vnum numero eſſe, ita nũquam fieri poterit, vt diuerſa habeant eandem numero formam, quippe quæ forma eſt eſſendi principium; Verum nõ ſoluit Auerroes hanc rationem, quoniam nimirum eius intentio eſt negare intellectum vniri homini, vt formam, & dare ei ſpeciem, & eſſe, quod ſi admittat antecedens, hæc ratio ab ipſo non ſoluitur. — *Propria hominis munera.*

Concedit itaque Auerr. eſſe vnitum intellectum homini, at non per informationem, ſed propter illam continuationem ad phantaſmata, ex qua ſane continuatione intelligit homo, & alias memoratas actiones abſoluit. Et quoniam continuatio hæc eſt potiſsimum auxilium, ad quod recurrit Auer. in ſua intellectus vnitate aſtruenda, eapropter ipſam multipliciter reiicio; & primo, quoniam pari ratione poſſet cogitatiua continuari homini merito phantaſmatum, & ſic ſaluaretur homo eſſe ſenſibilis, & ob talem cõtinuationem munera eiuſdem cogitatiuæ obire, quod dubium videtur attigiſſe Themiſt. 1. de Anima, cap. 26. inter multa illa dubia, quæ ibi mouet, & non ſoluit; ſimiliter anima vegetalis, & ſenſilis per alias ad placitum excogitatas continuationes poſſent dici homini continuari, & copulari; & ſic ſaluaretur homo eſſe vegetatiuus, eſſe ſenſitiuus pro aggregato illo ex materia, & ex forma, vel animabus illis, vt enim quidam eorum, qui Auerrois opinionem defenſant, ſaluant hominẽ intelligere pro aggregato hominis, & intellectus copulati, de quorũ numero eſt Iandunus, & tamen homo eſt eſſentialiter animal rationale, ſic poſſet dici homo animal abſolute merito illarum formarum ſibi aliqua via vnitarum, & animæ ſenſibilis, & cogitatiuæ ſibi tantum aſsiſtentium, & ſic homo nihil eſſet per ſe, ſed velut cumulus magnus lapidum ex aggregatione, quæ & ſtulta, & ridicula ſunt. Quod ſi dicatur, non eſſe æqua ratio, quoniam vegetatiua, — *Quam intellectus cum homine vnionem concedat Auerroes.* — *Themiſt.*

& ſenſibilis animæ præbent eſſe homini, quod non facit intellectus, iam hoc reiectum eſt, & præterea Achillinus, & alij, qui credunt Auerroem ſenſiſſe, intellectum hominem informare, ad hanc reſponſionem nequeunt confugere. Rurſus, non eſt facile aſsignare à quo fiat hæc vnio, vel copulatio intellectus cum phantaſmatibus, aut enim à ſe, aut ab alio vnitur, ſi à ſe, iam mille motibus, & ſimul, & contrariis perſæpe vna intelligentia ſe mouet, quoniam in toto mundo quamplurimos homines contingit vno, eodemq; temporis momento, & naſci, & mori, & acquirere, & deperdere ſcientiam, & nihilominus locis relatis ex 12. Diuinorum habemus, intelligentias eſſe immobiles: ſi ab alio, vel erit agens à natura, vel aliqua ſuperior intelligentia; & alterutrum aſsignetur, impoſsibile apparet, aliquid poſſe motibus prope infinitis oppoſitis ſimul quidpiam mouere.

At vero condonemus Auerroi, vnionem hanc, & copulationem eſſe poſsibilem, oſtendo eam penitus vanam, & otioſam eſſe; nam ideo ponitur ab Auerroe, vt ſaluet hominem intelligere, at ex illa vnione non intelligit homo, ergo fruſtra ponitur, probo minorem ratione, quam vbique adducit Auctor, dũ hoc negotium verſat, ponitur quippe eiuſmodi continuatio merito ſpeciei intelligibilis, cui Auerroes dat duplex ſubiectum, intellectum primo poſsibilem, & ſecundo phãtaſmata ipſa, quæ ſunt in organis corporeis, & in homine, in quo eſt virtus imaginatiua, & primum ſubiectum ait eſſe illud, per quod intellecta ſunt vnum entium in mundo, alterum vero illud eſt, per quod ſunt vera, quod duplex ſubiectum ibi explicat ex proportione ad ſenſum, quare ipſa ſpecies intelligibilis eſt medium, quod coniungit intellectum poſsibilem huic, & illi homini, at ex tali coniunctione non ſequitur, quod hic homo intelligat, eo enim modo phantaſmata ſe habent ad intellectum, quo colores ſe habent ad viſum, vt dicitur 3. de Anima 18. & vt ibidem proſequitur Auerroes, vnde velut ſpecies colorum ſunt in viſu, ita ſpecies phantaſmatum ſunt in intellectu poſsibili, ex eo autem quod colores ſint in pariete, quorum ſimilitudines ſunt in viſu, actio viſus non tribitur parieti, vt ſcilicet dicatur paries eſſe ille, qui videat, quare ex eo quod ſpecies phantaſmatum ſint in intellectu poſsibili, non ſequitur, vt hic homo in quo ſunt phantaſmata intelligat, ſed velut ſequitur, vt paries videatur, vel eius ſimilitudines, ita ſequitur, hominem intelligi, vel eius phãtaſmata, non autem vmquam ex hac vnione hominem intelligere.

D. Thomæ ratio.

Explicatur.

Vide proportionem, Homo, ſeu eius cogitatiua eſt ſubiectum phantaſmatum, dicitur vniri homini intellectus, quoniam ſpecies horum phantaſmatum ſunt & in intellectu poſsibili, & in cogitatiua, ita paries eſt ſubiectum colorum, & dicitur viſus continuari parieti, quatenus ſpecies colorum recipiuntur in viſu, at ex hoc non ſequitur parietem videre, ſed videri, ſimiliter eius ſimilitudines videri, ſic non ſequitur hominem intelligere, ſed intellectum, ſequitur autem hominem intelligi, & ſimiliter illius phantaſmata. Certe ſi ip ſe dicor intelligere, quoniam à meis phantaſmatibus, quorum media cogitatiua mea ſubiectum ſum, poſsibilis intellectus ſumit ſpecies, & paries dicetur videns, quoniã ab eius colore, cuius ipſe ſubiectũ eſt, viſus recipit ſpecies.

Impugnatur.

At poſſet quis dicere, non tenere hanc argumentationem ex proportione parietis ad viſum, & hominis ad intellectum, quoniam in pariete nulla eſt virtus cognitiua, quare ex illa vnione nequit paries videre, at nobis ineſt aliqua facultas cognoſcens, quare ex huiuſmodi vnione cognoſcit homo, non videt paries; Sed puerilem hanc obiectionem iure dicebat Aegid. q. illa ſua, nam

Defenditur.

quamuis

quamuis etiam in pariete eſſet vis viſiua, attamen ex eo præciſe, & formaliter quod videretur, (quod fit, dum ab eo ſpecies viſus recipit,) nihil in eo reciperetur, vnde non videret, nullus enim actus, nulla vis cognitiua ei ex tali vnione confertur; Et certe ſi vim haberet cognoſcentem, cognoſceret ſine tali vnione, vel ſi abſque tali vnione impotens eſſet ad cognoſcendum, neque ex illa vnione potens redderetur; Sic itaque, quamuis homo habeat cogitatiuam, quæ eſt facultas, qua poteſt cognoſcere, non tamen ex allegata continuatione intelligit, ſed intelligitur, vt patuit, hinc non fit vis abſolute in eo quod homo nõ intelligeret, ſed quod ex ui illius continuationis non intelligeret; Addo ipſe, concedens hominem cognoſcere per cogitatiuam, numquam tamẽ intelligere, nam intellectu intelligit, intelligere etenim eſt circa vniuerſalia; nam de mente etiam Auerrois non percipit intellectus ſingularia, quare impertinens eſt vis illa cogitatiuæ ad hoc, vt eius ope, ex continuatione illa poſſit homo intelligere, niſi aliud accedat.

Caietanus.

Hanc difficultatem de vi in homine cognoſcente, credo voluiſſe indicare Caiet. quando cap. 6. huius libri, quæſtione illa, qua inquirit, num in hac vita cognoſcamus quidditatiue ſubſtantias ſeparatas, reddit infirmam continuationem hanc Auerr. de intellectu huic, & illi homini, argumento, quod ex Auctore adduxi, quoniam videlicet ex illa non ſequitur, vt homo intelligat, ſed potius vt intelligatur, ſubdebat enim, non obſtare ſimilitudini de phantaſmatibus ad intellectum poſſibilem, & de coloribus ad viſum, quod homo proprio actu cogitatiuæ reddat ſpiritualia ipſa phantaſmata, ſiue illa ſpiritualizet, vt eius vocem ponam, coloratum autem, puta paries non ſpiritualizet colores, vnde ex illa actione hominis, media cogitatiua erga phãtaſmata videtur ſequi, hominem intelligere, quod nequit applicari parieti, vel colorato cuique vt videat, quoniam non reddit ſpirituales colores. Hoc inquiebat Caiet. non obſtare, quoniam ſi imaginemur fingentes, vt coloratum in ſeipſo non poſſit obijci oculo, ſed obijciatur tantummodo, quatenus ſpirituale iam effectum eſt in aliquo ſpeculo, quippe quod ſpeculum operatione propria ſpiritualizaret in ſe ſpeciem colorati, ſimilitudo inquit Caiet. curreret quattuor pedibus; & tamen ſpeculum illud obiectum viſui, non vere poſſet denominari videns, ſed ſolum viſum; Quam rationem ſibi demonſtratiuam apparere ait Caiet. & eius efficaciam aliàs plenius ſe commonſtraturum Deo ſibi vitam concedente pollicitus eſt; licet autem mihi non ſuccurrat, rationis huius vim plenius ipſum alibi pateſeciſſe, cumulate tamen eo loco eam meo iudicio ſubindicauit.

Quomodo defendat, & ipſe D. Thomæ rationem.

Et quidem rationem ex Auctore iam audiſti, & ſolutam quoque inſtantiã, quam tamen vt exacte poſſideas, eam tibi declaro, non enim eſt prorſus facilis, immo mihi olim iuniori, immo vero puero ita ardua videbatur, vt non ſatis eam poſſidere daretur. Tota quippe difficultas eſt, quod homo proprio actu cogitatiuæ ſpiritualia efficit phantaſmata, coloratum vero id propria actione erga colores nequit præſtare, quare non ſequitur, vt ſi paries continuatus viſui, non videat, quod homo dum phantaſiatur, coniunctus intellectui poſſibili, non intelligat. Reſpondet Caiet. & bene, actionem hanc, quam homo erga phãtaſmata exercet, nihil ei magis in propoſito conferre, quatenus coniungitur intellectui poſſibili, quam parieti coniuncto oculo, nam & ſi paries poſſet reddere ſpirituales coloris ſpecies, non tamen ex eo quod obijciatur oculo, videret.

Difficultas illius rationis.

Aufertur,

Enimuero, ponamus ex vna parte hominem, ex alia ſpeculum, ponamus phan-

phantaſmata non obijci intellectui in ſeipſis, ſed prout ſunt in homine, qui ea proprio actu cogitatiuæ facit ſpiritualia, vt reuera eſt; ponamus coloratum nō obijci in ſeipſo viſui, ſed in aliquo ſpeculo, quod ex impoſſibili ponatur facere ſpirituales colores operatione propria in ſeipſo, certe ſpeculum illud obiectū viſui non videret, neque igitur homo ſic continuatus poteſt intelligere; Loco hominis habes ſpeculum, loco phantaſmatum habes ſpecies coloris, loco intellectus poſſibilis habes viſum, vel oculum, faciat homo ſpiritualia phantaſmata, faciat ſpeculum ſpirituales colores, nunquam ſpeculum ſic viſui continuatum videbit, neque homo continuatus intellectui, ex illa continuatione intelliget.

Vide ſimilitudinem.

Quod in gratiam poſſibilis intellectus audiſti, applica intellectui agenti, ſicut enim comparantur phantaſmata ad intellectum poſſibilem, vt colores ad viſum, ita comparantur agenti, tamquam colores ad lumen, vt patet tertio de Anima 18. recipit quippe viſus colores, & intellectus poſſibilis ſpecies à phantaſmatibus, lumen facit actu colores, vt ſcilicet poſſint actu mouere potentiam, intellectus agens efficit, vt phantaſmata poſſint actu mouere intellectum poſſibilem, conſtat autem, neque colores, vt obiectos lumini obtinere, vt videant, ſed ſolum vt poſſint videri, ita homo cum ſuis phantaſmatibus continuatus intellectui agenti non ſortietur ex vi talis cōtinuationis vt intelligat, ſed ſolum vt queat intelligi.

Sed & alia via videtur poſſe hæc proportio, & ſimilitudo infirmari; nam eadem ſpecies intelligibilis apud Auerroem informat, & poſſibilem intellectū, & phantaſiam, at non vna, & eadē ſpecies informat oculum, & parietem, ſed ar. ſequenti defendentibus nobis rationes Auctoris elucebit, nihil hoc præfatæ proportioni officere.

Quid de Auerroe ſententia Genua.

Scio Marcum Antonium Genuam ad illum quintū tertij de Anima, in prima quæſtione dicere, non fuiſſe Auerrois ſententiam, quod hoc modo fieret vnio intellectus nobiſcum, per ſpeciem ſcilicet in intellectu à phantaſmatibus pendentem, ſed vniri tamquam intelligentiam orbi; Cæterum non ſemel reperit Auerr. nobis copulari intellectum per phantaſmata modo explicato, & comparatio illa ab ipſo aſſignatur, & in hoc ſenſu eum multi viri grauiſſimi acceperunt; At quicquid ſenſerit Auerr. vnio illa per modum mouentis iam quadruplici medio ab Auctore prima par. quæſt. 76. art. 2. reiecta eſt, vt mirum ſit, Genuam non vidiſſe impugnationem huius vnionis ſic explicatæ, patebit etiā inferius, non poſſe hominem intelligere, niſi anima intellectiua ei vt forma vnita ſit.

D.Thom.

At vero nos accipientes Auerroem, vt verba eius referunt, & vt viri clariſſimi ſenſerunt, continuationem illam merito phantaſmatum, in qua ſuadenda multi Auerroiſtæ laborant, & impugnauimus, & nunc etiam impugnare intendimus, & primo poſt ea, quæ dicta ſunt, hunc in modum; Ex ſecundo phyſ. 26. & 70. & duodecimo Diuinorum 17. & alibi frequenter Sol, & homo generat hominem, in inſtanti igitur, quo terminatur generatio hominis, introducitur forma hominis in materia, (aliàs non eſſet generatio,) hæc eſt autem anima intellectiua, quæ prædita eſt vtroque intellectu, ergo in illo inſtanti intellectus nobis eſt coniunctus, & non per continuationem illam phantaſmatum; ergo &c. Neque poteſt dici cum Auerroe, formas imaginatas eſſe in potentia in puero intellectas, & intellectum materialem eſſe continuatum illi in potentia, nam actu continuata eſt ei anima intellectiua, quare & intellectus, qui eſt eius

Ariſtotel.

pars,

pars, aliter puer non eſſet animal rationale, ſed brutum. Deinde tertio de Anima 20. quærit Ariſtoteles, cur non poſt mortem reminiſcamur, & ait ideo eſſe, quoniam licet intellectus in actu ſit impaſſibilis, tamen corrumpitur paſſiuus intellectus, vel dianoeticus, vel cogitatiua, ſine qua nihil intelligit anima, at ſi ponatur vnus numero intellectus, nec quæſtio, nec ſolutio eſt ad propoſitum; quare, &c. probo minorem quo ad quæſtionem, nam ſi ſit quæſtio, cur non reminiſcamur, ſupponit itaque Ariſtoteles, quod noſter intellectus cuique proprius remaneat, quærit enim, quare proprio intellectu remanente, non reminiſcamur, at ſi ſupponatur vnus intellectus, conſtat quod in morte corrũpitur, quatenus eſt meus, vel tuus, pereunt enim continuationes illæ phantaſmatum, vnde vana foret quæſtio, ſi enim non inſit mihi poſt mortem intellectus, quorſum quærere, an reminiſcar? Idipſum patet quo ad ſolutionem, vane enim confugit Ariſtoteles ad corruptionem cogitatiuæ pro cauſa non reminiſcentiæ, nam ſi non remaneat intellectus, vel mihi, vel illi, vt conſtat non remanere, ſi ponatur vnus, mox habetur hæc cauſa non reminiſcentiæ, quare inconcinne nimis recurritur ad corruptionem cogitatiuæ; Similiter vane 66. primi de Anima confugiſſet ad corruptionem compoſiti, vt oſtenderet quare poſt mortem non reminiſcamur, nam ſi ceſſet intellectus eſſe meus, & tuus vt ſic, ad quid recurrere ad compoſitum? immo ad quid has quæſtiones formare; otioſæ profecto ſunt quæſtiones, & inutiles ſolutiones; Neque valet quis dicere, hæc quæſita non formari ab Ariſtotele de homine, ſed de ipſo intellectu, vt ſcilicet quærat, cur non reminiſcatur intellectus, Nam 20. illo tertij de Anima ait, nos non recordari, nos non reminiſci, quocirca quæſtio eſt de homine; præterea inquirit, quare poſt mortem non adſit reminiſcentia, at non moritur intellectus, ſed homo eſt qui moritur, niſi quis adeo inſaniat, vt dicat intellectum eſſe mortalem, nam ſi foret mortalis, quorſum inueſtigare, cur non poſt mortem reminiſcamur? Quãuis itaque remaneat intellectus, & meus, & tuus, tamen poſt mortem, inquit Ariſtoteles te, & me non reminiſci, quoniam perit cogitatiua, & corrumpitur; Si remanet intellectus meus, & tuus, ergo non eſt tuus, & meus ob commentitiam phantaſmatum vnionem; Ita vidimus tex. illos, quos Themiſtius pro ſe capillo 28. adduxit, ſibi non fauere, ſed refragari. Et quamuis in aliquo ſenſu poſſit veritatem vtcumque habere, quod ait Genua ad hunc tex. tertij de Anima, quod ſcilicet ex ſenſatis nequeat cognoſci, quid poſt mortem anima intelligat, vndẽ & Iandunus quæſtione 30. ad eundẽ librum ait, ſe in hoc nolle intromitti, attamen hæc nihil ad rem faciunt, nam ſemper ſequitur, vanam eſſe hanc quæſtionem, & ineptam reſponſionem, ſi ponatur vnus omnium intellectus, &c.

Dubium.

Soluitur.

Themiſt.

Genua.

Iandunus.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Poſitam, & probatam concluſionem, efficaciter comprobaſſe Auctorem oſtenditur.

ROmanus Aegidius 3. & 4. cap. quæſtionis illius nonnullas rationes contra hanc Auerr. poſitionem mente luſtrans, (quas Auctor varijs in locis formauit,) ait non concludere, vnde eas ſoluere ſtudet, & rationem illam ex conti-

continuatione deſumptam, qua deducebamus, hominem ex ui illius conti-nuationis non intelligere, inquit verum vtique concludere, ſed medium eſ-ſe inconueniens, quare aſſerit rationis illius veram concluſionem, at probatio-nes nota damnat falſitatis. Cæterum de Doctore hoc grauiſsimo, & diſcipu-lo Auctoris nominatiſsimo dum hæc in re cogito, dico tria, primo, quod ſibi ip-

Quid in hoc de Ægidio ſẽtiat Auctor.

ſi eſt expreſſe contrarius; dico ſecundo, quod in omnibus ſuis rationibus, quas deinceps contra Auerroem format, ad eaſdem recurrit rationes, quas mox di-xerat non concludere, vnde dico tertio, Auctoris rationes, quas ipſe conatur ſoluere, dicens non concludere, efficaciter intellectus vnitatem comminuere.

Primum ex eo patet, quoniam idem Doctor in ſuo Correctorio corrupto-rij circa prim. par. Auctoris art. 30. ait in primis verbis reſponſionis, quod er-rorem Auerrois, vt vnus ſit intellectus omnium hominum deſtruit: Thomas in reſponſione huius ar. (& eſt locus primæ par. relatus in ſuperioribus, art. vide-licet ſecundus quæſtionis 76.) & alibi multipliciter, immo nemo melius; Si itaque Auctor pluribus in locis, & multis rationibus errorem hunc Auerrois adeo confutet, vt nullus id melius præſtet, igitur eius rationes efficaces fatea-tur, & efficaciores proprijs, nunc autem rationes eiuſdẽ præcipuas, (licet ſup-preſſo nomine,) ait non concludere, & rationes ipſe adfert, quas ait conclu-dere, igitur Auctor non modo non confutat melius Auerrois errorem, ſed neque confutat, ſic eſt euidens his in dictis contradictio, quod erat primum.

Secundum manifeſtatur, quoniam ſua priori ratione, qua probat & ipſe ex Auerrois continuatione non habere hominem vt intelligat, ait hoc ideo eſſe, quoniam omne quod agit, eatenus agit, quatenus eſt in actu, vnde ſi homo in-telligat, & faciat hanc actionem, oportet in ipſo ponere principium, & formã, cuius ope in actu conſtituatur, & poſſit agere, oportet (ait) ponere ſpeciem intelligibilem, & dicendum eſt, animam intellectiuam, eſſe formam corporis, vel actum.

Ratio D. Thomæ prior.

At hanc eandem doctrinam adfert Auctor q. de Spiritualibus creaturis, art. ſecundo, & de Anima art. ſimiliter ſecundo, immo ſuper hoc fundat rationem illam, quod ex tali continuatione non ſequatur hominem intelligere, ſed intel-

Ferrarien.

ligi, (vt etiam recte obſeruauit Ferrarien cap. 59. ſecundi cont. Gent.) quoniã non eſt aliquid cognoſcitiuum, ex eo quod ei adſit ſpecies cognoſcibilis, ſed oportet ei adeſſe vim, & facultatem cognoſcitiuam; Ecce quod ait Aegidius, oportere animam intellectiuam eſſe actum corporis, & homini vnitam, vt con-ſtituatur homo in actu. Vbi facile ſcias nouitie, non negare Auctorem, requirẽ ſpeciem intelligibilem ad intellectionem, ſed ait hanc non ſufficere, at exigi vim, & principium cognitiuum; Sed & verba ferè formalia accepit Aegidius ab ipſo prima par. quæſt. 76. ar. 1. primis verbis ar. & loco relato cont. Gent. ratione quarta pro confirmatione veritatis, vbi ait, neceſſarjo eſſe dicendum, quod intellectus, qui eſt intellectualis operationis principium, ſit humani cor-poris forma, & ſubdit rationem, quia nihil agit, niſi ſecundum quod eſt actus. Ita cernimus primam rationem Aegidij formalem rationem Auctoris, Quomo-do igitur ratio illius concludit, & non ratio iſtius? at concludit ratio Aegi-dij, ſed prius concluſit illa Auctoris, quin ab iſta habuit, vt concluderet illa.

Ratio ſecunda.

Secunda itidem ratio, qua colligit Aegidius, ſi intellectus ſecundum eſſe non indigeat corpore, ergo neque ſecundum operari, ergo poterit intelligere abſque corpore, alioquin daretur ſubſtantia otioſa, elicitur manifeſte ex Au-ctore ſecundo cont. Gent. 60. ratione nona, vbi colligit, quod quoniam intel-

lectus

lectus operatio indiget corpore, nam ſine phantaſmate nihil intelligit, igitur non eſt omnino à corpore ſeparatus; Aegidius autem dicit, quod ſi ſit ſeparatus, poterit intelligere ſine corpore, vbi ex oppoſito conſequentis rationis illius, concluſit oppoſitum antecedentis, ſed & cap.73. eiuſdem libri, ratione quadam ſeptima non longe ante finem capitis hæc eadem ratio formaliter prope habetur.

Tertia quoque eius argumentatio, in qua deducit, quod intellectus nullam ſpeciem recipere poſſet à phantaſmatibus, tunc enim modus eſſendi ipſius eſſet inſtar ſubſtantiarum ſeparatarum, & nihil recipit, quod iam habet, cum recipiens ſit denudatum à natura recepti, & quæ ibi ſequuntur, fuit ratio, quam formaliter, & explicite formauit tertio loco Auctor, quæſt. illa de Spiritualibus creaturis, ar.9. & libro, atque capite contra Gentes citato, quo loco eam ad longum proſequitur, propugnans ipſam à quibuſdam, quæ poſſent dari reſponſionibus. Tertia.

Quarta ratio ſua, ex qua infert, quod intellectus agens non faceret omnia, quinta, vbi colligit, quod intellectus poſſibilis intelligeret ſeipſum per ſeipſum, non per hoc quod alia intelligat, & ſexta, ac vltima, in qua concludit, tunc non eſſe intellectum poſſibilem puram potentiam in genere intelligibiliũ, ceu prima materia eſt pura potentia in genere ſenſibilium, omnes hæ tres rationes eodem fundamento innituntur, cui innitebatur tertia; ex eo enim quod intellectus poſſibilis ponitur habere ſpecies apud ſe, vel hominum illorum, qui præceſſerunt, vel quoniam eſt ſubſtantia ſeparata, igitur ab eo progredi poteſt actio aliqua, igitur intellectus agens intelligibilia illa, quorum ſpecies apud ſe ille habebit, non faciet intelligibilia, quoniã iam ſunt, quæ erat quarta ratio, rurſus cognoſceret ſe eo modo, quo ſe agnoſcunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ ſe per ſeipſas dignoſcunt, quæ fuit quinta, & demum, ſi ſit actuatus ſpeciebus, non eſt pura potentia, quod concludebat ſexta. Tres aliæ eiuſdem rationes.

Rationes igitur omnes ſuæ, quas dicit concludere, ſunt Auctoris, immo ex eo quod intellectus poſſibilis habeat apud ſe ſpecies, nedum colligit loco illo contra Gent. immediate ante ſeptimam illam rationem, quod intellectus agentis non ſit omnia facere, vt inferebat Aegidius quarta ratione, ſed quod & fruſtra ponebatur, & vere ſequitur, quoniam ſi nullam valeat poſſibilis recipere ſpeciem, quas ſpecies abſtrahet, & quorſum intellectus agens?

Demonſtro tertium, quod de Aegidio pronunciaui, rationes nimirum Auctoris inſufficientes ab ipſo exiſtimatas, eſſe ſufficientiſſimas; Et quidem omniũ ferè vulgatiſſima apparet illa ſuperiori art. relata, quod ſcilicet ex illa intellectus copulatione non intelligeret homo, quam ibi defenſaui, ſed manet difficultas Aegidij, quoniam inquit, vt ibi annuebam, non eſſe parẽ proportionem de phãtaſmatibus ad intellectum, & de coloribus ad viſum, nam eadem ſpecies intelligibilis apud Auerr. informat, & poſſibilem intellectum, & phantaſiam, quare forma intellectus, hæc ſcilicet ſpecies eſt in nobis, atque ideo actus intelligendi nobis communicatur, at non vna, & eadem ſpecies informat oculum, & parietem, vnde forma oculi, non eſt forma parietis, quapropter non videt paries, at intelligit homo. Pro reſponſione dico multa, & primo quod hæc proportio colorum ad oculum, ac phantaſmatum ad intellectum eſt, & Ariſtotelis, & Auerr. quare qui eam impugnat, nedum aduerſus Auctorẽ arguit, ſedet contra recenſitos philoſophos. Dico ſecundo, quod ſi ſimilitudo curreret quo ad omnia, iam non eſſet ſimilitudo, vt docent omnes, & potiſſimum Caiet. ſecunda Dubitatio Aegidij. Aufertur. Caietanus.

ſecundæ,quæſt.88.ar. 4. circa reſponſionem ad primum, nam ſufficit,vt currat quod ad id, in quo attenditur aſſimilatio,& ad quod probandum inducitur. Dico tertio,quod ſicut eadem ſpecies intelligibilis informat intellectum,& phantaſiam, ita eadem ſpecies ſenſibilis informat parietem, & oculum, velut enim à phantaſia intellectus agentis munere abſtrahitur illa ſpecies,& elicitur, quæ poſtea in intellectu poſſibili recipitur,ita à ſenſibili obiecto elicitur ſpecies ſenſibilis,(ope forſan ſenſus agentis apud Auerroem, vt colligitur ex ipſo ſecundo de Anima com.60. quod tamen perſcrutandum reliquit,& Iandunus q.16. eiuſdem libri ſuſtinet ad aures ipſius,dari ſenſum agentem,quem nihilominus reijcit Sueſſanus quæſtione ſua ad hoc propria, ſed hoc parum in propoſito facit,)& in ipſo ſenſu recipitur,immo clare Auerr. loco illo tertij de Anima duplex ſubiectum tribuit intentionibus illis ſenſibilibus,& ait,quod comprehendere per ſenſum perficitur per duo ſubiecta, quin ex hoc duplici ſubiecto venatur duplex ſubiectum & in intellectione, quare falſum eſt,quod eadem ſpecies non informet oculum, & parietem,alioquin ſi dicatur alia ſpecies informare viſum,& alia parietem,iam nulla foret proportio de duplici ſubiecto in ſenſatione,ad duplex ſubiectum in intellectione,quoniam tunc in ſenſatione, vna ſpecies ſenſibilis non haberet duplex ſubiectum,ſed vtrique ſpeciei,& oculi ſcilicet,& parietis vnicum tantum aſſignaretur ſubiectum, & male ſubderet ibi Auerroes,nullam eſſe differentiam inter ſenſum, & intellectum in hoc,niſi quia ſubiectum ſenſus per quod eſt verus, (ſenſibile ſcilicet) eſt extra animam, ſubiectum autem intellectus per quod eſt verus,(hoc eſt phantaſia,) eſt intra animam,iam enim aliud diſcrimen, & præcipuum eſſet, quod aliud eſſet ſubiectum formæ ſenſibilis ex obiecto eductæ, & aliud eiuſdem, vt in viſu eſt recepta, in intellectione vero eadem ſpecies haberet duplex illud ſubiectum, hoc eſt,illa eadem ſpecies ex phantaſmatibus mox extracta,in poſſibili intellectu recipitur.

Auerroes. Iandunus. Sueſſanus. Auerroes.

Dico quarto,quod admiſſa diſputationis gratia hac differentia,vt ſcilicet eadem ſpecies non informet oculum, & parietẽ, ſed eadem informet intellectũ, & phantaſiam,adhuc proportio aſſignata optime concludit propoſitũ,nil enim aliud ipſa demonſtrare intendit,quam hominem ex tali continuatione non intelligere,velut nõ vident colores,ex eo quod obijciantur viſui, conſtat autem, quod licet eadem ſpecies informet & phantaſiam, & intellectum, non intelligit homo,quocumque enim modo informet ſpecies illa,non erit forma hominis,ſed potius intellectus,& phantaſiæ,nec ex illa copulatione poterit aſſignari in homine principium,vel forma,qua media producat hanc operationem,quæ eſt intelligere,vt idemmet Aegidius fatetur,& docet. Ex illa profecto cõtinuatione non fit vnio ſecundum eſſe, nam manet adhuc intellectus quo ad eſſe ſeparatus,ſed fit vnio ſolum in operatione,quæ operatio pari modo inuenitur in pariete,& in oculo,nam informatur intellectus ſpecie intelligibili,quæ ex phantaſmatibus elicitur,ita viſus ſpecie ſenſibili,quæ à colorato,vel à pariete ad ipſum tranſmittitur,quocirca optima eſt proportio,& vera ratio,non procedens ex falſa imaginatione, vt Aegidius inquiebat.

Finis rationis, quæ examinatur, & defenditur.

Ex quo conſtat,& aliam rationem efficacem eſſe, quam contra eandem continuationem adfert Auctor quæſt illa de Spiritualibus creaturis ar. 2. quod videlicet ex tali cõtinuatione magis ponitur intellectus ſeparatus, quam coniunctus, quoniam ſpecies intelligibilis non eſt vnum cum intellectu poſſibili, niſi quatenus à phantaſmatibus eſt abſtracta, ſic enim tantum actu intelligitur, ac

quare.

quatenus eſt in phantaſmatibus, eſt in potentia ſolum intellecta, quam rationem ſexto, & poſtremo loco adducit Aegidius, & ait non concludere, ſed de facili ſolui, & ſoluendo, nil aliud adfert, niſi quod iam dictum eſt, eſſe nimirũ eandem ſpeciem, quæ & intellectum, & phantaſiam informat, ex quo inquit prouenire, intellectum eſſe nobis coniunctum; At certe nulla eſt coniunctio, neque quo ad eſſe, vt facile patet, cum ex hoc neutiquam ſequatur, vt intellectus ſit nobis forma intranea, neque quo ad operari, de quo eſt ſermo, hoc eſt, ad intelligere, iam enim ſatis, ſuperque manifeſtatum arbitror, ex tali vnione non poſſe hominem intelligere, quæ igitur vnio eſt iſta? vnio forſan in voce, at in re ipſa, vera eſt ſeparatio.

Verum ſciſcitor à Doctore perilluſtri, ſi ex tali vnione, merito ſpeciei informantis, & phantaſiam, & intellectum ſequatur coniunctio intellectus, cur ipſe prima ſuarum rationum, quas dicit contra Commentatorem concludere dicat, ex tali vnione non intelligere hominem? Si eſt coniunctus intellectus, cur ipſe id ratione illa negat, dicens, & bene, oportere in nobis poni principium intellectionis, & per ipſum nos in actu conſtitui ad eiuſmodi operationem eliciendam? Dicet fortaſſe, ex tali vnione non eſſe nobis coniunctum intellectum quo ad eſſe, ſed quo ad operari, (nequeo aliam præter has duas vniones imaginari,) at ſi ita ſit, cur neget ipſe, hominem ex illa vnione intelligere? cur aliud requiri doceat? Et cum rei veritas ſit, hominem ex illa copulatione non habere vt intelligat, neque intellectum ſibi vt formam coniungi, ratione primi, non erit vnio quo ad operari, ratione ſecundi, non quo ad eſſe, ergo nulla prorſus vnio.

Ex hac eadem doctrina, ſufficiens oſtenditur & ratio, quam ſecundo loco adducit, & ait deficere, ſufficiens inquam, pro quanto inuenitur formata ab Auctore, quod nimirum vnio mouentis ad mobile non ſufficit, vt denominetur homo intelligens, quod ſane motiuum adeo corroborat prima par. quæſt. 76. art. primo varijs medijs, & tanta efficacia propugnatur à Caietano ibidẽ ab ijs, qui illud impugnarunt, vt nihil poſſit addi, & quamuis non habeatur in Auctore exemplum de nauta, & naui, quoniam tamen nauta eſt mouens, & nauis eſt ab ipſo mobilis, ideo non debet cenſeri valde ridiculoſum, & à propoſito deficiens, vt ait Aegidius, licet enim vt ipſe mox ibi ſubdit, nulla ſit forma in naui, quæ ſit forma intellectus nautæ, atque ideo aggregatum ex nauta, & naui non intelligat, non tamen verum eſt, quod addit, eſſe ſcilicet in nobis ex illa copulatione formam intellectus, adeo vt homo queat intelligere, mox enim oſtendimus, nullam eſſe hanc vnionem, ad aures quoque ipſius Aegidij; Quæ vero alia eadem ratione admiſcet, neque ſunt Auctoris, neque quicquam concludunt, ſi ſupponatur nulla eſſe talis vnio.

D.Thom.
Caietanus.
Aegidius.

Tertia ratio, quæ ad id deducit, vt nullam reciperet intellectus poſſibilis ſpeciem, quamuis ab ipſo nota inſufficientiæ arguatur, eandem nihilominus ſibi deinceps aſſumit pro tertia itidem ratione, vt vidimus, & demum veritate coactus ait, rationem hanc veritatem concludere; Quod autem opponit, quoniã apud Auerroem poſtquam indiuiduum humanum corrumpitur, quas ſpecies per illud indiuiduum intellectus acquiſiuerit, ſeu per illius phantaſmata, non appareat remanere, ita docte, & neruoſe quinque medijs reiicit Auctor capillo 73. ſecundi cont. Gent. non multum ante finem, vt ſuperuacaneum omnino ſit in hoc immorari; Certe quod vir iſte grauiſſimus dicit loco illo memorato ſui Correctorij de ijs, qui Auctorem ibi impugnabant, quod videlicet, ſi verba

ipſius bono oculo reſpexiſſent, vtique ori ſuo digitum impoſuiſſent, eidem hæc eadem poſſumus dicere, ſi enim allegatum caput ſecundi con. Gen. vt par erat aſpexiſſet, rationem hanc tertiam non neglexiſſet.

Ratio D. Thomæ.

Quarta ratio Auctoris, vel quarto loco ab Aegidio adducta, hæc eſt: Nequit fieri, vt ab vna, & eadē virtute ſimul, & ſemel ſint plures actiones reſpectu eiuſdem obiecti, contingit autē, quod duo homines ſimul, & ſemel vnum, idemque obiectum intelligant, quare ſi vterque intelligit per eundē intellectum poſſibilem, igitur vna, & eadē numero erit vtriuſque intellectio, ceu vna, & eadem foret duorum hominum viſio, ſi vno, eodemque oculo ponerentur videre, quam rationē adfert quæſtione de Spiritualibus creaturis art. 9. & pulchre amplificat 1. p. q. 76. ar. 2. Eam vero ita colligit, vel format Aegidius, quod cum intellectio duorum hominum nequeat eſſe vna numero, quoniam diſtincta ſunt ſuppoſita, ſed duplex, igitur ab vna, eademque virtute prodibūt duæ actiones numero diſtinctæ, quam ſane ait non concludere, quoniam illa ſpecies vna erat ex parte intellectus recipientis, at multiplex ex parte noſtra, vel ſecundum intentionem receptam, vt idem Auer. docet com. illo 5. tertij de Anima, vnde addit, quod arguere multitudinem ex parte intellectus, committitur fallacia accidentis, non enim actiones illæ comparatæ intellectui ſunt plures.

Quomodo ab Ægidio formata.

Quomodo impugnata.

Defenditur.

At prorſus immerito labefactatur hæc ratio; Veriſſimum namque eſt, quod ſi multiplicetur hæc actio, quæ eſt intellectio ex parte aut noſtri, aut phantaſmatum, aut quatenus intellectus eſt verus, quod oporteat etiam multiplicari ex parte intellectus ſecundum ſe, & quatenus in ſe eſt ens, vnde nulla committitur fallacia, & cum nequeat eſſe, quod ab vna virtute proficiſcātur duæ actiones ſimul reſpectu eiuſdē obiecti, relinquitur, vt plures ſint intellectus, vt enim ſcite ſcribebat Caiet. loco citato 1. p. huiuſcemodi reſponſio, (quam & alij Auerroiſtæ dant,) & præuiſa, & excluſa eſt ibidē ab Auctore, dum dixit, actionem vnius agentis non multiplicari, niſi duobus modis, vel nimirum, ſi multiplicetur forma in agente, per quam ſcilicet agens agit, vel inſtrumenta, quibus fit actio; notanter ait Caiet. dixiſſe operationem ex parte operantis, quatenus videlicet exit ab operante, licet enim poſſint multæ paſſiones cauſari ab eadem forma numero, vna quidem in ſe, at multiplici in reſpectu, vt paſſiones illæ ſint eiuſdem rationis, multæ tamen ex diuerſitate patientium, & eorum in quibus forma illa recipitur, vt eſt videre, dum multa ab eodē igne caleſiunt, (quod eſt exemplū Auctoris 2. con. Gen. cap. illo 73. & Caiet. 1. p. vbi ſupra,) non tamen hæc reſpectuū multiplicitas in calore, hæc ſcilicet multa, quæ reſpiciūt calidū tamquā illa, quæ calorē recipiunt, ſufficiunt ad hoc, vt ſint multæ calefactiones actiuæ, niſi quis cōfugiat ad diuerſitatē partium caloris calefacientis; At recurſus iſte nullū habebit locū, ſi ponatur agens indiuiſibile, tūc enim quantumuis multiplicentur paſſiones, actio erit neceſſario vna; Cum itaque intellectus ſit impartibilis, quamuis ſpecies intelligibilis ſit multiplex ſecundum diuerſos reſpectus ad diuerſa phantaſmata, nequit ſaluari pluralitas intellectionis, ſi ponatur vnus intellectus.

Caietanus.

D. Thomæ, & Caietani ſimile.

Accedit, quod hæc pluralitas, eſt pluralitas operationis ex parte operantis, cum intellectio ſit actio immanēs, quæ in aliquid extra nō tranſit, & homo qui intelligit, ſe habet vt operans, cum ab ipſo oriatur intellectio, non autē in actuali intellectione ſe habet vt quid paſſiuum, velut materia, ad quam actio intellectionis terminetur, quare intellectu vno conſtituto, non poſſunt multiplicari intellectiones ex parte intellectus, & operantis.

Quomodo in actuali intellectione ſe habeat homo.

Dicas

Dicas breuiter, quod actio multiplicatur, vel ex parte agentis, quod nõ accidit in propoſito, poſita intellectus vnitate, vel ex parte inſtrumenti, quo agens agit, & neque hoc accidit, quoniã intelligere nõ exercetur per aliud organum, quã per ipſum intellectũ, vel demũ ex parte formæ, per quã agẽs agit, & hoc nequit dici de intellectione reſpectu vnius intelligibilis, (de qua sẽper in hoc argumento conſtat nos loqui,) quoniam vnica ſolum in vno intellectu eſt forma vnius obiecti intelligibilis, vnica videlicet ſpecies à phantaſmatibus abſtracta, hinc uane omnino quis recurreret ad pluralitatem phantaſmatum, quoniã hæc in intellectione non habent locũ formæ, per quã intelligens intelligat, (id enim exercet intelligibilis ſpecies,) ſed mouentis, quare ſi hæc vnum numero intellectum omnium moueant, vnam numero ſpeciem imprimendo, (quod in vnico obiecto numero neceſſario euenit,) iam reſpectu vnius obiecti, quod ſimul, vel omnes, vel multi intelligant, vna numero erit, vel omnium, vel multorum intellectio, &c. Vide ſi vis Zabarellam cap. 11. illius lib. argumentum hoc ſatis expendentem, & firmiſſimum, ac inſolubile iure exiſtimantem. Iudicium Zabarellæ de huiuſque examinata ratione.

Ratio. quam quinto loco adfert, adumbrata fuit in ſuperioribus, quando dicebatur, Ex actione propria cuiuſque nos venari eius formam, ſic ex intelligere inueſtigatur forma hominis, quare intellectus eſt eius propria forma, non poteſt autem eſſe, vt quid multiplicetur, & eius propria forma multiplex non euadat, quare multiplicato homine, multiplicatur intellectus. Hanc rationem animo colligens Aegidius dicit, non de neceſſitate arguere, concedit enim, ex ipſa concludi, intellectum eſſe formam in nobis, at ſubdit, non ideo debere intellectum multiplicari, quoniam ita ponitur intellectus forma noſtra, vt tamen vnus omnino remanens, ſit forma omnium hominũ, & iam ait patuiſſe modum, quomodo intellectus in actu ſit forma in nobis; At nos iam manifeſtatum dedimus, nullatenus ex illa vnione nobis vniri intellectum vt formam; & debebat celebris Doctor conſiderare Auctorem, quando rationẽ hanc adducit, & quæſtione de Spiritualibus creaturis art. 9. & p. p. q. 76. art. 1. loqui de forma inhærente, & informante, quod ſcilicet ex operatione propria talem formam inquiri nus, non autem de forma quouis alio modo copulata, ſeu continuata, vnde p. p. ibidem reijcit vnionem formæ, quam finxit Auerroes. Aegidius. Mens D. Tho.

Cæterum, ſi hæc ratio non concludat, quoniam ſufficere ait modũ vnionis formæ, quem ponit Commentator, cur ipſe prima ſuarũ rationũ inquit, quod ſi hæc operatio, nimirum intelligere, quæ eſt homini propria, ſibi debeat aſcribi, oportet ponere in homine formam, quæ ſit principium talis operationis? ſi vnio illa ſufficeret, redundaret alia hæc vnio, vel alter hic modus vnionis. In argumento igitur aſſumitur de vnione formæ informantis, & tũc perſpicuum eſt, quod ſi eo modo ponatur intellectus hominis forma, multiplicari oportet ad hominum multiplicationem, nequeunt enim diuerſa habere vnam numero formam, vt ſuperiori art. dicebatur, &c.

Ita conſtat, rationes, quas Auctor adduxit contra vnitatem intellectus, eſſe ſufficientes, & nedum verum, vt de quibuſdam idem Aegidius fatebatur, ſed & vere concludere, &c.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Quoddam Auerrois motiuum ſpecialiter diſcu titur.

AVctor in hac litera inquiebat, quod Auerroes ex vniuerſalitate formæ intellectæ uoluit intellectus vnitatem cócludere, vniuerſalitatem vero formæ intellectæ ſibi ſuaſit, quoniam ſecus foret ſingularis, & ſic non actu intellecta, & quoniam huius ſolum motiui occaſione excludit in hac parte vnitatem intellectus, & quoniam in hac præcipue ratione ſummam vim conſtituit Commentator, vt ſuum probaret errorem, ſiue vt in eum incideret, vt idem Auctor ait art. illo 9. de Spiritualibus creaturis, quoniam demum ſubtilis ſatis erit huius negotij, quod tangit argumentum ſpeculatio, eapropter adamuſsim ipſum examinare placet.

Cauſæ huius articuli octaui formandi.

At vero egregie nimis patefacit ibidem Auctor, quomodo prius hoc idem inconueniens ſequatur ad poſitionem Auerrois de vnitate intellectus, deinde aperit, nullum eſſe, quod cenſetur abſurdum, quod ipſum & 2. contra Gentes 75. in ſolutione ſecundæ rationis abunde præſtat. Et quo ad primum, ſatis conſtat, formam omnem in aliquo indiuiduo exiſtentem, per ipſum indiuiduum reddi indiuiduam, vel illud indiuiduum fuerit vnum ſolum ex ſe in vna ſpecie, vel multa adfuerint illius ſpeciei, æque enim eſt indiuiduum Sol, atque hic homo, quamuis illius ſpecies in vno dumtaxat indiuiduo, huius vero in pluribus ſaluetur. Vnde aut ponatur vnus ipſe intellectus, aut multiplex, tandem fateri oportet, quod ſit ſingulare quoddam, nam quicquid eſt in rerum natura, eſt ſingulare, pari ergo ratione res intellecta in ipſo fiet indiuidua, vt in fine art 4. dicebã, ſiue dicatur eſſe vnus in vna ſpecie, ſiue multi, Quo vero ad multiplicationem, quæ ſequitur ex indiuiduatione, patet, quod ſuppoſita etiã vnitate intellectus humani, ſunt tamen alij intellectus in mundo, qui vnum, & idem intelligunt, quare eadem manet dubitatio, num hoc intellectum à pluribus intellectibus ſit vnum, vel plura. Idem itaque inconueniens, ſi ſit inconueniens manet Auerroem, vt ſoluat.

Quæ præſtet D.Thom.

Quapropter dicendum eſt pro argumenti ſolutione, quod non valet, ſi ſpecies ſint multæ, quod res intellectæ ſint multæ, non enim ſpecies eſt quæ intelligitur, ſed qua res intelligitur, vnde vna, & eadem res, quamuis per mille ſpecies à variis intelligatur, eſt tamen vna, nam vnus, & idem eſt lapis, quem intelligis tu per ſpeciem ipſius in intellectu tuo exiſtentem, & quem intelligo ipſe merito ſpeciei ſuæ in meo ſimiliter intellectu exiſtentis; ceu ſi multi eundem ſpectent parietem, eſt eadem res viſa per varias eius ſpecies in variis facultatibus videntibus exiſtentes. At quoniam non eſt difficultas præcipua de re intellecta, ſed de ipſa re vt ſic, quatenus ſcilicet eſt intellecta, & quoniam non eſt intellecta, niſi merito ſuæ ſpeciei, ideo videtur, quod ſi multiplicentur ſpecies, veluti de facto multiplicantur, ſi varij ponantur intellectus, quod etiam multiplicentur res ipſæ vt intellectæ, & ſic intellectum non ſit vnum, ſed aliud, & aliud, quare indiuidualiter diſtinctum, quare intelligibile in potentia, Eapropter obſerua, quod cognitionis terminus non eſt ſpecies, vt dicebatur, ſed res ipſa, quæ ſane vt terminat intellectionem, eſt vna non ſolum formaliter, ſed etiam numeraliter, non enim quatenus obiicitur intellectui, ſecum admittit differentiam numeralem, iam enim ſcimus, quod ipſa non

Terminus cognitionis.

terminat

terminat actum intellectus, vt eſt hæc, ſed vt eſt abſtracta à conditionibus indiuidualibus; Cum itaque humanitas gratia exempli, quatenus eſt intellectui obiecta duo dicat, & humanitatem, & eſſe cognitam, vel obiectam, iuxta hæc duo poteſt conſiderari, & quatenus res, & quatenus cognita; ſi ſit ſermo de eſſe reali, liquet, quod eſſe cognitum, ſeu obiectum intellectui, nullum eſſe reale addit ſupra ipſam rem, vt dicebam in obſeruationibus ad hoc caput, & iuxta hoc eſſe reale, non eſt cur quis dubitet, an multiplicetur, nam ſi multiplicetur intellectus, multiplicatur &. res intellecta, vt intellecta, hoc eſt, ſecundũ eſſe ſuum ſubiectiuum, per quod habet eſſe in intellectu, nã alia eſt ſpecies humanitatis, quæ eſt ſubiectiue in meo intellectu, & alia eſt eiuſdem ſpecies, quæ eſt in tuo; Si autem loquamur de eſſe cognito, vel obiectiuo, cum tale eſſe non ſit niſi relatiuum, & relatione rationis, cum Auctore, qui vere cenſet, relationes quæ ſunt eiuſdem rationis in vno termino non multiplicari, quamuis termini ex altera parte multiplicentur, (vna enim eſt relatio paternitatis, qua Petrus, qui genuit decem filios, ad omnes refertur,) dicemus, quod licet ipſius humanitatis ſint repræſentationes variæ in variis intellectibus ob plures ſpecies intelligibiles, quæ illam repræſentãt, tamẽ ex parte humanitatis eſt vna repræſentatio, quæ eſt vnum, & idem repræſentatum omnibus, velut vnica ſimilitudine aliquid album refertur ad omnia alia alba; Sic humanitas eſt vnum intellectum omnino, & per priuationem omnis differentiæ numeralis, (non enim humanitas vt intellecta repræſentatur, prout eſt numero in re plurificabilis,) & per poſitionem vnius numero eſſe relatiui, quo eſt intellecta, licet per mille ſimilitudines à mille intellectibus, vnde pluralitas intellectuum non præiudicat huic vnitati. *Mens D. Thomæ de relationum multiplicatione.*

Ex unitate igitur rei intellectæ, vt intellecta eſt, & obiectiue, vanũ eſt arguere vnitatẽ intellectus, quoniã cum tali vnitate ab innumeris intellectibus, & poteſt intelligi, & intelligitur; Si autẽ eſſet vnitas intellecti in eſſe reali, vel in eſſe ſubiectiuo, vt ſcilicet vna tantũ eſſet ſpecies cuiuſuis rei, quæ intelligitur, tunc vtique deduci poſſet vnitas intellectus, quãdoquidem vna intelligibilis ſpecies quo ad eſſe ſuum reale, (ecce rem intellectam in eſſe ſubiectiuo,) nequit eſſe in pluribus intellectibus; Quod ſi diceres, ſi ſit vnũ intellectum, ergo oportet, vt ſit vna numero ſpecies huius, & illius intelligentis, reſpectu eiuſdem intellecti, quoniam ſpecies eſt ipſum intellectum in actu; Reſpondeo, hoc non ſequi, quoniam ad hoc vt ſit vnum quod intelligitur à multis, ex parte rei terminantis cognitionem, non requiritur, quod ſit vna ſpecies, ipſa enim non eſt quod intelligitur, ſed oportet, vt in hoc, & in illo intellectu ſit vnius, & eiuſdem ſimilitudo, quod plane ſit, quamuis ſint mille ſpecies, nam vnius, & eiuſdem rei variæ eſſe poſſunt differentes ſimilitudines. *Obiectio.* *Tollitur.*

Cæterum ſpeculare, quod ſpecies ipſa intelligibilis dupliciter poteſt conſiderari, & materialiter ſcilicet, & formaliter, hoc eſt, in ratione rei, & in ratione ſpeciei, ſi primo modo ſpectetur, non repræſentat, vel ſub tali ratione non intelligitur repræſentare, & ratio eſt, quoniam non repræſentat vt res, aliàs omnis res repræſentaret, quare ſecundo modo repræſentat, primo modo multiplicatur, nam alia eſt ſpecies humanitatis, quæ eſt in intellectu meo, alia, quæ eſt in intellectu tuo, ſecundo modo non multiplicatur, ſed vnica eſt ſpecies; quoniam vnica eſt ſimilitudo (ecce ſpeciem vt ſic) humanitatis apud intellectus omnes; Auerroes igitur ex vnitatæ formæ intellectæ, vel ſpeciei in actu exercito, vt ſpecies formaliter eſt, &c. intulit vnitatem intellectus, & male; *Duplex ſpeciei intelligibilis conſideratio.* *Auerroes.*

quoniam

quoniam vnitas intellectus eſt vnitas realis, non formalis,hoc eſt,non repræſentatiua, vnde cum multæ ſint ſpecies in eſſe rei, multi ſunt etiam intellectus, in quibus, tamquam in ſubiectis uiuunt ſpecies illæ.

D.Thom. Hoc eſt, quod habes in litera, quod vniuerſalitas formæ intellectæ non eſt ſecundum eſſe, quod habet in intellectu,(quod eſt eſſe ſubiectiuum ſpeciei, & vt res eſt,) ſed quatenus ad res refertur, & eſt rerum ſimilitudo, vbi vides ſpeciem formaliter, & vt ſpecies eſt. Hoc eſt, quod ibidem dicebat Caiet. talem Caietanus. formam intellectam non habere vniuerſalitatem ſecundum eſſe, quo reſpicit ſubiectum, in quo eſt, (quod eſt eſſe ſpeciei in eſſe rei, & materiali,) ex quo tamen ſubiecto,& vnitas,& pluralitas prouenit accidentibus numeralibus,ſed habet vniuerſalitatem ſecundum repræſentationem, qua reſpicit obiectum, quod eſt eſſe ſpeciei vt ſic, vnde ex tali vnitate non repræſentat obiecta numero diſtincta, ſed vnam,& eandem humanitatem, quæ erit obiecta mille intellectibus repræſentabunt omnes eius ſpecies. Hoc breui, ac ſubtili ſenſu Albe. mag. ſubindicauit Albertus ſumma illa de Homine art. 3. ad 1. dicens, ſpeciem conſiderari duobus modis, vel ſcilicet vt eſt ratio rei,(ecce ſpeciem vt repræſentatiua,)& vt accidens, quod eſt eſſe ſuum reale, primo modo eſt apud omnes eaCapreolus dem, ſecundo modo indiuiduatur in omnibus animabus. Hoc volebat Capreolus 1. ſent. diſt. 27. q. 2. ad 2. Aureoli contra primam concluſ. quando dixit, conceptum, & formã intelligibilem eſſe ſingularem in exiſtendo,& indiuiduatam per ſubiectum, at vniuerſalem in repræſentando, neque eius ſingularitatem repugnare ſuæ intelligibilitati, cum ſit immaterialis. Quod ipſum diffuſe docuit Ferrarien. Ferrarienſis 2. cont. Gent. ca. 49. circa tertiam rationem. Hoc etiam late ſatis ſe Zabarella. velle patefecit Zabarella libro relato c. 12. dum reſpondet ad ſecundũ, vbi nomine ſpeciei quo ad reale,& materiale vocat eã quo ad formale, condiſtinguẽs ipſam vt formaliter acceptam, à ſe ipſa vt eſt repræſentatiua, & primo modo ait eſſe ſingularem, ſecundo vniuerſalem. Hoc demum dicebat Auicen. 5. ſuæ Auicenna. Metaphyſ. cap. 2. quod nimirum forma intelligibilis licet reſpectu indiniduorum,(quæ eſt ſpeciei formalitas,) ſit vniuerſalis, reſpectu tamen animæ ſingularis, in qua inuenitur, vel imprimitur eſt indiuidua,(ecce ipſã materialiter,) nam ipſa eſt vna ex formis, quæ ſunt in intellectu,& quoniam animæ ſingulæ ſunt multæ numero, tunc eo modo, quo ſunt particulares, habebunt aliud intellectum vniuerſale, hoc eſt, erunt ſingulares quo ad eſſe, vniuerſales quo ad repræſentationem, vana autem foret argumentatio, ſi ex eo quod formæ, aut ſpecies intelligibiles ſunt indiuiduales, inferretur eſſe intelligibiles in potentia, iam enim vidimus non eſſe ſingulare, ſed materiale intellectioni obſtare.

Si igitur adducatur argumẽtum; quod ex multiplicatione intellectuum, mul-

Epilogus ferè dictorum.

tiplicentur intellecta, dicas primo, quod res intellectę nequaquam multiplicantur, eſt enim eadem humanitas, quæ ab omnibus intelligitur. Dicas ſecundo, quod neque res intellecta, vt intellecta formaliter multiplicatur, quoniã vnius intellecti eſt vna ſolum repræſentatio, licet ſint mille ipſius ſpecies apud mille intellectus, quoniam hæc ſpecierum multiplicitas non eſt ipſarum, quatenus ſpecies formaliter ſunt, & quo ad eſſe obiectiuum, ſed ſolum prout ſunt res quædam materialiter, & penes eſſe ſubiectiuũ,& ideo quoniam iuxta hoc eſſe variæ, ac multiplices ſunt, eapropter varij,& multiplices ſunt intellectus, in quibus, tamquam in ſubiectis ſpecies ſunt; Patuit autem, quod arguere ex vnitate ſpecierum quo ad eſſe obiectiuum, vnitatem intellectus realem, inanis penitus eſt argumentatio; ſic non ſequitur, intellecta eſſe intellecta in potentia,

vt de-

vt deducebat Commentator, & ſimiliter conſtat, minime opus eſſe, vt ponatur intellectus vniuerſalis, vel vnicus, eo quod recipiat ſpecies, immo ex hoc debet eſſe ſingularis, quoniam recipit ſpecies quo ad eſſe ſingulares, quoniam autem ſunt vniuerſales quo ad repræſentari, ſat eſt quo ad hoc, intellectum organo minime affixum eſſe.

ARTICVLVS NONVS.

Reſpondetur argumentis 2. art. adductis.

QVod attinet ad duo priora argumenta pro Auérr. inducta, & ad abſurda illa, quæ ex ipſis inferri videbantur, omnium ſolutio manifeſte elicitur ex vlt. notabili ad 4. art. procedunt enim argumẽta illa, & illationes omnes ex eo quod ſi ponatur intellectus multiplicari, iam erit materialis, at ibi patefecimus, nullam eſſe hanc conſequentiam, vnde non ſequitur, quod intellectus ſit corpus, quod intentio intellecta in potentia, quod nón differat à virtute ſenſitiua, &c. Non enim ulla via ponimus intellectum de ſe materialem, licet materiæ vt forma vniatur; Quomodo autem poſſibilis intellectus ſit de ſe in potentia, & fiat deinde actu, quomodo prius non intelligat, & poſtea intelligat, tertio art. explicatum fuit, &c.

Concedo, quod infertur in 3. arg. immo illud, & docui, & ex inſinuatione comprobaui, omnia vero loca in arg. citata, quibus Ariſt. dicit, intellectus agentem, & poſsibilẽ eſſe ſeparatos, immiſtos, &c. explica vt vbique Auctor, de ſeparatione ab organo, & inſtrumento corporeo, non enim ſunt affixi organis, non exercent actiones ſuas per aliquod inſtrumentum, non ſunt autem ſeparati ſecundum eſſe; Vel dic ſecundo, eſſe immiſtos, & ſeparatos in eo ſenſu, quod non pendẽt à corpore, quamuis enim ſint formæ corporum, eſſe tamen eorum non inde pendet, ſed e contra; Vel vltimo loco dic, quod quantum eſt de ſe, hoc eſt vt intellectus, ſunt ſeparati, at quatenus ſunt differentiæ, & virtutes talis animæ, quæ eſt forma corporis, ipſi quoque coniungũtur neceſſario corpori, & ei vniuntur; Ita nulla eſt argumentatio Genuæ, dum in hac quęſtione ait, non dicere Ariſtotelem, intellectum eſſe ſeparatum, ſed ſeparabilem, patet enim, quomodo ſit, & ſeparatus, & ſeparabilis, ſeparatus, quoniam non vtens organo corporeo, ſic inquit Ariſtoteles *immixtus*, ſeparabilis, quoniam in eſſe non dependet à corpore &c. In tex. autem illo 82. primi de Anima dum ait, intellectum eſſe antiquiſſimum, loquitur de intellectu, & mẽte prima, de Deo ſcilicet, vt eum accipiebat Empedocles, contra quem ibi arguit, vt cuique pro comperto eſt.

Quomodo vterque hominis intellectus ſeparatus, & nõ ſeparatus.

Genua Ariſtotel.

Ad quartũ, quod quantum ego ſentio, eſt omnium difficillimum, & cuius occaſione, ac forſan cauſa, alij poſuere animam mortalem, alij vnam tantum, alij animarum tranſmigrationem, vt euitarent animarum infinitatem, quoniã cum apud Ariſt. generatio ſit æterna, ſi ponatur anima immortalis, & ad corporum multiplicationem multiplicari, nequit euadi, quin animarum ſequatur infinitas, infinitum autem in actu vbique negat Ariſt. & præcipue 3. Phyſ. à 24. vſque in finẽ, & 1. de Cœlo, à 33. vſque ad 75. Poſſet primo reſponderi, duplex eſſe infinitum, alterum in materialibus, alterum in immaterialibus, & dici, nullum eſſe incõueniens, dari infinitum in ſpiritualibus, vel à materia abiunctis, Ariſt.

Quarti argumenti difficultatẽ apud Philoſophos.

Ariſtotel. Prior modus reſpondendi.

autem probare locis nominatis non dari infinitum in materialibus,quæ reſpõſio non videtur diſplicuiſſe Auctori 2.con. Gent.81.At vero p p.q.46.ar.2.ad 8. reiicit hanc viam dicẽdi,& ait hoc impugnatum eſſe ſuperius,art. nimirum 4.q.7.vbi commonſtrat,nulla via poſſe dari infinitum in actu quo ad multitudinem,quo loco Caiet.Card. aduertit, Auctorem ademiſſe ſibi viam omnẽ con cordiæ cum doctrina Ariſt. iuxta expoſitionem ſuam,nam cenſet Ariſt. poſuiſſe animas noſtras interitus neſcias , & iuxta numerum corporum numeratas, cumque perſpicuum ſit,eundem Ariſt.generationem æternam conſtituiſſe,ſequitur manifeſte animarum infinitas,& tamen quoduis infinitũ negat Auctor; Vnde reſpondet idem Auctor opuſculo illo de pluralitate intellectus,quod rationi huic,quid determinate foret reſpõſurus Ariſtoteles,à nobis ſciri nequit, quoniam partem illam Metaphyſicæ non habemus, quam fecit de Subſtantiis ſeparatis;nam de formis,quæ ſunt ſeparatæ, & tamen ſunt in materia conſideratio,quatenus ſeparabiles ſunt, ad primam Philoſophiam ſpectat,ex eiuſdem Philoſophi ſententia 2.Phyſ.26.

Audi Caietanum.

Poſterior modus ex D.Tho.

Eiuſdem argumenti pro Theologis facilitatem.

D.Thom.

Caietanus.

Ferrarien.

Capreol.

Pererius.

D.Thom.

Apud theologos autem nullas habet hoc argumentum vires , quoniam hominum generationem,non æternam,ſed in tempore,velut & alia omnia effecta, cœpiſſe docet Fides; Apud Auctorem vero ſuſtinentem,mundum potuiſſe eſſe ab æterno,dicendum eſt , vt colligitur ex eodem p. p. vbi ſupra,quod mundus potuit eſſe ab æterno , vel ſaltem aliqua creatura, non autem homo; Quem dicendi modum amplexatur Caiet. ibidem,& Ferrarienſis loco illo con.Gent. & Capreolus 2. ſent. diſt. 1. q. 1. ad 8. Aureoli contra 2. & 3. concluſiones, vbi totam illam Auctoris reſponſionem ad 8. ex p.p. more ſuo adducit.

Scio reſponſum hoc non placere Pererio lib. ſuo vlt.cap.etiam vlt. de Rerũ naturalium principiis,vnde potius inquit,ſe cõceſſurum infinitatẽ animarum, at tunc non ſumus in caſu noſtro , nos enim recte ſupponentes cum Auctore, non poſſe dari infinitũ in actu,quæ audiſti reſpondemus;Scias tamẽ, infinitum non eſſe quid per accidens,vel poſterius,nam repugnat naturis rerum effectarum,vt detur infinitum,vt pateſecit Auctor art.illo 4.q.7.in p.p.At hic non eſt locus vt videatur, num poſſit in rebus infinitum inueniri.

Alij modi dicendi ex Capreolo.

Caietanus.

Ferrarien.

Mens Capreoli.

Vide Capreolum loco illo,dum reſpondet ad 3.Scoti contra eaſdem cõcluſiones aliam adhibentem viam reſpondendi, vt ſcilicet conceſſo, Deum creaſſe ab æterno aliquem hominem potentem generare,& ſimiliter mulierẽ, illi duo per infinitum tempus ſtetiſſent,antequam generaſſent;Sed hæc via merito diſplicet Caiet.& Ferra.locis allegatis,tunc enim non ſaluaretur ſpeciei humanæ generatio æterna,ſed ſola ipſa ſpecies ſaluatur, rationes autẽ procedunt præcipue de rerum generationibus;Et rurſus,nõ eſt Philoſophi,vel Theologi ad miracula confugere,vbi abſque ipſis poteſt ſatis difficultatibus fieri. Sed & aliam ibidẽ adfert ſolutionem, vt dicatur,non quidẽ data fuiſſe prima anima, dabilis tamen vltima, quæ etiam iure reprehenditur à Ferrar.vbi ſupra,quoniam certe ex hoc non tollitur infinitas aſcendẽdo,nũquam enim ab vltima aſcendẽdo, erit inuenire primam.Crederem tamen Capreoli mentem eſſe,quam ex Auctore retuli,vt ſcilicet non ponatur æternus mundus quo ad generationem humanam,tum quoniã hæc eſt prior reſponſio,quã dat Scoto,tum quoniã non aliam deinde dat Aureolo,ſed hãc vnam,quaſi duabus illis neglectis,tũ demum,quoniam adferendo priorẽ harum duarũ reſponſionũ ait, quòd *poſſet dici*,ferendo autem poſteriorem inquit, *qui vellet,poſſet dicere*,vbi ſatis ex modo loquendi habetur,hæc ferme obiter, & ad doctrinæ potius abundantiam ipſum adferre.

Ad pri-

Ad primam rationem ex Themiſtio patuit reſponſum, quando ſolutà ſunt duo priora Auerrois argumenta, &c.

Ad motiuum illud de communibus animi notionibus, reſpondebat Auctor quæſt. illa de Spiritualibus creaturis, art. 9 ad 14. non prouenire conſenſum in prima principia, ex eo quod intellectus poſſibilis ſit vnus, ſed quoniam omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei, & naturæ, à qua emanat, vt omnes in idẽ propendeant, velut & omnia animalia eiuſdem ſpeciei aliquod animal ipſis infeſtum concorditer exiſtimant, & tamen conſtat, non eſſe in illis vnicam phantaſiam, vel imaginatiuam.

D. Thom.

Denique ad motiuum eiuſdem Themiſtij de ſcientia magiſtri, & diſcipuli, reſpondet ibidem Auctor ad ſeptimum & cumulatiſſime ſecundo cont. Gent. cap. 75. in ſolutione tertiæ rationis, & cumulatius p. p. q. 117. art. primo per totum, vbi hanc materiam dicebat Caiet. probari ab ipſo, limitari, ramificari, & explanari; Vide hæc loca, at pro argumenti ſolutione dic, eandem eſſe ſcientiã numero in magiſtro, & in diſcipulo ex parte rei, quæ ſcitur, idem enim eſt lapis, qui ab vtroque ſcitur, at non eſt vna ſcientia numero, quo ad ſpecies intelligibiles, quibus ſcitur, neque quo ad habitum ipſius ſcientiæ. Cauſat autẽ magiſter ſcientiam in diſcipulo, non eo modo, quo agens naturaliter educit materiam de potentia in actum, ſed fit per modum artis, cauſat enim medicus in infirmo ſanitatem, quoniam ei ſubminiſtrat quædam auxilia, quibus natura vtitur ad ſanitatem cauſandam, ita cum ars ſit naturæ imitatrix 2. Phyſic. 22. cauſat eo modo, quo cauſaret natura, principalius autem quod ſanat in infirmo, eſt natura interior, auxilia autem exteriora, ſunt curationes; Sic id quod principaliter cauſat ſcientiam in nobis, eſt lumen intellectus agentis, quo ſane lumine, & applicatione vniuerſalium principiorũ, deuenimus ad aliqua in ſpeciali, quæ per experientiam inueniendo accipimus, ſic cauſatur in nobis ſcientia, magiſter autem ducit diſcipulum ex iis quæ iam nouit, ad ignota, & proponendo ei aliqua auxilia, quibus eius intellectus vtatur ad ſcientiam, dum ſcilicet ei proponit propoſitiones, exempla, &c. & etiam eiuſdem intellectum confortando, non quidem per aliquam virtutem actiuam ſuperioris naturæ, (ſunt quippe intellectus omnes humani in vno gradu quo ad ordinem naturæ,) ſed quatenus ei offert ordinem principiorum ad concluſiones, nam diſcipulus ex ſeipſo non ea forſan eſſet virtute donatus, vt ex principiis poſſet inferre concluſiones, quare &c.

Caietanus.

Magiſtri & diſcipuli quomodo eadẽ ſcientia.

Cauſa principalis ſcientiæ in nobis.

Quomodo magiſter iuuet diſcipulum.

Vide ſi vis apud Zabarellam cap. illo 12. dum reſpondet ad 3. alias reſponſiones, & ſubdentem, (neſcio tamen quanta ratione,) poſſe retorqueri, cum prior via non ſit retorquendi, ſed potius adducat inconueniens, poſteriori autem deſit cõtinuatio phantaſmatũ, vt ſcilicet in intellectu magiſtri ſit cum illa continuatione, in illo diſcipuli nequaquam; quo circa confutatũ maneat argumentum ex doctrina allata Auctoris, & finis iam huic quæſtioni imponatur.

Zabarella.

CAPVT QVINTVM.

1 NVNC reſtat videre, quemadmodum eſsētia ſit in ſubſtātijs ſeparatis, ſcilicet in Anima, Intelligentijs, & Cauſa prima. Quamuis autem cauſæ primæ ſimplicitatem omnes philoſophi concedant, tamen compoſitionem materiæ, & formæ in intelligentiis, & animabus quidam nituntur ponere, cuius poſitionis fuiſſe dicitur Auicebron auctor libri Fontis vitæ. Hoc autem dictis philoſophorum reperitur eſſe contrarium, quia eas ſubſtantias à materia ſeparatas nominant, & abſque omni materia eſſe probant; cuius demonſtratio potiſſima eſt ex virtute intelligendi, quæ in eis eſt. Videmus enim formas non eſſe intelligibiles in actu, niſi ſecundum quod ſeparantur à materia, & à conditionibus eius, nec efficiūtur intelligibiles in actu, niſi per virtutē ſubſtantiæ intelligentis, ſecundū quod recipiuntur in ea, & ſecundum quod aguntur per eam, vnde oportet, quod in qualibet ſubſtantia intelligente ſit omnimoda immunitas à materia, ita vt nec habeat materiam partem ſui, neque etiam ſit ſicut forma impreſſa materiæ, vt eſt de formis materialibus.

2 Nec poteſt dicere aliquis, quod intelligibilitatem non impediat materia quælibet, ſed materia corporalis tantum, ſi enim hoc eſſet ratione materiæ corporalis tantum, cum materia non dicatur corporalis, niſi ſecundum quod ſtat ſub forma corporea, tunc oporteret, quod hoc haberet materia à forma corporali, ſcilicet impedire intelligibilitatem; Et hoc non poteſt eſſe, quia & ipſa forma corporalis actu intelligibilis eſt, ſicut & aliæ formæ ſecundum quod à materia abſtrahūtur; Vnde in anima intellectiua, & intelligentia nullo modo eſt compoſitio ex materia, & forma, vt hoc modo accipiatur materia in eis, ſicut in ſubſtan-

ſubſtantiis corporalibus, ſed eſt ibi compoſitio formæ, & eſſe, vnde in commento nonæ propoſitionis libri de Cauſis dicitur, quod intelligentia eſt habẽs formam, & eſſe, & accipitur ibi forma pro ipſa quidditate, vel eſſentia ſimplici.

3 Et quomodo hoc ſit, planum eſt videre; Quæcumque enim ita ſe habent ad inuicem, quod vnum eſt cauſa eſſe alterius, illud quod habet rationem cauſæ, poteſt habere eſſe ſine altero, ſed non conuertitur, talis autem inuenitur habitudo materiæ, & formæ, quod forma dat eſſe materiæ, & ideo impoſſibile eſt, eſſe aliquam materiã ſine forma, tamen non eſt impoſſibile, eſſe aliquam formam ſine materiæ, forma enim non habet in eo quod forma dependentiam ad materiam, ſed ſi inueniantur aliquæ formæ, quæ non poſſunt eſſe niſi in materia, hoc accidit eis ſecundum quod ſunt diſtantes à primo principio, quod eſt actus primus, & purus. Vnde illæ formæ, quæ ſunt propinquiſſimæ primo principio, ſunt formæ per ſe ſine materia ſubſiſtentes, non enim forma ſecundum totum genus ſuum materia indiget, vt dictum eſt, & huiuſmodi formæ ſunt intelligentiæ, & ideo non oportet, vt eſſentiæ, vel quidditates harum ſubſtantiarum ſint aliud, quam ipſa forma.

4 In hoc ergo differt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, & ſubſtantiæ ſimplicis, quod eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ non tantum formam, nec tantum materiam, ſed complectitur formam, & materiam, eſſentia vero ſubſtantiæ ſimplicis, eſt forma tantum; Et ex hoc cauſantur duæ aliæ differentiæ, & vna eſt, quod eſſentiæ ſubſtantiæ compoſitæ poteſt ſignificari vt totum, vel vt pars, quod accidit propter materiæ deſignationem, vt dictum eſt, & ideo non quomodolibet prædicatur eſſentia rei compoſitæ de ipſa re compoſita, non enim poteſt dici, quod homo ſit quidditas ſua, ſed eſſentia rei ſimplicis, quæ eſt ſua forma, non poteſt ſignificari,

niſi

niſi vt totum, cum nihil ſit ibi præter formam; quaſi formam recipiens, & ideo quocumque modo ſumatur eſſentia ſubſtantiæ ſimplicis, de ea prædicatur, vnde Auicēnas* dicit, quo quidditas ſubſtātiæ ſimplicis eſt ipſummet ſimplex, quia nō eſt aliquid recipiēs ipſam.

*5. Met. cap. 5. verſus finem.

Secunda differentia eſt, quia eſſentiæ rerum compoſitarum ex eo quod recipiuntur in materia deſignata, vel multiplicantur ſecundum diuiſionem eius, contingit quod aliqua ſint idem ſpecie, & diuerſa numero, ſed cum eſſentia ſimplicium non ſit recepta in materia, nō poteſt ibi eſſe talis multiplicatio, & ideo non oportet, quod inueniantur plura indiuidua vnius ſpeciei in illis ſubſtantijs, ſed quotquot ſunt indiuidua, tot ſunt ſpecies, vt Auicennas dicit expreſſe.*

*9. Met. cap. 4.

5 Huiuſmodi ergo ſubſtantiæ, quamuis ſint formæ ſine materia, non tamen in eis eſt omnimoda ſimplicitas, nec ſunt actus puri, ſed habent permixtionem potentiæ, & hoc ſic patet; Quicquid enim non eſt de intellectu eſſentiæ, vel quidditatis, hoc eſt adueniens extra, & faciens compoſitionem cum eſſentia, quia nulla eſſentia ſine his, quæ ſunt partes eſſentiæ intelligi poteſt, omnis autē eſſentia, vel quidditas intelligi poteſt ſine hoc, quod aliquid intelligatur de eſſe ſuo facto, poſsū enim intelligere quid eſt homo, vel phęnix, & tamen ignorare, an eſſe habeāt in rerū natura, ergo patet, quod eſſe eſt aliud ab eſſentia, vel quidditate.

6 Niſi forte ſit aliqua res, cuius quidditas ſit ſuum eſſe, & hæc res non poteſt eſſe niſi vna, & prima, quia impoſſibile eſt, vt fiat plurificatio alicuius, niſi per additionem alicuius differentiæ, ſicut multiplicatur natura generis in ſpeciebus, vel per hoc quod forma recipitur in diuerſis materijs, ſicut multiplicatur natura ſpeciei in diuerſis indiuiduis, vel per hoc quod vnum eſt abſtractum, & aliud in aliquo receptum, ſicut ſi eſſet quidam color ſeparatus, eſſet alius à colore non ſeparato, ex ipſa ſua ſeparatione; ſi autem ponatur ali-

qua res, quæ ſit eſſe tantum, ita vt ipſum eſſe ſit ſubſiſtens, hoc eſſe non recipiet additionem differentiæ, quia iam non eſſet eſſe tantum, ſed eſſe, & præter hoc forma aliqua, & multominus recipiet additionem materiæ, quia iam eſſet eſſe non ſubſiſtens, ſed materiale, vnde relinquitur, quod talis res, quæ ſit ſuum eſſe, non poteſt eſſe niſi vna, vnde oportet, quod in qualibet alia re præter eam ſit aliud eſſe ſuum, & aliud quidditas, vel natura, ſeu forma ſua; Vnde in intelligentijs oportet, quod ſit eſſe præter formam, & ideo dictum eſt, quod intelligentia eſt forma, & eſſe.

7 Omne autem quod conuenit alicui, vel eſt cauſatum ex principijs naturæ ſuæ, ſicut riſibile in homine, vel aduenit ab aliquo principio extrinſeco, ſicut lumen in aere ex influentia Solis; Non autem poteſt eſſe, quod ipſum eſſe ſit cauſatum ab ipſa forma, aut quidditate rei: Dico ſicut à cauſa efficiente, quia ſic aliqua res eſſet cauſa ſui ipſius, & aliqua res ſeipſam in eſſe produceret, quod eſt impoſſibile, ergo oportet, quod omnis talis res, cuius eſſe eſt aliud à natura ſua, quod habeat eſſe ab alio; Et quia omne quod eſt per aliud, reducitur ad id quod eſt per ſe, ſicut ad cauſam primam, ideo oportet, quod ſit aliqua res, quæ ſit cauſa eſſendi omnibus rebus, eo quod ipſa eſt eſſe tantum, aliàs iretur in infinitum in cauſis, cum omnis res, quæ non eſt eſſe tantum, habeat cauſam ſui eſſe, vt dictum eſt. Patet ergo, quod intelligentia eſt forma, & eſſe, & quod eſſe habeat à primo eſſe, quod eſt eſſe tantum, & hoc eſt prima cauſa, quæ Deus eſt.

8 Omne autem quod recipit aliquid ab alio, eſt in potentia reſpectu illius, & hoc quod receptum eſt, in eo eſt actus eius, ergo oportet quod ipſa forma, vel quidditas, quæ eſt intelligentia, ſit in potentia reſpectu eſſe, quod à Deo recipit, & illud eſſe receptum, eſt per modum actus, & ita inuenitur actus, & potentia in intelligentijs, non tamen forma, & materia, niſi æquiuoce;

Vnde

Vnde etiam pati, recipere, ſubiectum eſſe, & omnia huiuſmodi, quæ videntur rebus ratione materiæ convenire, æquiuoce conueniunt ſubſtantijs intellectualibus, & corporalibus, vt in tertio de Anima * Commentator dicit. Et quia vt dictum eſt, intelligentiæ quidditas eſt ipſamet intelligentia, ideo quidditas, vel eſſentia eius eſt ipſum quod eſt ipſa, & eſſe ſuum receptum à Deo, eſt id quo ſubſiſtit in rerum natura, & propter hoc à quibuſdam huiuſmodi ſubſtantiæ dicuntur componi ex quo eſt, & quod eſt, vel ex quo eſt, & eſſentia, vt Boetius dicit.*

*comm. 14.

*Libro de hebdomadibus.

9 Et quia in intelligentijs ponitur potentia, & actus, non erit difficile inueniri multitudinem intelligentiarum, quod eſſet impoſſibile, ſi nulla potentia in eis eſſet; Vnde dicit Commentator in tertio de Anima* quod ſi natura intellectus poſſibilis eſſet ignorata, non poſſemus inuenire multitudinem in ſubſtantijs ſeparatis; Eſt ergo diſtinctio earum ad inuicem, ſecundum gradum potentiæ, & actus, ita quod intelligentia ſuperior, quæ plus propinqua eſt primo, habet plus de actu, & minus de potentia, & ſic de alijs, & hoc completur in anima humana, quæ tenet vltimum gradū in intellectualibus ſubſtantijs, vnde intellectus potentialis eius ſe habet ad formas intelligibiles, ſicut materia prima, quæ tenet vltimum gradum in eſſe ſenſibili ad formas ſenſibiles, vt Commētator tertio de Anima * dicit, & ideo Philoſophus * cōparat eā tabulæ raſæ, in qua nihil eſt depictū; Et propter hoc, quia inter alias ſubſtantias intelligibiles plus habet de potentia, ideo efficitur intātum propinqua rebus materialibus, vt res materialis trahatur ad participādum eſſe ſuum, ita quod ex anima, & corpore reſultat vnum eſſe in vno compoſito, quamuis illud eſſe prout eſt animæ, non ſit dependens à corpore, & ideo poſt iſtam formā, quæ eſt anima, inueniuntur aliæ formæ plus de potentia habentes, & magis propinquæ materiæ, in tantum

*vbi ſupra.

*com. 5.
*3. de Anima 14.

quod eſſe earum ſine materia non eſt; In quibus etiam inuenitur ordo, & gradus vſque ad primas formas elementorum, quæ ſunt propinquiſſimæ materiæ, vnde nec aliquam operationem habent, niſi ſecundum exigentiam qualitatum actiuarum, & paſſiuarum, & aliorum, quibus materia ad formam diſponitur.

SVMMA CAPITIS.

Loquens de eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium, eam patefacit, dicendo non eſſe quid ex materia, & forma compoſitum, ſed ſolam formam, & ſimplices has ſubſtantias cum eſſentia compoſitarum conferens, aperiens ea, penes quæ diſcriminentur, docet has ſubſtantias cum declarata ſimplicitate habere in ſe duplicem compoſitionem, ex eſſe ſcilicet, & eſſentia, & ex actu, & potentia, & effectiue à prima cauſa eſſe productas, quæ omnia varijs vijs confirmat, ex quibus iactis fundamentis, ita ipſarum intelligentiarum multitudinem colligit, vt dicat, fieri non potuiſſe, ut colligeretur, niſi fundamenta illa præmiſſa fuiſſent.

DIVISIO.

Abſoluta priori parte principali tractationis huius libri, in qua aliàs diceba tur, contineri eſſentiam compoſitarum ſubſtantiarum, nunc ſecunda pars occurrit, in qua clauditur eſſentia entium ſimplicium, quæ ſane pars duplex eſt, capite videlicet iſto, & ſequenti contenta. Præſens vero caput diuidentes, nouem præcipuas eius partes conſtituimus, in quarum prima proponēs inſtitutum ſuum, redarguit auctoritate, & vnica ratione eos, qui materiæ, & formæ compoſitionem intelligentijs tribuerunt, in ſecunda rationem illam tuetur à quadam reſponſione, quæ ei poſſet dari, tertio viam tradit, quomodo eſſentia in ſubſtantijs ſimplicibus ſignificat ſolam formam, eamque comprobat, quarto tres differentias aſſignat, quæ inueniuntur inter ſubſtantias ſimplices ex vna parte, & compoſitas ex altera, ſeu potius ex aſſignata iam ſimplicium ſubſtantiarum eſſentia, qua differunt à compoſitis, colligit duo alia, in quibus diſcriminantur, vtrumque Auicennæ teſtimonio corroborãdo, quinto docet in ſubſtantijs ſimplicibus cadere compoſitionem ex eſſe, & eſſentia, quod ratione firmat; ſexto hanc rationem tuetur ab impugnatione, quam pati poſſet, ex cuius impugnationis impugnatione, alia conſurgit ratio ad eandem compoſitionem demonſtrandam, ſeptimo patefacit intelligentias habere eſſe ab alio, quippe quod aliud, primam cauſam, & Deum eſſe manifeſtat, octauo ex hoc quod habent eſſe ab alio, colligit, & probat aliam in eiſdem compoſitionem, ex actu nimirũ, & potentia, denique ex hac potentiæ, & actus compoſitione infert in vltima parte earundẽ multitudinem, clare, ac plene ſatis eam dilucidando, occaſione cuius perparum diſſerit de anima intellectiua, quam vltimam inter ſeparatas ſubſtantias conſtituit. Huius literæ partes.

Prima. Quo igitur ad primum inquit, in præſentia ſupereſſe conſiderandum, quomodo eſſentia ſit in ſubſtantijs ſeparatis, (ſubaudi, poſtquam viſum iam eſt, quomodo inueniretur in compoſitis,) quas enumerans, tres facit, Animam ſcilicet, Intelligentias, & Cauſam primam. Ait ergo, quod licet ſimplicitas cauſæ primæ ex omnium philoſophorum ſententia admittatur, quidam tamen ponere nituntur compoſitionem materiæ, & formæ in intelligentijs, & animabus, in quorum numero dicitur fuiſſe Auicebron ille, qui Fontis vitæ librum edidit. Hanc itaque poſitionem reijcit auctoritate primo philoſophorum, quippe qui eas vocant ſubſtantias à materia ſeparatas, & abſque omni materia eſſe probant, cuius potiſſimam demonſtrationem, inquit deſumi ex virtute intelligendi, quæ in eis inuenitur. Quare ſecundo loco reſpuitur ratione eadem poſitio, quæ ſic formatur, Hæ ſubſtantiæ ſunt intelligentes, ergo ſunt immunes à materia, ita vt neque materiam habeant partem ſui, ex qua ſcilicet componantur, neque etiam ſint tamquam formæ impreſſæ materiæ, antecedens ſupponitur, nam eatenus dicuntur intelligentiæ, conſequentia probatur, quoniam videmus, formas non eſſe actu intelligibiles, niſi prout à materia, & eius conditionibus expoliantur, neque tales effici, niſi virtute ſubſtantiæ intelligẽtis, quatenus in ea recipiuntur, & per eam aguntur, ſi itaque intelligunt, multo magis ſunt intelligibiles, ſic faciunt intelligibile in actu, recipiũt intelligibile in actu, illud habent, & ex vnoquoque horum capitum elicitur ipſarum à materia immunitas, nam intelligibile actu expers eſt materiæ, tertio de Anima 11. & 15. multo magis id quod ipſum intelligibile efficit, quoniam ſemper agens eſt honorabilius paſſo, ibidem 19. & primo Cœli 100. quare non poſſet materiale efficere immateriale.

Auicebr. — Ratio literæ. — Ariſtotel.

Secunda. Quo ad ſecundum, Quoniam conſequentiæ rationis formatæ poſſet quis dicere, verum vtique eſſe, quod ſubſtantia intellectualis eſt immaterialis, at duplex eſt materia, altera corporea, altera ſimpliciter dicta, vnde ſubſtantia quæ intelligit, eſt profecto immunis à materia corporea, non autem ab omni materia, quoniam illa, non hæc impedit aliquod, ne actu ſit intelligibile. Nullam eſſe hanc fugam oſtenditur in litera, quoniam ſi materia non vt ſic, ſed corporea eſſet impedimento intelligibilitati, iam ergo corporalis forma impediret intelligibilitatem, quod tantum abeſt, vt forma ipſa corporalis vt ſic, intelligibilis ſit, velut & aliæ formæ, quatenus à materia abſtrahuntur, omnis enim forma vt ſeparata à materia, eſt actu intelligibilis, ex tertio de Anima 11. Cum itaque in materia corporea duo tantum ſint, materia ſcilicet ipſa, & forma corporalis, & ab hac forma nequeat prouenire obſtaculum intelligibilitati, (pugnaret enim, quod quid ſecũdum ſe intelligibile impediret intellectionem,) relinquitur, vt materia ſecundum ſe impediat, & non materia vt corporea. Ita colligit, quod ſibi propoſitum eſt, in anima nimirum intellectiua, & intelligentijs nullatenus eſſe compoſitionem ex materia, & forma, ceu inuenitur in corporeis ſubſtantijs, &c.

Tertia. Quo ad tertium, Manifeſtat quod docuit, quomodo ſcilicet intelligentiæ ſint ſine materia, & poſſumus ex litera ſyllogizare hunc in modum; Eſſentia intelligentiarum non eſt compoſita ex materia, & forma, vt iam probatum fuit, ergo eſt forma tantum, probatur hæc conſequentia, quoniam ſi non ſunt compoſitæ ex materia, & forma, ergo vel ſunt tantum materia, vel tantum forma, at nequeunt eſſe ſolum materia, ergo ſunt forma dumtaxat; probatur minor, quoniam quæcumque ita ad inuicem ſe habent, quod vnum eſt cauſa eſſe

Diſcurſus literæ.

ſa eſſe alterius, id quod habet rationem cauſæ, poteſt eſſe ſine altero, non e contra, ſed forma, & materia ita ad inuicem comparantur, quod forma eſt cauſa eſſe ipſius materiæ, ideo fieri nequit, vt aliqua materia ſit, ſine forma, poteſt attamen aliqua forma eſſe abſque materia, non enim forma, in eo quod forma habet à materia dependentiam; Et notanter ait, in eo quod forma, quoniam ſi adſint aliquæ formæ, quibus repugnet eſſe ſine materia, hoc accidit eis, quatenus ſunt elongatæ à primo principio, quod eſt actus primus, ac purus. Ita formæ illæ, quæ ſunt primo principio maxime propinquæ, ſunt formæ per ſe ſine materia ſubſiſtentes, & hæ ſunt intelligentiæ, vnde earum eſſentia, & quidditas, (ecce inſtitutum in hac parte,) eſt ſola forma.

Quo ad quartum, iam eluceſcit diſcrimen inter eſſentiam ſimplicium, & cōpoſitarum ſubſtantiarū, & primū illud eſt iam inſinuatū, ſubſtantias nimirū ſimplices eſſe formā tantū, at vero cōpoſitas claudere in ſe, & formam, & materiā, Ex quo duo alia emanant, & primum eſt, quod compoſitarum eſſentia poteſt ſignificari vt totū, & vt pars, vnde non quouis modo prædicatur eſſentia rei cōpoſitæ de ipſa re compoſita, non enim dici poteſt, homo eſſe quidditas ſua, at eſſentia ſimplicium nequit ſignificari niſi vt totum, cum non habeat alterā partem, materiā videlicet, vnde fit, vt quocumque modo ſumatur eſſentia ſimplicis ſubſtantiæ, de ea dicatur, quod patet auctoritate Auicennæ 5. Metaphyſ. cap. 5. verſus finem, dicentis quidditatem ſubſtantiæ ſimplicis, eſſe ipſummet ſimplex; poſterius diſcrimen eſt, quod in compoſitis contingit aliqua eſſe idem ſpecie, & diuerſa numero, cum enim in deſignata materia recipiantur, multiplicantur ad eius diuiſionem; e contra, in ſimplicibus nequeunt eſſe plura indiuidua ſub vna ſpecie, quoniam etenim in materia non recipiuntur, nequit adeſſe illa multiplicatio, vnde quotquot ſunt indiuidua, totidem ſunt ſpecies, vt pariter extitit manifeſta eiuſdem Auicennæ ſententia 9. Metaphyſ. cap. 4. non ſemel. Quarta. Auicenn.

Quo ad quintum, Ne ex aſſignata, & comprobata ſimplicitate in intelligentijs, ob carentiam compoſitionis formæ cū materia, colligatur in ipſis omnimoda ſimplicitas, habetur in eis inueniri permixtio potentiæ, & ſic non ſunt actus puri, & poteſt ratio ſic formari: In omni intelligentia eſt aliquid adueniens ab extra eſſentiæ, ergo in quauis earum adeſt compoſitio ex eſſe, & eſſentia; probatur antecedens, quoniā ei aduenit eſſe, nam omnis eſſentia poteſt intelligi abſque eo quod ſit, vt manifeſtatur in eſſentia hominis, & phœnicis, ſi autem eſſe foret pars eſſentiæ, & ei non aduenirет, non poſſet eſſentia abſque ipſo intelligi, implicat enim, vt intelligatur eſſentia abſque his, quæ ſunt eius partes, conſecutio probatur, quoniam omne quod non eſt de conceptu eſſentiæ, & quidditatis, ſed extra aduenit, compoſitionem facit cum eo cui aduenit, ſic eſſe faciet compoſitionem cum eſſentia, &c. Quinta.

Quo ad ſextum, Poſſet quis rationi mox adductæ occurrere dicendo, quod datur aliqua res, cuius quidditas, vel eſſentia eſt ſuum eſſe, ac ſubinde ei non aduenit, nec illa abſque hoc nequeat intelligi, adeo vt ruat aſſignata compoſitio; Sed impugnatur hæc reſponſio, & dum impugnatur, altera ratione eadem compoſitio confirmatur; eſt autem hæc ratio: In vno ſolum ente, in prima nimirum cauſa, eſſentia eſt idem quod eſſe, & hæc nullam pariunt compoſitionē, ergo in quouis alio ente differt eſſentia ab eſſe, at intelligentias patet eſſe aliud à primo ente, ergo &c. probatur antecedens, quoniam ſi quidditas, quæ eſt ſuū eſſe multiplicaretur, (vnde poſtea eueniret, vt plures eſſent quidditates, in quibus non differret eſſe ab eſſentia,) aut multiplicaretur per additionem differentiæ Sexta. Diſcurſus litteræ.

tiæ for malis,quod nequit eſſe, quoniam eſſe ſubſiſtens non recipit additionem differentiæ, tunc enim non foret eſſe tantum, ſed aliqua etiam forma, diſferentia ſcilicet illa formalis,(velut animal cui additur rationale, non eſt tantum animal,ſed animal rationale;) aut ex eo, quod forma recipiatur in diuerſis materijs, & hoc non poteſt accidere in propoſito, nam tunc non ſubſiſtēs, ſed materiale foret illud eſſe,aut demum,quoniam vnum eſt abſtractum, aliud in altero receptum,& hoc eadem ratione nequit eſſe,quoniam quidditas recepta,non erit eadem cum ſuo eſſe,nam quod recipitur in alio,non eſt eſſe purũ, & ſubſiſtens,ſed ſuſtentatur in recipiente; Quo circa,quidditas quæ ſit eadem cum ſuo eſſe cum nequeat multiplicari, erit vna dumtaxat, atque ideo in quauis intelligentia alia à primo ente differet eſſe ab eſſentia, & horum compoſitionem in ſe habebit; Vnde bene dictum eſt,(intellige tertia parte literæ,)quod intelligentia eſt forma, & eſſe.

Septima. Quo ad ſeptimũ, Ex hoc deducitur,quod intelligentiæ habeant eſſe ab alio, cum enim eſſe ſit aliud ab earum quidditate,ab aliquo certe proueniet,vel itaque à ſuiſmet quidditatibus, vt riſibile proficiſcitur ab hominis natura, vel ab aliquo extrinſeco principio, vt lumen in aere à Sole, primum non poteſt dici, quoniam nulla quidditas,ſiue forma eſt cauſa efficiens ſui eſſe, nam tunc foret cauſa ſui ipſius,& aliquid ſeipſam produceret,quod eſſe non poteſt, ergo ſecũdum,ergo intelligentiæ ſunt per aliud,hoc eſt,ideo ſunt,quia aliud ab ipſis elargitum eſt eis eſſe; cum autem omne quod eſt per aliud, reducatur ad id quod eſt per ſe,(nulla enim cauſa per accidens,poteſt eſſe prior cauſa per ſe,ex ſecũdo Phyſ.66.& 8.eorũdem 39.) ſicut ad primam cauſam,icc irco neceſſe eſt dari aliquod ens,quod ſit cauſa eſſendi omnibus rebus,alioquin erit proceſſus in infinitum in cauſis; Ex his colligit ea duo,quæ ante immediate docuit,enimuero,intelligentias componi ex eſſe,& eſſentia, & eſſe habere à Deo.

Ariſtotel.

Octaua. Quo ad octauum, Ex eo quod intelligentiæ ab alio accipiunt eſſe, ſequitur, quod in ipſis ſit compoſitio actus,& potentiæ, nam ſi recipiunt eſſe, ergò ſunt in potentia ad illud,quod autem recipitur, eſt actus recipientis, ſunt ergo in potentia ad eſſe,& hoc adueniens ipſarum eſſentijs,eſt actus earũdem; Sic actũ, & potentiam in ſe habent, non tamen formam,& materiam, niſi æquiuocè; Quare & pati,& recipere,& ſubiectum eſſe,ac reliqua id genus, quæ videntur tribui rebus ratione materiæ,æquiuoce conueniunt intelligētijs, & corporeis ſubſtantijs, vt tertio de Anima (ſub initiũ com. 14.) dicebat Auerroes. Et hinc oritur, vt à nonnullis dicantur intelligentiæ compoſitæ ex quo eſt, & quod eſt, velut dixit Boetius (libro de Hebdomadibus,) nam omne quod compoſitum eſt ex ipſa quidditate,& ex eſſe,compoſitionem habet ex quo,& quod, iam autem in quinta parte viſum fuit,intelligentias eſſe hoc modo compoſitas, &c.

Auerroes.

Boetius.

Quo ad vltimam partem, Quoniam in intelligentijs poſuimus compoſitionem actus, & potentiæ, non erit arduum, ipſarum multitudinem inuenire, quam ſane non poſſemus, ſi nulla in eis eſſet potentia, quod patet auctoritate Commentatoris tertio de Anima,(comm.illo 14.) Quare ipſarum ab inuicem diſtinctio accipitur iuxta gradum potentiæ, & actus, adeo vt ſuperior intelligentia,quæ primæ eſt propinquior,minus participat de potentia, & plus de actu,& ſic de alijs,& hic gradus in anima noſtra completur, quæ vltimam habet ſedem in ſubſtantijs intellectualibus,vt patet ex auctoritatibus Ariſtotelis tertio de Anima 14.& Auerr. eodem libro,com. 5. Vnde quoniam inter ipſas plus habet de potētia,ea propter ſit vſque adeo rebus materialibus propinqua,

Auerroes.

vt ad

vt ad eſſe ſuum participandum res materialis trahatur, ita quod ex anima, & corpore prouenit vnum eſſe in uno compoſito, quod tamen eſſe, prout eſt animæ, nequaquam dependet à corpore. Poſt animam vero noſtram adſunt aliæ formæ, magis de potentia participantes, atque ideo materiæ propinquiores, adeo vt earum eſſe non ſit abſque materia; In quibus adhuc datur latitudo, quæ terminum videt in formis elementorum, quas eidem materiæ propinquas admodum intuemur, quod earundem operationes indicant, cum eiuſmodi omnes ſint, ſecundum quod exigunt qualitates actiuæ, & paſsiuæ, quibus materia ad formam diſponitur, &c.

ANNOTATIONES.

Nunc reſtat videre, quemadmodum eſſentia, &c.

CIRCA primam partem, vbi inter ſubſtantias ſeparatas connumeratur primo loco anima, & ſemper toto hoc capite, dũ agitur de ſimplicitate, & compoſitione intelligentiarum, inſeritur anima, quod & capite ſequenti fit, obſerua, non eſſe intentionem Auctoris, quod anima ſit vere in numero intelligẽtiarum illarum, de quibus locuti ſunt philoſophi, & præcipue Ariſt. duodecimo Diuinorum 43. & deinceps, nam vt quæſt. vltima ad cap. præcedẽs arguebam, anima intellectiua, ſeu intellectus noſter, nõ eſt in numero illarum mentium ſeparatarum, cum diuerſæ penitus, immo & oppoſitæ proprietates, ac officia illi, & huic tribuantur, vt ibidem patefaciebam, ſed ea ratione locari valet in ſerie ipſarum, quatenus intelligentiarum nomine accipiuntur ſubſtantiæ intellectuales, non autem quatenus per ipſas intelligunt philoſophi ſubſtantias ſeparatas, mouentes orbes, per ſe ſubſiſtentes, entia completa, & quas Plato in Phædone, & Timæo vocabat Deos, & loco priori Dominos valde bonos, &c. Sic vltima parte literæ vidimus, animam eſſe vltimam inter intelligentias, & intelligentiarum latitudinẽ in anima terminari, per ipſas profecto nil aliud accipiendo, quam ſubſtantias intellectuales; vnde quamuis eadem parte legamus, gradum intelligentiarum, immo & ſubſtantiarum ſeparatarum compleri ad animam intellectiuam, mox tamen ibidem audimus, tenere vltimum gradũ in intellectualibus ſubſtantiis, & perpaucis interiectis habemus, quod inter alias ſubſtantias intelligibiles plus habet de potentia; Sed & quando toto hoc capite fit mentio de intelligentiis, ſemper additur ipſa anima, vt vides ſemel, & iterum in prima parte, & in 2. quod ſi in claſſe ipſarum omnino connumeraretur, non eſſet cur poſt intelligentias, in quibus iam fuiſſet commemorata, ſtatim denuo recenſeretur, ſed diſtinguens ipſam ab illis, clare teſtatum voluit, non eſſe prorſus eandem rationem de illis, & de iſta; Sed quod plus eſt: 4. parte literæ, in 2. quæ ibi continetur differentia, videtur aliud omnino feciſſe iudicium de intelligentiis, & de anima, docet enim ibi, quod in intelligentiis non ſunt plura indiuidua vnius ſpeciei, quod ſane verum non eſt de animabus, vnde videtur ibi anima condiſtingui ab intelligentiis, & ſub ordine ferè compoſitarum ſubſtantiarum locari,

Quomodo numerari poſſit animæ humana inter intelligentias.

Plato.

Dum itaque audis in hoc capite, & alibi, animam inter intelligentias recenſeri,

ſeri, intelligentiæ nomine, accipe ſubſtantiam omnem intelligentem, ſic in hac parte colligebatur, in qualibet ſubſtantia intelligente eſſe immunitatem à materia, & forma; Quod ſi tibi appareat inſeri nonnũquam in ſerie ſubſtantiarũ, quæ ſeparatæ dicuntur, vt fortaſſis ex vltima literæ parte ſuſpicaris, memento, tam ibi, quam alibi ſermonem eſſe de ſeparatione in ſubiecta materia, hoc eſt, de ſeparatione à materia, & forma, iam enim ſuperioribus capitibus ſermonẽ habuit de ſubſtantiis compoſitis ex materia, & forma, hoc autem capite manum admouet tractationi de ſubſtantiis ſimplicibus, & ſeparatis, ſeparatis inquam ab illa materiæ, & formæ compoſitione, quæ in ſubſtantiis illis inueniebatur, de quibus antea tractatum fuit, in quo ſenſu optime dicitur anima ſubſtantia ſeparata, hoc eſt, non compoſita ex materia, & forma; rurſus ſeparatas, hoc eſt, non dependens in eſſe à materia; At nobiliorem ſeparationem conuenire ſeparatis ſubſtantiis, & intelligentiis à philoſophis in rigore acceptis, neminem fugit, & ipſemet Auctor aperit in vltima illa parte literæ, &c. Sic habes, quo pacto anima intellectiua poſſit, & non poſſit dici intelligentia, & ſubſtantia ſeparata, habes, quomodo acceperim ipſe allegata quæſtione nomen intelligentiæ, & ſubſtantiæ ſeparatæ, dum art. 5. contra Achillinum arguebam, habes denique, quomodo in hoc capite, hoc nomen, vel hæc nomina accipiantur.

Quomodo anima dici queat ſubſtantia ſeparata.

Circa eandem partem, in qua dicebatur, potiſsimam demonſtrationem, qua philoſophi vtuntur ad immaterialitatem intelligentiarum demonſtrandã, eſſe illam, quæ deſumitur ex facultate intelligendi in eiſdem inuenta, obſerua, quod cum duplex ſit demonſtratio, vt toto cap. 10. primi Poſteriorum plene manifeſtat Ariſtoteles, altera nimirum, quæ per cauſam proximam procedit, & dicitur propter quid, altera, quæ per cauſam quidem, ſed non immediatam, vel per effectum procedit, & vocatur quia, dum demonſtratur immunitas à materia intelligentiarum, ex eo quod ſunt intelligentes, non eſt demonſtratio propter quid, & per cauſam, ſed quia, & neque per cauſam remotam, ſed ab effectu, non enim quia aliqua ſubſtantia ſit intelligens, ideo eſt immaterialis, ſed quoniam eſt immaterialis, ideo eſt intelligens, nam clare docebat Auctor 1. contra Gent. 44. quarta ratione, aliquam rem, ex eo eſſe intelligentem, quia eſt ſine materia, & p.p.q.14.art. 1. manifeſte ait, immaterialitatem alicuius rei eſſe rationem, quod ſit cognoſcitiua, & ſecundum modum immaterialitatis, eſſe modum cognitionis; Sed & Alenſis in expoſitione primi ſecundi Diuinorum, & nono quæſito ad eundem tex. ſcribit, eam eſſe proportionem intelligibilitatis ad immaterialitatem, quæ eſt viſibilitatis ad lucem, vnde ſicut color, aut lux eſt cauſa viſibilitatis, ita immaterialitas eſt cauſa intelligibilitatis, & ait, hanc propoſitionem, *Immateriale eſt intelligibile*, eſſe in ſecundo modo perſeitatis, vt videlicet immaterialitas ſit ſubiectum intelligibilitatis, & hæc tamquam paſsio oriatur ab illa, vt viſibilitas ex principiis lucis. Paulus etiam Soncinas duodecimo Diuinorum q.57. illius quæſt. 1. concluſione ait, intellectualitatem poſſe de intelligentiis demonſtrari à priori per immaterialitatem, & denique Ariſtoteles ſecundo de Anima 121. dicebat, ſenſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum abſque materia, & ideo cognoſcentem, & 27. eiuſdem, atque 66. tertij de eadem ſcientia, iccirco dicebat, plantas non intelligere, quoniam ſunt materiales, & terreæ; Si itaque materialitas ſit cauſa, cur quid non cognoſcat, certe immunitas à materia, erit cauſa cognitionis, quoniam ex eodem Philoſopho, loco primi Poſter. allegato, ſi affirmatio eſt cauſa

Quotuplex demõſtratio.

D.Thom.

Alenſis.

Soncinas.

Ariſtotel..

affirmationis, & negatio quoque negationis. Illud quoque ſatis compertum eſt, quod nulla operatio ab aliqua natura emanans, poteſt eſſe cauſa illius naturæ, cum nulla actio à nullo valeat prouenire, quin prius illud exiſtat, nam omne operans, actu exiſtit, ex 3. Phyſic. 17. hinc operatio omnis eſt effectus operãtis; Cum itaque intelligere ſit operatio quædam ipſarum intelligentiarum, ſequitur, non poſſe eſſe cauſa naturæ, & quidditatis ipſarum, quæ ſtat in ſegregatione à materia, ſed erit operatio ab ipſa proficiſcens.

Dum igitur ex virtute intelligendi probatur immaterialitas, eſt demonſtratio à poſteriori, non tamen falſum dixit Auctor, vocans demonſtrationem potiſſimam, quoniam & inter demonſtrationes quia, & ab effectu procedentes datur gradus, inter quas hæc in propoſito potiſſima eſt, non enim conuertitur, vt aliqua ſit demonſtratio potiſſima, & ſit propter quid; quamuis etenim demonſtratio quia, comparata illi propter quid, non ſit præcipua, ſed e contra res ſe habeat, attamen inter ipſas demonſtrationes ab effectu procedentes datur aliqua princeps, & quæ primam ſedem obtineat. Rurſus cogita demonſtrationem hanc in ſubiecta materia, de qua loquimur, eſſe potiſſimam abſolute, verſamur enim in intelligentiis, quarum non habemus vere propter quid, ſed ex his ſenſibilibus dumtaxat, & effectibus, in earum cognitionem deuenimus, & ex earundem operationibus, colligimus eas eſſe, & ita demonſtrationes quia ſolum in his tenemus; & memoria tene, quod tradit Ariſtoteles primo Ethicorum cap. 3. & 7. eſſe nimirum hominis eruditi, eatenus in quouis genere exactam requirere explicationem, quatenus ipſius rei natura pati poteſt, & non eodem modo in omnibus tractationem requirendam eſſe, & vltimo ſecundi Diuinorum aiebat, non oportere, in cunctis certitudinem mathematicam quærere.

Cuiuſmodi ſit demonſtratio, de qua loquitur hæc litera.

Ariſtot.

Non ignoro, Auctorem p.p.q. 50. art. primo, ex perfectione ordinis vniuerſi probare dari in natura ſubſtantias à corpore ſegretas, & 2. cõt. Gent. 50. & 51. probare rationibus variis, ſubſtantias intellectuales eſſe immateriales, & formas ſubſiſtentes, ſed memor ſis primo, quod non valet apud omnes hæc illatio, hoc eſt incorporeum, ergo non eſt compoſitum ex materia, & forma, nam Auicebron, de quo hoc loco meminit litera, in ſubſtantiis ſpiritualibus ponit compoſitionem ex materia, & forma, non tamen corpus, vnde licet nonnullis rationibus poſſit demonſtrari ſubſtantias aliquas corpore carere, non tamen ſit conſequens, vt proinde ſint abſque compoſitione materiæ, & formæ, ſecundo; quod omnes propemodum rationes, quas adhibere conſueuit Auctor ad firmandam immunitatem à materia in intelligentiis, & in anima, ex virtute intelligendi, quæ in eis eſt dependent, vt eſt cernere apud ipſum q. illa 50. p.p. art. 2. & 75. art. 5. & de Spiritualibus creaturis art. 1. & de Anima art. 6.

D. Thom.

Auiceb.

Dicamus itaque immaterialitatem eſſe cauſam intelligibilitatis, & vnumquodque eatenus eſſe intellectiuum, quatenus eſt immateriale, & quamuis immaterialitas ſit vox quædam priuationis expreſſiua, nolumus tamen dicere, priuationem eſſe rationem intellectualitatis, ſed nomine immaterialitatis accipimus poſitiuum quoddam, quod habet in ſe conditionem oppoſitam materialibus rebus, quod ſane poſitiuum eſt ſpiritualitas, quam ideo voce priuatiua exprimimus, quoniam ipſam non niſi ex comparatione ad materialia intelligimus, vt apte dicebat Capreolus in 1. d. 35. q. 1. ad 3. Aureoli contra 2. concluſionem. Illud autem obſeruarem, quod eſſe immateriale, non eſt cauſa vt ſic, vt aliquid ſit præciſe intellectiuum, ſed eſt cauſa, vt aliquid ſit, vel intelle-

Quid nomine immaterialitatis in præſenti accipiatur.

Capreolus.

les, quippe quæ nedum materiam informant, ſed etiam ex ea educuntur, & ab eadem in eſſe pendent, nullam operationem valent obire, niſi inſtrumentis, & organis corporalibus; nam quamuis ſentire, & imaginari, quæ ſunt digniora opera animalium perſectorum, non compleantur calefaciendo, aut infrigidando, nihilominus non abſoluuntur, niſi mediis organis corporeis; vnde ad debitam organorum diſpoſitionem ſunt neceſſariæ qualitates primæ elemétorum, anima vero humana vnitur quidem ſecundum eſſe materiæ, non tamen ab ipſa eſt comprehenſa, vel ei eſt omnino immerſa, cum ex ea non extrahatur, & neque in eſſe, vel in omni eius operatione ab illa pẽdeat, exercet enim operationem ſuam nobiliſſimam, quæ eſt intelligere abſque organo corporeo omnino, vnde principium hoc, quo ipſa intelligit, ſupergreditur materiæ corporeæ conditiones, & licet ſuum intelligere, dum eſt corpori vnita, pendeat à phantaſmatibus, quæ ſunt corporea, & materialia, tamquam ab obiecto, non tamen tamquam à ſubiecto; Eſſe igitur formam impreſſam materiæ abſolute, non infert formam eſſe materialem, vel non intelligentem, ſed eſſe eo modo impreſſam, vt ab ipſa educatur, & ab ipſa quo ad omnes operationes, & quo ad eſſe pendeat, veluti ſunt formæ materiales, &c.

Conditio formę materialis.

Dignitas animæ humanæ.

Nec poteſt dicere aliquis, quod intelligibilitatem, &c.

CIrca ſecundam partem aduerte, optime dici, quod forma corporalis ſecundum ſe eſt actu intelligibilis, quoniam vt legitur nono Diuinor. 20. actus eſt ratio intellectionis, forma autem, & actus conuertuntur, non ſecus, ac materia, & potentia, vnde omnis forma vt ſic, eſt actu intelligibilis, quod autem hæc, vel illa forma actu non intelligatur, id non prouenit ex natura formæ, aliàs nulla forma eſſet de ſe intelligibilis, ſed ex meritis talis formæ. Sed ſpeculare, quod forma in his inferioribus non eſt hæc, niſi merito materiæ, vt quæſtione vlt. ad cap. ſecundum dictum fuit, vnde quod non ſit actu intelligibilis, prouenit ex materia, cui vnita eſt & per quam hæc effecta eſt, vnde ſemota per actum intellectus materia in forma corporea, ipſa forma erit intelligibilis, & ſola materia impedit intelligibilitatem; Sic Alexander ad 30. duodecimi Diuinor. dicebat, quod & formæ, quæ in compoſitis habentur, tunc demum ſunt intelligibiles, quando animo ſeiunguntur ab ijs, in quibus inſunt, & tamquam ſimplicia conſiderantur; Quare idem eſt in propoſito dicere, materia, & materia corporea impedit intellectionem, quandoquidem ly *corporea*, nihil addit ſupra materiam, niſi ipſam formam, quam cum videamus vt ſic non obſtare intellectioni, relinquitur, vt ſit ipſa materia abſolute, & nedũ materia corporea.

Quid ſit impedimento intellectioni.

Alexander.

Hinc pugnantia videntur proferre, qui dicunt, ex eo quod intelligentiæ, & anima habent intellectiuam operationem, eapropter ab ipſis auferri quidem materiam corpoream, ſed non materiam abſolute.

Et quidem materia abſolute, & ſecundum ſe, vel eſt potentia, vel non, ſi primum, (vt reuera dicendum eſt,) officit intellectioni, nam nihil intelligitur, niſi quatenus eſt actu, ſi ſecundum, multo minus erit potentia, quando eſt corporea, nam tunc eſt ſub forma, & ſit ſub actu, quare materia ſecũdum ſe obſtat intelligibilitati; Quod ſi intelligentiæ, & anima noſtra intelligant, nedum corporea, ſed & quæuis materia abſolute ab illis eſt reiicienda, quæ eſt doctrina intenta, & concluſa ab Auctore hac 2. parte literæ.

Et quomodo hoc ſit, planum eſt videre, &c.

Caietanus.

CIrca tertiam partem, dum legimus, illud quod habet rationem cauſæ, poſſe habere eſſe ſine illo, cuius eſt cauſa, non e contra, notabat Caiet. non eſſe accipiendum hoc pronunciatum de aliquo, quod ſit idem numero, & ſit cauſa alienius, tunc enim & falſum eſſet, & minime deſeruiret præſenti inſtituto, & falſitatem ex eo aperit, quoniam ſubiectum cauſat eſſe propriæ paſſionis, & non e contra, & tamen nequit eſſe abſque propria paſſione, (ſaltem via naturali,) quod autem non eſſet ad propoſitum, oſtendit, non enim volumus concludere, quod illa forma, quæ eſt in materia, ſit ſine materia, ſed quod aliqua forma non exigat materiam; Vnde ait, debere intelligi, illud quod habet rationem cauſæ ſecundum ſuum ordinem, poſſe eſſe abſque altero, & ſic veritatem habere, & propoſito accommodatum fatetur, & primum patet, cum enim cauſa vt ſic non dependeat ab eo, cuius eſt cauſa, ſequitur, vt aliquid ad ſuum ordinem ſpectans poſſit extra cauſatum habere eſſe; ſecundum quoque, nam vult colligere Auctor, formã ſecundum ſuum genus, & ordinem non dependere à materia, adeo vt aliqua forma poſſit inueniri, quæ ſubſiſtat ſine materia; In cuius rei ſignum, dum vult oſtendere habitudinem formæ, tamquam cauſæ ad materiam, non ait formam materialem, ſed formam abſolute, vnde non de tali, vel tali, ſed de forma abſolute loquitur. Ex qua doctrina mille inſtantiæ ruunt, & de his formis inferioribus, quæ nequeũt eſſe abſque materia, & de materia, quæ eſt etiam in genere ſuo cauſa formæ, (ſcimus enim ex 2. Phyſ. 30. cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas,) hæc enim, & ſimilia procedunt de forma materiali, non de forma vt ſic, de qua ſermo nunc ille eſt, vt poſſit eſſe abſque materia. Quamuis motiuum illud, quod materia in ſuo genere ſit cauſa formę, poſſem dicere non militare contra hoc, quod docemus, non enim loquimur de quauis cauſalitate abſolute, ſed de illa, per quam datur eſſe, quo modo non cauſat materia, vt quæſtione ad hanc eandem partem formanda elucebit.

D. Thomæ inſtitutum in hac parte.

Rurſus circa hanc eãdem propoſitionem qua dicitur, *Cauſam poſſe eſſe abſque cauſato, non verſa vice*, aduerte, quod cum cauſa illa ſit, ad cuius eſſe ſequitur aliud, (vel tamquam ex qua, vel vt à qua, vel per quam, vel vt ob quam, quæ eſt quadruplex cauſarum acceptio tradita mille locis ab Ariſtotele,) in duplici differentia poteſt eſſe in propoſito, nam vel poteſt eſſe cauſa naturalis, & neceſſaria, quæ non poſſit non agere, ceu Sol nequit non lucere, vel poteſt eſſe cauſa libera, quæ & agere, & non agere queat, ad oppoſita ſe habens, vt de potentiis rationalibus dicebat Ariſtoteles nono Diuinorũ 4. & 18. ſi de hac cauſa loquamur, indubitata apparet propoſitio, vt ſcilicet poſſit eſſe abſque ſuo effectu, nã poteſt illum producere, & non producere; at de cauſa naturali non eſt facile videre, quomodo poſſit eſſe abſque cauſato, Veruntamen in his etiam eſt vera propoſitio, poſſunt namque impediri ab effectuum ſuorum productione, atque ideo eſſe ſine illis, vt docebat, & probabat Ariſtoteles ſexto Diuinorum 7. quãdo dicebat, cõſtare, adeſſe principia, & cauſas generabiles, & corruptibiles, abſque eo vt generentur, & corrumpantur effectus, alioquin ex neceſſitate omnia erunt; Et hæc omnia accipe de effectu formaliter accepto, vt ſcilicet reſpondet cauſæ, nullus enim ignorat, à cauſa prodire poſſe effectum, qui deinde ſit alterius cauſa, velut à patre patris mei prodiit pater meus, qui fuit effectus compa-

Quid ſit cauſa

Quotuplex cauſa.

Ariſtotel.

ratus,

ratus illi, at efficiens comparatum mihi, ſed tunc non accipitur effectus vt effectus, nam vere loquendo, à cauſa, vt cauſa non emanat, niſi effectus vt ſic, numquam vero efficiens, vt pulchre oſtendebat Plato in Hippia maiori, ſiue de Pulchro. Plato.

At circa hæc omnia obſerua diligenter, quod de omni cauſa, vel naturali, vel libera bifariam poſſumus loqui, formaliter ſcilicet, & materialiter, hoc eſt, pro cauſa, vt cauſa, vt relatiue effectum reſpicit, & pro re, ſeu entitate illa, quæ eſt cauſa; Si primo modo loquamur, certe nulla cauſa poteſt eſſe abſq; effectu, nam eſſet, & non eſſet cauſa, eſſet, pro quanto ponitur, non eſſet, quoniam cauſa relatiue reſpicit effectum, & hunc tu non ponis, cum tamen relatiua nedum tempore, ſed & natura ſimul eſſe omnes intelligant; In quo ſenſu dicebat Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum cap. vel 43. vel 30. in tertia illius parte, iuxta varias ſectiones, cauſam, & id cuius eſt cauſa eſſe ſimul, nam ſi cauſa, (inquit,) eſt, & cauſatum, & ſi non extat illa, neque hoc; loquendo autem de cauſa in ſecunda acceptione, manifeſtiſſimum eſt, poſſe eſſe abſque cauſato, ſic materialiter eſt accipienda hæc Auctoris hoc loco propoſitio. Quomodo nulla cauſa abſq; effectu. Ariſtot. Quomodo omnis cauſa ſine effectu.

Verum, qui intimius rem perſcrutabitur, comperiet, præfatam propoſitionem, nedum in materiali, ſed & in formali ſenſu poſſe veritatem habere, aliud enim eſt dicere, quod nequeat cauſa vt cauſa eſſe in rerum natura abſque cauſato, & aliud eſt dicere, quod cauſa habeat illud eſſe à cauſato, primum veriſſimum eſt, & iam illud manifeſtaui, ſecundum in omni occaſione eſt plenum falſitatis, non enim cauſa foret cauſa, ſi eſſe ſuum haberet à cauſato, primum non habetur ex hac litera, ſed ſecundum, dicitur enim expreſſe, quod inter illa duo, quorum alterum eſt cauſa eſſe alterius, illud quod habet rationem cauſæ, poteſt habere eſſe ſine altero, ſed non conuerſim. Poteſt itaque cauſa vt cauſa habere eſſe ſine altero, & ſemper illud ſine ipſo habet, at cauſatum nequit id habere abſque cauſa, cum quo ſtat, quod non poſſit exiſtere cauſa vt cauſa, niſi adſit cauſatum, quemadmodum pater vt ſic non habet eſſe à filio, ſed e contra, attamen pater vt ſic non poterit eſſe abſque filio, non tamquam à quo accipiat, ſed tamquam cui conferat eſſe; Non itaque ſtat difficultas in eſſe vt ſic, ſed in dependentia ipſius eſſe; Sic forma dans eſſe materiæ, ſi accipiatur formaliter, vt cauſa relatione ad materiam, cui præbeat eſſe, non poterit eſſe abſque materia, hanc enim oportebit adeſſe, vt illud eſſe recipiat, tamen poterit eſſe abſque materia, quoniam non exigitur materia, vt det eſſe formæ, ſed vt id recipiat, &c. Quid ex hac litera habeatur.

Sed & illud libenter adderem, rationem videlicet, quæ habetur in litera, potius conſiſtere in hac dependentia ipſius eſſe, quam in cauſalitate vt ſic, ſubſumit enim, quod forma dat eſſe materiæ, non quod ſit cauſa materiæ, & licet quod dat eſſe, ſit cauſa, attamen fieri poteſt vis & in cauſalitate vt ſic, & in dependentia, ſeu independentia; Adde, quod formæ, de quibus in ſpeciali intendit colligere, quod ſint abſque materia, non dant eſſe materiæ, neque ſunt eius cauſa, ſed bene verum eſt, quod eſſe earum eſt ſine materia, quoniam ab ipſa non pendent; Et hoc fortaſſis voluit Caiet. in præſenti, nam probans, quomodo forma cauſat eſſe materiæ, non probat ex cauſalitate formæ ſupra materiam, ſed ex independentia illius ab iſta, & dependentia huius ab illa, & ſemper cauſalitatem formæ ſupra materiam, ex independentia manifeſtat, &c. Quid ſpectet ratio literæ. Caietanus.

Quando autem diximus in ſecunda parte eiuſdem propoſitionis, effectum non poſſe eſſe abſque cauſa, cum dupliciter poſſit dependere effectus à ſua

cauſa, vel in fieri, ſeu in productione tantum, vt ego à patre meo, vel in productione, & exiſtentia ſimul, aut in fieri, & conſeruari, vt lux in aere à Sole; iuxta varios effectus explica hanc ipſorum dependentiam à cauſis ſuis; Sat eſt, ipſos omnes in eo conuenire, quod non producerentur, neque obtinerent eſse, niſi à cauſis illud accepiſsent; Neque te moueat, quod fieri ſit in gratiam ipſius eſse, cum ad hoc fiat aliquid, vt ſit, vnde apparet implicatio, dicendo aliquam cauſam eſse ſui effectus in fieri tantum, & non in eſse, nam omne quod fit, vbi ſactum eſt, ſortitur eſse; Sed debes conſiderare, quod eſse dupliciter in propoſito ſumi poteſt, vno modo, vt coniungitur cum fieri, alio modo, vt ab eodem accipitur ſeparatum, & poſt ipſum, & vt dicit totam rei durationem, aut conſeruationem; Omnis cauſa, ad cuius eſse ſequitur aliud, eſt cauſa ipſius eſse, poteſt enim ſuper ipſum, prout intelligitur coniunctum ipſi fieri, at non omnis cauſa eſt cauſa eſse ſeparati à fieri, & dicentis totam rei continuationem; Sic pater meus fuit cauſa mei eſse, quatenus fuit coniunctum fieri, dum enim me genuit, fuit cauſa illius eſse, quod obtinui ex coniunctione animæ ad corpus, quam coniunctionem ipſe operatus eſt, & non fuit cauſa eſse mei, prout eſse meum dicit totam meam durationem, alioquin ipſo extincto, periiſsem & ipſe, at abſque ipſo eſse meum ſtat, & ſtetiſset, ſi etiam mox vbi me genuit, (niſi aliud obſtitiſset,) ipſe vita functus eſset, cæterum Sol nedũ eſt cauſa illius eſse lucidi in aere, quãdo fit lucidus, ſed etiam donec perſeuerat lucidus, vnde ipſo recedente, & lux aeris euaneſceret.

Difficultas.

Excluditur.

Ita manet explicata propoſitio, & quo ad priorem partem, quomodo ſcilicet cauſa poſſit habere eſſe abſque effectu, & quo ad poſteriorem, quomodo ſcilicet non effectus abſque cauſa.

Applicantes itaque iam dicta, cum videamus formam vt ſic non dependere in eſſe à materia, ſed materiam à forma, ſequitur literæ intentio, vt ſcilicet forma poſſit eſſe abſque materia; Quod vero forma cauſet eſſe materiæ, vt clarum in litera relinquitur, & manifeſtat Caiet. ex nono Diuinorum 13. vbi habetur, actum eſſe priorem potentia, & ab ea independentem, quo circa forma, quæ eſt actus, ſecundum ſuum ordinem, non dependebit à materia, (ecce ſemper ponderari dependentiam, & independentiam,) materia autem tamquam potentia, neceſſario pendet à forma.

Caietanus.

Et quidem Ariſtoteles ibi probabat, actum priorem eſſe potentia, & cognitione, & natura, & tempore; ex eodem nihilominus ibidem obſerua, quod in vno, & eodem numero potentia præcedit actum, dum enim homo iam actu exiſtit, & frumentum, & id quod videt, (exempla ſunt Ariſtot. eo loci,) prius tempore fuit materia, ſemen, & viſiuum, quippe quæ enumeratorum materia, eſt potentia homo, frumentum, ac videns, non autem actu: At in diuerſis numero, vel eiſdem ſpecie actus præcedit potentiam, his enim enumeratis, quæ de potentia ad actum reducuntur, priora ſunt alia entia in actu, quæ illa ad actum reducunt, alioquin numquam ad actum mouerentur, vt idem Philoſophus probat duodecimo Diuinorum 30, & 32. ad locum hunc ex nono Diuinorum ſe remittens, nam ſemper fit actu ens ab eo, quod eſt actu ens, vt homo ex homine ſemper aliquo primo mouente, quod plane mouens, actu iam eſt, ſic recte ibi Aphrodiſæus dicebat, Ariſtotelẽ accipere hoc aſſumptum manifeſtũ, quod ſcilicet efficiens aliquid idem ſpecie, prius ipſum tale ſit, quippe quod aſſumptum prædocuerat idem Philoſ. 7. eiuſdem facultatis 22. Cauſa vero, cur in eodem numero potentia præcedat actũ eſt, quoniã natura ſemper progre-

Ariſtot.

Quomodo potentia prior actu.

Quomodo actus prior potentia.

Alexander

progreditur de imperfecto ad perfectum, vel quoniam res omnis dum ſit, & de potentia tranſit ad actum, de ſe habet, vt poſſit eſſe, at quod in actu ſiat, hoc ſibi merito alterius ineſt, illius ſcilicet, quod eam de potentia ad actum reducit; quod autem ineſt alicui ex ſe, & ab intrinſeco, prius eſt in ipſo, quam illud, quod ei ineſt ab extrinſeco, & ab alio, &c.

Attamen circa hæc obſerua, quod ex ratione prioritatis vt ſic, non infertur dependentia, vel independentia, ſtat enim, aliquid eſſe prius me, & tamen non fuiſſe cauſam meam, neque me in vllo ab eo dependere, quare ex prioritate actus vt ſic, non poſſet inferri dependentia potentiæ ab ipſo, vel materiæ à forma, at vero actus nedum eſt prior potentia, ſed & potentiam ad eſſe reducit, quare bene ex eo quod forma eſt actus, & materia potentia, clarum haberi voluit litera, formam non dependere à materia, ſed e contra, &c.

In hoc ergo differt eſſentia ſubſtantia, &c.

Circa quartam partem, dum ex ſimplicitate intelligentiarum, & ex compoſitione materialium ſubſtantiarum, colligitur prior differentia ex varia vtriuſque eſſentiæ ſignificatione, aduerte primo facile, conſulto dicere Auctorem, eſſentiam compoſitarum non omni modo prædicari de ipſis rebus compoſitis, non enim dicit, quod nullo modo prædicetur, nam aliquando poteſt, & interdum non poteſt prædicari, ſi enim accipiatur eſſentia per modum totius in concreto, vt nedum dicit eſſentiam, ſed & id quod habet illam, poteſt prædicari de re compoſita, ſic dicitur Sortes eſſe homo, at ſi accipiatur in abſtracto, & partis ſolum nomine expreſſa, vt nimirum eſſentiam dicat præciſe, abſque eo quod ipſam includit, tunc nequit prædicari, eſt enim falſa hæc prædicatio, *Sortes eſt humanitas*, cum nequeat pars de toto prædicari; vnde in litera, ex ſignificatione eſſentiæ per modum totius, & per modũ partis, infertur prædicatio, & non prædicatio, & quidem ſingula hæc late patuerunt toto ferme cap. tertio huius libri.

Quod ſi roges, an abſolute, & formaliter loquendo debeat dici eſſentia cõpoſitarum ſubſtantiarum prædicari de rebus ipſis compoſitis, an non prædicari, ſit ne cum affirmatione, vel cum negatione abſolute huic ſciſcitationi occurrendum? Dico, quod negatiue, quoniam eſſentia, vt eſſentia formaliter accepta, partem ſolum compoſitæ ſubſtantiæ dicit, quando autem accipitur, vt includens habens ipſam, tantum abeſt, vt formaliter accipiatur, quod conſideratur vt alicui annexa, quod ipſa à ſua ratione vt ſic excludit. Interrogatio. Reſponſio.

Dum autem audis, eſſentiam in his includere ſolum partem, nomine huius partis non accipias ſolam formam, nomine vero partis non incluſæ, materiam, iam enim quæſtione tertia ad ſecundum caput ſancitum fuit, eſſentiam compoſitarum ſubſtantiarum includere vere formam, & materiam ſimul, ſed nomine partis excluſæ intellige principia indiuiduantia, & ſignatam materiam, hæc enim à ſe excludit eſſentia, & quidditas vt ſic, quæ tamen omnino includit ipſum compoſitum, &c.

Auctor vero non dixit numquam prædicari, ſed non ſemper, quoniam reſpexit modum ſignificandi, & quoniam nonnumquam ſignificatur nomine totius, nonnumquam nomine partis, ideo veriſſimum eſt, quod ſignificatione cõſiderata, poteſt, & non poteſt prædicari, & ſubtiliter hoc tradidit, quoniã prædicationes,

dicationes, ac propoſitiones non reſpiciunt res ipſas immediate, ſed medijs earum ſignificationibus, & conceptibus; At rem ipſam formaliter, & vt ſic inſpicientibus, apparebit numquam eſſentia in compoſitis de ipſis prædicari, &c.

Aduerte ſecundo, quoniam eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium, nō eſt vt pars denotabilis, nam ſeipſa eſt hæc, & indiuidua, vnde non eſt, quod excludat, vel principia indiuiduantia, vel id quod eandem includit, ideo colligi in litera, eſſentiam ſubſtantiæ ſimplicis quocumque modo acceptam, de ea prædicari; Neque turberis, quod intellectus tuus in ſeparatis ſubſtantijs inueniat abſtractum, & concretum, atque ideo rationem totius, & partis, dicis enim *Gabrielem*, & *Gabrielitatē*, & (quod magis eſt) *Deum*, ac *Deitatem*, nam vt habes hoc loco à Caiet. abſtractum, & concretum in intelligentijs, vel totum, & pars non ſunt in rebus ipſis, ſed tantum in noſtra intellectus apprehenſione, qui immaterialia, & abſtracta, non niſi more materialium, & concretorum poteſt intelligere, vnde ſi ea poſſet intueri, vt in ſeipſis ſunt, videret profecto in entibus illis ſimplicibus nullam adeſſe rationem totius, & partis, vnde nec abſtractum, nec concretum de illis formaret, at in his compoſitis ſubſtantijs vere, ac realiter adeſt totum, & pars, abſtractum, & concretum, quoniam adeſt forma, & habens, ſeu deferens formam, & illa ab hoc præciſa, rationem habet partis, cum hoc annexa, totius, quæ locum non habent in ſimplicibus.

Soluitur quædam obiectio ex Caietano.

Non inferas tamen, intellectum noſtrum eſſe falſum, quoniam intelligat intelligentias more compoſitorum, & in eis totius, & partis, abſtracti, & concreti rationem aſſignet; Non enim dicit, intelligentias eſſe compoſitas, ſed intelligit eas eſſe ſimplices, adeo vt compoſitio non referatur ad rem, quæ intelligitur, ſed ad modum ex parte intelligentis; Alius quippe eſt modus intellectus in intelligendo, quam rei in eſſe, nam res materiales intelligit immaterialiter, non quidē intelligendo eas eſſe immateriales, ſed quoniā in intelligendo habet modum immaterialem, vt habes ab Auctore prima par. quæſt. 13. ar. vltimo ad vltimum argumentum, & colligere etiam potes ex art. primo quæſt. 85. ad primum.

D.Thom.

Difficultas.

Sed dubitabis fortaſſe, & merito, Videtur enim in hac litera cōmitti ſophiſma conſequentis, & argumentatió ab inferiori ad ſuperius neganter, quandoquidem *dicere totum*, & claudere in ſe compoſitionem, eſt ſuperius ad eſſe totū ex materia, & forma conſtitutum, nam datur compoſitio ex eſſe, & eſſentia, ex actu, & potentia, vnde quamuis fuerit abiuncta ab intelligentijs compoſitio materiæ, & formæ, & nequeant dici habere has partes, non tamen ſequitur, quod omnis compoſitio ab eis auferatur; Expreſſe ſiquidem prima parte literæ ſtatuitur in intelligentijs compoſitio ex eſſe, & eſſentia, & in octaua, permixtio actus, & potentiæ; Vnde non valet, carent compoſitione ex materia, & forma, ergo nullo modo poſſunt ſignificari vt totum, & vt pars, quamuis enim nō adſint hæ partes, materia ſcilicet, & forma, adſunt tamen aliæ partes, eſſentia ſcilicet, & eſſe, actus, & potentia, quare aderit totum, & pars, & ſic abſtractū, & concretū, & proinde nedum ex parte intellectus, ſed etiam ex parte rei aderit hoc diſcrimen, & ita demum, non ſemper quidditas dicetur de ſubſtantia ſimplici. Sed & iuniori poſſet augeri difficultas, nam habemus in textu, eſſentiam rei ſimplicis non poſſe ſignificari niſi vt totum, cum totum relatione dicatur ad partes, apparet contradictio, quod eſſentia ſit totum, & non habeat partes.

Confirmatur.

Priori difficultati, quæ forſan difficilis poſſet cenſeri, multiplici via poteſt occurri

occurri, dicendo primo, literam hanc non eſse abſolute interprætandam, ſed iuxta ſubiectam materiam, hoc eſt, non negari quamcumque compoſitionem ab intelligentijs, ſed ſolum illam, quæ eſt ex materia, & forma, & in hoc ſenſu negari intelligentias poſſe habere rationem totius, & partis, non autem abſolute, nam vt inter arguendum dicebatur, compoſitiones deinde aliæ in ipſis locantur; Et quidem vera eſt hæc doctrina, at non videtur plene ſatisfieri difficultati, quoniam ex negatione talis compoſitionis, nequit inferri, non eſse in intelligentijs rationem totius, & partis; neque ſufficit dicere, auferri rationem huius totius, & huius partis, nam tunc non bene poſſet dici, non poſſe ſignificari nomine partis, & ſemper dici de ſubſtantia, &c.

Prior modus ſoluendi difficultatem.

Nõ ſatisfacit.

Quare dico ſecundo, quod eſsentia, & eſse, ſimiliter actus, & potentia non ſunt veræ partes aliquod tertium componentes, neque enim quid ex ipſis prouenit, vel reſultat, vt infra circa quintam partem literæ iuxta noſtram diuiſionem docet Caiet. in octaua, & nona illarum decem differentiarum, quas ponit inter compoſitionem materiæ, & formæ ex vna parte, & illam eſse, & eſsentiæ ex altera, nam componit eſsentia, & exiſtentia, ſed nulla res proprie adeſt, quæ ex eſsentia, & exiſtentia conſtituatur, vnde cum non ſint veræ partes, ruit argumentum, dicendo ſermonem eſse de compoſitione ex veris partibus, & vbi vere eſt totum, & pars, &c. Quare autem proprie loquendo, eſsentia, & eſse non ſe habeant vt partes, quæſtione ad hoc caput ſexta patefiet.

Secundus modus.

Caietanus.

Dico tertio, (& hanc veram abſque dubio credo ſolutionem,) quod in præſentia ſermo eſt de eſsentijs ſubſtantiarum, & compoſitarum, & ſimplicium, & quoniam eſsentia compoſitarum, & vt pars, & vt totum poteſt accipi, ſimplicium autem non niſi vt totum, vt iam diximus, ea propter aſſignatum inter ipſa diſcrimen, & adducta doctrina optima dignoſcitur; Quando autem arguitur de exiſtentia, iam non eſt quæſtio de eſsentia, neque de aliquo, quod ſit pars eius, iam enim octaua parte literæ vidimus, exiſtentiam aduenire eſsentiæ, & non eſse eius partem.

Tertius modus verior.

Conueniunt profecto eſsentiæ ſimplicium, atque compoſitorum entiũ, quæ creata ſunt, quod eſse eſt extra rationẽ ipſorum, & in vtriſque conſurgit compoſitio ex eſse, & eſsentia, ſed hoc nihil eſt in propoſito, vbi loquimur de eſſentia vt ſic harum ſubſtantiarum, & argumentum oſtendit in intelligentijs dari compoſitionem, non autem, quod earum eſſentia ſit compoſita; Nulla eſt igitur fallacia, nullusuè error interuenit, quoniam de compoſitione eſsentiæ, ac eiuſdem ſimplicitate vt ſic, & vt præuenientis exiſtentiam eſt ſermo, in qua attenditur dumtaxat compoſitio ex materia, & forma, quare hac ſublata, omnis auſertur, nam & illa de actu, & potentia, cuius fit in argumento mentio, ruit, cum eſsentia habeat rationem potentiæ, prout ad eſse comparatur.

Conuenientia entium ſimplicium, & compoſitorum.

Difficultas vero, aut difficultatis confirmatio, quæ iuniori poſset accidere, nullo negotio perit, dicendo, quod aliquando totum dicitur comparatione ad partes, aliquando idem exprimit, quod perfectum, & cui nihil requiſitum deſit, ſic omnes dicunt; In ſimplicibus aut totum, aut nihil apprehendi, (quod videtur elici ex vltimo noni Diuinorum,) vbi totum certe non dicitur relatione ad partes, aliàs non forent ſimplicia, ſed idem importat, quod perfecte; Hinc ſubſtantiarum ſimplicium eſsentia dicitur ſignificari vt totum, non cuius ſint partes, ſed cui nihil deſit ad eam requiſitum, quoniam vnicum tantum exigitur, hoc eſt forma. At quæſtione ad hanc partem formanda, quomodo

Ad confirmationem.

ſcilicet

ſcilicet in abſtractis natura, & ſuppoſitum differant, dilucide conſtabit, quomodo quidditas in ipſis dicatur de eo cuius eſt quidditas,&c.

Huiuſmodi ergo ſubſtantiæ, quamuis ſint formæ, &c.

Caietanus.

Quot in ſubſtãtia compoſita inſint.

Circa quintam partem,vbi dicitur,& probatur,in intelligentijs inueniri cõpoſitionem ex eſſe, & eſſentia, & hæc ab inuicem differre, notabat Caiet. quod in ſubſtantijs compoſitis inueniuntur quattuor, quæ realiter inter ſe diſtinguuntur, materia videlicet,forma,eſſentia compoſita ex materia,& forma, & exiſtentia, & duo priora compoſitionem vnam pariunt, ex quibus prouenit tertium,nam ex materia, ac forma coniunctis reſultat eſſentia; Duo etiam poſteriora aliam gignunt compoſitionem, quamuis tertium nullum componant, vt præcedenti annotatione dicebam, quare in materialibus ſubſtantijs adeſt duplex hæc compoſitio.

D.Thom.

Soncinas.

Potes videre Caiet.duo adſerentem,quibus enumeratæ compoſitiones conueniunt, & decem,iuxta quæ diſcriminantur,clare profecto loquitur; At præcipua illa quibus diſſentiunt,& ex quibus natura eſſentiæ,& eſſe depromitur, quæ ſecunda, quarta,quinta,ſeptima,& octaua differentiis docte adducit Illuſtriſſimus Interpræs, ea prope omnia ab Auctore deſumens, ſecundo contra Gentes 54.& quæ habes etiam apud Soncinatem duodecimo Diuinorũ,quæſt. 48. expendemus quæſtione illa ſexta;Doctrina vero, quam tradit & prima, & ſexta differentiis, manifeſtiſſima eſt, & non omnino eam ſiluimus prima quæſtione ad præcedens caput, quando erat conſideratio, quo pacto eſſe foret de definitione, & ſubſtantia rerum, reliquæ etiam in eodem patentiſſimæ ſunt.

D.Thom.

Hanc vero doctrinam de duplici compoſitione, & de his quattuor, quæ in ſubſtantiis materialibus inueniuntur,accepit ingenioſe Caiet. ex communi Magiſtro, de Spiritualibus creaturis art. primo,vbi dicebat, in rebus compoſitis nos poſſe duplicem actum, & duplicem potentiam conſiderare,nam intuemur primo materiam eſſe in potentia reſpectu formæ, & formam eius actum, rurſus cernimus naturam, vel eſſentiam ex materia,& forma conſtitutam, eſſe vt potentiam reſpectu ipſius eſſe,quod ſane videmus actum ipſius eſſentiæ,cumque contemplemur duplicem actum, hoc eſt,formam,& eſſe,& duplicem potentiam, hoc eſt,materiam,& eſſentiam, certe quattuor res,vel realitates inſpicimus; Sed & quæſtione de Anima ar. 6. dicebat,in ſubſtantiis ex materia, & forma compoſitis nos tria inuenire, materiam ſcilicet,formam, & eſſe, ſi vero adſit materia, & forma, non dubitet quis, quin adſit & eſſentia ex materia, ac forma proueniens;ſic quando mox ſubdit,formam comparari ad eſſe,vt potentiam ad actum,nomine formæ accipe naturam, eſſentiam, & quidditatem, & formam totius,hæc enim eſt,quæ ſubiectũ eſt proximum, & receptiuum exiſtẽtiæ,numquam enim in compoſitis ſubſtãtiis forma intelligitur comparari proxime ad eſſe,tamquã eius receptiua,niſi iam intelligatur materiæ copulata.Sed & verſus finem cap. illius 54. ſecundi cont. Gent.manifeſte ponit in compoſitis ſubſtantijs ex materia, & forma duplicem hanc compoſitionem; quod vltimo docuit prima par. quæſt. 50. ar. 2. ad tertium.

In ſubſtantia ſimplici, quot inueniantur.

In ſubſtantiis vero ſimplicibus,& immaterialibus, cum ſatis pateat non eſſe locum materiæ,duo tantum inueniri comperiemus, & vnicam dumtaxat compoſitionem,

poſitionem, deficit enim compoſitio ex materia, & forma, neque poteſt dici, quod inueniantur tria, forma ſcilicet, eſſentia, & eſſe, cum eſſentia in ipſis non ſit aliud, quam forma, & non adſit duplex forma, partis ſcilicet, quæ cum materia concurrat ad compoſitionem eſſentiæ, & totius altera forma emergat, ſed ipſarum eſſentia eſt forma, cui tamen intelligitur aduenire eſſe; Quo fit, vt in ipſis ſit eſſe, & eſſentia, & horum compoſitio; quoniam omne præter Deum habet eſſe participatum, & ab alio receptum, quare forma, & earum eſſentia recipit eſſe à prima cauſa, quod eſſe eſt actus, & perfectio ipſius eſſentiæ; vnde licet forma creata ſit per ſe ſubſiſtens, & à materia immunis, quoniam tamen eſt creata, & limitata, & definita, ideo recipit eſſe ſuum, quoniam forma non eſt illud, ſed illius principium.

Non itaque valet, ſi quis dicat; Hoc non eſt compoſitum ex materia, & forma, igitur non eſt compoſitum ex eſſentia, & eſſe, quoniam remota priori compoſitione, remanet adhuc forma in potentia ad eſſe, valeret autem, ſi quis diceret; Eſt compoſitum ex materia, & forma, ergo ex eſſentia, & eſſe, quoniam forma creata quæuis fuerit, vel ſeipſa ſubſiſtens, vel quæ ex vnione cum materia reſultauerit, adhuc expectare intelligitur eſſe, tamquam potentia proprium actum; Sic dicebat Caiet. differentia inter illas nona, omne compoſitũ ex materia, & forma, eſſe quoque compoſitum ex eſſentia, & eſſe, at non e contra, & Auctor loco illo cont. Gent. habebat, compoſitionem actus, & potentiæ latius patere, quam illam formæ, & materiæ, vnde materia, & forma diuidunt ſubſtantiam materialem, potentia vero, & actus ſecant omne ens; valet ſimiliter dicere; Hoc non eſt compoſitum ex eſſentia, & eſſe, ergo neque ex materia, & forma, nam ſi non adſit eſſentia, quæ intelligatur recipere eſſe, neque eſſe quod in illa recipiatur, iam intelligitur nulla adeſſe potentia, & nulla materia, non enim poteſt poni forma cum materia recipere eſſe, quin ponatur & eſſentia, &c.

Vide nullum argumentum. Vide argumẽtum validum. Caietanus. D.Thom.

Niſi forte ſit aliqua res, &c.

CIrca rationem illam in ſexta parte, qua probatur, in ſolo primo ente quidditatem non differre ab eſſe, quoniam ens ſubſiſtens, in quo eſſe eſt idẽ quidditati, eſt vnum tantum, & nequit multiplicari, aduerte hanc eandem rationem portari ab Auctore ſecundo illo con. Gent. 52. & eſt ſecunda ratio ibi formaliter quo ad duas priores partes, quod ſcilicet nõ poſſit multiplicari, neque per additionem differentiæ formalis, neque quia ſit huius, vel illius, hoc eſt, in illo, vel illo receptum tale ens, vel modo illa recipientia, materialia fuerint, vel nõ; ex quo patet in ſecunda parte includi ferè & tertiam, quod ſcilicet, ex eo nequeat multiplicari, quod vnum ſit abſtractum, alterum vero receptum; Hinc in hac litera probatur ſolum non poſſe multiplicari, vel primo, vel ſecũdo modo, nam certe ſi fuerit receptum, vel in aliquo formali, vel in aliquo materiali recipietur, hoc eſt, vel recipietur vt genus in ſpeciebus, vel vt ſpecies in indiuiduis, & ſic non erit abſtractum, ſed receptum, vnde patet, hoc tertium nihil addere ad ſecundum modum, niſi expreſſiorem expreſſionem, vel confirmationem; quare eadem ratio ibi, & hic adſertur.

Eſt autem neruoſa ratio, quoniam certe ſi ponatur eſſe ſubſiſtens, & eſſe purum, ac ſolum abſolute, nequit recipere additionem differentiæ formalis, nam tunc non foret eſſe tantum, ſed eſſe in tali natura, ad quam per formalem

Vis rationis D. Thom.

differentiam limitatum inueniretur, velut dum colori additur aliqua differentia, & ad aliquam ſpeciem coartatur, iam non eſt color tantum, ſed hic, vel ille, puta albus, niger, &c.

Quare, ſicut ſi natura animalis poneretur ſeparata, nihil haberet, vel de ijs, quæ ſunt hominis, vel bouis, nam tunc non foret animal tãtum, ſed tale animal, nam dum ponitur ſeparata, omnes formales differentiæ ab ea intelliguntur ſemoueri, quibus ſemotis, remanet indiuiſa, nam differentiæ vti ſpeciem conſtituunt, ita genus diuidunt, ita ſi ponatur eſſe ſeparatum, & ſubſiſtens, & ab eo remoueatur additio differẽtiarum formalium, indiuiſum, & ex conſequenti vnũ debet remanere; multominus poteſt multiplicari, ex eo quod in hoc, vel illo recipiatur, & ſit huius, vel illius, mox enim vbi ponitur receptum, non eſt amplius ſubſiſtens, & vlterius oportet, vt eſſe quod ſubſiſtit ſecundum ſe diſtinguatur, & ſit ſeparatum ab ijs, quæ ab ipſo diſtinguuntur, cuiuſmodi ſunt eſſe illud, quod eſt huius, & illius, &c.

Dubium. Dices, non videri vndequaque completam hanc viam multiplicationis, ſeu diuiſionis, (multiplicatio quippe eſt effectus diuiſionis, nam ideo multa ſunt animalia, quoniam animalis natura diuiditur per rationale, & irrationale) quoniam diuiditur vnum prædicamentum ab alio, & ex conſequenti multiplicantur cathegoriæ, & tamen nullo ex modis illis tribus diſtinguuntur, non enim quantitas diſtinguitur à ſubſtantia per differentias formales huic, vel illi aduenientes, cum ens, quod ad ipſam, & illã deſcendit, non veniat per formales differentias, vtpote illas non habens, neque rurſus diſtinguitur, vel quia alterum recipiatur, alterum non, vel quia alterum ſit ſeparatum, alterum vero coniunctum, æque enim, & ſeparata, & coniuncta, & recepta & irrecepta ſunt hæc duo prædicamenta, vt facile patet.

Soluitur. Caietanus. Quid nomine differentiæ nunc accipiatur. Dicas ſufficientiſſimam eſſe viam triplicis diſtinctionis allegatam, quandoquidem vt attigit Caietanus in præſenti, in priori parte, dum dicitur fieri diſtinctio per additionem differentiarum, nomen differentiæ non accipitur in rigore, ſed quicumque modus ita ſe habẽs, vt trahat illud quod contrahit, ſiue cuius eſt modus ad limitatam aliquam naturam, vt enim differentia addita generi, contrahit illud ad aliquam ſpeciẽ determinatam, ita & modus rei aduenienſ, ſi rem ipſam in latitudine quadã aliàs manentem, ad quid definitum trahat, poteſt in propoſito vocari differentia, vel ſit de natura contracti, vel præter eius naturam, nihil in præſentia; Hinc & in litera ex additione differentiarum nihil aliud infertur, niſi coarctatio, & limitatio, & non ſubſiſtentia, ac ſeparatio eſſe. Quamuis igitur ſubſtantia non differat à quantitate per aliquam formalem differentiam, differt attamen modo entis, quippe qui ens ipſum ita contrahit ad ſubſtantiam, quod non ad quantitatem, ſic contractum, limitatum reddit, &c.

Omne autem quod conuenit alicui, &c.

Circa ſeptimam partem, vbi ſtatim habetur illa propoſitio, Omne quod conuenit alicui, vel eſſe cauſatum ex principijs naturæ ſuæ, vel ab aliquo principio extrinſeco aduenire, aduerte facile, non habere veritatem vniuerſaliter, aliàs cum eſſe ſummo modo conueniat Deo, concluderetur, quod in ipſo altero illorum modorum eſſet cauſatum, quod eſt ſtultũ, & præterea videtur ſupponi probandum, & committi petitio principij, ſtatim enim quis poſſet dicere

nego,

nego, quod vel hoc, vel illo modo cauſetur, quoniam abſolute non cauſatur; Quare vera eſt propoſitio, quando illud eſſe in aliquo eſt cauſatum, tunc enim oportet, quod alterutro modo cauſetur, eſſe autem eſt cauſatum, quando non eſt idem quidditati, conuenit enim ſibi aliunde, & quoniam iam probauerat, in intelligentijs differre eſſe ab earum quidditate, iccirco optime propoſitionem illam aſſumit dicens, quod hoc eſſe conueniens ipſis, & aliud à quidditate ipſarum, & ex conſequenti cauſatum oportet, quod ſit cauſatum, vel ex principijs naturæ, vel ab aliquo extrinſeco, Et hanc eandem propoſitionem adfert idem Auctor prima par. quæſt. 3. ar. 4. in prima ratione, & primo con. Gent. 22. ratione tertia, vbi ex oppoſito, quoniam ſcilicet nihil cauſatum poteſt in Deo locum habere, colligit, eſſe non differre ab eius eſſentia, quibus locis præfatæ propoſitioni, quam allegaui moderationé adhibuiſſe videtur, cum dicat, Omne quod conuenit alicui, quod nó eſt de eſſentia eius, & quicquid eſt in aliquo, quod eſt præter eſſentiam eius, conuenit ei per aliquam cauſam, at in hac parte nihil ei opus erat tali moderatione, quoniã iam quinta, & ſexta parte manifeſtauerat, exiſtentiam in intelligentijs eſſe præter ipſarum eſſentiam; Adde, quod hac eadem parte concludit dicens, quod omnis illa res, cuius eſſe ſit aliud à natura ſua, habet eſſe ab alio, velut & allegatis locis colligebat.

Quando vera ſit propoſitio, quæ examinatur.

D. Thom.

Aduerte deinceps circa eandem propoſitionem, quando dicitur aliquid cauſari ex principijs naturæ ſuæ, velut dedi exemplum cum litera de riſibili, quod ponitur cauſari ab homine, duplicem eſſe modum cauſandi, alterum actione, ac tranſmutatione media, ceu dum ab igne cauſatur calor in aqua, quæ tranſmutatur, & media calefactione ab igne proficiſcente calorem acquirit, alterum non media aliqua tranſmutatione, ſiue actione, ſed per aliquam naturalem reſultationem, & emanationem, in quo ſenſu, non autem in priori, paſſiones cauſantur à ſubiecto, non enim exiſtimandum eſt, cauſari riſibile in homine, ex eo quod homo actione aliqua media producat riſibilitatem, ſed quoniam naturali conſequio ex homine emanat, ceu ex quouis ſubiecto propria paſſio, nam ſi media actione paſſiones propriæ ab earum ſubiectis producerentur, iam eas ſubiectũ tempore anteiret, & aliqua eſſet duratio, in qua foret ſubiectum abſque ipſis, quod nemo, qui bene philoſophetur dicet, quoniam natura dumtaxat eſt prius ſubiectum ipſis, ſed tempore ſimul omnino ſunt; Et proprie, ac docte loquendo, paſſiones comproducuntur potius à producente ſubiectum, quam à ſubiecto ipſo, fluit nihilominus paſſio à ſubiecto, quoniam actio illa agentis prius natura terminatur ad ſubiectum, quam ad propriam paſſionem, vt probe docebat Capreolus primo ſent. diſt. 3. q. 3. ad ſextum Adæ contra primam concluſ.

Duplex cauſandi modus.

Quomodo ſubiectum ſit paſſionum cauſa.

Capreol.

Hanc vero doctrinam de duplici modo cauſandi colligis expreſſe ab Auctore prima par. q. 77. ar. 6. ad tertium, quam diligentiſſime notandam dicebat ibidem Caiet. qua eadem reſponſione habes, quod docui de modo quo accidentia propria cauſantur à ſubiectis, quod & Capreolus vbi ſupra amplectitur, & Caietanus loco mox allegato, & eadem prima par. q. 54. ar. 3. ad tertium Scoti aduerſus concluſionem articuli. Sic habes, quomodo eundem Caiet. accipere debeas, quando ſuperius circa tertiam partem literæ iuxta meam partitionem exponens propoſitionem illam, Cauſa poteſt eſſe abſque cauſato, dicebat ſubiectum cauſare eſſe propriæ paſſionis.

D. Thom.

Caietanus.

At ſciſcitaris, cum ſubiectum via hac expoſita ſit cauſa propriæ paſſionis, & hoc pacto ex principiis naturæ ipſa paſſio cauſetur, vt dicitur in litera, debet ne abſolute proferri, ſubiectum eſſe cauſa paſſionis, an vero cum hoc addito, vt

Dubitatio.

Dddd 2 ſcilicet

ſcilicet dicatur eſſe cauſa,non media actione,ſed naturali quadam emanatione? Apparet vtique non eſſe abſolute pronunciandum,cum nulla abſolute,& proprie interueniat actio, & cauſa in eo videatur poſita,vt agat. Reſpondeo,quod cum quattuor ſint cauſæ,vt philoſophi omnes ſciunt, dico,quod ſubiectum eſt vere cauſa materialis ſuarum paſſionum, quoniam vere eas intelligitur ſuſcipere,in quo ſtat ratio cauſæ materialis,rurſus eſt cauſa finalis,nam leuitas in igne eſt ob ipſius ignis conſeruationem,non eſt autem vere,ac proprie cauſa actiua,propter rationes dictas; Sic ò Thomiſta leges Magiſtrum noſtrum 1. p. loco allegato ad ſecundum dicentem.ſubiectum eſſe cauſam proprij accidentis, & finalem, & materialem, quatenus eſt ſuſceptiuum accidentis, & quodammodo actiuam,vbi vides abſolute proferenté,quod ſit cauſa finalis,& materialis,atque explicantem qua ratione ſit cauſa materialis,at non abſolute eſſe cauſam actiuam,ſed quodammodo; Vnde vere,ac ſimpliciter in duplici illo genere cauſæ ſubiectum eſt cauſa paſſionis propriæ, at non eſt abſolute cauſa actiua,patet autem,quod ſi ex negatione veræ cauſalitatis actiuæ,quis negaret abſolute veram cauſalitatem,manifeſtam fallaciam conſequentis committeret, ac ſi omnis cauſa foret efficiens, & non daretur alter triplex modus cauſandi; Quod autem dicitur cauſa in agendo conſiſtere, id veritatem ſolum habet de cauſa effectrice, vt fuſius aperiam quæſtione ſecunda ad hoc caput.

Ratio dubitationis. Solutio. In quo genere cauſæ ſubiectum ipſum ſit cauſa paſſionis.

Ita habes quomodo literę propoſitionem intelligas,quando dicitur,Aliquid cauſari ex principiis naturæ ſuæ, &c.

Circa eandem partem,& circa idem ratiocinium,obſerua vbi dictum fuit,eſſe non cauſari à forma, vel quidditate rei,iure mox adiectum fuiſſe,*ſicut à cauſa efficiẽte*,nam hæc propoſitio abſolute prolata,Forma nó cauſat eſſe,falſa eſt, & eius oppoſita eſt vera,nam eſſe conſequitur formam,vt dicebat idem Auctor prima par. quæſt. 50. art. 5. & quæſtione de Anima art. ſexto & quæſt. ſexta huius capitis videbimus, quo pacto eſſe conſequatur formam, & ab ea ſit inſeparabile. Nunc autem ſcias ex hac litera, formam non cauſare eſſe efficienter, tunc enim aliquid cauſaret ſeipſum, cuius oppoſitum legis ſecundo de Anima 47. & ſequeretur contradictio, quoniam vt deducebatur hoc loco à Caiet. idem eſſet, & non eſſet, nam quatenus ponitur cauſare, oportet vt ſit, cum omne agens ſit in actu, ex 3. Phyſic. 17. & ex nono Diuinorum 13. quatenus vero ponitur, quod cauſet ſuum eſſe, iam non eſt, quoniam eſt per illud eſſe, quod adhuc non eſt, nam quod cauſatur, & fit, nondum eſt, vt enim Plato in Protagora dicebat, & iterabat, fieri non eſt idem quod eſſe, ſed hæc ab inuicem differunt; Et hanc deductionem habes in Auctore primo contra Gentes cap. illo 22. vbi addebat, ratiocinium hoc concludere, quando ponitur aliquid eſſe cauſa ſui eſſe,quo ad eſſe ſubſtátiale, velut in propoſito loquimur,nil enim prohibet,vt aliquid ſit ſibi cauſa, vt ſit iuxta aliquod eſſe accidentale,at tale eſſe non vocatur abſolute eſſe, de quo nunc eſt ſermo, ſed ſecundum quid,quod non confert eſſe vt ſic ei cuius eſt,ſed illud præſupponit,cui deinde adfert hoc,vel illud eſſe,vt eſt videre in albo,quod poteſt ab homine cauſari, &c.

D.Thom. Caietanus. Plato. D.Thom.

Circa eandem partem, vbi dicitur, Omne quod eſt per aliud, reduci ad id, quod eſt per ſe,ſicut ad cauſam primam,aduerte,quod reductio aliquorum duplici via fieri poteſt, vel enim primo poſſunt reduci ad aliquod ſui generis, quod ſit in illo primum, & eorum menſura,in quouis enim genere eſt hoc inuenire,auctore Ariſt.10. Diuinorum 7. ſic omnia calida ad ignẽ reducũtur,qui calidiſſi-

Duplex reducendi modus. Ariſtotel.

calidiſſimus eſt,& cauſa cæteris in caliditate,vt elicitur ex 2. eorundem 4: vel ſecundo poſſunt reduci ad primũ ſimpliciter in omni genere,immo ſupra omne genus. In præſenti eſt ſermo de hac ſecunda reductione, non enim dicitur abſolute, Omne per aliud reduci ad id, quod eſt per ſe, ſed additur, ſicut ad cauſam primam, & iure ſermo eſt de hoc modo reducendi, tum quoniam ſecundo Phyſic. 38. dicebatur, oportere ſemper cauſam vniuſcuiuſque ſummam quærere, & Auerr. tract.3.ad libros Diuinorum, vbi multa in fine illius tractatus dixit, vt oſtenderet omnia ad primam cauſam reduci, vltimis verbis ait, omnia aſcendere ad vnam cauſam, quæ eſt finis, & agens, & forma; tum quoniam quæuis tandem alia fiat reductio, numquam ſine hac eſt numeris omnibus abſoluta, cum ſemper & hæc maneat facienda, vel ſaltem fieri poſſit, tum quoniam non de quacumque reductione hoc in loco eſt ſermo, ſed de illa,qua quid refertur ad illud,à quo accipit eſſe, quippe quod eſt prima tantum cauſa, à qua omnibus communicatum eſt eſſe, licet non vniformiter, vt patet primo de Cœlo, & mundo 100. tum denique,quoniam in intelligentiis nunc ſumus, & hæc entia nobiliſſima, & abſtracta ad nullum aliud queunt reduci, quam ad primum ens; immo vero gratia materiæ,idem erit in propoſito reducere aliquid ad primũ ſui generis,& reducere ad primã omnino cauſam, quoniam primum generis intelligentiarum eſt prima, & independens intelligentia; prima inquam, non tamquam in genere contenta, ſed velut generis contentiua. Neque in medium adducas Auicennam, qui vnam intelligentiam ab alia cauſari, & eſſe accipere volebat, ac proinde non faciendam eſſe reductionem omnium intelligentiarum ad primam, nedum enim hæc poſitio eſt in fide erronea, ſed & in philoſophia ſtulta, videbitur enim quæſtione ad hanc partem formanda, intelligentias omnes à prima fuiſſe productas, quare ad illam reduci debere, tamquam entia per participationem,ad ens per ſe, ac tamquam entia per aliud,ad ens,quod eſt cauſa omnium;Quam ſane reductionem conuincit ratio inſinuata in litera, ne videlicet proceſſum in infinitum ad eſſe contingat, quem minime dari legimus duodecimo Diuinorum 48. & quem à natura euitari, cum hæc finem ſemper quærere conſueuerit,primo de Generatione animal.cap. 1.accepimus.

Auerroes.

Auicennæ error.

Ariſtotel.

Omne autem, quod recipit aliquid ab alio, &c.

CIrca octauam partem,vbi traditur compoſitio actus, & potentiæ in intelligentiis, obſerua, quod quamuis Ariſtoteles nono Diuinorum 17.& 12. eorundem 30. dicat, entia illa æterna carere potentia, non intendit tamen negare potentiam omnẽ abſolute in intelligentiis aliis à prima,ſed ſolum potentiam ad eſſe, quæ ſi in eis inueniretur, poſſent non eſſe,& ſic corruptibiles forent; ſic vtrobique probans potentiam locum in intelligentiis non habere, ſtatim ducit rationes, quoniam poſſent non eſſe, & docet potentiam omnem eſſe contradictionis,ad eſſe ſcilicet,& nõ eſſe. Sic ibidem & Aphrodiſæus,& Auer, & Auctor,& Alenſis,& alij conformes textui reiiciunt ab intelligentiis potentiam ad non eſſe, vt cernere eſt apud ipſos; Non intelligunt autem potentiam omnem indiſcriminatim ab eis auferre, nam clare Ariſtoteles priori loco relato ait, *nihil ſimpliciter incorruptibilium,ſimpliciter potentia eſt*, (hoc eſt,ad non eſſe,tunc enim non forent ſimpliciter incorruptibilia, poſſent namque non eſſe,)

Quæ potentia negetur a qin telligentiis.

Alexand.
Auerroes.
D.Thom.
Alenſis.

ſe,) *ſecundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi*. Ecce Ariſtotelem ponentem in ipſis potentiam ad qualitatem, & ad vbi; Vnde inquit Alexander, nihil obſtare quo minus ſecundum quid ſint poſſibiles, & Alenſis aiebat, quod ſecundum qualitatem intentionalem poſſunt alterari, non autem ſecundum qualitatem realem, quare ex hac alteratione non ſequitur, quod ſint corruptibilia huiuſcemodi entia, cum talis alteratio non ſit via in generationem; Sic bene ait hoc loco Caiet. communem eſſe philoſophorum ſententiam, quod intelligentiæ aliæ à prima non ſint actus omnino puri, ſed admixtionem in ſe potentiæ habeant, & famoſa eſt apud ipſos vox illa Auerrois tertio de Anima com. quinto, in ſolutione tertiæ quæſtionis, dum ait, nullam eſſe formam liberatam à potentia ſimpliciter, niſi primam formam, & ſtatim præmiſerat, quod genus intelligibile oportet diuidi in conſimilia his duobus, in aliquid videlicet ſimile formæ, & in aliquid ſimile materiæ.

Alexan. Alenſis. Caietanus. Cõmunis Philoſophorum conſenſio.

Quamuis autem verba hæc, vel ſimilia tamquam vera recipiantur, attamen non mediocriter diſſident in aſſignando modo, quo compoſitio hæc ex actu, & potentia in ipſis intelligentiis inueniatur, vt ait Caietanus.

Quomodo Scotus ponat compoſitionẽ in quauis re creata.

Subtilis itaque Doctor primo ſent. diſt. 8. quæſt. 2. quam breuiter abſoluit, hanc compoſitionem ita ſtatuit, vt dicat ſe concedere, aliquam creaturam eſſe ſimplicem, hoc eſt, non compoſitam ex rebus, nullam tamẽ creaturam eſſe perfecte ſimplicem, quin aliquo modo ſit compoſita, vel cõponibilis, habet enim creatura entitatem, ſed cum priuatione alicuius gradus entitatis, quoniam nulla creatura habet entitatem ſecundum totam perfectionem, quam poteſt habere in ſe entitas vt ſic, & abſolute accepta, quapropter caret aliqua perfectione, quæ nata eſt competere entitati in ſe, qua ideo dicitur priuata, & adfert exemplum de talpa, quippe quæ dicitur eſſe cæca, quoniam vt animal nata eſt habere viſum, at non vt talpa; ſic dicit hanc compoſitionem non eſſe ex re, & re poſitiuis, ſed ex poſitiuo, & priuatiuo, hoc eſt, ex entitate aliquã, quam habet, & ex carentia alicuius gradus perfectionis entitatis, cuius ipſa vt tale ens non eſt capax, quamuis vt ens ſit capax; & denuo ſubdit exemplum de talpa, &c.

Alius eiuſdem Doctoris modus compoſitionis.

Idem Doctor 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 7. ponere videtur in omni ſimiliter natura, quæ de ſe non eſt actus purus compoſitionem ex poſitiuo, & poſitiuo, non quidem ex rebus, ſed ex realitatibus, nam vltra realitatem illam, per quam natura eſt, ponit & realitatem aliã, qua eſt hæc natura, & illã relatione ad iſtam, potentialem dicit; At loci huius, & compoſitionis ea ratione arbitror non meminiſſe in præſenti Caiet. quoniam hic eſt ſermo potiſſimum de compoſitione, quæ eſt in eſſentia, ac natura, non autem de illa, quæ eſt in indiuiduis. De illa vero priori loco à Scoto allegata inquit, eius auctorem poſſe ſententiã ſuam tenere, nam tandem veriſſima eſt, ac patentiſſima, cum ſatis pateat, ens omne creatum eſſe participatum, hinc qua ens, habet actum, qua participatum, eſt in potentia, non enim totam entis latitudinem, ſed partem dumtaxat obtinet.

Caietanus.

Zimara.

Hic modus compoſitionis Zimaram nimis oblectauit, nam & circa vndecimam contradictionem Auerr. 3. de Anima 5. & theoremate 40. & 116. eum omnino amplectitur, & præfatam compoſitionem ex priuatiuo, & poſitiuo appellat actus, & potentiæ, non quidem realis, ſed logicæ, cui ſe ſubſcripſit & Marcus Antonius Genua ad locũ illum 3. de Anima, nõ longe ab initio 3. quæſtionis, quam ibi mouet, & Archangelus Mercernar. primo uolumine ſuarum dilucidationum, quando declarat dictum ex Auerr. iam relatum, quomodo

Genua. Mercenar.

videlicet

videlicet in omni intelligentia reperiatur aliquid ſimile materiæ. & aliquid ſimile formæ, & inquit ſententiam illam de compoſitione ex priuatiuo,& poſitiuo eſſe in ſe veriſsimam, ſubdit tamen non eſſe ad mentem Auerr. illo loco, ſed vult Auerroem per ſimile materiæ ibi accipere naturā poſitiuam perfectibilem, & perfectionis receptiuam, at per ſimile formæ obiectum intelligibile, & naturam perficientem; Et quidem quod hæc fuerit Auerr. voluntas, libenter adhæreo Mercenario, nam vltra ea, quæ ipſe Archangelus adducit, quæ certe conuincunt, ſic Auerroem ſenſiſſe, illud etiam adeſt,quod idem Commentator ibidem ait, nullam ſane formam eſſe liberatam à potentia ſimpliciter, niſi primam, quæ nihil intelligit extra ſe; Ex quo ratio compoſitionis in aliis formis à prima,ea videtur eſſe, quoniam intelligunt aliquid extra ſe, ſi enim hoc non eſset, gratis penitus videretur addidiſse, quod prima forma nihil extra ſe intelligat; ſunt itaque in potentia reſpectu obiecti, quod intelligunt, & reſpectu primæ intelligentiæ, & aliarum, nam quæuis intelligentia intelligit primam, & alias, at vero prima forma non eſt in potentia, quoniam non perficitur ab obiecto extrinſeco. Auerroes.

Quocirca ponit Archangelus in intelligentiis compoſitionem,nedum ex poſitiuo, & priuatiuo, ſed ex poſitiuo, & poſitiuo, non quidem ſecundum eſſe reale ait, ſed ſecundum eſse intentionale,quæ compoſitio poteſt dici ex potentia,& actu, hoc eſt,ex perfectibili, & perficiente,nam ex duodecimo Diuinorum 51. intelligibile eſt perfectio intelligentis, &c.

Deniq; Auguſt. Niphus diſputatione ſua 6. ſuper duodecim.Diuinorum ab his nihil videtur diſsentire,inquit enim,quod ſubſtantiæ aliæ à prima motrices orbium ſunt materiales, ſumendo materiale pro imperfecto, quoniam quælibet recedit à prima ordine quodam, & ſic cum Auerroe, ſiue explicans Auerroem ait, nullam eſse liberatam à potentia, excepta prima,quoniam quælibet componitur ex gradu perfectionis, & ſic primo enti accedit, & ex gradu imperfectionis, quo ab eodem recedit, verum commento tex. illius quinti 3. de Anima idipſum quod Scotus, & Zimara clare docet, adferens & ipſe exemplum de talpa, &c. Sueſſanus.

At his viis dicendi omiſsis, & ferme reiectis, quoniam licet veræ ſint, minus tamen propriæ apparent, nam vanum videtur in creatura diſtinguere rationem entis, & rationem entis creati, quoniam nequit intelligi, niſi vt ens creatum, & iuxta hoc patet non eſse eam priuatam perfectione omnimoda entis, ſed prorſus carere, cum illa numquam ſit nata ei vt ſic conuenire, vt melius fortaſsis ex horum ſententia poſsit dici, eſse compoſitio ex poſitiuo, & negatiuo, quam ex poſitiuo, & priuatiuo, licet enim non repugnet enti vt ens totalis illa entis plenitudo,repugnat tamen enti creato,& cum omni creaturæ repugnet eſse ens non creatum, repugnabit conſequenter talis perfectio entis. Præterea,eiuſmodi compoſitionem nullus ignorat,nam cuique in aperto eſt, ens creatum non eſse ens increatum, & certe commemorata compoſitio in creatura, nil aliud exprimit, niſi quod ipſa non ſit Deus; Vnde quid peculiare de variis creaturarum compoſitionibus eſt aſsignandum, ſicut deinde à Scoto loco illo primi ſententiar. adſertur de accidentibus, & ſubſtantiis corruptibilibus, & incorruptibilibus, quare & veram, & realem compoſitionem ex poſitiuo,& poſitiuo,& nedum in eſse intentionali conſpiciemus in intelligentiis inueniri. Iudicium Auctoris de ijs, quæ ex aliis relata ſunt.

Eapropter relinquentes allegatos Auctores in ſenſu ſuo abundantes, dicamus

Mens D. Tho. mus nos cum hac litera, intelligentias ideo compoſitas eſſe ex actu, & potẽtia, quoniam earum eſſentia comparatur, vt potentia ad eſſe, quod recipiunt à Deo tamquam actum, quam plane compoſitionem in intelligentiis vbique Auctor collocat, vt ſecundo cont. Gent. 53. & de Spiritualibus creaturis art. primo, & de Anima art. ſexto. Cumque eſſentia, & eſſe ſint ambo quid reale, & quid poſitiuum, ſupereſt, vt hæc compoſitio ſit realis, ac poſitiua, quam vtique quæſtione illa ſexta ad hoc caput manifeſtabimus, vbi etiam illucebit, argumentum Mercenarij cum ſua confirmatione nihil contra nos efficere, quod ideo diſſoluendum ibi relinquitur, quoniam diſtinctionem luſtrat quidditatis ab habente quidditatem in ſubſtantiis immaterialibus. Quod vero contra hanc cõpoſitionem adducit Scotus diſtinctione illa primi ſent. optime habes hoc in loco à Caiet. confutatum, non enim ex duabus his rebus, ſeu realitatibus, eſsentiæ ſcilicet, & eſse ſequitur proceſsus in infinitum in compoſitis ex ipſis, quandoquidem hæc componentia ſunt ſimplicia, & quando nos dicimus, Omne aliud à Deo eſse compoſitum, intelligimus de iis, quæ vere ſunt, & quæ proprie exiſtunt vt quod, vel vt quæ, non de partibus componentibus, quæ nimirum ſunt vt quo, vel vt quibus; Hinc quando petit Scotus accipiendo alteram rerum componentium, num ſit ſimplex, an compoſita, reſponde, quod eſt ſimplex ſimplicitate, ſaltem oppoſita compoſitioni ex duabus rebus, de qua loquimur, ſic non proceditur in infinitum. Quod ſi dicatur, ergo non omne eſt compoſitum ex duabus rebus, habes quid reſpondeas, & quid diſtribuat ly *omne*, &c.

Scoti ratio à Caiet. ſoluta.

Et quia in intelligentijs ponitur potentia, &c.

Circa vltimam partem, vbi legimus, quod ſuppoſita potentia, & actu in intelligentiis facile eſt ipſarũ multitudinẽ inuenire, notabat facile Caiet. huius aſserti veritatem, quando enim inter duo extrema datur aliquod medium, quod ſit vtriuſque naturam participans, in quo adſit multiplicitas ex varia vtriuſque extremi participatione, non eſt difficile in ipſo pluralitatem inuenire, Sic cernis in coloribus pluralitatem, quoniam inter ipſos quidam magis de natura albi, quod eſt vnum extremum, quam de natura alterius extremi, quod eſt nigrum participant. Cum itaque in tota rerum vniuerſitate dentur duo penitus extrema, alterum in pleniſſimo vertice totius perfectionis, alterum in profundiſsimo centro imperfectionis, & illud ſit actus puriſsimus, ab omni potentia prorſus remotus, hoc vero ſit nuda potentia, à quouis actu, quantum eſt in ſe penitus ſecreta, & illud ſit Deus opt. max. hoc ſit materia; reliqua omnia in entis latitudine contenta, medium eſſe dicuntur inter hæc duo extrema, quoniam nimirum de vtroque participant, in omnibus enim citra Deum, & materiam primam adeſt actus, & potentia.

Extrema in rerum vniuerſitate.

Cumque neminem fugiat, actum eſse nobiliorem potentia, cum medium comparatione ad extrema denominationem hanc ſubeat, (nam eatenus dicitur mediũ, quatenus inter extrema mediat,) illud fiet, vt quo magis quid proximum erit actui, & Deo, eo amplioris erit perfectionis, quo vero quid magis accedet alteri extremo, potentiæ ſcilicet, & materiæ, vel potius quo magis recedet ab actu puro, erit humilioris ſortis; Neque eſt vt dicatur, id quod magis accedit actui, eo magis elongari à potentia, id enim vt veriſſimum ita & ma-

& manifeſtiſſimum eſt, cum enim actus, & potentia ſint, vt dicebatur extrema, nulli dubium eſſe poteſt, quod ſi quid magis accedat ad vnum, magis elongetur ab alio, cum eatenus accedat ad hoc, quatenus recedit ab illo, & niſi ab illo recederet, ad hoc non accederet, hi namque acceſſus, & receſſus mutuo ſe inferunt, vt cauſa tamen, & effectus, velut ſexta parte literæ ad caput ſequens explanabo.

At perfacile obſerua, quod nomine *medij* inter hæc duo extrema non accipitur aliquid vnum numero, ceu vnum numero poſitiue eſt actus purus, & vnum numero negatiue eſt pura potentia, tunc enim tria ſolum entia eſſent in rerum vniuerſitate, & vana redderetur doctrina de variatione entium, ex maiori, & minori acceſſu ad hoc, vel illud extremum, ſed accipitur aliquid vnum analogice, & valde analogice, omne videlicet illud, quod neque eſt actus omnino purus, neque potentia penitus pura, ſed admixtionem habens actus, & potentiæ; Sic Ariſtoteles vocabat primo de Cœlo 91. nomine vnius medium illud, quod erat inter cœlum, & terram, quod poſtea diuidebat in ignem, aerem, & aquam, & illud etiam, quod leuitatem haberet permixtam grauitati, hoc enim mediare dicitur inter ignem, & terram, cum ſolus ignis dicatur omnino leuis, & terra penitus grauis, reliqua vero omnia, & grauitatem, & leuitatem habeant, ex quarto eiuſdem 29. &c.

Quid nominis medij in præſenti.

Ariſtotel.

Datur itaque naturarũ varietas iuxta variam ad alterum extremum appropinquationem, & nobilitas ex vicinitate ad actum, ignobilitas ex elongatione ab eodem; Hinc quædam naturæ ob ſummam, quam ad actum primum habuerunt approximationem, tantum actualitatis, ac ſubinde perfectionis obtinuerunt, vt ex ſeipſis ſubſiſtant, & nullatenus in materia recipiantur, cum ab ea plurimum diſtent, quas naturas vocamus intelligentias, ſed quoniam iam innotuit, in ipſis dari actum, & potentiam, iccirco latitudo in eiſdem erit, ita vt non omnes vniformi potiantur actualitatis gradu, cum quædam magis, & quædam minus propinquæ ſint nobili extremo, & ea inuenitur latitudo, vt vna ipſarum vltimam inter eas ſedem tenens, anima profecto intellectiua adeo vili extremo adhæreat, vt extremum ipſum informet, & ipſamet materia ad eſſe ſuum trahatur.

Intelligentiarum latitudo.

Cumque in ipſa anima terminetur ſeries intelligentiarum, hoc eſt, ſubſtantiarum quæ intelligunt, nil vltra de earum multitudine foret dicendum, quoniam tamen & formæ reliquæ materiales continentur in genere valde remoto intelligentiarum, quoniam ſcilicet & ipſæ denique ſunt, ac dicuntur formæ, eapropter de harum formarum latitudine, nonnihil diſſeritur in litera, dicendo, quod quoniam hæ magis accedunt ad materiam, quam faciant intelligentiæ, & anima noſtra, ideo imperfectæ valde ſunt, ita vt nedum non poſſint ſeipſis abſque materia ſubſiſtere, vt intelligentiæ, nedum vniantur materiæ, vt anima, ſed & in eſſe à materia dependeant, inter quas adhuc datur gradus perfectionis, & imperfectionis, ex maiori nimirum propinquitate ad materiam, & potentiam, quod manifeſtatur à poſteriori, & ab effectu, ex variis nimirum formarum operationibus, facit enim operatio innoteſcere formam, quamuis ab illa dependeat, (non enim quia hæc forma hanc habet operationem, eſt hæc forma, ſed e contra,) ſit elementorum formas, formarum omnium ad potentiam maxime propinquas, nullius operationis principia intuemur, niſi per qualitates materiales, & contrarietates primas, actiuas ſcilicet, & paſſiuas.

Earundem terminus.

Materialiũ formarũ gradus.

Eeee Sed

Difficultas. Sed dicet Auctoris diſcipulus, an non in via noſtra vnaquæque forma immediate vnitur materiæ nudæ, & æquo modo, & anima quoque intellectiua, quoniam in aduentu poſterioris formæ corrumpuntur præcedentes, & ſic forma omnis immediate vnitur materiæ primæ, quomodo igitur ſtat hæc maior, & minor approximatio ad ipſam materiam? Reſponde ex doctrina Caiet. p. p. quæſt. 76. art. 4. ad tertium, fundata in verbis Auctoris ibidem, quod formam eſſe materiæ primæ, vel nudæ propinquam, dupliciter intelligi poteſt, primo quo ad vnionem, & ſic omnis forma ſubſtantialis eodem modo eſt propinqua materiæ, nam in ea immediate recipitur, vt bene dicit argumentum, ſecundo quo ad perfectionem gradualem, & ſic non omnis forma eſt æque propinqua primæ materiæ; iuxta primam immediationem non attenditur perfectio, vel imperfectio formarum, & de hac non eſt ſermo in præſenti, iuxta ſecundam attenditur, quoniam quo forma hoc modo propinquior, eo imperfectior, dicitur autem propinquior forma materiæ hoc modo, quæ primum tantum gradum perfectionis donat, puta eſſe, & minimas operationes, & ſic deinde remotior, quæ plures perfectiones, ac operationes confert, & ſic aſcendẽdo, & de hac appropinquatione loquitur hæc litera, vt patet, hæc enim ex vario operationum genere manifeſtatur; At de hac varia, & æqua formarum ad materiam vnione redibit ſermo capite vltimo libri, quæſtione ſecunda, &c.

Solutur cum D. Thoma, & Caietano.

Cæterum, ſi optes videre multiplicem inter formas latitudinem, à formis elementorum incipiendo, & ad intelligibiles aſcendendo, mediis formis plantarum, mixtorum, & animalium, lege Auctorem 2. cont. Gent. 68. & opuſculo 42. de pluralitate formarum inſcripto, negotium hoc clare, & eleganter abſoluentem.

D. Thom.

Verumtamen licet quæ diximus, & veritatis, & facilitatis plena appareant, duæ tamen circa ipſa mihi videntur ſuboriri poſſe non contemnendæ difficultates, & altera eſt circa totum proceſſum literæ de maiori, & minori perfectione intelligentiarum, iuxta maiorem, & minorem primo enti propinquitatem, hoc enim veritatem poſſe ſortiri quis dubitabit, ſi ſupponatur id quod Fides, ac vera Philoſophia docet Deum nimirum, & primum actum eſſe infinitum, omne vero aliud ab ipſo finitum, tunc enim arguo ſic: Nulla eſt proportio cuiuſuis intelligentiæ, & entis creati ad Deum, ergo omnia æque diſtant ab ipſo, igitur non datur maior, & minor approximatio primo enti, igitur aufertur gradus perfectionis in entibus, & inter intelligentias, igitur perit totus præhabitus diſcurſus, aſſumptum patet, quoniam finiti ad infinitum nulla eſt proportio, ex octauo Phyſicor. 15. & primo de Cœlo 52. & 64. prior conſecutio eſt clara, quoniam ſi omnia ſunt in nulla proportione, ergo æque diſtant, cum nec in infinito, nec in nullo dentur gradus, ſecunda conſequentia liquet, quoniam ex varia diſtantia, variam diximus ſum perfectionem, vltima manifeſta eſt.

Prior circa ea, quæ dicta ſunt dubitatio.

Ariſtotel.

Dic breui ſic: Omnes intelligentiæ, & creata entia diſtant in infinitum à Deo, ergo vnum non magis diſtat, quam aliud.

Poſterior. Arguo ſecundo, ſuppoſita latitudine inter intelligentias, peto, in quonam attendatur hæc maior, vel minor ipſarum ad actum primum, & purum approximatio, non ex eo quod aliquæ habeant compoſitionem ex materia, & forma, aliquæ vero non, hoc enim & falſum eſſet, & pugnaret cum tota huius capitis doctrina, qua præcipue docetur, eſſentia omnium intelligentiarum

eſſe immunis à materia, ergo attenditur ex compoſitione actus, & potentiæ, At contra hoc illud eſt, quod ideo habent actum, & potentiam, quoniam conſtant ex eſſentia, & eſſe, vt iam explicatum reliqui, at omnes eodem modo conſtant ex eſſentia, & eſſe. Dices, alia nobiliori frui eſſentia, alia non adeo nobili, ex maiori, & minori ad primũ actum affinitate; At illud obſtabit, quod Auctor aperire debebat, in quo ſtet maior hæc, & minor approximatio, de quo tamen nec verbum profert; Et confirmatur, quoniam declarauit in quo ſtaret elongatio maior animæ humanæ, ob ſuam ſcilicet vnionem ad materiam.

Priori difficultati obuius videtur ire Gregórius Ariminenſis 1. ſent. diſt. 43. quæſtione 3. art. 3. dicens, rerum creatarum perfectionem non deſumi penes approximationem ad ſummum, quando ſummum illud fuerit infinite perfectum, ſed ex maiori, & minori participatione, quæ ab illo ſummo deriuatur, ſic dabit, aliquid eſſe magis, vel minus calidum, ex maiori, & minori acceſſu ad ignem, qui eſt in ſummo caliditatis, quoniam ignis non eſt infinite calidus, at quoniam Deus eſt infinite perfectus, iccirco ex vario acceſſu, vel receſſu ab ipſo, dicit non fore attendendam rerum creatarum perfectionem. *Quomodo Gregorius Ariminenſis occurrat priori dubitationi.*

Sed hæc reſponſio voluntaria dignoſcitur, cum enim in omnibus videamus nobilitatem, & perfectionem attendi penes maiorem eorum approximationes ad primum ſuorum generum, (ſic dicebat Ariſtoteles in prædicamentis cap. de ſubſtantia, ſpeciem eſſe magis ſubſtantiã, quam genus, quoniã propior erat ſubſtantiæ primæ,) cur eximitur regula hæc à rebus creatis in ordine ad primam cauſam? An non docebat idem Philoſophus decimo Diuinorum 7. in omni genere adeſſe vnum primum, quod eſt metrum, & menſura omnium in illo genere exiſtentium? Cur itaque non debeat primum ens eſſe menſura omnium entium, vt ex maiori ad ipſum propinquitate, maior ſpectetur eorum dignitas? An non legimus ſecundo eorundem 4. id quod maxime tale eſt, aliorum eſſe cauſam, & primam entitatem, & veritatem eſſe cauſam omnis veritatis, & entitatis? Sed adeſt eiuſdem Ariſtotelis teſtimonium 2. Cœli 66. non admittens reſponſionem, eo melius videlicet ſemper illud eſſe, quo fuerit optimo propinquius, nullus autem ignorat, Deum eſſe omnium entium optimum, hinc quæ ei magis propinqua erunt, perfectiora conſpicientur, & cum Deus ſit omnium finis, vnumquodque erit perfectius, quo ipſi erit proximius, nomine etenim optimi accepit ibi Ariſtoteles finẽ, & rei cuiuſque complementũ; Præterea, illa ſua maior, & minor participatio, quam ponit à ſummo deriuari, quid aliud eſt, niſi maior, & minor ſimilitudo, & propinquitas ipſi ſummo? Denique quicquid ſit de hac ſolutione, quam à ratione, à communi vſu loquendi, & ab Ariſtotele diſſentaneam credo, Auctoris alumnus eam nequit amplexari, quoniam expreſſe hoc loco inquit, intelligentiam ſuperiorem, quæ magis eſt primo propinqua, habere plus de actu, & minus de potentia, & ſubinde eſſe perfectiorem, quod & reperit cap. ſequenti parte ſexta, iuxta meam diuiſionem, vnde ex tali propinquitate deſumitur perfectio. *Non probatur* *Ariſtotel.* *D. Thom.*

Quapropter & aliud reſponſum viri ex Familia noſtra celebratiſſimi prima par. quæſt. ſeptima art. primo non apparet plene conforme Auctori, ait enim, perfectionem creaturarum attendi penes aliquid intrinſecum, per quod aſſimilantur Deo, non autem deſumi formaliter ex elongatione & diſſimilitudine ab ipſo, cum hæc ſit diſtantia infinita, quoniam ſpectatur ex eo quod creatura eſt ex nihilo, in quo non eſt magis, & minus, aſſimilatio autem *Quomodo eidem reſpondeant alij.*

non eſt infinita; quoniam conſideratur penes actum eſſendi receptum, & limitatum, quippe qui & dignior & minus dignus apparet. At vero Auctor hac parte ex appropinquatione ad primum, vult fore deſumendam in omnibus perfectionem, ſed omnia videntur æque appropinquare, quoniam omnia in infinitum diſtant, vt dicebatur in argumento; Vlterius, prima par. quæſt. 55. art. 3, & ibidem pergrauis hic Doctor expreſſe docet, quod ex hoc ſunt in rebus aliqua ſuperiora, quod ſunt vni primo quod eſt Deus propinquiora, & ſimiliora, ex quo fundamento colligit, ſuperiores angelos per pauciores, ac vniuerſaliores ſpecies intelligere. Accedit, quod non capit intellectus, aliquid eſſe propinquis Deo, & non minus ab illo diſtare, quare ſi ex nobiliori eſſe recepto aliquid eſt ſimilius Deo, & propinquius, igitur minus diſtat, Rurſus, quid aliud eſt nobiliorem eſſentiam obtinere, & digniori eſſe potiri, quam eſſe propinquius nobiliſſimæ eſſentiæ, & digniſſimo eſſe? Demum, rationes factæ contra ſuperiorem ſolutionem, æque militant aduerſus iſtam.

Impugnantur.

Quomodo Zimara.

Marcus Antonius Zimara in fine Theorematis 13. reſponſum ferè theologicum huic argumento dedit, quod nimirum licet perfectio Dei ſit formaliter infinita, vt tamen eſt participabilis, & imitabilis à creatura, non eſt infinita, quoniam non eſt vlla creatura, quæ perfectionem infinitam vt ſic poſſit participare; Deus autem ſub ea ratione eſt menſura creaturarum, prout ab eis eſt participabilis, & vt ſic poteſt habere rationem menſuræ omnia metientis penes acceſſum, & receſſum ab ipſo, cum non omnia in ſimili gradu entitatis, & perfectionis diuinam entitatem, & perfectionem imitentur, &c. Adeo vt meo iudicio velit dicere clariſsimus philoſophus, Deum eſſe rerum omnium menſuram, & omnium perfectionem deſumi in ordine ad ipſum; At quando arguitur, quod tunc æque omnia forent perfecta, vel imperfecta, cum æque omnia finita diſtent ab infinito, negat, quoniam Deus non eſt menſura rerum ſub formali ratione, qua infinitus eſt, at ſub ea ratione, qua ab ipſis rebus eſt participabilis, quo modo, magis, & minus valet participari, & ita quid ei eſſe vel propinquius, vel minus propinquum. Sic poſſet dici, quod vtique diſtant omnia in infinitum à Deo, ſed ſub ratione huius diſtantiæ non conſiderantur gradus perfectionis in creaturis, ſed ſub ratione plenioris, & tenuioris imitationis, quæ imitatio, quamuis habeatur ad rem infinitam, non tamen formaliter vt eſt infinita, & quoniam quo plenius quid ſubit hanc participationem, eo propinquius eſt ipſi Deo, iccirco optime ſaluatur perfectio in creaturis, iuxta approximationem, & elongationem ad primum ens, & ſit ſatis argumento cum pateat huiuſmodi imitationem, & ex conſequenti appropinquationem poſſe gradus admittere, & maiorem, ac minorem eſſe; Ita dum dicitur, finiti ad infinitum nulla eſt proportio, explica ad infinitum vt ſic, & formaliter, & ſub ratione infiniti, non autem identice, & materialiter, & ſub ratione finitatis; Et ſi hoc voluit Zimara, mihi apprime placet modus hic reſpondendi, quod ſi aliud intellexit, ſit mea hæc explicatio, in qua plene mihi complaceo; Nam & Theologi docent, ideam hominis formaliter loquendo, non eſſe ideam angeli, quamuis vna, & eadem res identice ſit idea vtriuſque, immo omnium rerum, ſaltem de mente Auctoris, volentis, & vere, diuinam eſſentiam, quatenus eſt à creaturis participabilis, eſſe ipſarum ideam, ſic homo non imitatur diuinam eſſentiam abſolute, ſed

Explicatur Zimaræ reſponſum.

Quomodo finiti ad infinitũ nulla proportio.

Probatur Zimara.

D.Thom.

ſed vt eſt ratio ipſius, & creaturæ omnes limitate, ac finite diuinam imitantur eſſentiam, quamuis ipſa ſit illimitata, & infinita; Vnde docte admodum Caiet. prima par. quæſt. 5. art. quinto dicebat, quod Deus agens poterat ſumi dupliciter, vno modo abſolute; & ſic tum ipſe, tum ſua actio eſt ſupra omnẽ modum, alio modo vt agit ſecundum hanc, vel illam ideam, & ſic actio Dei eſt ita commenſurata huic, quod non alij, & idea eſt ita propria idea huius, quod non alterius; Sic in propoſito meo dico, quod Deus abſolute ſumptus eſt infinitus, & ſupra omnem modum, ſed acceptus vt imitabilis à creaturis, eſt quodammodo finitus, hoc eſt, finite ab ipſis participatur, quippe quæ illum participabilem reſpiciunt, non abſolute, & vt eſt infinitus, nam fruſtra ſic illum reſpicerent, quoniam numquam infinite participabunt, ſed vt limitata via ab ipſis poteſt participari, ſub qua ratione ſatis clarum eſt, non conſiderari vt eſt infinitus, primo modo non eſt metrum, vel menſura creaturarum, ſed ſecundo modo, & ita variæ creaturæ illum reſpiciunt, & ei magis, vel minus accedere poſſunt, ex quo maiori, & minori acceſſu, perfectiores, & minus perfectas obtinent naturas. Caietanus.

Et quidem, cum menſura aliquem ordinem habeat ad ea, quorum eſt menſura, vnde decimo Diuinorum 4. dicitur eſſe eiuſdem generis cum menſurato; quamuis Deus non ſit in genere cum vlla re cuius eſt menſura, quoniã dictum Ariſtotelis accipitur de menſura proportionata, nõ de excedente, qualis eſt Deus, vt explicat Auctor prima par. quæſt. 3. art. 5. ad ſecundum, aliquẽ tamen ordinem debet profecto habere ad ea quorum eſt menſura, at ſi vt infinitus formaliter ſtatuatur menſura rerum finitarum, qualis erit hic ordo? quæ habitudo? Ariſtotel. D.Thom.

Et ex hac diſtinctione de infinito ſub materiali, & ſub formali ratione, quod creata omnia reſpiciunt, ruit obiectio, quam contra hanc viam adfert Aquarius prope finem dilucidationis quartæ ad duodecimũ Diuinorum, licet enim omnia æqualiter diſtent ab entitate, & nobilitate primi motoris, non tamen iuxta hanc diſtantiam vt ſic, ſed quatenus eſt imitabilis accipitur eorum nobilitas; & ipſe à ſeipſo prorſus diſſentit, quoniam modum hunc dicendi omnino amplexatus eſt ad finem prope dilucidationis primæ decimi eorundem. Aquarij obiectio tollitur.

Quod docui, voluit forſan & Caiet. quæſtione illa nobili de infinitate Dei, quando reſpondens argumento quarto principali dicebat, duplex eſſe infinitũ, vel ſcilicet ex omni parte, vel ex altera tantum; hoc eſt, diſtantia ab aliquo infinito poteſt eſſe, vel ex parte vtriuſque extremi, & illius ſcilicet, quod diſtat, & à quo diſtat, vel ex parte alterius termini tantum, ſic in propoſito, diſtantia eſt infinita ex parte alterius termini tantum, Dei ſcilicet, non autem ex parte creaturæ, vnde inquit, aliquid in his diſtantijs magis quam aliud diſtare, quoniam ex parte infiniti habetur diſtantia infinita omnium finitorum ab ipſo, at ex parte eorundem finitorum ſumitur maior, & minor diſtantia; Sic ex parte Dei habetur ratio infinitæ diſtantiæ, ex parte vero creaturæ finita ſit ratio illa diſtantiæ, vnde apparet, & Caiet. velle non ſpectari maiorem, vel minorem diſtantiam ex parte Dei, quatenus eſt infinitus, ſed ex parte rerum creatarum, quatenus ſcilicet magis, & minus participant ipſum Deum, & cum omnes participẽt finite, finitas hæc poteſt intendi, & remitti; Et quidem Aquarius vtroque memorato loco hanc Caiet. doctrinam acceptat, neſcio autem an ita, vt ego Caietanum acceperit. Caietanus.

Denique ex Auctore prima par. quæſt. 12. art. primo ad quartũ, videtur elici

poſſe

Alius modus dicendi ex D. Thoma ad eãdem difficultatem.

poſſe accommodata reſponſio propoſitæ difficultati, quam certe ſatis arduam ſemper iudicaui, ait enim, quod creaturæ ad Deum non eſt proportio certæ habitudinis, vt eſt inter duas quantitates, (quam proportionem, mathematicam appellabat vir eruditiſſimus noſtræ Familiæ, & noſtri temporis exponens præſatum art. in Bononienſi Gymnaſio,) ſed eſt proportio dicens habitudinem effectus ad cauſam, (quæ phyſica ab eodem nuncupabatur,) & potentiæ ad actum, (quam metaphyſicam idem Doctor nominabat,) ſic iuxta hanc proportionem videtur dicere Auctor, non diſtare creatum intellectum à Deo in infinitũ, aliâs non eſſet ibi ſolutum argumentum, petebat enim eandem difficultatem in qua verſamur, vt ſcilicet nequeat intellectus creatus videre Deum, quoniã cognoſcentis ad cognitum aliqua debet eſſe proportio, qualis nõ eſt intellectus creati ad Deum, quoniam inter hos eſt infinita diſtantia, & ex illa duplici, aut triplici habitudine confutatur argumentum, concedendo de priori habitudine, negando de poſterioribus, & tamen conſtat, quod intellectus, vt eſt effectus Dei, vt quædam potentia, diſtat adhuc in infinitum à Deo, licet etiam quouis

Durandus.

gloriæ lumine polleat, vt arguebat Durandus quarto Sent. diſt. 49. quæſt. 2. ſectiuncula 22. docemus tamen eſſe aliquam proportionem, quoniam nimirum non conſideratur intellectus in ordine ad Deum, vt eſt ens, & vt formaliter eſt infinitus, ſed vt eſt obiectum potentiæ intellectiuæ, ab ipſa anima finite attingibile, & varie participabile.

Eiuſdem dubitationis difficultas rei Theologicæ applicata.

Vide quam apparens appareat argumentum, nam poteſt quis dicere hunc in modum; Intellectus quiſque beati, etiam Chriſti Redemptoris diſtat in infinitum à Deo viſo, & omnes alij intellectus pari diſtantia diſtant, ergo nulla eſt differentia inter beatos, patet illatio, quoniam omnes æque in infinitum diſtãt, quod tamen eſt contra auctoritatem ſacræ ſcripturæ, & determinationem

Concilij Florent.

Concilij Florentini, in literis vnionis Eugenij quarti verſus finem, vbi euidenter ſatis legimus imparia merita beatis in patria reſpondere; & pro meritorum diuerſitate, alium alio perfectius Deum videre, vt patet apud Scholaſticos doctores in quarto diſtinct. illa 49. & apud eos, qui ſuper primam par. Auctoris ſcripſerunt art. ſexto quæſt. 12. Quare argumento danda eſt ea reſponſio, quam dudum intendimus docere, ſaluari videlicet hanc varietatem

[illegible]

diſtantiæ creaturarum relatione ad Deum, non quatenus infinitus eſt vt ſic, ſed quatenus ab ipſis creaturis eſt imitabilis, & participabilis, quæ participatio, & imitatio, vtpote finita patitur infinitam dixerim varietatem, ac multiplicitatem.

Epilogus ferè dictorum.

Et vno verbo, quæ omnia dixi fortaſſe colligam, ſi dixero, omnes creaturas vt entia ſunt, diſtare in infinitum ab actu puro, & primo, at non ferè vt talia entia, non quia etiam vt talia entia non ſint adhuc à Deo in infinitum elongata, ſed quoniam dum dico *talia*, exprimo hunc, & illum modum, quo, & quibus imitantur, & participant Deum, qui modi, quoniam finiti, ideo varietatem vt dicebam patiuntur; Et tu qui mea hæc legis noli ſpernere, niſi meliora pro argumenti confutatione habeas, quæ vbi in medium attuleris, ex animo audiam.

Ad poſteriorẽ dubitationẽ.

Ad ſecundã difficultatem reſpondeo, bene inter arguendũ dici, quod nõ ſpectatur maior hæc approximatio in intelligentijs, ex eo quod in aliquibus ſit cõpoſitio materiæ, & formæ, quæ in alijs non ſit, vt efficaciter concludebatur, neque in compoſitione varia vt ſic eſſe, & eſſentiæ, quoniam tandem omnes in hac compoſitione conueniunt, ſed attenditur ex maiori, vel minori perfectione, adeo quod dum dicitur in litera, intelligentiam primo propinquiorem ha-

bere

bere plus de actu,& minus de potentia, nomine actus, nomine potentiæ, nihil aliud accipio, quam perfectum & imperfectum, actum namque præſtantiorem potentia docet,& probat Ariſtoteles nono Diuinorum 19. & vnumquodque Ariſtotel. catenus perfectum eſſe, quatenus eſt in actu, at vt in potentia numquam eſſe perfectum, cuique pro cõperto eſt; Quod vero nomine actus acceperit Auctor perfectionem, colligitur expreſſe ex eodem cap. ſequenti, vbi loquens de intelligentijs, ait eas differre ab inuicem in gradu perfectionis, ſecundum receſſum à potentialitate,& acceſſum ad actum purum, quare quod hoc loco ait, intelligentias propinquiores, ibi dicit perfectiores, quoniam certe ideo ſunt perfectiores, quoniam magis accedunt ad id, quod eſt perfectiſſimum, vt & ibi aliqua via adhuc declarabitur.

Quod ſi quis vellet dicere, ex eo capite poſſe aſſignari actum vere,& potentiam diuerſimode in intelligentijs, quoniam cum ſuperior ſit perfectior, ſe habebit vt actus comparatione ad inferiorẽ, & hæc erit in potentia ad perfectiones, quæ ſunt in illa, meminiſſe hic debet, eiuſmodi potentiam eſſe potius negatiui, quam priuatiui, nam intelligentia inferior nullo eſt priuata, quod ad ſui optimam conſtitutionem requiratur; Accedit, hanc potentiam non realẽ, ſed logicam eſſe, non enim apud philoſophos datur receptio nouarum perfectionum in dies in ipſis intelligentijs; Et licet apud theologos,& veritatem ſuperiores intelligentiæ illuminent inferiores, vt quæſtione vltima capite ſuperiori contra Zabarellam dicebam; nouit attamen prudens theologus, accidentales eſſe has perfectiones,& has potentias, actus accidentales reſpicere; Nos vero dum pronunciamus dari latitudinem in intelligentijs, ex varia ad primam approximatione, loquimur de actu, & potentia ſubſtantiali, de nobiliori ſcilicet, ac ſecundum ſe perfectiori natura. Quidam dicẽdi modus. Non placet.

Dicamus ergo, intelligẽtias ſuperiores plus habere de actu, hoc eſt, eſſe perfectiores; quã plane multiplicem perfectionem, ad quattuor capita digreſſione longa redigebat Aegidius Romanus quæſt. 8. de cognitione Angelorum, dicendo, intelligentias ſuperiores magis primo diſtare à ſenſibilibus, magis ſecũdo appropinquare Deo, obtinere tertio eſſentiam ſimpliciorem,& quarto lumen magis clarum poſſidere, ex quibus deinceps, vniuerſaliores, ac pauciores ſpecies in eiſdem locabat. Aegidius.

In litera vero minime habita eſt mentio de eo, in quo conſtituta eſſet varietas hæc actualitatis,& perfectionis, quoniam ſubſtãtiarum illarum eſſentiæ nos latent, vt eodem loco ſequentis capitis habetur, (parte videlicet quinta,& ſexta,) atque earum differentiæ, quas tamen differentias in ipſis, ibi dicitur ſumi ex varia earum perfectione, & quæſtione illius cap. quarta videbimus, quam exilem de entibus his abſtractis teneamus notitiam: Meminit autem de anima intellectiua, & eius elongationem à puro actu manifeſtauit, quoniam hæc nobis non erat obſcura, cum longo interuallo diſtet eius actualitas, & ſubſiſtentia, à ſubſiſtentia, & actualitate intelligentiarum, &c.

Circa eandem partem, dum legimus, quod fieri non poſſet, vt inueniretur multitudo intelligentiarum, ſi nulla potentia in eis eſſet, notabat Caiet. veriſſimum eſſe hoc dictum, non enim poteſt latitudo in illo inueniri, quod actu,& Caietanus. potentia caret, nam ſi aliqua ſint extrema, profecto nequeunt in ſe admittere latudinem, ſic enim eſſent,& non eſſent vltima, eſſent, quoniam adeſt latitudo, & ex conſequenti magis,& minus, atque ideo non vltima, quapropter media opus eſt, vt adſint, quæ ſane vtriuſque extremi naturam participent, & ſic lati-

tudo

tudo in eis appareat, quatenus varie à medijs participantur extrema.

Iam autem diximus, extrema hæc, de quibus nunc eſt ſermo, eſſe actum, & potentiam; Cum autem ipſas intelligentias, quoniam intellectuales, actum habere conſtet, non cognoſceremus, quod alterum extremum in eis eſſet, potentia videlicet, niſi in anima noſtra potentiam cerneremus; Ideo Auerr. refertur in litera, qui tertio de Anima com. 5. dixit, ſi natura intellectus poſſibilis eſſet ignorata, non poſſemus in ſubſtantijs ſeparatis inuenire multitudinẽ. Vnde breuiſſime ſic dicere potes, non eſſet multitudo in abſtractis, niſi conſtarent ex actu, & potentia, non ſciremus in illis adeſſe potentiam, niſi ſciretur natura poſſibilis intellectus, ergo ignorata natura huius intellectus, neſciremus in ipſis multitudinem, &c.

Auerroes.

Sed contra hanc Auctoris, & Commentatoris doctrinam moueo tres dubitationes, quarum duas priores habes hoc in loco à Caiet. alteram explicite, alteram implicite; Et prima ſit hæc; Tota ratio, qua mouentur hi auctores celebratiſſimi, vt aſſerant, ignorato intellectu poſſibili, nos nulla via poſſe ſcire multitudinem in abſtractis eſt, quoniam intellectus poſſibilis eſt potentia, & ſic venimus in cognitionem, quod potentia ſit in ipſis, at hæc ratio nulla apparet, ergo &c. probatur minor, quoniam naturas ſenſibiles intuemur omnes permixtas ex actu, & potentia, quare ex hac potentia in eis reperta valebimus colligere & potentiam in abſtractis, & ita non apparet neceſſaria notitia intellectus poſſibilis, non enim eſt maior ratio, cur potentia huius faciat nos cognoſcere potentiam abſtractorum, & id non efficiat potentia rerum harum ſenſibilium, cum potiſſimum ex effectibus veniamus in cognitionem cauſarum, & ex ſenſibilibus noſtra quæuis cognitio ducat originem.

Prior difficultas.

Secundo, Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 43. & 48. collegit multitudinem, ac pluralitatem intelligentiarum ex pluralitate orbium, nam vnicuique tribuit intelligentiam motricem, & nullam ibi mentionem habet de actu, & potentia, ex quo nedum non videtur neceſſaria potentia intellectus poſſibilis ad hanc multitudinem colligendam, ſed neque vlla abſolute potentia, quæcunque illa fuerit, &c.

Secunda. Ariſtotel.

Tertio dubito ipſe, Aut potentia illa, quæ inuenitur in intellectu poſſibili, inuenitur etiam in intelligentijs, aut non, primum nõ eſt dicendum, tunc enim anima foret intelligentia vere, ac proprie, cuius oppoſitum docui, & quæſtione vltima ad præcedens, & ſub initio obſeruationum ad præſens caput, & præterea, non traderet de ea peculiariter Auctor hac in parte, quod in tantum efficitur materialibus rebus propinqua, vt res materialis trahatur ad ſui eſſe participationem, iam enim hoc omnibus intelligentijs conueniret, ac demum intelligentiæ eſſent puræ potentiæ in genere intelligibili, quæ omnia perabſurda ſunt, ergo ſecundum, quomodo ergo ex potentia poſſibilis intellectus venimus in cognitionem potentiæ, quæ locum habet in intelligentijs?

Tertia.

Ioannes Iandunus quæſt. nona ſuper tertium de Anima, vbi nonnulla huic negotio accommodata addnxit, duo dicit, primum eſt, quod ſi non eſſet poſſibilis intellectus, non eſſet multitudo in ſubſtantiis ſeparatis; hoc probat, quoniam ſubſtantiæ abſtractæ nequeunt eſſe multæ, & diuerſæ ſecundum ſpeciem, niſi inter ipſas vna poſſet eſſe perfectior altera, nam quæ ſunt eadem ſpecie, ſunt eadem in perfectione, ſubſumit, quod vna earum non poſſet eſſe perfectior altera, niſi eſſet inter eas aliqua, quæ eſſet minime perfecta, cũ nequeat in vllo genere eſſe aliquid perfectius, niſi in ordine ad aliquod perfectiſſimum,

Primum dictũ Ianduni.

neque-

neque quid imperfectius, niſi in ordine ad imperfectiſſimum, poſſibilis autem intellectus eſt minima,& imperfectiſſima ſubſtantiarum ſeparatarum,ergo non poſſent intelligentiæ eſſe multæ, ſi non eſſet intellectus poſſibilis, quoniam nequeunt eſſe multæ,niſi ſecundum diuerſitatem ſpecificam.

Secundum.

Secundũ,quod profert eſt, hãc multitudinẽ non poſſe perfecte intelligi abſque cognitione eiuſdẽ intellectus poſſibilis,quod probat eadẽ via,nequit enim multitudo hæc exacte in eis intelligi,niſi cognoſcatur vna eſſe minus,ac magis nobilis,quam alia,non poteſt autem hoc ſciri,niſi ſciatur adeſſe in eis aliquã minime perfecta, quæ vtique eſt intellectus poſſibilis; & ſubdit grauis philoſophus inter Auerroiſtas ferme princeps, quod in hac declarationis ordinatione gaudebat eius animus cum laude Dei,quoniam à nullo doctore extrinſeco exiſtente, nec ſonante, nec ſcriptura eam ſuſcepit, ſed à vero doctore, qui mentem illuminat,& veritatem oſtendit, & ait,quod ſi hæc declaratio non ſit completa, erit alijs principium perſcrutandi.

Audi Iandunum.

Diſcurſus Sueſſani.

Sueſſanus Collectaneis ad quintũ tertij de Anima triplici via oſtendit,quomodo dictum hoc ſit verum,& prior eſt, quoniam niſi cognoſceremus hoc genus hic,intellectum ſcilicet poſſibilem, non ſciremus infimum in abſtractis, & ſi non infimum, neque maximum,& quando neutrum horũ,neque media, &c. ſecundo,quoniam ſi neſciremus hoc genus animæ, non ſciremus compoſitionem in ſeparatis, quare non ſciremus eas differre ſpecie, aut numero, & ſic ignoraretur multitudo,tertio,& vltimo,quoniam dum neſcitur de aliquo indiuiduo alicuius ſpeciei analogæ,vel vniuocæ, ignoratur de quolibet illius,at intellectus poſſibilis eſt eiuſdem ſpeciei, ſaltem analogicæ cum intelligentijs, quare ſi in ipſo non ſciremus compoſitionem, neque in alijs ſuæ ſpeciei,&c.

Contra primũ dictum Ianduni.

Primum dictum Ianduni nullam veritatem,ſed omnem falſitatem continet, quid enim falſius, quam dicere, ab intellectu poſſibili ita in eſſe pendere ſubſtantias abſtractas, quod ſi auferretur, & non eſſet ille, auferrentur, & non eſſent iſtæ? An non ſunt entia omnino æterna, & penitus,ac ſimpliciter neceſſaria, potiſſimum apud philoſophos, à nullo alio dependentia,quam à primo ente?Quomodo igitur ita pendent ab intellectu poſſibili,vt hoc ſublato,tollerentur ipſæ? An non docet ipſe ibidem, quod multitudo ſubſtantiarum ſeparatarum eſt quodammodo cauſa finalis intellectus poſſibilis, gratia cuius aliquo modo eſt ipſe intellectus poſſibilis? Quomodo igitur tantopere ab ipſo intellectu poſſunt pendere? Neque poteſt quis dicere, hunc intellectum eſſe cauſam materialem ſeparatorum entium,neque enim quis imaginabitur,quomodo vel diſponat ad eſſe eorum, vel ſit ipſorum pars, vel quid aliud, quod ſpectet ad cauſæ materialis conditiones.

Auerroes.

Sed neque Auerr.hoc voluit,nam antequam proferat, quod intellectu poſſibili ignorato, non poſſemus intelligere multitudinem in abſtractis, dixerat, quod in omni intelligentia abſtracta, quæ intelligit aliud, neceſſe eſt, quod ſit aliquid ſimile formæ, & aliquid ſimile materiæ, & mox ſubdit, ſi hoc non eſſet, non eſſet multitudo in formis abſtractis, vnde non ait, ſi non eſſet intellectus poſſibilis,ſed ſi in ipſis non eſſet quid ſimile formæ,& quid ſimile materiæ, hoc eſt, actus, & potentia, quod veriſſimum eſt.

Denique,cum valde elongata ſit natura poſſibilis intellectus à natura illarũ mentium,adeo vt non niſi voce communi valde poſſit vocari intelligentia, & ſub earum ſerie quàm remotiſſime contineri, fictitia prorſus eſt tanta earum ab ipſo dependentia. Neque eſt, cur quis dicat, Iandunum non accepiſſe pri-

mum illud dictũ ſuũ de vero eſſe reali, ſed de aliquo alio, puta cognito, nã clare diſtinxit eſſe contra cognoſci, & primo hoc dicto protulit dependentiã quo ad eſſe, eáque probare conatus eſt; In ſecũdo autẽ de cognitione locutus eſt; Motiuum vero ſuũ nihil concludit, quandoquidẽ concedo, nõ poſſe in intelligẽtijs adeſſe multitudinẽ, niſi aliqua earũ ſit minime perfecta; at quando dicitur, hæc intelligentia imperfectiſsima, vel infima, eſſe intellectus poſſibilis, ſeu anima, dico primo, quod reuera ita eſt, nomine intelligentiæ appellando ſubſtantiam quamcumque intelligentem, attamen ſi non foret hæc intelligentia, non ob id ſequitur, quod non eſſent illæ, quoniam tunc infima, & imperfectiſsima eſſet vltima in vero genere ipſarum, nam illa elongatior alijs eſſet ab actu puro, & primo, ceu de facto eſt; Dico deinde, quod abſque intellectu poſſibili datur, & vltima, & infima inter intelligentias, longius ab actu illo primo recedens, quam recedant aliæ, & in rigore loquentibus, non eſt locandus intellectus poſſibilis in ſerie intelligentiarum, quoniam multa tribuuntur intelligentijs, quæ nequeunt vere, ac proprie enunciari de poſſibili intellectu, & e contra; & iam Theologi omnes, intelligentiarum, & mentium ſubſiſtentium claſſes varias in Angelis terminant, quos, vltimas, & infimas intelligentias dicunt, animam humanam ab intelligentijs omnibus condiuidentes. Et vide ſi placet Albertum magnum prima parte ſummæ de quattuor Coæuis, quæſt. prima de natura angelica ar. 24. & 25. varias differentias docte adducentem, tum ex Philoſophia, tum ex Theologia inter naturam intelligentiarum, & animæ, vbi cap. 24. inquit, animam, & angelum non habere conuenientiam propinquam, tamquam ea, quæ ſunt eiuſdem generis, ſed remotam; & Auctor 1. par. q. 75. ar. 7. definit, non eſſe vnius ſpeciei angelũ, & animã, quamuis conueniant in intellectualitate, quoniam hæc indeterminata eſt, & cõmunis ad multos intellectualitatis gradus, velut ſenſibile ad multos gradus in eſſe ſenſibili, vt ibi ad ſecundũ docet.

Soluitur Ianduni ratio. *Alb. magn.* *D. Thom.*

Sed & cum eo loquentes, qui auctor eſt argumenti, & omnino philoſophum in hoc agens, nonne collegit Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 44. numerum intelligentiarum ex numero orbium, vt ſecundo argumento dicebatur, & earundem nobilitatem, ex ſphærarum graduatione tradebat, nulla mentione habita de noſtro intellectu? Vnde certe vltimam, & minus perfectam intelligentiam, eam eſſe voluit, quæ vltimum orbem mouet.

Ariſtotel.

Hoc igitur admiſſo, quod ſi debeat eſſe multitudo in intelligentijs, oporteat poſtremam, & infimam adeſſe, nulla poſtea eſt hæc conſecutio, ergo hæc poſtrema eſt intellectus poſſibilis. Rurſus falſum eſt, quod non poſsit eſſe quid imperfectius, niſi in ordine ad imperfectiſsimum, quoniam imperfecta, & deficientia non menſurantur ex acceſſu ad aliquid imperfectum, ſed ex receſſu à perfecto, vt dicam ſexta parte literæ cap. ſequentis.

Neque confugiat quis dicens, nos non cognoſcere intelligentias, niſi agnoſcatur natura intellectus poſſibilis, hoc enim nihil modo ad rem facit, vbi primum Ianduni dictum examinatur, ac reijcitur, in quo non de cognitione, ſed de eſſe intelligentiarum loquitur, &c.

Secundum eius dictum mihi placet, & eo gratius eſt, quoniam ſemper dum ait, & probat, nos non poſſe cognoſcere multitudinem in intelligentijs, niſi agnoſcatur natura poſſibilis intellectus, loquitur ſemper de perfecta, & completa notitia. Quapropter & verba Auerrois, quæ examinamus, & quæ in litera allata ſunt, ipſe ſic accipio, vt intelligantur de cognitione omnino perfecta, & numeris omnibus abſoluta, addo, & nobis faciliori.

Poſterius dictum Ianduni probatur.

Vnde meam ſententiam in hoc proferens dico, quod aliud eſt loqui de hac potentia, aliud de potentia abſolute, quare ſi potentia abſolute non eſſet in intelligentijs, profecto non eſſet multitudo, & ex conſequenti, à nobis non ſciretur, at ſi hæc, & illa potentia non eſſet, nego quod non cognoſcerentur, & quod non eſſent, nam ſi ex negatione cuiuſuis potentiæ, negaretur multitudo in intelligentijs, ex negatione materiæ, quæ ſola eſt vera potentia, quam ſcimus non habere in eis locum, poſſet earum multitudo negari, quod eſt ſtultum.

Rurſus dico, quod aliud eſt, hoc non eſſe, & hoc non cognoſci, vt patet, multa enim ſunt, quorum notitiam non tenemus.

Ex his dico, quod ſi nulla potentia foret in intelligentijs, certe non eſſet in eis vt dicebam multitudo, vt iam probatum eſt; Addo, quod ſi non eſſet potentia intellectus poſsibilis, adhuc tamen in ipſis eſſet multitudo, & hoc etiam probaui; Tertio affirmo, quod ſi natura poſsibilis intellectus à nobis ignoraretur, adhuc tamen aliqua via multitudinem in ipſis agnoſceremus; Denique profero, quod ſi ignoraretur huius intellectus natura, nec perfecte, nec facile intelligentiarum multitudinem perſpectam haberemus. Mens Auctoris quibuſdam dictis cõcluſa.

Sic ò Thomiſta conſidera quid dicatur in litera; Habes enim, quod eſſet impoſsibile multitudinem in intelligentijs inuenire, ſi nulla potentia in eis eſſet, quod eſt primum dictum meum; & conſidera ly *nulla potentia*, videtur enim inſinuari, quod ſecundo dixi, & quod præmiſi, vt ſcilicet non ex negatione huius, vel illius, ſed cuiuſuis potentiæ abſolute, negetur multitudo in ipſis; Subditur deinde dictum Auerrois, quippe quod vt dicebam, vel de completa, vel de nobis facili cognitione accipio, nam certe ſublata etiam intellectus huius cognitione, cum ex veræ philoſophiæ principiis ſciamus, intelligentias omnes ſpecie ab inuicem differre, vt quarta huius capitis quæſtione videbimus, & non ſit poſſibile, vt quæ differunt ſpecie, non differant etiam in perfectione, ex differentia earum ſpecifica, perfectum, & imperfectum in ipſis cognoſceremus, ac ſubinde potentiam, & multitudinem. Quomodo Auerrois verba accipiantur.

Vel dicas cum Caiet. hoc loco, dum reſpondet ad difficultatem, quam ſecundo loco adduxi, quod intelligentiæ poſſunt conſiderari, & vt intelligentiæ, & ſub aliqua alia ratione, vt nimirum motrices orbium, vt cauſæ quorundam effectuum, &c. Licet itaque ignorata natura poſſibilis intellectus, ex aliis viis, puta motus, & aliorum effectuum ſciremus multitudinem intelligentiarum, vt cauſæ, vt motrices ſunt, non tamen vt intelligentiæ formaliter ſunt, ad hoc enim exigitur natura intellectus poſſibilis, qui eſt pura potentia in ſerie intelligibilium; Neque turberis, quod idem ſubiecto ſit intelligentia, vt intelligentia, & vt cauſa, & vt mouens orbem, ſufficit enim ratio formalis variorum prædicatorum; nam & ex his effectibus, via ſcilicet motus, gubernationis, prouidentiæ, & id genus, agnoſco Deum vnum, non tamen Deum trinum, & nihilominus idem eſt Deus vnus, & trinus. Caietanus. Varia Intelligentiarum cõſideratio.

Vel dicas tertio loco, quod Auerroes, & Auctor nolunt dicere, quod ignorata natura poſſibilis intellectus, ignoraretur multitudo in intelligentiis, ſed quod ſi cerneretur natura poſſibilis intellectus, & eũ nõ deprehenderemus eſſe ſic in pura potentia, atque ideo imperfectiſſimũ in genere intelligibilium, vel intelligentium, tunc ignoraremus in eis multitudinem, quoniam ſuppoſito quod intellectus iſte vltimum locum teneat in intellectualibus ſubſtantiis, ſi hanc potentiam in eo non cerneremus, non auderemus potentiam in intelligentiis Alium ſenſum verborũ Auerrois, & D. Th.

gentiis locare, vt pote illo multo perfectioribus, adeo vt ly *ignorare intellectũ hunc*, non dicat puram negationem, ſed contrarium ſcientiæ,& cognitioni illi, quam modo de ipſo intellectu habemus;Vel,(& in idem redit,) hæc ignoratio nó cadat ſuper eſſe,vel an eſt intellectus,ſed ſuper eius naturam, & quid eſt, ſuppoſita eiuſdem quæſtione, an eſt ; Et erit ſenſus , ſi teneremus naturam intellectus iſtius, eumque non cerneremus eſſe hoc modo in potentia, ſiue vt loquitur Auerr. eſſe hoc genus entium , vt diuidatur in aliquid ſimile formæ, & in aliquid ſimile materiæ,(ecce actum,& potentiam,) ſed intueremur actũ ſine admixtione potentiæ, non cognoſceremus multitudinem abſtractorum, quoniam multo minus poſſet in illis habere locum potentia .

Quomodo doctrina tradita de Intelligentiarum multitudine ſit accipienda.

Declarato igitur ſenſu propoſitionis Auerroicæ in litera allogatæ, supereſt obiectis in contrarium reſpondere,illud facile præmittendo,quod tota hæc doctrina de intelligentiarum multitudine ex natura poſſibilis intellectus, quo ad cognoſci pendente , accipienda eſt via naturali , & pure philoſophice , quandoquidem ex ſcripturarum reuelatione , & ex ſacris oraculis theologice earum multitudo, eademque prope innumerabilis nobis aliunde innoteſcit.

Occurritur dubio priori.

Ad primum itaque facilis eſt ſolutio,& innuitur in hac parte à Caietano,& elicitur ex Auerr.tertio de Anima 14.& ex 8. parte huius literæ, vt ſcilicet dicatur, nullatenus potentiam,quæ eſt in his materialibus, & ſenſibilibus conducere ad cognitionem potentiæ in ſimplicibus, & immaterialibus , nam dicitur æquiuoce potentia de illa ſenſibilium , & de illa intellectualium , quemadmodum,& perfectio,& receptio; nullum autem æquiuocum ducit in cognitioné alterius æquiuoci,neque enim ex cane marino vt ſic agnoſco canem cœleſtem, quare falſum inuoluit argumentum,dum dicitur,non eſſe maior ratio de potẽtia intellectus poſſibilis,& de potentia horum materialium ad intelligentiarũ multitudinem ſubindicandam, nam tandem intellectus noſter eſt in genere intelligibilium , & intellectualium,ratione cuius ex quadam analogia conuenit cum intelligentiis,quod nequit dici de rebus materialibus , &c.

Difficultas. D. Thom.

At contra facilem hanc ſolutionem,dubium non facile mihi occurrit , nam Auctor prima par.quæſt.13.ar.5.aperte docet,& probat, quod nomina,quæ dicuntur de Deo, & de creaturis,non dicuntur æquiuoce,quoniam tunc ex creaturis nihil poſſet cognoſci de Deo,neque demonſtrari,ſed æquiuocationis fallacia ſemper incideret ; Tunc arguo ſic , Maior eſt diſtantia inter creaturas, & Deum,quam inter hæc ſenſibilia, & intelligentias alias à prima, nam tandem hæc omnia continentur ſub ente creato, ſed nomina quæ dicuntur de Deo, & de creaturis, non dicuntur æquiuoce, ſed analogice , vt patet ex inducta auctoritate,ergo hoc nomen *potentia* non dicetur æquiuoce de his materialibus , &

Auerroes.

de intelligentiis ; Confirmatur,quoniam idem Auerr.comm.36.eiuſdem tertij de Anima inquit,quod hoc nomen *quidditas* non dicitur de materialibus , & de abſtractis pure vniuoce, nec pure æquiuoce,ſed multipliciter,quod eſt,analogice;Si dicatur,doctrinam adductam ex Auerroe.& Auctore pro argumenti confutatione,non intelligi,vt hoc nomen *potentia* , dicatur pure æquiuoce de materialibus, & de immaterialibus,ſed analogice, duo obſtant, alterum,quod vterque expreſſe dicit, quod æquiuoce, alterum,quod magis vrget , quoniam tunc ex potentia in his materialibus poſſemus cognoſcere potentiam in immaterialibus,velut ex nominibus analogice Deo, & creaturis communibus,quædam ex iſtis de illis agnoſcimus; vnde non erit vera propoſitio circa quam immoramur , quod ignorata natura poſſibilis intellectus , &c.

Ad hoc

Ad hoc dico, negari non poſſe, quin dentur nomina communia non pure æquiuoce, ſed ex analogia his materialibus & immaterialibus, hoc enim & auctoritas inducta, & ratio conuincit, nam tunc per hæc nomina nihil ex his ſenſibilibus poſſemus naturaliter de immaterialibus cognoſcere, & cum noſtra omnis cognitio ex his ſenſibilibus proficiſcatur, tunc nihil abſolute cognoſceretur formaliter loquendo, ex vi ſcilicet nominum æquiuoce dictorum.

Dico deinde, quod hæc propoſitio: Nomina quæ dicuntur de ſenſibilibus, & immaterialibus, dicuntur analogice, eſt indefinita, & non vniuerſalis, ſtat enim, vt quædam nomina dicantur pure æquiuoce, cuiuſmodi ſunt illa ab Auctore, & Auerroe relata, materia ſcilicet, forma, potentia, receptio, &c.

Pro quo nota, quod immaterialia, & intelligentiæ dupliciter poſſunt conſiderari, primo vt entia, vt ſubſtantiæ, vt actus, vt mouentes, & denique ſub omni conſideratione, excepta natura intellectuali vt ſic, ſecundo, vt formaliter ſunt naturæ intelligentes; primo modo nihil prohibet omnia nomina eſſe ipſis, & his ſenſibilibus analoga, ſecundo modo pure æquiuoce dicuntur; Cauſam autem huius diuerſitatis, eam imaginor, quoniam in rerum vniuerſitate duos præcipue locamus ordines, alterum ſenſibilium, alterum intelligibilium, vt colligis ex eodem Auerroe commento illo 5. illius 3. & clare habes apud Caietanum p. par. quæſt. 87. art. 1. & quæ conſequuntur ordinem ſenſibilium vt ſic, ſunt alterius penitus rationis ab iis, quæ ordinem intelligibilium vt ſic conſequuntur, ceu eſſe ex forma, & materia, recipere, pati, vt habes ab eodem Commẽtatore com. illo 14. Hinc dum res ſenſibilis fit actu per intellectum agentem intelligibilis, transferri dicitur ab ipſomet Auerr. comm. 18. eiuſdem libri de ordine in ordinem, non ponuntur autem duo ordines materialium, & immaterialium, velut ſunt entia, ſubſtantiæ, &c. nam in his vt ſic conueniunt.

Quotuplex entium immaterialium conſideratio.

Auerroes Caietanus.

Concedo igitur, quod velut ex multis nominibus, quæ communia ſunt materialibus, & immaterialibus, multa ex ſenſibilibus, ad immaterialia progrediendo cognoſcimus, ita ex potentia in illis inuenta, potentiam in his cognoſcere aliqua via poſſibile erit, at non potentiam, quæ ſequatur immaterialia, vt intelligentia ſunt; Sic poterit colligi multitudo intelligentiarum, vt entia, vt ſubſtantiæ ſunt, at non vt intelligentiæ ſunt formaliter, cum ratio potentiæ in ſenſibilibus, ſit alia prorſus à ratione potentiæ in immaterialibus, & ſint duo ordines penitus diſparati; Conſtat autem, nos loqui de potentia ſenſibilium vt ſic, & de receptione, paſſione, &c. dum dicimus, æquiuoce dici, & inueniri in abſtractis, Vnde octaua parte huius literæ dicebatur, omnia huiuſmodi, quæ ratione materiæ, (ecce in quo vt ſic diſcriminatur ordo ſenſibilium ab illo intelligibilium,) videntur conuenire ſenſibilibus, æquiuoce conueniunt ſubſtantiis intellectualibus, & corporeis. Rurſus, propoſitio Auctoris ex prima par. allegata includit in nominibus creaturarum nomina quoque intellectus, ſic nil mirum, ſi ex creatis rebus cognoſcatur Deus intelligens, & reliquæ intelligentiæ, nam in creaturarum nominibus includitur, & potiſſimum anima noſtra, & intellectus noſter, quare tunc non eſt tranſitus ab ordine ſenſibili ad immaterialem, ceu contingit, dum à ſenſibilibus vt ſic, procedıtur ad immaterialia, & intellectuales naturas vt ſic.

Diſcrimen inter potentiam ſenſibilium, & intelligibiliũ.

Ex dictis patet reſponſio ad ſecundum dubium, quoniam ex numero motuum collegit Ariſtoteles numerum intelligentiarum, vt motrices ſunt orbium, non vt formaliter intelligentiæ ſunt, vt habes hoc loco à Caiet. Vel dicas

Diluitur ſecũdum argumentum.

eas, inueſtigationem illam mouentium ſubſtantiarum in duodecimo Diuinorum, procedere præſuppoſita notitia poſſibilis intellectus, habita tertio de Anima, vnde Auer. com. illo 5. frequenter allegato dicebat, quod ſcire de anima neceſſarium eſt ad ſcientiam primæ Philoſophiæ.

Soluitur tertium.

Ad tertium dic facile, potentiam intellectus poſſibilis eſſe eiuſdem generis cum potentia intelligentiarum, eſt enim intelligibilis in potentia, vt infra genus intelligibilium contenta, & dum actu eſt intelligibilis, non transfertur de ordine in ordinem. vt dicebatur de ſenſibilibus, ſic ex illa deuenimus in cognitionem potentiæ, quæ eſt in intelligentiis, quæ vero in argumento adducuntur de iis, quæ deberent eſſe communia animæ, & intelligentijs, procedunt, ac ſi diceremus, animam eſſe eiuſdem ordinis, ac generis omnino vniuoci cum illis, quod non dicimus, quare nihil apparentiæ habent, quæ concluduntur, &c.

Ex his conſpicuum eſſe poteſt, quomodo vera, & non vera ſint, quæ Sueſſanus dicebat, nam cum non loquatur de eſſe, ſed de cognitione intelligentiarum, propius ad veritatem acceſſit, quomodo tamen etiam ad cognitionem ſit, & non ſit neceſſaria poſſibilis intellectus notitia, iam explicatum fuit.

Elucere quin etiam poteſt, quomodo verum ſit, quod in litera dicitur, res videlicet materialis trahi ad participandum eſſe animæ noſtræ, dum enim coniungitur vltimæ formæ intelligibilis claſsis, patet materia transferri de ordine in ordinem, non quidem in eo ſenſu, vt ex ſenſibili fiat intelligibilis, ſed quoniam ex ſenſibilium ordine trahitur, & eleuatur ad participandum eſſe ſubſtantiæ, quæ eſt in ſerie intelligibilium, ſic ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, iuxta celebre dictum magni Areopagitæ, nam corpus humanum, quod primam tenet ſedem in ordine ſenſibilium, qui eſt infimus, attingit infimum ſupremi, eſſe ſcilicet animæ humanæ, cui vltima eſt ſedes in ordine intelligibilium, qui eſt ſupremus, vt habes in præſenti à Caiet. & ab Auctore ſecundo cont. Gent. 68. vbi & intellectualis anima dicitur quidam orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum, cum ſit & incorporea, & corporis forma.

D. Dionyſ.
Caietanus.
D. Thom.

Circa eandem partem literæ, dum de anima intellectiua dicitur, quod ex ipſa, & corpore emergit vnum eſſe in vno compoſito, quod eſſe prout eſt animæ, non eſt dependens à corpore, multa habes hoc in loco à Caiet. & argumenta Scoti 4. ſent. diſt. 43. q. prima, vbi quærit, num reſurrectio generalis hominum ſit futura, & in quolib. quæſtione nona, vbi inquirit, num poſſit Deus facere angelum informare materiam, contra doctrinam de vno, & eodem eſſe corporis, & animæ plene, ac docte confutata, velut etiam p. p. q. 76. art. primo, quod ipſum fecit Ferrarienſis ſecundo cont. Gent. cap. illo 68. & nouiſſime Banneſius eodem loco p. p. Quare ne in re facili ſatis, & plene examinata plus iuſto immoremur, quædam aduertes, ex quibus & veritatem hac parte literæ traditam noſces, & argumenta in contrarium confutabis.

Scotus.
Ferrarien.
Bannes.

Hinc ſcias, quod cum duplex ſit eſſe, alterum ſignificans eſſentiam rei, quod dicitur ſpecificum, & quidditatiuum, in quo ſenſu dicitur definitio ſignificare eſſe rei, alterum quod actualem rei exiſtentiam deſignat, & illud eſſe, quo res eſt extra cauſas ſuas, à quo in omni re creata definitio abſtrahit, vtrumque eſſe conuenit humanæ animæ dum eſt in corpore, cum & exiſtat, & ſit pars quidditatis ſpecificæ, hoc eſt, compoſiti illius, cuius eſt forma, at vtrumque dicitur, & animæ, & compoſiti, ſed varia ratione, quoniam animæ vt formæ,

Quomodo eſſe ſpecificum, & exiſtentiæ conueniat animæ noſtræ, & quomodo ſuppoſito.

mæ, vt principij, vt partis, vt quo, compoſiti vero, vt proprij ſubiecti, vt totius, & vt quod; Sed tum eſſe ſpecificum, tum exiſtentiæ pendet ab anima, & non eſt ipſius compoſiti, niſi quatenus illud recipit ab ipſa, ad differentiam compoſitorum illorum materialium, quorum formæ ſunt materiales, & e gremio materiæ, in quo confuſe, & indiſtincte manebant, eductæ ad actum, ex vi tranſmutationis, & agentis naturalis, in quibus eſſe non ita manat à forma, vt primo, & per ſe conueniat ipſi, ſed primo conuenit compoſito ex materia, & forma, nam perfectiorem gradum tenet in materiali natura, quam teneat forma, quæ eſt eiuſdem ordinis.

Hinc cum vtrumque eſſe pendeat ab anima humana, & primo illi, quam compoſito conueniat, (prius enimuero prioritate naturæ anima intellectiua creatur, quam corpori vniatur, & eadem prioritate eſt prius terminus creationis, quam generationis, vnde in illo priori ſortitur eſſe,) deſtructo compoſito, non deſtruitur eſſe animæ, ſed ceſſando ipſa anima communicare illud corpori, retrahit illud ad ſe, vt pote ſuum, atque in illo ſubſiſtit, & ſubſiſtentia completa quo ad eſſe exiſtentiæ, incompleta autem quo ad eſſe ſpecificum, & eſſentiæ, quoniam ipſa anima eſſentialiter eſt pars, & hæc à toto ſeparata, nequit vmquam vt ſic dici, vel eſſe quid in ſpecie completum.

Nota deinde, quod quoniam vario modo, & anima, & homo obtinent duplex hoc eſſe, eapropter non idem iudicium eſt de ipſis abſolute proferendum, quoniam enim anima eſt cauſa vtriuſque eſſe, & primo ſibi, tamquam proprio, & completo principio conueniunt, & ab ipſa homini communicantur, ideo ſub hac ratione anima eſt perfectior; quoniam vero homo obtinet vtrumque eſſe, vt proprium ipſorum ſubiectum, ac ſuppoſitum, & vt quod, & eſt quid completum in ſpecie, ideo iuxta hanc conſiderationem, homo eſt perfectior anima, ſic bene inquit hoc loco Caietanus, quod in hoc ſe habent homo, & anima, vt excedens, & exceſſum; Num vero abſolute, ac ſimpliciter forma ſit nobilior compoſito, vel res e contra ſe habeat, nihil de hoc in præſentia, cum nihil ad rem faciat.

Quomodo ni perfectione ſe habeant anima, & homo.

Caietanus.

Vide tertio, quod quoniam nos ponimus vnicam ſolum formam ſubſtantialem in homine, animam ſcilicet intellectiuam, vt videbimus cap. vltimo huius libri quæſt. 2. 3. & 4. iccirco animæ, & hominis nequit aſſignari niſi vnicum, & idem eſſe, quoniam ab vna forma, vnum tantummodo prouenit eſſe, quippe quod eſt vario modo & animæ, & hominis, vt dicebam, ſic compoſitum, & homo non habet aliud eſſe exiſtentiæ ab eſſe animæ, ſed vnicum, & idem eſſe eſt vtriuſque, vt dicitur in litera; Et quamuis omne quod eſt, debeat habere eſſe proprium, hoc eſt, non extraneum, cum nihil ſit formaliter per eſſe à ſe ſeparatum, non tamen oportet, quod omne habeat eſſe proprium, ita vt non commune, hoc enim modo nulla pars habet eſſe proprium; Ita homo habet eſſe proprium, commune tamen cum anima.

Quomodo omne quod eſt, habeat eſſe proprium.

Cumque hoc eſſe ſit, & animæ, & compoſiti varia ratione, vt patuit, hinc diuerſa de eo proferri poſſunt, adeo vt quatenus eſt animæ, numquam corrumpatur, quatenus vero compoſiti, deperdatur in morte hominis, definit enim tunc eſſe illud informare compoſitum, & perit non abſolute, non quatenus eſt animæ; ſed quatenus erat compoſiti. Sic docte legis in litera, hoc eſſe prout eſt animæ, non eſſe dependens à corpore, non legis abſolute, ſed *prout eſt animæ*, nam prout eſt corporis, hoc eſt, ſecundum quod illud informat, ab ipſo pendet, adeo vt corpore corrupto, corrumpatur, prout eſt eius; vt enim

Caietanus. vt enim ait Caiet. reſpondens hoc loco ad quintum, nullius rei eſſe actuale manet, vt huius eſt, quando hoc cuius eſt non inuenitur, nullus autem ignorat, Plato. quod ſi non perit eſſe, vt eſt animæ, nulla ſit hæc conſecutio, ergo non corrumpitur homo, non enim homo eſt anima ſolum, vt falſo volebat Plato in primo Alcibiade, & innuebat duodecimo, & vltimo de Legibus, ſed eſt reſultans quid ex corpore, & anima. Rurſus neminem latet, friuolam eſſe hanc argumentationem, ſi quis dicat, Corrumpitur hoc eſſe, vt eſſe hominis, ergo abſolute, & vt eſt animæ corrumpitur, licet valeret e contra, ſi videlicet corrumperetur ex impoſſibili eſſe illud vt eſt animæ, corrumperetur quoque vt eſt hominis, & abſolute, ſic in litera habes, non trahi animam ad participandum eſſe materiæ, ſed materiam trahi ad participandum eſſe animæ, hinc dum ceſſat corpus, non perit illud eſſe vt ſic, ſed quatenus participatum à corpore, ſed ceſſat corpus ab illa eſſe remanentis participatione.

Quale eſſe in morte hominis deperdatur. De eſſe vero eſsentiæ loquentes, dicimus, aliud eſse habere compoſitum, aliud animam, vnde in morte hominis corrumpitur omnino illud eſſe quidditatiuum, ac ſpecificum, prout ſpecificum, & non ineſt animæ ſeparatæ, niſi tamquam principio, & parti, ſic enim cum dicitur anima deſtructo corpore non ſubſiſtere tamquam quid in ſpecie completum, id ad eſſe ſpecificum referendum eſt, nam totum exiſtentiæ eſſe obtinet ſeparata, quod tamen in ſpecie eſt *incompletum*, vtpote non ſpecies, ſed ſpeciei pars exiſtens.

Ex his quarto contemplaberis, longe perfectiorem ſtatum habere animam in corpore, quam ſeparatam, (loquendo ſemper de ipſa, quo ad eſſe naturale, & in ſtatu naturali, ne admiſceatur ſermo de eadem, vt beata eſt, vt Deo fruitur, &c.) cum enim eſſentialiter ſit pars, profecto nobiliori eſse gaudet coniuncta ſuo toti, quam ab eo ſeparata, quamuis etenim non ſit de nume- Ariſtotel. ro illarum partium, quæ à toto ſeparatæ pereant, & æquiuoce dicuntur partes, de quibus erat ſermo Ariſt. 7. Diuin. 35. quandoquidē hæc, & eiuſmodi intelliguntur de partibus illis, quæ in eſſe dependent à toto, cum tantū abſit, vt anima pendeat in eſſe à toto, quod totū ab illa pendeat, nullus attamen ſanæ mentis negabit, ipſam præſtantius eſse habere dū eſt coniuncta ſuo toti, quam dum ab illo eſt ſemota, nam coniuncta, eſt in eſse ſpecifico cōpleto, ad quod eſsentialiter ordinatur, quodque ſemper intuetur, aliàs natura non cōponeret, & coniungeret ob melius, neque partes relatione ad totum, haberent rationem materiæ. Accedit, quod coniuncta, communicat eſse ſuum, & eſt in illa perfectione, vt poſſit eſse principium mille operationum, quas non niſi in corpore valet formaliter obire, quamuis etenim, quod aliquid actu effectiue communicet ſe, nullam dicat perfectionem in eo quod ſe communicat, ſed tota per- Quando communicare ſe dicat perfectionem in eo quod ſe communicat. fectio ſe teneat ex parte illius cui ſit communicatio, attamen communicare ſe formaliter, perfectionem dicit in communicante, ſic animam coniunctam liquet corpori ſe communicare formaliter. Vlterius, quamuis communicare ſe abſolute nihil diceret perfectionis in cōmunicante, nihilominus ſemper dicet perfectionem in illo communicante, quod eſſentialiter, & de ſui natura reſpiciat illud, cui ſe communicat, & à quo abiunctum, imperfectum manet, & cui vnitum, perfectum, ſeu perfectius efficitur, vt animæ corpori ſe communicanti accidere exploratum habemus. Profecto, ſecundo de Anima 6. definitur eadem anima eſse actus corporis, & hæc anima eſt actus huius corporis, & per illud definiretur, ſi definiri poſſet ſingulare; Quis itaque in dubium vocet, quin perfectior fuerit, quando erit actus propriæ potentiæ ſuæ, quam

dum

dum ab ea fuerit ſegregata? Et 24. eiuſdem dicitur, anima eſſe principium, quo homo viuit, mouetur, &c. Quis ergo neget, perfectionem ei non mediocrem accedere, quando functiones illas abſoluet, quæ in eius definitione ponuntur, & quas non niſi corpori vnita abſoluere valet? Quapropter merito docuit Auctor p.p.q. 89. art. ſecundo ad primum, animam ſeparatam imperfectiorem eſſe ratione corporis, quo tunc deſtituta manet, &c. D. Thom.

Sic motiua Scoti cadunt, quando enim primo arguit, Auctorem ſibi aduerſari, dum animam coniunctam ponit perfectiorem, & deinde docet, habere idem eſſe in corpore, & extra corpus, nequeat autem perfectius eſſe obtinere in corpore, cum nihil ei adueniat, niſi ſui eſſe communicatio, quæ nullius eſt perfectionis; Ex proxime dictis habetur duplex ſolutio, eſt enim falſum, quod ex tali communicatione non fiat magis perfecta, & deinde ſui eſſe ſpecifici integritatem obtinet. Quomodo Scoti rationes cadant.

Quando ait, ſi ſit idem eſſe hominis, & animæ, ergo homo non eſt perfectior in eſſendo, ex ſecundo notabili habes quid dicas.

Quando addit, hominem habere proprium eſſe, & aliud ab illo animæ, dic ex tertio notabili, habere proprium eſſe, quoniam non extraneum, non autem quoniam non commune, & habere aliud eſſe eſſentiæ, non exiſtentiæ.

Dum ait, eſſe hominis corrumpi, non eſſe animæ, vnde apparent duo eſſe, ex eadem obſeruatione habes, quomodo corrumpatur, & non corrumpatur, quippe quæ non inferunt varia eſſe, ſed varios modos, & varias rationes eiuſdem eſſe.

Dum vltimo inquit, probatum à ſe fuiſſe ſuperius in materia de Euchariſtia, in homine vltra animam intellectiuam eſſe aliam formam, dic, quod vltimo capite huius operis, quæſtionibus allegatis in 3. notabili videbimus rationes illas nihil efficere.

Veruntamen circa ea, quæ de eſſe animæ in corpore, & à corpore abdicatæ inculcauimus, duo poſſent ſuboriri egregiæ ſatis difficultates, & altera eſt, num anima humana, dum eſt in corpore, habeat nedum eſſe quo, ſed & quod, vt docebat Caietanus p. parte, quæſt. 76. art. 1. an potius gaudeat ſolum eſſe quo, & compoſitum ſit illud, quod dumtaxat habeat eſſe vt quod, vt via communis tenere videtur, cui & idem Caiet. priori ſententia relicta adhæſit tertia parte, quæſt. 6. art. 3. ſubdens tamen, quod a corpore ſeparata obtinet eſſe quod, & eſt ſemiperſona, quod etiam eſſe retentura eſt, dum in reſurrectione corpori denuo vnietur, quam metaphyſicam, & ſpeculationem ſubtilem, à nemine poſſe intelligi, & obſcuriſſimam, ac tenebris inuolutam ait ibidem Bartholomæus Medina, (& tamen à Caietano proponitur,) quamque reiicit Banneſius loco allegato p.p. (quæ nihilominus commode ſuſtineri poteſt,) ſed quoniam cenſent omnes, animam in corpore gaudere tantum eſſe quo, ceu videtur commune omnibus partibus, & formis, quæ vt partes corporibus vniuntur, & ſtatus ſeparationis animæ, vel poſt reſurrectionem, nihil ad propoſitum facit, vbi cum litera loquimur de eſſe animæ, prout eſt in corpore, quodque dicimus idem eſſe vtriuſque; ideo præſens quæſtio in aliud tempus, & locum differatur. Prior dubitatio. Caietanus. Medina. Bannes.

Altera quæſtio eſt, quoniam ſi anima ſecundum quod eſt in corpore, eſt perfectior ſeipſa ſeparata, igitur apparet, quod in reſurrectione, dum corpori copulabitur, ſit perfectiorem beatitudinem, atque intenſiorem habitura; nam perfectius quid exiſtens in natura, perfectiorem debet elicere operationem: Poſterior difficultas.

Hanc difficultatem vide ſi placet in Auctore prima ſec. quæſt. quarta art. 5. ad quintum, & in Caiet. Medina, & Gregorio de Valentia ibidem, & nunc cum nominatis Auctoribus quambreuiſſime dicas, quod erit beatior tunc anima, extenſiue, gloriam enim ſuam communicabit corpori, non autem intenſiue, quoniam non augebitur, vel lumen gloriæ, vel diuinæ eſſentiæ viſio, (hæc enim non poteſt augeri, niſi augeatur lumen ad ipſam ſpectans,) & licet verum fuerit, eius operationem tunc futuram eſſe perfectiorem, non ſequitur tamen, quod intenſior, quoniam ex Caietano ibi, eſt ſophiſma conſequentis, à magis perfecta operatione deſcendere ad magis intenſam, latius enim eſt, & apud plura ſe extendit perfectum, quam intenſum, quoniam omne requiſitum, quod alicui rei accedat, & operatio, & res ipſa fit perfectior, non autem ex cuiuſuis acceſſu aliquid fit intenſius, cum ad intenſionem augendam, ſiue efficiendam exigatur intrinſecum augmentum; Cum itaque corpus ſit quid extrinſecum animæ, prout ipſa eſt videns Deum, ex corporis acceſſione non fit intenſior anima, &c.

Quomodo beatior anima dum fuerit cõiũcta corpori.

Quomodo ſe habeant intenſum, & perfectum.

Medina.

Vel dicas cum Medina, quod anima coniuncta corpori erit perfectior in operationibus naturalibus, & quæ eſſe naturale ſequuntur, at non in operationibus, quæ eſſe ſupernaturale comitantur, de quarum ſerie ſcimus eſſe beatitudinem, cum merito luminis gloriæ talis operatio eliciatur, quippe quod lumen eſt ſupernaturale, nedum quo ad modum, (vt legitur hodie in Euangelio de vita collata Lazaro à vitæ Auctore,) ſed & quo ad rem, cum ſit de ſui natura ordinis ſupernaturalis, atque diuini, &c.

QVAESTIONES.

Num Intelligentiæ, vel Angeli, compoſiti ſint ex materia, & forma.

CIRCA primam partem literæ, in qua habetur, & probatur, in ſubſtantiis ſimplicibus non adeſſe compoſitionem ex materia, & forma, quod etiam repetitur ſecunda, tertia, quarta, & quinta parte, & denique eſt præcipuum Auctoris toto hoc capite inſtitutum, moueo quæſtionem de ſimplicitate intelligentiarum, quas theologi Angelos dicunt, num ſcilicet verum ſit, quod ſint à materia immunes, quod earum eſſentia ſit ſola forma; Pro cuius definitione ſex faciam, manifeſtans primo titulum quæſiti, adducens ſecundo varia argumenta in fauorem partis affirmantis, præmittendo tertio nonnulla ad quæſtionem facientia, adferens quarto concluſionem, quæ reſpondeat quæſtioni, quam quinto confirmabo, deſtruens ſexto, quæ ei poſſent obſtare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Dilucidatur ſenſus quæſtionis.

CVm aliquid poſſit dupliciter eſſe corporeum, & per ſe ſcilicet, vt omne quantum, & extenſum vt ſic, & per accidens, vt forma aliqua, quæ

vtique

vtique in ſe non eſt quanta, vel extenſa, ſed per accidens extenditur, ad extenſionem nimirum ſubiecti, in quo recepta eſt, dum quærimus, num eſſentia intelligentiarum ſit compoſita ex materia, & forma, multo magis quærimus, num ſit corporea aliquo modo, quoniam apud omnes perſpicuum habetur, quod ſi quidpiam fuerit corporeum, habebit materiam ſaltem aliquo modo, ſi non vere, ac proprie quo ad eſſe, (Auerroes enim ponit cœlos corporeos, à quibus tamen negat compoſitionē ex propria, ac vera materia,) quamuis autem apud D. Thom. reiecta corporeitate, reiiciatur & compoſitio ex materia, & forma, vt adnotabat Caiet prima part. in titulo art. ſecundi tertiæ quæſtionis, & vt patet exercitatis in eius doctrina, & legentibus ipſum Doctorem Sanctum, ſecundo præcipue cont. Gent. ſub initium cap. 50. quoniam tamen non apud omnes hoc recipitur, vnde Auicebron in litera relatus dicebat quidem, intelligentias non eſſe corporeas, tamen eas volebat ex materia, & forma compoſitas, eapropter ſimul videbimus, an earum eſſentia ſit corporea, & an ſit ex materia, ac forma compoſita: Sic Auctor prima par. quæſtione allegata, Dei ſimplicitatem inquirens, duo quæſita ſeorſum de his formabat, quod & effecit eodem libro quæſt. 50. dum harum mentium naturam rimabatur.

Quid omnibus exploratum. *Auerroes.* *Caietanus.* *D.Thom.* *Auiceb.*

Aduerte vlterius, quod cum detur aliqua eſſentia incorporea, & compoſitionem ex materia, & forma non admittens, quæ attamen eſt pars ſubſtantiæ corporeæ, & vt forma alicui materiæ vnita, ſalua eſſentiæ ſuæ vt ſic ſimplicitate, qualis eſt anima noſtra; id conſilii non habeo in hac quæſtione vt definiam, num intelligentiæ ita ſimplices ſint, quod remota ab ipſis, & corporeitate, & compoſitione ex materia, & forma, illud quoque obtineant, vt non ſint formæ vlli materiæ ſecundum ſe coniunctæ, hoc enim eſt alterius negotii, & illud diſcutiam vltima quæſtione ad vltimam partem huius capitis; quoniam optime ſtare poteſt, vt eſſentia ipſarum ſit ſimplex, & expers corporeitatis, & materiæ, & tamen alicui vt forma vniatur, &c.

Quid itectum ab hoc quæſito.

Illud etiam obſerua, quod cum hac eſſentiæ ſimplicitate eſſe poteſt, vt quamuis talis eſſentiæ, ac naturæ operatio non ſit corporea, nec organo, & inſtrumento corporeo exercita, nequeat tamen in actum exire, abſque rei alicuius corporeæ beneficio, quæ res corporea, quamquam non eſt ſubiectum ipſius, eſt tamen obiectum, vt apparet in intellectione animæ humanæ, in præſenti tamen inquirimus, num eſſentia intelligentiarum ita ſit à materia, & corpore libera, vt nedum potiatur operatione ſua ſupra corpus omnino eleuata, quo ad ſubiectum, ſed etiam quo ad obiectum, ita vt earum intellectio neque ſubiectiue, neque obiectiue habeat à corpore dependentiam.

Denique, cum & de anima noſtra ſermo habeatur in litera, & idem quo ad hoc fiat iudicium de ipſa, ac intelligentiis, quo ad ſimplicitatem, iccirco & de animæ humanæ eſſentia erit quæſtio, num corporea, num expers materiæ, num gaudeat operatione à corpore non pendente ſubiectiue, quod enim corpori alligata pendeat obiectiue, non eſt dubitandum, cum ex tertio de Anima 39. oporteat intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Ariſtot.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Argumenta pro parte, quæ affirmat.

NOn deeſſe videntur argumenta varia, quibus & multi ſuaſum ſibi habuerunt, & alij ſuadere ſibi poſſent partem affirmantem, ipſe autem ne argumentorum congeriem faciam, perpauca, at ea validiora adferam, nam reliqua apud complures grauiſſimos, quos ſequenti art. nominabo auctores videre licet, &c.

Arguo itaque primo ſic; Natura angelica non eſt infinita, vt patet, & eſt forma, ergo finita, at ex Auctore prima parte, quæſt. 7. art. 1. forma finitur per materiam, ergo &c. Confirmatur, quoniam idem B. Doctor eodem lib. quæſt. 50. art. primo ad tertium inquit, omnem creaturam eſſe circumſcriptam terminis eſſentialibus, at apud omnes nomine terminorum eſſentialium accipiuntur materia, & forma, hæc enim ſunt partes rei eſſentiales, ad differentiam partium, quæ dicuntur, vel integrales, vel quantitatiuæ, vel poteſtatiuæ.

D.Thom.

Secundo, Ex Auctoris ſententia, vt norunt omnes, & vt quæſtione ad caput ſequens quinta patebit, intelligentiæ vere locantur in prædicamento, ergo conſtant ex genere, & differentia, ergo ex materia, & formæ; ergo &c. prior conſequentia eſt euidens, quamuis eam non concedat Durandus ſecundo ſent. diſt. 3. quæſt. prima, portiuncula 12. contradictoria dicendo, Angelum videlicet reponi in genere, & tamen non conſtare, (proprie apponit,) ex genere, & differentia, ſecunda probatur, quoniam vt toto prope capit. 3. huius libri diximus, genus ſumitur à materia, differentia à forma. Quod ſi dicatur, Genus, & differentia ſumi ab eadem re, prout habet rationem determinabilis, & determinantis, adeo vt compoſitio ſola ſit in intellectu eandem rem varie conſiderante, tunc ſequeretur, quod & Deus reponeretur in genere, ſiquidem nihil prohibet, noſtrum intellectum inuenire conceptum determinabilis, & determinantis in ipſo Deo, hoc autem eſt contra Auctorem pluribus in locis, vt conſtabit cap. ſeq. prima quæſt.

Durandus.

Tertio, Velut nomine formæ accipimus actum, ita nomine materiæ potentiam, vt ſequenti quæſtione docebimus, at in intelligentiis adeſt potentia; vt octaua parte huius capitis dictum fuit, ergo adeſt materia; Sed & ipſius materiæ conditiones in eis intuemur, nam mutantur, recipiunt, & alia in eis inueniuntur, quæ materiam clare nimis arguere videntur.

Quarto, Ad perfectionem vniuerſi requiritur, vt omnes gradus rerum in eo inueniantur, ex hoc enim dicitur vniuerſum, quam propoſitionem aſſumit Auctor prima parte, quæſt. illa 50. art. primo, vt probet dari in mundo ſubſtantias intellectuales, ſed ſi non dentur aliquæ intelligentiæ, quæ ſint corporeæ, non inuenientur in natura omnes gradus, ergo &c. probatur minor, quoniam velut inuenitur vegetatiuum abſque ſenſitiuo, vt in plantis, ſenſitiuum abſque ſecundum locum motiuo, vt in conchilis, & intellectiuum ſine ſecundum locum motiuo, vt in Deo, & quibuſdam intelligentiis, ita inueniri debet ſecundum locum motiuum ſine ſenſitiuo, quod fiet, ſi dicamus adeſſe quoſdam aereos ſpiritus, qui conſtent ex intellectiuo, & ſecundum

D.Thom.

locum motiuo, loquendo de motu progreſſiuo, abſque ſenſitiuo; Quod ſi dicatur hæc ratio vana, certe non erit firma ratio, qua loco allegato probat Auctor adeſſe ſubſtantias à corporis mole ſecretas.

Quinto adeſt argumentum illud importunum, quod in hoc negotio ſolet circumferri, deſumptum ex Concilio Niceno ſecundo, vbi agentes Patres de cultu, & adoratione imaginum, actione quinta lectus fuit liber Ioannis Theſſalonicenſis Epiſcopi, qui multa de hac re dixit, in quibus nimis euidenter habet, ſanctā Eccleſiā hoc ſentire de angelis, & animabus noſtris, quod ſunt vtique intelligibiles, at non omnino corporis expertes, ſed tenui, & aereo, vel igneo corpore præditi, & alia ſubdit, quibus ex confirmatione quoque multorum Patrum idipſum repetit; Quocirca poteſt argumentum hoc confirmari ex multorum ſanctorum Patrum, ac inſignium philoſophorum ſententia, qui angelos corporeos poſuerunt, in eiſque materiam locarunt. Neque dicendum eſt, eos voluiſſe dicere, quod ſint corporei ex comparatione ad Deum, non autem abſolute, tum quoniam dum ab alijs dicitur, quod ſunt incorporei, poteſt affirmari, quod relatione noſtri, non autem ſimpliciter ſint incorporei, tum quoniam id quod ineſt alicui creaturę comparatione ad Deum, ineſt ei naturaliter, nam relatio creaturæ ad Deum eſt ei naturalis, quare, ſi relatione ad Deum ſint corporei, tales erunt natura, &c. Cõcilium Nicenum.

Sexto, & vltimo eſt ſpeciale argumentum de anima humana, quæ eſt eſſentialiter actus primus corporis, & forma hominis, vt dicebatur quæſtione vltima cap. præcedentis, ergo & eius potentia, ſeu virtus intellectiua erit eſſentialiter actus corporis, alioquin homo non eſſet formaliter animal intelligens, & vlterius potentia eſſet abſtractior; quam animæ eſſentia, cuius eſt potentia, quod ſi intellectus ſit actus corporis, iam eius operatio per corpus exercebitur, vnde non erit vlla in anima noſtra operatio; quæ non pendeat à corpore, quare non erit anima ſubſiſtens, non immaterialis, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Nonnulla pro veritate definienda præmittuntur.

Difficultas hæc de ſimplicitate ſubſtantiarum ſeparatarum, antiquiſſima extitit, nedum philoſophis, ſed & theologis; Vide Auctorem quæſt. diſputatis de Dæmonibus ar. 1. & 5. varia quorundam placita referentem; Et ſi cupias videre Philoſophos pleroſque, ac Theologos, & ſanctos quoſdam Patres, qui intelligentias corporeas cenſuerint, lege nouiſſime Banneſium prima par. quæſt. 51. art. primo, & Gregorium de Valentia ibidem, & Ludouicum Molinam eodem libro, quæſt. 50. ar. 1. hi enim multorum ſententiãs, ac loca non indiligenter adducunt. Similiter ſi argumentorum copiam propemodum immenſam pro parte affirmante quæras, lege præcipue Auctorem art. illo primo de Dæmonibus, vbi 19. argumenta, & de Spiritualibus creaturis ar. primo alia 25. & ar. quinto 11. & ſeptimo 6. & q. de Anima ar. 6. alia 17. adfert, & mira facilitate, ac doctrina diſſoluit, & prima par. etiam quæſt. illa 50. art. 1. & 2. & q. 75. ar. 1. & 5. nonnulla alia habes; Et art. illo de Spiritualibus creaturis videbis 14. rationes pro earundem ſimplicitate, & à materia immunitate, & alias multas ad idem habes, ſecundo cont. Gent. cap. 49. 50. 51. & 91. Vide etiam Romanum Aegidium in ſuo Correctorio pro D. Thom. ar. 10. prima par. D. Thom. Bannés. Gregor. de Valentia. Molina. D. Thoma loca. Aegidius.

argumenta

Capreol. argumenta varia in contrarium ſoluentem; Capreolum in ſecundo diſt. 3. q. prima circa primam concluſionem, vbi 8. Aureoli argumenta nihil conclude- Alexan. re oſtendit; Denique vide Alexandrum ſecundo lib. ſuo de Anima cap. 6. breuiſſime, & 14. latiſſime demonſtrantem, animam eſſe incorpoream; quos auctores legens, plenam veritatis huius notitiam adipiſceris.

Illud aduerte, quod auctores ferme omnes, quos hac in re luſtrauerim, ſententiam hanc de intelligentijs, quod ſint corporeæ, videntur Platonicis tri- Platonis loca varia. buere, & iure Platonicis magis, quam Platoni, hic enim de Dijs loquens dialogo 10. de Legibus oblongo ſatis verborum anfractu, eoſque probans eſſe, ex Marſilius Ficinus. motibus varijs, quorũ ſunt cauſæ, & præcipue ex circulari orbiũ, (quos Deos, intelligentias eſſe apud Platonem, bene admonuit Marſilius Ficinus in comm. eiuſdem dialogi, & ſuper Cratilum, & ità in Phædonis, ac 12. de eiſdem Legibus commentarijs eos interpretatur, nam vnum eſſe Deum, ac rerum omnium principium, docet Plato in Timeo, & Parmenide,) multaque de eorum virtute, atque prouidentia, & ſcientia diſſerens, ſub dubio relinquit, num ſint in corporibus, & tamquam animalia quædam cœlum totum exornent, an vero quomodocumque id aliter agere dicantur, attamen in Timeo Deos cœleſtes, vocat animalia diuina, maxima ex parte igne conflatos, vnde videtur innuere intelligentias eſſe igneas, &c. Id tamen nullatenus eſt prætereundum, quod dæmones potius, quam intelligentias aſſeruerunt Platonici habere corpora quædam ſubtilia, & aerea, quod poteſt colligi ex Platone diffuſe ſatis in Critia, (vbi omnia prope de Dijs fabuloſa narrãtur,) & ex Apologia Socratis, quibus locis vide ſi placet Marſilium Ficinum multa de varijs deorũ generibus, & affectionibus ad aures Platonicorum dicentem; Multa tamen paſſim docet ipſe Plato de dæmonibus, ex quibus non plene omnino elicitur fuiſſe apud ipſum corpo- Quid de Dæmonibus ſcripſerit Plato. reos, nam in Conuiuio, ſeu de Amore, ex perſona Diotimæ naturam ipſorum deſcribens dicebat, omnem eſſe inter mortales, & Deos mediam, quorum munia ſubdens aiebat, eos interpretari, & ad Deos humana, ad homines diuina traijcere, & in vtroque medio conſtitutam totum complere, vt vniuerſum ſecum ipſo tali vinculo connectatur, & addit, Deum homini non miſceri; ſed per ipſos, vel per illud mediũ, commertium omne, atque colloquium inter Deos, Marſilius Ficinus. & homines confici, (quem locũ verſans Ficinus, (cap. inquam tertio ad orationem illius Diotimæ,) tribuit dæmonibus pro loco aerem, & purum, & nebu- D. Auguſt. loſum, vt de alijs Platonicis refert D. Auguſtinus octauo de Ciuitate Dei, cap. 14.) quæ Platonis verba ſi expendantur, nullam habent mentionem, vel de corpore, vel de materia, ex quibus dæmones conſtent; Similiter in Crãtilo ex perſona Socratis dicebat ad aures Heſiodi, dæmones aureũ hominũ genus in principio extitiſſe, & ex hoc genere poſt præſentis vitæ fata, (ſic loquitur) fieri dæmones ſanctos, terreſtres, optimos, malorũ expulſores, & hominũ cuſtodes, & demũ ibi habetur, dæmonẽ nihil aliud ſibi velle, quam ſapientẽ, quod patet nõ eſſe ad rem, de qua nunc agimus; In Theage quoque, vbi Socrates introducit dæmonem quendam, quem à pueritia eum ſecutum perhibet, nihil habetur, vel quod huic inſtituto faciat, vel quod dæmones corporeos indicet; Denique ad finem prope illius Apologiæ Socraticæ, vbi legitur vox illa dæmonis, Vaticinatrix Socrati ſemper ferè aſtitiſſe, (quem dæmonem, & igneum, & Saturnium varia ratione dici poſſe, ſcribebat in commentarijs Ficinus,) nihil habemus de corporeitate dæmonum, &c.

Verumtamen Platonici, dæmones corporeos poſuerunt, vt ibidem ait D. Auguſtinus,

guſtinus,& alij omnes,qui hoc verſant, ſed præcipue id poſuit Apuleius, quē & D. Auguſtinus ibidem cap. 16. & alij referunt,dixiſſe in libro de Deo Socratis, dæmones eſſe animalia intellectualia, corpore aerea, & tempore æterna, quam definitionem Doctor ille omni laudatione ſemper maior, eodem 16. cap. accurate expendit. Non cenſeas autem dæmones in prauo ſenſu accipi ſemper à Platone, & Platonicis, oppoſitum enim colligis ex locis Platonis adductis, & ex Marſilio cap. illo tertio ad Conuiuium, &c. Apuleius. D. Auguſt.

At vero quicquid demum fuerit de virorum multorum illuſtrium in hac materia ſententia (ſiquidem in expendendis, ac referendis Academicorum placitis,ſerius me detentum intelligo,) ſolius Auicebron meminit in hac litera Auctor,cuius & mētionem habet vbique ferè, dum argumentū hoc tractat, in eo ſcilicet,vt remoto corpore ab intelligentijs,& anima, in vtriſque tamen compoſitionem ex materia, & forma locauerit, in hoc enim & præcipuus,& ſolus forſan fuit, cuius poſitionem recenſet etiam Albertus tertio de Anima tract. ſecundo cap. 9. & efficaciſſime euellit, velut efficit vndecimo quoque Diuinorum,tract. ſecundo cap. 15. in cuius calce inquit, errorem Auicebron fugiendum eſſe ab omni homine, quoniam liber ille in omnibus ferè inuenitur erroneus. Albert. Magn. quid de Auicebron dicat.

Obſerua adhuc,quod huius quæſtionis veritas eſt apprime difficilis,& philoſophis, & theologis, illis quidem, quoniam cum ex ſenſibilibus procedant, pauca admodum de ipſis intelligentijs ſenſui patent,vt dicebat Ariſtoteles primo de Partibus animalium,cap. 5. quare exilem de ipſis poſſunt habere notitiā; iſtis vero, quoniam cum procedant ex ijs, quæ per reuelationem habentur, nihil ferè conſpici videtur, quod ſit omnino certum hac in re ex reuelatione, quocirca priſcis temporibus varii varia ſenſerunt; Illud tamen ex ſacra Theologia,ac Philoſophia certiſſimum eſt, adeo vt qui oppoſitum proferret, & ſacræ ſcripturæ, & veræ philoſophiæ expreſſe repugnaret, nimirum Angelos, ſeu Intelligentias dari, quoniam quo ad primum, vtrumque Teſtamentum, & nouum,& vetus mille in locis nominat angelos, quæ loca non eſt cur modò recenſeantur, quo vero ad ſecundum, & Plato dialogo illo 10. vbi ſub initiū ferè inquit,terram,Solem,ſidera,ipſumque vniuerſum,temporum etiam ornatiſſimam varietatem, annis diſtinctam, & menſibus, Græcorum inſuper,ac Barbarorum omnium conſenſum, eos oſtendere, ac fateri; & in Timeo, & locis alijs recenſitis, & in Eutiphro, & alibi eos locat, quod & Ariſtoteles efficit prope finem duodecimi Diuinorum,eorumque numerum ex orbibus quos mouent colligit; Et ſi rudes illos piſcos, qui nihil agnouerunt vltra corpora excipias, neminem fortaſſis reperies, qui eos negauerit, quapropter de quæſtione an ſint, nulla poteſt, vel debet eſſe difficultas. Ariſtotel. Quid in ſacra Theologia, & Philoſophia certum. Plato. Ariſtotel.

Iam vero de ipſorum ſimplicitate loquentes primo ad aures Ariſtotelis, & omnium peripateticorum, certiſſimum eſt,eos eſſe à corpore, & materia liberos, quam veritatem ſibi adeo ſuadent peripatetici, vt potius quidam ipſorū velint eos eſſe actus puros, ab omni accidente, & quauis potentia immunes, quam vt nullus eorum, corpus,materiamuè eis tribuat; Et certe cum Ariſtoteles nono Diuinorum 17. & 12. eorundem 30. ac 48. motum omnem,& potentiam, & materiam ab illis remoueat, hinc & eius expoſitores idipſum docuerunt; Vide Aprodiſæum in expoſitione præcipue illius 30. vbi ait, quod ſi motores orbium fuerint immobiles, erunt & incorporei, cum omne corpus vt ſic ſit mobile; Lege Themiſtium paraphraſi ſua ad eundem duodecimū Diuinorum Quid Peripateticis indubium. Ariſtotel. Alexand. Themiſt.

uinorum dicentem, quod cuius natura eſt intelligibilis, id materiæ impermixtum, & immutabile eſt, conſtat autem, intelligentias eſſe intelligibilis naturæ, &c. Perge ad Auerroem circa eundem 30. dicentem, quod quoniam intelligentiæ ſunt mouentes ſine aliqua potentia, neceſſe eſt, vt ſint ſine omni materia, cum oporteat eſſe æternas, quoniam omne æternum, (inquit) eſt actio pura. Adeas Albertum vndecimo Diuinorum, tract. ſecundo cap. 12. docentem, intellectus ſeparatos nullius corporis eſſe actus, & colligentem, animam dici æquiuoce de ſuperiori, & de inferiori anima, & cap. 19. Intelligentias docet ſubſtantias ſeparatas, immobiles, ac prorſus ſimplices, & indiuiſibiles. Conſule Auctorem, & Alenſem ſuper loca Ariſtotelis inducta; Intuere Sueſſanum diſputatione ſexta eiuſdem 11. vbi in vltimis verbis ait, immaterialitatem intelligentiarum omnes barbaros, & græcos velle, & colere, & denique mente, & oculo luſtres quotquot peripateticos, & quæſtiones, & cõmentaria tulerunt ad duodecimũ illũ Diuinorũ, vel etiam ſuper nonum tertij de Anima, vt Auerroem adhuc, & Sueſſanum, & Genuam aſſerentem, nullam fore ponendam compoſitionem in abſtractis à materia, ſi peripatetice loquendum ſit, quod eatenus eſt recipiendum, pro quanto compoſitionem ex materia, & forma ab eis remouet.

(Auerroes. Alb. magn. D. Thom. Alenſis. Sueſſanus. Genua.)

Theologice vero aſſero, quod vt bene pronunciant recentiores Scholaſtici, non poſſet quis noſtris diebus, ſeu temporibus abſque aliqua magnæ temeritatis nota negare hanc ſimplicitatem, aut affirmare Angelos eſſe corporeos, ſiue materiæ, & formæ compoſitionem admittere; Vide Banneſium, Gregorium de Valentia, & Molinam locis memoratis, hoc probantes ex verbis Concilij primi Lateranenſis, & teſtimoniis ſacræ Scripturæ, Patrum multorum, & Scholaſticorum omnium conſenſione; Merito tamen ſubnectũt, nullam eſſe hæreſim, vel errorem in fide, oppoſitum enunciare, cum tot, ac tanti Patres veteres id ſuſtinuerint, & cum nulla expreſſa omnino Eccleſiæ extet determinatio, vel Scripturæ locus adeo manifeſtus, vt alteram partem neceſſario doceat; Immo & Auctor q. illa de Dæmonibus art. primo, quamuis definiat dæmones non habere corpus, attamen ſoluit quattuor argumenta, quibus probatur, quod non habeant corpora, vnde apparet eo loco problematice ferè ſe habuiſſe, nam & primis verbis eiuſdem art. ait, non multum referre ad fidei doctrinam, vtra pars defendatur; Nunc vero temporis, cum omnes iam poſt Auctorem docuiſſe videamus, eos non eſſe corporeos, temerarium profecto eſſet, corpus eis tribuere; Immo Gregorius de Valentia, vbi ſupra inquit poſſe putari erroneum, & cum fide ſeuera pugnans, tametſi hoc ipſum non ſit plane exploratum, & certum; ſed vide præcipue Bannes ad tertiam ſuam concluſionem, &c.

(Rectum Scholaſticorum recentium iudicium. Quam ſit certum Theologis, angelos eſſe incorporeos. D. Thom. Gregor. de Valentia. Bannes.)

ARTICVLVS QVARTVS.

Ponitur concluſio reſponſiua, & declaratur.

Is præmiſſis, in quibus peripateticos ſemper omnes, & vniuerſos modo theologos conueniſſe, & conuenire vidimus, quæſtioni ſatisfaciamus, hac concluſione; Intelligentiæ, vel Angeli, & anima humana in ſua eſſentia non includunt

(Concluſio.)

includunt materiam, quare corporis expertes ſunt, adeo vt earum eſſentia, ac quidditas, ſit ſola forma, quæ eſt concluſio in hac parte, & toto hoc capite ab Auctore intenta.

Pro declaratione aduerte primo, quod dum ab intelligentijs negamus materiam, loquimur de materia in vera, ac propria acceptione ſumpta, quatenus ſcilicet eſt ſuſceptiua formæ ſubſtantialis, priuationem habens annexam, pura de ſe potentia, formam indiuidualiter recipiens, &c. non autem arcemus materiam in communi, & lata quadam acceptione, prout ſcilicet materiæ nomine intelligitur quæuis potentia, & quoduis alteri comparatum, ac imperfectũ inuentum, quo pacto dicebat Auerr. comm. illo ſuo magno 36. ad tertium de Anima, non longe à fine, quod omnia duo, quorum ſubiectum eſt vnum, & quorum alterum eſt perfectius alio, oportet vt reſpectus imperfectioris ad perfectius, ſit velut reſpectus materiæ ad formam, & Alexander primo ſuo de Anima, cap. de intellectu potentiæ, ſiue materiali ſcripſit, omne quod natum eſt aliquid ſuſcipere, materiam eſſe eius quod ſuſcipitur, & Ariſtoteles quarto Cœli 23. dicebat, id quod ſuperius eſt, comparatum inferiori, habere rationẽ formæ, hoc autẽ relatione ad illud, rationem induere materiæ; Quapropter, licet videamus eſſentiam intelligentiarum ſe habere vt quid recipiens, potentiale, & imperfectum ad eſſe, quod ex conſequenti ſe habet vt receptum, & actus, & perfectum, nulla erit conſequentia, quod in ipſis proprie ſit materia, niſi forte omnia, quæ ita ad inuicem ſe habent, vt potentia, & actus, velint nominari materia, & forma, ſic enim vt dicebat Auctor quæſt. illa de Spiritualibus creaturis ar. primo, nihil obſtabit dicere, vt non fiat vis in verbis, quod in ſubſtantijs ſpiritualibus ſit materia, & forma.

Materia proprie ſumpta. *Eadem minus proprie accepta.* *Auerroes.* *Alexander.* *Ariſtotel.* *D. Thom.*

Ex qua diſtinctione materiæ, vere ſcilicet, ac proprie, & communiter, ac improprie ſumptæ, omnia ferè argumenta diſſoluuntur, quoniam & deinde, quæ videntur conſequi materiam, vt recipere, mutari, & ſimilia, quæ in rei veritate in intelligentijs reperiuntur, non arguunt materiam vere, ſed in lata quadã ſignificatione acceptam; Et doctrina illa quam ex Auerr. tertio de Anima 14. habemus octaua parte huius literæ, & de qua vltima quæſtione ſuper caput præcedens ſumus locuti, ſemper in hac quæſtione eſt præ oculis habenda, quod nimirum *materia, eſſe ſubiectum, recipere, pati,* & eiuſmodi, æquiuoce dicuntur de intelligentijs, & de his quidditatibus ſenſibilibus; Quocirca inane penitus erit, ex his quæ in abſtractis inueniuntur, inferre in eiſdem materiam proprie ſumptam; Longo ſiquidem interuallo compoſitionem ex eſſentia, & eſſe, à vera materiæ, & formæ compoſitione differre, innuebamus in obſeruationibus quintæ partis literæ, & fuſius manifeſtabimus q. ad hoc idem caput ſexta.

Doctrina notanda.

Ex quo colliges, nullum eſſe argumentum, quod tamen præcipuum Auicebron iudicabat, vt nimirum potentia, quæ inuenitur in intelligentijs, reducatur ad materiam, quæ eſſentialiter eſt potentia, ceu omnia, quæ participant de actu, ad actum primum reducuntur, quoniam vt tradebat Albertus tertio de Anima tract. 2. cap. 9. idem ens non cauſatur in multis ab vno, quod eſt primum in illis analogice, ſed oportet illud eſſe vniuocum, ſic & accipitur illud decimo Diuinorum ſeptimo; In omni genere eſſe aliquam omnium illius generis menſuram, nam intelligitur de menſura vniuoca, iam autem diximus, potentiam, quæ inuenitur in ſeparatis ſubſtantijs, non dici vniuoce cum potentia, quæ eſt materia prima, quare non eſt, quod illa ab hac cauſetur, vel ad hanc reducatur; Quod ſi dicas, pari ratione, actus participatos non debere

Argumentum Auicebron perit. *Alb. magn.*

Hhhh reduci

reduci ad actum primum, quoniam & hic analogice dicitur cum illis, huic mo tiuo occurrebat Auctor prima par. quæſt. 75. art. quinto ad primum, doctrina, quam ibi ſubtiliſſimam iure vocabat Caiet. quoniam potentia etiam prima, eſt intrinſeca rei cuius eſt, & iccirco oportet, vt diuerſorum ſit diuerſa, efficiens autem primum, & actus primus nihil eſt rerum, (vnde ibi dicebat Auctor, nõ participari à rebus vt pars,) & ideo ſtat, quod vnum ſit omnium, & ratio eſt euidens, quoniam cauſa materialis eſt intrinſeca, efficiens extrinſeca, iccirco ad multiplicationem rerum, oportet multiplicari materiam, (ad multiplicationem quippe totius multiplicantur partes,) non eſt autem vt multiplicetur efficiens, & actus primus, ſed vnum, aut vnus eſſe poteſt, & de facto eſt rerum omnium; Accedit, quod actus primus cum alijs analogice dicitur, at potentia materiæ, & intellectus æquiuoce; Et vt ibidem proſequebatur Caiet. tribus modis poteſt fieri reductio cauſæ materialis, ſi enim ſint omnia eiuſdem generis, ad vnam numero potentiam reducuntur, vnam inquam negatiue, ſic omnium generabilium eſt vna numero materia, omnia ſecundo huius vniuerſi reducuntur ad vnam analogia, ipſæ demum potentiæ ſic ſe habent, vt vna nequeat reſolui in aliam, non enim potentia materiæ in potentiam intellectus reſoluitur, neque e contra, cum nullum æquiuocum in aliud reſoluatur.

D. Thom. Caietanus.

Varia cauſæ materialis reductio.

Nota vlterius, quod triplex in entis latitudine datur gradus formarum, nam quædam forma eſt actus omnino purus, à quauis compoſitione penitus aliena, ens per eſſentiam, à nullo eſſe recipiens, ſed omnibus illud elargiens, quædam deinceps eſt ſubſiſtens vtique, & ſine materia, quoniam ipſam ad ſuam ſubſiſtentiam non requirit, non eſt tamen ens per eſſentiam, ſed participatum, quoniam eſſe ab alio recipit, à prima ſcilicet forma, ſic in ipſa ineſt compoſitio, non quidem materiæ, & formæ, ſed potentiæ, & actus, recipientis, & recepti, quædam tertio loco eſt quidditas, nedum recipiens eſſe à prima, ſed illud eſſe ſortita, vt ad ſuam ſubſiſtentiam egeat materia, vnde nedum eſt compoſita ex actu, & potentia, ſed etiam ex materia, & forma. Prima quidditas eſt Deus præpotens, & glorioſus, ſecunda eſt tota claſſis intelligentiarum, tertia eſt omnis ordo ſenſibilium, prima dicitur infinita, & ſuperius, & inferius, ſecunda finita ſuperius, infinita inferius, tertia hinc, inde finita.

Quotuplex gradus formarum.

Pro cuius notitia ſcias tertio, quod in vnoquoque ente videmus eſſentiam, & eſſe, & hoc vocatur ſuperius, illa vero inferius quid, quandoquidem concipitur eſſe aduenire ipſi eſſentiæ, in ea recipi, &c. finitur autem vnumquodque ex hoc, quod in alio recipitur, quoniam commenſuratur recipienti, ſic cum eſſe Dei in nullo recipiatur, quoniam eſt per ſe ſubſiſtens, quod idem de eius eſſentia dicendum eſt, ideo & ſuperius, & inferius eſt infinitus, quod eſt dicere, in nullo receptus, nec quo ad eſſe, nec quo ad eſſentiam; Quoniam vero eſſe intelligentiarum eſt finitum, vtpote in earum eſſentia receptum, & coarctatum, eſſentia vero in nullo recipitur, quoniam non in materia, (in qua ſola poteſt recipi,) iccirco & finitæ, & infinitæ dicuntur, & ratione primi, finitæ ſuperius, ratione ſecundi, infinitæ inferius; Quoniam demum hæc ſenſibilia, & recipiunt eſſe, & hoc eſt in materia, adeo vt abſque ipſa, eorum eſſentia non inueniatur, ideo vtrinque finita, & ſuperius ſcilicet, & inferius dicuntur; Sic ex pulchro ordine graduum rerum, cernis intelligentias mediam ſedem tenentes, licet compoſitiones alias admittant, excludere tamen illam ex materia, & forma; Et cum inter obſeruandum ad vltimam partem huius literæ viderimus, extrema in mundo eſſe actum primum, & materiam puram, non deceret,

Vnde quidpiã finiatur.

Dei Infinitas.

Finitas, & infinitas Intelligẽtiarum.

vt in-

vt intelligentiæ, quas omnes dicunt propinquas alteri extremo, hoc eſt, actui puro, ad earum eſſe indigerent potentia pura, materia ſane, quæ eſt alterum extremum, vt pulchre deducit Auctor ar. illo primo de Spiritualibus creaturis; Ita primo de Cœlo, ac mundo 100. dicitur, à primo ente deriuatum eſſe aliis clarius, alijs obſcurius, quod ſi omnia in ſuo eſſe egerent materia, non elucerent clarior hic, & obſcurior participationis modus; Quare ex hac declaratione, quomodo mediam obtineant intelligentiæ in rerum vniuerſitate ſedem, nedum manifeſtata, ſed & aliqua via probata exiſtimari valet poſita conclusio.

D.Thom.
Ariſtotel.

Quarto obſerua, quod etiam ſi ponerentur intelligentiæ formæ informantes orbes, velut anima eſt forma hominis, nihil hoc præiudicaret huic, quam in ipſis aſſignamus ſimplicitati; licet enim abſolute loquendo, illud ſit purius, ac ſimplicius, quod in nullius rei cadit compoſitionem, attamen ſi quid vt forma cum altero componat, non aufertur ab eo ſimplicitas, quæ opponatur huic compoſitioni, ex materia ſcilicet, & forma; quemadmodum tametſi anima noſtra eſt actus, & forma corporis organici, nihilominus ſeipſa eſt ſola forma, & nullius materiæ proprie dictæ in ſui eſſentia habens admixtionem, immo vero ex eo quod eſt forma, elicitur, quod ſit incorporea, cum omnis forma vt ſic, ſit incorporea, & materia carens, vt dicebat Alexander ſecundo ſuo de Anima cap. 6. & Albertus vbi ſupra; Vt igitur arguebat Auctor prima par. quæſt. 75. art. 5. vel erit forma ſecundum ſe totam, vel ſecundum aliquam ſui partem, ſi primum, fieri nequit, vt materia ſit eius pars, quoniam materia eſt potentia, forma, actus, & ex ſecundo Phyſic. 70. forma, finis, & efficiens ſæpe coincidunt, non autem materia cum iſtis; ſi ſecundum, partem illam dicemus formam, & animã, illam autẽ materiã, cuius primo eſt actus, dicemus eſſe primum animatum, non autem animam, quare dum intelligentiæ ponuntur formæ, & actus, ponuntur etiam corpore, ac materia carentes, quicquid modo fuerit de ipſarum ad orbes, vel ſphæras vnione, &c.

Alexand.
Alb. magn.
D.Thom.
Ariſtotel.

ARTICVLVS QVINTVS.

Probatur concluſio quo ad vtramque partem.

DVplici parte conſtabat allata, & dilucidata concluſio; Et pro confirmatione prioris, quæ dicit, intelligentias carere materia, & corpore, vtor primo ratione Auctoris prima par. quæſt. 50. art. primo, quæ deſumitur ex perfectione vniuerſi, immò ex eius natura; Cum enim in ipſo debeant elucere gradus omnes rerum, certe oportebit adeſſe gradum nobiliſſimum, quippe qui eſt intellectualis, intelligere autem, non ſemel dictum eſt, quod non ſit actus alicuius corporis, quare neque natura à qua erit ipſum intelligere, erit corporea.

D. Thomæ ratio.

Sed vt rationis huius efficacia appareat, circa eam quædam adnotabis, & primo, quod dixi gradus omnes oportere eſſe in vniuerſo, non autem creaturas; nam nullus gradus valet eſſe perfectior, quam intellectualis, quamuis ſub hoc eodem poſſint dari creaturæ nobiliores, quoniam quacumque re effecta, me-

 liorem

liorem poteſt efficere Deus, vt habes in Auctore prima par. quæſt. 25. art. 6 excepta humanitate noſtri Saluatoris, & eius Virginis Matris, & beatitudine creata, hæc enim ex ſumma, (licet varia) ad Deum coniunctione, infinitatem quandam ſortita ſunt, vt ibidem habes ad quartum, & in infinitum meliorem poteſt efficere, non quidem nominaliter, hoc eſt, naturam aliquam poſitiue, quæ ſignificet terminum proceſſus in perfectione, ſed aduerbialiter, hoc eſt, ita perfectam, quod ſemper perfectiorem, denotando videlicet modum proceſſus, &c.

Optima in rerum vniuerſitate.

Nota deinde, quod loquimur de gradibus creabilibus, ſic excluduntur ea, quæ nequeunt fieri, & etiam remouetur id, quod quis poſſet adferre de Deo, quippe qui eſt ſumme intellectualis, quare iam abſque intelligentiis elucet hic gradus in mundo, ſed loquimur de gradibus creaturarum, ex quibus conſurgit ordo, qui eſt bonum intrinſecum vniuerſi, vt habemus duodecimo Diuinorum 52. Deus autem eſt bonum ab vniuerſo ſeparatum, & eidem extrinſecum, hoc eſt, non eius pars, vt ibidem legitur.

Ariſtotel.

Nota tertio, quod eſt ſermo de creaturis in ſpecie completis, ſic ruit inſtantia de anima noſtra, hæc enim non ſufficit ad conſtituendum in natura gradum intellectualem, quoniam gradus importat ens in ſpecie completum, liquet autem animam noſtram non eſſe proprie creaturam, vel quid in ſpecie completum, ſed partem eſſentialem creaturæ, & entis completi. Accedit, quod vt idem Doctor Sanctus quæſt. 51. ar. primo docet, in quocumque genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet & inueniri aliquod perfectum eiuſdem generis, hoc eſt, vt ibi exponebat Caiet. quando datur aliqua natura, quæ poſſit diſtingui per plures modos, aut differentias eſſentiales; ſi illa natura inueniatur ſecundum imperfectiorem differentiam, oportet & inueniri ſecundum eam, quæ perfectior eſt, quod tribus mediis probabat, (omnibus ex Ariſtotele deſumptis, ſi quis bene inſpiciat,) tum quoniam, cum vtrumque ſit poſſibile, ridiculum eſſet, quod natura maiorem haberet ſolicitudinem circa imperfecta, quam circa perfecta, nam ſemper natura efficit ex ijs, quæ fieri contingunt id quod melius eſt, vt dicebat Ariſtoteles libro de Animalium inceſſu cap. 10. tum ſecundo, quoniam imperfectiora ſunt ob magis perfecta, vnde materia eſſe ob formam, legitur ſecundo Phyſic. 81. & rationem non materiæ, ſed formæ habendam, ſcribitur primo de Partibus animalium cap. quinto, tum tertio, quoniam quæ diuidunt aliquod commune, ſimul natura ſunt, vt legimus in poſtprædicamentis capite de *ſimul*, in omni vero genere, quod diuiditur adeſt aliquid vt materia, aliquid vt forma, & ex conſequenti aliquid vt imperfectum, aliquid vt perfectum ex quarto de Cœlo 35.

D. Thom.

Caietanus.

Ariſtotel.

Intuemur autem in genere intellectuali imperfectum quoddam, ſenſibus indigens ad hoc, vt ſcientiam acquirat, animam ſcilicet noſtram, ergo in hoc eodem genere debet inueniri perfectum eiuſmodi, vt ſcientiam ſibi congenitam habeat, adeo vt nec ſenſu, nec corpore egeat ad ſcientiæ acquiſitionem, hæc vero erit intelligentiarum claſſis, quippe quæ nedum non erunt corporeæ, nedum non habebunt materiam partem ſui, ceu anima humana, ſed neque vnientur corporibus, vt habeant ſcientiam, ſic gaudebunt illo eſſe, & illa operatione, vt ii que obiectiue à corpore pendeant, ſic enim earum perfectio ſupra animam oſtenditur, &c.

At dices, admitto debere dari in hoc genere intellectuali quid perfectum, & quid imperfectum, quibus diuidatur, & fateor animam humanam eſſe hoc imperfectum, intelligentias hoc perfectum, at nego, ex hoc ſequi intelligentias hanc habere perfectionem, vt abſque corpore intelligant, ſtat enim, quod ſint perfectiores anima noſtra, & tamen quod non habeant ſcientiam, vel congenitam, vel inditam, ita vt in earum intellectione non pendeant & ipſæ à corpore obiectiue, &c. Reſpondeo, quod dum concedis, quæ dicis, ſimul & hoc aliud concedis, quoniam ſi ſit natura intellectualis perfectior, quam tota anima humana, igitur eſt adeo perfecta, quod non egeat, vt ſcientiam ſibi comparet à ſenſibilibus, nam in ſolo homine vis intellectiua indiget corpore pro paranda ſibi ſcientia, vt elicitur ex Auctore prima parte, quæſt. 70. art. 3. Difficultas. Soluitur. D. Thom.

Dico vlterius, quod admiſſo, ſupra animam noſtram eſſe aliquas ſubſtantias intellectuales, non habentes ſcientiam à natura complantatam, tamen ratio adducta concludit, quod huiuſmodi ſubſtantiæ ſint dandæ, nam habere ſcientiam congenitam, eſt modus, qui poteſt haberi à natura intellectuali, (iam enim de facto habetur,) & eſt modus perfectus, vt patet; quo circa, ſi dantur modi imperfecti naturæ intellectualis, vt ſcilicet corporis auxilio egeant, tamquam obiecto pro comparanda cognitione, debet dari, & aſſignatus modus perfectus, ut arguebatur.

Ita vides, rationem hanc, vel rationes, ex ordine, ac perfectione vniuerſi deſumptas, inniti ſubſtantiarum ſimplicium intellectualitati; vnde bene dicebatur in litera, vim intellectualem, quæ in eis reſidet, potiſſimum eſſe medium ad earundem immaterialitatem probandam, vnde ex Themiſtio dicebamus, omne quod eſt intellectuale, eo ipſo eſſe immateriale, quod iam obſeruationibus ad hanc eandem partem manifeſtaui. Themiſt.

Nihilominus pro notitia pleniori ſcito breuiter, quod vt colligitur ex Alberto, vndecimo Diuinorum, tractatu illo ſecundo, & cap. illo 15. nequit vel eſſe, vel intelligi, quod forma, quæ adueniat materiæ, auferat ab ea modum, & rationem ſuæ receptibilitatis, quam habet in formis recipiendis, tunc enim tolleret ab ea eſſe ſuum, quod non eſt intelligibile, cum receptum ſemper accommodatum videamus recipienti, & cum forma ſit ipſius materiæ, quæ eam recipit perfectio, vnde quamuis hanc, & illam formam mox recipiendam auferat ab illa, vt pote formas diſparatas, & contrarias formæ iam in ea exiſtenti, (forma ſiquidem ſub mea materia modo exiſtens, eandem impedit, ne poſſit nunc recipere formam ligni, vel cadaueris, & donec manebit, impediet,) non tamen demit ab ipſa modum ſibi connaturalem recipiendi formas, vt nimirum eas ſecundum eſſe hic, & nunc recipiat, & ita, vt quælibet forma diſtinguat, & diuidat eam ſecundum eſſe, nam alia eſt materia, quæ eſt ſub hac forma, alia quæ ſub illa; Quare ſi natura intellectualis eſſet materialis, & vis intellectiua eſſet forma recepta in materia, tunc quæuis forma poſterius ab ipſo intellectu recepta, oporteret vt diuideret, & diſtingueret ipſum intellectum in eſſe, adeo vt alius eſſet hic intellectus ſub hac ſpecie, alius ſub illa, (ſpecies profecto ſunt formæ intellectus,) hoc autem eſt plenum abſurditatis, quoniam tunc vnus intellectus, vnam ſolum habere poſſet ſpeciem, & tamen in illius ſpeciei receptione fuiſſet ſecundum eſſe diuiſus; Quoniam igitur ſubſtantiæ ſimplices ſunt intellectuales, (quod exigit ordo, & perfectio vniuerſi,) ideo ſunt à materia immunes. Grauis Alberti magni doctrina.

Præte-

Alia ratio. Præterea pro concluſione argue principaliter ſic: Subſtantiæ ſimplices ſunt perpetuæ, & incorruptibiles, ſaltem quantum eſt ex ſe, & ab intrinſeco, vt nedum philoſophi, ſed & theologi docent, & ex intellectuali quoque operatione, tamquam à ſigno id probat Auctor prima parte, quæſt. illa 50. art. 5. quoniam obiectum intelligibile eſt ſupra tempus, (quod luculenter explicat ibidem Caiet.) ergo in eis non eſt materia, probatur conſequentia, quoniam materia eſt cauſa corruptionis, & vbi materia ad eſſe, ibi corruptio. Quod ſi dicas, corpora etiam cœleſtia eſſe incorruptibilia, & tamen ex materia conſtare, memento primo, quod hæc ſunt corpora, ac proinde non intelligunt, intelligentiæ autem intelligunt, memento deinde, quod intelligentiæ mouent corpora illa, vt habes ex Platone multis ex illis locis art. 3. citatis, præcipue dialogo illo 10. de Legibus, & ex Ariſt. duodecimo Diuinorum 48. quare cum mouens ſit nobilius moto, ex tertio de Anima 19. oportet ab illis & materiam illam remouere, quæ eſt in ipſis orbibus, memento vlterius, quod mouent per modum intellectus, & deſiderij, vt ſimiles ſe reddant primo mouenti, quod mouet tamquam amatum, & deſideratum, ex eodem duodecimo 37. & denique in motione deſatigarentur, quod eſt contra philoſophos omnes.

D.Thom.

Plato.

Ariſtotel.

Alia motiua innuuntur. Accedit, quod philoſophi omnes, ſaltem peripatetici concedunt, edocti ab Ariſtotele, duplicem eſſe ordinem, alterum ſenſibilium, alterum intelligibilium, & hunc vocant omnes à materia immunem, in quo nullus ambigit reponi intelligentias, quod etiam patet ex communi vſu loquendi omnium, vocantur namque entia ſimplicia, abſtracta, &c. nomine cuius abſtractionis nil aliud accipitur, quam à materia ſeparatio, ſimiliter nomine ſimplicitatis nil aliud, niſi immunitas à compoſitione materiæ; ſunt quoque formæ, vt conſtat, quare ſine materia, & poſtremo hoc cedit in ipſarum nobilitatem, ſic dicuntur propinquiores primo actui, elongatiores à materia, &c.

Denique, non erit aſſignare, quæ corpora fuerint illa, ſi quis dicat, intelligentias eſſe corporeas, nam organica non poterunt eſſe, quoniam & diſtinctionem partium habebunt, & cognitionem ſenſilem, & corruptibilia erunt, & labore præmerentur, dum mouerent orbes, neque ſimilaria, tunc enim nullius eſſent figuræ, ſed penitus informia, nullatenus diſtincta, quorum nullum entium illorum decet dignitatem, demum vana prorſus eſſent, ac redundantia, quoniam nullus aſſignabit, ad quid inſeruire poſſint entibus illis nobiliſſimis, etiam ſi corpora illa ponantur eſſe cœli, vt magis conſpicuum fiet quæſtione vltima ad hoc caput, quæ non parum huic connexa erit, vt proinde nihil mirũ eſſe debeat, ſi quædam hic tradita, & ibi tradenda, vtrique poſſint deſeruire.

Rationes ex Theologia. Et hæc de philoſophicis argumentis, nam theologica non deſunt, quoniam in aliquo arreptitio erunt innumerabiles dæmones aliquando, quod ſi eſſent corporei, quomodo abſque magno miraculo in vno corpore tot corpora eſſe poſſent? Rurſus, quomodo abſque fractione cœli, (ſi miracula ſemoueas,) ad nos perſæpè deſcenderent; & iam olim primis mundi diebus, qui rebelles ſuo Conditori fuerunt, ad inferas partes deſcendiſſent? Tandem, cum fuerit definitum à Concilijs, & à Patribus, animam eſſe incorpoream, vt mox dicemus, apparet conſequens prope manifeſtum, vt idipſum de angelis ſit pronunciandum.

Iam vero probo concluſionis partem poſteriorem, qua affirmatur ſimplicitas animæ humanæ, & iis omiſſis, quæ ad falſas priſcorum philoſophorum de ſubſtantia animæ poſſent attinere ſententias, quas clare legis apud Ariſtote-

lem

lem ſecundo de Anima, à 20. vſque ad 35. dico certum eſſe apud Ariſtotelem, quod ſit forma ſimplex, nam ſecundo eiuſdem 2. diuidens ſubſtantiam, & tria eiuſdem membra conſtituens, materiam videlicet, formam, & compoſitum, mox tex. 4. colligit, & probat, animam eſſe formam, & actum, ac quidem primum, vt ibi 5. & 6. textu docet, vidimus autem art. huius quæſtionis 4. formam omnem vt ſic, eſſe incorpoream. At quod multo magis refert, certa eſt ſecundum Fidem veritas hæc, quemadmodum auctoritate Conciliorũ, Scripturæ, ac ſanctorum Patrum probant Bannes, & Gregorius de Valentia p.p. quæſt. 75. art. 2. Neque turberis, quod ſit vere forma corporis, & vniatur materiæ, quoniam ita ei vnitur, vt non pendeat ab ipſa in eſſe, ſed e contra, vt manifeſtaſſe me cenſeo in fine obſeruationum ad hanc literam, & ratione intellectiuæ facultatis ſupergreditur materiam, adeo vt ipſa quidem ſecundum eſſentiam ſuam ſit actus corporis, non autem ipſa facultas intellectiua; Et quidem ſi intellectus ſit ab eſſentia animæ realiter diſtinctus, vt vult Auctor, facile ſatis videtur poſſe defenſari, quomodo ipſa ratione ſuæ eſſentiæ ſit actus corporis, non autem ratione potentiæ, ſed etiam ſi non re, ſed ratione ſolum à ſua potentia intellectiua diſtinguatur, adhuc bene dici poteſt, quod anima vt ſic actus ſit corporis, non autem vt eſt intellectiua, quod explicatur à Caiet. pri par. quæſt. 76. art. 1. ad primum, dicendo, animam intellectiuam, vel intellectum identice, at non formaliter eſſe actum corporis, hoc eſt, vt ipſe declarat, ſecundum rem eſt res recepta in corpore, ſed non habet ex eo quod eſt intellectiua, vt ſit recepta in corpore, (aliàs omnis forma intellectiua reciperetur,) ſed ex eo habet, vt ſit independens à corpore, quoniam intelligere per nullum organum corporeum valet exerceri, quare multo minus id à quo formaliter, & vt ſic prouenit, recipietur in corpore; ſic intelligere eſt à ſola anima, eſt enim actio immanens, & ſecundum rem vindicat id ſibi anima intellectiua, vt poſſit eſſe, & operari abſque corpore, quod nequit dici de gradibus metaphyſicalibus, puta de formis coniunctis vtique ſecundum rem materiæ, at formaliter, & cum præciſione à materia conſideratis; quamuis enim forma bouis, (vt motiuum ibidem Caiet. adhibeam,) quatenus ſubſtantia, non ſit corporis actus, (alioquin nulla ſubſtantia nõ eſſet actus corporis.) non tamen quatenus realiter eſt ſubſtantia habet, vt non ſit corporis actus, ſed ſecundum abſtractionem dumtaxat, anima vero intellectiua, vt intellectiua vere, ac realiter obtinet, vt non ſit actus corporis, vt non pendeat à corpore, neque in eſſe, neque in operari; vnde non dico, neque Caiet. dicit, quod prout intellectiua, non ſit forma hominis, ſcio quippe, hominem eſſe hominem per animam intellectiuam ſibi formaliter intrinſecam, aliàs homo non foret rationalis, non foret homo, ſed uolo dicere, quod prout intellectiua, non habet vt pendeat à corpore, immo habet vt non dependeat, & latum diſcrimen eſt dicere, hoc eſt vere forma illius, & hoc in eſſe pendet ab illo, vt cuique peruium eſſe poteſt, &c.

Ariſtotel.

Bannes. Gregor de Valentia.

Caietanus.

Quomodo anima intellectiua non ſit actus corporis.

Cum igitur pleno dominio potiatur anima hominis ſupra materiam, relinquitur, vt in ſui eſſentia ſit à materia, & à corpore omnino aliena, ac proinde carens compoſitione ex materia, & forma, &c.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Diluuntur argumenta in contrarium adducta.

QVarto quæſtionis art. declaraui, quomodo intelligentiæ ſint finitæ, & infinitæ, quod tangebat primum argumentum, finitur profecto earum eſſe, quoniam in eſſentia eſt receptum, non autem finitur ipſarum eſſentia, ex eo quod in materia recipiatur; Quando vero Auctor in argumento citatus inquit, omnem formam finiri per materiam, materiæ nomine accipe quoduis receptiuum in ordine ad recipiens, ſic in propoſito, earum eſſentia rationem ſapit materiæ, & rurſus non ſunt infinitæ ratione eſſe, ſed eſſentiæ, modo explicato.

Quid nomine materiæ.

Ad ſecundum bene ibi reſpondebatur, at quando infertur, quod pari ratione Deus foret in prædicamento, negatur, ad probationem patebit fuſius capite ſequenti huius libri, quæſt. 1. Nunc dicas breuiſſime, in intelligentiis differre eſſe ab eſſentia, in Deo autem nequaquam, ſic in illis vere inuenitur ratio generis, & differentiæ, in hoc nequaquam, ac proinde hic non locatur in prædicamento, illæ vero vtique.

Ad tertium ſatis manifeſte patuit ex obſeruationibus iactis art. quarto, quænam potentia, quale recipere, quale pati, quale mutari, ac denique qualia eiuſmodi ponantur in intelligentiis, & in anima, quoniam æquiuoce de vera materia, & de his dicuntur, vt totum proinde cadat argumentum.

Prior quarti argumenti ſolutio.

Ad quartum dico primo, collectionem, ſeu combinationem graduum non eſſe neceſſariam ad naturam, ſiue perfectionem vniuerſi, ſed ſat eſt, omnes gradus in illo contineri, ita enim perfectum eſſet, ſi intellectiuum ex ſe, ſenſitiuum ex ſe, motiuum ex ſe, ac demum vegetatiuum ex ſe inuenirentur, ac modo perfectum ſit, quando inueniuntur hi gradus cum combinatione illa, quam nemo non agnoſcit: loquendo de perfectione ſecundum entitatem, & ſubſtantiam, quicquid fuerit de ornatu, ac ſplendore, ex illa colligatione emergente; hinc non requiritur ad vniuerſi perfectionem, vt inueniatur intellectiuum, & ſecundum locum motiuum abſque ſenſitiuo, quoniam abſque hac colligatione iam hi gradus abſolute cernuntur in vniuerſo, ſic patet, nullam eſſe proportionem huius rationis, quæ adfertur in argumento, ad illam Auctoris, hic enim arguit inueniri angelos ex gradu intellectiuo abſolute, quippe qui non eſſet perfecte in vniuerſo, niſi forent intelligentiæ à corpore, & à materia immunes. Rurſus, maioris nobilitatis eſt, vt inueniatur intellectiuum ex ſe ſeparatum, quam alicui alio gradui coniunctum, quare ex vniuerſi perfectione illud colligere licuit, ad quam perfectionem neutiquam facit, vt inueniatur coniunctum cum ſecundum locum motiuo.

Poſterior.

Dico ſecundo, quod etiam ſi admittatur graduum combinatio ad vniuerſi perfectionem exigi, adhuc ratio eſt inefficax, quoniam talis connexio intellectiui cum ſecundum locum motiuo, vel eſt impoſſibilis, vel penitus vana, quoniam ſi fiat ſermo de vero motu phyſico, hic non conuenit niſi corpori trinam habenti dimenſionem, & poſitiones omnes, ſuppono enim tale corpus fore organicum, hæc autem abſque ſenſitiuo inueniri non poſſunt, ſi autem ſermo ſit de motu metaphyſico, qui æquiuoce dicitur motus, collatus cum phyſico, certe

Cui motus phiſicus conueniat.

co, certe

co, certe abſque tali corpore ſecundum locum motiuo inuenitur in intelligentiis, quare fruſtra intellectiuum colligatum eſſet huic motiuo. Denique, omnia quæ adduxi pro firmanda ſubſtantiarum ſimplicium ſimplicitate, hoc argumentum euertunt, quoniam probant, nullam materiam, nullumvè corpus eſſe intelligentiis, vel animæ coniunctum.

Ad quintum, communis, idemque optimus modus reſpondendi, is eſt, vt dicatur, non omnia, quæ recitantur, ac legimus in ſacris Conciliis, habenda eſſe tamquam definitiones Conciliorum, ſed ea, in quorum gratiam ordinantur Concilia, & ea, de quibus intentio eſt Patribus data opera definire; Sic conſueuit dici, & profunde, verba Conciliorũ accipienda eſſe in ſenſu, in quo fiunt, non in ſenſu, quem faciunt, hoc eſt, ipſorum intentionem ſpectandam, hic enim eſt ſenſus, in quo fiunt, non autem verba omnia, quæ materialiter adferuntur, qui eſt ſenſus, quem faciunt. Sic cum in memorato Concilio intentio eſſet de cultu, ac veneratione imaginum, definitum fuit, quod angeli poſſunt depingi, non autem fuit ſancitum, quod ea ratione poſſint depingi, quia ſint corporei, ita approbata fuit concluſio, non ratio pro concluſione; Neque obſtat, quod Epiſcopus ille dixerit, ſic ſentire catholicam Eccleſiam, quoniam cum hæc non intenderent ibi Patres definire, num ſcilicet angeli eſſent, an non eſſent corporei, permiſerunt verba illa ab illo Ioanne Epiſcopo recitari, neque nimis de hoc fuerunt anxij, tum quoniam ſententiam illam minus veram de corporeitate in intelligentiis aſtruenda permittebant ſic recitari, tamquam minorem errorem, vt poſitionem penitus falſam, & maiorem errorem euitarent, de abolitione ſcilicet imaginum. Dictum commune. Dictum profundum. Diluitur obiectio.

Quod autem in conciliis ſit Patrum inſtitutum, & quo ſenſu fiant Concilia, non eſt difficile attente contemplanti dignoſcere, & ex aliquibus capitibus id colligi licet, ſed potiſſimum ſunt, quæ per definitiones, ac concluſiones, & canones diſtributa inueniuntur. Vide ſi placet Bannes ſecunda ſecundæ, quæſt. prima, art. 10. dubitatione ſecunda ad ſeptimum, & non pauca ad hoc elicere poteris, &c. Bannes.

Ad eiuſdem argumenti confirmationem, deſumptam ex ſanctorum Patrum, atque Philoſophorum grauium teſtimonio, dic primo, quod eorum nonnulli, Platonicorum, vel etiam Platonis ſententiã in hoc pronunciabant, vnde ad aures potius ipſorum, quam ex propria ſententia in hoc loquebantur; ſic D. Auguſtinum explicat, ac interpretatur Auctor prima parte, quæſt. illa 51. art. primo ad primum, & quæſtione illa de Dæmonibus, art. primo ad nonum, quo pacto eundem, & alios antea interpretatus eſt Albertus p. p. ſummæ de quatuor Coæuis, quæſtione de natura angeli, art. 3. ad octauum; Dic ſecundo cum eodem ibidem, quod loquuntur de corporibus aſſumptis; Capreolus etiam in ſecundo, diſt. illa 3. quæſt. 1. ad quintum Aureoli contra primam concluſionem exponit D. Auguſtinum, vt loquatur ſequens opinionem Platonicorum, & ibidem dat quoſdam ſenſus, in quibus poteſt accipi idem Doctor, dum videtur ponere materiam in angelis, vt primo, nomine materiæ intelligatur omne potentiale, ſic eſſentia erit materia, deinde, quod aſſerere materiam in eis eſſe, non ſit contra Fidem, & demum cum Auctore de Spiritualibus creaturis, art. primo ad quartum inquit, D. Auguſtinum per materiam inuiſibilium intelligere informitatem naturæ ſpiritualis, quatenus nondum eſt conuerſa ad Verbum, à quo illuminatur, ſic nomine materiæ videtur ſumi omne imperfectum comparatum perfecto, &c. Dic poſtremo, quod quoniam D. Thom. Albe. mag. Capreol.

quidam Patres ſancti, & Philoſophi nullam expoſitionum adductarum accommodate ferre poſſunt, eapropter non eſſe formidandum aſſerere, eos in ſententia contraria fuiſſe; nos vero ab eis in hoc, rationibus ſuperiori art. adductis recedere, & opinioni iam paſſim receptæ manus dare, &c.

Ad vltimum, ex probatione poſterioris partis concluſionis habetur, quomodo anima ſit quidem actus, & forma corporis, cum quo tamen ſtet, quod obtineat operationem ſupra corpus eleuatam, & vires, vel conditiones materiæ excedentem; Ad motiuum autem, quod innititur, quod ſcilicet ſequeretur, intellectum eſſe abſtractiorem anima, & virtutem ſupergredi eſſentiam, cuius eſt virtus; Ferrarienſis tertio de Anima, quæſt. quinta, in fine dilucidationis, priuſquam reſpondeat argumentis principalibus, poſt nonnulla quæ attulit, demum aſſerit, nullum inconueniens eſſe, ſi dicatur intellectus abſtractior ſecundum quid ipſa anima, non autem ſimpliciter, quoniam ſcilicet non eſt actus corporis, anima eſt actus corporis, & hanc reſponſionem tamquam meliorem ibi acceptat, & ſecundo cont. Gent. cap. 69. firmius huic doctrinæ adhæret, & eam nititur probare eſſe conformem doctrinæ Auctoris; At vero Caiet. prima p. q. 76. art. primo ad quartum inquit, nequaquam intellectum eſſe abſtractiorem anima, ſed docet eum habere modum quendam alium abſtractionis, inquiens, quod dum arguitur, eſſentia animæ eſt actus corporis, intellectus non eſt actus corporis, ergo intellectus eſt abſtractior anima, committitur ſophiſma figuræ dictionis, quoniam tranſitur à quomodo, ad magis, hoc eſt, modus abſtractionis mutatur in maiorem abſtractionem; & quamuis opinio Ferrarienſis non ſit omnino improbabilis, longe tamen probabilior eſt ſententia Caiet. nam nullus inficiabitur, animam eſſe longe abſtractiorem, cum ſecundum eſſe non dependeat à materia, & ex ſe queat ſubſiſtere, quod non poteſt dici de intellectu, qui eſt eius accidens; quod autem hic non ſit actus corporis, infert quippe aliquem modum abſtractionis, & alium ab anima, non tamen maiorem, vt patet.

Ferrarien.

Caietanus.

Motiuum Ferrarienſis.

Neque vel parum officit, quod habet Ferrarienſis loco relato contra Gent. quod ſcilicet anima coniuncta corpori non ſit magis abſtracta, quoniam licet ſubſiſtat, tamen eſt corpori vnita ſecundum eſſe, vnde fatetur illam eſſe perfectiorem intellectu, at non magis abſtractam; Sed illa ſua vnio ad corpus non præiudicat ſuæ abſtractioni, quoniam etiam vt ſic coniuncta non habet eſſe dependens à materia, ac valet per ſe ſubſiſtere, vnde abſtractio quam in ipſa ponimus, non eſt formaliter attendenda penes actum ſubſiſtendi per ſe, nam tunc materiæ vnita, non eſſet abſtracta, ſed ſpectatur ex ſubſiſtentia virtuali, hoc eſt, ex eo quod ex ſe ſubſiſtere poteſt, nullatenus in eſſe à materia pendens. Profecto ſi intellectus foret dicendus abſtractior quam anima, oporteret, vt primo gauderet abſtractione, qua gaudet anima, & vltra hoc, aliud quid haberet, vel ſi non habeat abſtractionem, quam habet anima, ſaltem obtineret excellentiorem abſtractionem, at hoc non inuenitur, ſed res e contrario ſe habet, vt proxime dicebatur. Denique, abſtractio animæ ſecundum eſſe, eſt cauſa abſtractionis intellectus ſecundum actum, non enim, quia intellectus habeat operationem ſupra materiam, ideo anima eſt ſubſiſtens, ſed quoniam hæc eſt ſubſiſtens, ideo potitur operatione non immerſa materiæ, & plene vidimus principio obſeruationum ad hoc caput, quod intellectio non ſit cauſa immaterialitatis alicuius rei, ſed effectus, ergo abſtractio animæ eſt maior, cum ſit cauſa, quoniam cauſa æquiuoca ſaltem eſt dignior effectu

Solutio.

fectu

ſectu, & vere abſtractio illa, ſeu modus illius abſtractionis animæ, eſt cauſa æquiuoca modi abſtractionis intellectus, quoniam ille eſt quo ad eſse, hic quo ad actum, & operationem, ſic non ſunt eiuſdem rationis; Banneſius quoque p.p. loco nominato, quamuis non appareat à Ferrar. diſſentaneus, cum eius doctrinam, ſatis probabilem, & ſatis conſonam Auctoris docrinæ appellet, (quæ & de illa Caiet. enunciat,) addit nihilominus, probabiliorem ſibi videri Caiet. doctrinam, quam & Gregorius de Valentia ibidem amplexatur. Bannes. Grego: de Valentia.

QVAESTIO SECVNDA.

Num quauis potentia queat materia ſine forma exiſtere.

CIRCA tertiam partem, vbi proferebatur, nullam materiam poſſe eſſe ſine forma, quod & ratione muniebatur, verſare placet cum Caiet. quæſtionem arduam; qua philoſophorum, & metaphyſicorum aures quotidie verberantur, num ſcilicet materia poſſit eſſe ſine forma, pro cuius definitione octo præcipue faciam, nam primo adferam quæ hæc quæſtio ſupponat, & quæ inueſtiget, ſecundo quid viri docti ſenſerint, & cur ita, tertio aperiam per concluſionem, materiam propriam habere eſſentiam, quarto hanc purā eſſe potentiam dicam, & probabo, quinto quorundam circa hoc opinionem adducam, & reiiciā, ſexto loquar de actu, & quiſnam detur manifeſtabo, ſeptimo reſpondebo formaliter ad quæſtionē per vnam concluſionem, eā confirmando, vltimo rationes in contrarium ſoluam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponatur, quid inquiratur.

QVamuis materia ſit debilis valde, ac minimæ entitatis, adeo vt ab Ariſtot. primo de Generatione 21. & 22. vocetur pluries non ens, & ſeptimo Diuinorum 8. dicatur, nullum eſſe eorum, quæ ſunt in cathegoriis, & à D. Auguſtino nuncupetur prope nihil, ita vt non pauci dubitauerint, num daretur in rerum natura, nihilominus omnes ferè, qui de rebus naturalibus tractarunt, eam poſuerunt, immo plerique ex priſcis philoſophis, hoc unum principium agnoſcebant rerum omnium, vt legis apud eundem Ariſtotelem, eodem primo de Generatione tex 1. & in procemio primi Diuinorum, toto ferme cap. 4. vbi adfert poſitionem Heracliti, Taletis, Hipaſi, Anaximenis, & Diogenis, quorum adhuc voluntates adducit ſuppreſsis nominibus 2. Phyſicorum nono, & quinto Diuinorum 5. Sed & diuinus Plato eam aſsignauit, & multa de ipſa in Timeo docte tradidit, quorum nonnulla art. 4. referam; Denique Ariſtoteles eam commemoratis locis, & alibi ſæpe ponit, primo præſertim Phyſ. à 51. vſque ad finem prope libri, de ipſa vnà cum forma, & priuatione loquitur, & 82. ibidem eius ſtatuit definitionem. Rerum quoque tranſmutatio eam neceſſario ponendam manifeſtat, vt enim colligitur ex 51. citato, naturalium rerum tranſmutatio de vno contrario in aliud fieri debet, (quod & 12. Diuinorū 6. habes,) quoniam quodlibet non fit ex quolibet, ſed ex ſibi contrario, vt 43. & deinceps primo illo Phyſicorum habetur, at contrariorum tantum abeſt, vt vnum alterum recipiat, quod ſemper mutuo ſe expellunt, hinc oportet dari Ariſtotel. Plato.

tertium quoddam ſubiectum, quod nunc ſub uno, nunc ſub altero contrariorum ſit, & hoc erit materia, vt eiſdem locis habes, & à ſexto illo duodecimi Diuinorum vſque ad 15. Sic dicebam in annotationibus circa tertiam partem ſecundi capitis huius libri ex communi doctrina, & præcipue Auerrois commento vlt. primi Phyſ. quod via tranſmutationis inuenta eſt materia; Quare cum philoſophis omnibus, ac potiſsimum peripateticis ſupponemus & nos in hac quæſtione ipſam dari.

Auerroes.

Verum vltra quæſtionem hanc *an eſt* de materia, illud etiam ſupponamus, quod ſit ens reale, & quod ſit ſubſtantia, quorum vtrumque totus peripateticorum cœtus tradit, nam clare apud Ariſtotelem toto ferè primo Phyſic. ponitur principium intrinſecum rerum naturalium in re facta permanens, ad differentiam priuationis, quæ in re non manet, vt legis præcipue 80. & 82. & 12. illius duodecimi Diuinorum, quod ſi ſit principium ſubſtantiæ, iam erit ſubſtantia, quoniam ex non ſubſtantiis non eſt ſubſtantia, ex eodem primo Phyſic. 52. & ſeptimo Diuinorum 47. Rurſus, cum principium ſemper ſit prius ſaltem ſecundum rationem eo cuius eſt principium, ſi materia non foret ſubſtantia, iam aliquod accidens eſſet prius ſubſtantia, quod eſſe impoſſibile, eodem 47. legimus; Præterea, ſemper materia in numero cauſarum, ex quibus omnia naturalia fiunt, recenſetur ab eodem Philoſopho, dum cauſarum genera aſsignat, vt ſecundo Phyſicorum 28. procemio Diuinorum, cap. 4. & 5. eorundem 2. quare nequit eſſe accidens, ſed & ab eodem dicitur natura ſecundo Phyſic. 10. & quinto Diuinorum 5. nullus autem ignorat, naturam eſſe ſubſtantiam. Denique diuidens ſecundo de Anima 2. & 25. & octauo Diuinorum 3. ac 12. eorundem 14. ſubſtantiam, triaque ſubſtantiæ diuiſæ membra enumerans, materiam ſemper recenſet, conſtat autem, enumerata ſub aliquo communi diuiſo, participare naturam illius communis; Sic itaque in hac quæſtione non inueſtigabimus eſſe materiæ, in eo ſenſu, num ſubſtantiale, num accidentale, ſed eam ſubſtantiale eſſe obtinere ſupponamus, ſciſcitantes, num poſſit in rerum natura abſque forma, quæ alterum principium ponitur rerum naturalium ab Ariſtotele, aliud genus cauſæ, altera natura, & demum aliud membrum ſubſtantiæ diuiſæ, locis illis, in quibus hæc de materia docuit.

Ariſtotelis loca varia.

At vero obſerues, nos in præſenti ſumere materiam præciſe, & vt ſic, merita ipſius pure conſiderando, quauis omnino forma vt ſic deſtitutam, hoc eſt, materiam primam, ac puram, quamuis enim á fœlicibus ingeniis conſueuerit nonnumquam aſsignari, & iure diſcrimen inter materiam primam, & nudam, de quo nonnihil innuam in quæſtionibus de vnitate formæ in compoſito ad vltimum caput libri, attamen in propoſito, idem vtraque refert, quoniam & hæc, & illa dicit materiam omni forma vt ſic quantum eſt ex ſe carentem.

Obſerua vlterius, inter omnes conuenire, omne quod exiſtit, exiſtere formaliter per aliquam exiſtentiam, hoc enim tã clarum eſt, quam quod omne albũ ſit albedine album, ſed diſſentiunt viri clariſsimi in aſsignanda radice, & origine huius exiſtentiæ, ſi enim omnes illud perſuaſum haberent, vt à ſola forma ſit omnis exiſtentia, iam ex conſequenti omnes dicerent, materiã non poſſe ex ſe exiſtere, ceu dicunt illi, qui omnis exiſtentiæ cauſam, formam volunt, quoniam nullus adhuc quantum me legiſſe recolo, actum illum formalem in eſſentia materiæ locauit, & deinde, ſi quis hoc materiæ tribuerat, non eſſet cum eo altercandum, quoniam tandem merito formæ, licet non quæ ab ea eſſet diſtincta, exiſteret; Sed quoniam nonnulli cenſent, aliunde poſſe

profi-

proficiſci exiſtentiã, quam à forma, eapropter, quidam aſſerunt, materiam abſque forma poſſe eſſe; In eo nihilominus conueniunt omnes, vt omnis exiſtentia ſit merito actus, adeo vt qui materiam cenſent abſque forma poſſe exiſtere, non tamen dicunt exiſtere abſque vllo actu, ſed ei elargiuntur aliquem actum alium à forma, ſuæ entitati, ac eſſentiæ conuenientem; Vnde idem eſt quærere, num materia poſſit exiſtere abſque forma, & num omnis exiſtentia à forma proficiſcatur, ſi enim nulla exiſtentia, niſi merito formæ, & in eſſentia materiæ vt ſic, nulla forma, illud erit conſequens, vt materia abſque forma nequeat habere eſſe, ſin vero abſque forma poſſit adeſſe actus exiſtendi, iam ſine eadem forma contingere poterit, vt materia exiſtat; Ita minus bene ſentiunt illi, qui docent, idem eſſe dicere, materiam eſſe puram potentiam, & eandem non poſſe eſſe ſine forma, quoniam poterit quis dicere, licet materia de ſe ſit pura potentia, attamen merito alterius, quam formæ poteſt exiſtere, vtpote merito alicuius actus, qui alius ſit à forma; At ſi dixiſſent, idem eſſe quærere, an materia ſit pura potentia, & an materia ſecundum ſe eſſe poſſit, optime locuti fuiſſent, quoniam certiſſimum eſt, potentiam ex ſe non poſſe exiſtere, ſed aliquem actũ exigere; Quare & hoc inueſtigabimus nos, num ſcilicet materia ſit pura potentia, tunc enim habebitur, an per ſe poſſit exiſtere, ſed hic non ſiſtemus, quoniam adhuc indagabitur, num queat exiſtere beneficio alterius actus, vel rei, quam à forma proficiſcentis. Quid omnibus commune. Quorundã minus vera opinio.

Vltimo aduerte, quod quæſtio hæc non quærit præcipue de facto, ſed de poſſibili, nam de facto conſentiunt omnes, quos viderim in parte negante, nam & ij, qui aſſerunt eam ſine forma eſſe poſſe, dicunt tamen, quod eſt ſemper ſub aliqua forma, quocirca difficultas eſt de poſſibili, conſiderato relatione ad diuinam potentiam, ſiue fuerit vſitata, ſiue abſoluta, qui termini declarabuntur art. ſeptimo, &c.

Eſt ergo quæſtio, num materia, quam ſupponimus dari, & eſſe ſubſtantiam, proprie accepta, ac præciſe, aliquem includat actum, ita vt per ſe exiſtere poſſit, an merito ſolum formæ id queat quacumque potentia obtinere, vel potius ope alicuius alterius à forma, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ fuerit multorum ſententia, & quomodo corroborata.

SVbtilis Doctor ſecundo ſent. diſt. 12. quæſt. prima dat materiæ entitatem propriam, & realiter ab illa formæ diſtinctam, & eidem actum donat entitatiuum, quod & videtur docuiſſe ſeptimo Diuinorum, quæſt. quinta, ex quibus deinceps quæſt. ſecunda illius diſtinctionis, docet materiam poſſe abſque forma exiſtere, quem eius diſcipuli ſecuti ſunt, & præcipue Antonius Trombeta octauo Diuinorum, quæſt. prima, & Antonius Andreas, ſeptimo eorundẽ, quæſt. ſexta Quos plane in actu illo entitatiuo, ſiue non formali, ſed eſſentiæ, & exiſtentiæ præceſſit Henricus de Gandauo, quolibeto quarto, in fine quæſt. 16. vbi inquirit, num angelus ſit compoſitus ex materia, & forma; Alenſis etiã quæſtione prima ſuper quartum tex. octaui Diuinorum, actum tribuit materię, nam vltimis verbis illius quæſt. inquit, materiam eſſe in potentia, ad actum formæ, Scotus. Trombeta. Ant. Andr. Henricus. Alenſis.

Ariminen. mæ, ſed non ad actum proprium; Gregorius quoque Ariminenſis allegata diſtinctione ſecundi ſent. quæſt. ſecunda, ar. tertio, actum exiſtentiæ ipſi aſcribit, quibus deinde adhæſere Pererius lib. 5. de principijs rerum naturalium, cap. 13. octo rationes adducens pro exiſtentia materiæ propria, abſque illa formæ confirmanda, & Fonſeca, qui tertia quæſtione ad caput ſeptimum primi Diuinorum, in fine ſectionis octauæ poſt multa de natura materiæ probe allegata, inquit ſe credere, quod vendicet ſibi peculiarem exiſtentiæ actum, vt libro octauo ſe ait oſtenſurum, quem tamen actum eidem accidentarium docet, neque ſufficere, vt per eum materia ſit eſſentialiter ens actuale. Mercenarius vero ſecundo ſuarum dilucidationum tomo, dum explicat materiæ definitionē ab Ariſtotele ſeptimo Diuinorum octauo traditam ait, potentiam materiæ nō excludere omnem actum, quoniam non excludit actum entis, & gradum ſubſtantiæ, ſed tantum actum formæ, & exiſtendi gradum; Toletus Cardinalis quæſtione ad primum Phyſ. 13. actum quendam imperfectum, nedum eſſentiæ, ſed & exiſtentiæ eidem impertit, docens per diuinam potentiam poſſe eſſe abſque forma; Denique Sotus quæſt. ſexta eiuſdem libri docet, poſſe materiam abſque forma per potentiam Dei exiſtere, quod docuit & Gregorius de Valentia ad primam par. quæſt. 66. art. primo, & videtur placuiſſe Molinæ eadem prima par. quæſt. 15. art. tertio in quinta concluſione.

(Margin: Pererius. Fonſeca. Archang. Mercenar. Toletus. Sotus. Gregor. de Valentia. Molina.)

Conueniunt hi omnes, qui aliquem actum materiæ tribuunt, quod actum hunc non dicunt formalem, ſed ab ipſo prorſus condiſtinguunt, quoniam hunc ab illa penitus negant, ſed alij ipſum vocant entis, vel entitatiuum, alij vt Henricus, & Ariminenſis, exiſtentiæ, qui amplius quid videntur dare materiæ, quam det Scotus, & alij; Verum tamen eſt, Scotum prima illa quæſtione diſt. 12. dicere, quod materia non ſolum eſt in potentia obiectiua tantum, ſed & in potentia quoque ſubiectiua, exiſtens in actu, vel actus, & inquit, *non curo quodcumque dicatur, ſecundum quod omne illud dicitur eſſe actu, vel actus, quod eſt extra cauſam ſuam*, vbi forſan in re non facit differentiam inter actum exiſtentiæ, & entitatiuum, & ſi eius rationes, quas multas ibi adducit expendantur, colliget quiſquis, nonnihil exiſtentiæ ab ipſo tribui materiæ ſecundum ſe, velut expreſſe collegerunt, qui reſolutiones illius, & aliarum eius diſtinctionum formarunt, Enimuero vltra potentiam actiuam, & paſſiuam, quas recenſuit, & definiuit Ariſtoteles nono Diuinorum ſecundo, imaginatus eſt Scotus potentiam aliam tertiam, quam vocat obiectiuam, quæ nil aliud eſt, quam res nondum producta, ſed vt producibilis, velut flos generandus, cui potentiæ nouum actum reſpondentem applicauit, quem entitatiuum vocat, qui nimirū erit res eadem, quatenus iam actu producta eſt, & extra cauſas ſuas habuit eſſe, actum vero formalem applicat potentiæ ſubiectiuæ, vel paſſiuæ, ceu & alij faciunt, quare cum intueatur materiam non eſſe nihil, eſſe extra ſuas cauſas, donat ei memoratum actum entitatiuum, cuius beneficio, & alijs rationibus, vt videbimus vult, vt per diuinam potentiam queat exiſtere abſque forma.

(Margin: Scoti cogitatio.)

Et hæc breui de Scoti opinione, nam poteſt quiſque eam late apud ipſum legere, & apud pleroſque auctores, & antiquiores, & recentiores, qui eam plene explicant, vt inferius dicam.

Pro huius doctoris, vel horum doctorum ſententia, ſi quæ omnia ſolent, & poſſent adduci argumenta referre vellem, & mihi, & alijs grauis, ac moleſtus eſſem, quoniam in infinitum propemodum multiplicari cōſueuerunt, & vnuſquiſque nouas rationes adinuenire ſtudet, vanus præterea extaret labor, quoniam

niam argumenta ferè omnia difficiliora, & præcipue antiquorum, eorumque qui poſitionem hanc fundarunt, iam à permultis grauiſſimis Auctoris diſcipulis, & magiſtris noſtris, & alijs etiam debilitata omnino fuerunt; Quare firmiora ſolummodo, tum antiquiorum, tum recentiorum adferam, ea fundamenta poſtea iacturus, ex quibus leuiſſimo negotio poterit quilibet ex ſe argumētis alijs occurrere, & auctores varios allegabo, apud quos alias rationes ſi placuerit videre poſſit lector.

Sic itaque prior ratio, quæ multa, ne dicam omnia motiua Scoti, & aliorum complectatur, quibus probare conantur, materiam habere aliquem actum: Materia eſt ſubſtantia, eſt principium rerum naturalium, ac earundem cauſa intrinſeca, habet eſſe extra cauſas ſuas, eſt pars compoſitæ ſubſtantiæ, primo Phyſic. 81. dicitur exiſtere, & permanere in compoſito, à Platone in Timeo ijs tantum pronominibus putatur appellanda, quibus hoc, vel illud ſignamus, vnde videtur vocari hoc aliquid, & quæ enumerata ſunt, conueniunt materiæ, quatenus à forma condiſtinguitur, aliàs non enumeraretur ſæpe ab Ariſtotele pars ſubſtantiæ contra formam, quando varijs in locis partitur ſubſtantiam, non forent tria principia rerum naturalium, non quattuor cauſæ, non fuiſſet producta, non eam includerent ſubſtantiæ materiales, tamquam partem ſui, quæ omnia abſona ſunt, igitur materia habet aliquem actum, & non eſt pura potentia, probatur hæc conſecutio, quoniam ſubſtantia eſt, quæ poteſt ſubſiſtere, nam ex actu ſubſtandi in prædicamentis definitur, ſimiliter principium dum eſt principium, exiſtit, aliàs nihil daret principiato, ſed hoc foret eo nobilius, non poſſet cauſare, quoniam cauſare ſupponit, & agere, & eſſe, & in priori illo, quo materia reſpicit formam, vere eſt cauſa, & eius cauſalitas non pendet ab illa formæ, & certe prius intelligimus materiam eſſe, quam recipi in ea formā, vel ei vniri, & hoc motiuum amplificatur valde à recentioribus, & ex hoc rationes multiplicant, quare habet exiſtentiam, & ex conſequenti actum ſine forma, & ſi producta eſt, nequit intelligi, quod non habeat eſſe, & eſt contradictio ait Scotus, quod aliqua eſſentia ſit extra cauſam ſuam, & quod non habeat aliquod eſſe, quo ſit eſſentia; partes quoque ſunt quid in toto exiſtentes, vt patet, denique, quod eſt hoc aliquid, eſt quid perfectum in genere ſubſtantiæ, atque exiſtens, &c.

Plura motiua hac priori ratione contenta.

Motiuum Recentiorum.

Scotus.

Secundo, Aut materia eſt aliquid, aut nihil, non ſecundum, quoniam eſt ſubſtantia, & præterea compoſitæ ſubſtantiæ eſſent ex aliquo, quod eſt forma, & ex nihilo, quod eſt materia, & non differret creatio à generatione, quoniam vtraque eſſet ex nihilo, materia enim eſt ſubiectum generationis, motiua etiam in præcedenti argumento conuincunt materiam non eſſe nihil, ergo primum, ergo non eſt pura potentia, probo, quoniam veluti quod eſt potentia homo, non eſt homo, quod eſt potentia album, non eſt album, & ſic de alijs, ita quod eſt potentia omnia, erit nihil abſolute; Rurſus, ſi eſt aliquid, ergo ens, nam hæc ſunt tranſcendentia, quæ de omni dicuntur, ex quarto Diuinorum tertio, nullum autem valet intelligi ens, niſi habeat eſſe, quare & de materia vera eſt hæc propoſitio de ſecundo adiacente, Materia eſt, &c.

Tertio, Materia, & forma habent diuerſas productiones, quoniā illa per creationem, hæc per generationem exit ad eſſe, ergo habent diuerſas exiſtentias, ergo & materia gaudet propria exiſtentia, omnis ſiquidem productio reſpicit eſſe. Confirmatur, quoniam materia eſt incorruptibilis, forma corruptibilis, quod ſi omnem exiſtentiam haberet à forma, tunc incorruptibile pēderet à

corrupti-

corruptibili,& ipſa nõ amplius incorruptibilis, ſed corruptibilis millies eſſet, nam in deſitione formarum ab ea millies recedentium amitteret eſſe; Et hæc breuiter ſufficiant, vt probetur materia habere de ſe aliquem actum, & aliquam exiſtentiam.

Nunc probatur,quod poſſit eſſe abſque forma,ſaltem per diuinam potentiã, nam vſitatus ordo rerum habebat, & habet, vt accidentia non poſſint eſſe abſque ſubiecto,& tota philoſophia clamat,quod accidentis eſſe ſit ineſſe,& quod fieri nequit, vt accidentia ſint in eſſe à ſubiecto ſeparabilia,ex ſeptimo Diuinorum 3. & 47. ſunt enim entia,quia entis, ibidem tex. ſecundo, vnde à ſubiecto ſeparata non erunt entia, quare pugnaret, vt exiſterent, & tamen veritas noſtræ Fidei ad diuinam potentiam confugiens, docet in Sanctiſſima Euchariſtia accidentia exiſtere abſque ſubiecto, cur igitur non poterit eadem potentia euenire,vt materia ſine forma exiſtat? Immo maior apparet dependentia accidentis ad ſubiectum,quam materiæ ad formam, quoniam materia eſt ſubſtantia, & eius entitas non dependet ab entitate formæ, velut illa accidentis pendet ab illa ſubiecti; Neque valet,ſi dicatur accidentia à ſubiecto actu ſeparata, manere cum aptitudine ad illud, nam à pari dicam, quod materia poterit ſeparari, & abſque forma exiſtere, & tamen ad eam aptitudinem habere; Neque hoc eſt ad propoſitum, vbi loquimur, an poſſit ſeparari, &c.

Roboratur ratio.

Defenditur.

Ariſtotel.

Quinto, Ariſtoteles varios modos prioris, & poſterioris recẽſens quinto Diuinorũ 16. dicebat,priora ſecundũ naturã,& ſubſtantiã poſſe eſſe abſque alijs, hæc vero non poſſe eſſe ſine illis,conſtat autem,materiam eſſe priorem formã, quare illa poterit eſſe abſque iſta. Quod ſi dicatur, materia eſſe tale prius, quod tamen dependeat à poſteriori,& neceſſariam habeat ad illud connexionem, tunc id obſtat, quod prius vt ſic, & formaliter implicat, quod pendeat à poſteriori, licet ſub alia ratione queat pendere, quare argumentum ſuas vires obtinebit,accepta materia, vt formaliter eſt quid prius forma; Sed & connexio neceſſaria,quæ adfertur,nulla eſt,tum quoniam materia eſt quid abſolutũ, à forma diſtinctum realiter, tum quoniam tunc materia determinaret ſibi neceſſario aliquam determinatam formam, nam quicquid determinat ſibi genus formæ, determinat ſibi aliquam ſpeciem in illo genere, & quod aliquam ſpeciem,determinabit etiam indiuiduum aliquod illius ſpeciei, quod enim eſt animal,eſt hoc,vel illud animal, & quod eſt homo, eſt hic,vel ille homo,at materia non determinat ſibi de neceſſitate hanc, vel illam formam, alioquin numquam ab ea poſſet expoliari, ergo neque totum genus formæ, &c.

Sexto, Per formam tribuit Deus exiſtentiam materiæ, ergo & ſine forma poteſt hoc præſtare,probatur conſequentia,quoniam eſt celebris propoſitio in Scholis dicens, Quicquid Deus facit cum cauſa ſecunda,poteſt ſine illa facere; Si dicatur valere propoſitionem de cauſa ſecunda effectiua,non autem formali, vt videntur omnes reſpondere, tunc inſtatur, quoniam aliquid plus poſſet Deus cum cauſa ſecunda, quam ſe ſolo, & præterea,abſurdum valde apparet dicere,aliquam perfectionem eſſe in cauſa ſecunda,quæ non ſit in Deo,conſtat autem,quod tribuere exiſtentiam materiæ, eſt aliqua perfectio, non igitur ita debet tribui formæ,vt à Deo remoueatur; Et præterea,vel forma habet à Deo, vt det eſſe materiæ,vel Deus à forma, dicere hoc ſecundum, eſt erroneum, ſi itaque forma id habet à Deo,iam igitur Deus prius in ſe hanc habet facultatem,quoniam nemo dat,quod non habet,vt inquiebat Plato prope finem primi Alcibiadis,cur igitur Deus non poterit abſque forma præbere eſſe materiæ?

Famoſa propoſitio.

Plato.

Septimo,

Septimo, Nihil eſt à diuina potentia, quam abſolutam dicunt ſubtrahendū, quod non implicet contradictionem, vt conueniunt omnes, at non implicat cō tradictionem, vt materia ſine forma exiſtat, ergo &c. probatur minor, quoniā quod implicat contradictionem, nequit concipere intellectus eſſe verum, velut hominem non eſſe animal, album non eſſe coloratum, & ſimilia, ſed multi concipiunt, & affirmant, materiam poſſe eſſe ſine forma, vt patet ex auctoribus præallegatis, quare &c.

Octauo, & vltimo oſtendo, nedum de poſſibili, ſed & de facto, materiam eſſe abſque forma, hoc eſt, exiſtere alia exiſtentia ab illa formæ, nam ex doctrina Auctoris, tertia par. quæſt. 17. ar. 2. in Chriſto domino eſt vnicum eſſe exiſten- D.Thom.
tiæ, adeo vt humanitas à Verbo aſſumpta, ceu caret perſonalitate propria creata, ita & propria exiſtentia, cum per illam hypoſtaſis Filij Dei exiſtat, iam igitur de facto materia exiſtit abſque exiſtentia formæ, potentia diuina de facto ſupplente, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Declaratur materia habere eſſentiam.

Auicennas ſecundo ſuæ Metaphyſicæ, cap. toto tertio docet, materiam non Auicenn.
poſſe eſſe ſine forma, quem præceſſerant Plato, & Aphrodiſæus, ille in Ti Plato.
meo dicens, materiam in alio quoddam eſſe, atque ita aliquo modo eſſentiæ fieri participem, aliter vero nullo modo eſſe poſſe, iſte primo naturaliū quæſtio- Alexander.
num, cap. 8. & 17. & primo de Anima, cap. primo pluries idipſum clare inculcat; Auerroes quoque 1. Phyſ. 69. & de Subſtantia orbis, cap. primo, & ſecun- Auerroes.
do præcipue Phyſ. com. 12. hoc ipſum docet, & probat. Hos ſecutus eſt perpetuo Auctor, & in hac litera, & quæſtione de Veritate tertia, ar. 5. & ad tertium,
& quæſtione de Potentia quarta, ar. 1. & in Quolibetis, quæſt. tertia ar. 1. & 1. D.Thom.
par. quæſt. 66. ar. primo; Quem tota eius ſchola ſecuta eſt, vt Capreolus ſecūdo Capreol.
ſent. diſt. 13. quæſt. prima circa primam concluſionem, Caiet. hoc loco, Ferrar. Caietanus.
3. cont. Gent. cap. 4. Paulus Soncinas octauo Diuinorum, quæſt. prima, Iauellus Ferrarien.
ibidem, Aquarius quæſtione ſua de hoc peculiari, & in additione ad 11. quæ- Soncinas.
ſtionem Ferrar. ſuper primum Phyſ. & dilucidatione quinta ſuper ſeptimum Iauellus.
Diuinorum, Bānes loco in prima par. allegato, & primo de Generatione, quæſt. Aquarius.
quinta ad tertium caput; Dominicum à Flandria neſcio an referam, quoniam Bannes.
ar. 2. quæſt. primæ ad octauum Diuinorum, docet vtique non poſſe materiam Flandrien.
eſſe ſine forma, ſed tamen naturaliter ſolum videtur loqui, ſi priora eius verba ibi legantur.

Sed & extra Scholam D. Doctoris, viri percelebres hanc ſententiam defenſant, vt Durandus ſecundo ſent. diſt. 12. quæſt. ſecunda, Aegidius in Correpto- Durand.
rio corruptorij, ar. 4. & 27. circa primam partem, Iandunus quæſt. prima octaui Aegidius.
Diuinorum, Achillinus primo de elementis, dubio ſeptimo, Zimara in tabula Iandunus.
verbo *materia*, & theoremate 15. Zabarella tertio de Rebus naturalibus, quin- Achillin.
que prioribus capitibus, & præcipue cap. 5. Omnes etiam, qui Auerroem ſe- Zimara.
quuntur, & alij, qui actum omnem remouent à materia, nullum actum niſi à for Zabarella.
ma agnoſcentes, ex conſequenti docent, ipſam non poſſe ſine forma exiſtere, immo omnes philoſophi quos viderim, ijs exceptis, quos præcedenti art. recen-

ſui, omnem actum formæ tribuunt: Hinc ſi cupis videre innumera vt ita dicã argumenta confutata, vide præcipue Capreolum loco relato, & in primo, diſt. 3. q. 3. art. ſecundo, dum reſpondet ad primum Scoti contra primam rationẽ Auctoris pro prima concluſione, & Aquarium, & Bannes locis memoratis; Et certe Durandus, Caietanus, Aegidius, & alij ferè omnes nominati auctores, omnia potiora ſaltem aduerſariorum fundamenta euertunt, & propriam ſententiam neruoſe admodum confirmant.

Concluſio. Quibus præmiſſis, pono hanc concluſionem: Materia eſt ens, & habet entitatem propriam, & à forma diſtinctam. Hæc concluſio apertiſſima eſſe videtur & ex ijs, quæ in elucidando titulo ſupponebamus, quod nimirum dabatur materia, & quod erat ſubſtantia, & ex tribus argumentis, primo loco ſuperiori ar. relatis, conuincunt enim ipſam eſſe ens, & aliqua eſſentia gaudere. At pro notitia concluſionis debes recolere diſtinctionem illam de ente ab omnibus receptam, cuius abunde ſatis memini quæſtione prima ſuper caput præcedẽs, quod videlicet accipitur, vel nominaliter, hoc eſt, quatenus dicit eſſentiam, vel aduerbialiter, quatenus ſcilicet dicit exiſtentiam, dum dicimus materiam eſſe ens, accipimus ens primo modo, non autem ſecundo, quoniam habet quidem eſſentiã, & entitatem ſuam propriam, & aliam ab illa formæ, non autem habet exiſtentiam ex ſe, ſed omnem obtinet à forma; Et ex hac doctrina, & diſtinctione, permulta quæ videntur obſtare diſſolues, & varia dicta interpretaberis, quando enim rationibus concluditur materia non eſſe nihil, eſſe aliquid, eſſe ens, & ſic à multis vocari, accipe ſemper de ente, quatenus dicit eſſentiam, non autem vt importat exiſtentiam.

Quo pacto materia ſit ens.

Scito tamen, quod materia dicit eſſentiam alio modo, quam dicant res, quæ ab æterno dicuntur eſſe, & fundare propoſitiones perpetuæ veritatis, nam huiuſmodi in tali eſſe nullum habent eſſe reale productum extra cauſas ſuas, & nihil abſolute ſunt, velut eadem quæſtione ex Auctore dicebam, & explicabã, at materia eſt extra nihil, & producta eſt; Quoniam tamen non ſecundum ſe, & ſeorſum creata eſt, ſed ſimul cum forma; vnde à veris theologis non dicitur creata, ſed concreata, ceu à veris philoſophis non dicitur produci, ſed comproduci, hinc fit, quod ſortita quippe fuerit eſſe exiſtentiæ, quandoquidem terminus creationis eſt eſſe, at non proprium, ſed illud formę, ſub qua comproducta fuit, vnde vere eſt ens materia, & extra cauſas ſuas, & extra nihil; Verum ſi ex hoc inferatur, ergo habet propriam exiſtentiam, iam nulla eſt illatio, quoniam ſufficit ei, vt exiſtat exiſtentia formæ, velut & partes alicuius totius vere ſunt in rerum natura, & exiſtunt, at non per eſſe proprium, ſed per illud totius; Sic docte Capreolus diſt. illa 13. in ſecundo, ad ſextum Scoti eorum, quæ ſecundo loco adfert diſtinguebat, quod *ens* poterat ſumi ſex modis, & docebat materiã poſſe dici ens, quatenus omne illud, quod eſt quouis modo pars intrinſeca rei ſubſiſtentis, dicitur ens, & quatenus illud dicitur ens, de quo poteſt formari propoſitio affirmãs de ineſſe, quo pacto, & priuationes, & negationes, & rationis entia poſſunt dici ens; non autem valet dici ens, vel quia ſubſiſtat propria ſubſiſtentia, vel quia ſit ſubiectum actus eſſendi, vel quia ſit formale principiũ rei ſubſiſtentis per actum eſſendi, vel demum, quia ad rem ſubſiſtentem pertineat, illam actuando; Et ſi bene intueris doctrinam hanc, quomodo tribuamus quidem exiſtentiam materiæ, at non propriam; & quomodo per creationem, hanc quam ei damus exiſtentiam fuerit ſortita, complura motiua, & antiquiorum, & recentiorum videbis confringi.

Quomodo fuerit materia producta.

Capreol.

Ex

Ex quo colligere debes, vanum eſſe diſcurſum illum, quo dicitur materiæ corrumpi, quoniam amittit eſſe, dum forma corrumpitur, nam cum numquã habeat proprium eſſe, nequit ex deperditione eſſe alieni dici, quod corrumpatur; Et Caiet. 3. par. q. 17. ar. 2. ad quintum Scoti dicebat, corruptionem non attendi penes perditionem vnius exiſtentiæ, nam ſi ſepares guttam aquæ à mari, ſortitur gutta aliud eſſe, quoniam maris vnita exiſtebat per eſſe maris, quod ei ſegregatæ non conuenit, & tamen non eſt corrupta, nam aliam habet exiſtẽtiam, ſed ſpectatur corruptio in deperditione eſſentiæ, quod ipſe intelligo de hac, vel illa eſſentia, nam eſſentia vt ſic abſolute manet, velut ſi ſoluatur ſpecies aquæ, tunc aqua dicitur corrupta, quamuis rerũ eſſentiæ ſint æternæ, vnde Caiet. ait, per deperditionem *vnius* exiſtentiæ, innuẽs aliam debere ſuccedere exiſtentiã, ſi non ſit res corrumpenda; Et magis ad propoſitum noſtrum, intelligo de ijs rebus, quæ nũquam natæ ſunt habere propriam exiſtẽtiam, hæc enim ob amiſſionem exiſtentiæ nequeunt dici, quod corrumpantur, cum earum eſſentia remaneat, quam ſolam de ſe nata ſunt habere; Ita materia quoniam nullam de ſe valet habere exiſtentiam, ſi hæc corrumpatur, quatenus eſt illius formæ, cui ſubeſt, nequit dici materia corrumpi, quoniam nihil ſui vt patet amittit. Quare dico, materiam non corrumpi, vel quoniam numquam exiſtentiam abſolute amittit, cum nullum detur inſtans, in quo ſit abſque exiſtentia, licet hanc, vel illam amittat, vel quoniam, (quod magis placet,) eſt talis natura, ad cuius conſtitutionem ſufficit eſſentia, quam numquam deperdit. Caietanus. Qua ratione materia incorruptibilis.

Illud contemplare, quod ſi ens illud dumtaxat dicatur claudi ſub ente diuiſo in decem cathegorias, quod de ſe vt ſic, vel actu exiſtat, vel aliquando poſſit exiſtere, profecto materia non erit hoc modo ens, quandoquidem exiſtentia propria neque exiſtit, neque vmquam ad id aptitudinẽ habet, quo modo forſan locutus eſt Sueſſanus dilucidatione ſexta ad ſeptimum Diuinorum; Si vero ſub tali ente contineri poſſit id, quod quouis modo vel exiſtat, vel poſſit exiſtere in rerum natura, hoc eſt, vel propria, vel aliena exiſtentia, aſſerendum erit, materiam contineri ſub ente prædicamentali, quoniam & exiſtit, & facultatem habet, vt exiſtat exiſtentia formæ, quippe quæ exiſtentia eſt ab eius eſſentia, & natura vt ſic aliena, non autem omnino extranea, & remota putanda eſt, cum & temporis initio ſub ea fuerit producta, & ad finem vſque temporis ſub eadem, vel hac, vel illa videlicet ſit perduratura. Sueſſanus.

Et quamuis vtrumque modum dicendi approbem, poſteriorem tamen præeligerem, quoniam & partes vt ſic alicuius exiſtentis, ſub ente prædicamentali cadere, concedent omnes, quæ tamen formaliter acceptæ, neque exiſtunt, neque exiſtent propria exiſtentia, ſed ea ſolum, quæ eſt totius. Et quidem, cum materia ſit extra animam, ac comproducta fuerit, ſequitur, vt claudatur ſub ente diuiſo in decem genera, quoniam ſubſtantia omnis limitata, & finita, eſt in prædicamento; Sic quando Ariſtoteles ſecundo de Anima 2. & 25. diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & id quod ex his, certe loquitur de ſubſtantia, quæ eſt in prædicamento, aliàs neque forma, neque compoſitum eſſent ſubſtantiæ prædicamentales, & vane colligeret, animam eſſe illam ſubſtantiã, quæ eſt forma, nam certe anima ipſa eſt in prædicamento ſubſtantiæ; Sed & nono Diuinorum primo, nimis clare ſermo eſt de ente, quod diuiditur in decem genera, cum ipſa genera ibi recenſeantur, moxque diuiditur ens in actum, & potentiam, ſub qua, materiam contineri, potentiamque omnem ad materiam reduci, nullus peripateticus ignorat. Quod ſi multo fuſius cupias videre, mate- Quid Auctori gratius. Ariſtotel.

Zimara. riam contineri ſub ente diuiſo in decẽ genera, lege Zimaram theorem. illo 15.
Ex quibus habes, quomodo materia poſſit, & non poſſit dici ens participia-
liter, & quomodo varia, quæ de ea dicũtur accipias, diſtinguẽdo inter ea, quæ
conueniunt ſibi merito ſui pure, & ea, quæ merito formæ, ſub qua inuenitur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qualis ſit propria materiæ eſſentia.

EAm concluſionem in medium adferamus, quæ dicat: Hoc ens, quod dixi-
mus eſſe materiam, eſt pure potentiale, adeo vt materia ſit pura potentia,
omnem prorſus actum à ſe excludens.
Pro cuius agnitione aduerte, quod entia quæ ſunt in mundo, ſunt in dupli-
ci differentia, nam quædam ſunt actus, quædam potentiæ, & tota entis latitudo
exhauritur, ac ſufficiẽter euacuatur ex hoc, quod omne ens, vel eſt actuale, vel
potẽtiale, ijs nũc omiſſis, quæ partim ſunt in potẽtia, partim in actu alicui cõpa
rata, quoniã tandẽ denominantur ſimpliciter vel actus, vel potẽtiæ, neque hæc
alia membra ab hac diuiſione inducũt, ſed vtrumque aliquo modo permiſcẽt.
Hanc vero partitionem nullus bonus philoſophus poteſt negare, eam enim
Ariſtotel. ſæpius adſert Ariſtoteles, & nono Diuinorum primo, vt ſuperiori ar. dicebam,
& primo de Generatione 11. 77. & 84. & primo Phyſ. 78. & duodecimo Diui-
norum octauo, & loco illo Phyſicorum diſſoluit difficultatem antiquorũ, quo-
modo aliquid poterat ſimpliciter fieri, cũ ex nihilo nihil fiat, docens ex aliquo
in potentia fieri quid in actu, aſſignans hunc ſoluẽdi modum, poſt illum, quem
73. eiuſdem primi, & deinde adduxit. Sed & nono Diuinorum quinto reijcit ra
tionibus quinque opinionem Megaricorũ, ſiue Zenonem, qui Megaris tradidit
Alexand. philoſophiã, vt ibi inquit Alexander, quippe qui, actũ, & potentiã idẽ eſſe vole
bant, & inter alia habet, quod hi, qui actũ, & potentiã idẽ faciunt, non parũ tol
lere quærunt, vbi idẽ Aphrodiſæus dicebat, tolli generationẽ ab his, qui negant
Auerroes. potentiã, & Auerr. idẽ inquiebat ibi, addendo tolli omnes motus, & corruptio-
D. Thom. nem, & artes, quod de motu, & generatione ibidẽ dicebant Auctor, & Alenſis.
Alenſis. Quapropter de mente Ariſtotelis, nulli dubiũ eſſe poteſt, an detur hæc diui-
ſio entis in actũ, & potentiã, nam & totus præfatus nonus Diuinorũ in his dua-
bus entis differentiis immoratur; Immo Auerr. librũ illum introducẽs inquit,
Auerroes. velle in eo Ariſt. contradicere illis, qui dicunt potentiã non eſſe in entibus, &
primo de Anima ſexto, actũ, & potentiã entis differentias vocabat, & ſuper pri
mum illius noni dicebat, actum, & potentiam diuidere ens, ſecundum quod
Alb. magn. ens, quod & docuit Albertus eiuſdem libri initio, dum illum introducit, &
cauſam introductionis adducit.
Illa itaque erit proportio actus, & potentiæ, ad ens, quæ eſt rõnalis, & irra-
tionalis ad animal, vt enim animal omne, vel eſt rõnis particeps, vel expers, ita
omne ens, aut eſt actus, aut potentia, & velut cõmittitur fallacia, ſi quis arguat,
eſt animal, ergo eſt rationale, quoniam eſt argumẽtum à ſuperiori ad inferius
affirmanter, ita eſt eadẽ fallacia, ſi quis arguat, hoc eſt ens, ergo eſt actus, quoniã
ſtat, quod ſit potentia, & toto hoc negotio id ſemper præ oculis habendum eſt,
quoniã enim nos docemus, materiã eſſe purã potentiã, vt mox probabimus, &
declarabimus, ideo omnia argumenta corruunt, ſumpta ex natura entis ſubſtã-
tiæ, & reliquorũ tranſcendentiũ, dũ enim dicitur, materia eſt ens, eſt ſubſtantia,

ergo

ergo eſt in actu, iam cernis, manifeſtam fallaciam in conſimilibus argumentationibus committi; Immo potes retorquere hæc argumenta, & pro te formare, dicendo, materia eſt ens, ſubſtantia, aliquid, ergo eſt omnia hæc in potentia, nam velut ens in actu, eſt ens, ita ens in potentia, eſt ens, & ridicula eſt hæc argumentatio, quam tamen quoſdam facere non pudet, materia non eſt ens in actu, ergo non eſt ens, ſicut ridiculum eſt dicere, leo non eſt rationalis, ergo non eſt animal; Et quidem, nedum negligendæ apparent hæ collectiones, ſed & contradictionem inuoluunt, iam enim dicunt, materiam eſſe ens in potentia, & tamen mox inferunt, ergo eſt non ens, ſi enim primo ens in potentia, quomodo poſtea non ens? An ens in potentia, eſt non ens? Sic potentiam dirimunt ab ente, ſic ſunt ſimiles Megaricis, ſic ſunt ij, contra quos bene dicebat relatus Auerr. Ariſtotelem nono illo Diuinorum diſputare; Stat igitur optime, quod materia ſit ens, & ſit ens potentiale, quoniam potentia non eſt deſtructiua entis, ſed limitatiua, & contractiua, veluti quædam differentia, minus in rigore loquendo, ſcio enim ens veris, ac propriis differentiis carere, ſed eſt quidam modus ipſum conſtringens; Neque obſtabit, quod ſit pura potentia, nam quemadmodum actus purus eſt ens, ita & pura potentia, cum puritas hæc, vt ita loquar, non auferat gradum entis. Defectum argumentorum.

Hanc concluſionem aſſeueranter adeo à Platone, & Ariſtotele traditam videmus, vt cuique Academico, ac Peripatetico certiſſima eſſe deberet; Vide illum in Timeo de hac materiæ potentia mire loquentem, habet enim, quod cum debeat eſſe effigies omni formarum varietate diſtincta, numquam huius formationis gremium erit bene præparatum, niſi informe ſit, & omnibus formis careat, quas recepturum eſt, moxque rationem ſubnectit, (quam deinde Auerr. & primo Phyſic. 69. & de Subſtantia orbis cap. primo amplexatus eſt,) quoniam ſi erit materia ſimilis alicuius eorum, quæ in ſe recipit, quando ſuſcipiet contrariam formam ei, cui ſimilis eſt, vel aliam prorſus, nequaquam illius ſimilitudinem exprimet, cum præſetulerit ſuam, & adfert exemplum eorum, qui confecturi ſunt vnguenta ſuaui odore affecta, humidam materiam ita præparantium, vt odorem nullum proprium habeant, aliudque exemplum habet de iis, qui materiis mollibus figuras ſunt impreſſuri, nullam omnino in eis figuram apparere permittentibus, applica, &c. ſic deinde vocat eam inuiſibilem ſpeciem quandam, & informem ſinum omnium capacem, & clare admodum ante omnia hæc, illud quod vnum huic negotio ſufficit præmiſit, dicens, materiam ex propria potentia numquam recedere. Verba Platonis luculenta. Eiuſdem apta exempla. Eiuſdem de materia nomina.

Vide iſtum locis mille dicentem, materiam eſſe potentiam, vt ſecundo de Anima 2. & 25. octauo Diuinorum 3. & 5. & vlt. ſic nono eorundem 16. ac 12. eiuſdem ſcientiæ 9. 11. & 26. & alibi ſemper, dum de ipſa loquitur, potentiam eam vocat; & contra actum, ſeu formam diuidit, quare ſi in doctrina Ariſtotelis, materiam eſſe potentiam, quis ambigat, is certe Ariſtotelem non agnoſcit, nec eius doctrinam ſalutauit. Vide Alexandrum, vltra loca quæ ex ipſo retuli art. præced. ad 1. noni Diuinorum ſcribentem, Ariſtotelem vocare proprie potentiam materiam primam, & informem, quoniã eſt facultate omnia, & eſt prima potentia, quod repetit eodem libro, tex. 14. & ſecundo Naturalium quæſtionum, cap. 8. inquit, materiam in quocumque ſtatu fuerit, non amittere ſuum poſſe; Quod & diſertis verbis tradidit Simplicius ad 88. primi Phyſ. dicens, materiæ eſſentiam eſſe ipſam potentiam, ac poſſe, & etiam quando adeſit actus, hanc potentiam manere; Vnde explicatio Zabarellæ horũ auctorum, Ariſtotelis loca varia. Alexander. Simplic.

in fine

in fine 11. cap. 2. libri illorum 30. dicentis, potentiam eſſe eſſentialem materiæ in ſecundo modo dicendi per ſe, atque eſſe eius proprietatem, minus recta dignoſcitur, numquam enim quis eſſentiam hominis perquirens, & tradens, dicet eſſe riſibilitatem; ſed de his plura mox erunt dicenda.

Auctoris ſententia.

Scias igitur, meam in hoc eſſe ſententiam, vt potentiam, differentiam eſſentialem, & conſtitutiuam ipſius materiæ omnino mihi ſuaſum habeam, & in quouis eſſe accipiatur, vel quomodocumque ipſa ſpectetur, ſemper potentia illius eſſe conſtituit; Et hæc eſt mens Auctoris ſuper 79. primi Phyſic. & ita ſentire eos omnes arbitror, qui iuxta Auctorem, Ariſtotelem, Platonem, & veritatem loquuntur, quorum permultos allegaui in annotationibus ſecundi capitis huius operis, quando de eiuſdem materiæ notitia erat ſermo.

Et præterquam quod, quæ modo referebam de ipſius potentialitate, hoc manifeſtant, adeſt ratio, quæ meum in hanc declinare compellit intellectũ opinionem, cuius ſane ex inſinuatione loco relato mentionem habui, dum aduerſus Zabarellam arguebam; Quandoquidem accipiatur quæuis notio, quiuis ſtatus materiæ, ſciſcitor, aut eius entitas eſt actus, aut potentia, non datur medium, quoniam hæc duo ſufficienter diuidunt ens, vt huius art. initio dicebam, ſi quis dicat, quod ſit actus, perit bona ex parte Ariſtotelis philoſophia, & quæ ex Platone, & alijs audiuimus, ergo certe dicere oportet, quod ſit potentia; Et certe ſi eſſet actus, iam non omnes actus poſſet recipere, vt ex Platone, & Commentatore argui poteſt; Cumque nullus actus in rei veritate ſit, niſi formalis, & à forma erumpens, vt 6. art. conſtabit, iam materia in ſua eſſentia nude conſiderata, actum haberet formalem, immo eſſet actus formalis, quod nullus vmquam docuit, immo cuius oppoſitum ſemper vnuſquiſque tradidit; Rurſus, ſubiectum generationis non eſſet ens in potentia, & generatio foret alteratio, vt deducam quæſtione ſecunda, & deinde ad vltimum caput libri, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quorundam circa hæc ſententia examinatur, & reijcitur.

Zimara. Mercenar. Zabarella.

SAEpe, & vehementer, (neſcio an ſatis) admiratus ſum viros quoſdam haud vltimæ notæ, velut Zimaram in contradictionibus Auerr. ad 70. primi Phyſ. Mercenarium loco ſuperius memorato, & Zabarellam cap. 6. ſecundi Rerum naturalium, qui optime docentes, materiam eſſe purã potentiam, & omnem actũ formæ tribuentes, omni tamen aſſeueratione dicunt, in prima notione materiæ non adeſſe potentiam, neque in illo ſtatu, potentiam requiri ad eius naturam conſtituendam, & varios dicendi modos excogitant Archangelus præcipue, & Zimara, vt aduerſa dicta Auerr. in hoc concilient, & nihilominus vellem mihi à viris clariſſimis dici, an materia in illa prima notione, & in ſtatu illo ſit actus, neganter vtique reſpondebunt, quoniam omnem actum à materia remouent, omnem formæ aſcribentes, & Zabarella cap. 21 tertij libri inquiebat, quod entitatem materiæ, actum appellare, (quæ verba in obſeruationibus illis referebam,) ita vanum eſt, vt nec mente quidem concipi poſſit; Si igitur non ſit actus, certe vel eſt potentia, vel nihil, & cum non

ſit nihil,

ſit nihil, quoniam ens, & ſubſtantiam eam tunc vocant, ſupereſt, vt ſit potentia, & quoniam hac ratione conuincor, (fortaſſis ex ingenij tenuitate prouenit,) ideo hac vna contentus eſſe volo, & rationes ſolum aduerſariorum diluere conſtitui, ex quarum confutatione, mea poſitio magis roborabitur;

Colligens autem præcipuos in hoc ipſorum conatus, video duas eſſe rationes, & quaſdam auctoritates, & prior ratio eſt, Quoniam ſi materia in quauis acceptione eſt potentia, & hæc ſemper eſſet de illius eſſentia, tunc materia foret in genere relationis, non eſſet ſubſtantia, non quid abſolutum, conſecutio apparet euidens, quoniam potentia relatiue refertur ad actum, & eſt in genere relationis, hoc autem abſurdum eſt, quoniam materiam iam vidimus ſubſtantiam; & hac ratione omnes ferme vtuntur, & fuit antiqua Auerrois primo Phyſ.70. Illorum prior ratio.

Poſterior ratio eſſe videtur, quoniam potentia omnis eſt in prædicamento qualitatis, in ſecunda eius ſpecie, atque ideo accidens eſt, vnde nequit eſſe, vt ſit eſſentia materiæ, ſed fateri oportet, vt ſit qualitas eam conſequens, in illa fundata, adeo vt in prima notione ipſa materia nulli potentiæ coniuncta accipia ur, quoniam nullum accidens eſt de eſſentia alicuius ſubſtantiæ, & hæc ratio fuit Zabarellæ ſecundo illo libro, ſub initium cap. 11. Secunda.

Non deſunt authoritates, nam Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum definiens materiam, dicebat tex. octauo, nullum eſſe ex iis, quibus ens determinatur, hoc eſt, nullum ex prædicamentis, tunc inquit Mercenarius, quod ſi eſſet potentia, iam eſſet aliquid ex illis, quoniam eſſet genus ad aliquid, cum potentia ſit relatio. Adeſt deinceps Themiſtius digreſſione illa de natura materiæ primo Phyſicorum. circa tex. 60. apud omnes philoſophos famoſa, clare enuncians, materiam ad ſuæ eſſentiæ conſtitutionem non indigere poteſtate, neque poteſtatem vllam in prima, ac ſimplici eius ratione includi, ſed primum eſſe rem quandam in ſe, & actu exiſtere, deinde intelligi aliorum eſſe materiam, & ſecundum poſteriorem hanc conſiderationem, contrahere potentię ratioñe. Demum Auerroes loco relato manifeſtus in hoc apparet, immo & primo cap. de Subſtantia orbis inquit, poſſe quo ſubſtantiatur materia, differre à natura ipſius, quare &c. Ariſtot. Themiſt. Auerroes.

Cæterum ſi ad memoriam reuoces, quæ allegatis obſeruationibus dicebam; rationes hæ nihil cogunt; Sed primo attende euidentes in Zabarella contradictiones, prius namque pro comperto habet hanc conſequentiam cap. ſexto illius ſecundi libri; Si materia ſemper habeat reſpectum ad formam, ad eamque referatur, ergo erit in genere relationis, conſtat autem, quod nullum alium ad illam reſpectum habere poterit, niſi potentiæ ad actum; Si itaque ſua hæc illatio tenere debeat, teneat oportet in ui huius doctrinæ, quod potentia relatiue ad actum refertur, hæc enim eſt ratio Auerrois, quod ſi potentia eſſet eſſentia materiæ, iam materia eſſet in prædicamento relationis, ecce conſequentiam innixam huic fundamento, quod potentia relatiue refertur ad actum; Sed iam capite eiuſdem libri nono per totum nititur probare, quod potentia non dicatur relatiue ad actum, & Auerroem quoque in hanc ſententiam trahit, quod & deinde conatus eſt efficere Flaminius Ciconia Vicentinus, quæſt. ſua ſexta naturali, Conceſſo igitur, quod potentia ſit eſſentia materiæ, quod non ſit abſoluta à forma, ſed ſemper eam reſpiciat, non ſequitur etiam ex doctrina Zabarellæ, quod ſit in genere ad aliquid, quod aliqua ſubſtantia nihil habeat abſoluti, quod eius eſſe ſtet omnino in relatione In dictis Zabarellæ contradictiones. Flaminius Ciconia.

tione, quoniam ex eiuſdem doctrina, potentia non reſpicit relatiuè actum.

Præterea vide aliam contradictionem, ſi materia ſemper eſſet potentia, & formam ſemper, tanquam actum ſuum reſpiceret, deberet inferre Zabarel. eſſe in genere qualitatis, non autem relationis, nam toto ferè cap. illo nono induſtriam adhibet, vt oſtendat omnem potentiam eſſe in genere qualitatis, quod & repetit cap. 11. & tamen loco nominato infert, quod eſſet in genere ad aliquid, adeo vt quando velit potentiam eſſe in genere relationis, quando in genere qualitatis, quando neget eſſe in genere relationis, vt proinde non parum à ſeipſo diſſentire appareat.

Soluitur prior ratio.

His præmiſſis, nego conſequentiam primæ rationis, nam quamuis materia non ſit de genere eorum, quæ omnino abſoluta ſint, & nihil extra ſe reſpiciant, (ſic ruit quoddam motiuum illius Flaminij in quæſtione ſeptima, nam quod addit de diſponente realiter differente à diſpoſito, leue nimis eſt, quoniam materia de ſe eſt diſpoſita ad formam vt ſic, at non de ſe ad hanc, vel illam,) attamen non eſt in claſſe rerum penitus reſpectiuarum, ſed mediam ſedem tenet, quoniam eſt quidem abſoluta à termino, vnde non eſt in prædicamento relationis, non tamen eſt abſoluta ab actu, quæ eſt doctrina Caiet. p.p.q. 77. art. 3. ſic quamuis forma terminet materiam, non tamen terminat vt terminus aliud correlatiuum, ſed vt actus potentiam; Quod ſi potentiæ omnes, quoniam neceſſario reſpiciunt actus ſuos, ideo eſſent in genere ad aliquid, certe tota ſecunda ſpecies qualitatis eſſet in tali genere, ſic ſcientiæ, ſic habitus, ſic ſpecies intelligibiles, nullus enim inficiabitur, potentias reſpicere actus, & ſecundam qualitatis ſpeciem eſſe potentiam. Accedit, quod prædicamentum relationis eſt genus quoddam contractum, & accidentale, vt norunt omnes, potentia vero materiæ eſt ipſamet ſubſtantia materiæ, dicens reſpectum tranſcendentalem ad formam, vt ibidem docebat Caiet. quare nullo modo poteſt ex hoc ſequi, vt materia ſit in genere relationis. Et iam apud Thomiſtas omnes, & alios peruagata eſt diſtinctio illa de potentia ex vna parte importante gradum entis, vel ſubiectum potens recipere, vel abſolutum; aut ex alia parte ſignificante reſpectum, habitudinem, &c. & primo modo dicimus eſſe ſubſtantiam materiæ, & non ſpectare ad genus relationis, ſecundo autem modo, eſſe accidens reſpectiuum, & in cathegoria ad aliquid; Sed etiã cum actus, & potentia non ſint vere, ac proprie relatiua, ex doctrina quoque ipſorum, ſed potius ſe habeant more habitus, & priuationis, vt nono illo capite conatus eſt docere Zabar. quocumque etiam modo foret materia potentia, non ſequeretur, quod eſſet in cathegoria relationis; Memento itaque ſemper nullam eſſe hanc argumentationem, Hoc refertur ad illud, igitur eſt in prædicamento ad aliquid, quoniam non quicumque reſpectus conſtituit genus relationis, ſed ille, quo reſpicitur aliquid, vt terminus formaliter, & qui inter ea enaſcitur, quorum eſſe vt ſic eſt omnino ad aliud ſe habere, cuiuſmodi cernis materiam non eſſe, quamuis formam reſpiciat, ac proinde aberrare à veritate eos, qui inferunt, materiam nihil habere abſoluti, ſiquidem ſemper eſt à termino abſoluta.

Caietanus.

Famoſa diſtinctio.

Denique, ſi quiuis reſpectus, & quæuis habitudo ſufficiens eſſet ad quid in relationis genere conſtituendum, non poſſet effugere Zabarella, quin actus, & potentia forent in prædicamento ad aliquid, nam tandem inficias ire nemo poterit, potentiam reſpicere actum, nam & ipſemet ab Auctore edoctus quæſtione prima de Potentia, art. 1. ſcribit cap. 2. ſequentis tertij libri, omnem poten-

tiam

tiam reſpicere actum primum, vel ſecundum, quamuis itaque potentia reſpiciat actum, negat tamen Zabar. potentiam, & actum relatiue ſe reſpicere, eapropter leue penitus eſt, ex eo quod materia, quæ eſt potentia reſpiciat actum, qui eſt forma, inferre materiam eſſe in genere ad aliquid. At in huius argumenti ſolutione plus iuſto immoratus ſum, non tamen fruſtra, quoniam multiplicem argumenti adducti defectum patefacere libuit.

Ad poſteriorem argumentationem, nego abſolute omnem potentiam eſſe in genere qualitatis, nam quæſt. de indiuiduationis principio, ex Auctore, & omnibus eius diſcipulis, ex Auer. atque Ariſtotele cumulate vidimus, in vnoquoque genere eſſe proprium actum, & propriam potentiam, & cuiuis actui proprium eiuſdem generis potentiale reſpondere, quę eſt clara Philoſophi ſententia duodecimo Diuinorum 22.26.& 28. vt ibi dicebatur; In genere vero qualitatis, & in ſecunda eius ſpecie locantur potentiæ illæ, quæ ordinantur ad operationes, & quæ ſunt principia operandi, diſponentia ſubiectum, in quo ſunt ad actus ſecundos, vnde in illa ſerie non eſt connumeranda potentia materiæ primæ, quæ non eſt ad opus, vel actum ſecundum, ſed ad eſſe, & ad actum primum; Et vt elicitur ex Ariſtotele ibi in prædicamentis, potentiæ illæ ſunt affectiones entis in actu, & ſubiecti iam exiſtentis, immo vero Commentator videtur ibidem eas coarctare ad animam, vel ad animata vt ſic; Quicquid tamen de hoc fuerit, veriſſimum eſt, potentias illas reſpicere actum ſecundum, & operationem, non actum primum, non eſſe, &c.

Diluitur poſterior ratio.

Quæ potentię ſint in ſecunda ſpecie qualitatis.

Auerroes.

Quod attinet ad auctoritates, illa Ariſtotelis non obſtat, quoniam primo non ſequitur, quod ſi materia fuerit potentia, ſit relatio, vt patet, deinceps illa definitio intelligitur actualiter, vt ſcilicet materia non ſit actu quid ens prædicamentale, vnde dum dicimus, ipſam eſſe potentiam, licet aſſeramus eſſe ſubſtantiam, non tamen actu prædicamentalem, ſecundum ſe præciſe acceptā, per remotionem omnium formarum, vt circa eandem definitionem innuit Aphrodiſæus, ſed merito formæ eſt ens ſubſtantiale prædicamentale complete, ac vere, nam ſecundum ſe præciſe cum nullatenus queat exiſtere, nequit ſubinde vere eſſe in prædicamento, neque ibi conſiderata fuit exiſtentia, quam à forma habet, & ſub qua perpetuo inuenitur, ſed merita ſolum ipſius ſpectabat Ariſtoteles, & iure, quoniam in definitionibus ea ſolum inſunt, quæ rei ſecundum ſe conueniunt, vnde ibi clare dixit, materiam ſecundum ſe, hoc eſt, nulla prorſus cointellecta forma, vt & Sueſſanus exponebat, inferius autem eodem contextu colligit eſſe ſubſtantiam, quamuis & duo adferat, quæ videntur obſtare, cum ſcilicet neque ſeparabilis ſit, neque hoc aliquid, quæ tamen accipienda ſunt impedire materiam, ne ſit ea ſubſtantia, quę proprie, ac maxime eſt ſubſtantia, vt exponunt Alexander, Auctor, & Sueſſanus, quandoquidem formæ, & compoſito hæc magis ineſſe videntur, vt in textu habetur, &c. Vnde vnico verbo potes dicere, Ariſtotelem negare materiam eſſe tale quid, maxime ſcilicet, ac proprie, non quid abſolute, cum ibidem eam ſubſtantiam dicat, Aſſerentibus igitur materiam eſſe ſubſtantiam, neque accidit, vt ponatur in prædicamento relationis, vel vt ſit aliquid decem generum abſolute, ac complete, vel vt quid ſibi tribuatur, quod ab ea loco illo ſemoueat Ariſtoteles.

Alexand.

Sueſſanus.

Auctoritates Themiſtij, & Auerrois non parum vrgent, at quæ tandem fuerit mens Auerrois, non eſt mihi magna ſolicitudo, quoniam alibi ſæpe, vt hac quæſtione allegaui, dixit materiam eſſe puram potentiam, ſubſtantiari per poſſe, potentiam eſſe differentiam eius ſubſtantialem, nullum prorſus actum

habere, quæ dicta fuerunt in cauſa, vt varij eius ſectatores, varias inuenire coacti fuerint interpretationes; Vnde Zimara contradictione illa ad 70. primi Phyſ. tres modos dicendi Auerrois diſcipulorum refert, & neglig it, & quartum ipſe adfert, quem tamen improbat Zabar. prope finem cap. illius vndecimi. Aliam viam excogitaſſe videtur Iandunus quæſt. 25. primi Phyſ. in reſponſione ad primum, quæ non diſplicuit Achillino primo de Elementis, dubio quarto, ad ſecundum. Aliter reſpondere viſus eſt Mercenarius commemorata dilucidatione, & tamen conſentiunt omnes in tanta diſſenſione; vt in prima notione, ac pura eſſentia, materia non ſit potentia, cum tamen locis mille oppoſitum enunciauerit Auerroes, vnde melius eſſet loca potiora, plura, ac certiora expendere, & pauca quædam, vel etiam forſan vnum illum ex primo Phyſ. interpretari de potentia pro reſpectu formali, quoniam ibidem præmittit, quod ſi potentia eſſet de definitione materiæ, iam materia corrumperetur, quoniam potentia corrumpitur, (quam rationem infirmam dicebat Archangelus,) & tamen ſi varias Auctorum illorum conciliationes expendas, videbis non bene ſaluari, vt quomodocumque ab ipſis poſita fuerit potentia materiæ eſſentia, vel ſcilicet in ſecunda notione, vel prout materia eſt ſubiectum, vel quod ſit accidens de illa dictum in ſecundo modo perſeitatis, vel potentia propinqua, vel in ordine ad agens, &c. (quæ variæ ſunt pro Auerroe expoſitiones,) quod de eadem potentia formauerit com. illo ipſe Auer. duas illas rationes, nam vult ipſe, potentiam illam in materia corrumpi, per quam ſi eſſet eius eſſentia, reponeretur in prædicamento relationis, & tamen potentiam illam, quam iſti materiæ ponunt eſſentialem, & per quam vel in eſſe ſubiecti, vel in ſecunda notione dicunt ad formam referri, eamque reſpicere, & in relationis genere ſaltem ſecundum dici collocari, nolunt corrumpi, quoniam inſeparabilem à materia eo modo, quo ab ipſis ſumitur docent, & incorruptibilem; Quare poſſet exponi vt innuebam Auerroes de reſpectu formali ad hanc, & illam formam in ſpeciali, hic enim reſpectus, & hæc potentia vere corrumpitur, vnde ſi eſſet eius eſſentia, ipſa quoque materia corrumperetur; Quod autem de Subſtantia orbis dixerit, poſſe illud, quo materia ſubſtantiatur, eſſe aliud à natura materiæ, difficile eſt explicatu, quoniam primo idem poſſe ait conſtituere materiam, deinde eſſe aliud à ſui natura, vnde loquitur non de hac, vel illa potentia, vel de reſpectu hoc, & illo formali, ſed de illa potentia, quæ eſt differentia ſubſtantialis materiæ, vnde ſi in rigore verba hæc accipiantur, non ſunt ad inuicem conſentanea, non enim ſubſtantia, & differentia ſubſtantialis alicuius poteſt eſſe aliud à natura illius, cuius eſt ſubſtãtia, & differentia ſubſtantialis, vnde plures modi dicendi vt audiſti emerſerunt; Fortaſſe dici poſſet, quod ſit aliud ſecũdum rationẽ, & ſecundum modum intelligendi, non autem ſecundum rem, ceu rationale differt ratione ab homine, &c. Et tu ſi velis tenere Auerroem in hac noſtra ſententia, ſi hæc non placent, melius ſpeculare pro ipſo conciliando.

Zimara. Zabarella. Iandunus. Achillin. Mercenar.

Quomodo poſſet accipi Auerroes.

Maius negotium videntur faceſſere verba allegata Themiſtij, & præcipue in digreſſione illa, cui omnes propemodum fauent; Et quidem ſapientiſſimus Aquarius in calce quæſtionis illius ad hoc peculiaris dixit, accipiendum Themiſtium, vt dixerit materiam in ſua prima notione non includere vllam poteſtatem, hoc eſt, eſſe actu ſeipſam, & non eſſe in potentia ad ſuam eſſentiam conſtituendam; Sed vt verum fatear, hoc non iudico poſſe eius verbis vllo pacto accommodari, quoniam de illa poteſtate loquitur in prima notione, negans

Quomodo accipiat Themiſtiũ Aquarius.

negans eam à materiæ eſſentia, quam deinceps in ſecunda notione ponit de eius eſſentia; Compertum autem eſt, quod in ſecunda notione, neque vmquam materia eſt in potentia ad ſe ipſam, alioquin non eſſet materia. Forte loquitur Themiſtius de potentia illa, ac reſpectu formali, & particulari, nam in ſecunda notione, ait in tali reſpectu, in quo materia intelligitur eſſe aliorum, afferre ſecum poteſtatis eſſentiam; Vel dicatur, materiam in prima notione non includere poteſtatem, hoc eſt, dum primo conſideratur vt quædam ſubſtantia, & ens. non ita dilucide in ea apparere poteſtatem, & reſpectum ad alia, quam cognitionem perdifficilem ibi vocat Themiſtius, & nos annotationibus illis de materię notitia, omnino impoſſibilem diximus; ſed forſan loquitur ipſe de quadam notione materiæ communi, atque confuſa, prout videlicet concipitur vt ſubſtantia, quam tamen ibidem adeo confuſam dicebam, vt non ſit digna cenſeri notitia materiæ vt ſic, Vel denique aſſeramus, ipſum intelligere materiam in prima notione, nullam includere poteſtatem ſuperadditam, vel ei extrinſecus accedentem, neque quid in ſpeciali tunc reſpicere, ſed genus ſolum formæ in communi, ad quam ſane communem formam ſe ipſa eſt in potentia, nulloque eget, at vero in ſecunda notione, quatenus nimirum hanc, & illam ſpecialem formam reſpicit, rationem contrahit potentiæ ſuperadditæ, quoniam ad huiuſmodi particulares formas non eſt ſeipſa materia in potentiæ, ſed merito huius, & illius priuationis. Et hæc dixerim, vt oſtendam me neutiquam Themiſtij, præſertim illa digreſſione auctoritatem negligere; nam ſi quis tandem in eo perſiſteret, vt nullam harum interpretationum poſſent admittere luculiſſimi Auctoris verba, diſpliceret vtique, at in ſentẽtia contraria mallem immorari, nam auctoritas D. Tho. & Caiet. apud me praeponderat authoritati Themiſtij, & ratio, quam in in fine art. præcedentis tuli, me cogit, nam ſi negetur potentia ab eſſentia materiæ vt ſic, actus certe eſt ei tribuendus, quod à nemine adhuc ei traditum video; Quamuis etenim doceam materiam eſſe actu materiam, quod ab omnibus receptum iri debet, niſi quis velit dicere, materiam eſſe in potentia ad ſe ipſam, ac proinde eſſe vere nihil, non tamẽ vmquam de ſe eſt actus, vel in actu, vel ſub actu, omnia enim hæc obtinet merito formæ, adeo vt differentia ſit penes materiam, & entia in actu, quod hæc nedum ſunt actu naturæ, quæ ſunt, ſed & ſunt actu naturæ actuales, materia autem eſt quidem actu materia, ſed eſt actu natura potẽtialis, quoniam licet ſit in potentia ad omnia alia, non tamen eſt in potentia ad ſeipſam, & nihil aliud eſt dicere, materia eſt actu materia, quam dicere, materia eſt actu pura potentia, ſic non eſt in potentia ad potentiam, ſed ad omnem actum.

Modi dicendi Auctoris pro Themiſtio explicando.

Diſcrimen inter entia in actu, & materiā

Sed accipe perbreuem aliam conuincentem rationem ad hoc, Materia in prima ſui notione, & in quouis ſtatu nullam in ſua eſſentia vt ſic vindicat ſibi formam, ergo in prima notione, & in quouis ſtatu nullũ de ſe habet actum, ergo ſemper in ſui eſſentia aliqua potentia includitur, antecedens docetur ab omnibus, & ab ipſo Themiſtio ibidem referente Boetium, & vnà cum ipſo dicente, materiam ſecundum ſe informem eſſe, & ſpeciebus omnibus carere, & in fine digreſſionis concludit, materiam per formam aliquam terminatam, materiam dici non poſſe; prior conſecutio art. ſequenti mox docebitur, vbi dicetur, omnem actum à forma prouenire, poſterior patet ex memorata in hac quæſtione entis partitione, &c.

ARTICVLVS SEXTVS.

Quiſnam actus detur, & qua potentia,

VBi de potentia effati ſumus, ſupereſt de actu verba facere, cuius occaſione & de potentia rurſus erit ſermo, ſtatuamus igitur bimembrē hanc concluſ. Nullus reuera datur actus, vel entitatiuus, vel exiſtētiæ, à forma diſtinctus, & ſimiliter nulla datur potētia obiectiua diſtincta ab actiua, vel paſſiua.

Bimembris concluſio.

Ariſtotel.

Manifeſta redditur prior pars huius aſſertionis ex Ariſtotele ſecundo de Anima ſecundo, qui enumerans ſubſtantiam, quam ibi uocat vnum genus eorum quæ ſunt, & eam diuidens, partitur in actum, potentiam, & compoſitum ex his, & rurſus diuidens actum, quem formam vocauit, dicit alium primum, alium ſecundum, nullum alium actum recenſens, & manifeſtum eſt, neutrum illorum eſſe entitatiuum, ſed vtrumque formalem, & à forma, clare enim inquit Ariſtoteles, formam eſſe actum, quem mox ſecat, quod ſi diuidentia participant naturam diuiſi, manifeſtum eſt à forma vtrumque proficiſci. Rurſus 25. eiuſdem libri, & octauo Diuinorum 6. ac vlt. & nono eorundem 17. & 12. eiuſdem ſcientiæ 26. formam ſemper vocat actum, & actum formam, & duas has voces, *actus*, & *forma*, pro eodem perpetuo accipit, quare apud Philoſophum, omnis forma eſt actus, & omnis actus, vel forma, vel à forma, Quod ſi quis diceret, loqui Ariſtotelem de actu formali, quando omnem actum, formam appellat, & e veſtigio, hic non videt, quo pacto faciat ſemper Ariſtotelem nugationes manifeſtiſſimas committere, quis enim dubitet, formā eſſe actum formalem? & præterea ſi detur hic actus entitatiuus, & exiſtentiæ alius à forma, temere Ariſtoteles actum vbique formam appellaſſet, quoniam iam eſſent actus, qui non eſſent formæ, & eidem ſemel diſtinguenda erat hæc vox *actus*, & pars vera de forma pronuncianda.

Soluitur obiectio.

Præterea, cum quarto Diuinorum 1. dicatur, Metaphyſicam ſpeculari ens prout ens eſt, & quæ per ſe ei inſunt, quod & repetitur 6. eorundem 4. cur obſecro de hoc actu, alio à formali nuſquam, & potiſſimum in diuina Philoſophia meminerit Philoſophus, cum præcipue omne ens vt ſic ad aures iſtorum inſequatur, adeo vt & materiæ primæ, quæ eſt potentia, & ferè non ens ipſum tribuant? Sed & cum libro toto nono eiuſdem facultatis de actu, & potentia diſſeratur, & à 13. incipiat ſermo de actu, & nūquam huius actus mentio ulla habeatur, ſed omnem, formam eſſe legamus, nimis aperte colligitur, non dari hunc actum alium à formali apud Ariſtotelem. Cumque omnes, etiā aduerſarij fateantur, diuinam Philoſophiā ab Ariſtotele ſufficienter traditam, illud ſequitur, vel vt fictitius omnino ſit actus iſte, vel inſufficiens nimis prima Philoſophia, vtpote ſilentio penitus inuoluens partes potiſſimas, & communiſſimas entis, cuiuſmodi forent hi actus. Rurſus, ponentes hunc actum alium à forma, deſtruunt potentiam, & auferunt à rebus vnum genus entis, igitur perperam talis actus ponitur, conſecutio videtur clara, nam contra iſtos dimicat Ariſtoteles nono illo Diuinorum, vt quarto art. dictum fuit; antecedēs probatur, quoniam omnibus rebus tribuunt talem actum, igitur omnis res actus erit, & nulla dabitur potentia, ſi enim materiæ primæ dant actum iſtum, vel actus iſtos, & hæc vocatur non ens, pura potentia, vltimum in entibus,

Nomina Materiæ.

prope

prope nihil, vt iam hæc quæſtio docuit, multo magis alijs omnibus entibus debebit tribui actus, & ſic ſubtrahetur omnis potentia, & male dicet Ariſtoteles, & omnes eius expoſitores, quod actus, & potentia diuidant ens, tunc enim actus, vel formalis, vel entitatiuus diuident ens, & de potentia nulla erit habenda mentio, quoniam nulla aderit, quam ipſi non debeant vocare actum entitatiuum, cum primam potentiam, & radicem omnis potentiæ, materiam inquam primam, hoc actu gaudere velint. Et confirmatur, quoniam Scotus prima quæſtione illius diſtinctionis ait, & priuationes poſſe dici entia in actu, ita vt nullum deinde adſit ens, quod ſit potentia, cum iam entibus infimis, & debiliſſimis tribuatur actus. Scotus.

Quod ſi dicant, ſe nomine huius actus entitatiui, nil aliud accipere, quam illud, quod participat entitatem, & naturam aliquam, & quoniam materia eſt aliqua natura, & entitas, ideo hunc actum ei tribuant, iam iſti poſſent bene ſentire, ſed certe non bene loquuntur, nam vt videtur ſubindicaſſe Zimara theoremate illo 15. in hoc ſenſu negare quis non valebit, materiam habere talem actum, nam vidimus art. tertio habere eſſentiam ſuam, & naturam aliam ab illa formæ, ſed huiuſmodi eſſentiam, & naturam, appellare actum, ita vanũ eſt, vt nihil vanius, & oppoſitum nomen ei omnes tribuerunt, & iam vt dicebã, voce ſaltem, qui ſic ſentiunt, auferunt potentiam omnem, quare non eſt vt à Platone, Ariſtotele, & omnibus veris philoſophis in modo loquendi recedamus, ſed cum ipſis materiam nudam potentiam vere appellabimus, actus omnis expertem, quoniam conueniunt omnes, eam de ſe non habere actum formalẽ, & iam vidimus, nullum alium dari actum; & vt aduertit Capreolus diſtinctione, & quæſtione citata ad vltimum Gregorij Ariminenſis, dicere materiam eſſe puram potentiam, cui non admiſceatur actus omnino, & dicere materiam ſecundum ſe eſſe ens actu quocumque modo, hæc contradicunt; Vnde & reſponſio, quam adfert Scotus de alio actu à forma, nulla eſt, immo Caietan. hac quæſtione dedignatur illam adferre, neque ei occurrit, adeo manifeſtum eſt, actum omnem eſſe à forma. Zimara. Capreol. Caietanus.

Similiter, quod dicunt alij de illo actu exiſtentiæ alio à forma tribuendo materiæ, quoniam de ea vera eſt hæc propoſitio; Materia eſt, ſi nomine ly *eſt* accipiant exiſtentiam, falſum eſt materiam eſſe ens, ſin autem eſſentiam, verum eſt materiam eſſe ens, & vt idem Capreolus ad quartum ibidem eiuſdem Ariminenſis dicebat, ſi omne de quo poteſt formari propoſitio, deberet dici ens in actu, iam & negationes, & priuationes, & infinitas continui partes, (addo ego & chimeras, & penitus fictitia,) quis poſſet vocare entia in actu, quæ omnia fatua ſunt. Et demum, ſi quis proteruiret dicendo, quoniã materia habet eſſentiam ſuam, quoniam eſt extra nihil, quoniam de ea dicitur, quod eſt, ea propter ex his præciſe volo dicere, eam habere actum entitatiuum, & exiſtentiæ, tunc quæſtio foret de voce, & cum his à communi modo loquendi diſſentientibus, non eſſet cur in modo loquendi contenderetur. Capreol.

Poſterior pars concluſionis facilior eſt, & ex ſe, & ex priori parte probata manet, nam volunt tribuere actum entitatiuum reſpondentem illi potentiæ obiectiuæ, & e contra, at ſublato iam actu entitatiuo, diſtincto à formali, debet auferri & obiectiua potentia, diſtincta à paſſiua, vel actiua; Et quæ omnia ferme argumenta fecimus de actu illo entitatiuo, oſtendunt etiam vanam ſimiliter eſſe hanc potentiam ab alijs diſtinctam, nam toto nono Diuinorum duplicem ſolum habemus potentiam, actiuam, & paſſiuam, & actiuæ, actum ſecundũ, Ariſtotel.

paſſiuæ,

D.Thom. paſſiuæ, primum dicimus reſpondere, edocti ab Auctore quæſt. illa & ar. de Potentia, nam actiua reſpicit operationem, paſſiua formam; Rurſus, ſi detur potẽtia obiectiua diſtincta realiter ab actiua, & paſſiua, iam igitur aliquid eſt, antequam ſit, quod implicat, patet conſequentia, quoniam id dicitur in potentia obiectiua, quod ab agente poteſt produci, ergo nondum eſt productum, & tamen ſi potentia illa obiectiua ſit quid reale, iam quid illius reale præeſt, antequam ſit; Ita bene argumentantur, qui illam impugnant, quod non daretur creatio, quoniam priuſquam aliquid crearetur, erat in potentia obiectiua, & hanc ponunt aliquam rem, quocirca non erit productum ex nihilo, ſed ex illa re, quæ eſt potentia obiectiua; Ea propter, (omiſſis alijs rationibus, quas cernere potes apud multos, quos iam tertio art. allegaui, & etiam apud Soncinatẽ nono Diuinorum, quæſtione ſecũda,) dicamus obiectiuam potentiam, nil aliud eſſe, quam non repugnantiam terminorum, ſiue quod in idem redit, potentiam logicam, & extrinſecam denominationem, per quam aliquid poteſt dici eſſe in potentia agentis, quare non diſtinctam re à potentia actiua, vel paſſiua, &c.

Soncinas. Quid ſit potẽtia obiectiua.

Cum itaque non detur potentia obiectiua, neque actus dabitur ei reſpondẽs, qui ſit alius ab actu formali, & cum iſte non conueniat materiæ ſecundum ſe, relinquitur, vt nullum de ſe actum habeat, quod vltra ea, quæ allata ſunt breuiſſime adhuc probari poteſt ex Ariſtotele nono Diuinorum 16. in primis verbis dicente, materiam eſſe potentiam, quoniam ad formam progredi poteſt, ſubdit ſtatim, *cum vero actu ſit, tunc in forma eſt*, quare de mente Ariſtotelis materia, & eſt potentia, & tunc ſolum eſt in actu, quando eſt ſub forma; Quod ſi dicas eſſe in actu formali, quando eſt ſub forma, in alio vero actu, quando eſt in ſeipſa, velut ridicula Ariſtotelis verba redderet, qui ſic diceret, ita me ridiculum oſtenderem, ſi ei reſponderem, &c.

Ariſtotel.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Non poſſe materiam abſque forma exiſtere.

Poſtrema Cõcluſio.

Sit vltima concluſio, quæ præcipua in hac quæſtione apparet: Materia nulla potentia, etiam diuina abſoluta poteſt ſine forma exiſtere.

Pro cuius cognitione nota, quod famoſa eſt apud Theologos diſtinctio de duplici potentia diuina, altera enim vocatur ordinaria, altera abſoluta; Eſt autem potentia ordinaria, (vt rem paucis ſtringam, neque enim hæc eſt propria huius negotij ſedes,) quæ ſubeſt iam certæ determinationi diuinæ, qua conſtituit Deus, quicquid vel ſe ſolo, vel cauſis ſecundis medijs vult facere; Abſoluta vero, (quam, generalem vocat eloquentiſſimus Cano. lib. ſecundo de Locis Theologicis ſub initium cap. 3.) ea eſt, quæ nulli prorſus legi eſt determinata, quæ nimirum omnia, quæ quouis modo fieri poſſunt poteſt facere; A prima potentia multa ſubtrahuntur, vtpote omnia, quæ non videntur conſona eſſe ordini iam ſtatuto; à ſecunda nihil excluditur, niſi quod contradictionem in ſe inuoluit, quo ſcilicet dato, duæ ſequantur contradictoriæ; Neque illis omnino aſſentior, quibus placere videtur, vt ab hac abſoluta potentia id quoque ſubtrahatur, quo dato, licet non duo contradictoria, tot tamen ſequantur inconuenientia, quot intellectus nequeat capere, niſi forſan intelligatur

Melchior Cano.

quod

quod dum tot incommoda apparent, credendum ſit, quod licet neſciamus colligere duo contradictoria, attamen reuera à parte rei dantur, ſi enim non ſit huiuſcemodi cōtradictio, profecto non video, quomodo debeat dici, aliquid non ſubdi abſolutæ huic potentiæ, quamuis infinita emergerent inconuenientia, hæc enim non erunt abſolute loquendo inconuenientia, (nihil vtique inconueniens poteſt à Deo fieri,) ſed nobis dumtaxat ſtatutum hunc ordinem inſpicientibus, nam ſi alter præfinitus fuiſſet ordo, & hæc quæ modo cernuntur, ei comparata, inconuenientia iudicaremus.

Manente itaque duplici hac potentia, dicimus neutra ipſarum fieri poſſe, vt materia abſque forma exiſtat, & ſum ſemper admiratus quoſdam theologos de noſtra Familia optime meritos, qui ad aures Auctoris non dubitarunt affirmare, id abſoluta Dei potentia fieri poſſe, cum tamen ipſe Doctor Sanctus prima par. quæſt. 66. art. 1. aſſertiſſime ſcribat, quod implicat contradictionem, ſi quis dicat, materiam eſſe ſine forma, quod prædocuerat quolibeto tertio, ar primo, & in argumento ſed contra, & ſæpe in corpore art. in cuius fine dicebat, quod aſſerere materiam eſſe in actu ſine forma, eſt dicere contradictoria eſſe ſimul; Nullus autem valet dubitare, quod implicantia contradictionem, à potentia quoque abſoluta remouentur, quare nequit quis cum Auctore ſuſtinere, materiam abſque forma quauis potentia poſſe exiſtere. *Improbatur quorundā opinio.*

Probatur autem facile concluſio; ſi materia ſine forma exiſteret, iam haberet aliquem actum, at nullus actus inuenitur præter formam, igitur nequit exiſtere ſine forma, maior propoſitio nota eſt omnibus, nam exiſtentia eſt actus, immo eſt vltima actualitas, minor etiam ſuperiori art. patuit, &c. Et hæc vna ratio ſufficit ad conuincendam veritatem concluſionis, & fuit ratio Auerr. ſecundo Phyſ. 12. & vbique ab Auctore, & omnibus veris philoſophis ſuſcepta, nam ſi materia abſque forma exiſteret, eſſet in actu, ſine actu, quod pugnat, eſſet quippe in actu, quoniam exiſteret, & omnis exiſtentia eſt merito actus, vt dicebatur primo quæſtionis art. non eſſet in actu, quoniam eſſet ſine forma, præter quam nullus eſt actus. Quod vero & Ariſtoteles hoc agnouerit, nihil neceſſe habeo vt probem, quandoquidem ipſemet Scotus ſecunda illa quæſtione diſt. 12. dum reſpondet ad tertium inquit, Ariſtotelem huius ſententiæ fuiſſe, dicit tamen hoc proceſſiſſe ex eo, quod voluit Philoſophus, non poſſe agere Deum abſque cauſis ſecundis; At quicquid in hoc ſenſerit Ariſtoteles, id non fuit cauſæ vt ea proferret, vt bene obſeruat in hac quæſtione Caiet. ſed ex natura ipſius actus, & ipſius potentiæ hoc deſumitur, ceu deſumpſit Auerroes; pugnat enimuero, aliquid abſque actu exiſtere, quare & abſque forma, quæ illatio iam patet, &c. *Prior ratio pro concluſione.* *Auerroes.* *D. Thom.* *Iudicium Scoti de Ariſtotele in hoc.* *Caietanus.*

Antequam vlterius progrediaris, obſerua diligenter, quod vbi eſt exiſtentia, ibi de omnimoda neceſſitate eſt forma, quoniam vbi eſſe, ibi actus, & vbi actus, ibi forma, at non prorſus neceſſario, vbi eſt forma, ibi eſt eſſe, nam poterit forma impediri, & præueniri, ne ab ea fluat eſſe, quod aptum eſt ab ea proficiſci, ſic Caiet. prima par. quæſt. 50. art. quinto dicebat, eſſe conſequi formam neceſſitate phyſica, non autem logica, nam ſemper vtique à forma emanat eſſe, at non implicat, quin vt dicebam proueniat, ſed præueniatur, quod magno miraculo credimus eueniſſe in opere ſanctiſſimo Incarnationis, nam Filius Dei vniuit ſibi hypoſtatice formam humanitatis, & veram humanam naturam, quam tamen formam videmus in Chriſto domino carere propria exiſtentia, iuxta probabiliorem Auctoris ſententiam, quemadmodum enim perſo- *Caietanus.* *Quomodo eſſe ſequatur formam.*

nalitas illi humanitati ex naturæ curſu debita, preuenta fuit à Verbi perſonalitate, ita idipſum de exiſtentia dicimus, quod ſanè theologicum eſt, omnem philoſophorum captum excedens.

At vero non dicas, quod ſi potentia Dei abſoluta poteſt dari forma abſque eſſe, ita eadem potentia queat dari eſſe ſine forma, quamuis etenim motiuum hoc olim me aliquanto ſuſpenſum tenuerit, attamen nullum eſſe deprehendi, quoniam ſi recte contempleris, videbis multo maiorem eſſe dependentiam effectus ad ſuam cauſam, quam cauſæ ad ſuum effectum, adeo vt implicet dari effectum productum abſque cauſa, quæ illum produxerit, poſſibile tamen ſit, dari cauſam in ordine ad aliquem effectum, & quæ illum ſit formaliter productura, & tamen eundem non producat, quoniam à tali productione poterit impediri; Sic vbi aderit productus effectus, dicemus adeſſe, vel adfuiſſe cauſam, quæ illum produxerit, at licet intueamur cauſam, non tamen neceſſario ſimpliciter arguemus adeſſe effectum, ceu vbi adfuerit riſibilitas, dicemus de neceſſitate adeſſe hominem, at ſi cernemus hominem, non erit neceſſaria illatio ſimpliciter, ergo eſt riſibilitas, adeo vt eius oppoſitum logice ſit impoſſibile; applica exiſtentiæ, & formæ, & conſidera, quod illa eſt effectus formalis huius, ideo vbi exiſtentia, ibi omnino neceſſario forma, at non pari neceſſitate vbi eſt forma, ibi eſt exiſtentia; Et quamuis hæc mihi certiſſima ſint, cum ex natura ipſius cauſæ, & effectus vt ſic deſumam, ne tamen videantur alicui prorſus noua, ſaltem in hoc negotio de forma, & eſſe, de quibus eſt ſermo, vide Capreolum in ſecundo diſt. 18. quæſt. vnica ad primum Aureoli, ſecundo loco aduerſus primam concluſionē, vbi in calce oblongæ illius ſolutionis leges, *forte autem, cum forma ſit prior eſſe ab illa fluente, ideo poteſt poni forma ſine hoc, quod det eſſe, ſicut patet de anima Chriſti, à qua nullum eſſe exiſtentia fluit ſecundum ſanctum Thomam*. Potes quoque dicere ex doctrina eiuſdem reſponſionis, quod neceſſario etiam, vbi datur forma, ibi datur eſſe, vel proprium, vel alienum; ſic & forma humanitatis noſtri Redemptoris quamuis non habeat propriam exiſtentiam, gaudet tamen illa Verbi increata, licet enim eſſe non ſit de eſſentia formæ, eſt tamen de eſſentia formæ exiſtentis; Cum igitur eſſe ſit effectus formæ, vnde ab omnibus actualiſſimum appellatur, & omnis formalitatis completiuum, ceu implicat dari album ſine albedine, & actualitatē ſine actu, ita eſſe ſine forma, vt deducit hoc loco Caiet. & deduxère pridem Auerroes, & Auctor locis memoratis.

Varia habitudo effectus ad cauſam, & cauſæ ad effectum.

Capreol.

Exiſtentia humanitatis Chriſti Domini.

Secūda ratio.

Præterea, Si materia poſſet eſſe abſque forma, iam poſſet eſſe hoc aliquid, & indiuiduum, quicquid enim exiſtit, eſt ſingulare, vt dicebatur, & probabatur in quæſtione de exiſtentia vniuerſalium, at ſi eſſet hoc aliquid, tunc eſſet naturæ cuiuſdam limitatæ, tunc naturam actualem haberet, tunc alias naturas non poſſet recipere, tunc denique non eſſet materia, & patet vltima hæc illatio, quoniam memoratæ conditiones ſunt repugnantes eius naturæ, cum fuerit à Deo effecta in potentia ad omnes formas, nullius limitatæ, vel determinatæ naturæ actualis: Neque dicas, potentiam diuinam poſſe has conditiones immutare, pari enim via dicendum tibi eſſet, fieri poſſe, vt homo ſit irrationalis, vt albedo non ſit colorata, & ſimilia, quæ rerum naturis aduerſantur, quippe quæ ſi fierent, illæ naturæ non permanerent eædem, quare, &c.

Defenditur.

Tertia ratio.

Denique materia appellatur ſæpe ab Ariſtotele non ens, vt patuit primo huius quæſtionis art. nequit autem dici, quod ſit omnino non ens, quoniam eſſet nihil, vnde relinquitur, vt ſit non ens actu, vt idem Philoſophus declarat duodecimo

decimo Diuinorum 8. & primo de Generatione 11. Si autem poſſet exiſtere abſque forma, haberet aliquem actum alium à forma, & ſic nullo modo poſſet dici non ens; Niſi quis adeo inſipiens ſit, vt dicat dici non ens in ordine ad id quod non habet, tunc enim omne quod eſt in mundo, poſſe dici non ens, cum nulli enti creato omnis rerum adſit plenitudo, & ita nihil peculiare vllus diceret de materia, dum eam cum omnibus, non ens pronunciaret.

Illi vero, qui actum exiſtentiæ materiæ ſecundum ſe tribuunt alium à forma, non vident, quomodo vltra omnia inconuenientia allata, illud quoque patiantur incommodi, quod aliquid perpetuo otioſum ponunt in natura, quod omnes abhorrent, nam ſi materia habeat propriam exiſtentiam, cur non aliquando ſe ſola exiſtat? An non ijdem auctores fatentur, & docent, cauſam, immo cauſas reddentes, ob quas numquam materia eſt ſine forma? Quorſum obſecro ponant exiſtentiam in aliquo ente, quod numquam fuit, aut erit tali exiſtentia exiſtens? At ſi dicant, requiri exiſtentiam formæ vltra hanc, vt materia exiſtat, non vident quomodo forma ſe ſola ſufficiat ad ſecum ferendam ſufficientem exiſtentiam, non vident, quomodo exiſtentias, & realia entia abſque vlla neceſſitate in compoſito multiplicent, quare, &c. Contra ponẽtes actum exiſtentiæ in materia.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Soluuntur argumenta art. ſecundo adducta.

QVæ omnia prope motiua priori argumento tanguntur, corruunt ex doctrina iam tradita, quandoquidem nedum concedimus materiam eſſe ens, ſubſtantiam, cauſam, principium, & id genus, ſed & docemus, at diſtinguito ſemper de ente nominali, & participiali, de ente in actu, & potentiali, & dic, illa, & ſimilia argumenta probare materiam eſſe ens nominale, hoc eſt, habere eſſentiam, & eſſe naturam potentialem, non autem eſſe ens in actu, aut exiſtens.

Verum ſigillatim quibuſdam motiuis faciendum eſt ſatis, quod enim dicitur primo de ſubſtantia, quæ ſubſtat, &c. Dic primo, definitionem illam eſſe ſubſtantiæ actualis, & quæ in prædicamento ex ſe, hoc eſt, merito propriæ exiſtentiæ collocatur, & quod magis refert, ſubſtantiæ primæ, quorum nullum conuenit materiæ: Dic ſecundo, ad rationem ſubſtantiæ vt ſic ſufficere, quod ſubſiſtat, hoc eſt, vt non ſit in alio, tamquam in ſubiecto, in quo potiſſimum ſecernitur ab accidentibus, ſic materia eſt vere ſubſtantia, quoniam licet ſit perpetuo ſub hac, & illa forma, numquam tamen eſt in aliquo, tamquam in ſubiecto, &c. Ratio Subſtantiæ.

Quod dicitur de cauſalitate ipſius materiæ, primo dicas cum Caiet. hoc loco, quem ſequitur Bannes, quæſtione illa primi de Generatione, ad tertium, quod cum materia pro omni differentia temporis ſit ſub forma, ac proinde exiſtat, in qualibet differentia temporis dum cauſat, exiſtit, neque eſt neceſſe, vt exiſtat pro quouis ſigno naturæ, dum accipitur cauſare; Quod ſi nemo admiratur, cauſam finalem eſſe veram cauſam, ex eo quod eſt in apprehenſione, abſque reali eſſe in rerum natura, quæ tamen princeps eſt inter omnes cauſas, cum gratia finis vniuerſa fiant, ex primo de Partibus animalium, cap. 5. neque admirari Caietanus Bannes.

debet, ſi pro aliquo ſigno naturæ ponatur materia cauſare, quamuis non ſit in actu, ſed ſolum in potentia, & quidem argumenta, quæ innituntur huiuſcemodi ſignis, & præciſis naturæ proprietatibus, velut non omnino negligenda, ita neque prorſus æſtimanda veniunt. Dic ſecundo, quod ſicut innuebam in obſeruationibus ad ſeptimã partem huius capitis, ſola cauſa efficiens cauſat agendo, vnde cauſare non eſt agere, (alioquin materia certe non eſſet cauſa,) ſed eſt quouis modo ad opus concurrere, quouis inquam modo alicuius cauſæ, vel effectricis, vel finalis, vel formalis, vel materialis; Hinc vana penitus eſt hæc argumentatio, Hoc non agit, igitur non cauſat, ſed in antecedente oporteret dicere, hoc nullo modo ad effectum concurrit, & tunc certa eſſet illatio; Sic in noſtro propoſito, cum materiæ cauſalitas ſit paſſiua, & in pati, ac moueri conſtituta, vt docemur primo de Generatione 55. & ſecundo eiuſdem 53. non eſt requirenda vlla actualis exiſtentia in ipſa ad hoc, vt dicatur cauſa, immo ſua potentialitas optime inſeruit ſuo modo cauſandi, nam cum ſit pura potentia, omnia valet recipere, ad omnia moueri, ab omnibus pati, quæ cauſalitatem materialem mire conſtituunt, & complent, quocirca tantum abeſt, vt ad materiæ cauſalitatem vlla actualis exiſtentia requiratur, vlluſuè actus in ipſa, quod hæc forent ei impedimento, tunc enim non ab omnibus pateretur, &c. Cumque ſit cauſa, ſub hac ratione formali, & vt ſic, nihil prohibet eſſe digniorem cauſato, licet ex alijs partibus hoc valeat eſſe dignius illa; At quæ cauſa, & quomodo ſit nobilior effectu, abunde explicatum dedi prioribus obſeruationibus ad ſecundum caput libri.

Quid ſit cauſare.

Cauſalitas materiæ.

Quod adijcitur de eius productione, & quod dicatur eſſe extra cauſas ſuas, & de eius permanentia in re facta, & quo pacto eſſe proprium habeat, art. tertio omnia hæc patuerunt.

Quod poſtremo ſtatuatur pars ſubſtantiæ, & veriſſimum ſit, res ſenſibiles includere materiam partem ſui, & ex aliquo, & aliquo componi, nihil obſtat, iam enim vidimus materiam non eſſe nihil, ſed aliquid, immo vero argumentum hoc iuuat, & non mediocriter, quoniam cum ex duobus entibus in actu non fiat aliquid vnum per ſe, ex ſeptimo Diuinorum 49. & ex octauo eorundem vltimo, cum ſubſtantia compoſita ſit vnum per ſe, & componatur ex forma, & materia, dicant omnes, à quanã harum partiũ debeat actus remoueri.

Ariſtotel.

Ad ſecundum, non ſemel dictum fuit, materiam eſſe aliquid, & ſimiliter dictum fuit, vanam eſſe hanc conſecutionem, ergo eſt in actu, ergo habet ex ſe exiſtentiam, ſic non ſequitur, quin creatio differat à generatione, quoniam illa ex nullo ſimpliciter, hæc autem ex materia, quæ licet non ſit ens in actu, attamẽ non eſt nihil; Rurſus, quod ſæpe dicitur de generatione ex quinto Phyſ. 7. & 8. & ex primo de Generatione 21. & 22. quod ſcilicet fiat ex non ente ſimpliciter, non debet accipi de ipſa mutatione, ſed de eius termino, hic enim recipitur in materia nuda, termini vero aliorum motuum in ente in actu, at ipſa generatio in ente in actu recipitur, & exercetur, &c. Quod ſubditur, ſi materia ſit pura potentia, ergo eſt nihil, ar. quartus docuit nullam eſſe eiuſmodi illationem, nam ens in potentia eſt ens, & rurſus non eſt in potentia ad ſeipſam, cum ſit actu materia, ſed eſt in potentia ad actum, & formam, vt in calce quinti art. dicebatur; Quod vltimo dicitur, ens eſſe tranſcendens, veritatem habet de ente nominaliter, & vt dicit eſſentiam, vel de ente participialiter, at in ordine ad ea, quæ aliquando exiſtere valebunt, aut propria, aut ab alio ſibi communicata exiſtentia; & quomodo vera ſit hæc propoſitio, *Materia eſt ens*, docui ex Capreolo

Quomodo generatio ſit ex non ente ſimpliciter.

preolo ar.3.& ex eo quod de ipſa formari queat propoſitio de ſecũdo adiacente, vidimus cum eodem, ſexto ar. nullum proinde actum ei tribui debere.

Ad tertium elicitur ſolutio ex tertio illo art. patuit enim, & quomodo materia fuerit producta, & falſum eſſe, quod habuerit aliam productionem ab illa formæ; quæ vero formæ per generationé comproducuntur, ſunt hæ, & illæ, nó ea, ſub qua temporis initio concreata fuit materia; Ibidem etiam oſtenſum fuit, quomodo non poſſit vere dici materia corrumpi, ex eo quod formæ exiſtentia ſub qua eſt corrumpatur, &c.

Ad primum eorum, quæ efficere conabantur, vt poſſet materia ſine forma exiſtere, docte, & cumulate reſpondet hoc loco Caiet. & iam reſponderat ſub vno verbo Auctor prima par. quæſt. illa 66. ar. primo, ad tertium, & Duran. diſt. illa 12. ad primum principale, magis enimuero repugnare materiæ, vt ſit abſq; forma, quam accidenti abſque ſubiecto, quoniam materia nullum habet actum, accidens vero eſt quidam actus in ſe, ſic magis dependet potentia pura ab actu, quam actus imperfectus, ab actu perfecto, vnde illa nequit eſſe abſque forma, hic vero per potentiam diuinam poteſt. Caietanus. D. Thom. Durand.

Quod vero contra hoc reſponſum adfert Trombeta q. illa prima octaui Diuinorum, adeo radicitus euellitur à Caiet. vt mihi in hoc non ſit immorandũ; Collige breui triplicem quam adfert ſolutionem, & prior eſt, quod licet materia ſit prior forma, tamen forma eſt prior materia vt exiſtens eſt, de qua loquimur dicentes dependere à forma, non autem de materia vt ſic, & ſecundum ſe. Secunda eſt, quod falſum eſt, ordinem generationis eſſe abſolute prioré ordine perfectionis, cũ hic ſit prior ſimpliciter, & iam in obſeruationibus ad tertiã parté huius capitis explicatũ fuit, quomodo abſolute actus ſit prior potentia, nulli auté dubium eſſe poteſt, actũ dicere perfectioné, materiã imperfectioné, quare ordo perfectionis præcedit illum generationis, & ex conſequenti forma materiam. Tertia eſt, quod concedentes etiã materiam eſſe prioré forma, non tenet conſequentia, quoniã vt mox dicetur, non omne prius poteſt eſſe abſque ſuo poſteriori. Sed illud addamus, quod ex ſecunda ſolutione nedũ confutatur, ſed & retorquetur argumentum Trombetæ, dicendo ſic; Quãdo ſunt duo ordines, quorum vnus eſt ſimpliciter prior altero, quicquid eſt in ordine priori, eſt ſimpliciter prius omni eo quod eſt in ordine poſteriori, ſubſume, quod adſunt ordo generationis, & perfectionis, & iſte eſt prior illo, ergo quicquid eſt in ordine perfectionis, eſt prius eo quod eſt in ordine generationis, ſed forma eſt in ordine perfectionis, ergo eſt prior materia, quæ eſt in illo generationis, ſeu imperfectionis, ſic argumento, quo volebat probare materiam eſſe priorem forma, probamus formam antecedere materiam, &c. Triplex ex Caietano reſponſum ad motiuum Trombetæ. Retorquetur motiuũ Trombetæ.

Ad quintum in ordine, optime ibi reſpondebatur, & quãdo replicatur, quod prius, vt prius pugnat vt dependeat à poſteriori, Dic primo, vt nunc dicebam, quod materia vt exiſtens nó eſt prior, ſed poſterior forma, quare vt exiſtés debet neceſſario à forma pendere, & ſic argumentũ conuertetur, quoniam poſterius neceſſario pendet à priori, &c. Dic ſecundo, quod materia, vt materia eſt prior forma, & ſic non pendet ab ipſa, ſi autem arguatur, ergo ſine illa exiſtit, nullum eſt argumentũ, quoniã dum dicis materia, vt materia, habes reſponſum, & argumentum ſeipſum ſoluit, quoniam ipſi vt ſic nullus debetur actus, nulla exiſtentia; vnde dicere, materia vt materia, ſecundum ſe eſt prior forma, & ab ea nó pendet, nil aliud dicis, niſi quod materia eſt pura potentia, in quo eſſe potentiali, & eſſentiali nullus dicit à forma pendere. Dic tertio, omne prius, quod Prima ſolutio. Secunda. Tertia.

eſt actus, ſeu actum aliquem, tamquam partem ſui eſſentialiter includẽs, poſſe exiſtere abſque poſteriori, at ſi tale prius fuerit potẽtia pura, cuiuſmodi eſt materia, nego quod poſſit eſſe de ſe abſque poſteriori, & ratio eſt in promptu, quoniam omnis exiſtentia eſt actus, & ab actu.

Quod adſertur contra neceſſariam connexionem de materia exiſtente ad formam, vanum prorſus eſt, nam eſt quid abſolutum materia in eſſentia, non pendens à forma, non autem in exiſtentia, forma autem licet non ſit de eſſentia materiæ vt ſic, eſt tamen de eſſentia materiæ exiſtentis; Rurſus, non ſequitur, vt hanc, vel illam formam ſingularem, & ſignatam ſibi vindicet, ſed hanc formam vage, quoniam ſemper de neceſſitate eſt ſub aliqua forma, quamuis hæc, & illa numero ab ipſa recedant; Vnde quando inquit Subtilis Doctor, Quicquid neceſſario eſt homo, eſt de neceſſitate hic, vel ille homo, colligitur vt ait Caiet. in præſenti ad quintum, quod intendimus, quoniam enim materia determinat ſibi neceſſario genus formæ, ideo neceſſario oportet, vt ſit ſemper ſub hac, vel illa forma, non quidem ſignate, ſed vage, ceu quod eſt animal, eſt hoc, vel illud vage, non ſignate; Immo Capreolus vbi ſupra, ad quartum in ſecunda reſponſione ad hoc argumentum negat hãc propoſitionem, Quicquid determinat ſibi genus formæ, determinat aliquam ſpeciem, & adfert exempla de colore, & de figura, nam viſus determinat ſibi coloris genus, & tamen non hanc, ſiue illam coloris ſpeciem, ſimiliter quantitas determinat ſibi genus figuræ, at non hanc, vel illam ſpeciem. Demum, ſi argumentum concluderet, iam nedum per diuinam potentiã, ſed mere naturaliter, vt ibidem inquit Capreolus colligeretur, materiam eſſe abſque forma, dicendo, Quicquid nullam ſpeciem alicuius generis naturaliter ſibi determinat, poteſt naturaliter eſſe ſine illo genere, applica materiæ nullam ſpeciem formæ ſibi naturaliter determinanti, quare poterit eſſe naturaliter ſine genere formæ, &c.

Scotus. Caietanus. Capreol.

Ad ſextum reſpondebatur accommodate ex communi doctrina; Quando inſtatur, quod plus poſſet Deus cum cauſa ſecunda, quam ſe ſolo, dicatur cum Capreolo ibidem ad quartum ſecundo loco adductorum, quod Deus cum cauſa ſecunda ſunt plura genera cauſarum, quam ſolus Deus, non enim Deus poteſt eſſe materia, aut forma intrinſeca, aut informare creaturam, quæ attamẽ cauſalitates creaturis conueniunt; Vnde quod materia nequeat diuina potentia eſſe ſine forma, non eſt ex Dei defectu, qui omnia poteſt, ſed prouenit ex defectu materiæ, quæ in hoc nequit pati à Deo, quoniam non poteſt Deus aliquid informare in eſſe reali, & ſi materia debeat exiſtere, opus eſt, vt ſit ſub forma; Quocirca nihil eſt quod ſubinfertur, quoniam eſſe cauſam formalem dicit perfectionem cum imperfectione de neceſſitate admixtam, cum includat inhærentiam, vnde nulla perfectio ſubtrahitur à Deo, immo cauſalitas intrinſeca excluditur à Deo, quoniam talis modus cauſandi dicit imperfectionem; Adde, quod vim illam, qua eſſe largitur forma, habet à Deo, non illam imperfectionem, &c.

Quid dicatur cauſa formalis.

Ad ſecundum reſpondeo, quod nos ea ratione hoc adimimus à diuina potentia, quoniam cenſemus implicare contradictionem, quod nos probaſſe credimus, & nequit noſter intellectus concipere oppoſitum, quod ſi qui id poſſibile apprehendunt, non inde ſequitur, quin in rei veritate adſit implicatio, ſed quod apud ipſos dumtaxat; Sunt autem inter ea, quæ contradictionem implicant quædam omnibus nota, ex principijs apud omnes receptis pendentia, quædam autem apud quoſdam ſolum, ex principijs ſimiliter ab eiſdem approbatis,

probatis, quibus præmiſſis, illud ſequitur; Ita nos quoniam actum omnem formæ tribuimus, iure ex hoc principio cenſemus implicare contradictionem, vt ſit materia ſine forma.

Ad vltimum, falſiſſimum eſt, materiam in Chriſto domino exiſtere abſque forma, nam adeſt ibi anima ſanctiſſima, forma humanitatis, materiam illam informans, non minus, quam mea anima informet meam; Quod autem ab illa forma non proueniat exiſtentia, hoc nihil obſtat, quoniam præuenitur exiſtentia illa ab exiſtentia Verbi, & communicatur humanitati iam ſub forma manenti, & iam articulo præcedenti manifeſtaui, quomodo fieri poſſit, vt à forma non emanet eſſe, ſed præueniatur, & materia humanitatis illius benedictæ non eſſet capax exiſtentiæ Verbi, niſi eſſet prius ſub forma, quoniam ſi debeat exiſtentiam ſortiri, prius debet eſſe ad hanc, vel illam formam limitata, vt in hac, vel illa natura poſſit exiſtere; Rurſus, Verbum diuinum quamuis non ſit forma humanitatis, illi hærendo, vel eam informando, eſt tamen in ſe actus perfectiſſimus, ac ſimpliciſſimus, & illa humanitas non eſt ſola materia, ſed ex materia, ac forma coaleſcit; Vnde ex eo quod ei Verbum impertiat eſſe, arguere, quod aliud à forma tribuat eſſe materiæ primæ, vel nudæ, puerile, & impertinens deprehenditur, &c.

QVAESTIO TERTIA.

Quomodo in ſubſtantiis creatis, compoſitis, ac ſimplicibus ſe habeant natura, & ſuppoſitum.

CIRCA ſecundam differentiam aſſignatam in quarta parte inter ſubſtantias compoſitas, & ſimplices, dum dicebatur, in illis eſſe ſignificationem totius, & partis, quod nequit inueniri in iſtis, vnde proueniebat, vt eſſentia illarum non eſſet ipſa res compoſita, iſtarum vero quidditas eſſet ipſummet ſimplex, moueo cum Caiet. difficultatem peruulgatam apud Methaphyſicos, & Theologos de veritate huius diſcriminis, num ſcilicet in ſubſtãtiis compoſitis quidditas differat ab eo cuius eſt quidditas, in intelligentiis autem ſint eadem hæc ad inuicem, & quamuis in hoc definiendo ſit perbreuis hoc loco Caiet. alibi tamen multo latius in eo ſe occupauit.

In huius difficultatis gratiam ſex efficiam, elucidabo primo titulum, referam deinde opiniones, quas à vero diſtare credo, cum ſuis rationibus, tertio pro vera ſententia ſtatuenda quædam præmittam, quarto per concluſionem reſpondebo quæſtioni, eandem patefaciens, quinto ipſammet probabo, & vltimo frangam argumenta pro opinionibus contrariis.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit quæſtio.

DIfficultas hæc de diſtinctione, ſeu identitate ſuppoſiti cum natura, non eſt eadem cum illa de identitate, vel diſtinctione eſſentiæ, & eſſe; In quo forſan deceptus eſt Aquarius, qui dilucidatione 4. quarti Diuinorum adſerens quattuor propoſitiones pro ſententia D. Thomæ, in prima, & ſecunda pro eodem videtur accepiſſe eſſentiam, & naturam ex vna parte, & ſuppoſitum, & exiſtentiam ex altera; Verumtamen cum ſeptimo eorundem, dilucidatione 7. ſpeciale adhuc formauerit quæſitum de diſtinctione ſuppoſiti à natura, fortaſſis non pro eodem illa accepit, ſed quicquid ſenſerit, certe indiſtincte ſatis in illis prioribus propoſitionibus locutus eſt. Diuerſitatem vero horum quæſitorum indicauit Auctor, qui prima par. q. 3. articulos formauit diſtinctos, & ſeparatim de diſtinctione ſuppoſiti à natura, & eſſe ab eſſentia in Deo, indicabit & res ipſa, quoniam exiſtentiam videbimus non eſſe idem, quod ſuppoſitum; ſed hoc illam extrinſece includere.

Aquarius. D. Thom.

Notabis autem, quod de natura, ac ſuppoſito dupliciter poſſumus loqui, vel primo ſecundum rem, vel deinde ſecundum modum ſignificandi, hoc eſt, poſſumus huiuſmodi inſpicere iuxta proprias ipſorum rationes, quas important, non attendendo, vtrum ſignificentur in abſtracto, vel in concreto, nomine totius, vel partis, nomine primæ, an ſecundæ intentionis, & ſecundo poſſumus hæc ſpectare iuxta hos varios ſignificandi modos, & penes diuerſam hanc conſiderationem, diuerſa de eiſdem pronunciari vidimus toto cap. 3. & 4. huius libri; Et ſane ſignificatio, quæ petitur ex rationibus ipſorum vt ſic, metaphyſica eſt, quæ vero ex ipſis vt ſic, vel ſic ſignificãtur, logica apparet; In præſenti inueſtigamus in priori ſenſu, & metaphyſicos agentes, quærimus de proprijs rationibus, & meritis naturæ, & ſuppoſiti, num ſcilicet natura ſecundum ſuam propriam definitionem ſit eadem, vel differat à ſuppoſito ſecundum ſimiliter ſuam propriam rationem, & tunc vt dicebat Caiet. p. p. quæſt. tertia, art. tertio, locum non habent vel argumenta, vel ſolutiones, quæ inuoluunt ſignificationem per modum partis, excluſionem, incluſionem, aut explicitam, aut implicitam, de quibus tertio illo operis huius capite digrediebatur. Cum autem natura ſit ea, qua aliquid eſt, ſuppoſitum vero id, quod eſt, & quod naturam ipſam eſt habens, vt primo huius libri capite dicebatur, & illa vt quo, hoc vt quod accipiatur, hinc idem eſt quærere, an natura, & ſuppoſitum diſtinguantur, & quærere, an quo eſt, & quod eſt, an quidditas & habens quidditatem ſecernantur, quare varijs viis, ac vocibus à diuerſis auctoribus idipſum inquiritur.

Caietanus. Variæ huius quæſiti indagãdi viæ.

Deinde obſerua, quod cum duplex primo loco ſit diſtinctio, altera rationis, altera realis, & hæc poſtea diuidatur, quoniam alia eſt rei à re, ita quod vnum nihil ſit alterius, ceu Lelius, & Iulius, alia inter rem aliquid reale includentem, quod non includit alia, (& loquor modo ex ratione formali rei, non autem ex modo ſignificandi, vt præmonui,) hæc etiam duplex eſſe poteſt, quoniam vel illud reale incluſum poteſt eſſe intrinſecum, vel extrinſecum, vt habes à Caiet. ibidem, & ab Aquario dilucidatione illa ad ſeptimum

Multiplex diſtinctio. Aquarius.

Diuinorum, & à Bannes eodem loco p. p. & ab aliis;hinc fit, vt quattuor modi diſtinctionis in propoſito emergant, & primus inter rem, & rem, ſecundus inter rem includentem aliquid reale intrinſece,& rem illud non includentem, vel vt vocem Caiet. adhibeam, ab illo abſtrahentem, tertius inter rem aliquid reale extrinſece includentem, & rem id non includentem, quartus eſt per diſtinctionem puræ rationis; Poſſet forſan ſubdiuidi adhuc ille modus realis diſtinctionis penes incluſionem alicuius realis intrinſeci, & negatiui, & poſitiui, ſed quoniam tandem illud negatiuum formaliter eſt nihil, ideo non videtur poni debere in numero enumeratarum diſtinctionum. Bannes

Cum itaque indagamus de diſtinctione ſuppoſiti à natura, non eſt indagatio de diſtinctione reali priori modo, nullus enim dixit,naturâ ita à ſuppoſito diſtingui,velut duo diſparata, adeo vt illa nihil ſit huius, vel e veſtigio,conueniunt enim omnes,ſuppoſitum eſſe habens naturam, & hanc eſſe quidditatem illius, ſimiliter non quæritur de diſtinctione rationis, cum & hoc apud omnes ſit in confeſſo, quandoquidem, & in Deo Opt. Max. in quo ſumma eſt ſimplicitas,ponunt omnes hanc rationis diſtinctionem inter ſuppoſitum, & naturam; Hinc tota quæſtio verſatur in ſecundo, & tertio gradu diſtinctionis.

Nota vlterius,quod cum entium quædam ſint per ſe,quædam per accidens, vt non raro legis apud Ariſtotelem,præcipue quinto Diuinorum 13. & 14. & 7. eorundem 20. & 21. & 41. non eſt quæſtio de entibus per accidens, tum quoniam in his non adeſt vere vel natura, vel ſuppoſitum, vel quodquideſt, tum quoniam conſentiunt omnes, in huiuſcemodi differre hæc ab inuicem, eo modo quo in eis locum habent,vnde difficultas eſt de entibus per ſe,quippe quæ cum in duplici ſint differentia, compoſita videlicet, & ſimplicia, vel materialia, & à materia ſecreta, vt colligitur ex duodecimo Diuinorum 5. & 29. & alibi ſæpius, de vtriſque eſt quæſtio, intelligendo ſemper non venire in hanc quæſtionem primam omnium intelligentiam, & cauſam, in hac enim ſolam rationis diſtinctionem,vt ſaltem diſtinguitur contra realem,fatentur omnes inueniri, & de diſtinctione eorum, quæ ſunt in Deo, cap. ſequenti erit diſſerendi locus, quæſtione vtique ſecunda. Ariſtotel.

Quamuis autem gemina poſſet formari quæſtio, in quarum altera de compoſitis, altera de ſimplicibus ſubſtantijs tractaretur, velut nonnulli eas, neque incommode ſeparatim verſant, quoniam tamen ſatis apte ſub eadem deciſione vtrumque cadere valet, & quoniam de vtroque in eadem parte literæ,& paucis quidem verbis loquitur Auctor, eapropter vnica quæſtione vtrumque definiam.

Quæro itaque, vtrum natura, & ſuppoſitum,vel quo eſt, & quod,ex vi ipſarum rerum diſtinguantur realiter,per incluſionem alicuius realis, ſiue extrinſeci,ſiue intrinſeci,ſiue,(vt vel diſtinctiones vocales complectamur,)poſitiui, ſiue negatiui, in entibus per ſe, tum ſimplicibus, tum compoſitis creatis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De variis opinionibus, & earum fundamentis.

COmplures in hoc perarduo negotio virorum grauiſſimorum circumferuntur ſententiæ, quas ſi optas videre, lege Caiet. 3. par. q. 4. art. 2. vbi Caietanus

præter

præter morem ſuum, nouem breuiter, & facile refert opiniones, quas & eodem loco habes apud Medinam, & multa argumenta, præcipue Scoti in tertio diſt. prima quæſt. prima. art. tertio vterque diſſoluit, quod ante effecit Capreolus in primo diſtinct. 4. quæſt. 2. & fuſius in tertio, diſt. quinta. quæſt. 3. Bannes etiam prima par. quæſt. 3 art. 3. duas quæſtiones circa hoc formans, non pauca argumenta diluit. Sed & omnes ferè, qui ſuper ſeptimum Diuinorum circa tex. 20. ſcripſerunt, aut quæſtiones admouendo, aut literam exponendo, de hac re quamuis diuerſimode loquuntur; Sic Alenſis duobus primis dubiis, Aegidius q. 3. Iandunus q. 11. Soncinas q. 20. Antonius Andreas q. 7. Sueſſanus diſp. 7. Flandrien. per omnes prope art. q. 10. Iauellus q 8. Aquarius dilucid. illa 7. & quarta quarti eorundē, & Zimara theorem. 39. Quoſdam etiam ſuper nonum 3. de Anima inuenies materiam hanc verſantes, vel innuentes, vt Themiſtium cap. 19. Sueſſanus vero, & Genua peculiare ibi formant quæſitum, & demum Zabarella 6. de Rebus naturalibus, cap. 8. nonnulla de hoc enunciat. At ſi vnicum Caiet. intuearis locis allegatis primę, & multo magis tertiæ partis, & omnes opiniones contrarias, & omnium confutationes, & veritatem docte nimis manifeſtatam, ac probatam inuenies.

Medina. Capreolus. Bannes. Alenſis. Aegidius. Iandunus. Soncinen. Antonius Andr. Sueſſanus. Flandrienſ. Iauellus. Aquarius. Zimara. Themiſt. Zabarella.

Et quoniam omnes, quæ nobis aduerſantes ſunt opiniones, in eo conueniūt, vt nihil reale poſitiuum intrinſecum includat ſuppoſitum ſupra naturam, atque ideo non diſtingui hæc ab inuicem realiter, intrinſece, & poſitiue, eapropter nonnulla argumenta breui adſeram, quibus hoc apparet probari; Et quoniam hæc quæſtio, vt in eius introductione adumbraui, eſt & theologica, & philoſophica, iccirco rationes, & ex Philoſophia, & ex diuina Theologia depromptæ non deſunt, quæ id roborare videantur.

Sit primum argumentum, quod vt ibi Caiet. ait, commune eſt fundamentum omnium illorum, qui dicunt ſuppoſitum nihil poſitiuum intrinſecum ſupra naturam ſingularem addere, Quoniam cum conſtet tale intrinſecum non poſſe eſſe accidens, relinquitur, quod ſit ſubſtantia, at cum hæc ſecundo de Anima 2. & 25. & alibi frequenter diuidatur ſufficienter in materiam, formam, & compoſitum, hoc additum nullum horum eſſe poteſt, & quidem neque materia, neque forma, quoniam natura in materialibus ex his conſtat, ſic non eſſet quid additum, neque compoſitum, quoniam hoc eſt ipſummet ſuppoſitum, quare videtur, vt ſit nihil, &c.

Ariſtot.

Secundo, Ariſt. ſeptimo Diuinorum 20. & 21. clare affirmat, in his quæ ſunt per ſe, ſingulum eſſe ſuum quod quid eſt, & in his non differre quidditatem ab eo cuius eſt quidditas, iam autem liquet, vtraſque ſubſtantias eſſe entia per ſe. Confirmatur, quoniam nullibi Ariſtoteles tractans de ſubſtantia, mentionem fecit de hoc addito reali poſitiuo, & tamen requiſita ad ſubſtantiam ſufficienter enumerauit, vt patet ex locis memoratis, ſignum itaque eſt, hoc additum eſſe in Ariſtotelis philoſophia peregrinum; Eninuero, præcedenti quæſtione concludebamus non dari apud Ariſtotelem actum entitatiuum, quoniam de illo numquam verbum is habuerat, quod ſi ratio illa valida fuit ad actum illum reiiciendum, reiicietur & additum iſtud.

Præterea, Si hoc quod includit ſuppoſitum ſupra naturam, eſt intrinſecum, igitur non erit actus eſſendi, hunc enim, extrinſecum à quouis ſuppoſito creato, omnes bene ſentientes ſentient, hoc autem eſt primo contra Capreolum, qui loco allegato tertij ſent. anteꝗuam reſpondeat ad primum contra ſecundam concluſionem, præmittit quid nomine huius, quod ſuppoſitum ad natu-

ram addit accipiat, & inquit eſſe actum eſſendi, connotatum in obliquo ab ipſo ſuppoſito. Rurſus, hoc videtur nouam in ſuppoſito inuoluere compoſitionem, nam primo aderit compoſitio ex materia, ac forma in materialibus, deinde, (in intelligentiis etiam,) compoſitio eſſe, & eſſentiæ, tunc addetur & iſta, qua ſuppoſitum componet cum natura, quam ſane nullus adhuc cogitauit, immo Auctor locis, quos recenſui in obſeruationibus ad quintam partem huius capitis dicit, in materialibus duplicem adeſſe compoſitionem, ex materia ſcilicet, & forma, & ex eſſe, ac eſſentia, in intelligentiis vero hanc ſecundam, & hanc de ſuppoſito cum natura non agnouit & demum, hæc entium multiplicatio, vana, & moleſta veris philoſophis apparet, qui naturam imitati, quando vno queunt quid abſoluere, plura non adhibent, &c. D.Thom.

Quarto, Quamuis admittatur ſuppoſitum aliquid addere ſupra naturam, attamen nequit aſſignari, quid addat ſupra hanc naturam, cum & hæc natura includat has carnes, hæc oſſa, hæc accidentia, hanc materiam, hanc formam, quæ ſane partes, velut neceſſariæ, ita ſufficientes ſunt ad ſubſtantiæ primæ conſtitutionem, & præterea, condonantes etiam quid reale includi in ſuppoſito, quod non in natura, adhuc non ſequitur, quod realiter diſtinguantur, nam & homo includit aliquid reale, quod non includit animal, rationale videlicet, & tamen nullus ſuſpicabitur, hominem diſtingui realiter ab animali, &c.

Quinto, Specialiter probatur de immaterialibus ſubſtantiis, in quibus ſæpius Auctor cum omnibus veris philoſophis docet, naturam ſeipſa eſſe naturam, & hanc naturam, & formam ſeipſa indiuiduari; Sed & Ariſtoteles cum tertio de Anima 9. & ſeptimo Diuinorum 41. dicat, in quibuſdam eſſe idem naturam, & ſuppoſitum, ſi hoc locum non habeat ſaltem in abſtractis, nulla via poterit reddi vera Ariſtot. propoſitio, immo textu illo 41. clare diſtinguit materiales ſubſtantias ab intelligentiis, & in his docet, quo, & quod eſſe idem; Et alia multa, quæ de earundem ſimplicitate variis in locis duodecimi Diuinorum, cum tota philoſophorum caterua docet, ægre poterunt ſaluari. Confirmatur efficacius, quoniam Auctor p.p. quæſt. illa tertia art. 3 clare condiuidit materialia ab immaterialibus, ex hoc quod in illis ſuppoſitum differt à natura, in his autem nequaquam, vnde ex eo quod Deus eſt immaterialis, colligit naturam in ipſo non differre à ſuppoſito, quod ipſum de intelligentiis docet cum Auicenna, quinto illo Metaphyſicæ, verſus finem cap. 5. in hac litera, & repetit octaua parte eiuſdem. Et demum, Caiet. hoc loco, & ibidem prima par. inquit, non intrinſece differre in ipſis naturam à ſuppoſito, quare id ſaltem habetur, additum hoc habentis quidditatem ad ipſam quidditatem, non eſſe quid intrinſecum. Ariſtotel. D.Thom. D.Thom.

Sexto, Adeſt argumentum ex diuina Theologia, nam cum ex Fide catholica manifeſtum ſit, Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam hanc humanam, non autem perſonam, vel ſuppoſitum, ſi ſuppoſitum addat ad naturam entitatem hanc poſitiuam, iam aliqua entitas, & ea perfectiſſima, atque actualiſſima non fuit aſſumpta à Verbo, & tamen adeſt celebre D. Damaſceni dictum, aſſumpſiſſe Deum quicquid in natura noſtra plantauit, entitas autem hæc, eſt aliquid omnino ipſius naturæ, quæ ſi non fuit aſſumpta, tunc iuxta peruulgatam eiuſdem Doctoris auctoritatem, aliqua entitas eſt incurabilis, immo Chriſtus non foret vniuoce homo nobiſcū, deeſt ſiquidem eius humanitati entitas hæc; & natura hæc à Verbo aſſumpta non poſſet dimitti ſibi ipſi, quin aut daretur ſibi noua Motiua theologica. D.Damaſc.

realitas, aut non remaneret non perſona; & tandem, poſſet natura intellectualis fieri hæc, & actu exiſtens, & nullo modo perſonata, quoniam poſſet prius naturaliter fieri, & non ſub hac realitate, qua perſonatur, iam enim hæc realitas non ponitur eadem naturæ, & ſi in illo priori ponatur, quod non aſſumatur à Verbo, relinqueretur ſibi, & tunc non eſſet natura vlla perſonalitate perſonata, non enim increata, vt patet, ſi ponatur non aſſumi à diuina perſona, neque creata, quoniam in illo priori non adeſt hæc entitas, videtur autem implicare, quod hæc natura exiſtat de ſe, abſque vlla perſonalitate; Et hæc ſunt argumenta quattuor Scoti hoc vno comprehenſa, addito etiam quoddam motiuo ex Aureolo; quæ proinde ſint ſatis, nam quæ adducentur pro horum cõfutatione, leui negotio poterunt & aliis argumentis diluendis applicari, quæ tamen ſi uis videre, lege Capreolum, Caiet. Medinam locis allegatis, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Pro veritate definienda quædam præiaciuntur.

VT vera ſententia eluceat, nota primo, quod in omni ſubſtantia compoſita exiſtente nedum videmus materiam, & formam, & hanc materiam, & hanc formam, ſed etiam quid compoſitum ex his; & vltra hoc, ipſam cernimus in rerum natura exiſtentem, ab aliis ſeparatam, & per ſe ſubſiſtentem; materia, & forma pertinent ad naturam, hæc materia, hæc forma ad hanc naturam, ſubſiſtentia vero, & exiſtentia ad ipſum ſuppoſitum, quamuis diuerſimode, vt dicetur. Imaginamur primo ordine naturæ materiam ſub forma, deinde materiam, & formam ſimul, hoc eſt, compoſitum, imaginamur quoddam in ſe habere vel recipere, vt deinceps poſſit immediate eſſe ſubiectum actus eſſendi, exiſtentia namque eſt vltimum omnino adueniens naturæ, & ſuppoſito, & eſt omnis formæ actualitas, vt docebat Auctor p. p. q. illa 3. art. 4.

D.Thom.

Et quidem, ſatis compertum eſt, in materialibus, & compoſitis naturam differre ab hac natura, quoniam hæc natura addit hæc accidentia, has carnes, hæc oſſa, quippe quæ non ſunt de ratione naturæ vt ſic, ſed ſolum de ratione naturæ huius; ſimiliter, quod ſuppoſitum addat ſupra naturam actum eſſendi, nullus poteſt dubitare, & ſic in his ſubſtantiis compoſitis cernimus primo differentiam naturæ ab hac natura, & hanc quid reale addere, quod plane additum eſt quid intrinſecum, intuemur poſtea indiuiduum addere huic naturæ ipſum actum eſſendi, quem dicimus eſſe quid extrinſecum, connotatũ, &c. Sic realiter intrinſece differt natura ab hac natura, & realiter extrinſece pro nunc indiuiduum ab hac natura.

In intelligentiis autem cum non adſit materia, ipſa forma nõ fiet hęc per materiã, vel per vlla accidẽtia ſuperaddita, ſed ſeipſa, vt pote continens totã perfectionem tali formæ ſecundum ſe debitam, vnde in ipſis nõ differt natura ab hac natura, ſed eodẽ intelligentia eſt intelligẽtia, & hæc intelligentia; Indiuiduum attamen addit ſupra ipſam naturam actum eſſendi, hic enim omnibus creaturis accidit, in eo ſenſu, quod non eſt de earum eſſentia, neque earũ definitionem ingreditur, quoniam poſſunt eſſe, & non eſſe, vnde extrinſece penes hoc differt natura, & hæc natura in intelligentiis; Sic bene à nonnullis dicitur, quod in materialibus indiuiduum differt à natura phyſice, & metaphyſice, quoniam addit ad eam, & accidentia, & actum eſſendi, & priora cõſtat eſſe quid phyſicum,

Rectus quorundam modus dicendi.

poſterius

poſterius vero, quid metaphyſicum, at in immaterialibus metaphyſice ſolum differt, quoniam actum eſſendi addit, non accidentia, &c.

Obſerua ſecundo, quod vt colligitur ex Auctore tertia par.q. 16. art. 12. ad ſecundum, duobus modis poteſt ſumi indiuiduum ſubſtantiæ, primo pro quacumque ſingulari ſubſtantia,vel in ſe,vel in alio inexiſtat,(non tamquã accidens in ſubiecto,tũc enim non foret ſubſtantia,ſed quouis alio modo,) quo pacto partes hominis poſſunt dici indiuidua, vt manus, pes, &c. ſecundo pro ſubſtantia completa per ſe ſubſiſtente ſeparatim ab aliis, velut accepit Boetius, quando in libro de duabus naturis, cap. ſecundo, definiens perſonam,dixit eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam; Si primo modo ſumatur, nihil diſcriminis video inter indiuiduum, & hanc naturam, quoniam vtrumque eſt quid ſingulare, & aliquo modo exiſtit, vnde Auctor ibidem, humanitatem in Chriſto domino, quoniam eſt hæc, & ſingularis, inquit eſſe indiuiduum priori illo modo, ſi autem accipiatur ſecundo modo, (quæ eſt propria acceptio indiuidui,) ſic longe differt ab hac natura, vt patebit,tunc enim eſt quid completum in ſpecie, ſeparatim exiſtit, per ſe ſubſiſtens eſt, quorum nullum valet dici de indiuiduo in priori ſenſu accepto, vel de hac natura vt ſic, hanc enim conſtat eſſe quid incompletum, & ſubſiſtere,non niſi in ſuppoſito ſuo; Indiuiduum autem in hac ſecunda acceptione idem valet, quod hypoſtaſis, quod res naturæ, quod ſuppoſitum, & quod perſona, (iam enim ſumus in ſubſtantiis intellectualibus,) & hæc nomina idem re importare, quãuis ratione differant,habes facile ab Auctore prima par. quæſt.19.art. 2. De indiuiduo in poſteriori ſenſu locutus eſt idem Auctor, dum quarto cont.Gen. 43. dicebat indiuidum humanæ naturæ eſſe hypoſtaſim, & naturam,in eodem ſenſu illud & nos accipiemus, quando aſſignabimus hac quæſt. diſcrimen inter ipſum,& naturam,& ne idem ſæpius repetere oporteat, hoc ſemper præſupponendum erit.

D.Thom.

Duplex indiuidui acceptio

Boetius.

D.Thom.

Quare tertio obſeruabis, neceſſariam eſſe hanc diſtinctionem perſonæ, vel ſuppoſiti à natura ſingulari, vel indiuidui in ſecunda acceptione,à ſeipſo in prima vſurpato,& ſacræ Incarnationis myſterium,ac proinde veritas ipſa reuelata nos docuit hanc neceſſitatem,quoniam audimus ab ipſa,Filium Dei aſſumpſiſſe naturam hanc indiuiduam, & ſingularem, non autem ſuppoſitum, vel perſonam, vnde neceſſaria eſt diſtinctio ſuppoſiti ab hac natura, & certe oportet aliquid ſuppoſitum addere huic naturæ; Et quidem cum Caiet. 3. par. quæſt. illa 4. libenter aſſeuero, difficillimum eſſe aperire quid ei addat, vnde & Medina ibidem,quæſtionem hanc grauem, ac perdifficilem vocabat; Sed & ſubtilis Doctor diſt. illa, & quæſt. prima tertij ſent. vbi duobus prioribus art. materias verſauit difficiles,dum tertio art.negotium hoc tractat, difficiliorem eundem art. vocat, quam fuerint præcedentes. Quæ profecto difficultas,difficilior ex eo apparet, quod à philoſophis, & præcipue ab Ariſtotele nihil de hac diſtinctione, vel indiſtinctione habemus, vt enim ſcite ſcripſit eo loci Caiet. reſpondens ad tertium inconueniens,quod inferebat Aureolus,nomine indiuidui, & hypoſtaſis Ariſtoteles indiſtincte vſus eſt, & tractauit ſolum de diſtinctione quidditatis, & eius cuius eſt quidditas, iuxta principia naturæ, & indiuiduationis; hoc eſt, conſiderauit ſolum, quomodo differat natura ab hac natura, & quoniam in immaterialibus nullam inter hæc vidit differentiam, eapropter, abſolute vbique pronunciauit,in abſtractis nõ differre quo,& quod eſt, cuius rei oppoſitum cernens in compoſitis ſubſtantiis,oppoſitum quoque

Caietanus.

Grauiſſima difficultas.

Medina.

Scotus.

Caietani contemplatio de Ariſtotele.

docuit & 3 de Anima nono, & ſeptimo Diuinorum 41. Sed hoc in admiratione eſſe non debet, cum & Auctor, vt ibidem ſubdit Caiet. quæſtionem de diſtinctione naturæ, & ſuppoſiti p.p q.3.art.3. ita indiſtincte tractet, & definiat. Intellige autẽ ò thomiſta, ita indiſtincte, id eſt ea indiſtinctione, quam tribuebamus Ariſtoteli, non diſcernendo ſcilicet inter ſuppoſitum, & indiuiduum. Vnde ly *indiſtincte*, non eſt idem, quod imperfecte, neque Caiet. reddit Auctorem inaduertentẽ, vt vir quidã doctiſſimus dicebat, non enim erat locus ille neceſſarius, vt inter hãc naturam, ſeu indiuiduũ in priori ſignificatione, & ſuppoſitum diſtingueretur, quoniam quocumque modo denique differant, in Deo nõ differunt, in quo idem realiter ſunt indiuiduum, & ſuppoſitum, vnde in fine illius art. nedum colligebat Auctor, Deum eſſe ſuam naturam, hoc eſt, ſuam deitatẽ, ſed & ſuam vitam, & quicquid aliud ſic de ipſo prædicatur, quod patet non prouenire ex ſola eius immunitate à materia vt ſic, alioquin & Gabriel eſſet ſua vita, & quicquid in eo eſt, quæ falſa ſunt, ſed ex eius omnimoda ſimplicitate id emanat. Adde, quod ſi pari paſſu curreret Deus in hoc cum reliquis immaterialibus, iam neque realiter extrinſece, ſed ratione tantum, in intelligentiis differret ſuppoſitum, & natura; & demũ, cum pluries doceat in intelligentiis differre quo, & quod, vt p.par. q.50.art.2. ad tertium, & 75.art. 5. ad 4. & alibi, & rurſus doceat, non differre in eiſdem naturam ab hac natura, iam ergo vbi opus fuit, diſtinctionem fecit inter indiuiduum in altera, & altera acceptione.

D.Thom.

Aquarij cogitatio.

Non ſum neſcius, Aquariũ dilucidatione illa 4. quarti Diuinorum aliter accipere propoſitionem illam Auctoris in p.par. qua dicit, in immaterialibus non differre ſuppoſitum à natura, ait enim debere accipi ſecundum genus abſtractorum, vt ſcilicet ſufficiat in ipſo Deo ſolum hoc verum eſſe, ſic enim in latitudine abſtractorum dabitur aliquid, in quo non differat natura à ſuppoſito; Sed quamuis hæc doctrina vera ſit, attamen applicata loco illi, vana prorſus apparet, immo & ridicula, cum enim ibi probet D.Thomas, in Deo non differre ſuppoſitum à natura, quoniam eſt immaterialis, iam probaret idem per idem, diceret enim, in Deo non differunt hæc, quoniam Deus eſt, nam ex Aquario ly *eſſe immateriale*, ſupponit pro Deo tantum; Accedit, quod Auctor ibi expreſſe loquitur de indiuiduatione, & diſtinguit materialia ab immaterialibus, ex eo quod illa per materiam, & accidentia, hæc vero ſeipſis ſunt hæc; conſtat autem, hoc nedum in prima, ſed & in aliis intelligentiis veritatem habere; Male deinde ſubdit, reſponſum quod hoc loco, & ibi prima parte adducit Caietanus, quo inquit, in intelligentiis extrinſece tantum differre ſuppoſitum à natura, non tollere difficultatem, quoniam hic modus dicendi Caiet. philoſophicus, ac metaphyſicus eſt, & metaphyſice loquendo, non niſi extrinſece natura, & ſuppoſitum differunt, quoniam indiuiduum extrinſece ſolum differt, & iam dixi, philoſophos non diſtinguere inter indiuiduum & ſuppoſitum.

Reiicitur.

D.Thom.

Caietanus

Quæ in Aquario admiretur Auctor.

Veruntamen duo valde admirare in Aquario, & primo, quod reſponſionem hanc Caiet. refert, & non illam quam vltimo loco docuit in tertia part. ad tertium illud incoueniens ex Aureolo, vbi intrinſece fatetur ſuppoſitum differre à natura, & ab hac natura in intelligentiis; Admirare poſtea, & multo magis euidentem in ipſo contradictionem, nam in fine dilucidationis ſeptimæ ad ſeptimum Diuinorum, reſponſum hoc Caiet. adducit, & docet diſtinctionem hanc extrinſecam, & deinde remittit lectorem deſiderantem de hoc loqui theologice ad Caietanum, & Medinam tertia parte, loco ſæpe relato,

vnde

vnde reſponſum iam probat, quod prius improbauerat; Quare ſi loquamur philoſophice, dum damnat reſponſum Caiet. damnat & ſeipſum, ſi theologice, etiam hoc modo approbat Caiet. quare vtroque modo recte dixit Caiet. quod ſi non bene dixit philoſophice, neque igitur Aquarius, qui modum illum dicendi amplexatus eſt, &c.

Sit igitur conſtitutum, quod aliud iudicium faciendum eſt de hac natura, vel indiuiduo in priori via, & aliud de ſuppoſito, vel indiuiduo in poſteriori ſignificato, quam diſtinctionem fateamur nos accepiſſe ex Incarnationis myſterio, ac proinde mirum non eſſe, ſi non fuerit à philoſophis commemorata, ſeu etiam à theologis, vel quando metaphiſicos gerunt, vel quando non eſt germanus locus huius diſtinctionis recenſendæ, non enim fuiſſent excitata ingenia, (bene aiebat ibi Caiet.) ad rimandas ſubtilitates inter naturam indiuiduam, & perſonam, niſi myſterium Incarnationis, & Trinitatis reuelatum ad hoc inuitaſſet, apponit autem & arcanum Trinitatis, quandoquidem & ibi datur natura hæc diuina, & hic Deus, quippe quæ licet ſint hæc, & ſingularia, non tamen ſunt ſuppoſita; Vnde neceſſario vt dicebam, aſſignandum eſt inter hanc naturam ſingularem, & ſuppoſitum diſcrimen penes quid intrinſecum, & nedum penes quid extrinſecum, actum videlicet eſſendi, hunc enim & facile, & difficile eſt aſſignare, facile quidem, quoniam omnes dabunt, indiuiduũ includere actum exiſtendi, & eſſe verum eius ſubiectum, difficile autem, quoniam, & hæc natura videtur illum includere; cum enim ſit hæc, & ſingularis, oportet vt exiſtat, &c. Caietanus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ponitur concluſio reſpondens, & declaratur.

STatuamus concluſionem ad aures Caiet. tertia par. quem laudat Ferrarienſis cap. illo 43. quarti cont. Gent & quem ſecuti ſunt Medina ibidem tertia par. & Bannes prima par. loco ſæpius nominato, quæ talis ſit. Suppoſitum in omnibus rebus creatis diſtinguitur ab hac natura realiter, quoniam addit aliquid reale poſitiuum, intrinſecum ſupra ipſam. Concluſio de mente Caietani, & aliorum.

Pro cuius manifeſtatione dico, quod ſuppoſitum eſt id, quod per ſe ſubſiſtit, & quod eſt verum, ac proprium ſubiectum actus eſſendi; Vnde quamuis natura intelligatur, & hæc, & ſingularis, numquam tamen erit ſubiectum actus eſſendi, niſi adſit ſuppoſitum; Non dico, quod ſuppoſitum addat huic naturæ actum eſſendi, tunc enim confugerem ad extrinſeca, ſed dico, quod addit ipſi hoc, vt ſit capax huiuſcemodi actus eſſendi; Quod ſane additum intrinſecum, & cuius merito conſtituitur natura capax horum, quæ recenſebam, poteſt vocari ſubſiſtentia; Sic optime à Caiet. vocabatur hæc perſonalitas, vel ſubſiſtentia, terminus vltimus, ac purus ipſius naturæ, terminus inquam, quoniam naturam perſonari, nil aliud eſt, quam terminari, vnde theologi omnes dicunt, Verbum diuinum terminaſſe humanitatem aſſumptam, non alia ratione certe, niſi quoniam ei ſuam perſonalitatem dedit; dicitur autem vltimus, quoniam vbi natura eſt ſuppoſitata, nil aliud remanet, quod ei aduéniat, ſi enim quid aliud foret expectandum, iam non intelligeretur terminata, quoniam terminus idem Quid ſit ſuppoſitum. Quid ſit naturam perſonari.

ſonat,

ſonat, quod vltimum, & præterea nullus explicabit, quid fuerit illud, quod vltra perſonalitatem, vel ſubſiſtentiam poſſit intelligi accedere naturæ, neque quid ſuſpiceris de actu exiſtendi poſt ſuppoſitum adueniente, tunc enim admiſces extrinſeca ipſi naturæ, & ſuppoſito, nunc vero ſermo eſt de intrinſecis; dicitur autem purus, vt intelligas in hac terminatione nullam intercedere alicuius generis cauſalitatem, vel extrinſecam, vel intrinſecā, ceu enim punctus ita eſt terminus lineæ, vt nulla via ſit eius cauſa, ita ſubſiſtentia ſic terminat naturam, vt nulla admiſceatur cauſalitas, hinc bene potuit Verbum abſque Patre, & Spiritu ſancto perſonare, ſiue terminare aſſumptā naturā, quod non potuiſſet abſque ipſis, ſi aliquod cauſæ genus in eiuſmodi terminatione interfuiſſet. Sic, cum prius imaginemur adeſſe ſubſiſtentiam, vel perſonalitatē ipſi naturæ, quā actum eſſendi, quoniam illa eſt intrinſeca, hic extrinſecus, & illa præbet capacitatem ad huius ſuſceptionem, & intrinſeca ſunt priora extrinſecis, ideo nō dabitur natura, quæ ſeparetur à perſonalitate, quin & ſeparetur ab eſſe, hoc eſt, ſi quæ natura fuerit præuenta, adeo vt non ſortiatur perſonalitatem propriam, ſed ab alia præueniatur, & ad eandem aſſumatur, præuenietur certe, (& facilius) ab eſſe, quoniam ſubſiſtentia prius intelligitur aduenire, hoc vero poſterius, immo vero hoc non niſi illa præſuppoſita aduenire, rationabile eſt; Vnde docte admodum, & conſequenter ad doctrinam propriam docebat Auctor tertia par. quæſt. 17. art. ſecundo, humanitatem in Chriſto non habere propriam exiſtentiam, cum & propria ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate careat.

D.Thom.

Quapropter, ſingularis hæc humanitas à Verbo aſſumpta, clare aperit nobis, quomodo minime ſequatur, ſi detur hæc natura indiuidua, igitur detur ſuppoſitum, vel actus eſſendi proprius, quoniam humanitas ipſa hæc, & indiuidua, numquam tamen, vel perſonalitatem propriam, vel actum eſſendi habuit, & quidem de perſonalitate conueniunt omnes Theologi, cum ſit de Fide, at de exiſtentia, ſic docet Auctor, cuius doctrinæ probabilitatem, & inſinuauimus, & aliàs fortaſſis loco opportuniori magis explicabimus, neque enim hoc inſtituto huic noſtro inſeruit.

Aduerte deinde, quod quoniam hæc ſubſiſtentia ponitur terminus ipſius naturæ, ideo ſub vna ratione eſt eadem ipſi naturæ, & ſub alia ratione, non eadem, iam enim eius proportio ad naturam, eſt ceu proportio termini ad terminatum, quippe qui comparatus ipſi inuenitur, & idem, quoniā eſt aliquid eius, & non idem, quoniam nō eſt illud, ſic perſonalitas eſt eadem cum natura, quoniam eſt eius terminus, & non eſt eadem illi, quoniam non eſt ipſa natura, veluti punctus non eſt linea, ſic dicebam in titulo, non diſtingui hæc, tamquā duas res, vt ſcilicet altera nihil eſſet alterius, &c. Sed proſequere hanc proportionē, & dicito, quod velut nemo dixerit, adeſſe compoſitionem inter terminum, & id quod terminatur, ita nulla eſt ſuſpicanda compoſitio inter ſubſiſtentiam, & naturam, & quemadmodum cernis punctum terminare lineam abſque vlla compoſitione, ita inſpicias ſubſiſtentiam hanc terminare naturam, nulla intercedente compoſitione; Ita ſoluitur quoddam motiuum, quod videbatur præcipuum in tertio, & quinto argumento.

Proportio ſubſiſtentię ad naturam.

Vlterius aduerte, quod ſicut mentionem faciens de aliquo, quod terminatū ſit, mox de neceſſitate intelligitur, quod & termini ſui mentionem faciat, implicat enim, vt quid terminabile, ſit abſque termino terminatum, ita cum Ariſtoteles ſæpius verba habuerit de ipſo ſuppoſito, ſeu compoſito, vt patet ex locis primo argumento relatis, (ſi tamen nomine compoſiti velis accipere ipſum ſupposi-

Ariſtotel.

ſuppoſitum completum, an non potius naturam ex materia, & forma reſultanſem, quod forſan conformius eſt locis illis Ariſtotelis,) ex conſequenti verba quoque fecit de hac ſubſiſtentia, quæ & rationem complet ſuppoſiti, & ipſius naturæ eſt terminus. Sed cum & in prædicamentis capite de ſubſtantia meminerit de ipſa prima ſubſtantia, quod & factum vidimus quinto Diuinorum, vltimis verbis tex. 15. cum ſubſtantia ipſa prima ſit quid per hanc perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam conſtitutum, certe dum de conſtituto eſt locutus, conſtitutiuum non tacuit, neque erat cur ſeorſum de ipſo loqueretur, quoniam nimis expreſſe habetur in conſtituto, vnde cadit confirmatio ſecundi argumenti; Cumque modus iſte, & realitas iſta, ſit ipſius ſuppoſiti conſtitutiua, fruſtra colligebat Aureolus, quod prima ſubſtantia non foret prima per ſeipſam, nam & homo eſt homo per rationalitatem, quæ eſt eius conſtitutiua, & tamen eſt homo per eſſentiam, & per ſeipſum; Enimuero, ſubſiſtere per propriũ terminum, non diſtinguitur contra ſubſiſtere per ſe, quoniam vt dicebatur, terminus aliquid ſui eſt; & aliud eſt dicere, modum hunc intrinſecum eſſe alium à natura, & eſſe alium à ſuppoſito, primum eſt verum, ſecundum falſum.

Vltimo conſidera, quod hæc ſubſiſtentia, vt colligitur ex dictis, eſt quid intrinſecum ipſi ſuppoſito, quod etiam tuetur Medina loco illo tertiæ partis, quamuis in eo non mihi placeat, vt dicat hoc eſſe contra Capreolum, quaſi voluerit Capreolus, hanc ſubſiſtentiam eſſe ab ipſo ſuppoſito extrinſecam, nam actum tantum eſſendi vult ipſe Capreolus eſſe extrinſecum à ſuppoſito, neque in eius ratione claudi, in quo verum dicit, & à Caiet. eius ſententiam, quinto loco inter illas varias referente approbatur; At non video Capreolum dicentem, perſonalitatem, vel ſubſiſtentiam eſſe ſuppoſito extrinſecam, niſi forte in eo ſenſu intelligatur à Medina, quoniam per actum eſſendi voluit ſuppoſitum à natura differre, quem patet eſſe extrinſecum, ſed hoc non omnino conuenienter dicitur, quoniam ſtat, Capreolum hanc ſubſiſtentiam tacuiſſe, vt reuera tacuit, quod ſi eam recenſuiſſet, fortaſſis minime extrinſecam ſuppoſito dixiſſet; nam & Caiet. hoc loco, & prima par. ſubſiſtentiam hanc reticuit, & conſiderans ipſe etiam actum ſolum eſſendi, protulit, extrinſece differre in immaterialibus ſuppoſitum à natura, neutiquam tamen debet inferri, quod ſubſiſtentiam, vel modum hunc dixerit extrinſecum, licet enim actus eſſendi ſit ſuppoſito extrinſecus, non tamen ſibi extrinſecum eſt, vt poſſit exiſtere, quare non extrinſeca ſubſiſtentia, quæ illud in tali vltima ponit diſpoſitione, &c.

Quomodo ſe habeat ſubſiſtentia ad ſuppoſitum.

Quid docuerit Capreolus, & quid ſiluerit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Probatur iam poſita concluſio.

CAiet. loco illo ex tertia par. luculenter oſtendit, manifeſtatam concluſionem eſſe & ad aures Auctoris, & veritatis, & qui ex noſtris poſt eum eandem probare voluerunt, argumenta ſolum ex eodem Caiet. attulerunt.

Vide Auctorem tertia parte, quæſt. illa 17. art. ſecundo ad primum, clare dicentem, quod actus eſſendi conſequitur naturam, non ſicut eam, quæ habeat eſſe, ſed qua aliquid eſt, perſonam autem, ſeu hypoſtaſim, ſicut habentem eſſe, D.Thom.

lege

lege eundem inferius quæſt. 35. ar. 5. ad primum dicentem, quod natiuitas temporalis cauſaret in Chriſto temporalem filiationem realem, ſi eſſet ibi ſubiectum huiuſcemodi filiationis capax, & in fine eiuſdem reſponſionis ait, naturam humanam nullo modo poſſe eſſe ſubiectum filiationis, quoniam hæc relatio directe reſpicit perſonam, & quolibeto primo, art. ſecundo ad primum inquit, ſe negare in Chriſto filiationem realem, qua ad matrem refertur, non quia cauſa relationis deficiat, ſed quoniam deficit ſubiectum talis relationis, cum non ſit in Chriſto aliquod ſuppoſitum creatum, vel hypoſtaſis. Cum itaque hæc humanitas, & hic homo ſic differant, vt ſecundum rem ipſam, illa nullo modo ſit capax, vel exiſtentiæ, vel realis filiationis, ille vero ſit propriũ vtriuſque ſubiectum, aliquid reale ponendum certe eſt in hoc homine, ratione cuius realitatis poſſit deinceps eſſe capax harum realitatum, cumque hæc differentia ſit in re ipſa, & præueniat omnia, vel extrinſeca, vel connotata, & multo magis modos omnes, ſiue intelligendi, ſiue ſignificandi, & demum, cum quid negatiuum nequeat eſſe conſtitutiuum entitatum realium, (licet nonnumquã concomitetur, & circunloquatur illud conſtitutiuum,) ſequitur, hoc incluſum in ſuppoſito ſupra naturam, eſſe reale, intrinſecum, non contractum, non per rationem, aut ſignificationem, & denique quid poſitiuum; Et quidem de mente Auctoris nulla in hoc poteſt alicui eſſe dubitatio, nam eius dicta conſideranti id de neceſſitate affirmandum eſt, vt Ferrarienſis etiam loco illo quarti contra Gentes dicebat; Quibus adde illud, quod ar. tertio innuebam, quod ſcilicet cum pluries ipſe doceat, in immaterialibus differre quo, & quod eſt, at non differre naturam ab hac natura, aliquid includi voluit in ſuppoſito ſupra hanc naturam, &c.

Ferrarien.

Abſolute quinetiam vera apparet noſtra poſitio, vt enim conſtitutiuum ſubſtantiæ, quatenus eſt eſſentia, vel quodquideſt, ſcimus eſſe modum realẽ, poſitiuum, & intrinſecum, eſſe ſcilicet per ſe, cur & pro conſtitutiuo ſubſtantiæ primæ non adferemus quid reale, intrinſecum, & poſitiuum? quænam maior ratio illius, quam huius? Neque eſt vt quis dicat, modum illum eſſendi per ſe ſufficere quoque ad conſtitutionem primæ ſubſtantiæ, ſufficit enim ad eſſe ſubſtantiæ, at non ſubſtantiæ huius, quæ prima eſt, & tunc prima ſubſtantia nõ differret à ſecunda, non à partibus ſubſtãtiæ, vnde quid peculiare eſt ei tribuendum, quocirca notanter Ariſtoteles ipſam in prædicamentis definiens, attulit primo, quod ei vt prima ſubſtantia eſt proprium, ſubſtare videlicet maxime, proprie, &c. deinde id quod commune habet cum reliquis ſubſtantijs, non eſſe ſcilicet in ſubiecto. Rurſus, huius primæ ſubſtantiæ cum oporteat adeſſe proprium conſtitutiuum, ſi dicatur, quod ſit vel extrinſecum, vel nihil, vel negatio, vel quid ſumptum ex modo ſignificandi, omnino falſum eſt, quoniam nequit eſſe, vt quid conſtituens ſit à conſtituto extrinſecum, nequit vel animo concipi, vt nihil, ſeu negatiuum formaliter ſit poſitiui conſtitutiuum, neque accidens ſubſtantiæ, neque demum quid rationis, loquentibus potiſſimum de conſtituto reali, & quod ſolum vere, ac proprie ens eſt. Theologi etiam vniuerſi clamant, diuinum Verbum in incarnatione præueniſſe perſonalitatem naturæ humanæ, eandem ſupplere, at vanum eſt dicere, quod ſuppleatur negatio, vel quid rationis, & cum idem Verbum conferat perſonalitatem aſſumptæ naturæ, igitur conferret, vel negationem, vel quid rationis, vel quid extraneum, quæ omnia ſtulta ſunt. Neque quicquam diceret, qui diceret, perſonam vtique diuinam aliquid poſitiuum conferre naturæ aſſumptæ, non quia perſona,

Vox Theologorum communis.

Excluditur obiectio.

perſona, ſed quia perſona diuina, non enim magis in ratione perſonali perſonat Verbum naturam aſſumptam, quam mea perſona, meam naturam, licet in infinitum nobiliori modo, quoniam excellentiorem in infinitum ei impertit perſonalitatem, immo & intenſiue, & extenſiue mea perſona ita meam naturam terminat, vt in hoc ſtatu nequeat aſſumi ad vnitatem perſonæ, & tamen natura à Verbo aſſumpta poteſt aſſumi in vnitate perſonæ à Patre, & à Spiritu ſancto, quamuis optime fuerit terminata à Verbo, vt nouit Schola Angelica edocta à Magiſtro ſuo, tertia parte, quæſt. tertia, art. ſexto. Cum itaque perſona diuina conferendo ſuam præciſe perſonalitatem naturæ aſſumptæ, conferat aliquod reale poſitiuum, ſupereſt quod perſona vt ſic, reale hoc poſitiuum dicat; Profecto velut ex paternitate in diuinis, eſt paternitas in terra, ex Apoſtolo ad Ephæſios tertio, ita & ex illa perſonalitate omnis alia eſt perſonalitas, (paternitas quippe in diuinis eſt perſonalitas,) quare debet hæc aliquo modo ei ſimilis eſſe, & aduertat Scotus hoc argumentum, cum enim velit, nomina quæ dicuntur de Deo, dici & de creaturis vniuoce, vt patuit quæſtione de analogia entis, ſaluet amabo vniuocationem inter Deum, & nos in hoc nomine *perſonalitas*, ſi apud Deum eſt quid maxime reale, ac poſitiuum, apud nos vero quid negatiuum, & ex conſequenti nihil, certe neque analogiam vix poterit ſaluare. Neque quis occurrat huic ratiocinio dicens, perſonam in diuinis dicere quid maxime poſitiuũ, & reale, quoniã perſona ibi eſt ipſamet natura, licet enim hoc veriſſimũ ſit, attamen ſi ex impoſſibili ſecerneretur realiter perſona à natura, adhuc perſona diuina eſſet ens reale, & poſitiuũ, quemadmodum tres omnes perſonæ diuinæ, realiter ab inuicẽ diſtinctæ, ſunt tres res relatiuæ, quod enim perſona ibi ſit eadẽ quod natura, id nõ conuenit ei, vt perſona abſolute, ſed vt perſona diuina. Similiter non imaginetur quis, quod quemadmodũ perſona in diuinis eſt eadem realiter quod natura, ita ſit in rebus creatis, non enim penes diſtinctionem, vel indiſtinctionem attenditur proportio inter nomina, quæ dicuntur de Deo, & nobis, ſed penes rationem ipſorum nominum vt ſic, conſideratis videlicet ijs, quæ inſunt nominibus vt ſic, hoc eſt, ſint ne abſoluta, poſitiua, & id genus, non autem ijs, quæ inſequuntur nomina, prout ad alia à ſe reſpectum habent, cuiuſmodi ſunt diſtinctio, aut indiſtinctio, &c.

D.Thom. D. Paulus. Scotus. Remouetur alia obiectio.

Sed & aliud habeo argumentũ aduerſus eundem doctorem, & alios, Aſſumit quippe Scotus ſecundo ſent. diſt. ſecunda, quæſt. ſecunda hanc propoſitionem; Quæ ad inuicem realiter diſtinguuntur, poſſunt ita ſeparari, vt vnum poſſit abſque alio ſeparatim exiſtere, ergo quæ ad inuicem ſeparantur, diſtinguuntur realiter, immo conuertens hæc propoſitio eſt euidentior, quam illa, nam præcedenti quæſtione vidimus multipliciter fallere propoſitionem illam, at ad hominem arguamus; Si quæ diſtinguuntur, ſunt à ſe inuicem ſeparabilia, ergo quæ ſunt ſeparabilia, realiter ab inuicem diſtinguuntur, at iam de facto in Incarnatione virtute diuina perſonalitas eſt ab humanitate indiuidua ſeparata, ergo perſonalitas diſtinguitur realiter ab hac natura; Quod ſi dicat Scotus, differre quidem realiter, at vt negatiuum quid, iam vanam declaraui hanc doctrinam, & præterea nihil ſeparatur ab aliquo, niſi ens, non ens enim nequit ſeparari, quandoquidem pugnat, quod ſit ſeparatio, & quod ſit nullius ſeparatio. Alias rationes vide ſi placet in Caiet. loco pluries memorato.

Scoti propoſitio.

ARTICVLVS SEXTVS.

Soluuntur argumenta contraria.

IAm ferè confutatum manet primum argumentum; nam nomine compoſiti intelligitur vtraque ſubſtantia allata 15. illo quinti Diuinorum, & eſſentia ſcilicet, & prima ſubſtantia, vt enim ex materia, & forma componitur natura, & ex hac materia, & hac forma hæc natura, ita conſurgit etiam ſuppoſitum,& ſubſtantia prima,quare additum hoc ſuppoſiti ad naturam, eſt ipſummet ſuppoſitum,vnde non emergit quarta ſubſtantia alia à materia, à forma, à compoſito; Conſtitutiuum autem ſuppoſiti, non ponit in numero cum ipſo ſuppoſito, velut neque rationalitas, ſeu rationale cum homine per ipſum conſtituto; Et ſicut conſtitutiuum alicuius reductiue ſpectat ad genus conſtituti, ſic & modus iſte intrinſecus, hæc ſubſiſtentia attinet ad genus ſuppoſiti, cuius eſt conſtitutiua, ſic reducitur ad genus ſubſtantiæ,& ex conſequenti non eſt accidẽs, & ad ipſam ſubſiſtentiam non pertinet, vt ſit ens, quod exiſtat, vel ſit, ſed eſt id quo aliquid eſt,ceu & formis modus hic eſſendi, & conuenit, & ſufficit.

Ad quod genus attineat ſubſiſtentia.

Ad ſecundum dicitur, loqui ibi Ariſtotelem de quidditate, prout ſignificatur in concreto, in qua ſignificatione,implicite, & ſub quadam confuſione includit ſuppoſita, & rationem habet totius, & iam tertio cap. huius libri vidimus non obſcure, quantum diſcriminis ſit inter quidditatem, vt ſignificatur nomine partis, vel nomine totius, quoniam nomine partis excludit ea,quæ nomine totius implicite continet. Dixi autem primo huius quæſtionis art. me loqui de rebus ipſis ſecundum ſe, non conſiderato modo ſignificandi, quare cum ſecundum ſe natura non includat modum commemoratum ſubſiſtendi, & realitatem illam, & ex conſequenti non totum illud quod eſt in ſuppoſito, nequit de illo prædicari, neque eſſe illud, ſed nomine partis explicari debet, vnde falſa eſt propoſitio hæc,Homo eſt humanitas, nedum in ſenſu formali, vt fatentur omnes, ſed & in identico,diſtinguuntur namque realiter,vt includẽs, & incluſum natura, & ſuppoſitum,vt iam manifeſtaui. Vel dicas ex doctrina Capreoli quæſt. illa tertia diſtin. quintæ in tertio, ad primum Aureoli, quod quidditas in his quæ ſunt per ſe, eſt idem cum eo cuius eſt,in hoc ſenſu,vt hæc duo non ſint duæ res eſſentialiter diſtinctæ,quæ habeant duas eſſentias, vel naturas diuerſorum generum, ſed diſtinguuntur, vt eſſentia, & habens eſſentiam, ſic explicat & dictum illud Auerrois ſeptimo Diuinorum 20. quod ſub initium tertij capitis in litera adſerebatur, dum ſcilicet inquit, Socratem nil aliud eſſe, quam animalitatem, & rationalitatem ſuam; Sed & ex ijs, quæ ibi obſeruabam elicitur inanem eſſe hanc illationem, Socrates nil aliud eſt quam animalitas, & rationalitas ſua,ergo Socrates vt ſuppoſitum nil aliud eſt ab his. Dic tertio docte,& facile,& valde ad mẽtem Ariſtotelis,quod per ly *quodquid eſt* intelligit ſignificatũ definitionis, (definitio quippe eſt oratio indicãs quodquideſt eſſe rei,) & ſic vult dicere Ariſtoteles,definitionem eſſe idem cum definito, non autem ſuppoſitum idem eſſe cum natura; Sic logice, non phyſice id accipe; Neque turberis,quod in metaphyſicis id enunciarit Philoſophus,nã metaphyſicus eſt artifex vniuerſaliſſimus, & totus ferè ſeptimus Diuinorum verſatur in explicando quodquideſt, quæ reſponſio apparet communis doctrina eorum, qui ſuper locum illum Diuinorum formarunt quæſtiones, & præ-

Capreol.

Auerroes.

Mens Ariſtotelis ex communi doctrina.

cipue Pauli Soncinatis, & Flandrienſis, &c. Denique ſi placet, vide aliud reſponſum certe non ineptum, apud Iauellum quæſt. ſua octaua ſeptimi Diuinorum ad primum argumentum. Iauellus.

Ad confirmationem patuit in explicatione concluſionis in penultimo notabili, vt ibidem dicebatur, &c.

Ad tertium fatemur, & docemus tale additum eſſe intrinſecum, quod autē hoc ſit contra Capreolum, patuit ex vltima obſeruatione, quomodo ſit, & non ſit contra ipſum, eſt enim contra, quatenus huius intrinſeci non videtur meminiſſe, non eſt contra, quoniam nuſquam dixit modum hunc quem ponimus hypoſtaſis, & primæ ſubſtantiæ conſtitutiuum, eſſe quid extrinſecum, ſed de actu ſolum eſſendi locutus eſt, velut & Flandrienſis ſeptimo illo Diuinorum q. 23. ar. tertio, & etiam quarto, qui verſans diſtinctionem ſuppoſiti à natura in abſtractis, nec verbum quidem habuit de intrinſeco hoc conſtituente, ſed eſſe ſolum, quod addit ſuppoſitum ad naturam conſiderauit, ſed neque hoc vt omnino decebat, vnde minus recte in calce art. illius tertij deduxit, ſimpliciter dicendum eſſe, quod in angelis ſuppoſitum, & natura non differunt realiter, ſed ſecundū rationem tantum, cum tamen aſſerat non eſſe idem omnibus modis realitatis, ſed reuera non omnia illa animo luſtrauit, quæ ſuppoſitum dicit ſupra naturā. Quod additur de noua compoſitione, iam confutatum fuit, quoniam nullam facit compoſitionem terminus cum re terminata, vt dicebatur ſecundo notabili in quarto art. Vnde iure Auctor in argumento allatus hanc compoſitionem non commemorauit; Quod ſubditur vltimo de multiplicatione entium, nihil obſtat, quoniam manifeſtata fuit neceſſitas talis entitatis, & realitatis, cum ſit ponendum conſtitutiuum ſubſtantiæ primæ, vt prima eſt, & alijs de cauſis; Adde, hoc conſtitutiuum non eſſe quid reale ex ſe, & ſeparatum, ſed modum dumtaxat realem, &c. Capreol. Flandrien.

Ad quartum colligitur ſolutio ex ſæpe dictis, nam ſuppoſitum addit ſupra naturam hanc modum intrinſecum ſæpe commemoratum, & terminat ipſam vltimate, ſic addit aliquid ipſi naturæ ſingulari metaphyſice, non autem phyſice, quoniam non accidentia, non formam, non materiam, ſed modum illum, quare penes hoc reale incluſum differt indiuiduum ab hac natura; Quod vero adducitur de homine, & animali, vt oſtendatur penes quid reale incluſum non ſequi realem diſtinctionem, facilis eſt ſolutionis, nam ſi loquaris de animali, quod eſt homo, falſum eſt, hominem includere aliquid, quod non includat animal, nam animal eſt genus, & totum dicit, quod dicit homo, ſin loquaris de alio animali ab homine, falſum eſt, quod homo, & illud animal non diſtinguantur realiter, &c. Quid addat ſuppoſitū huic naturę.

Ad quintum habes quid reſpondeas, dum enim Ariſtoteles, & Auctor hoc loco, & alibi, & ſimiliter Caiet. dicunt, in ſeparatis à materia idem eſſe, quo & quod, nomine ly *quod* accipe indiuiduum, & hanc naturam, non autem ſuppoſitum, vel hypoſtaſim, quoniam vt dicebatur, non differt in ipſis natura ab hac natura, velut differt in materialibus, at in omni ente creato differt natura à ſuppoſito; Sc quando vides Auctorem, & Caiet. aſſerentes *quo*, & *quod* in abſtractis differre, nomine ly *quod* accipe ſuppoſitum; Et ſi hanc diſtinctionem habuiſſet Flandrienſis, verius, & facilius varia Auctoris loca allegatis art. conciliaſſet. Quod ſi forſan contendas, nonnulla Ariſtotelis loca hanc interpretationem non poſſe ſubire, dic ignoraſſe philoſophos diſtinctionem huius naturæ ſingularis ab hypoſtaſi, nos vero eam didicimus ex myſterijs Trinita- Quomodo in abſtractis ſit idem quo, & quod.

 tis,

tis, & Incarnationis. Et non dicas, igitur ante Incarnationem non aderat huiuſcemodi differentia, (ceu virum quendam in primis doctum olim audiui inferentem,) enimuero ſemper fuit hoc diſcriminis, at non ſemper cognitum, ſed ante illud myſterium ignoratum, non quidem ſimpliciter, ſed à nobis.

Capreol.

Vel dicas ſecundo cum Capreolo vbi ſupra, ad primum Aureoli, quod dum dicitur ſuppoſitũ in ſimplicibus non addere ſupra naturam, accipiẽdum eſt de illa additione, quæ eſt in rebus materialibus compoſitis, vbi additur ſupra naturam res alterius generis, nam phyſice adduntur accidentia, &c. non debet autem intelligi de omni additione abſolute, viſum enim fuit, ſuppoſitum addere naturæ, & quid intrinſecum, ſubſiſtentiam ſcilicet, & quid deinde extrinſecum, actum ſcilicet eſſendi.

Siue tertio dicas, quod in abſtractis omne illud reale, quod includit ſuppoſitum, ſumitur dumtaxat a forma, cum ibi locum non habeat materia, velut in compoſitis, in quibus ſuppoſitum multa includit accidentia, quæ licet reſpiciant ſuppoſitum ipſum, ceu proprium ſubiectum, originem tamen, & radicem ſuam, materiam agnoſcunt, loquendo de accidentibus phyſicis, &c.

Vel poſtremo, ſi quæ loca poſſint admittere explicationem illam de genere abſtractorum, non autem de ſingulis, vt ſit ſenſus, in latitudine entium ſimplicium aliquod adeſſe, in quo non differat ſuppoſitum à natura, velut eſt principium primũ, ac ſimpliciſſimũ ens, nihil prohibet illam aliquando adhibere; Sed prior modus reſpondendi, & doctior eſt, & conformior doctrinæ Auctoris, Caiet. recentiorum, & determinationi huius quæſtionis, & vno verbo abſoluitur, dicendo; In ſimplicibus naturam, & indiuiduum non diſcriminari, ſed naturam, & ſuppoſitum, &c.

Quæ in Chriſto multiplicentur.

Leo Papa.

Quę non multiplicentur.

Ad vltimũ, quod difficultatibus theologicis eſt implicatũ, dicitur nedum nõ eſſe inconueniẽs, ſed & neceſſariũ, hanc entitatẽ deeſſe humanæ naturę in Chriſto, quoniam ſibi propria perſonalitas deficit, & vt compertum eſt cuique theologo etiam mediocriter erudito, naturalia in Chriſto duplicantur, quoniam duas habet naturas, humanam ſcilicet, & diuinam, (vnde Leo Papa Epiſtola ad Flauianum decima aiebat, in Chriſto Domino eſſe aliud, & aliud,) perſonalia autem non multiplicantur, quoniam eſt vnica hypoſtaſis Verbi in vtraque natura ſubſiſtens, neque eſt verum, hanc entitatem eſſe actualiſſimam, quoniam ſoli eſſe conuenit, vt ſit actualiſſimum, vidimus autem hanc entitatem non eſſe actum eſſendi, ſed conſtitutiuam ſubiecti, vt ſit capax illius actus, neque eſt determinatiſſima, ſed terminus; Dictum autem Damaſceni, quo ait, Deum aſſumpſiſſe quicquid in natura plantauit, facit pro nobis, nam hæc entitas non eſt naturæ, ſed perſonæ, & cum Fides doceat, perſonam non fuiſſe aſſumptam, habetur, & hæc entitas non fuiſſe aſſumpta; & quamuis ſit aliquid naturæ hic terminus, non eſt tamen aliquid naturæ, vt diſtinguitur contra perſonam, naturalia autem, & omnia naturam inſequentia, quatenus à perſona diſtinguuntur vt ſic, aſſumpta fuerunt, de quibus ſolum naturalibus accipitur, quod ſubditur, illud eſſe incurabile, quod eſt inaſſumptibile, aliàs ſi de omni intelligeretur, & ego, & omnis perſona eſſet incurabilis, quoniam neque ego manens in meá perſonalitate, neque vlla perſona poteſt in vnitatem perſonæ à Verbo aſſumi; Et quando dicitur, inaſſumptibile eſſe incurabile, intelligitur, vel certe intelligi debet de aſſumptibilibus, non autem de ijs, quæ pugnat aſſumi, in quorum numero eſt talis entitas, &c. Vel dicas, Verbum aſſumpſiſſe quicquid in natura illa plantauit, ſed nega, quod in illa natura fuerit plantata

Quale, & quo modo inaſſumptibile ſit incurabile.

rata perſonalitas, quoniam numquam ei proprie perſonalitas adfuit, ſed præuenta fuit ab illa Verbi; non enim cenſendum eſt, prius fuiſſe humanitatem illam ſub propria perſonalitate, & poſtea à Verbo fuiſſe aſſumptam, nam vane fuiſſet ibi illa perſonalitas, cum deinde corrumpi oportuiſſet, &c.

Quod adnectitur de vniuocatione Chriſti nobiſcum, valde leue eſt, nam vniuocatio ex natura humana, non ex perſonalitate ſpectanda eſt, & ſcimus Chriſtum eiuſdem eſſe naturæ humanæ cum nobis, & humanæ naturæ rationem in ipſo, ac nobis eiuſdem prorſus eſſe rationis, quamuis perſonalitas non ſit eadem, quoniam illius increata, & diuina, noſtri, creata, & humana; Si vero humanitas aſſumpta ſibi dimitteretur, oporteret vtique ei conferri nouã realitatem, ac perſonalitatem, at noua hæc entitas non produceretur noua actione, ſed naturali conſequio ex natura emanaret, quoniam ex ſola ſeparatione adeſſet complementum hoc; Quod ſi ſecundo de Anima 20. legimus, diuiſam plantam in partes viuere, propterea quod in illa erat quidem vnica anima actu, plures vero potentia, & ex diuiſione, animæ illæ plures in potentia, ad actualem pluralitatem ſunt redactæ, (quod & in animalibus inſectis idem accidere ibidem dicitur,) & res ipſa paſſim docet, in homogeneis ex ſola ſeparatione abſque alia actione, vel generatione emergere plures ſubſtantias, vt eſt videre in aquæ diuiſione, cuius partes, quæ prius ſub vnica totius ſubſtantia erant, iam diuiſæ, vnaquæque propriam ſubſtantiam acquirit; cur ſi ſeparetur humanitas a Verbo, ex vi ſeparationis abſque noua actione non prodiret perſonalitas propria, quæ nunc fœlici nimis impedimento ob Verbi perſonalitatem non adeſt? Cum autem dicitur, ſi separaretur humanitas, nihil noui ei adueniret, nil noui acquireret, ſemper intelligendum eſt de iis, quæ non prouenirent ex vi ſeparationis; Ita ſibiipſi dimiſſa, per ſeipſam ſubſiſteret, nullo de nouo addito, hoc eſt, non addito noua actione, nam illa perſonalitas adderetur ex vi ſeparationis pure abſque alia actione; Et vt acute dicebat Caiet. 3.p. q. illa 4. ad 4. Scoti negatio, excluſio, & exceptio nõ cadunt ſuper iis, quæ concomitantur ipſam ſeparationem quæ ponitur, hoc eſt, dum ponitur, quod natura ſepararetur, omnia intelliguntur poni, quæ ex vi ſeparationis concomitantur, vt patet, & ſi dicatur nihil aduenire, accipitur de ijs, quæ non inſequuntur ſeparationem, conſtat autem, perſonalitatem propriam ex vi ſeparationis, ſi ſepararetur aduenturam, vnde dici poteſt, quod nullo addito ſubſiſteret, nam perſonalitas non vere adderetur ſeparationi, ſed ſeparatio eam de neceſſitate ſecum ferret.

Ariſtotel.

Caietanus.

Quod vltimo loco inuoluebatur de natura, quæ poſſet abſque perſonalitate fieri exiſtens in actu, negatur naturaliter loquendo, quoniam licet ſit prior ſua perſonalitate, attamen nõ omne prius poteſt eſſe naturaliter ſine ſuo poſteriori, & mihi non diſplicet Medina, dum de hoc 3.p. ibidem loquens ait, quod licet non ſit perſonalitas de eſſentia naturę, eſt tamen de eſſentia naturæ exiſtentis, quod ipſe intelligo via naturali; Quoniam tamen nulla eſt implicatio, vt poſſit Deus naturam abſque omni perſonalitate conſeruare, dicatur cum Caietano, & eodem Medina, de potentia Dei abſoluta fieri poſſe naturam abſque perſonalitate, dum tamen conferatur ei actus eſſendi, quippe qui licet nunc poſt perſonalitatem adueniat naturæ, ex miraculo poſſet conſequi naturam abſque media perſonalitate. Capreolus autem, qui perſonalitatem actum ſolum eſſendi naturæ addere commemorauit, iure, & conſequenter ad doctrinam ſuam dixit ad tertium Scoti, per nullam potentiam hoc fieri poſſe, quoniam

Medina.

Capreol.

niam non eſt conceptibile, vt natura illa exiſtat abſque exiſtentiã, vel actu eſſendi; nos vero, qui perſonalitatem ab actu eſſendi ſecernimus, concedentes, naturam poſſe eſſe abſque perſonalitate, non admittimus poſſe eſſe abſque actu eſſendi, &c.

QVAESTIO QVARTA.

Num ſub ſpecie angelica ſint, vel quouis modo poſſint eſſe plura indiuidua.

CIRCA vltimam differentiam in eadem quarta parte, quæ aſſignabatur inter ſubſtantias ſimplices, & compoſitas, ex qua proueniebat, vt in iſtis plura indiuidua ſub eadem ſpecie continerentur, quod in illis euenire non poſſe dicebatur, adeſt quæſtio ſolemnis, & familiaris quidem philoſophis, ſed multo familiarior theologis, num ſcilicet natura, & eſſentia intelligentiarum admittat in eadem ſpecie multiplicationem indiuiduorum. Cuius quæſtionis quinque habebuntur partes, in quarum prima dilucidabitur eius titulus, in ſecunda ſententiam quam à veritate alienam cenſeo cum potioribus fundamentis referam, tertio quid pro veritate ſit philoſophice ſentiendum vna concluſione definiam, quarto quid theologice quatuor aliis concluſionibus docebo, quinto ſoluam argumenta in contrarium.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit difficultas.

SEnſus quæſiti ſatis ex ſe manifeſtus apparet, inquiritur enim, an velut ſub ſpecie humana ſunt plura indiuidua in formalitate illius ſpeciei coeuntia, & ſolo numero ab inuicem diſtincta, ita & ſub aliqua ſpecie angelica, vel intelligentiarum ſint indiuidua, quæ in ratione illius ſpeciei communicent, & ſolo numero diſcernantur; quoniam autem in his naturis inferioribus cum materia complicatis, earum indiuiduationem, & in eadem ſpecie multiplicationem ex ſignata materia proficiſci vidimus quæſt. de indiuiduationis principio, cum in ſeparatis locum non habeat hæc materia, vt vidimus prima quæſt. huius capitis, ideo quæritur, num aliquid in ipſis poſſit ſupplere vices materiæ in hoc, vt quemadmodum ſi adeſſet materia, multiplicarentur in eadem ſpecie, ita merito cuiuſuis alterius, talem poſſint admittere multiplicationem; an vero eis omnino hæc multiplicitas repugnet.

Aliquod prædicatum varia ratione cuipiam tribuitur.

Sed facile nota, quod cum aliquod prædicatum poſſit alicui tribui ratione alicuius dupliciter, vel ſcilicet tamquam cauſa, ſeu ratione formali, & proxima, quo modo dicitur aliquis actione agere, & ſimilis ſimilitudine, vel ſecundo

cundo tamquam fundamento, & radice illius proximæ rationis formalis, quo pacto dicitur quis agere per formam, & potentiam ſuam, & ſimilis albedine; non quærimus in præſentia, quomodo in priori via repugnet ſubſtantiis abſtractis ſpecifica multiplicatio, nam conſtat id eſſe per repugnantiam, ſi ponatur quod repugnet, at in ſecundo ſenſu, quid nimirum ſit fundamentum, & ratio huius repugnantiæ, huius incommunicabilitatis, quæ opponitur communicabilitati ſuperioris ad inferiora, non quidem ſuperioris ſimpliciter, ſed ſpeciei athomæ ad indiuidua.

Scito deinceps, quod quæſitum hoc conſueuit tractari in duplici ſenſu, & de facto ſcilicet, & de poſſibili, & cum diuina potentia ſit, & vſitata, & abſoluta, vt explicatum fuit quæſtione ſecunda ad hoc caput, de vtraque mouetur quæſtio.

Denique à nonnullis & metaphyſice, & theologice tractatur hoc negotium, conſiderantibus nimirum, & quid in principiis Ariſtotelis, ac Philoſophiæ, & naturaliter vel ſit, vel poſſit eſſe, deinde quid iuxta Theologiæ principia, & ex quibuſdam per reuelationem acceptis ſimiliter aut ſit, aut eſſe poſſit; Et quamuis nonnulli diſtinctas faciant has quæſtiones, inquirendo ſeparatim, quid de facto, & poſtea quid de poſſibili ſit dicendum, placet tamen vnica quæſtione hæc abſoluere, & complecti.

Vnde inquiro, num ſub vna ſpecie angelica, vel de facto ſint, vel poſſint eſſe potentia naturali, ſeu ſupernaturali, ſiue vſitata, ſiue inuſitata, plura indiuidua ſolo numero ab inuicem diſtincta, vel philoſophice, vel theologice.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Doctoris ſubtilis ſententia adſertur, & firmatur.

Scotus ſecundo ſent. diſt. tertia, quæſt. ſeptima, quem & nonnulli præceſſerunt, & plures ex recentioribus præcipue ſequuntur, docet partem affirmantem, vt nimirum ſimpliciter poſſibile ſit, plures angelos eſſe in eadem ſpecie, vnde videtur loqui non de facto, ſed de poſſibili, & clare affirmat, ſe hoc theologice ſuſtinere, non autem cum doctrina Ariſtotelis, quoniam reſpondens primo argumento, fatetur ſe ab ipſo Philoſopho in hoc diſſentire, quod & in fine eiuſdem quæſtionis repetit, dum ad vltimum reſpondet; Et quidem argumenta, quibus pro ſua poſitione vſus eſt ibi præfatus Doctor, iam ſufficientiſſime confutata cernere eſt apud Caiet. hoc loco, & Capreolum eadem eiuſdem ſecundi diſtinctione, quæſt. prima, circa quintam concluſionem, (vbi & rationes Durandi, qui eadem diſt. quæſtione tertia cum Scoto ſenſit, diſſoluit,) & Ferrarienſem ſecundo cont. Gent. cap. 93. & apud alios, vt proinde non admirari non poſſim quoſdam recentiores, qui ſuper p. p. D. Tho. q. 50. art. 4. contra D. Tho. quem exponunt ſcribentes, & Scoto aſſentientes, nonnulla eiuſdem Scoti argumenta pro ſe adducunt, quæ tamen à commemoratis auctoribus plene vt mox dicebam ſoluta fuerunt, quod ſi reſponſa illa, & ſolutiones minime aptas ſibi ſuadeant, earum infirmitatem oſtendere tenentur, quæ donec ab ipſis non demoſtretur, nimis clarum manet, argumenta illa inania eſſe. Quoniam tamen ea adducunt, & quædam ex propria officina addunt, Caietanus. Capreolus Ferrarien.

ideo quæ magis præcipua pro Scoto apparent, perbreui complectar, & quæ ab ipſis adſeruntur, in medium, & ipſe adſeram, vt deinde è medio tollantur.

Primum Scoti argumentum illud eſt iam apud omnes tritum, quo aſſumit, omnem quidditatem de ſe eſſe communicabilem, ergo & quidditas angelica erit communicabilis, & ſic plura indiuidua ſub ipſa continebuntur, antecedens, ſeu aſſumptum probatur, quoniam omnis quidditas, vel eſt perfecta, vel impefecta, ſi primum, non ob hoc ei repugnat communicabilitas, quoniam natura diuina perfectiſſima exiſtens communicatur, ſi ſecundum, cum & hæ quidditates inferiores communicentur, iam ex imperfectione id ſibi non repugnabit; Confirmatur, quoniam omnis quidditas creata poteſt ſub ratione vniuerſalis intelligi, igitur non ſibi repugnat vniuerſalitas, non igitur communicatio in plura indiuidua, cum præcipue quæuis natura angelica dicatur ſpecies, quæ omnis ex Porphirio ipſam in prædicabilibus definiente eſt prædicabilis de pluribus differentibus numero, & hoc vltimo motiuo excitari viſus eſt Alenſis ad 41. ſeptimi Diuinorum, inquit enim, conceptum ſpeciei eſſe partibilem per ſuppoſita, & ei non repugnare diuidi in indiuidua, vnde ſubdit, debere dari aliquam potentiam actiuam, quæ potentiam hanc paſſiuam conceptus ſpecifici, ſecundũ quam eſt communicabilis, & partibilis ad actũ reducat.

Alenſis.

Secundo, Pars hæc affirmans eſt poſitio ſanctorum Patrum, nam D. Damaſcenus in Elementario cap. 12. ſcriptum reliquit, Deum ſecundum vnamquamque ſpeciem feciſſe angelos, & D. Auguſtinus in Enchiridion, cap. 28. dicebat, nullam ſpeciem angelicam, quo ad omnia indiuidua totaliter periiſſe, ſed aliquos de quacumque ſpecie corruiſſe, & aliquos perſtitiſſe; Addunt recentiores illi, hoc voluiſſe & D. Baſilium, qui lib. 3. contra Eunomium parum ab initio, eidem Eunomio dicenti Spiritum ſanctum eſſe naturæ diuerſæ à Patre, & Filio, quoniam ordine in diuinis perſonis eſt vltimus, reſpondit, id non ſequi, quoniam in angelis eſt aliquis ordo, & tamen vltimus angelus icirco non eſt diuerſæ naturæ ab aliis, igitur de facto non differunt ſpecie inter ſe, alioquin eſſent diuerſæ naturæ. Addunt, in hac fuiſſe Diuum Athanaſium in quæſtionibus ad Antiochum, & eſt quæſtio 29. dicentem, vnã & eandem eſſe angelorum naturam, & eſſentiam, veluti vna eſt ea hominum; Sed & magiſter Daniel Malonius congregationis D. Hieronymi diſputatione tertia ad tertiam 2. ſent. diſtinctionem, (qui auctor mihi hæc tranſcribenti ad manus venit.) adnectit plurium Sanctorum teſtimonia, vt DD. Hieronymi, Bernardi, Anſelmi, trini Gregorij, Nyſſeni ſcilicet, Nazianzeni, & Magni, & aliorum ad hoc firmandum, & denique ab omnibus conſueuit referri vniuerſitas Pariſina, damnans art. illos, quibus dicebatur, Deum non poſſe multiplicare formas ſine materia, &c.

D. Damaſc.
D. Auguſt.
D. Baſil.
D. Athan.
Daniel Malonius.

Tertio, Potiſſima ratio, qua negatur plura indiuidua ſub vnica ſpecie angelica, vel contineri, vel poſſe contineri, ea eſt, quoniam forma vnius ſpeciei, puta Raphaelis cõplectitur in vnico indiuiduo omnẽ perfectionem debitam, immo & poſſibilem ſuæ ſpeciei, quare videtur pugnare, vt multiplicetur in plura indiuidua, iam enim contineret, & non contineret totam perfectionem; ſed nulla apparet hæc ratio, nam certiſſimum eſt, perſonalitatem, ſeu gradum perſonalem in quouis angelo eſſe aliquam perfectionem in natura angelica, quæ eſt intra, & extra perfectionem angelicam ſpecificam, igitur pari via poteſt intra hanc perfectionem angelicam ſpecificam eſſe gradus aliquis, ſeu ratio, quæ conſtituat ipſam naturam hanc, & ſingularem, iam enim apparet,

non

non quicquid perfectionis poteſt illi naturæ conuenire, de facto ei ineſſe, nam perſonalitas eſt perfectio conueniens naturæ angelicæ, & tamen eſt intra, & extra naturam hanc ſpecificam, potuiſſet enim angelica natura à Verbo diuino aſſumi abſque perſonalitate, vt ex D. Paulo ad Hebræos 2. colligitur, cum ergo licet natura angeli careat materia, habeat nihilominus perfectionem aliquam extra ſe, nihil obſtabit, quin etiam intra eandem ſpecificam naturã valeat eſſe gradus aliquis, ſeu ratio, quæ conſtituat ipſam naturam hanc, & ſingularẽ.

Quarto, Ex ſententia illorum, qui dicunt non poſſe eſſe multos angelos eiuſdem ſpeciei, iam ſpecies illa infima conſtituetur ultimo per gradum de ſe, qui non poterit communicari multis, ergo ſicut Socrates ita eſt indiuiduum, vt nec ſit vniuerſale, nec poſſit concipi vniuerſaliter, ſic etiam illa ſpecies ita erit indiuiduum, vt nec ſit vniuerſale, nec poſſit concipi vniuerſaliter, quod igitur vocatur genus proximum multarum ſpecierũ angelorum, erit ſpecies infima, ac proinde dabuntur multi angeli ſub eadem ſpecie infima.

Quinto, Id quod ſeipſo nullo addito eſt indiuiduum, eſt ſingulare per ſe, & non per accidens, quod autem eſt per ſe ſingulare, nequit fieri vniuerſale, quod igitur vocatur ſpecies infima in angelis non eſt ſpecies, ſed indiuiduum, (iam enim angelus ponitur, vt ſeipſo ſit indiuiduum,) hinc, cum multa huiuſmodi contineantur immediate ſub aliqua natura eis communi, quæ proinde erit ſpecies infima, non different ſpecie, ſed ſolo numero, quare ſub eadem ſpecie angelica infima contineri poſſunt multi angeli ſolo numero diſtincti, &c.

Sexto, Arguo ego in hunc modum; Fundamentum principale Auctoris, & Ariſtotelis, cur non ponatur plura indiuidua ſub eadem ſpecie intelligentiarũ, illud eſt, quoniam in eis non adeſt materia, vt videbimus, ſed debile nimis apparet hoc fundamentum, ergo &c. probatur minor, tum quoniam carentia materiæ eſt negatio, quæ nequit eſſe cauſa alicuius poſitiui, vt præcedenti quæſtione pro me arguebam, eſt autem quid valde poſitiuum hoc, vt omnis forma angelica ita ſuam naturam compleat, quoniam ſit materiæ expers, vt multiplicationem nequeat admittere, tum quoniam quamuis materia in rebus materialibus ſit principium indiuiduationis, non tamen in immaterialibus, vnde vana eſt hæc ratio, materia in materialibus eſt cauſa multiplicationis, ergo & in immaterialibus, nam ſtat, quod ſeipſis indiuiduentur, & aliunde proueniat multiplicatio, profecto ſi materia aſſignetur in his inferioribus cauſa multiplicationis, ex eius negatione in ſuperioribus hoc non eſt colligendum, ſed ex aliquo alio, quod in ipſis inuenietur id petendum eſt, alioquin cum materia requiratur ad conſtitutionem horum materialium, liceret ex eius negatione in intelligentiis inferre, quod non conſtituantur, ac proinde, quod non ſint, at ceu aliud conſtitutiuum in illis aſſignatur, ita & aliud multiplicatiuum aſſignetur.

Septimo, Adeſt authoritas Caiet. p. p. q. 76. art. 2. circa reſp. ad tertium, clare dicentis, ac probantis diuiſionem numeralem poſſe fieri, & eſſe abſque materia, quoniam inquit multiplicatio luminis gloriæ in beatis hoc oſtendit, & ſtatim ſubdit, hoc non contradicere Sancto Thomæ, quoniam impoſſibilem ponit multiplicationem abſque materia, hoc eſt, abſque receptiuo, vt patet exercitatis in doctrina ſua, (quæ Caiet. verba adducebamus quæſtione de pluralitate intellectus,) quod prius adnotauerat Capreolus in primo, diſt. ſeptima, q. ſecunda, ad primum contra ſecundam concluſionem, illud confirmans dupli ci Auctoris teſtimonio, ſubſume autem, quod in angelis datur receptiuum, nam Caietanus. Capreolus

eorum eſſentia recipit eſſe, igitur ex hoc receptiuo aderit diuiſio in ipſis numeralis.

Poſſent adferri rationes aliæ, quæ & magis peculiariter, & de facto, nedum theologice, ſed & principiis philoſophiæ idipſum probare poſſe viderentur, & nimirum ex naturali dilectione, & ſocietate angelorum, quæ magis ſaluatur, ſi ponatur eorum in ſpecie communicatio, & ex eorundem ad idem munus applicatione, & ex ipſorum perfectione, vnde deberent multiplicari & aliæ hi ſimiles argumentationes; Verum quoniam ab eodem Auctore quæſt. de Spiritualibus creaturis, art. octauo plene ſoluuntur, & illæ quoque ex philoſophia à Ianduno q. 25. ſuper primum de Cœlo, & à Zimara annotatione ad q. 12. eiuſdem Ianduni ſuper tertium Diuinorum, & ab aliis quoque recẽtioribus, ideo eas ſilentio inuoluere placuit, cum præcipue ex dicendis in hac quæſtione ad omnia ferme patere debeat cumulatiſſima ſolutio.

D.Thom. Iandunus. Zimara.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid philoſophice ſit ſentiendum.

AVctor vbicumque de hac materia loquitur, affirmat nedum non eſſe plures angelos ſub eadem ſpecie, ſed neque poſſe eſſe, ſic loco mox relato de Spiritualibus creaturis, & in hac parte literæ, & ſecundo cont. Gent. 93. & p.p. q. 50. art. 4. & 75. art. 7. & 76. art. 2. ad 1. & cum potiſſimas rationes ex philoſophia naturali adducat, & eas tamen in locis theologicis, colligitur, quod & phiſice, & theologice negantem hac partem ſuſtinuerit, quem vltra eius ſcholã Aegidius ſecutus eſt in Correptorio corruptorij, art. 11. & 29. ex p.p. & allegato art. 11. nonnulla argumenta diſſoluit. Albertus quoque magnus ſumma de quattuor Coæuis, circa quartũ attributum naturæ angelicæ, art. ſecundo, quamuis topice in hoc ſe gerere appareat, magis tamen in hac ſententia declinat, denique Abulenſis q. 19. ad caput 21. Numeri, hanc ſententiam vult, apertis, & quæ eam nedum de facto, ſed & de poſſibili probant verbis.

D.Thomæ loca. Aegidius. Alb. magn. Abulenſ.

Concluſio. Pro veræ ſententiæ definitione ſit prior concluſio; Stando in fundamentis Philoſophiæ, & Ariſtotelis, nulla via ſunt, vel eſſe poſſunt plura indiuidua ſub eadem ſpecie in intelligentiis, ſed quæuis earum propriam ſpeciem conſtituit.

Hæc concluſio omnibus philoſophis eſt certiſſima, cum enim omnes vno ore affirment, intelligentias eſſe à materia immunes, vt vidimus prima huius capitis quæſtione, eadem conſenſione docent hanc concluſionem, quoniam alteram propoſitionem habent exploratiſſimam, quod nimirum, quæ ſunt vnum ſpecie, & plura numero, habent materiam, omnem ſiquidem numeralem differentiam ſub eadem ſpecie à materia cognoſcunt, quoniam ita docuit Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 49. dum dixit, quæcumque ſunt multa numero, materiam habent, ſic ibidem enunciatũ hoc enunciant omnes eius interpretes, in hoc enim ſtat Ariſtotelis probatio, vt oſtendat vnum eſſe mundum ex vnitate primi motoris, Vide ibi Aphrodiſæum, Themiſtium etiam in ſua paraphraſi circa eundem locum, Auerroem, & 1. Cœli 90. Albertum vndecimo Diuinorum, tract. 2. cap. 18. vbi docte digrediens, colligit poſitæ concluſionis neceſſitatem, Alenſem, Sueſſanum, Zimaram quoque in tabula verbo *omne*, &

Quid Philoſophis indubitatum. Ariſtotel. Alexan. Themiſt. Auerroes. Alb.mag. Alenſis. Sueſſinus. Zimara.

denique

denique philoſophos vniuerſos videbis conſtantiſſime docere, quod quæ conueniunt in ſpecie, differunt autem numero, neceſſario materiam habent; Cum igitur in intelligentiis nullum habeat materia locum, ſequitur, vt non adſit earum in ſpecie participatio, & numeralis interſtictio. Rurſus, cum Ariſtoteles clare dicat tertio Diuinorum 11. omne quod diuiditur, diuidi aut ſecundum ſpeciem, aut ſecundum quantitatem, quod & repetit Commentator primo Phyſic. 6. cum dilucidum ſit, quantitatem ab intelligentiis procul omnino ſtare, ſupereſt, vt ſecundum formam tantum, & ſpeciem ab inuicem ſecernantur. Sed cum illi, qui oppoſitam ſententiam docent, & præcipue Scotus, dicant hanc ipſorum poſitionem aduerſari Ariſtoteli, vt dicebam in ſua ſententia adducenda, cumque viderimus omnes eius grauiores expoſitores idipſum docere, inter quos non reticeas Auicennam loco relato in litera, nono ſcilicet Diuinorum cap 4. non eſt cur quis ſtudeat hanc veritatẽ in Ariſtotele comprobare; Declarandam tantum cenſui ipſam concluſionem, ex cuius declaratione, & veritas aperietur magis, & rationes multæ in contrarium corruent, & deinceps quid theologice quoque dicendum ſit incipiet innoteſcere. Ariſtot. Auerroes. Auicenna.

Nota igitur primo, quod propoſitio allegata ex Ariſtotele, & quam ſemper in hoc negotio aſſumit Auctor, in hac etiam litera, negans multiplicitatem hãc ſub vna ſpecie, ex negatione materiæ in angelis, venit ſane intelligenda, quando enim dicitur, quod quæ conueniũt in ſpecie, & differunt numero, conueniunt in forma, & differunt materialiter, nomine differentiæ materialis non accipitur abſolute, & vniuerſaliter materia vere, ac proprie dicta, quæ inquam ſit altera pars illius rei, quæ differt, velut materia eſt pars mea, tunc etenim duæ animæ intellectiuæ haberent materiam partem ſui, conſtat enim, quod differunt materialiter, & tamen formæ ſimplices ſunt, non habentes materiam in ſui eſſentia, idem dicas de duabus lineis mathematice acceptis, & de duobus accidentibus eiuſdem ſpeciei in angelis, neque accipitur materia vere quidem ac proprie, non tamen quæ ſit pars rei differentis, nam vt modo dicebatur de his lineis, & accidentibus patet, quod differunt materialiter, & tamen materiam vere, ac proprie non habent; & præterea non valet, quod ſi angeli non ſint compoſiti ex materia, & forma, quod non debeant differre materialiter, quoniam differre materialiter abſolute, in plus ſe habet, quam differre materialiter, ex eo quod quid ſit compoſitum ex materia & forma, vel ex eo quod quouis modo differat ſecundum veram materiam, vnde ſicut non valet, non eſt homo, ergo non eſt animal, quoniam hoc eſt ſuperius ad illum, ita non valet, non differunt materialiter angeli, ex eo quod non ſunt ex materia ac forma compoſiti, ergo nullo modo differunt materialiter, &c.

Dicendum itaque eſt, intelligi præfatam propoſitionem, quando vniuerſaliter profertur de differẽtia in materia communiter accepta, in eo ſcilicet, quod ſe habet vt materiale in ordine ad ſpeciem, ſic enim veriſſima eſt propoſitio, cuius ſenſus erit, quæ conueniunt in ſpecie, & differunt numero, conueniunt in forma, & differunt materialiter, hoc eſt per aliquid inferius ad ſpeciem, &c. Senſus propoſitionis.

At vero in intelligentiis quando dicitur, ſi conuenirent in ſpecie, & numero differrent, conuenirent in forma, & differrent materialiter, id intelligitur, quod ita differrent materialiter, vt haberent materiam partem ſui, vnde ex eo quod non habent materiam, ſequitur vt nullo modo poſſint materialiter differre, vel numero tantum. Ratio autem cur de materia propria, ac parte ſui intelligatur propoſitio in ſubſtantiis ſeparatus, ea eſt, quam colligis ex Caiet. pri. p. quæſt. Caietanus.

quæſt. illa 50. & quarto illo art. cum enim differentia omnis pure materialis proueniat aut ex quantitate, vt patet in rebus materialibus, aut ex ſubiecto, vt cernitur in accidentibus ſpiritualibus, differentia autem, quæ oritur ex quantitate non habeat locum in ſubſtantiis, niſi ratione materiæ, (taceo differentiam ex ſubiecto, hæc enim non habet locum in ſubſtantiis,) materia vero in ſubſtantia completa nullo alio modo queat reperiri, niſi ſit pars ipſius, conſequens eſt, vt cum angeli ſint ſubſtantiæ completæ, vel nullo modo habeant materiam, vel eam habeant ſui partem, & cum hoc iam fuerit prima huius capitis quæſtione repudiatum, relinquitur, vt nulla via ſit in ipſis materia, ac proinde nullo modo valeát materialiter, vel numero ſub eadē ſpecie differre.

Ita colliges, quod dum Auctor loco memorato ex negatione compoſitionis materiæ, & formæ in angelis, intulit in eis nullam materialem differentiam, nulla vſus fuerit fallacia, quoniam licet abſolute ſuperius ſit differre materialiter, ad differre hoc modo per materiam partem ſui, attamen in ſubiecta materia, de qua ibi verba habebat, conuertuntur hæc duo, &c.

Nota ſecundo, quod licet intelligentiæ ſpecie ab inuicem differant, vere tamen, ac proprie ſunt indiuidua, & quæuis earum eſt vere indiuiduum, atque vnum numero, hinc iure ſemper addidi, quod non ſunt indiuidua *ſub eadem ſpecie*, ex hoc tamen non ſequitur, quin vere ſint indiuidua, niſi forſan fiat vis in verbo, vt illa tantum dicantur indiuidua, quæ ſub eadem infima ſpecie continentur, quod tamen inane, & voluntarium omnino foret; nam indiuiduum vere illud eſt, quod in ſe eſt indiuiſum, & ab aliis diuiſum, quæ vere intelligentiis conueniunt, vnde numero ab inuicem differunt, at non numero tantum, ſed & ſpecie, & certe ſi ex quinto Diuinorum 12. ab vno numero valeat ad vnum ſpecie, genere, & proportione, profecto à diuerſitate in genere, valebit ad illam in ſpecie, & ab hac, ad illam in numero. Quocirca cum angeli differant ab inuicem ſpecie, differunt multo magis & numero. Hinc & in ipſis inuenitur vnitas numeralis, vt quæſtione de indiuiduationis principio dixi, at non materialis, & quantitatiua, ſed formalis, & immaterialis; ſic ceſſant argumenta illa, quæ contendunt probare, quod ſi ponantur ſpecie differre, non ſint indiuidua, ac vnum numero, & ſi ponantur indiuidua, iam ſub aliqua natura communi infima contineantur, nam ita ſtatuuntur indiuidua, vt tamen ſint, & ſpecies, hoc eſt, differunt ab inuicem nedum numero, ſed & ſpecie; Et quidem ſi ex eo quod ſpecie ab inuicem diſcriminentur colligatur non eſſe iudiuidua, non vnum numero, tunc hic leo, huic homini comparatus, non eſſet indiuiduum, non vnum numero nō differret numero ab hoc homine, quæ omnia ridicula ſunt, ſic Ariſtoteles 49. illo duodecimi Diuinorū dicebat, primum mouens eſſe vnum, & ratione, & numero, & D. Tho. opuſc. de pluralitate intellectus, cap. vltimo inquit, quemuis angelum eſſe proprie indiuiduum, & primam ſubſtantiam, quod & acute probat. Cumque ſpecie ſolum ab inuicem ſecernantur, non autem genere, nam omnes in genere immateriali, & natura intellectuali conueniunt, rurſuſque omnes famulentur Deo; & moueát orbes ſuos, vt omnes ſimiles modo ſuo reddátur primo mouenti, & de mente theologorū ſimul loquátur, & à ſuperioribus inferiores illuminétur, & doceantur, & aliæ functiones variæ eis communes ſint, patet cum hac diuerſitate ſpecifica, optime cohærere, & ſocietatem ad inuicem, & amicitiā, & dilectionem, & nominis cōionem, & alia id genus, ex quorū prudenti applicatione prudens lector multa diſſolues argum. quæ proinde non formaliter recenſeo.

Quid ſit indiuiduum.

Ariſtotel. D.Thom.

Vide multorū argumentorū tacitam ſolutionem.

Obſerua

Obſerua tertio, quod cum ponamus ipſos angelos vere indiuidua, & tamen ab eiſdem materiam ſemoueamus, quam in his materialibus indiuiduationis cauſam quæſtione nominata ſtatuebamus, opere prætium eſt aſſignare principium in ipſis indiuiduans, & manifeſtare, vndenam fiant hæc, & indiuidua; Omiſſa itaque via illa dicendi de entitate poſitiua, indiuidua, ſeu heccheitate, nam ibidem vel tamquam inſufficientem, vel tamquam falſam reiecimus, breuiter dicendum eſt, angelos nullo addito extrinſeco indiuiduari, ſed ſeipſis, & ex propria natura, eo quod tales formæ ſunt, quæ in materia nequeant recipi; Sic octauo Diuinorum 16. legimus, in carentibus materia ſenſibili, & intelligibili nullam cauſam eſſe quærendam, quare & ens, & vnum ſint, quoniam ſtatim & ens, & vnum ſeipſis ſunt, & quamuis locus ille intelligatur de vnitate entis, attamen in abſtractis non diſtinguitur vnum numero, ab vno in ente; Sic Auerroes in Epithome Metaphyſicæ, tractatu ſecundo, in fine antepenultimi capitis dicebat, quod cauſa vnitatis rerum, quæ non habent materiam ſenſibilem, neque intelligibilem, nihil aliud eſt, quam ſua eſſentia; ſic Auctor prima par. quæſt. 13. ar. 9. ait, formas illas, quæ ſunt per ſe ſubſiſtentes non indiuiduari per aliud ſuppoſitum, ſed per ſeipſas, ſic Capreolus in ſecundo, diſt. illa tertia, & quæſt. prima circa tertiam concluſionem, vbi præfatum locum Auctoris adfert, & alium quoque ex ſecundo ſent. diſt. eadem tertia, quæſt. prima, ar. ſecundo, & tu vide alium in eodem Auctore locum, nimirum quolibeto ſecundo, ar. quarto, ad primum, & leges naturam ſubſtantiarum immaterialium creatarum non indiuiduari per materiam, ſed per ſeipſam, quod & liquido habes opuſculo illo allegato; Sic Zimara annotatione illa memorata, & Soncinas duodecimo Diuinorum, quæſt. 49. & demum Mercenarius vltimo capite vltimæ dilucidationis, & primi, & ſecundi voluminis; His adde, quod præcedenti quæſtione ſatis vt arbitror docuimus, quomodo in ipſis non differat natura ab hac natura, & quod ſeipſa quæuis intelligentia vtrumque eſt.

Vnde angeli indiuidui fiāt.

Ariſtotel.

Auerroes.

D. Thom.

Capreol.

Zimara.

Soncinas.

Cum itaque à forma ſit vnitas ſpecifica, vt pluries quæſtione illa de indiuiduationis principio dicebatur, forma ſubſiſtentium cōſtituet ſeipſa quamlibet earum vnam ſpetie, cum autem earundem forma non recipiatur in materia, remanebit forma illa in communitate ſibi naturali, & non fiet hæc per materiam, ſed ſeipſa etiam, ita tamen quod non erit diſtincta ab alijs ſub eadem ſpecie, quoniam hæc non adſunt. Dices, nonne principium indiuiduatiuum debet limitare naturam, & formā ſpecificam? Dico hoc non eſſe neceſſe, quando principium indiuiduans eſt vel ipſa forma, vel ab ipſa prouenit, ſed ſufficit principio indiuiduanti, vt compleat naturam, & in aliqua materia reddat irreceptibilem, & alijs indiuiduis incommunicabilem; quemadmodum enim forma in materia receptibilis, fit hæc ex receptione vel actuali, vel habituali in illa materia, ita forma ſecundum ſe nullatenus in materia receptibilis, fit hæc ex hac irreceptione, & ſeipſā, & ſic forma angelica per ſemetipſam conſtituit immediate naturam, & mediate indiuiduum, non alia ratione, niſi quatenus eſt forma, quæ nequit recipi in materia, neque in aliquo ſubiecto, vel indiuiduo participari; Quapropter non eſt ſuſpicanda aliqua proprietas ſubſtantialis ex forma angelica reſultans, merito cuius fiat ipſa forma indiuidua, (quamuis modus hic dicendi nō diſpliceat viro doctiſſimo ex noſtra Familia ſuper illum ar. quartum quæſt. 50. prima par.) non enim facile erit aſſignare, quæ ſit talis proprietas, & multiplicantur entia non neceſſario, & forte qui ſic diceret, à Scoti opinione ægre elaberetur, ponentis entitates illas poſitiuas, vltimas, &c. Quare

Quid principio indiuiduāti ſit ſatis.

Quidam modus dicēdi reijcitur.

concludamus, ex ſeipſis formas illas fieri indiuiduas, quoniam ſunt eiuſmodi naturæ, vt in materia non poſſint recipi.

Ex his notabis quarto, non eſſe iudicio meo admodum concertandum inter illos, qui dicunt ſubſtantias ſeparatas eſſe indiuiduas, ob carentiam materiæ, Zimara. Mercenar. & nos, qui dicimus ſeipſis indiuiduari, velut concertare video & Zimaram, & Mercenarium locis memoratis, nam ij qui aſſignant carentiam materiæ pro cauſa talis indiuiduationis, ſimul aſſignant & naturas ipſarum mentium abſtractarum, ſunt enim indiuiduæ, quia carent materia, quia ſcilicet tales formæ ſunt immunes à materia, ſi enim carentiam materiæ formaliter, tamquam puram negationem adferrent pro cauſa, iam pro cauſa effectus realis, & poſitiui adferrent nihil; ſimiliter nos qui adducimus naturas ipſarum pro cauſa, certe adferimus & negationem materiæ in ipſis, dicimus enim, quod ſunt indiuiduæ ſeipſis, quia ſcilicet tales naturæ ſunt; peto quales? vtique ſubſiſtentes, & à materia ſecretæ.

Quemadmodum itaque in annotationibus ad primam partem huius capitis dicebamus cum Auctore, immaterialitatem eſſe cauſam intellectualis naturæ à priori, & è veſtigio ex intellectualitate colligi ab effectu immaterialitatem, & ibi explicabamus quid nomine immaterialitatis acciperemus, poſitiuum ſcilicet quoddam habens in ſe conditionem oppoſitam materialibus rebus, à nobis Quomodo nō nulli accipiendi. tamen voce priuatiua expreſſum, ita intelligendi ſunt ij, qui dicunt carentiam, & negationem materiæ in abſtractis, eſſe cauſam indiuiduationis ipſorum, & ſic in bonum ſenſum trahitur modus iſte dicendi à Paulo quoque Soncinate, quæſtione ſua allegata.

Non inferas autem, me iniuria damnaſſe Henricum, quæſtione ſæpius nominata de indiuiduationis principio, ponentem ſubſtantias indiuiduas effici per negationes, quandoquidem ita ille ſtatuebat negationes talem cauſam, vt negaret vllum abſolutum aſſignari debere pro cauſa. Iſtos autem, qui cauſam indiuiduationis in abſtractis recenſitam negationem adducunt, ſuſtineri poſſe affirmo, quoniam non apparet eos negare naturam eorum poſitiuam eſſe huiuſcemodi cauſam, immo credo ita ſenſiſſe, at poſitiuum illud per negationem quam audiuimus inſinuare voluiſſe; Quod ſi negationem illam puram, non in aliqua natura poſitiua fundamentum habentem, voluerunt eſſe hanc cauſam, audiendi non ſunt, in quo ſenſu fortaſſis acceperunt eos & Zimara, & Archangelus, vt videtur colligi ex quibuſdam vtriuſque motiuis, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid dicendum ſit theologice.

Prima Concluſio. Sit prima concluſio: De facto non ſunt plures angeli ſub eadem ſpecie infima. Hanc concluſionem eſſe Auctoris, & omnium eius diſcipulorum, Ferrarienſe excepto nullus poteſt dubitare; ſed & eius oppoſitum à nullo videtur proterue aſſeri, niſi ſub quadam probabilitatis imagine.

Probatur concluſio, quoniam in angelis adeſt ſola forma, à qua vt ſic nequit ſumi diſtinctio pure numerica, ſed ſolum ſpecifica, quoniam licet non omnis D.Thom. differentia formarum ſit ſpecifica, vt ex Auctore ſecundo cōtra Gentes 81. do-

cebam

cebam quæſtione illa de principio indiuiduationis, attamen omnis diſtinctio formalis, vel ſecundum eſſe formale, ſumpta ſcilicet ex diuerſitate formæ vt ſic, eſt ſpecifica, vt docet Scotus etiam longo diſcurſu in reſponſione ad argumenta, ſeptima illa ſua quæſtione tertiæ diſt. ſecundi ſent. non poteſt autem quis aſſignare, aut vix imaginari, quo pacto differentia in angelis non ſit formalis, cum nihil aliud ſit in ipſis præter formam, ac proinde omnis diſtinctio in illis à forma petenda eſt; & ſi daremus quoque entitates illas poſitiuas vltimas, iam & ipſæ à forma vt ſic deſumerentur, non enim aliunde poſſunt deduci, & tunc nequeunt reddere formam hanc, ita vt ſolo numero differat ab alijs, quoniam à forma nulla diſtinctio, niſi ſpecifica, hoc eſt, nulla diſtinctio, quæ non ſit ſpecifica prouenit. Præterea, non decet theologum diſſentire à communi philoſophorum via, & à ratione ex ſenſatis accepta, niſi vbi adſit teſtimoniũ Fidei in contrarium, vel aliqua expreſſa auctoritas tantum ponderis habens in theologia, vt ſi non hæreticum, aut erroneum, ſaltem temerarium ſit ab ea diſſentire, at philoſophi omnes conueniunt in hoc, vt dicant, quæ conueniunt ſpecie, & differunt numero, materiam habere, vt vidimus, & vt aduerſarij fatentur, ergo non eſt ab hoc principio recedendum in hac materia, vbi neque Fidei teſtimonium, neque ſimilis auctoritas obſtat, & quidem non adeſſe Fidei teſtimonium, res clara admodum eſt, vnde dicebat D. Auguſtinus cap. vltimo libri contra Priſcillaniſtas, ſe fateri ſcire, quod adſint angeli, poteſtates, &c. at quid ſint, aut qualiter ſint, aut quomodo diſtinguantur, ſe prorſus ignorare, neque ex hac ignorantia aliquod detrimentum pati, ſeu periclitari. D. quoque Damaſcenus ſecundo de Fide orthodoxa, cap. tertio ait ſe neſcire quomodo diſtinguantur, ſed id ſoli Deo, qui eos condidit agnitum eſſe. Similiter in explicandis ſententijs Patrum, quæ ſecundo quæſtionis art. recenſebantur videbimus nullam adeſſe auctoritatem, quæ in contrarium vrgeat; Quocirca iure doctiſſimus Bannes prima par. quæſt. 50. art. illo quarto modum quendam appoſuit verbis D. Bonauenturæ, qui ſecundo ſent. diſt. tertia, ſecunda parte diſtinctionis, quæſt. prima viſus eſt ſententiam, quæ ait plures angelos non eſſe in eadem ſpecie præſumptionis nota damnare, neque eſſe ſatis catholicam, & Fidei conformem; nam oppoſitam vocat ſobriam, & catholicam, & multo magis corrigendus venit Iandunus, qui 25. illa quæſtione primi de Cœlo, poſt mentem Ariſtotelis, & omnium philoſophorum adductam ait, quod ſecundum Fidem, & veritatem ſanctis doctoribus reuerenter aſſentiendo, debemus dicere, quod ſub vna ſpecie angelica ſint plura indiuidua, at vt dicebamus, & vt explicatius patebit, vtraque ſententia abſque vlla Fidei iactura poteſt ſuſtineri, & manere poterat Iandunus cum Ariſtotele, & Auerroe, abſque eo quod ſanctis Patribus ſe immiſceret.

Scotus. Quę diſtinctio à forma. D. Auguſt. D. Damaſ. Bannes. D. Bonau. Iandunus.

Sic itaque arguamus, In ijs ad quæ ratio naturalis aliquo modo peruenire poteſt, communi philoſophorum, & præcipue Ariſtotelis conſenſioni ſtandũ eſt, niſi ſacra pagina aliquid contrarium dicat, vel inſinuet, at ex eo quod carēt materia ipſi angeli, habemus à philoſophis non poſſe ſolo numero differre, & in ſcriptura ſacra nihil habetur, quod huic contradicat, quare &c. Hinc parũ prudenter, & abſque debita Doctori Sancto reuerentia quidam eius interpres non vltimæ notæ prima par. loco memorato ſcripſit, *Auctoritas vero Ariſtotelis, ſtudiumque cum ipſo conſentiendi, videtur in eã rem adduxiſſe D. Thom. vt eandem complecteretur ſententiam. quam alioquin numquam aſſeruiſſet*, (vide lepida verba expoſitoris de ſuo auctore,) quaſi D. Tho. in gratiam Ariſtotelis falſa

Prauum cuiuſdã de D. Thomæ iudicio omnino reijcitur.

doceat,

doceat, cum tamen videamus eundem D. Doctorem, quando præcipue theologum agit, Ariſtotelem impugnantem, vbicumque veritati, & Fidei aduerſatur; At non ſtudio conſentiendi cum Ariſtotele, ſed ratione ex rerum experientia, & ex ijs, quæ ſub ſenſum cadunt, (vt hic vir quoque concedit,) & ex veris principijs naturalibus ducta, illi in hac parte adhæſit, & cum huic rationi nihil præiudicet, iure in hac, & alijs deinde ſe firmauit; Sed quare amabo ſemota Ariſtotelis auctoritate, ille hoc numquam aſſeruiſſet? quibus rationibus? an non art. octauo de Spiritualibus creaturis, decem, & octo argumenta diſſoluit, quorum ſolutiones, alia mille, quæ ab alijs deinde formantur interimunt? Rationibus forſan huius viri? at eas nihil omnino efficere videbimus art. ſequenti, immo iam ex obſeruationibus ad præcedentem concluſionem, earum imbecillitas innoteſcere cœpit. Ratione itaque, & non Ariſtotelis amore ductus, hanc cõcluſionem docuit, & varijs rationibus muniuit, & loco illo de Spiritualibus creaturis, & ſecundo cont. Gent. cap. illo 93. ex quibus rationibus, vltra illam ex immunitate à materia, habes aliam deſumptam ex ordine vniuerſi à Caiet. hoc loco, quam tulit Auctor vbi ſupra, de Spiritualibus creaturis ſecundo loco, ex qua ratione argumenta illa tolluntur, quę ſolent adduci de natura, quæ ſi multiplicat hæc inferiora, multo magis ſolicita eſſe deberet circa ſuperiora entia, illa multiplicando, quoniam perfectiora in natura magis debent multiplicari, &c. vnde plura indiuidua deberent eſſe ſub vna ſpecie; at cum multiplicatio ſecundum numerum in infinitum queat protendi, cumque ordo indiuiduorum ſub vna ſpecie, ſit ordo per accidens, non intenditur ab agente, ſed ſola multiplicatio ſecundum ſpeciem, vnde ex hoc poſſet argui multiplicatio infinitorum ſingularium ſub vna ſpecie, innumerabiles autem propemodum angelorum ſpecies à Deo conditas norunt theologi, quare optime erga entia hæc nobiliſſima ſolicita fuit natura, immo naturæ auctor, & denique nedum confutantur, ſed & retorquentur huiuſcemodi motiua, cum enim natura potius intendat ſpeciem, quam indiuiduum, & hoc ad illius conſeruationem ordinet, vt prope finem quæſtionis de vniuerſalium exiſtentia dicebam, ideo maior eius ſolicitudo patuit circa entia illa ſublimia in multiplicandis ſpeciebus, quam ſi ſub eadem ſpecie indiuidua multiplicaſſet, &c.

Quomodo ex D. Thomæ doctrina reijciãtur, & reflectãtur nonnullorum motiua.

Cæterum quoniam proxime diximus, nullam apud theologos auctoritatem vrgere, vt id quod docemus vel parum infirmari poſſe videatur, ideo bene erit, varium quem ſancti Patres poſſunt habere ſenſum proferre, dum dicunt, plures angelos eſſe eiuſdem naturæ, vel eſſentiæ, vel ſpeciei; Sed illud præmitto, quod illi, qui ſanctorum Patrum dicta pro ſe adferunt, & præcipue recentiores, adferunt id quod eſt contra ipſos, æque enim tenentur interpretari tales auctoritates, atque teneamur & nos, immo vero quidam ex ipſis hoc fecerunt, explicationem videlicet adhibentes Sanctorum dictis. Vnde res eſt, quæ prope riſum excitet, vt nimirum Patres pro ſua opinione exponant, & non videant, quod dum eis illas dant interpretationes, iam nulla Patrum auctoritas, (in quibus tamen recenſendis meliorem quæſtionis partem impendunt) eis ſuffragatur; Cũ enim in tertia concluſione doceant, probabile eſſe, nõ omnes angelos eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, iam Sanctorum dicta non ſunt ipſis adiumento, quippe qui de omnibus indiſcriminatim loquuntur, dicentes angelos omnes eſſe eiuſdem naturæ, ſeu ſpeciei, proinde atque homines, &c.

Contra recentiores afferentes ad hoc dicta Patrum.

Primus dicendi modus circa Patrum in hoc etiam.

Dicito igitur, quod quamuis nõnulli ex ſanctis Patribus ſuſtinuiſſent plures angelos eſſe ſub eadem infima ſpecie, non ideo reijcienda venit Auctoris poſitio,

ſitio, quoniam in materia non certo definita, atque rationibus hinc, inde munita, cuique licet propriam ſectari opinionem.

Primus dicẽdi modus quo ad dicta Patrum.

Dicito ſecundo, quod forſan nonnulli eorum putarunt angelos eſſe corporeos, quare in illis aliquam materiam ſtatuentes, potuerunt, immo & conſequenter debuerunt admittere eorundem in eadem vltima ſpecie multiplicationem.

Secundus.

Dicas tertio, quod cum ſpecies ſit in duplici differentia, altera nimirum ſubalterna, altera ſpecialiſſima, & illa ſpecies alias deinde ſub ſe admittat, hæc vero nequaquam, quando dixerunt plures angelos eſſe ſub eadem ſpecie, intellexerunt de ſubalterna, non de infima, ita enim veriſſimum eſt, plures angelos ſub eadem ſpecie ſubalterna contineri, quod nil aliud infert, niſi quod ſub ſpecie ſubalterna variæ ſpecies infimæ contineantur.

Tertius.

Dic quarto, quod nomine ſpeciei non acceperunt ſpeciem, quatenus dicitur de pluribus ſolo numero differentibus, & quatenus ſecundam intentionem ſignificat, ſed eam acceperunt pro eſſentia, pro natura, pro ſubſtrato, pro re, & erit ſenſus, omnes angelos eſſe eiuſdem ſpeciei, hoc eſt, eiuſdem naturæ, intellectualis ſcilicet, & à materia immunis, & corporis expertis, vnde aliquando nomine ſpeciei, & naturæ, & eſſentiæ indiſcriminatim vtuntur, vt colligitur ex eorum inductis teſtimonijs, & hos quidem ſenſus non ineptos, ſed vt arbitror ſufficientes poteſt quis eorum dictis prudenter adaptare.

Quartus.

Veruntamen adeſt alius modus nobilis, quo dicta Patrum valent exponi, ex quo omnis ſcrupulus poteſt remoueri, & ille eſt, quem adhibuit Auctor loco illo de Spiritualibus creaturis ad primũ cuidam dicto D. Auguſtini, quod proinde mirum eſt, quomodo aduerſarij contra nos adferãt, & hic modus amplexatur à Caiet. hoc loco, dum eidem D. Auguſtini auctoritati in ſolutione quinti ſatisfacit. Vnde dicimus, quod natura angelica, & humana dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo in eſſe naturæ, alio modo in eſſe beatificabili, vel in eſſe viæ, vt ad beatitudinem tendunt, primo modo natura humana eſt vna, angelica vero plures, (nomine naturæ accipiendo ſpeciem,) ſecundo modo angelica quoque natura eſt vna, & tota ſimul accipitur vt vna, condiuiſa, & condiſtincta ab humana, quoniam vno, & eodem modo ſpecies omnes angelicæ tendunt ad ſupernaturalem beatitudinem, per vnicũ ſcilicet actum liberi arb. plene, ac complete deliberatum, humana vero natura varijs actibus ad eandem pergit beatitudinem, quoniam liberum arbitrium hominis eſt flexibile; Et quoniam ſancti Patres theologi erant, & theologice loquebantur, ideo angelos potius vt beatificabiles, & vt viatores, quam in eſſe naturæ conſiderabant, ideo dicebant vnam eſſe naturam angelicam, ceu vna eſt natura humana; Neque dicas, quod tunc non opus erat, vt condiſtingueretur angelica natura ab humana, cum vtraque ad eandem beatitudinem gradiatur. quoniam vt dicebatur, vario modo gradiuntur, ſed omnes angeli vno modo, & ſimiliter homines alio, ſed vnica omnibus communi via tendunt, & accommodatiſſima eſt hæc interpretatio teſtimonijs Patrum, & potiſſimum D. Auguſtino in Enchiridion cap. illo 28. & 29. ibi enim loquitur de angelis, & hominibus, vt beatificabiles ſunt, quomodo ſcilicet à beatitudine defecerunt, &c.

Quintus ex D. Thoma.

Caietanus.

Gemina naturæ angelicæ, & humanæ conſideratio.

Excluditur obiectio.

D. Auguſt.

Quod ſi ſciſciteris, cur potius explicem Patres, vt fuerint locuti de angelis quo ad eſſe beatificabile, quam quo ad eſſe naturale; Dico quod primo varie eos expoſui de eſſe naturali, deinde aſſero probabiliſſimum eſſe, eos conſideraſſe angelos, vt beatitudinis capaces, quando eos connumerant cum

natura humana, & cum eadem conferunt, quoniam omnis ſcientia accipit terminos formaliter, vt ſubſunt illi ſcientiæ, vt docebat Caietanus prima parte, quæſt. 12. art. primo, & quæſt. 29. circa titulum primi articuli, conſtat autem ex Auctore ſecundo contra Gentes, cap. quarto, & prima parte, quæſt. prima, art. ſeptimo, quod creaturæ non ſunt de conſideratione theologica, niſi vt ordinantur in ipſum Deum, & in ipſam ſupernaturalem beatitudinem; ſic enim theologia vere eſt ſapientia, quoniam quæ conſiderat, ad altiſſimam cauſam refert, hinc cum ſancti Patres theologos gererent, & in ſacra ſcriptura loquerentur, dum de angelis ſermonem haberent, iure colligitur, quod conferendo ipſos cum natura humana, non in eſſe naturali, ſed in illo ad fœlicitatem ordinabili contemplati fuerint, &c. Ex qua reſponſione, ſiue intelligentia locorum, quæ antiqua eſt, inſpicere iam deberent, ſeu potius debuiſſent, qui in hac materia varia dicta Patrum contra Auctorem accumulant, nihil eidem Auctori illa officere, &c.

Caietanus. D.Thom.

Conclusio ſecunda.

Sit ſecunda concluſio: Iuxta Dei potentiam ordinariam, non poſſunt eſſe plura indiuidua ſub eadem ſpecie infima angelica; Probatur, quoniam qua ratione diceretur poſſe eſſe duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, poſſet dici, quod eſſent infinita, non enim eſt maior ratio de duobus, quam de pluribus, vt arguebat Ariſtoteles quarto Phyſic. 53. ad probandum non poſſe in eodem loco eſſe duo corpora; Cumque in perpetuis non differat poſſe ab eſſe, ex eodem Philoſopho tertio Phyſic. 32. ſi poſſent ſub infima ſpecie angelica eſſe, vel duo, vel infinita indiuidua, iam & duo, & infinita de facto eſſent, cuius tamen contrarium docuit præcedens concluſio. Præterea, vana eſt potentia illa, quæ nec ad actum reducitur, neque vmquam reducetur, ſed iam ad actum non reducitur talis potentia, quoniam actu non ſunt plura indiuidua vnius ſpeciei in angelis, vt probatum eſt, neque reducetur, quoniam iam fecit Deus res, vt earundem naturas decet, quare numquam immutabitur hic ordo, quoniam huic ordini potentia diuina ordinaria ſe conformem facere voluit. Vlterius, concedunt omnes dari angelos ſuperiores, & inferiores in gratia, ergo & in natura, & liquet hæc illatio ex doctrina Auctoris prima parte, quæſt. 62. art. ſexto, & Magiſtri ſententiarum in ſecundo, diſtin. tertia, & D. Damaſceni ſecundo libro de Fide orthodoxa, cap. tertio, & D. Baſilij cap. 16. libri de Spiritu ſancto, (vtrobique parum à principio) & videtur opinio iam communis, quoniam gratia eis collata fuit iuxta quantitatem ſuorum naturalium, non quod naturalis perfectio fuerit cauſa receptionis gratiæ, ſed occaſio tantum, vt habes à Caietano ſecunda ſecundæ, quæſtione 24. articulo tertio, circa ſolutionem ad tertium, & ab alijs, qui ſuper locum illum primæ par. ſcripſerunt, cum itaque differant in perfectione naturali, hæc differentia vtique reducenda eſt ad ſpecificam, & cum res ita ſe habeat, non immutabitur hic ordo de potentia Dei ordinaria, quamuis enim per huiuſcemodi potentiam multa circa rerum naturas variari queant, non tamen naturæ ipſæ iam conſtitutæ iuxta modum ipſis perantiquum in proprijs eſſentijs permutari valent. Tandem, cum ſuauis rerum diſpoſitio exigat, vt omnis differentia ſumpta à forma vt ſic, ſit ſpecifica, non adſit autem differentia pure numerica, niſi beneficio materiæ, vt ex ſenſatis cuique compertum eſt, nequit perturbari hæc diſpoſitio ab vſitata Dei potentia, &c.

Ariſtotel. D.Thom. Mag. Sent. D.Damaſc. D. Baſilij. Caietanus.

Concluſio tertia.

Sit tertia concluſio: Probabile eſt, quod neque de potentia abſoluta Dei, poſſint eſſe plura indiuidua ſub eadem ſpecie in angelis; Probatur, quoniam hæc

hæc apparet ſententia Auctoris, qui ſemper loquens de hoc negotio, aſſerit aperte hoc eſſe impoſſibile, & in hoc ſenſu eum accepit Scotus quæſt. illa ſeptima diſtin. tertiæ in ſecundo, & ſic maniſeſte eum interpretatus eſt Aegidius art. illo 11. & nobiliter hoc docuit, dicens, & repetens eſſe contradictionis implicationem, vt plura indiuidua in abſtractis ſint eiuſdem ſpeciei, quamuis quolibeto ſecundo, artic. 6. dicat, quod ſecundum ordinem alium, quem poſſet Deus rebus indere, plures angeli poſſent eſſe in eadem ſpecie, ſed ſtante hoc ordine, id ſatetur impoſſibile; Sed & Caiet. allegari video, qui ſic acceperit Auctorem, ipſe tamen minime inuenio Caietanũ dicere hoc implicare contradictionem, aut verbum habere de potentia abſoluta Dei, vel quid aliud, ex quo id certo poſſit elici. Præterea probatur concluſio, quoniam cum nullum alium videamus modum diſtinctionis in completis ſubſtantijs, quam per formam, & materiam, & materia non inſit in mentibus illis, & forma ſit cauſa diſtinctionis ſpecificæ, non videtur poſſe aſſignari numerica ſub eadem ſpecie differentia. Confirmatur, quoniam qui docent partem oppoſitam, dicunt Deum poſſe angelos numero multiplicare, aliqua via à nobis ignorata, & nihilominus viam hanc, & modum iſtum non aſſignant, & recte faciunt, quoniam tunc ſibi ipſis non conſtarent, aiunt enim eiuſmodi viam multiplicationis nos latere. Hæc autem non dant pacem intellectui, quoniam pari paſſu diceretur, Deum poſſe facere materiam eſſe abſque forma, album abſque albedine, & ſimilia, modis, & vijs à nobis ignoratis, quæ ridicula ſunt. Deinde proprietas illa indiuidualis, quam nonnulli videntur adferre pro principio indiuiduatiuo in angelo, nequit eſſe accidentalis, vt conuenire debent omnes, quoniam ſimilia accidunt indiuiduo iam in eſſe conſtituto, & præterea nequit accidens conſtituere ſubſtantiam, ergo erit ſubſtantialis, ſed tunc à forma oportet, vt deſumatur, quare ſpecificam dabit differentiam, & etiam oporteret proprietatem hanc ſubſtantialem ſuperaddi ipſi naturæ, & formæ angelicæ, (nam modo certe non adeſt,) quod nequit concipere intellectus, cum enim Auctore Ariſtotele octauo Diuinorum 10. rerum ſubſtantiæ ſint ſicut numeri, conſtat, quod ſi quid eis additum fuerit, ſoluentur illæ ſubſtantiæ, vnde ſi fiat acceſſio proprietatis illius ſubſtantialis, (nam in acceſſione ſubſtantiali ſtat præcipua vis huius argumenti,) non erit acceſſio illi ſubſtantiæ, quæ erat, ſed iam alia erit ſubſtantia, vnde tunc perit noſtra quæſtio, in qua eſt ſermo de illa ſpecie, ſub qua in præſenti non ſunt plura indiuidua, & dicitur non poſſe ſub ſpecie, quæ eadem maneat plura eſſe, &c. Quod ſi dicas, poſſe de nouo creari ſpecies, &c. tunc militant, quæ omnia iam adduximus ad hanc concluſionem.

D.Thom. *Scotus.* *Aegidius.* *Caietanus.* *Ariſtotel.*

Nihilominus ſit quarta, & poſtrema concluſio: Probabile eſt de potentia Dei abſoluta plures eſſe poſſe in eadem ſpecie angelos; tum quoniam ſic omnes thomiſtæ de mente communis Magiſtri aſſerere videntur, vt Capreolus loco ſæpe allegato, in quarta ſolutione ad ſecundum Durandi, Ferrarienſis cap. illo 93. ſecundi contra Gentes, Soncinas quæſt. 51. duodecimi Diuinorum, Iauellus quæſtione 24. eiuſdem libri, & Bannes loco non raro nominato ex prima parte, & omnes adducunt concordes dictum Auctoris opuſculo illo de vnitate intellectus, vbi ait, quod licet ſecundum ordinem naturæ intellectus agens non multiplicaretur in pluribus hominibus, non inde ſit conſequens, quin per Dei potentiam poſſet multiplicari ſecundum numerum, quod eodem modo nos poſſumus applicare huic propoſito. Addo ego, quod

Vltima concluſio. *Capreol.* *Ferrarien.* *Soncinas.* *Iauellus.* *Bannes.* *D.Thom.*

non intueor Auctorem in hac re aſſerentem, implicare contradictionem oppoſitum eius, quod docet, quare non colligitur, vt hoc ab abſoluta Dei potentia voluerit ſubtrahere; Præterea, philoſophi ferme omnes negotium hoc verſantes dicunt, ſe philoſophice loqui, quicquid fuerit theologice, quare innuunt non eſſe abſolutam in parte oppoſita contradictionem. Confirmatur, quoniam ſi hoc inuolueret pugnantia, nullus ex ſanctis Patribus pronunciaſſet abſolute, eſſe, vel poſſe eſſe plures in eadem ſpecie angelos; Vnde qui hanc vltimam concluſionem probabilitatis plenam vult tueri, dicat ad motiua præcedentis concluſionis, Auctorem accepiſſe impoſſibile phyſicum, & iuxta ſtatutum rerum ordinem, non autem impoſſibile logicum, vel quatenus ſubeſt diuinæ potentiæ, quæ abſoluta eſt, vnde non neceſſario eſt exponendus, vel accipiendus eo modo, quo fuit acceptus à Scoto, & ab Aegidio; Fateamur tamen, hoc genus multiplicationis numeralis abſque materia, vel abſque ordine ad ipſam, (quo pacto multiplicantur animæ noſtræ, de quo tertia quæſtione ad caput ſequens) eſſe nobis ignotum, & ex his quæ intuemur, & quæ ratio naturalis docet, nos non poſſe illud venari, ſed quoniam Deus multo plura efficere poteſt, quam nos cogitare, ideo non eſt firma illa argumentatio, vt ſi ignoremus aliquid, id nullo modo eſſe poſſit, cum præcipue non eluceat euidens contradictio, velut pugnat aliquid eſſe in actu ſine actu, & album ſine albedine; Et ſi per indiuidualem illam proprietatem fieret hæc multiplicatio, Deus forte abſoluta ſua potentia manuteneret ſubſtantiam illam in eodem eſſe, vel forte alio modo præfata multiplicatio exiret in actum; Neque ex me quæras modum hunc nouum huiuſce multiplicationis, & diſtinctionis, quoniam cum D. Auguſtino fatebor, me illum ignorare, neque proinde quicquam patiar, &c.

Quomodo quis tueri valeat hanc concluſionem.

ARTICVLVS QVINTVS.

Reſpondetur argumentis in contrarium.

QVemadmodum quod primo loco adducebatur argumentum, dicebatur ibidem apud omnes peruulgatum haberi, ita & eius ſolutio, apud omnes, & noſtros præcipue antiquiores inuenitur; Vnde dicas primo metaphyſice, quod communicatio naturæ per modum vniuerſalis particularibus, repugnat intelligentijs ex earum perfectione, quod vero additur de communicatione diuinæ naturæ ad intra, non eſt ad propoſitum, quoniam philoſophi vt ſic ſtantes in puro naturæ lumine, & limine illud negarent, vnde falſa eſt propoſitio illa, qua dicitur, Omnem quidditatem eſſe illo modo communicabilem, nam talis communitas conuenit ſolum rebus materialibus ob earum imperfectionem, vt late habes apud Zimaram annotatione illa; Quare dicamus, quidditatem vt ſic abſtrahere a communicabilitate, & incommunicabilitate, quocirca ex eo quod inueniatur horum materialium communicatio, arguere in immaterialibus, vanum eſt, cum præcipue hoc nomen *quidditas*, non dicatur de illis, & iſtis vniuoce, vt dicebatur quæſtione prima ſuper hoc caput.

Solutio primi argumenti metaphyſicalis.

Zimara.

Theologice quoq; loquendo nihil concludit hoc arg. quoniam conſtat, eſſentiam diuinã communicari ſuppoſitis diuinis abſque diuiſione ipſius, quoniam eadem numero eſt in omnibus, qualem communicationis modum non eſt in rebus creatis inuenire. Sic bene conſueuit dici, vt habes in Caiet. hoc loco ad hoc ipſum argumentum reſpondente, quod communicatio per modum vniuerſalis particularibus, & ſpeciei indiuiduis, repugnat angelis ex eorum perfectione, communicabilitas autem abſque diuiſione eſſentiæ eiſdem repugnat ex ipſorum imperfectione, (accipe vero imperfectionem hoc loco negatiue, non priuatiue, ſiquidem nihil creatum natum eſt habere huiuſcemodi communicationem,) Adeſt & alia communicabilitas, ex eo ſcilicet, quod quid aſſumitur ad hypoſtaticam vnionem, & hæc ipſis congruere poteſt ex ipſorum imperfectione, quoniam enim non habent hanc perfectionem, vt in ipſis ſuppoſitum ſit idem quod natura, vt vidimus præcedenti quæſtione, ideo eorum natura poteſt à diuina perſona hypoſtatice aſſumi, præueniente ſcilicet perſonalitatem propriam, quæ deberetur naturæ angelicæ, quod ſi ſuppoſitum eſſet idem quod eorum natura, non poſſent vllatenus in vnitatem perſonæ aſſumi, quoniam de neceſſitate aſſumenda eſſet hypoſtaſis cum natura, & ſic duæ eſſent hypoſtaſes, aſſumens, & aſſumpta, quod deſtruit aſſumptionem ad ſuppoſiti vnitatem. Hinc talis communicabilitas repugnat diuinis perſonis, nequit quippe vna perſona aſſumi ab alia, quoniam non poſſet aſſumi natura, quin & perſona aſſumeretur. De quacumque igitur communicabilitate loquatur propoſitio illa abſoluta, falſa eſt, quoniam de communicabilitate cum diuiſione eſſentiæ, fallit in diuina natura, & angelica, de communicabilitate abſque diuiſione eſſentiæ, fallit in omni quidditate creata; denique de communicabilitate per aſſumptionem ad vnionem hypoſticam, fallit in natura diuina, vnde nullus ex illa propoſitione inferri poteſt gradus, ſeu modus determinatus communicabilitatis, quare committitur fallacia conſequentis ex communicabilitate vt ſic, inferre communicabilitatem per modum ſpeciei ad indiuidua.

Eiuſdem argumenti ſolutio Theologalis.

Caietanus.

Falſitas propoſitionis.

Ad confirmationem dicitur, quod omnis quidditas poteſt intelligi ſub ratione vniuerſalis formaliter, & ex parte intellectus tantum, non autem ex parte rei, & fundamentaliter, quoniam licet omnis natura poſſit noſtro intellectui offerri vt communis, non tamen re ipſa inuenitur in pluribus, quod eſt, naturam illam eſſe vniuerſalem ex parte intellectus, non ex parte rei, vt copioſe viſum eſt quæſtione de vniuerſalibus. Neque turberis, quod eadem ſit natura ſpecifica, & indiuidualis in angelo, vnde videtur fieri conſequens, vt nequeat ſubiici intellectui vt natura, quin & ſubiiciatur vt hæc, ac proinde nullo modo poſſit eſſe vniuerſalis, quoniam noſtro intellectui præſentatur vt talis res, & natura, non autem vt hæc, quoniam non offertur ſecundum eſſe, quod à parte rei in ſe habet, ſed rerum compoſitarum more, in quibus differt natura ab indiuiduo; ita dicitur quidditas intelligentiarum vniuerſalis, vt obiecta tantum intellectui, atque ideo de pluribus prædicabilis, non niſi vt obiecta, & eodem modo dicitur eſſe ſpecies, vt ſcilicet nobis obiicitur, non autem vt de pluribus ſibi inferioribus dicatur. Et definitio Porphyrij de ſpecie per actum prædicandi, vel accipiatur de ſpecie vt obiecta intellectui, vel dicatur non eſſe vniuerſalis ſpeciei definitio, ſed aliquam ſpeciem comitari, eſt autem eſſenliale omni ſpeciei poni ſub aſſignato genere; vt de eadem ſpecie ante a immediate idem Porphirius dixerat, ſic ſentit motiva Alenſis, &c.

Quomodo omnis quidditas poſſit intelligi ſub ratione vniuerſalis.

Quomodo intelligentiarũ quidditas vniuerſalis.

Quid omni ſpeciei eſſentiale.

Circa inductū D. Baſilij teſtimonium contemplatio.

Ad ſecundum ex variis ſanctorum Patrum teſtimoniis depromptum, patuit quintuplex modus reſpondendi art. ſuperiori; Obſerua tamen, locum illum ex D. Baſilio ad Eunomium ſatis difficilè eſſe, & à viro perdocto ipſum exaggerari audiui, nam certe tres vltimi modi dicendi à me adducti non videntur ei poſſe accommodari, vt facile patet diſcurrenti, quare vel duo priores erunt acceptandi, vel dicere oportebit, ad hominem fuiſſe D. Baſilium locutum, quoniam forte Eunomius credebat plures angelos eſſe in eadem ſpecie; Aduerte tamen, quod ſicut ſi acceptentur tres illi modi dicendi, conſequitur, Spiritum ſanctum vel eſſe ſpeciei ſubalternæ tantum cum Patre, & Filio, vel eiuſdem ſolum naturæ intellectualis genericæ, &c. quæ impia ſunt, cum ſit eiuſdem numero naturæ cum ipſis, ita etiam minime fauet aduerſariis hæc Baſilij authoritas, quoniam ſequeretur Spiritum ſanctum numero differre à Patre, & à Filio, nam & angeli qui eſſent in eadem ſpecie, numero ab inuicem diſcriminarentur, quare nihil ex hoc teſtimonio poteſt elici, quod aduerſariis vel vt minimum ſuffragetur.

Caietanus.

Ad art. Pariſienſes nolo aliter reſpondere, quoniam & Caiet. hoc loco, & Capreolus, & Ferrarienſis vbi ſupra eos interpretantur, & oſtendunt reuocatos, ſi in aliquo doctrinæ Auctoris obſtent, & temeritatis nota arguit Caiet. eos, qui contra eiuſdem Auctoris doctrinam moliuntur, & Aegidius etiam his art. occurrit, negans illos eſſe contra hanc D. Tho. poſitionem; Quod ſi horum grauiſſimorum ſolutiones eis non ſatiſſaciant, illas arguant, & tunc reſpondebitur; Interim ſe leuibus argumentis duci declarant, dum rationes iam multiplici via confutatas aſſumunt, &c.

Quam perfectionem intra ſuam naturam cōtineat quiuis angelus.

Ad tertium negatur minor, ad probationem dicitur, quod perſonalitas non eſt cōſtitutiua naturæ angelicæ in eſſe huius naturæ, immo differt perſona ab hac natura, vt præcedens quæſtio late docuit, neque perſonalitas eſt de ratione naturæ preſſe loquendo, immo ratio huius diſtinguitur contra rationem illius; Dicimus autem naturam ſpeciei huius angelicæ complecti perfectionem omnem intra ſuam naturam, perfectionem inquam naturalem, nō perſonalem, ſumendo ſemper naturam in rigore, in ratione puræ quidditatis, &c. vnde nequit adeſſe alius gradus intra naturam vt ſic, qui eius ſit conſtitutiuus, & dum confugitur ad perſonalitatem, iam eximus terminos naturæ vt ſic, de qua eſt ſermo, In cuius rei ſignum, ſi natura angelica aſſumeretur hypoſtatice ab aliqua diuina perſona, (vt argumentum proſequamur,) profecto eſſet hæc, indiuidua, & ſingularis, cum tamen propria perſonalitate eſſet deſtituta, nihil igitur facit perſonalitas ad naturæ, & huius naturæ vt ſic conſtitutionem.

Deceptio argumenti.

Ad quartum, & quintum reſpondetur ex doctrina tertij art. in ſecundo notabili, vbi dicebatur, ita ſpecies angelicas eſſe ſpecies, vt tamen ſint vere indiuidua, vnde poſſunt concipi vt naturæ vniuerſales, modo explicato ad confirmationem primi argumenti. Et quando dicitur, quod plura eiuſmodi indiuidua, & incommunicabilia, qualia ponimus ſpecies intelligentiarum, poſſunt contineri, vel de facto continentur ſub eadem ſpecie infima, hoc probandum eſt; ſed falluntur qui ſic arguunt, quoniam non aduertunt, nos ita ponere angelos numero ab inuicem differre, quod etiam differant ſpecie, vnde non valet, differunt numero, ergo tantum numero, aliàs colligeretur, angelum differre ſolum numero à me, & à lapide; Cum itaque differant nedum numero, ſed & ſpecie, ruunt argumenta, pugnat enim vt plura differentia ſpecie contineantur ſub eadem infima ſpecie.

Ad ſextum

Ad ſextum iam patuit ex omnibus ferè, quæ allata fuerunt, falſam eſſe minorem, cum autem dicitur, negationem non poſſe eſſe cauſam alicuius poſitiui, ex quarta obſeruatione circa tertium articulum patuit, quid nomine carentiæ, ſiue negationis materiæ ab angelis intelligamus; Quando addebatur, materiam eſſe principium indiuiduationis in materialibus, veriſſimum eſt, ſed nihil ponderis habet, quod ſubditur, quoniam denique oportet aſſignare aliquod conſtitutiuum in angelis, & diſtinctiuum, cum autem id nequeat tribui materiæ, ſola forma manet, à qua nequit ſola numerica diſtinctio proficiſci; Et cum dicitur, quod pari ratione non adeſſet conſtitutiuum in angelis, iam ſublatum eſt ex doctrina, quæ habita eſt ad finem tertij notabilis, &c.

Ad vltimum deſumptum ex auctoritate Caiet. immo Capreoli, immo Auctoris, dic ex nobili eiuſdem Caiet. doctrina ſuper art.6.quæſt. 41. p.p. quod vtique forma ſpecifica non multiplicatur, niſi ſecundum materiam, hoc eſt, ſecundum receptiuum, adeo quod ſi ſit forma receptibilis; multiplicatur ad multiplicationem receptiuorum, vel actu, vel potentia, ſin vero ſit irreceptibilis, eo ipſo eſt non multiplicabilis; Quare multiplicatur lumen gloriæ in beatis hominibus multiplicatione numerali intra eandem ſpeciem, & ſimiliter charitas, quoniam recipiuntur de facto in variis intellectibus, in quibus tamen locum non habet materia, at ſi irreceptibile eſſet lumen gloriæ, iam non multiplicaretur; Sic itaque cum angelica eſſentia ſit irreceptibilis, non poteſt multiplicari, eſſe vero angelicum recipitur quidem in propria eſſentia, vt dicitur in argumento, ſed hoc non eſt ad propoſitum, vbi de forma, natura, & eſſentia eſt ſermo, & præterea eſſe illud recipitur in eſſentiis, quæ differunt ſpecie, &c. Caietanus.

Potes etiam ſi libet dicere ex Capreoli doctrina, loco inter arguendum memorato, quod forma ſubſtantialis non multiplicatur infra eandem ſpeciem numero, niſi merito materiæ ſignatæ, quæ autem inſinuata fuerunt, non ſunt formæ ſubſtantiales, & vera etiam eſt hæc reſponſio, ſed prior magis vniuerſalis. Capreol.

Inſpice igitur irreceptibilitatem eſſentiæ, ac naturæ angelicæ, & ex eo collige, non eſſe intra eandem infimam ſpeciem, vel multiplicatam, vel multiplicabilem, neque phyſice, neque theologice, ſaltem de potentia Dei vſitata, quid enim in ordine ad eiuſdem abſolutam potentiam dici aut poſſit, aut debeat, duæ poſtremo loco poſitæ concluſiones declararunt.

QVAESTIO QVINTA.

Num Philoſophi ſenſerint, quod Intelligentiæ acceperint eſſe à prima Cauſa.

CIRCA ſeptimam partem, in qua dicebatur, & probabatur, intelligentias habere eſſe ab alio, & hoc aliud oſtendebatur eſſe primum ens, & cauſa prima, eſt quæſtio grauiſſima, quam & Caiet verſat, vtrum videlicet ſubſtantiæ abſtractæ fuerint à prima intelligentia productæ, & acceperint eſſe, quæ difficultas vt terminetur, quattuor erunt facienda, nam primo eius ſenſus dilucidabitur, & ſimul varia ſapientiſſimorum placita cum ratio-

rationibus ſuis adſerentur, ſecundo quid pro veritate iudicem tenendum, triplici concluſione manifeſtabo, tertio eaſdem concluſiones declarabo, poſtremo quæ obſtabunt factæ determinationi reiiciam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Senſum quæſiti, & varias ſententias, cum earum fundamentis.

Genera cauſarum. Ariſtotel. OBſerua facile, quod cum quattuor ſint genera cauſarum, vt pluries ex Ariſtotele allegaui, materialis videlicet, formalis, effectrix, & finalis, quarum functiones habes, & ſecundo Phyſ. 28. & 29. & primo Diuinorum, cap. 4. & 5. eorundem 2. & alibi, nunc non eſt quæſtio de dependentia intelligẽtiarum à prima cauſa in genere cauſæ vel materialis, vel formalis, hæ namque ſunt cauſæ intrinſecæ, componentes cum his, quorum ſunt cauſæ, atque partes eorundem, quæ omnia imperfectionem admiſcent, ac proinde clare nimis à Deo remouentur, vnde relinquitur, Deum poſſe eſſe ipſarum cauſam vel finalem, vel efficientem; Sed rurſus ſcias, nos in hac difficultate non indagare de cauſa finali, quoniam velut conſentiunt omnes, Deum non Quid omnibus certum. eſſe cauſam vel materialem, vel formalem, ita conueniunt, quod ſit finalis omnium cauſa, & intelligentiarum quoque, ſic enim clare habebat Ariſtoteles Ariſtotel. duodecimo Diuinorum 36. & 37. primum mouens mouere vt amatum, & deſideratum, & ſic ibidem aſſerunt expoſitores omnes, vt Aphrodiſæus, Themiſtius in ſua pharaphraſi, Auerroes, Albertus, Auctor, &c. Quare nemi- Expoſitores uarij. nem vidi, qui hoc ad aures Ariſtotelis, & Auerrois negarit, immo vero non paucæ vtriuſque authoritates, quibus videntur edocere, Deum eſſe omnium cauſam, explicantur à multis de cauſalitate ſolum finali, vnde cenſent omnes ad aures horum philoſophorum, primam intelligentiam mouere alias vt finem, non autem ſentiunt omnes, quod vel eas effectrice, vel produxerit in eſſe, &c. Quapropter quæſtio eſt de cauſa ſolum effectiue, ſic enim legimus in hac litera, omnes alias intelligentias habere eſſe à prima.

Aduerte quinetiam, quod quærere, num intelligentiæ ſint à Deo productæ, idem eſt ac quærere, num detur creatio, quoniam ſi ſint productæ, conſtat eas non potuiſſe produci ex materia, hac enim omnes carent, quare producentur ex nullo præſuppoſito, quæ ſane productio idem eſt, quod creatio; Cum au- Veritas Fidei. tem ſit Fidei certiſſima aſſertio, omnia alia à Deo ex nihilo ab eodem Deo fuiſſe creata, & poſt non eſſe obtinuiſſe vt eſſent merito creationis, vt docet Au- D.Thom. ctor p.p. q. 44. & deinde, & ſecundo contra Gent. à cap. 15. vſque ad 21. & 2. ſent. per aliquas diſtinctiones in principio vnà cum Magiſtro, & reliquis Scholaſticis, non eſt cur de hoc quis dubitare poſſit. Et iam rationes omnes, quæ à variis philoſophis adduci ſolent, vt creationem tollant, & à D. Tho. & Pererius. ab aliis abunde, & eleganter confutatæ ſunt, & nouiſſime Benedictus Pererius libro ſuo vltimo de Principiis rerum naturalium ferè per totum, argumenta Ariſtotelis, Procli Platonici, Auerrois, & alia multa, (adeo vt 76. numerum attingant,) diſſoluit; Quocirca non theologice, ſed philoſophice dumtaxat hoc in præſenti examinamus, quid nimirum in hoc ſenſerit Ariſtoteles, & Caietanus. Auer. Et quamuis Caiet. hoc loco Commentatoris ſolum mentem diſcutiat, illud arbitratus, vt in hoc mens eius ſit illa quoque Ariſtotelis, quoniam fortaſſis

taſſis ipſo ſcribente hoc quæſitum in Academia Patauina omnes id concedebant, vt apparet elici ex eius verbis in præſenti, quoniam tamen cenſent nonnulli, Ariſtotelem voluiſſe intelligentias eſſe à prima effectiue, id autem non placuiſſe Auerroi, alij vero vtrumque philoſophum creationem negaſſe, ideo vtriuſque ſententiam inquiremus, ac definiemus; Et quoniam aliqui inter recentiores Platonem etiam in hoc negotio recenſent; iccirco & de huius ſententia non nihil perbreui, & prope obiter dicemus. Erit itaque quæſtio, num ad mentem Platonis, ſed præcipue Auerr. & Ariſtotelis intelligentiæ pendeat à prima in genere cauſæ efficientis, & ſic detur ne creatio iuxta horum philoſophorum ſententiam.

His præmiſſis, adeſt primo loco vulgatum illud proloquium omnium philoſophorum ante Ariſtotelem, qui eodem primo Phyſ. 33. referente dicebant, ex nihilo nihil fieri, cui adagio & ipſe Ariſtoteles ſe ſubſcripſit eodem libro, tex. 75. & Auer. vtrobique, & ibidem 43. ait, omne fieri ex ſuo contrario, (quod in omnibus quæ gignuntur, & in anima quoque noſtra verũ eſſe cõtendit Plato in Phedone longo diſcurſu ex perſona Socratis,) & ſeptimo Diuinor. 22. clare docet omnia fieri ex aliquo, quod & repetiit 12. eorundem, tex. 12. non igitur datur creatio, neque intelligentiæ ſunt à prima productæ, & ex proxime dictis vtraque hæc illatio eſt perſpicua. *Axioma Philoſophorum.* *Plato.*

Secundo, Non mediocriter laborauit Ariſtoteles, vt oſtenderet æternitatem motus, & temporis, & primæ materiæ, quod ſi æterna hæc ſunt, & ſemper fuerunt, non igitur ab alio acceperunt eſſe, multo itaque minus intelligentiæ, nam & hæ pari modo ſtatuuntur ab ipſo æternæ, & numquam fuit motus ſine mouentibus, cuiuſmodi erant intelligentiæ; Et profecto nobiliſſima pars philoſophiæ Ariſtotelis in qua agit de abſtractis, vt octauo Phyſ. & duodecimo Diuinorum pendet omnino ex enumeratorum æternitate; Cuius rei argumento ſit, quod vtrobique primum motorem venatus, atque ſubſtantias æternas, præmiſit æternitatem motus, & temporis, vt eſt videre octauo illo libro, à tex. 10. vſque ad 14. & 12. illo, tex. 29. Materiæ quoque primæ æternitatem ita vt neque incœperit, neque finem ſit habitura, ſuadet tibi 82. primi Phyſic. Quare ex his omnibus cernis apud ipſum neque dari creationem, neque intelligentias productas eſſe à prima cauſa; Et quod de Ariſtotele dixi, dicas & de Auer. nam eiſdem locis eadem ſcribit, quæ Ariſtoteles, &c. *Ariſtotel.*

Tertio, Definit Ariſtoteles quinto Diuinorum 17. potentiam actiuam per paſſiuam, & per eſſe principium tranſmutandi, ſimiliter primo de Generatione 45. ait, omne quod agit, agere per motum, & vbique cauſam efficientem definiens, eam in hoc quod eſt eſſe principium motus nobis patefacit, conſtat autẽ intelligentias non poſſe produci à cauſa actiua per tranſmutationem, neque per motum, liquet ſimiliter, creationem admittere quidem agens & potentiam actiuam, non autem patiens, vel potentiam paſſiuam, quare &c. Confirmatur, quoniam nullibi Ariſtoteles meminit huius vocis *creatio*, & tamen ſi entia adeo nobilia merito creationis fuiſſent eſſe ſortita; non erat vox iſta tacenda.

Quarto, Implicatio apparet, vt aliquid ſit ſimpliciter, ac formaliter neceſſarium, & vt habeat cauſam effectiuam, nam ratione primi, non poteſt non eſſe, vel aliter ſe habere, ſic enim 5. Diuinor. 6. definitur ab Ariſtotele neceſſarium, ratione ſecundi poteſt non eſſe, nam poteſt ſubtrahi cauſalitas efficientis, & ſic non eſſet illud quod ab eo pendet, ſubſumas autem, quod ex do-

ctrina Ariſtotelis, & omnium prope philoſophorum, intelligentiæ ſunt omnino neceſſariæ,& incorruptibiles, vt patet nono Diuinorum 17. & 22. & 12. eorundem 41. & 43. igitur nequeunt habere cauſam efficientem.

Auerrois loca. Quinto ſpecialiter de Auerroe id probatur, nam quarto Cœli com. primo, aperte dicit, res æternas non habere agens, niſi ſecundum ſimilitudinem, neque habere ex quattuor cauſis, niſi formalē, & finalem, & ſi habuerint aliquid quaſi agens, non erit niſi quatenus eſt forma illi, & conſeruans ipſum, ſimiliter vltimis verbis com. 6. ſuper quintum Diuinorum ait, quod ſi quæ fuerint entia ſimplicia, & æterna, & immobilia, nullum eorum acquiret eſſe neceſſarium ab aliquo alio, & 4. com. octaui Phyſ. manifeſte impugnat creationem, aſſignans, ac ſimul deſtruens duplicem cauſam, ob quam Saraceni, (ſic loquitur impius homo,) moti ſunt ad ponendam creationem, vt facile eſt in ipſo intueri; Vnde, & Auctor eodem loco Auerrois mentem adfert, & elidit, quare de mente Auctoris non apparet quis poſſe tribuere Auer. vt admiſerit creationem; Quo factum fuit, vt Iauellus quæſt. 5. ad duodecimum Diuinorum dixerit, verum thomiſtam id ſentire debere, vt Auerroes creationem nullo modo admiſerit, &c.

Iauellus.

Plato. Sexto, & vltimo quod ad Platonem attinet, ipſe in Timæo poſt multa, quæ de cognitione, & natura materiæ luculenter pronunciauit, colligens quod ſibi conſilium eſt ait: *Hæc tandem mea mentis ſummatim ſententia ſit, eſſe, & ante cœli ortum ratione triplici fuiſſe tria hæc, exiſtens, locum, & generationem*, ex quibus verbis apparet, ipſum poſuiſſe materiam præcipue ſemper fuiſſe, & ſuperius poſt numina inuocata, poſt excuſationem rationum, quas in hoc negotio erat allaturus dicebat, quod in effectione mundi prima cauſa, & rerum auctor quicquid videri poſſet aſſumpſit, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem, & ſubdit cauſam, inquiens, quod hoc præſtantius eſse iudicabat, quare videtur velle Deum res non ſimpliciter produxiſſe ex nihilo, ſed quæ ſemper inordinata fuerint, poſtea in ordinem redegiſſe, &c.

Propter hæc, & alia id genus argumenta, quæ in magno numero adduci ſolent, celebres authores, & theologi, & philoſophi, ſibi ſuaſum habuerunt, intelligentias non habere eſſe effectiue à primo ente, ideo non admittendam creationem de mente vel Ariſtotelis, vel Commentatoris; Ita inter theologos Henricus de Gandauo quolibeto octauo q. 9. & Ioannes Bacchonius, & Gregorius de Arimino ſecundo ſent. diſt. prima, quæſt. prima, quos nunc ſecutus videtur Daniel Malonius ad eandem diſtinctionem diſputatione ſecunda, quo ad Ariſtotelem loquendo, cui adnectit & Platonem, Auerroe non expreſſo. Inter philoſophos Ioannes Iandunus ſecundo Diuinorum, quæſt. 5. Achillinus quolibeto ſecundo, dubio primo, & alij recentiores idem docent, & quo ad Ariſtotelem Themiſtius iampridem idipſum ſcripſit ad 6. octaui Phyſicorum. Alij vero concedunt iuxta Ariſtotelem, intelligentias effectiue à Deo productas, ſed illud iuxta Auerroem negant, inter quos præcipuus dignoſcitur Iauellus quæſtione 5. & 28. ad duodecimum Diuinorum.

Henricus. Bacchonit. Ariminen. Daniel Malonius. Iandunus. Achillin. Themiſt. Iauellus.

Aquarius. Alij vero eum in hoc varium, ac dubium dicunt, ceu Aquarius dilucidatione 4. ſecundi eorundem, & in additionibus ad quæſtionem quintam 8. Phyſic. Franciſci Ferrarien. quem proinde ſibi non conſtare perhibet, quod & Iauellus q. illa 28. dixerat, id tamen addendo, quod potius in partem negantem declinare videatur. In explicanda autem mente Platonis tripartiti videntur.

eius interpretes, quo ad mundi præſertim productionem, nam vt tradit Marſ. Ficinus cap. 14. cōmentarij ad Timęū, & Aquarius diluc. illa 4 & Pererius lib. 5. de rerum principiis, cap. 7. alij voluerunt de eius ſententia materiā aliquando ex nihilo à Deo creatā, & ſimul eodem tempore formatam, alij cenſuerunt Deum materiam non aliquando nouam produxiſſe, ſed ab æterno, & ſimiliter ornaſſe, quamuis fingatur prius inornata, quam ornata, aliis demum placuit, materiam quidem ſemper à Deo fuiſſe, vt dicebant ſecundo loco recenſiti, ſed non continue ordinari, at temporis ſucceſſu ordinatam fuiſſe. Et quoniam denique ad aures Platonis vel dicitur ſempiternus mundus, vel negatur, ideo referente eodem Ficino cap. immediate præcedenti, Seuerus, Atticus, & Plutarchus dicunt non ſemper fuiſſe mundum, Plotinus autem, Proculus, Iamblicus, Crantor, Porphirius, & alij plerique, ſemper à Deo mundum fuiſſe, atque fluxiſſe volunt, in quorum claſſe adeſt Simplicius 8. Phyſ. ad tex. 10. & oblonga illa digreſſione contra Ioannem Grammaticum circa tex. ibi 11. & com. 100. primi de Cœlo, &c. Ficinus. Aquarius. Pererius. Varij Platonis aſſeclæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid iuxta hos Philoſophos ſit dicendum.

VT à certioribus, vtpote nobis magis peruiis initium natura duce ſumamus, ſit prima concluſio: Plato voluit, intelligentias habuiſſe eſſe effectiue à prima cauſa, & ſubinde poſuit creationem. Et certe, quod Plato poſuerit mundum genitum, & factum, nemini prudenter dubitare licet, nam clare in Timæo dum probat numina inuocari debere, ait ſe diſputaturum de vniuerſo, ſit ne genitum, an ingenitum, & paulo inferius id primo in quæſtionem vocandum ait, vtrum mundus ſemper fuerit ſine vllo generationis principio, an genitus ſit, ab aliquo principio exordium ſumens, & non multis interiectis rem aggreſſurus inquit; Dicamus igitur, quam ob cauſam ille rerum Auctor generationem, & hoc vniuerſum conſtituit, ac denique toto illo libro videbis Platonem dicentem, Deum vel genuiſſe, vel creaſſe mundum, & ſimiliter vniuerſum eſſe vel ortum vel genitum, vel creatum à primo ente, & potiſſimum tempus genitum ſtatuit, quod pulchre vocat æternam quandam imaginem in numero fluentem æternitatis, quæ in vnitate manet; Multa quoque de intelligentiarum productione, quas vel Deos, vel aſtra vocat profert, quippe quæ à Deo effecta eſſe docet, cumque non ex materia vt patet, relinquitur quod ex ſui nihilo, atque ideo per creationem; Sic & Ariſt. loquens de ipſo 8. Phyſ. tex. illo 10. ait, quod Plato ſolus generat tempus, & inquit ipſum ſimul cum cœlo factum &c. Num vero ita factū ponat cœlum, vt habuerit ſuæ durationis initium, vel tantum ſui eſſe, variam diximus circumferri Platonicorum opinionem, eius tamen verba referre videntur, quod loquatur de initio durationis, vt ad tex. illum 10. ſcribit D. Thom. quo tamen auctore, Platonici volunt ipſorum Magiſtrum intellexiſſe tantum de initio ſui eſſe, & ex conſequenti, quod mundus ſemper extiterit, &c. Prima concluſio. Mens Platonis. Ariſtot. D. Thom.

Quod ſi cupias vltra prædicta varios ſenſus ex variis Platonis ſectatoribus haurire, lege nouiſſime Pererium libro illo vltimo, toto cap. 5. vbi ſatis immoratur in pleriſque ſententiis in hoc referendis, & examinandis. Illud certum apud omnes fuerit, rerum vniuerſitatem ex Platonis ſententia & in Timęo, & prope fine finem libri de Ente initium à Deo habuiſſe, & Deum mundi fuiſſe effectorem, atque creatorem, num vero ita produxerit ipſum, vt prius non eſſet, vel ab æterno, in hoc non eſt vt ſimus anxij, nam neque Ariſtoteles, vt mox videbimus, voluit mundum poſt non eſſe habuiſſe eſſe, ſed æternum poſuit, & præterea non eſt noſtra quæſtio de productione, ſeu æternitate mundi, ſed de intelligentiarum à prima cauſa dependentia, quas iam à Deo effectiue emanaſſe habuimus, vel emanatio illa fuerit ſempiterna, vel in tempore.

Pererius.

Diluitur obiectio.

Neque animo forſan voluas, voluiſſe fortaſſe Platonem intelligentias fuiſſe corporeas, (de quo prima quæſtione ad hoc caput dictum fuit,) ac ſubinde non fuiſſe illas de nihilo productas, nam quicquid de eo fuerit, numquam habebis eas fuiſſe de materia, tamquam ex ſubiecto productas, vnde licet materiam ſui partem includerent, numquam tamen ſomniauerit Plato, eas materiam habuiſſe tamquam ſubiectum ex quo fierent, quare adhuc ratio creationis non ſolueretur, &c.

Concluſio ſecunda.

Alb. magn.
D. Thom.
Scotus.
Capreolus
Caietanus.
Soncinas.
Zimara.
Iauellus.
Aquarius.
Bannes.
Gregor. de Valentia.
Molina.

Sit ſecunda concluſio: De mente Ariſtotelis intelligentiæ pendent à Deo effectiue, & proinde cognouit Ariſtoteles creationem. Hæc concluſio eſt Alberti magni vndecimo Diuinorum, tractatu 2. cap. 20. Auctoris octauo Phyſ. lectione ſecunda, & ſecundo Diuinorum 4. & p.p. q. 44. art. primo in corpore, & ad ſecundum, Scoti quolibeto ſeptimo, non longe ante finem, Capreoli in primo, diſt. 3. quæſt. prima contra Aureolum, & diſt. 43. art. primo circa ſextam concluſionem aduerſus eundem auctorem, Caiet. hoc loco, & prima parte vbi ſupra, Soncinatis duodecimo Diuinorum 9. 15. & 16. Zimaræ vltima ſua annotatione ad quæſtiones Ianduni ſuper duodecimũ Diuinorum, Iauelli, & Aquarij locis ſupra memoratis, & Banneſij, ac Gregorij de Valentia p.p. quæſt. & art. allegato, ac denique Ludouici Molinæ ibidem, & quæſt. 19. art. quarto, diſputatione 2. & quæſt. 45. art. 2.

Adſunt quippe clara Ariſt. teſtimonia, quibus docet, omnia entia, & ea quoque quæ neceſſaria ſunt habere cauſam ſui eſſe, vt patet ex 2. Diuin. 4. vbi vult id quod maxime eſt ens, eſſe cauſam reliquorũ entium, applica Deo, quẽ nullus negabit ad aures Ariſtotelis eſſe primum, ac ſummum ens, & conclude, eſſe cauſam omnium entium; Cumque de iis quæ poſſunt eſſe, & non eſſe nullus dubitet, quod habeant cauſam ſui eſſe, ſed difficultas videatur uerſari in entibus neceſſariis, attamen & hæc habere cauſam fatetur idem Philoſophus & 8. Phyſic. 15. tractans de principio motus æterni contra Democritum, & 5. Diuinorum 6. agens de neceſſario, inquit æterna ac neceſſaria habere cauſam ſuæ neceſſitatis; Scio reſponſa aduerſariorum, ſed iam confutata ſunt & à Caiet prima par. vbi ſupra, & fuſius a Iauello quæſt. illa 28. & à Soncinate quæſt. illa 16. quocirca nihil neceſſe habeo vt in hoc tempus conteram.

Vide Ariſt. ſecundo Diuinorum 6. probantem in cauſis efficientibus non eſſe in infinitum progrediendum, oportet igitur, vt ad aliquam cauſam effectricem deueniamus, à qua cuncta emanauerint, (quæ eſt ratio inſinuata in hac parte ab Auctore,) ſic & cum in principio ſeptimi Phyſ. pronunciaſſet, omne quod mouetur ab alio moueri, & hoc principium proſequens, & libro illo,

& octauo

& octauo qui ſequitur probet, ad vnum mouens immobile deuenire oportere, præcipue cap. 7. & 8. eiuſdem octaui, quid aliud vult, niſi oſtendere dari ens vnum, ac primum, a quo cætera omnia entia pendeant? ſic 38. duodecimi Diuinorum colligit, à primo principio, & cœlum, & naturam dependere.

Neque valet dicere, quod dependeant in ratione finis, non autem in ratione cauſæ efficientis, cur enim potius hæc, quam illa dependentia teſtimonijs Ariſtotelis accommodatur? & præterea primo Cœli 100. habet, à primo ente communicatum eſſe omnibus, diuerſimode tamen, conſtat autem, quod dare eſſe, eſt cauſæ efficientis; Rurſus videbimus de mente Auerr. ſequenti concluſione, quod ſi quid fuerit finis in abſtractis à materia, eſt quoque agens, vnde cum ab omnibus cõcedatur primum ens ex Ariſtotelis doctrina eſſe cauſam in ratione finis, habebitur & in ratione quoque efficientis cauſam eſſe. Vlterius docet idem Philoſophus duodecimo Diuinorum 52. omnia quæ ſunt in vniuerſo ordinari ad primum ens, tamquam ad bonum ipſius vniuerſi ſeparatũ, ut non haberent hunc ordinem eſſentialem ad ipſum, niſi ab eo vere acciperent eſſe, ergo &c. probatur minor, non enim repugnat vt aliquid ſit ſine ſua cauſa, quare ſi prima intelligentia non ſit cauſa reliquarum, omnia poterunt eſſe abſque ipſa, & ita nullo modo ab ea eſſentialiter penderent, quod eſt contra Ariſtotelem, & quoſdam ex ipſis; Siquidem Achillinus dum loco memorato nititur reſpondere ad tertium, quod contra ſe mouet argumentum habet, quod remoto primo, omnia deſtruuntur, & adfert verba ex Ariſtotele primo de Cœlo iam allata, & duodecimo Diuinorum 38. vnde concedit, omnia à primo ente tamquam à fine dependere, at niſi forent ab ipſo cauſata, iam vidimus, quod eorum ab ipſo dependentia minime eſſet eſſentialis; Et quidem ægre valde, immo nulla via poſſet verum reddi de prima Intelligentia, quod ſit primum ens, quod omnia ab ipſa dependeant, quod ſit omnium intelligentiarum princeps, quod moueant iſtæ orbes ſuos, vt illi aſſimilentur, & his ſimilia, quæ manifeſte de prima cauſa aſſeruit Ariſtoteles, niſi ab ipſa omnia vſque adeo in eſſe penderent, vt illud ab ea acceperint. At in via Ariſtotelis omnis vel ipſis proteruis auferetur dubitatio, ſi ipſe legatur libro de Mundo ad Alexandrum, toto capite ſeptimo, vbi de prima rerum cauſa non ieiunum ſermonem habet, dicens in principio veterem eſſe locutionem, & à maioribus profectam inter omnes homines, vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata, & mox vocat Deum cunctorum conſeruatorem, ac genitorem, cuius deinceps principatum ſuper omnia exemplo regis Perſarum aperit, & proſequitur, deinde vocat magiſtrum chori melodiæ, quam reſonant ſydera, & planetæ, dum in orbem mouentur, & poſt multa colligit, quæ omnia in aere fiũt, quæ in terra, quæ in aqua, ea vere eſſe opera Dei, ad quod & metrum Empedoclis adſert, ac demum cap. illo toto mira de Deo profert ad hoc propoſitum, quæ nullam admittunt interpretationem, qua non fatendum ſit, omnia pendere à Deo, nedum tamquã à cauſa mouente, & conſeruante, ſed & vere efficiente. Et denique cum ratio potiſſima, ob quam aliqui ex Ariſtotelis ſententia aſſeuerent intelligentias à Deo eſſe non recepiſſe, ea ſit, quam nos quarto argumento adduximus, cum ar. ſequenti manifeſtatum fuerit, quomodo cum abſtractorum æternitate optime cohæreat eorundem à primo ente dependentia, nihil erit, quod nos hac in re vel minimum queat perturbare, immo vero neque ipſi ab hac difficultate liberarentur, nam concedentes eorum dependentiã eſſentialem à Deo, tamquam à fine, ſi ex impoſſibili ceſſaret finis, ceſſarent & ipſa

Soluitur quædam obiectio.

Achillin.

Nonnulla de prima Cauſa ab Ariſtotele prolata.

Potiſſimũ aduerſariorũ fundamentum.

ipſa. Verum quoniam mentem Auerr. eandem, quam Ariſtotelis in hoc cenſemus extitiſſe, ſubnectetur iam tertia concluſio, in qua mens vtriuſque cumulatiſſime omnium oculis ſubijcietur.

Concluſio tertia.

Sic itaque tertia concluſio: Intelligentiæ aliæ à prima pendent effectiue ab ipſa iuxta Auerroem, ac proinde apud ipſum datur creatio. Hanc concluſionē omnes illi docent, quos ad præcedentem concluſionem recenſui, ſi primo excipias Iauellum, Aquarium, & Bannes, quis quid de Auerr. iudicauerint, ad finem præcedentis articuli retuli, ſi deinde dicas Auctorem nihil in hoc enunciaſſe, ceu nihil enunciarūt Valentia, & Molina, Magnus vero Albertus loco nominato peripateticos nominat, inter quos rationabile eſt Auerr. connumerari.

Mens Auerrois.

Probatur cōcluſio, quoniam clare Auerr. duodecimo Diuinorū 44. nedum ponit intelligētias habere eſſe à prima, ſed & modū huius productionis docet, quē & apud ipſum ibi, & apud Caiet. hoc loco facile habes; ſiquidē nō impugnat ibi Auicennam, cur ponat intelligentias productas à prima, ſed modum quem ille allegabat; Duo quippe dicebat Auicen. nono ſuæ Metaphyſicæ, cap. 4. alterū, quod intelligentiæ pendebant à prima, alterum, quod ita pendebant, vt ſola prima poſt primum ens eſſet ab illo cauſata, tertia deinde ab illa ſecunda, quarta, à tertia, & ſic de alijs, & innitebatur propoſitioni illi, qua dicitur, Ab vno non prouenire niſi vnum; Auerr. autem hoc ſecundo prolatum impugnat, non autem primum, nam expreſſe ait, quod in intelligentijs eſt cauſa, & cauſatum, (ecce primum, quod tradebat Auicennas,) ſecundum quod dicimus intellectū eſſe cauſam intelligentis, ex quo cauſandi modo confutat ſecundum Auicennæ dictum, ſubdit enim, quod cum ita ſit, non eſt impoſſibile, vt id quod eſt per ſe intelligentia, & intellectum ſit cauſa plurium entium, ſecundum quod ex eo intelliguntur multi modi, & pergit aperire modum conſentaneū ſatis productioni, quam ponunt theologi iuxta varias ideas in mente primæ cauſæ, tantum igitur abeſt, vt illo loco neget Auerr. emanationem intelligentiarum à prima, vt quidam dicunt, quod & productionem, & productionis modum aperte doceat.

Voluntas Auicennæ.

Difficultas.

Quod ſi dicatur adeſſe in intelligentijs cauſatum, & cauſam ſolum finalem, non autem efficientem, Mirum primo eſt, cur de illa, non hac cauſalitate explicetur locus ille, deinde idem Auerr. 36. ad eundem librum, dum propoſitionē illam modo celebrem declarat, qua dicitur, Forma balnei mouere ſecundum quod eſt in anima, inquit, quod in abſtractis ſi quid ſit principiū finale, eſt quoque principium efficiens, ait enim, quod ſi forma balnei non eſſet in materia, tunc moueret & ſecundum agens, & ſecundum finem, & ſubdit ſic eſſe intelligendum de mouentibus corpora cœleſtia, quoniam quatenus intellecta ſunt formæ eorum, ſunt mouentia ſecundum modum agentis, quatenus autem ſunt fines eorum, mouentur ab illis ſecundum deſiderium; vbi cernis Auerr. ponere duplicem cauſalitatem, & illam ſcilicet per modum efficientis; & illam per modum finis, & vt præclare habes hoc loco à Caiet. cum ex eo quod intelligentiæ ſint à materia ſeiunctæ, colligat Auerr. quod in ipſis mouet vt finis, mouere quoque vt agens, cum omnes à materia ſint ſecretæ, relinquitur, propoſitionem eſſe vniuerſalem, non autem indefinitam, vt ſcilicet omne illud quod in intelligentijs mouet vt finis, moueat etiam vt agens; cumque fateantur nobis aduerſantes finalem cauſalitatem primæ intelligentiæ in ordine ad alias, & effectricem ſubinde admittere tenentur.

Remouetur.

Caietanus.

Vide locum alium ex Auerr. communiter, & merito in hoc propoſito citatū,

nimirum

nimirum cap. 2. libri de Subſtantia orbis, vbi ait, ſciri debere, quod corpus cœleſte non indiget ſolum virtute mouente ſemper in loco, ſed virtute, quæ largiatur in ſe, & ſua ſubſtantia permanentiam æternam, & reddit cauſam ex eius finitate; Neque confugias ad cauſam finalem, quoniam ſi finalis, ergo & agens, ex doctrina eiuſdem Auerr. allegata, & præterea nonnullis interiectis ibidem ait, quod finis ſignificat agens ſignificatione neceſſaria, quæ verba valde obſeruanda ait in præſentia Caiet. & hanc Auerr. auctoritatem recenſuit Auctor lectione 21. octaui Phyſ. ad 79. Vide eundem Commentatorem octauo illo Phyſic. quaſi in fine 15. tex. dicentem, multa neceſſaria habere cauſas, & comm. 4. ſecundi Diuinorum ait, Ariſtotelem concludere, quod omnia entia non acquirunt eſſe, & veritatem, niſi ab iſta cauſa, quæ eſt ſempiternorum cauſa, videlicet ab ipſo Deo, quod teſtimonium apparet mihi manifeſtiſſimum, cum dicat, ſempiterna habere eſſe à Deo, tamquam à cauſa, lege eũdem in vltimis verbis tertij tractatus epithomes Metaphyſicæ, dicentem, quod omnia aſcendunt ad vnam cauſam, quæ eſt finis, & agens, & forma, quare in hoc teſtimonio nequit quis recurrere ad cauſalitatem ſolum finalem. Commento etiam 20. primi de Cœlo ſcribit, quod quamuis ibi dicat Ariſtoteles cœlum eſſe ingenerabile, tamen inquit eſſe non generabile ab aliquo, & non generabile ſimpliciter, quoniam diſcrimen eſt inter eos, qui dicunt cœlum eſſe creatum à prima cauſa, & dicentes ipſum eſſe primam cauſam, nam qui dicunt eſſe primam cauſam, opinantur quod non ſit generabile ſimpliciter, qui autem dicunt cauſatum à prima cauſa, cenſent non eſſe generabile ab aliquo, & ſubdit, quod nomen generationis vulgariter, (vt ſcilicet generabile ſit terminatum tempore) vult Ariſtoteles remouere à cœlo, ex quibus verbis vult Ariſtotelem non voluiſſe cœlum eſſe ingenerabile ſimpliciter, ſed ingenerabile, quatenus generationis nomen vulgariter accipitur, & arbitratur non eſſe generabile ab aliquo, (ait enim quod addidit ly *ab aliquo*) cumque ij qui cenſent, cœleſte corpus non eſſe generatum ab aliquo, dicant ex Auerr. ipſum à prima cauſa eſſe cauſatum, ſequitur, quod & Auerr. & Ariſtoteles, vt ille interpretatur ponant cœlum à prima cauſa cauſatum.

D.Thom.

Sed quamuis quæ ex Commentatore allegaui, ſufficientiſſima eſſe poſſint ad pateſaciendam eius mentem de cœli, ac intelligentiarum dependentia à Deo efficienter, adfero nihilominus vltimo loco auctoritatem eiuſdem adeo euidétem, vt nulla poſſit eſſe vel extorſio, vel tergiuerſatio; Adeas Commentatorem in libro, qui dicitur Deſtructio deſtructionum Algazelis, diſputatione tertia, in ſolutione 18. dubitationis, vbi oſtendens proportionem vniuerſi ad vnum animal, quomodo in potentijs motiuis, animalibus, & intellectualibus adſit illa diſpoſitio, vt in eis ſit potentia vna vitalis, qua copulentur ad inuicem omnes potentiæ ſpirituales, & corporales, & tranſeat in omnes vno tranſitu, ſubdit, quod niſi hoc eſſet, non eſſet hic ordo, & proportio, & ſecundum hoc (ait) verificatur ſermo, quod Deus creat omnia, & manutenet, & conſeruat, vt dicitur Verbo Dei facti ſunt cœli, & mox adnectit id quod docuerat comm. illo 44. duodecimi Diuinorum contra Auicennam, & tandem hæc verba erumpit, *Declaratum eſt apud eos, quod qui tribuit finem entibus ſeparatis à materia, eſt is, qui tribuit eſſe, quoniam forma, & finis ſunt idem in hac ſpecie entium. & qui tribuit finem his entibus, eſt is, qui tribuit formam, & qui tribuit formam, eſt agens, ergo qui tribuit finem his entibus, eſt agens, & ideo videtur, quod primum principium, ſit principium omnium iſtorum principiorum, in eo quod eſt agens, forma, & finis.*

Quid de generatione cœli velit Auerr.

Audi Auerroem.

Hæc

Hæc verba animaduertant illi, qui oppoſitam partem defenſant, & intueantur, an verum ſit apud Commentatorem, quod in abſtractis id quod eſt cauſa finalis, ſit etiam cauſa agens, vt dicebamus, videant, an nihilominus ipſi ſufficiens fuerit id dicere, an vero clare exprimere voluerit, Deum eſſe cauſam agentẽ, & finalem abſtractorum, mente denique luſtrent, an doceat huiuſcemodi abſtracta, quæ apud philoſophos præcipue cauſant hæc inferiora, & principia nominantur, habere nihilominus & ipſa principium, Deum videlicet immortalem, & tunc demum de neceſſitate colligant, ſe pugnantia dicere, dum ex Auerr. fatentur Deum cauſam finalem intelligentiarum, & negant eſſe cauſam efficientem, vnde vanum iudico in eorum ſententia euellenda nec punctum quidem temporis immorari.

ARTICVLVS TERTIVS.

Declarantur præcedentes concluſiones.

Quando quidpiam creetur.

CONuenit inter omnes, creationem eſſe productionem rei ex nihilo, adeo quod tunc dicitur aliquid creari, quando ita fit, vt nihil ſui omnino præfuerit, hinc cum Fides catholica doceat, omne ens aliud à Deo fuiſſe creatũ, ſequitur, vt nullum omnino ens præfuerit, ſicut enim in creatione alicuius rei particularis, nihil illius præſupponitur, ita in creatione vniuerſali nihil abſolutę, & ſimpliciter præſupponitur, ſic ly *ex nihilo* non ſumitur poſitiue, adeo vt nihil ſit materia creationis, pugnaret enim, vt nihil acciperetur poſitiue, ſed negatiue tenetur, hoc eſt, vt dixi nullo ſui præſuppoſito; Ita quando ad aures Ariſtotelis, & Commentatoris dicimus intelligentias fuiſſe creatas, id volumus, quod fuerint ex nihilo productæ, adeo vt nullo ſui præſuppoſito in eſſe prodierint, &c.

Famoſa apud philoſophos de creatione diſtinctio.

Verumtamen perpendẽ diligenter, quod aliquid creari ex nihilo, poteſt dupliciter intelligi, primo vt poſt non eſſe habeat eſſe, & prius duratione fuerit ſub non eſſe, & deinde tranſeat ad eſſe, quæ vocari conſueuit creatio cum nouitate eſſendi, & iure, quoniam hoc modo res quæ creatur, de nouo acquirit eſſe, quod prius non habebat; Secundo ita poteſt produci ex nihilo, vt ſolũ prius natura, dependentia, & cauſalitate, non autem tempore, vel duratione habuerit non eſſe, & merito creationis illud obtineat, quæ dicitur creatio ſine nouitate eſſendi, quoniam nullum extitit tempus, in quo res illa non habuerit eſſe, vnde non cœpit de nouo illud habere; Tunc dicimus, quod Ariſtoteles, & Auerr. dum ponunt intelligentias à Deo creatas, non intelligunt primo modo, quoniã apud ipſos ſemper fuerunt intelligentiæ, & ſunt entia omnino perpetua, vt eorum doctrina vbique clamat, & vt elicitur ex locis primo art. inter arguendum adductis, & nulla fuit duratio, in qua non fuerint, ſed volunt eas fuiſſe creatas in ſecundo ſenſu, quoniam ab æterno à prima cauſa emanarunt, & eſſe ab æterno acceperunt, & Deus natura ſolum, independentia, & cauſalitate eas anteceſſit, non tempore, non duratione, quoniam numquam fuerunt ſub non eſſe vt ita loquar, ſed pro quauis temporis differentia fuerunt ſub eſſe; Ita iuxta ipſos intelligentiæ non durationis, ſed creationis habuerunt initium, (ſi tamen vox hæc *initium* accommodari poſſit entibus, quæ non incœperint,) & ex

Quam creationẽ ponant Ariſtoteles, & Auerroes.

nihilo, hoc eſt, non ex aliquo, at non poſt nihilum ſunt productæ à primo ente, &c.

Nos etiam catholici licet dicamus omnia à Deo facta fuiſſe in tempore, & durationis initium accepiſſe, & nedum non ex aliquo, ſed & poſt nihilum effecta, attamen ab Auctore prima par. quæſt. 46. art. ſecundo, & ab vniuerſis eius diſcipulis edocti ſuſtinemus mundum potuiſſe eſſe ab æterno, & quamuis hæc quæſtio ſit theologis ſatis ardua, nihil tamen de ea in præſentia, cum præcipue argumenta omnia, quæ contra ipſum Auctorem fieri conſueuerint, ab antiquioribus, & recentioribus eiuſdem alumnis confracta penitus fuerint. Mens Thomiſtarum.

Vt autem vel id breuiſſime appareat, quod hi philoſophi docentes intelligentias à Deo productas, & ſimul ſemper fuiſſe, & theologi etiam, qui id poſſibile fuiſſe ſuſtinent, non doceant aliquid repugnans, conſidera ex Auctore ibidem, & opuſculo 27. cui titulus eſt de Aeternitate mundi, quod cauſa efficiens, quæ medio motu agit, neceſſario præcedit duratione effectum ſuum, nam effectus non eſt niſi in termino actionis, agens vero patet eſſe principium actionis, quæ cum ſit ſucceſſiua, (id enim eſt de ratione motus proprie accepti) conſtat dari inſtans, in quo ſit agens, & nondum ſit effectus, ſin autem ſit actio inſtantanea, nullam habens ſucceſſionem, non eſt neceſſe, vt faciens duratione præcedat factum, ceu videre eſt in illuminatione. Vide quattuor rationes alias in illo opuſculo, quas ad verbum refert Zimara annotatione illa, & collige cum eodem Auctore, quod quoniam homines conſueuerunt conſiderare actiones, quæ fiunt per motum, ideo non facile capiunt, quod cauſa aliqua agens non præcedat duratione ſuum effectum. Cum itaque creatio, qua Deus produxit intelligentias, & mundum nō ſit ſucceſſiua mutatio, ſed ſimplex emanatio, & actio inſtantanea, non implicat, vt ponatur Deus cauſa mundi, quem tamen non duratione, ſed natura dumtaxat præcedat, & omnibus peruium eſt exemplum illud à D. Auguſtino lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 31. quod ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in puluere, ſemper ſubeſſet veſtigium, quod nullus dubitaret factum fuiſſe à calcante, (quod exemplum habes apud Auctorem locis nominatis, & apud magnum Albertum vndecimo illo Diuinorum,) ſic & mundus inſtar veſtigij ſemper fuiſſet, quoniam & ſemper fuit, qui illum effeciſſet. Idem dicas de aliquo ſubiecto, & eius proprijs paſſionibus, vel acccidentibus, quæ ſimul tempore cum eo fiunt, & ab eo ſeparabilia non ſunt, nam ſi pomum eſſet æternum, color eius, & odor eſſent pariter æterni, quoniam numquam in vllo ſigno temporis fuiſſet pomum abſque colore, & odore, & tamen odor, & color à pomo dependerent, & ab illo emanaſſent; Idem dicas de Sole, & luce, de homine, & riſibilitate, & de alijs; Vnde bene dicebat Marſilius Ficinus cap. illo 13. ad cōmentaria Timæi, quod non minus pendebit à Deo mundus, ſi dependerit, & pendeat ſemper, quam ſi aliquando cœperit dependere, velut lumen non minus à Sole ducit originem, neque minus ſeruit Soli, ſi ſemper, quam ſi aliquando profluxerit, effluatque ab ipſo; At ſi pleniorem huius rei notitiam cupias, vide rogo opuſculum illud Auctoris. Non itaque contradictoria docuerunt philoſophi, præcipue Ariſtoteles, & Auerr. dum creationem æternam abſque nouitate eſſendi poſuerunt, & ſemper intelligentias fuiſſe, & tamen à Deo emanaſſe.

D. Thom. — Qua actione creauerit Deus mundum. — D. Auguſt. — Ficinus.

Verum pro clariori eorum, quæ dixi intelligentia, & vt pleraque loca Ariſtotelis, & Auerr. bene accipias, aduerte, quod ſicut modo innuebam, datur actio & inſtantanea, & ſucceſſiua, & ſimiliter duplicis generis agens aſſi-

gnandum eſt, (cuique certe actioni agens accommodare oportet,) alterum, quod agit per motum,& veram tranſmutationem, & cum abiectione contrarij, & ex ſua actione infert paſſionem, quod poteſt vocari agens phyſicum, alterum eſt,quod dicitur agens ſecũdum ſimilitudinem, quippe quod agit abſque motu,& tranſmutatione, & ſufficit vt in genere cauſæ efficientis quocumque modo agat; ſic potentiam, & actum in plus habere, quam potentiam illã, & actum,qui ſecundum motum dicitur legimus apud Ariſtotelem nono Diuinorum primo,omne ſiquidem mouens eſt agens, non omne agens eſt mouens, quoniam ſtat vt aliquid agat,& agat ſine motu, vtpote in inſtanti. De agẽte primo modo vera ſunt, quæ communiter dicuntur, quod ſcilicet eget tempore in actione,quod extrahit id quod eſt in potentia ad actum,quod eget ſubiecto ex quo agat,& his ſimilia,quorum nullum neceſſarium eſt in agente poſteriori via accepto, & maxime ſi fuerit infinitæ virtutis; Et duplex hoc agentis genus ceu loco allegato ab Ariſtotele ex inſinuatione habitum fuit, ita ab Auerroe clare poſitum legimus diſputatione illa tertia Metaphyſicali, in ſolutione eiuſdem 18.dubij,quando dixit,dari agens abſque materia,& agens in materia, & adiecit, hoc nomen *agens* dici æquiuoce de his duobus agentibus; Vnde argumenta,quæ ex locis Auerr.deſumuntur penes hæc agentia inferiora, trãſlata ad agentia immaterialia,nihil concludunt, velut nihil ex cane marino deſumptum colliges de cane cœleſti: Hinc quando dicitur; In intelligentijs nequit adeſſe agens tranſmutans de potentia ad actum,abijciens contrarium,&c. ergo non adeſt abſolute agens,patet nullam eſſe illationem,ſicut nulla eſt illatio,in cœlo non eſt canis piſcis, ergo non eſt canis, &c.

Duplex agẽs.

Ariſtotel.

Quomodo ſe habeant mouẽs, & agens.

Auerroes.

Quando itaque Auerr. negat agens in intelligentijs inueniri, loquitur de agente vero per motum,& tranſmutationem,non autem negat agens abſque trãſmutatione,& hoc colligitur expreſſe ex eodẽ,& loco memorato,& comm. illo 44. duodecimi Diuinorum, vbi ait, quod cum in intelligentijs non ſit potentia, neque erit agens,quoniam nihil prouenit ab agente,niſi extrahere illud quod eſt in potentia ad actum,ſtatim ſubdit,quod ibi eſt intellectus,& intellectum,& perfectum,& perficiens,& eodem cõmento dixerat,eſſe in intelligentijs cauſam, & cauſatum, ſecundum quod intellectum eſt cauſa intelligentis; ecce quomodo manifeſte duplex agens ponit, & alterum reijcit ab intelligentijs,alterum in eiſdem conſtituit.

Quale agẽs neget Auerr. in intelligentijs.

Quamobrem licet varia, immo & contraria videatur varijs in locis ſcripſiſſe in hoc negotio Commentator, attamen ſi quis loca illa quibus aſſeruit, intelligentias habere eſſe à Deo, contulerit cum ijs,quibus apparet oppoſitum enunciaſſe,comperiet certe illa adeo luculenta eſſe,vt nullam admittant interpretationem, hæc vero optime ex eiuſdem doctrina explicari,quæ iam allegata eſt; Dum enim inquit in ipſis eſſe ſolum cauſam finalem,iam in hac cauſa ex ſua doctrina habetur & efficiens, Dum aliquando expreſſe negat efficiens, quale efficiens neget,ex eodem audiuimus, Denique, dum negat creationem, eam quæ eſt cum nouitate eſſendi negat, non autem æternam illam, quam iam explicatam reliquimus.

Cõparatio inter loca Auerrois varia.

Cæterum priuſquam ad formalem argumentorum ſolutionem deueniam, (nam ex ijs,quæ diximus virtute propemodum ſoluta manent,) illud videndũ eſt,quomodo intelligentiæ ſint entia omnino neceſſaria, & tamen ab alio pendeant effectiue. neque eſt dubitatio, quomodo ſemper fuerint, hæc namque ſublata iam eſt,ſed quomodo ſemper futuræ ſint,& non poſſint non eſſe, de

qua

qua re agit Caiet. hoc loco eleganter, & elegantius prima par. quæſt. nona, ar. ſecundo. Dicas igitur, quod ſunt entia neceſſaria ex ſe, & ab intrinſeco, quoniā nihil habent in ſe, quod ſit in potentia ad non eſſe, vel ad aliud eſſe, nullus enim appetitus fertur in non eſſe, ſed in eſſe, at quoniam illud eſſe ad quod fertur, eſt incompoſſibile illi eſſe, ſub quo ſubiectum aliquod manet, iccirco ex nouo illo eſſe quod appetitur, conſequitur non eſſe; carent autem intelligentiæ materia, & potentia ad non eſſe, vel ad aliud eſſe, vt philoſophi vnà cum theologis docent, quare ex ſe, & ab intrinſeco ſunt entia neceſſaria; Certe quod caret potentia ad non eſſe, fieri nequit vt aliter ſe habeat, ac proinde eſt neceſſarium. Cum hoc tamen ſtat, quod ab extrinſeco, & per potentiam in alio poſſunt non eſſe, non quidem per corruptionem, quoniam ſola forma in eis inuenitur, ſed per defitionem eſſe, aut per annihilationem, vt loquuntur theologi, nam ſi eſſe illud, quod prima cauſa eis contulit, ab eadem ſubtraheretur, iam ab eſſe deficerent; Vnde ſub alijs verbis poſſunt dici entia neceſſaria phyſice, at non logice, vt ſcilicet implicet contradictionem ipſa non eſſe; Sed cum & vnumquodque non implicans contradictionem cadat ſub abſoluta Dei potentia, quæ realiſſima eſt, ea propter poſſibile logicum poteſt vocari poſſibile reale, extrinſece tamen, quoniam per potentiam in alio; Quamobrem inter eos, qui dicunt nullum aliud à Deo eſſe ens neceſſarium, & nos, qui fatemur cum philoſophis, & Auctore ſecundo contra Gentes, cap. 30. & 55. intelligentias eſſe entia neceſſaria, nulla eſt in re diſſenſio, vt adnotabat Caiet. prima par. quæſt. 44. art. primo ad ſecundum, quandoquidem illi nomine neceſſarij accipiunt illud, quod nulla omnino potentia poteſt non eſſe, quo modo ſolum Deum, ſimpliciter neceſſarium dicunt, nos vero accipientes ab Ariſtotele quinto Diuinorum ſexto, illud eſſe neceſſarium ſimpliciter, quod non poteſt non eſſe per potentiam in ſe, admittimus intelligentias eſſe entia neceſſaria ſimpliciter, & ſic reuera dici debet, quoniam iudicium de rebus ſumendum, & aſſignandum eſt iuxta propria ipſarum rerum, & non iuxta extranea, & in ordine ad potentiam in alio, & potentiam omnem definitum ordinem excedentem, alioquin, & beati poſſent dici damnabiles, & damnati beatificabiles, cum neutrum apud abſolutam Dei potentiam implicet, vtrumque tamen ridiculum eſt.

Caietanus.

Quomodo Intelligētiæ ſint entia neceſſaria.

Quomodo Intelligētiæ poſſint non eſſe.

D. Thom.

Caietanus.

Ariſtotel.

Num vero Ariſtoteles, & Auerr. concederent, poſſe primum ens ſubtrahere eſſe ab intelligentijs, vel potius vellent, vt neceſſario eas in eſſe conſeruet, velut forſan eis placuit, vt neceſſario ab æterno eaſdem produxerit, alia quæſtio eſt; Sufficiat, nos aperuiſſe id quod facit ad hanc quæſtionem, quomodo ſcilicet cum hoc, quod fuerint à Deo creatæ intelligentiæ, maneat, & vt ſemper fuerint, & vt ſemper ab intrinſeco futuræ ſint, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Argumentis in contrarium ſit ſatis.

Quomodo ex nihilo nihil fiat.

SI applices, quæ proxime fuerunt pro Auerr. adducta ipſi Ariſtoteli, cernis iam primum argumentum ſolutum, quoniam veriſſimum eſt, nihil ex nihilo fieri per actionem cum motu, & ab agente naturali, quippe quod ſemper agit per tranſmutationem, & ex aliquo ſuppoſito ſibi aliquid facit, id autem non eſt verum de agente metaphyſico abſque motu, & in inſtanti, cuiuſmodi ponitur agens reſpectu intelligentiarum.

Ad ſecundum, fatemur Ariſtotelem voluiſſe mundum, motum, & multo magis intelligentias æternas, (quicquid in præſenti fuerit, num hæc crediderit ſe ſimpliciter demonſtraſſe,) at argumentum non eſt contra nos, quoniam cum æternitate intelligentiarum, ſtat earundem creatio abſque nouitate eſſendi; Et motum, & mundum, & tempus probat Ariſtoteles non fuiſſe producta per generationem, non autem vt nullo modo acceperint eſſe; Sic dicas de materia prima, hæc enim probatur neque incœpiſſe, neque terminari debere aut via generationis, aut corruptionis, non autem, vt nullo modo abſolute; Neque vlla interuenit fallacia, dum Ariſtoteles arguit æternitatem materiæ, vel aliorum, quoniam ſcilicet poſſit ei dici, ſi non incœperunt per motũ, alia tamen via incœperint, quoniam arguit in ſubiecta materia, de factione ſcilicet, & productione per motum, & tunc verum eſt, ſi non incœperunt per motum, nullo modo incœperunt, quoniam vt dixi eſt ſermo de modo ſolum per motum incipiendi.

Ad tertium, dic ſimiliter actiuam potentiam, & agens, quod agit via motus, & tranſmutationis, & per abiectionem contrarij, eo modo ab Ariſtotele fuiſſe definita, & agens phyſicum, non autem metaphyſicum, iam enim vidimus non omne agens dici proprie mouens; Quod ſi dicatur ſecundo Diuinorum fuiſſe etiam definitum efficiens per eſſe principium motus, dic cum Zimara loco allegato dupliciter, primo, quod per nobis notiora patefecit Ariſtoteles efficiens ipſum, notior autem eſt nobis actio, quæ eſt per motum; Dic ſecundo, quod & efficiens metaphyſicum eſt principium motus, at non phyſici importãtis tranſmutationem, verſantis circa ſubiectum, & ſimilia, ſed motus, qui eſt alterius rationis, nam ex Auerroe aperui art. elapſo, agens dici æquiuoce de agente materiali, & immateriali. Ad confirmationem dicitur, quod licet de creatione in voce propria non meminerit Ariſtoteles, & in nomine, attamen pluries in re ipſam nominauit, dum dixit, à primo ente omnia dependere, omnia accepiſſe eſſe, primum ens eſſe cunctorum cauſam, & id genus; Enimuero ex primo huius quæſtionis art. pro comperto manet, quod ſi acceperint eſſe intelligentiæ à prima cauſa, id non potuerit eſſe, niſi via creationis, quemadmodum enim primo Phyſicorum 76. dicebat, quod ſi fieri debeat animal abſolute, & non ſecundum accidens, hoc eſt, non hoc, vel illud animal, erit ex non animali, ita ſi fieri debuerint intelligentiæ, ex non intelligentijs factæ ſunt, & ex conſequenti non ex aliquo, ſed creatæ.

Zimara.

Ariſtotel.

Creatio-

Creationis itaque naturam, quamuis non explicite vocabulum recenſuit Philoſophus, dixerim autem explicite, quoniam implicite non videtur hanc vocem ſiuiſſe, dum primo Cœli 112. dixit hoc nomen *generabile*, dici de eo, quod cum non eſſet prius, poſterius fuit, ſiue fuerit genitum, ſiue abſque generatione, quod ſi quid in eſſe prodit, cum prius ſimpliciter non eſſet, (nam ſi fieret ſecundum quid, non diceretur generari,) & non via generationis, forte voluit Ariſtoteles, quod prodeat via creationis, & quod generatio late accepta, & non vulgariter dicatur de creatione, vt ſcripſit Sueſſanus com. 6. 2. de Anima, locum ex libro de Cœlo allatum perpendens. At quicquid fuerit de voce creationis, ſufficiat Ariſtotelem rem ipſam docuiſſe, & eandem aliis vocibus explicaſſe. Hæc vero confirmatio non militat contra Platonem, vel Auer. quoniam vterque eam formaliter expreſſit, vt de illo cernere eſt in Timæo, de iſto 3. illa diſputatione contra Algazelem. Sueſſanus. Plato. Auerroes.

Ad quartum, ex iis quæ ſuperiori art. dicta ſunt habetur plena ſolutio, quomodo non repugnet intelligentias eſſe æternas à parte ante, (vt poſuerunt philoſophi,) & à parte poſt, iuxta veritatem omnem, adeo vt neque principium iuxta illos, neque finem iuxta veram omnem doctrinam agnoſcant, & tamen à primo ente effectiue dependeant.

Ad quintum habes ſimiliter reſponſum, immo reſponſa, quando enim legis in Auer. intelligentias, & æterna entia non habere agens, explica cum eodem de agente phyſico per motum, extrahēte aliquid de potentia ad actum, & vero agente, hoc eſt, nobis manifeſto, & ſecundū famoſitatē, &c. nam expreſſe ex eius ſententia habent agens metaphyſicum abſque motu, & tranſmutatione, &c. Vel dicas, quod non habent cauſam agentem, quæ ſit alia à fine, quoniam in abſtractis, quod eſt finis, eſt etiam agens; Vel vltimo dicas, quod æterna citra primum non habent eſſe neceſſarium ab alio formaliter, nā quoduis eorum caret materia, quæ eſt radix contingentiæ, & poſſibilitatis, & ſic formaliter, ex ſe, & intrinſece eſt neceſſarium, habent nihilominus eſſe neceſſarium ab alio effectiue, & finaliter; quod non negat, ſed liquido tradit Auer. Variæ quinti argumenti ſolutiones.

Quod adducitur de Auctore, dicito merito impugnaſſe Auerroem, dum volebat deſtruere creationem, ſicut & rationes Ariſtotelis confutat, quibus vult efficere æternitatem motus, & temporis, nam vir theologus nedum debet confutare rationes illas, quæ ſiunt contra creationem ſine nouitate eſſendi, ſed & illas, quæ militare poſſent contra creationem in tempore, quales erant rationes Auer. non inuenies autem ipſum dicentem, quod Auer. noluerit intelligentias eſſe à Deo, ſed quod negauerit creationem, ſupple quo ad nouitatem eſſendi, & quo ad hæc particularia. Vel dicito, ipſum impugnaſſe Auer. locis illis, vbi negauit creationem, & eiuſdem rationes comminuiſſe, ex quo non ſequitur ſenſiſſe, vt Auerr. negauerit entia æterna eſſe à Deo, immo & locum illum ex eodem cap. 2. de Subſtantia orbis allegauit circa 79. octaui Phyſ. vt ſecundo art. dixi, & alia quoque ipſius Commentatoris teſtimonia, quibus ait, entia neceſſaria habere cauſam, &c. D.Thom.

Dices, quare Auctor non conciliauit Auerroem, vt conciliaui ipſe, & cur non oſtendit, ipſum non penitus creationem ſuſtuliſſe, ſed eam ſolum cum nouitate eſſendi? Ad hoc nil aliud dici poſſe credo, niſi quod ipſe in re quo ad Fidem certa de Auerr. teſtimonio nō multum curauit, cum potiſſimum & creatio æterna ſit contra Fidem; Quod ſi demum dicas, ipſum oſtendiſſe, Ariſt. non omnino abſolute creationem omnem negaſſe; Dico, quod Ariſtotelem, non Dubium. Soluitur.

Auerroem exponebat, ac ſubinde iure merito magis illius, quam iſtius verba curabat, quapropter opinione Iauelli relicta, poteſt quiſquis Thomiſta, abſque eo vt quicquam Magiſtri ſui doctrinæ contrarium enunciet ſuſtinere cum Caietano, Capreolo, & alijs eam quam explicatam dedi, mentem fuiſſe Auerrois.

Ad vltimum dicitur, quod in recenſenda mente Platonis in hoc negotio, triplicem eius ſenſum adduximus, & in quouis ſenſu accipiatur, non eſt contra factam determinationem, nam tandem colligitur, ſemper intelligentias, & omne aliud à Deo dependere, & accepiſſe eſſe, ſiue ab æterno, ſiue cum nouitate; Quæ vero allegantur in argumento, & probabilitatem habent ſuam, & Simplicij, aliorumq; grauium philoſophorum, quos vltimo loco ad finem primi art. commemoraui opinionem, in Platonis ſchola non parum iuuare videntur; At Platonis mentem non de induſtria nunc omnino rimari fuit, vel eſt nobis inſtitutum, ſed eam ſolum Ariſtotelis, & ſui Commentatoris, &c.

QVAESTIO SEXTA.

Quomodo in entibus creatis diſtinguatur eſſe ab eſſentia.

CIRCA eandem ſeptimam, & octauam deinde partem, vbi diximus, intelligentias accipere eſſe à Deo, & in eis inueniri compoſitionem actus, & potentiæ, & inter annotandum dicebatur, eſſentiam comparari ad eſſe, tamquam potentiam ad actum, quod & in quinta parte colligebatur, & probabatur, ac deinceps in ſexta colligebat Auctor, in primo tantum ente eſſentiam, & eſſe non differre, famoſa valde occurrit quæſtio, diſcuſſa à Caiet. in hac parte, num videlicet eſſentia differat realiter ab eſſe, an vero ratione, ſeu formaliter, adeo vt eſſentia ſit eadem res, quæ eſſe; Pro cuius definitione quinque faciam, primo explicabo titulum, & varias ſententias varie munitas referam, ſecundo ea præmittam, quæ huic negotio facere iudicauerim, tertio varia ex præmiſſis deducam conſectaria, quarto veram ſententiam dicam, & probabo, vltimo quæ obſtabunt tollam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid quæratur, & quid varij ſenſerint.

EX quæſtione tertia ad hoc caput colligere plene potuiſti, quæſitum hoc eſſe aliud ab eo, in quo inquiritur diſtinctio ſuppoſiti à natura, quoniam exiſtentiam ſaltem actualem eidem ſuppoſito, & extrinſecam, & accidere dicimus, & hoc non illam, ſed ipſius capax dicebamus, quin vero nomine eſſentiæ hac quæſtione accipiemus ſuppoſitum, vt patebit, & definiemus quomodo ab eſſentia ſic accepta differat eſſe. Cumque multiplex inter aliqua poſſit eſſe diſtinctio, vt eadem quæſtione adferebam, hoc loco non eſt quæſtio de diſtinctione

ctione rationis, neminem profecto reperies, qui non admittat, & doceat rationis diſtinctionem inter hæc, etiam in ipſo Deo; Similiter non eſt quæſtio de reali diſtinctione, in eo ſenſu, vt hæc velut duæ res omnino diſparatæ diſtinguantur, cum ſatis conſtet, exiſtentiam eſſe actum eſſentiæ, ac proinde aliquid eius, & e contra, ceu de ſuppoſito, ac natura allegata quæſtione dicebatur; quocirca erit quęſtio de reali diſtinctione, penes quid incluſum in vno, quod non includatur in altero, & hoc fuerit, vel poſitiuum, vel negatiuum, aut priuatiuum, ſimiliter vel intrinſecum, vel extrinſecum.

Deinde, cum omnibus theologis, ac philoſophis ſupponimus in præſenti, hæc duo nulla diſtinctione citra illam rationis in primo ente ſecerni, cum enim ſit actus puriſſimus, nihil in eo locum habere valet, quod potentialitatem vllam deſignet, vnde non eſt, cur eius eſſentia ad proprium eſſe comparetur, vt potentia ad actum, cumque in ipſo nulla ſit realis diſtinctio, niſi merito relationum, vel ratione originis, ſatis clarum eſt, inter hæc neutrum horum intercedere; hinc quæſtio hæc agitabitur à nobis circa alia entia à primo; Quippe quæ cum poſſint eſſe, & accidentia, & ſubſtantiæ, & hæ ſimplices, & compoſitæ, in his omnibus locum habebit, quamuis etenim de intelligentiis præcipue id ab Auctore quinta parte literæ probatũ intueamur, attamen in ſexta pronunciauit aperte, in primo ſolum ente hæc duo non differre, & probauit vnicum tantum poſſe dari ens, in quo eadem hæc ſint. Adde, quod ſi in intelligentiis aſſeruit hæc differre, multo magis in aliis entibus, vtpote minus ſimplicibus id accipiendum venit, & iam circa quintam illam partem adnotabam, compoſitum omne ex materia, & forma inuoluere quoque compoſitionem ex eſſentia & eſſe, quamuis non e contra. Denique videbimus quoſdam diſtinctionem hanc in materialibus ſubſtantiis admittere, & eandem à non materialibus negare.

Eſt itaque perampla quæſtio, num in omni ente creato, vel ſubſtantiali, vel accidentali, vel materiali, vel immateriali, eſſe, & eſſentia differant nedum ratione, ſed realiter, iuxta ſcilicet quid incluſum, quodcumque illud fuerit.

Explicato titulo; Adſunt viri permulti de Philoſophia, ac ſacra Theologia optime meriti, tum antiquiores, tum recentiores pro comperto habentes, eſſentiam non differre realiter ab eſſe, & licet nonnulli ſolam rationis diſtinctionem inter hæc conſtituant, alij vero formalem, ſeu ex natura rei, in eo nihilominus conueniunt, vt realem negent; Et quidem quod attinet ad antiquiores, Henricum videlicet, Herueum, Gerardum de Carmelo, Aureolum, Durandum, Godofredum, & Scotum, potes videre Capreolum in primo, diſtinct. 8. quæſt. prima, vbi ſecundo art. omnes ferè cum ſuis argumentis ad longum refert, & mox ſequenti art. erudite, ac profunde comminuit, quorum firmiores quaſdam rationes docte refutauerat antea Romanus Aegidius tractatu de Eſſe, & eſſentia, quæſt. nona. Quibus acceſſere duo Alexandri, Alenſis nimirum ſuper quartum 4. & 12. ſeptimi Diuinorum, & Achillinus primo de Elementis, dubio 13. & alij non pauci inter recentiores, vt nonnulli libro 6. de Rerum principiis, cap. 14. 15. & 16. & alij ſuper quartum Diuinorum, q. 4. ad caput ſecundum, & alij ſuper p.p. D. Tho. q. 3. art. 4. nec non quidam ad tertiam eiuſdem D. Doctoris partem, quæſt. 2. art. 7. & 8. & Dominicus Sotus quæſt. 2. ſecundi Phyſicorum, hi namque omnes, quamuis fortaſſis non eandem prorſus ſtatuant diſtinctionem, illud attamen volunt, vt inter ea realis nullatenus adſit diſtinctio.

Antiquiorum opinio à Capreolo relata.

Aegidius.

Alenſis.

Achillin.

Recentiores nonnulli.

Alij

Iandunus. Alij autem media via inceſſerunt, nam Iandunus quæſt. 3. quarti Diuinorum ait, in accidentibus, & ſubſtantiis æternis, & incorporeis præfata non differre, in ſubſtantiis vero generationi, & corruptioni obnoxiis affirmat realem diſtinctionem. Sueſſanus. Sueſſanus etiam diſputatione quinta ad eundem librum, ait in ſubſtantiis abſtractis non differre hæc ab inuicem, ſed ſolum in materialibus, immo ait vt peripateticum non ponere iſtorum diſtinctionem in intelligentiis, quod ipſum voluit Zimara in tabula, verbo *eſſe*, & Mercenarius Zimara. Mercenar. primo ſuarum dilucidationum volumine, circa propoſitionem illam Auerroicam tertio de Anima 5. qua ait, In prima forma eſſentiam eius eſſe quidditatem, in aliis autem eſſentia à quidditate eſt aliquo modo diuerſa; Quorum ſententiam voluit forſan multos annos antea Themiſtius tertio eodem de Anima, Themiſt. cap. 27. vbi ait, in his, in quibus eſt actus, & potentia differre eſſe à quidditate, quare hoc non apparet concedere in ſecretis à materia, à quibus paraphraſi ſua ad duodecimum Diuinorum, omnem videtur auferre potentiam, quam forte doctrinam accepit & ipſe ab Aphrodiſæo primo de Anima, capite de Intellectu ſecundum actum, dicente, & repetente, in compoſitis ex materia, & forma aliud eſſe id quod eſt rem eſſe, aliud id quod eſt rei eſſe, in abiunctis vero à materia hæc eſſe eadem. Alexand.

Verum, cum multæ, ac multæ pro horum ſententia ſoleant ab omnibus ferè, qui hoc argumentum verſant adduci rationes, ipſe ne moleſtia me ipſum in ſcribendo, alios in legendo afficiam, quas indicaui efficaciores dumtaxat referam, eam huic negotio hac quæſtionem lucem allaturus, vt inde ad alias complures, vel formalis, vel virtualis pateat ſolutio.

Ratio Trombetæ. Quare ſit primum argumentū illud, quod & primo loco ex Antonio Trombeta adducitur à Caiet. hoc loco; Si realiter differt eſſentia ab eſſe, ergo & eſſe realiter ab eſſe, & eſſentia itidem realiter ab eſſentia differet, quæ ridicula ſunt, cum nihil poſſit à ſeipſo differre, probatur conſequentia, quoniam tota ratio, ob quam dicimus nos, quod realiter differt eſſe ab eſſentia eſt, quoniam homo eſt in potentia vt ſit, & non ſit, ob indifferentiam ſcilicet, quam habet eſſentia ad eſſe, & non eſſe, ſed hæc quoque indifferentia cernitur in ipſo eſſe ad eſſe, quoniam eſſe roſæ non eſt in hyeme, quod tamen eſt in verè, eſſentia quoque creaturæ ab æterno non eſt, ergo eſt indifferens ad ſeipſam, &c.

Secundo, Si realiter differant, ergo in quauis generatione ſubſtantiali ſunt duo termini totales, & duo formales, quod eſt abſurdum, cum enim quiuis motus ſpeciem ſumat à termino ad quem, ex quinto Phyſic. quarto, ſi generationi demus duos terminos iam non erit vnus motus ipſa generatio, vel Ariſtotel. vna mutatio, (in præſentia enim pro eodem hæc accipere nihil refert,) deducitur conſecutio, quoniam ex materia, & forma fiet vnum per ſe, ex eſſe, & eſſentia aliud, vt enim materia eſt potentia, & forma actus, ita eſſentia eſt potentia, & eſſe eſt actus, ex duobus autem, quorum alterum eſt vt potentia, alterum vt actus prouenit vnum per ſe, ex ſecundo de Anima 7. & ſeptimo Diuinorum 49. & 8. eorundem vltimo, vtrumque autem poterit terminare generationem, ecce duos terminos totales, & cum eſſe ſit actus, aderunt & duo termini formales.

Tertio; Nulla res componit cum ſua realitate, homo verus non componit cum ſua veritate, neque homo in potentia cum homine in actu, ergo &c. probatur conſecutio, quoniam quo ad primum, exiſtentia eſt realitas rei, & eſt poſitio veritatis, quo ad ſecundum, & demum eſt actualitas ipſius eſſentiæ.

Quarto

Quarto, Habet Philoſophus quarto Diuinorum 3. & decimo eorundem 8. quod idem eſt homo, & ens homo, & quod eſſe nihil addit rebus, de quibus dicitur, quare nullum reale addit exiſtentia ſupra eſſentiam; Quod ſi dicatur, ibi Ariſtotelem accipere ens vt ſumitur ab eſſentia, vel vt nominaliter accipitur, non autem ens, quod dicit exiſtentiam, hoc infringit Alenſis loco illo prius memorato inquiens, hoc dici non poſſe ex Philoſophi intentione, quoniam Ariſtoteles dicit, quod non differt dicere homo, & ens homo in generatione, & corruptione, vnde loquitur de ente, ad quod terminatur generatio, quale patet dicere eſſe exiſtentiæ, quare, &c. Alenſis.

Quinto, Nomen, & verbum eandem rem important, currere quippe, & curſus eandem rem dicunt, licet ſub vario ſignificandi modo, eſſentia autem eſt nomen, eſſe eſt verbum, ſimiliter quando concreta ſunt idem formaliter, abſtracta etiam erunt idem formaliter, ſunt autem idem ens, & eſſe, (ecce concreta,) differunt enim vt infinitum, & participium, quare non niſi grammaticaliter, vt dicebatur, vnde & eſſentia, & exiſtentia nequaquam diſtinguentur, nam eſſentia eſt abſtractum ly *ens*, & exiſtentia ly *eſſe*, &c.

Sexto, Si diſtinguantur vt res à re, (& non commune argumentum innuunt recentiores,) erunt diuerſa entia realia, quare cum nulla ſit ratio, cur ſi eſſe ſit ens reale, non ſit ens reale completum, (id ſaltem eſſe, quod eſt rerum completarum,) locabitur in prædicamentis, quod nos inquiunt negare de communi philoſophorum, & theologorum conſenſione; Confirmatur primo, quoniam ſi ens eſt reale; ergo eſt ſubſtantia, (iam enim prima quæſtione ad caput præcedens vidimus non poſſe eſſe accidens,) non eſt autem vel materia, vel forma, vel compoſitum, ergo vel non eſt ſubſtantia, (nam ſecundo de Anima 2. & 25. & duodecimo Diuinorum 14. ſufficiens eſt hæc ſubſtantiæ diuiſio,) & ex conſequenti eſt nihil, vel ſi eſt ſubſtantia, inſufficiens extat peripatetica de ſubſtantia partitio. Confirmatur ſecundo, quoniam ſecundo Poſteriorum, cap. 1. habetur quæſtionem an eſt, & quid eſt non eſſe de numero illarum quæſtionum, quæ plura complectuntur, quod ea ratione fit, quoniam numquam earum termini plures res ſignificant, ergo, &c. Ariſtotel.

Septimo, Idem videtur eſſe iudicium de eſſentia accidentis, & ſubſtantiæ, ſed eſſe illius non differt ab eſſentia, ergo neque eſſe huius, &c. probatur minor, quoniam eſſe accidentis non eſt ſubſtantia, vt patet, ergo accidens, ergo inexiſtit, ergo ſeipſo, vel alio mediante, ſi hoc ſecundum, erit proceſſus in infinitum, quoniam & illud alio, & ſic de ſingulis, ergo ſeipſo, ergo ſtandum eſt in primo, hoc eſt in eſſentia accidentis, nullo addito, &c.

Vltimo ſpecialiter probatur de intelligentiis, Quoniam ex duodecimo Diuinorum 30. carent potentia, & idipſum aſſeritur de quouis æterno, nono eorundem 17. quare in ipſis non eſt ponenda compoſitio eſſe, & eſſentiæ, nam eſſentia ſe habet vt potentia ad eſſe, & tamen actus puri vocantur, eodem duodecimo, 43. & rurſus tertio de Anima 9. dicitur in quibuſdam idem eſſe carnem, & eſſe carni, ſi autem hoc locum non habeat in intelligentiis, minime poterit verum eſſe huiuſmodi aſſertum; Quod ſi dum Ariſtoteles remouet potentiam ab æternis, explicetur vt remoueat materiam, non autem omnem potentiam, tunc inſtat Mercenarius, & loco allegato, & alibi inſtantiam hanc ſuam exaggerans inquit, quod ibi loquitur de ſubſtantia abſtracta in genere, ac in communi nã tex. 29. condiuidit ſubſtantiam immobilem, & æternam à ſubſtantia mobili, & caduca, & iam de ſubſtantia illa immediate tex. 30. Mercenar.

proſert, quod eſt ſine potentia, vel itaque dicendum eſt totum abſtractorum genus carere quauis potentia, vel ſi potentiæ nomine ſolum materia accipiatur, tunc in intelligentia quoque prima aderit compoſitio eſſentiæ, & eſſe, aderit potentia, & ſimilia, quod nemo concedit, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Iaciuntur fundamenta pro ueritatis definitione.

D.Thom. AVctor hoc loco, & ſuper quartum Diuinorum 3. & quolibeto 2. art. 5. & ſecundo cont. Gent. 52. aperte ſentit, in intelligentiis, & in omni ente creato diſtinctionem inueniri realem inter eſſentiam, & eſſe, quam doctrinam à variis antiquis emanaſſe tradit in præſentia Caiet. & eſt clara ſententia Boetij libro de Hebdomadibus, & in eiuſdem explicatione, cui titulus eſt, an omne quod eſt bonum ſit, dicentis omne quod eſt citra primum, eſſe hoc, & hoc, & participare eo quod eſt eſſe, cuius dicta refert, & ſequitur magnus Albertus prima parte ſummæ de quattuor Coæuis, quæſtione de attributis in ſe angelicæ naturæ, art. primo, & videtur extitiſſe doctrina D Hilarij ſexto de Trinitate, dicentis in Deo eſſe non eſſe accidens, ſed veritatē ſubſiſtentem, vt refert D.Tho. p.p. q. 3, art. 4. argumento ſed contra. Auctorem ſecutus eſt Aegidius quolibeto primo, quæſt. ſeptima, & fuſius quæſtione illa 9. de Eſſe, & eſſentia, & omnes eius diſcipuli, vt Capreolus loco primi ſententiarum allegato, Caiet in hac parte, Ferrarien. loco illo ſecundi contra gentes, Soncinas 4. Diuinorum, quæſt. 12. Dominicus à Flandria ibid. quæſt. 3. art. 4. Iauellus tractatu de tranſcendentibus, cap. 4. Aquarius dilucidatione 4. eiuſdem quarti Diuinorum, & Bannes art. illo 4. quæſt. 3. p.p. Hinc ſi cupis videre perplura aduerſariorum argumenta diſſoluta, lege nominatos Thomiſtas, & præcipue Aegidium, Capreolum, & Aquarium, hic enim & multa, quæ recentiores adducunt confutauit.

(Margin: Boetius. Alb.mag. D. Hilar. Aegidius. Capreol. Caietanus. Ferrarien. Soncinas. Flandrien. Iauellus. Aquarius. Bannes.)

Huius quæſtionis difficultas. Vt autem negotium hoc definiatur, illud præmitto, quod quæſitum hoc iure difficillimum vocauit Soncinas vbi ſupra, & merito adiecit eſſe quaſi fundamentum maximæ partis doctrinæ S.Thomæ, & quoddam vniuerſale principium in ea, Sueſſanus etiam diſputatione illa ſua inquit, quæſtionem hanc ſibi videri difficillimam, adeo vt in ipſa præceptorem non recuſaret, & demum Caiet. prima parte vbi ſupra, ſubtiliſſimum hoc argumentum vocauit. Enimuero ex huius deciſione pendet quæſtio illa Theologis celeberrima, ac perardua, num ſcilicet in Chriſto domino ſit ponenda humanitatis exiſtentia, qui enim cenſent exiſtentiam eſſe idem cum eſſentia, conſequenter ponunt exiſtentiam creatam, quoniam eſſentia adeſt creata; e veſtigio qui illa differre autumant, & eſſe non niſi ad ſuppoſitum attinere, conſequenter dicunt, non reperiri creatam exiſtentiam, cum non adſit ſuppoſitum creatum illius proprium ſubiectum.

(Margin: Sueſſanus. Caietanus.)

Hanc vero difficultatem, & opinionum varietas, & argumentorum vltro, citroque robur parit, & illud etiam, quoniam nihil omnino certi hac in re nobis reliquit Ariſtoteles, vt relatis locis adnotarunt Sueſſanus, & Caietanus.

Et bene

Et bene dicunt nihil certi, nam profecto adſunt duo loca, ex quibus valde probabiliter colligitur, quid voluerit Ariſtoteles, quæ referam ultimo articulo, dum ad ſecundam ſexti confirmationem reſpondebo, &c.

Difficile tamen negotium enodare, & aliqua via facile reddere tentantibus, primo notandum occurrit, quod nomine eſſentiæ pro nunc accipimus naturas, & quidditates rerum, quippe quæ per definitiones exprimuntur, ſi definitionis fuerint capaces; Eſſentia vtique hominis eſt animal rationale, eſſentia angeli, ſubſtantia incorporea, intellectu prædita, &c. Nomine autem exiſtentiæ illud ſumimus, merito cuius res ponitur actu extra cauſas ſuas in rerum natura, adeo vt de re illa verum ſit dicere, quod ſit abſque vllo addito, hoc eſt, nullo prædicato appoſito, ſed propoſitione de ſecundo dumtaxat adiacente formata, ſic enim res quæ prius non erat, hoc eſt, non exiſtebat, deinde eſt, & exiſtit; & quidem dum ſermo eſt de eſſe abſolute abſque vllo addito, ſemper ſupponitur importari eſſe exiſtentiæ; dum enim dicimus, roſa eſt, uolumus ut roſa ſit in rerum natura, non autem vt ſit ſubſtantia, vt flos, & ſimilia, nam quando hæc volumus exprimere, apponuntur talia prædicata, & de tertio adiacente propoſitiones formantur; Quo fit, vt nomine eſsentiæ quatenus accipitur condiſtincta ab eſſe, accipiamus rem, quæ vtique eſt, entitate eſſentiæ, & nominali, non autem entitate exiſtentiæ, & participiali, quæ deinde coniuncta ipſi eſſe, duplici eſſe potitur, vnde non ſunt duæ res eſſentia, & exiſtentia, neque duo entia, (ex quo multa argumenta ſolues,) ſed hæc eſt modus illius, nam res illa, quæ ſecluſa ab exiſtentia erat entitate eſſentiæ, deinde ſub exiſtentia acquirit & aliud eſſe; modum autem hunc quid reale eſſe, & quid reale ipſi eſsentiæ addere, ac proinde ab ipſa realiter diſtingui, & explanabimus, & probabimus.

Quid nomine eſsētiæ in præſenti.

Quid nomine exiſtentiæ.

Hinc ſecundo nota, quod dum eſsentia ſortitur exiſtentiam, & ponitur extra cauſas ſuas, acquirit vtique reſpectum ad ſuas illas cauſas, ſed non tantum hunc reſpectum, vt docebat Capreolus ad ſecundum vltimo loco inductorum, & Aegidius loco illo de Eſſe, & eſsentia, ſicut enim in prædicamento ad aliquid non eſt motus, ex quinto Diuinorum 10 & 18. ſed ſemper motus eſt ad aliquid abſolutum, ſuper quod deinde fundatur relatiuum, vnde nihil acquirit nouum omnino ad aliquid, niſi acquirat prius aliquid, ſi ex eo quod eſsentia coniuncta exiſtentiæ acquirit reſpectum ad ſuas cauſas, tantum abeſt vt eliciatur, quod exiſtentia ſit purus reſpectus, vel purum eſsentiæ addat reſpectum, quod ex hoc habetur, ipſam aliquid abſolutum dicere, in quo fundetur talis reſpectus, quemadmodum & ipſe non poterʒ nouam omnino ad hoc, vel illud ſimilitudinis relationem obtinere, niſi prius quid abſolutum aſsequar, in quo illa ſimilitudo fundetur, puta albedinem, & quamuis prius noſtro modo intelligendi referatur creatura ad Deum, a quo accipit eſse, quam ſit in ſe, quoniam per talem reſpectum ſortitur eſse, vt quæſtione de analogia entis dicebatur, attamen in illomet reſpectu, nedum reſpectum, ſed & quid abſolutum nanciſcitur, ipſum videlicet eſse; immo & ipſamet creatio ſi ſpectetur vt eſt relatio, eſt accidens in creatura, quæ ſane eidem præintelligitur, ceu ſubiectum præintelligitur accidenti, at ſi inſpiciatur quatenus eſt mutatio, & quatenus per ipſam creatura ſortitur eſse, ſic creatura eſt terminus creationis, & ex conſequenti prius natura intelligitur creatio, vt habes ab Auctore prima parte, quæſtione quadrageſima quinta, articulo tertio ad tertium.

Capreol.
Aegidius.
Ariſtotel.

D. Thom.

Quid obtineat eſſentia, dum eſt ſub eſſe.

Eſſentia itaque dum obtinet eſſe, reſpectum quidem ad cauſas ſuas ſortitur, (vnde exiſtere videtur importare extra cauſas ſiſtere,) at nedum reſpectum hunc, ſed & quid abſolutum, quippe quod reſpectum illum vt ſic antecedit, cuiuſmodi abſolutum eſt eſſe.

Veruntamen addubitari conſueuit, qualenam ſit abſolutum hoc, ſubſtantia ne, vel accidens, (quam dubitationem petit confirmatio prior ſexti argumenti,) & quidem cumulate diximus quæſtione illa prima ad caput præcedẽs, quod eſt & ſubſtantia, & accidens, hoc eſt, & accidit, & non accidit eſſentiæ, accidit enim, quatenus eſt extra eius rationem, & definitionem, non accidit, quoniam non eſt accidens, ſed ſubſtantia eiuſdem eſſentiæ, ſic ibidem dicebatur non eſſentiale, non accidentale, ſed ſubſtantiale prædicatum ipſarum rerum.

Quomodo eſſe ſit, & non ſit ſubſtantia.

Vnde eſt ſubſtantia, prout ſubſtantia diſtinguitur contra accidẽs, non eſt ſubſtantia, prout hæc ſignificat id quod vere eſt, ac exiſtit, quandoquidem exiſtentia non eſt ens completum, non exiſtit, ſed eſt id quo res exiſtit, & hoc ſufficit ad eius eſſe reale, nam ſi ex eo quod quid non vere eſſet, aut non proprie exiſteret, colligeretur non eſſe quid reale, vel eſſe nihil, iam omnis forma materialis, omnis pars vt ſic eſſet nihil, aut non eſſet ens reale, quoniam nulla talis forma eſt, quemadmodum nec fit, ex ſeptimo Diuinorum 27. ſed forma omnis eſt, qua aliquid eſt, & fit.

Communis ferè ſententia.

Ita cum Aegidio quæſtione illa de Eſſe, & eſſentia pluries, & cum Capreolo ad tertium primo loco inductorum, & cum Caiet. hoc loco ad octauum, & cum Soncinate vbi ſupra, prima ſua concluſione, & cum omnibus propemodum dicimus, exiſtentiam ſubſtantiarum eſſe in eodem genere ſubſtantiæ ex reductione, tamquam modum, & vltimam eius actualitatem; Num vero ad ſubſtantiæ genus reducatur tamquam quid imperfectum, vel inſtar cuiuſdam perfectiſſimi, & ſit perfectior ipſa eſſentia, vt docet Bannes p. p. loco memorato, vel e contra eſſentia ſit ipſa perfectior, vt placuit Soncinenſi quæſt. 13. quarti Diuinorum, res fortaſſis ambigua eſt, cum rem attente conſideranti ſe habeant potius vt excedens, & exceſſum,

Bannes. Soncinas. Quid probabilius videatur Auctori. D. Thom. Caietanus.

quamuis modo probabiliorem abſolute cenſeam opinionem Bannes, & dictis Auctoris, ac Caiet. magis conſentaneam, quorum prior prima part. quæſt. illa tertia art. 4. dicat, exiſtentiam omnis formæ, & naturæ actualitatem, poſterior autem, & ibidem, & quæſt. ſexta art. tertio eiuſdem p.p idipſum doceat, quod & innuit ſi bene inſpiciatur hac quæſtione, reſponſione illa ad octauum, quibus dictis nos adhæſimus quæſtione illa prima ad caput præcedens; At cum hoc in præſenti limatius definire, ſiue perſcrutari non libeat, id ex vtraque opinione habeatur, quod exiſtentia eſt in eodem genere in quo eſt eſſentia, cuius modus extat, & actualitas.

Cuiuſdam Recentioris opinio improbatur multipliciter.

Quod autem exiſtentia neque in communi accepta, neque vt creata poſſit in propria ratione eſſe accidens, vide varias huius rationes, & apud Soncinatem prima illa concluſione quæſt. duodecimæ. & apud Iauellum, & Bannes locis allegatis, quibus viſis collige, alienum eſſe ab omni probabilitate, quod probabile iudicauit vir quidam perdoctus ſuper articulum illum quartum quæſtionis tertiæ primæ partis, exiſtentiam nimirum eſſe accidens reale completum, ſpectans ad prædicamentum *quando*, & nihil differre à duratione, ob quam ſubſtantiæ ſolent permanere, quamdiu non deſinunt; Abſurda enimuero hæc mihi apparent, nam ſi concedatur, quod duratio rei ſit eadem res, quæ exiſtentia, tunc negandum eſt, rei durationem eſſe accidens de prædicamento quantitatis, vel quando, quoniam quod aliquid duret, nil aliud eſt

forma-

formaliter, & intrinſece, niſi vt permaneat in eſſe, quod plane abſolutum quid eſt, nullam habitudinem ad quid extrinſecum importans, & licet nominetur, & agnoſcatur ex ordine, ſeu habitudine ad tempus, hic tamen ordo non eſt de eius ratione formali, nam prius ordine naturæ res permanet in ſuo eſſe, quam permaneat in tempore, & duratio non eſt exiſtentia, ſed eam conſequitur, vnde probabilius mihi eſt, quod duratio ita ab exiſtentia ſecernatur, vt ſuper eam addat & permanentiam, & continuationem; Quare in ratione exiſtentiæ vt ſic nihil aliud clauditur, quam quod ſit extra cauſas ſuas, & habeat eſſe ad extra, quod vero hoc, vel illo tempore permaneat, (quæ eſt propria durationis acceptio,) non eſt de ratione vt ſic exiſtentiæ; Quando autẽ dicitur, quod res, & rei continuatio non diſtinguuntur, id veritatem habet de continuatione fundamentaliter, non formaliter, pro illa ſcilicet habitudine.

Quid ſit aliquid durare in eſſe.

Ratio exiſtentiæ.

Quod ſi præfatus auctor ſuſtinuiſſet, eſſe differre realiter ab eſſentia, ſub aliqua forſan apparentiæ vmbra potuiſſet dicere, vt eſſet accidens, at dum ipſum ſtatuit formaliter ſolum ab illa ſecerni, & rem cum ipſa eandem eſſe, iam ponit aliquod accidens idem realiter cum ſubſtantia, iam ſubſtantia eſt illa res, quæ accidens, & e contra, quod plurimũ diſtat à vero; quod enim ſubſtantia induat nonnumquam rationem accidentis alicui comparata, id facile poterit dari; at quod illa res, quæ eſt ſubſtantia, ſit etiam accidens, & quæuis naturalis ſubſtantia, ſit illa res, quæ eſt quantitas, vel quando; hæc non minus falſa, quam inaudita iudico; Cumque ex ſeptimo Diuinorum quarto, ſubſtantia ſit prior & natura, & cognitione, & tempore ipſo accidente, ſaltem quantum in ſe eſt, profecto ſi ponatur exiſtentia ſubſtantiæ accidens eſſe, nullo modo ſubſtantia quæ exiſtit, (de qua eſt ſermo) erit prior accidente, quin cum eſſe ſit ratio formalis ipſi ſubſtantiæ, qua exiſtat; & ſit ei exiſtendi principium, iam aliquod accidens erit principium ſubſtantiæ, quod iudicauit impoſſibile Ariſtoteles primo Phyſ. 51. & ſeptimo Diuinorum 47. Rurſus, cum ingenia præclariſſima non mediocri labore laborent in quæſito de principio indiuiduationis, vt ſaluent totam latitudinem prædicamenti ſubſtantiæ priorem toto prædicamento quantitatis, & quo tueantur, ſubſtantiam à quantitate minime pendere, ſi ponatur exiſtentia accidens de prædicamento quantitatis, tunc omnis ſubſtantia naturalis pendet à quantitate, tunc nullo modo latitudo ſubſtantiæ eſt prior quantitate, ſed ab ea obtinet eſſe, tunc denique ſubſtantia non eſt genus reale diſtinctũ à quantitate, (nam vel hoc, vel quæ prius inferebantur admitti debet,) quæ peripatetico cuique moleſta nimis redduntur, & moleſtiora, ſi dicatur eſſe ſpectare ad prædicamentũ quando. Denique, cum dixerimus nos, & rurſus dicturi ſimus, cum dicant & ipſi, exiſtentiam eſſe actualitatem ipſius eſſentiæ, & hanc vt potentiam illi comparari, neceſſe eſt, vt exiſtentia ſubſtantiæ ſit in cathegoria ſubſtantiæ, quoniam actus, & potentia ſunt in eodem genere, ex 12. Diuin. 26.

Ariſtotel.

Nota tertio, quod vt dicebatur ex Auctore varijs in locis circa annotationes in quinta parte huius literæ, in materialibus ſubſtantijs vltra compoſitionem materiæ, & formæ, ex qua reſultat eſſentia, vel forma totius, datur & alia compoſitio ex illa eſſentia cum eſſe, quod ei aduenire intelligitur, & in ea recipi, eãdemque actuare, adeo quod forma, quæ eſt actus materiæ, cõparata deinde ad eſſe, ſe habet vt potẽtia, quoniã ſicut in materia recipitur forma, ex qua receptione prouenit compoſitũ, ita in eſſentia, vel forma totius recipitur eſſe, ſic forma, vel eſſentia, eſt actus, & potẽtia, actus ſi cũ materia cõferatur, quæ vt ita loquar præceſſit, potentia ſi reſpiciat eſſe, quod ſuccedere debet; Ipſum vero eſſe adueniens

D.Thom.

Quomodo eſſentia conueniat ratio actus, & potentiæ.

niens ita eſt actus, vt nullo modo ſortiatur rationem potentiæ, quoniam nihil vltra ipſum expectatur, hinc iure dicitur actualitas omnis actus, ac ſubinde nullam præſeferens potentiæ imaginem. Quocirca eſſentia creaturæ non eſt in potentia ſimpliciter, adeo vt nullo modo ſit actus, vel aliud actuãs, quoniam iam in illa eſſentia adeſt forma, quæ eſt actus, & à qua eſt omnis actus, eſt tamen in potentia eo ſenſu, quoniam non ſeipſa ſola ſufficit ad hoc, vt ſit ſimpliciter in actu, ſed aliud quid adijciendum eſt, ad quod ipſa eſt in potentia, & quo deinceps eſt in actu abſolute, & ſimpliciter, quod profecto eſt ipſum eſſe; Sic longe differt à materia prima ipſa eſſentia, quoniam illa eſt pura potentia, hæc vero eſt actus, hoc eſt, habet actum, cum coaleſcat ex materia, & forma, qui ſane actus in ipſa concluſus non ſufficit ſe ſolo formaliter, ad hoc vt ſimpliciter eſſentia exiſtat, quoniam requiritur eſſe. Dixi formaliter, quoniam cauſaliter ſufficit, nam à forma cauſatur, & promanat eſſe, vt norunt omnes, quippe quod vbi aduenit, ipſa eſſentia merito formæ, quam ſui partem claudit, dicitur deinde actuare ſe totam, hoc eſt, compoſitum ipſum, cum enim duæ partes ſint in eſſentia rerum compoſitarum, materia ſcilicet, & forma, ab hac cauſatur eſſe, beneficio cuius actuantur & partes compoſiti, & ipſummet compoſitum, diuerſimode tamen.

Pro quo nota quarto, quod licet vnicum, & idem ſit eſſe, quo exiſtit materia, & forma, & compoſitum, non tamen eodem modo conuenit his exiſtere, nam materia ſola non eſt capax exiſtentiæ, ſed oportet ei formam aduenire, & in ea recipi, ex qua receptione emergit deinde id quod eſt proprium ipſius exiſtentiæ receptiuum, quippe quod nil aliud eſt, quam compoſitum, quod plane primo exiſtit, ceu & fit, & liquet ad idem ſpectare exiſtere, & fieri, cum hoc ſit ad illud via, ſolum autem compoſitum fieri, ab Ariſtotele accepimus, & primo Phyſi. 64. & ſeptimo Diuinorum 27. materia autem, & forma ſecundario exiſtunt, quemadmodum & ſecundario fiunt, (ſunt vtique partes,) eſt tamen inter has partes diſcrimen, quoniam materia ita exiſtit, vt exiſtentiam ſolum recipiat, eique ſubſternatur, forma autem ita exiſtit, vt ſit principium, & cauſa huius exiſtentiæ, quamuis vt dicebatur non ſit eius proprium ſubiectum; Sic docte vt ſemper Auctor ſecundo cont. Gent. 54. dicebat, quod forma eſt principium eſſendi, quoniam eſt complementum ſubſtantiæ, cuius actus eſt ipſum eſſe, veluti diaphanum eſt aeri principium, vt luceat, quoniam facit eum proprium ſubiectum luminis, & mox addebat, quod in compoſitis ex materia, & forma, neque materia, neque forma, neque exiſtentia poteſt dici quod eſt.

Proprium receptiuũ eſſe.

Ariſtotel.

D.Thom.

Sed pulchram proportionem diaphaneitatis, lucis, & aeris, ad formam, exiſtentiam, & compoſitum à D.Doctore vt audiſti inſinuatam, eleganter dilatauit Caiet. circa quintam partem literæ iuxta meam diuiſionem, in quinta earum decem differentiarum, quas allegabat inter compoſitiones formæ, & materiæ, & eſſe, & eſſentiæ, vt apud ipſum nullo negotio cernere potes, colligendo, aeri reſpondere materiam, diaphaneitati formam, aeri diaphano compoſitum, lumini eſſe, & ita accommodatam nimis intueberis proportionem; Materia non poteſt de ſe eſſe recipere, neque aer ex ſe lumen, diaphaneitas non poteſt de ſe primo recipere lumen, ſed eſt ratio aeri diaphano, vt recipiat illud, forma nequit primo recipere eſſe, ſed eſt ratio compoſito, vt id recipiat, aer diaphanus primo recipit lumen, & eſt proprium eius ſuſceptiuum vt quod, compoſitum primo recipit eſſe, & eſt eius proprium ſubiectum, aer, & diaphaneitas eodem lumine ſecundario illuminantur, materia, & forma eodem eſſe ſecundario exiſtunt,

Caietanus.

Vide proportionem.

ſtunt, diaphaneitas demum non eſt lumen, & forma non eſt eſſe, ſed hoc ab ea prouenit, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Conſectaria ex præmiſſis.

EX his multa colliges, & primo, eſſentiam eſſe potentiam, & eſſentialem in eo ſenſu, quoniam eſt ad eſſe, & ad id ſubinde, quod non eſt accidens, & nõ eſſentialem, quoniam non eſt ad formã, immo forma ea eſt, quæ ad ipſum eſt in potentia, rurſus eſt in potentia ad eſſe, quod ſe habet vt actus primus, quem potentia reſpiciens eſt eſſentialis, ſic ruit argumentum recentiorum, quo dicunt, eſſentiam non eſſe potentiam, neque eſſentialem, neque accidentalem; & exiſtẽtiam non eſſe actum, nec primum, nec ſecundum, ſi illud etiam addideris, quod eſſentia non eſt antea in actu exiſtentiæ, quam ipſum actum recipiat, (licet ſit in actu formali,) quare ſimul recipit eſſe, & per illud exiſtit, vt recte docuit Aegidius quæſt. illa frequenter allegata ad quintum argumentum. Quomodo eſſentia ſit, & nõ ſit potentia eſſentialis.

Collige ſecundo, quod quoniam ſimul tempore materia acquirit formam, vnde prouenit compoſitum, ſeu eſſentia, quæ ſimul recipit eſſe, & omnia hæc eodem inſtanti fiunt, ideo debiles ſatis cernuntur percontationes illæ, quando quæritur, quid ſit eſſentia ante exiſtentiam, quamuis etenim nomine eſſentiæ vt ſic accipiatur id quod ſignificatur per definitionem, quod ſane eſt quid ſemper manens, ac perpetuæ veritatis, attamen cum loquimur de eſſentia pro illo tempore, ac ſtatu, in quo immediate eſt ſub eſſe futura, loquimur quodammodo de eſſentia, non vtcumque, ſed ferè de hac, hoc eſt de ea, quæ eſt ſub eſſe, at conſideratis ſeorſum meritis vtriuſque, quo fit, vt nedum ſumatur id quod exprimitur per definitionem, ſed & ſuppoſitum ipſum includens ſubſiſtentiam, cuius ope conſtituitur capax actus eſſendi, vt plene habitum fuit quæſtionè tertia ad hanc literam, & ſic comparatum eſſe, quod ei extrinſece adueniet, (quod videlicet in ſui ratione, ac definitione non includit,) habet rationem potentiæ. Quid per eſſentiam accipiatur. Ex quo elicitur manifeſte, eſſentiam ſic acceptam præciſam per conſideratiõe ab exiſtentia, eſſe quid realiſſimum, quamuis non realitate exiſtentiæ, ſub qua ſit actu, quocirca verum eſt, quod conſueuit dici, quod recipere ſupponit eſſe, & ſic eſſentia in illo priori anteaquam recipiat eſſe, oportet vt ſit quidem, at non eſt tũc illud, quod recipit, (nam fruſtra illud reciperet,) ſed eſt quid aliud, & cum actum exiſtentiæ ponatur recipere, tunc non eſt in illo actu, ſed in illo eſſentiæ, ac formæ; Et ſi diligentèr inſpexeris, quod ſimul tempore eſſentia recipit eſſe, & quod multa proferuntur de eſſentia, quatenus conſideratur ſeparatim ab eſſe, non autem quatenus exiſtat, (quoniam nihil exiſtit, niſi ſit ſub aliqua exiſtentia,) à multis difficultatibus te expedites.

Collige tertio, quod non valet, ſi accipiatur materia ſub forma, ex qua conſurgit eſſentia, ſeu ſuppoſitum cõſideratum quo ad intrinſeca, quod ſtatim intelligatur eſſe in actu exiſtentiæ, quoniam quamuis à forma ſit omne eſſe, tamen forma non eſt ipſa exiſtentia, ceu cauſa non eſt effectus, nam eſſe eſt effectus ipſius formæ, ab ipſa in genere cauſæ formalis emanans, ac pendens, & cum cauſa omnis, ſi nõ tempore, ſaltem natura præcedat effectũ ſuum, in illo priori A quo ſit eſſe.

in quo

in quo emergit eſſentia ex vnione materiæ cum forma, intelligitur adeſſe forma abſque eſſe, & bene poteſt ſic intelligi, ac definiri, cum definitiones abſtrahant ab eſſe; prouenit autem eſſe à forma, & eam neceſſario comitatur, vt dicebat Auctor prima parte, quæſt. 50. art. quinto, quoniam vt ibidem aiebat Caiet. inter formam, & exiſtentiam rei nulla media actio inuenitur, quæ hanc illi copulet, non enim prius, (intellige tempore) fit forma, & alia actione accedente iungitur exiſtentia, ſed eadem factione, qua fit forma, fit ſub eſſe, quod dicebat Caiet. fieri formæ ad coniunctionem cum eſſe terminari, merito itaque eſſentia rationem habet potentiæ relata ad eſſe.

D. Thom.

Caietanus.

Collige quarto, quod quoniam exiſtentia non aduenit alicui exiſtenti in actu, ſed ipſa eſt, quæ fert ſecum actum exiſtendi, immo eſt ipſemet actus exiſtendi, ea propter non concluditur, vel quod eſſe ſit accidens, quoniam enti cōpleto adueniat, neque quod ex eſſentia, & eſſe nequeat prouenire vnum per ſe; Non eſt autem par ratio, ſi duæ formæ eſſent in eodem compoſito, quoniam prior forma attuliſſet ſecum actum eſſendi, tamquam effectum ab ea phyſice ſaltem inſeparabilem; ſic poſterior forma adueniret enti in actu exiſtentiæ, quare de neceſſitate eſſent duo eſſe in eodem, dum autem ponimus eſſe aduenire eſſentiæ, modo expoſito, neutrum ſequitur, quoniam licet adueniat eſſentiæ completæ quo ad quidditatem, & quo ad ſpeciem, & quo ad formam, non tamen quo ad actum eſſendi, &c.

Quomodo eſſentiæ completę adueniat eſſe.

Collige quinto, quoniam eſſe eſt vltima actualitas adueniens ſuppoſito, iccirco licet ex eſſentia, & eſſe conſtituatur vnum per ſe, (non enim vllum accidens adhuc intelligitur,) nihilominus illud vnum non eſt quid tertium ab eſſentia, & eſſe, velut compoſitum eſt quid tertium ex materia, & forma; ita compoſitio ex eſſentia, & eſſe dicitur cum his, quoniam eſſentia componit cū eſſe, & e contra, at non eſt compoſitio ex his, quaſi ſcilicet ex ipſis aliquid tertium proueniat, & ratio eſt, quoniam ſi quid tertium reſultaret, tunc eſſe non foret vltima actualitas, non ita actus, quin & haberet rationem potentiæ, ſed compararetur vt potentia ad illud tertium, quod expectaretur, aliàs enim diximus ex Auerr. tertio de Anima 36. & eſt cōmunis conſenſio, quod ſemper prius comparatum poſteriori, quod aduenire intelligitur, habet rationem materiæ, potentiæ, & imperfecti, quare vltima actualitas neque eſſet vltima, neque actualitas, non vltima, quoniam quid ponitur poſterius accedere, nō actualitas, quoniam illud poſterius ſe haberet ad ipſam vt actus; Ita in annotationibus ad quartam partem huius literæ dicebam ex Caiet. eſſentiam, & eſſe non poſſe proprie dici partes quid tertium componentes, quod & docuit Capreolus in tertio, diſtin. quinta, quæſt. tertia, in fine prope quæſtionis ad ſextum inconueniens Aureoli, quam doctrinam merito acceptam refert Auctori quolibeto ſecundo, ar. tertio ad primum, inde enim expreſſe colligitur, ex eſſentia, & eſſe nihil tertium proficiſci; &c.

Qualis compoſitio ex eſſentia, & eſſe.

Auerroes.

Caietanus.

Capreol.

D. Thom.

Collige ſexto, ex hoc ipſo non dari proceſſum in infinitū in exiſtentijs, quoniam exiſtentiæ non eſt exiſtentia, & iam diximus, ipſam eſse id quod vltimo aduenit eſsentiæ, non enim forma dat eo modo eſse, vt inter ſe, & compoſitum ponat tertiam entitatem, tunc enim oporteret & huic tertiæ entitati aſſignarę eſse, & ſic de alijs, ſed ex coniunctione formæ ad eſsentiam prouenit eſse, vt tertio corollario dicebatur, ſic eſse quod prouenit à forma non recipitur in eſsentia, velut accidens in ſubiecto, neque vt forma in materia proprie loquendo, ſed vt actus in potentia, actus autem abſtrahit à forma, & potentia à mate-

Quomodo eſſe ponatur recipi in eſſentia.

ria,

ria, vt dicebat Capreolus octaua illa diſt. primi ad tertium Gerardi; hoc eſt, nó omnis actus eſt forma, (quamuis à forma,) neque omne recipiens eſt proprie materia; & clare habes ſecundo cont. Gen. cap. illo 54. differétias varias inter receptioné formæ in materia, & eſſe in eſſentia, ceu longo diſſident interuallo ea, quæ ex his receptionibus conſurgunt, adeo vt decé penes quæ hæ, & illæ diſcriminantur adferat Caiet. circa quintá parté literæ, vt ibidem obſeruabam. Capreol.

Ipſum itaque eſſe, quoniam eſt actualiſſimum in genere actus primi, (nam ſuppoſitum ſub eſſe adhuc eſt in potentia ad actus ſecundos, & operationes) non conſtituit aliud potentiale, dum aduenit ſuppoſito, quapropter non ſequitur, quod ex ipſo, & eſſentia in qua ipſum eſt, aliud eſſe proueniat, quoniam dum quid eſt ſub eſſe, eſt in termino actus primi, (nihil profecto ſubſtantiale ſibi manet expectandum,) quod non poterat dici de eo dum erat ſub forma, nam adhuc erat in potentia ad eſſe.

Collige tandem, quòd quoniam fatentur omnes, nullam rem creatam ex ſe exiſtere, ſed exiſtentiá à prima cauſa accipere, ideo nulla res creata poteſt ſeipſa dici ens, aut ens per eſſentiá, ſi ens accipiatur ab exiſtere, & participialiter ſumatur, ſed dicitur ens participatiue, quoniá omnia citra Deum participant eſſe ab eodem Deo, ſic quoduis creatum exiſtit per eſſe additú propriæ eſſentiæ; Nó inferas autem, quod tunc & eſſe debeat per quid ei ſuperadditum exiſtere, cum & ipſum ſit quid creatum, quando namque dicitur quoduis creatum exiſtere per quid ei additú, & ex participatione acceptú, loquimur de ijs, quæ vere ſunt & facta, & creata, cuiuſmodi ſunt ipſa ſolum ſuppoſita, vt præcedenti articulo dictum fuit; ſatis autem conſtat exiſtentiam non eſſe id quod eſt, ſed id quo quid eſt, vnde nullus proceſſus in infinitum ſequitur, quoniam quo ad eſſe fit ſtatus in ipſomet eſſe, neque aliud eſſe eſt ſuſpicandum, per quod ipſum eſſe exiſtat, non enim valet, ſi relatiuum referatur per relationem, quod & relatio referatur per aliam relationem, & ſi homo differat à leone per differentiam ſuam, quod & illa differentia per aliam differat differentiam, quoniam neque relationes referuntur, neque differentiæ differunt, ſed illæ ſunt quibus alia referuntur, hæ quibus alia differunt, ſic referri, & differre non eodem modo reſpiciunt relatiua, & quæ differunt, & relationes ipſas, ac differentias, quoniam ea vt quæ, hæc vt quibus, tunc autem datur progreſſus in infinitum, vel eſt ſiſtendum in primis, quando aliquid eodem modo comparatur ad ſecundum, ſicut ad primum, & ad tertium, ſicut ad ſecundum, ſic enim qua ratione non fit ſtatus in primo, neque in cæteris, ſic valeret, ſi Deus producat modo angelum perfectum, & deinde alium perfectiorem, & poſtea alium adhuc perfectum magis, & ſic de alijs, quod dabitur proceſſus in infinitum, quoniam modo non diſſimili compararetur ad primum productum, & ad alios; In noſtro autem propoſito res non ita ſe habet, vt ſi quidpiam creatum ad hoc vt exiſtat, requirat eſſe ei ſuperadditum, quod illud eſſe aliud eſſe exigat, & ſic de alijs, quoniam eſt impar habitudo ipſius eſſentiæ, & eſſe ad exiſtere, quoniá eſſentia, ſeu compoſitum exiſtit vt quod, ſic requirit aliquid quo exiſtat, ipſum vero eſſe eſt quo aliquid exiſtit, vnde non debet ei accedere aliud eſſe, quo exiſtat; Rurſus eſſentia quoniam comparata eſſe, habet rationem potentiæ, ideo eget actu ad ſui exiſtentiam, eſſe vero quoniam ſemper eſt actus, non indiget alio actu vt exiſtat; Hæc autem licet plene conſtare opiner ex dictis, ſi tamen cumulatius ea cupias videre, legas Aegidium loco illo de Eſſe, & eſſentia ad ſecundam quandam rationem in corpore quæſtionis, vbi non

Quomodo omne creatú exiſtat per quid ei additum.

Quando detur progreſſus in infinitum, aut ſtandum ſit in primis.

Aegidius.

mimus late, quam egregie hoc quod vltimo collegimus explicat.

Difficultas. Sed contra hæc, quæ pluries repetimus poſſet aliquis non ſubiicere verbum Ariſtotelis ſecundo de Anima ſeptimo dicentis, quod proprie eſt, actus eſt, eſſe autem eſt actus, & primus, & vltimus, & potiſſimus, ergo proprie eſt, proprie exiſtit, ſic non tantum eſt quo quid exiſtit, quare videtur doctrina hæc ruere. At hoc nihil obſtat, quoniam nomine actus eo loci accipit Ariſtoteles formam, nam manifeſte ibi de anima loquitur, & verum eſt, quod ſi accipiatur forma vt ſic, & abſolute, non contracta ad vllam, quam informet materiam, eſt vt quo, & vt quod, vt cernere eſt in intelligẽtiis, forma autẽ materiã informans, & forma talis eſt proprie id quod eſt, tamquã quo, quod eſt proprie eſſe, id quod eſt formaliter, quoniam eſt ratio eſſendi. Vt itaque bene ad illum textum dicebat Caiet, cum diſtinctum ſit vniuerſum in tres ordines, formæ ſcilicet, materiæ, & compoſiti, eſſe inuenitur proprium ordinis formæ, quoniam conuenit ſibi non per aliud, & quibuſuis alijs conueniat, merito ſui conuenit, quare quod proprie eſt, actus eſt, hoc eſt, forma vt ſic, vel de forma materiali loquendo, proprie ipſa eſt vt principium formale, & illam, & hanc ſequitur eſſe, tamquam vtriuſque effectus, modus, & complementum, quo vnumquodque exiſtit, ipſo tamen nequaquam exiſtente, &c.

Ariſtotel. — Auſertur. — Caietanus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Adfertur, & probatur vera ſententia.

Concluſio. VBi multa adnotauimus, & plura collegimus, concluſionem demum ſtatuamus, quæ dicat: In omni ente citra primum, vel ſubſtantiali, vel accidentali differt realiter eſſentia ab eſſe.

Capreol. Vide ad hoc probationes ſeptem ex Auctore varijs in locis, quas diligenter allegauit Capreolus octaua illa diſtinctione, & nobiliter defenſat à nonnullis ſolutionibus, quibus ab aduerſarijs conſueuit occurri, ex quibus tres habes hoc loco à Caietano ex ſecundo contra Gentes 52. Vide etiam Ferrarien. ibidem, & Aegidium loco nominato, & Paulum à Soncino, & omnes ferè alios, quos cum Auctore ſentire commemoraui, & complures rationes, quas fruſtra nituntur nobis aduerſantes diſſoluere conſpicies, &c.

Caietanus. Ferrarien. Aegidius. Soncinas.

Prior ratio pro concluſione. Ipſe itaque poſitam concluſionem breuiter probare conſtituo, & primo ſic, Eſſentiæ rerum ſunt ab æterno, exiſtentiæ non ſunt ab æterno, ergo eſſentia non eſt eadem realiter cum exiſtentia, conſecutio eſt clara, quoniam tantum abeſt, vt quod eſt æternum, poſſit eſſe quod non eſt æternum, quod æternum, & mortale differunt genere, ex vltimo decimi Diuinorum, vbi Auerroes dicebat, illud quod congregat æternum, & corruptibile eſſe æquiuocum, & purum nomen, & in aperto eſt, quod quæ diſtant ſecundum genus, nequeunt omnino in vna natura conuenire; ſi autem ponatur eſſentia eadem eſſe, iam corruptibile, & incorruptibile nedum conuenient in genere, in natura, ſed erunt vnum numero, quod pugnat; antecedens quo ad ſecundam partem eſt de Fide, nam nihil aliud à Deo extitit ab æterno, quo ad primam vero partem aſſeritur à D. Auguſt. ſecundo de Libero arbitrio, cap. 8. vbi multa dicit de propoſitionibus, quas incommutabiliter veras, ac perpetuæ veritatis affirmat, afferens exemplũ de hac propoſitione, qua dicitur, ſeptẽ, & tria ſunt decẽ

Auerroes. — D. Auguſt.

& alia adiiciens ibi, & cap. 10. quæ ibidem adfert Capreolus; Sed & philoſophi omnes cum ponant ſcientias eſſe ſempiternorum, ac neceſſariorum, ponunt rerum eſſentias perpetuas, alioquin niſi foret hæc propoſitio æternaliter vera, *homo eſt animal rationale*, quam ſcientiam tenerent de homine philoſophi? & ſic de alijs, &c.

Neque eo confugiendum eſt, vt dicatur eſſentia ante exiſtentiam eſſe nihil, tunc enim ſcientiæ, ac definitiones eſſent de eo, quod eſt nihil, tunc non darentur vniuerſalia, perirent genera, ruerent ſpecies, & denique omnis ſcientia humanitus ſaltem inuenta euerteretur; vnde quamuis non exiſtant, & careant eſſe exiſtentiæ, attamen ſunt entia, prout ens dicit eſſentiam, & tametſi nihil ſunt, quatenus nihil opponitur ei, quod non exiſtit, non tamen ſunt nihil, quatenus nihil diſtinguitur contra omne illud, quod eſt ens, nam & ens quod dicit eſſentiam, eſt vere ens, & tale ens diuiditur in prædicamenta, (habita nihilominus, & potiſſima conſideratione ad ordinem habitualem ipſius eſſe,) & multa tali enti tribuuntur, & partitiones ſcilicet, & contractiones, & prædicationes, & denique ſcientiæ omnes hoc ens reſpiciunt, exiſtentiam ferè omnino negligentes, Vnde quamuis Aureolus apud Capreolum vbi ſupra 7. ſuo argumento, ibi in ordine 27. videatur irridere diſtinctionẽ hãc de nihilo, vt ſcilicet opponatur enti eſſentiæ, vel enti exiſtẽtiæ, bene tamen ei occurrens Capreolus dicebat, ex inaduertentia huius diſtinctionis adeo ipſum fuiſſe deceptum, vt per illam omnia eius argumenta, (adde tu pleraque alia multorum aliorum) ſoluantur; Quod ſi *nihil* non poſſet diſtingui, male Ariſtoteles quinto Phyſic. octauo diſtinxiſſet non ens, & quarto Diuinorum ſecundo appellaſſet priuationes entia; Sed & ſecunda quæſtione ſuper hoc caput longo proceſſu manifeſtaui, nullam eſſe argumentationem, ſed in eam fallaciam incidere, ſi quis dicat, hoc non eſt in actu, ergo non eſt. At ſi eſſentia ſemota exiſtentia foret nihil, vana prorſus eſſet de horum ab inuicem diſtinctione controuerſia; immo vero cum multi aſſerant, exiſtentiam eſſe quendam modum eſſentiæ, eiuſque actualitatem, iam volunt ipſam eſſe aliquid, aliàs eſſet modus, & actualitas eius, quod nihil eſt; Quod ſi dicant, eſſe vtique modum, at non realiter ab ipſa diſtinctum, iam perpetuitas eſſentiæ, & eſſe corruptibilitas realem hanc diſtinctionem comprobauit, &c. Capreol.

Præterea, Quando eſſentia acquirit eſſe, (& accipio prioritatem illam naturæ, in qua materia eſt ſub forma, anteaquam accedat eſſe,) dum aduenit eſſe, vel quid reale ei aduenit, vel non; ſi primum, habeo quod volo, ſi ſecundum, igitur exiſtentia non eſt quid reale, igitur rem exiſtere, eſt quid rationis, quæ ſtulta ſunt; Neque dicas, non dari materiam ſub forma ante ipſum eſſe, hoc enim verum vtique eſt in duratione, ſed prioritate cauſalitatis, & naturæ vere prius eſt in materia forma, quam adſit eſſe, aliàs cum forma ſit cauſa formalis eſſe, aliqua cauſa daretur, quæ neque natura præcederet effectum ſuum, quod nullus dicet. Adde, quod priora ſunt intrinſeca extrinſecis, eſſe autem eſt quid extrinſecum ſuppoſito, quocirca prius intelligitur ſuppoſitum, quam eſſe, & ex conſequenti prius materia ſub forma, &c. Secũda ratio. Defenditur.

Rurſus, quod ob rei infinitatem, ſeu etiam multiplicem virtutem aliquid ſub vno conceptu de ea proferatur, & aliud negetur, id concedi poteſt, de quo mille extant exempla apud Theologos, & Philoſophos, ſed quod de vna, & eadem re dicatur ſimul, quod ſit abſolute, & quod non ſit abſolute, id non eſt intelligibile, quoniam non adeſt aliquid ſubſtans his prædicatis repugnan- Tertia.

tibus, & contradicentibus, & tamen de eſſentia nunc dicitur quod ſit, de exiſtentia, quod non ſit, nam aliquo tempore exiſtentia roſæ non eſt, & ſemper eiuſdem eſſentia eſt, quomodo igitur eſſentia erit illamet res cum exiſtentia, adeo vt hæc nihil reale illi adferat? profecto ſi nihil reale addat eſſe eſſentiæ, ſemper quando erit eſsentia, erit ſub eſse, nam ſemper habebit ſecum omnia ſibi realia, & cum exiſtentia ſit vltimus actus, ſemper erit eſſentia in vltimo actu, quod perquam falſum eſt.

Poſtrema. Denique, Si eſſentia ſit idem quod eſse, non poſsemus intelligere eſsentiam, quæ non exiſteret, tunc enim intelligeremus eſsentiam, quæ non eſset eſsentia, quamuis enim poſsemus intelligere eſsentiam vt eſt eſsentia, non intelligendo ipſam vt eſt exiſtens, (velut quamuis idem ſit ens, & vnum, quoniam tamen differunt ratione, ideo poſsum aliquid intelligere, vt eſt ens, non intelligendo illud vt eſt vnum,) non tamen poſsemus intelligere eſsentiam, quod non exiſteret, & impoſſibile eſset eſsentiam non exiſtere, quoniam impoſſibile eſt, vt aliquid non ſit ſuamet natura, & illud quod identice eſt, quemadmodum non valemus intelligere ens, quod non ſit vnum, quoniam omne quod eſt ens, vnũ eſt, vt inter alios late, & eleganter oſtendit Boetius tractatu de Vnitate, & Vno; Ita elucere poteſt, ſolutiones recentiorum ad hoc argumentum eſse inualidas, aiunt enim, quod vtique non poterit intelligi homo ſub oppoſito rationalis, ſed hoc non prouenire ex eo quod ſit idem re rationale cum homine, ſed quoniam eſt de eius eſsentia, vnde quamuis eſse ponatur idem re cum eſsentia, quoniã tamen non eſt de illius eſsentia, ea propter dicunt poſse hanc intelligi ſub oppoſito illius; Sed falsa ſunt hæc, quamuis enim verum ſit, quod ſi quidpiam non ſit de alicuius eſsentia, illud poſsit abſque hoc intelligi, diſtat tamen à vero, quod ſi quid ſit idem re cum alio, illud poſſit intelligi ſub oppoſito huius; rationale autem quoniam eſt de eſsentia hominis, nedum obtinet, vt non poſſit homo intelligi ſub eius oppoſito, ſed etiam vt ſine ipſo nequeat intelligi, (quod commune eſt ijs, quæ ſunt de eſsentia alicuius,) licet autem eſse riſibilis naturæ ſit idem cum homine, attamen nihil prohibet, vt intelligatur homo abſque eo quod ſit aptus riſui, nequit vero intelligi ſub oppoſito riſibilitatis; Sic quamuis eſse ab iſtis ponatur non fore de eſsentia eſsentiæ, quoniam tamen ponitur eadem res, quæ illa, poterit intelligi eſsentia abſque exiſtentia, non tamen ſub oppoſito exiſtentiæ; poterit inquam intellectus ſimplicis intelligentiæ abſtractione, & prima ſui operatione attingere eſſentiam abſque eſſe, & negatiue, ſed non poterit ſecunda operatione componendo, & contrarie dicere, eſſentia non exiſtit, quoniam tunc diceret eſſentia non eſt eſſentia, conſtat autem, quod nedum vere intelligimus eſſentiam ſine exiſtentia, ſed & ſub eius oppoſito, quoniam in rei veritate, & ab æterno fuit, & nunc perſæpe eſt eſſentia abſque eſſe; Neque eo confugias, quo nonnulli alij moderni dicentes, eſſentiam numquam eſſe abſque exiſtentia, quoniam eſſe importat durationem, cernis enim facile, quomodo tranſeant ad actum exiſtendi, & ad ens participiale, nam loquendo de eſſe eſſentiæ nulla exigitur duratio proprie accepta, ſed ſufficit connexio prædicati cum ſubiecto, & præterea, quæ omnia in primo argumento inculcaui, faciunt contra hoc.

Boetius.

Defenditur ratio.

Applicatio hucuſque dictorum ad intelligentias. Illud perfacile circa has rationes obſerua, quod æque probant in immaterialibus ſubſtantiis, atque in materialibus, nam & eſſentiæ ſubſtantiarum ſeparatarum fuerunt ab æterno, non autem exiſtentiæ ſecundum Fidem, ſed & apud peripateticos, cum viderimus præcedenti quæſtione, eas accepiſſe eſſe ab

æterno,

æterno; & à primo ente dependere, ſaltem in illa naturæ, & cauſalitatis prioritate fuerunt eſſentiæ abſque eſſe, quæ erat prior ratio, ita quid reale acquiſiuerunt, quando exiſtentiam ſunt ſortitæ, vt volebat ſecunda, & de eſſentia poteſt dici, quod ſit, de eſſe, quod non ſit, vel temporis duratione, ſecundum ſacram theologiam, vel ſigno naturæ iuxta philoſophos, vt colligebat tertia, & demum poſſunt concipi ipſarum eſſentiæ, nedum abſque eſſe, ſed & ſub non eſſe, vt dicebatur in quarta, &c. Omnia etiã quæ de eſſentia compoſitarũ ſubſtantiarum in ordine ad eſſe diximus, accommoda eſſentiæ ſimplicium, licet enim ab iſtis ſemoueatur compoſitio ex materia, & forma, attamen manet forma, quæ eſt tota ipſarum eſſentia, eodem modo ſe habens ad eſſe adueniens, quo eſſentia compoſitarum, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

Tolluntur e medio inducta argumenta.

EX argumentorum, quibus pars oppoſita fulciebatur infirmitate, noſtræ poſitionis firmitas euidentior deprehendetur; Ad primum igitur, concedo cum Capreolo primo octauæ illius diſtinctionis art. & Caiet. in præſenti, quod ratio illa colligitur ex Auctore, eadem eiuſdem primi diſtinctione, q. 4. art. ſecundo, vnde præfatam rationem ſibi ſexto loco formabat Capreolus, & eandem à nonnullis Godofredi ſolutionibus egregie tutabatur, (ſic minus bene Aquarius dixit, rationem illam non eſſe Auctoris, eam omnino tribuens Paulo Soncinenſi, cum poſt Auctorem, Capreolus quoque & formauerit, & dilatauerit,) falſum nihilominus eſt, quod eiuſmodi ratio ſit totum noſtræ poſitionis fundamentum, nam ſi eundem Auctorem ſecundo contra Gentes, cap. illo 52. vidiſſet, ſeptem rationes inſpexiſſet, de hac nulla ibi habita mentione; Eſt itaque bona ratio, ideo eſſentiam differre ab eſſe, quoniam ad id eſt indifferens, negaturque, quod eſſe ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe, & eſſentia ad eſſentiam, & non eſſentiam, cum nihil poſſit eſſe indifferens ad aliqua duo, quorum alterum ſibi determinet in ſua definitione, quis autem ignoret, eſſentiam de intellectu eſſentiæ, & eſſe de intellectu eſſe? & vt ibidem dicebat Capreolus, aſſerere, quod eſſe ſit in potentia ad eſſe, eſt contradictoria dicere, quoniam eſt dicere, quod eſſe ſit, & non ſit, cum tamen de ratione actualis exiſtentiæ ſit actualitas eſſendi; Quod autem eſſe roſæ non ſit in hyeme, inde prouenit, quoniam eſſentia quæ ſemper coniuncta ſibi habet ſua quidditatiua prædicata, nondum peruenit ad actum eſſendi, & non inde quia eſſe ad eſſe ſit indifferens, tale ſiquidem eſſe non eſt aliud, quam actualitas eſſendi, quam ſane implicat eſſe in potentia, velut & pugnat aliquid eſſe in potentia ad ſeipſum; Quando additur, eſsentiam eſse indifferentem ad eſsentiam, quoniam non eſt ab æterno, leuiſſimum eſt, nam ex eo quod actu ab æterno non exiſtat eſsentia, non ſequitur, quod non ſit ab æterno, quoniam eſſe quod ei datur ab æterno, non eſt exiſtentiæ, ſed eſsentiæ, vel enim roſa ſit, vel non ſit, ſemper eſt ſubſtantia, ſemper eſt flos odoris ſpiratiuus, ſi tamen aliquo termino ſignificante menſuram, vel durationem in his vti liceat, &c.

Capreolus
Caietanus.
Aquarius.
Cur eſſe roſæ non ſit in hyeme.

Ad ſecundum, iam dictum fuit, quinto præcipue corollario, nequaquam ex eſse, & eſsentia proficiſci vnum tertium, vnde non reſultant duo compoſita, neque

ta, neque duo termini totales, neque enim eſsentia eſt potentia abſolute, ſed vere actus, (includit enim formam,) licet comparata eſſe, habeat rationem potentiæ, vnde non eſt, cur ex tali potentia cum actu fiat vnum tertium. Quo vero ad terminos formales, fatemur duos eſse in generatione, at non eodem modo, ſed vnus ſubiicitur alteri, forma videlicet eſse, vnde ſe habent vt vnus terminus ſpeciem tribuens ipſi generationi; Adde, quod forma, & exiſtentia non ſunt duæ res, ſed duæ realitates, nam hæc eſt realitas illius actualis; Et quidem terminus formalis primus generationis eſt forma, ſecundarius eſse, quoniam generatio terminatur ad formam, à qua emanat eſse, creationis autem e contra terminus primus eſt eſse, ſecundus forma, nam creatio vt ſic terminatur ad eſse, vnde quamuis id quod eſt ratio eſsendi, ſit ratio rei quod generetur, non tamen eodem modo; Quod autem recentiores quidam cap. illo 15. ſexti libri de Principiis rerum naturalium dicunt, quod ſi forma ſit terminus primarius generationis, tunc poſset ad formam ſecluſa exiſtentia terminari, negatur hoc naturaliter, quoniam ad formam nulla media actione, & ſequitur, & natum eſt ſequi eſse, ex miraculo autem poteſt terminari ad formam ſolum abſque eſse nouo, ſed tantum fiet, vt eſse antiquum huic de nouo communicetur, &c.

Terminus primus formalis generationis, & creationis.

Ad tertium, ſi occurrat diſtinctio illa entis in id quod ſignificat eſsentiam, & quod exiſtentiam, videbis duplicem eſse realitatem, duplicéque affirmationem, & ſic licet nulla res componat cum realitate eſsentiæ, aut veritatis, componit tamen cum veritate, ac realitate exiſtentiæ, ſic affirmatio, & veritas hominis non ſunt ipſum exiſtere hominis, ſed eius eſsentia, hinc vel exiſtat homo, vel non exiſtat, ſemper homo, & non homo opponuntur, vt affirmatio, & negatio, vt veritas, & non veritas, vnde ly *homo*, ſtat pro eſsentia, nó pro eſse; Quod additur de homine in potentia non componente cum homine in actu, conceditur, cum quo tamen ſtat, vt eſsentia componat cum eſse, quoniam hic adeſt proportio potentiæ recipientis ad actum, ibi vero eſt proportio eiuſdem ad ſe ipſum iuxta varias, immo contrarias ſui diſpoſitiones, non enim eſse hominis in potentia compatitur ſecum eſse eiuſdem hominis in actu, eſsentia vero admittit ſecum exiſtentiam, &c.

Ad quartum bene reſpondebatur, ad impugnationem dico, quod idem eſt homo, & ens homo, vt etiam ens dicit exiſtentiam, in hoc ſenſu, quod ens nullam naturam extraneam addit homini, quamuis quid reale, ſed tale additú non eſt trahens hominem extra propria principia, vel quid accidentale ipſi rei, quã uis eius definitionem non ſubintret. Dico deinde, non colligi neceſſario Ariſtotelem ibi loqui de ente, vt dicit exiſtentiam, licet dicat generari & ens, & hominem, nam & ens, prout dicit eſſentiam generatur in eo ſenſu, vt ſcilicet eſt huius, vel illius, nam tametſi rerum eſſentiæ vt ſic ſunt ab æterno, tamen eſſentia vt mea eſt, genita fuit ſimul cum eſſe, &c.

Quomodo ens vt dicit eſſentiam generetur.

Ad quintum dicitur, quod quoniam nomina, & verba ſunt ad placitum, iccirco aliquando nomen, & verbum idem importabunt ſub vario ſignificandi modo, aliquando varias res dicent, ſic eſsentia, & eſse varias realitates ſignificant, ceu quoque intelligentia, & intelligere, (quod eſt exemplum ab Aegidio non ſemel quæſtione illa allatum,) ſe habent vt nomen, & verbum, & nihilominus illa ex vſu obtinuit, vt ſignificet ſubſtantiam ſeparatam, & naturam intelligentem, hoc vero ſignificat eiuſdem naturæ munus, & operationem, ac proinde accidens; ſic eſsentia ſignificat naturam, & quidditatem

Aegidius.

eſſe

eſse autem modum ipſius, & actualitatem, quare argumenta ſumpta ex rebus vt ſignificantur, non concludunt de rebus vt ſic, quoniam ſignificatio eſt ad placitum.

Aliter reſpondetur ex Capreolo ad ſecũdum Godofredi, quod concretum, & abſtractum nedum grammaticaliter, ſed & realiter diſtinguuntur, quoniam certe concretum quid reale abſtracto addit; ſimiliter res importata per nomen, & importata per verbum differunt, non enim ſapere eſt ſapientia, ſed eſse ſapientem, curſus non eſt currere, ſed eſse currentem, ſic eſse non eſt eſsentia, ſed eſse exiſtentem, &c. Capreolus

Ad ſextum, frequenter dictum fuit, exiſtentiam non eſſe ens completum, ſed complementum actuale, & vltimum entis completi, & negamus vtique reponi directe in prædicamento, ſed docemus locari ex reductione in eodem genere, in quo eſt eius eſſentia, ſic ruit prior confirmatio, eſt enim ſubſtantia, non tamen materia, aut forma, aut compoſitum, ſed horum actus vltimus ſubſtantialis, (loquendo de eſſe ſubſtantiarum,) Non habebat autem neceſſe Ariſtoteles in diuiſione ſubſtantiæ ipſum enumerare, quoniam ibi de principiis intrinſecis ſubſtantiæ, & de ſubſtantia ex illis conſurgente loquebatur, vel quoniam, (quod mihi magis placet,) dum recenſuit ſubſtantiam pro compoſito, & pro tertio ex materia, & forma, non tacuit ipſum eſſe, quoniam qui rem enumerat, & modos rei neceſſarios intelligitur enumerare, nullus autem ignorat, exiſtentiam eſſe de ſubſtantia compoſiti, ac ſubſtantiæ primæ exiſtentis, ſic quæſtione tertia ad hoc caput ſcribebamus, in primæ ſubſtantiæ aſſignatione facta ab Ariſtotele, aſſignatam quoque ſubſiſtentiam, & modum illum intrinſecum eiuſdem conſtitutiuum. Ariſtotel.

Ad ſecundam confirmationem dicitur, quod dicens Ariſtoteles, quæſtionẽ an eſt non ponere in numero, nil aliud voluit, niſi quod non habeat ſubiectum, & prædicatum eo modo, quo habent aliæ quæſtiones, quæ omnes quærunt de tertio adiacente, illa vero de ſecundo tantum, & per ipſam nihil ſubiecto tribuitur; Rurſus, non ponit in numero, quoniam non ingreditur definitionem, hæc enim abſtrahit ab eſſe, noluit autem abſolute dicere, quod nullo modo ponat in numero, alioquin tres tantum eſſent quæſtiones, & non forent æquales iis, quæ ſcimus, quoniam & eſſe rei ſcimus; Immo locus iſte in Ariſtotele nobis plurimum fauet, quoniam ſi alia quæſtio ſit an eſt, & alia quid eſt, certe differt eſſe, & eſſentia, quoniam illud terminat priorem, hæc poſteriorem, cum enim quæſtio ſit in gratiam cognitionis, (quærimus certe, vt ſciamus,) aliud quærimus per quæſtionem an eſt, & aliud per quid eſt, igitur aliud ſcimus per illam, aliud per iſtam, ſed per illam quæritur, & ſcitur eſſe, per hanc eſſentia, ergo &c. Vide locum alium inſignem in eodem libro inferius, cap. 7. vbi ait Ariſtoteles, quid eſt homo, & eſſe hominem aliud eſt, vbi clare hominis quidditatem dicit non eſſe eius exiſtentiam, quæ verba exponens Auer. dicebat, quod intentio, quæ oſtenditur per definitionem, quæ eſt intentio quid eſt, & quæ oſtenditur per ſyllogiſmum; quæ eſt exiſtentia, ſunt diuerſæ, & quidem hæc loca videntur concludere, Ariſtotelem eſſe in ſententia Auctoris; Sed quoniam ab aduerſariis de alietate formalitatis, & ex natura rei exponuntur, non autem de reali, ideo non conuincunt, valde tamen probabile eſt, ſic Ariſtotelem ſenſiſſe, & potiſſimum in rebus cum materia complicatis, tum quoniam eſſentiam vocat aliud ab eſſe, quod verbum videtur indicare diſtinctionem realem, tum quoniam liquido 3. de Anima 9. dixit, in quibuſdam car- Quo pacto quæſtio an eſt, non ponat in numero. Ariſtotel. Auerroes.

nem

nem non eſſe carnis eſſe, quod certe nequit accipi, niſi de reali diſtinctione, nam ſi exponatur de formali, & rationis, nullus negabit hanc in intelligentiis quoque poſt primam inueniri, vnde male diſtinxiſſet inter abſtracta à materia, & cum ea concreta, ſed idem de omnibus protuliſſet, quare propius ad veritatem, & ad mentem Ariſtotelis acceſſerunt Sueſſanus, & Zimara, & alij, qui dixerunt in materialibus ſubſtantiis differre eſſentiam ab eſſe, quamuis veritatem non omnino attigerint, cum & in ſecretis à materia ſit hæc realis diſtinctio.

Ad ſeptimum negatur minor, quoniam eſſe accidentis non eſt ipſum accidens, neque eſſe quod dat accidens ſubiecto, eſt ipſum accidens, vt videbimus cum Auctore in principio ſeptimi capitis, talis autem exiſtentia eſt accidens, quoniam non eſt ſubſtantia, eſt tamen de accidentis ſubſtantia, ſic reductiue ſpectat ad genus ſuæ eſſentiæ, & eſſe albedinis non eſt alius color ab albedine, vt recte colligebat Iandunus quæſtione illa ſua tertia ad quartum Diuinorum, non ſequitur tamen, quod ſit ipſamet albedo, vt idem auctor deduxit, ſed eſt modus, & actualitas ipſius, velut eſſe hominis non eſt alia res ab hominis eſſentia, ſed eius actualitas ab eo realiter diſtincta, vt includens à non includente; Quando autem dicunt, quod ſi tale eſſe inexiſtit, dabitur progreſſus in infinitum, patet ipſum eſſe non inexiſtere, ſed eſſe id quo eſſentia exiſtit, & quod conlectario ſexto patefeci de eſſe ſubſtantiæ, quomodo non ſequatur proceſſus in infinitum, applica tu ex proportione ad eſſe accidentis, neque enim illud oportet hic repetere, &c.

Iandunus.

Quæ potentia remoueatur, & non remoueatur ab intelligentiis.

Ad vltimum, dic ab intelligentijs remoueri potentiam diſtantem ab actu, potentiam tendentem ad non eſſe, & potentiam, quæ recipiat, & patiatur, datur tamen potentia pure receptiua, & nulla paſſione media recipiens actum, & iam circa octauam literæ partem obſeruaui, quænam potentia excludatur ab Ariſtotele ab æternis; Et quando inſtatur, quod tunc prima quoque intelligentia haberet potentiam, negatur, neque ullum inconueniens eſt, quod eouſque loci, ad tex. ſcilicet 30. duodecimi Diuinorum, materia ſolum, & potentia ad non eſſe intelligatur ſemoueri à genere abſtractorum, nam ibi probans Ariſtoteles, potentiam non eſſe in ipſis ait, *quod enim potentia eſt, contingit non eſſe*, & mox ſubdit, oportere has ſubſtantias eſſe abſque materia, vbi intuemur ipſum excludere & materiam, & potentiam ad non eſſe, ſimiliter quando inuenis intelligentias dici actus puros, explica non compoſitas ex materia, non ex potentia ad eſſe; In progreſſu vero, tex. nempe 51. agens de prima intelligentia ſigillatim, multa de ipſa profert, quæ ſibi vni conueniũt, tamquam actui puriſſimo, & primo enti, à quo & natura, & cœlum dependet, vnde inane eſt argumentum ex iis, quæ tribuuntur primæ intelligentiæ, arguere ad alias intelligentias, tunc enim hæ ſimiles eſſent illi, & nulla inter eas foret prima, quo nihil abſurdius; Qando demũ legis, in intelligentiis idem eſſe, & quidditatem, & eſſe, vel explica vt dicebatur quæſtione tertia ſuper hoc caput, quo ad naturam, & hanc naturam, & quo ad intrinſeca, vt ſcilicet hæc natura nihil dicatur addere intrinſecum ſupra naturam, cum quo ſtat, quod addatur eſſe, quippe quod eſt extrinſecum cuiuis enti creato, quoniam non de eius eſſentia, non autem extrinſecum, quaſi eſſentia denominatur exiſtens extrinſece, ceu dicitur aliquid eſſe in loco, &c. Vel explica de eſſe intelligibili, nam hoc eſſe in ſeparatis non differt ab earum eſſentia, quoniam hæc in ipſis eſt ſola forma, quæ eſt immunis à materia, quare ſe tota eſt intel-

Quomodo in intelligentiis idem ſit quidditas, & eſſe.

ligibilis,

ligibilis; In concretis autem cum materia, quoniam eſsentia eſt compoſita, ex materia, ac forma, & materia ex ſe nequit intelligi, ideo eſſentia non eſt idem quod earum eſse intelligibile; Memento quoque, & non indiligenter, dum eſt tibi ſermo de ſimplicitate ſubſtantiarum abſtractarum conſiderare ipſarum eſſentiam vt ſic, quæ ſane non eſt compoſita, cum ſit ſola forma, ad differentiam eſſentiæ compoſitæ ſubſtantiæ, nihil autem obſtat, quod hæc eſſentia cum alio componat, puta cum eſſe, cum habente ipſam, &c. quam doctrinam adumbraui in obſeruationibus ad quartam partem huius literæ, quamquê ſi noueris applicare, multa videbis cadere argumenta. Denique, ſi quando præmereris aliqua auctoritate philoſophorum dicentium, in intelligentiis idem eſſe intelligens & intellectum, quo, & quod, eſſentiam, & eſſe, vltra allegatas explicationes, & hoc loco, & quæſtione tertia, (quibus certe omnis difficultas omnino ſubtrahitur,) dicas id intelligi quo ad genus, vt nimirum in genere intelligentiarum ſit vna ſimpliciſſima, omni carens compoſitione, & in qua omnia vnum ſunt, qualis eſt prima cauſa, primum ens, &c.

QVAESTIO SEPTIMA.

Quomodo intelligentia vniatur orbi.

CIRCA poſtremam partem, in qua dum Auctor digreditur de latitudine, & vario gradu formarum, pronunciat animam intellectiuam, quam vltimam ſtatuit inter intelligentias vſque adeo materiæ propinquam, vt ad ſui eſſe participationem res materialis trahatur, vnde ex anima, & corpore prouenit vnum eſſe, moueo quæſtionem; num ita hoc ſit propriū animæ intellectiuæ, vt etiam non conueniat aliis intelligentiis, & erit quæſtio famoſa, & ardua ſatis, quæ vt definiatur, quinque facienda ſunt, primo eius ſenſus declarandus, deinde varia philoſophorum placita adducenda, ſtatuendum tertio quomodo cœli non ſint animati, quarto quam formam ſibi obtineant, quinto reiicienda argumenta in contrarium.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponatur, quid quæratur.

ADuerte, idem eſſe inquirere, num ita intelligentia vniatur alicui corpori, vt ex ea, & ex corpore conſurgat vnum eſſe, & inquirere, num intelligentia orbi vniatur vt forma, ceu quoniam ex anima humana, & corpori vnita reſultat entitas tertia, quæ eſt homo, ſequitur animam dare eſſe homini, tamquam formam, & quoniam ſi intellligentia erit forma orbis, mox illud ſequetur, vt cœlum ſit animatum, ideo & animatio cœli ſub præſenti cadit difficultate; & quamuis huic negotio, & huic literæ ſufficeret definire, an cœli ſint animati anima intelligente, quoniam ſi eis vniantur intelligentiæ vt formæ, conſtat quod anima potientur intelligente, quoniam tamen dubium eſſe poſ-

ſet, num aliam animam habeant, videlicet an nutrientem, an ſentientem, (qualem à nonnullis eis tributam videbimus,) ideo ipſorum de quauis anima negotium breui agemus.

Obſerua deinceps, quod cum aliquid poſſit dici anima alicuius duobus modis, vel ſcilicet tamquam forma, & actus primus, ei cuius eſt anima tribuens eſſe, vel tamquam aſſiſtens, eo modo quo videmus nautam aſſiſtere nauigio, (quæ duplicis animæ acceptio elicitur ex Ariſtotele 2. de Anima 11.) non ſufficit inſtituto noſtro definire, an intelligentiæ ſint formæ, quæ aſſiſtant orbibus, & motum eiſdem elargiantur, non autem eſſe, tunc enim non diſcuteretur præſens litera, cum indagandum ſuperſit, num ita eis coniungantur, vt ex ipſis ſimul cum intelligentiis proueniat vnum eſſe, & ad eſſe intelligentiarum trahantur orbes, velut euenire animæ intellectiuæ vnitæ corpori legimus in litera, quare de vera cœlorum animatione eſt quæſtio, hoc eſt, num habeant animam, quæ vere eis conferat eſſe.

Ariſtot.

Rurſus aduerte, quod hæc quæſtio vnum ſupponit, & aliud, ſiue alia quærit, ſupponit enim, quod cœlum ſit compoſitum ex materia, & forma, quærit autem, num hæc forma ſit anima quæuis, & præcipue, num intelligentia, & licet quod ſupponit quæſtio non ſit ab omnibus philoſophis receptum, quoniam multi Auerroem imitati locis pleriſque, & præcipue primo de Cœlo, com. quinto, & ſecundo eiuſdem 40. & octauo Phyſ. 79. dicentem, cœlum eſſe corpus ſimplex, nullatenus ex materia, & forma conſtitutum, idipſum docent, attamen cum Auctore prima part. quæſt. 66. art. ſecundo dicimus in cœlo adeſſe materiam, non quidem quæ ſit potentia contradictionis, vel paſſiua, vel ab eſſe, & actu remota, ſed ſub eſſe, pure receptiuam, actui coniunctam, non in ſtatu potentiæ, &c. quæ eſt clara ſententia Ariſtotelis octauo Diuinorum 12. dicentis, quaſdam ex ſubſtantiis perpetuis fortaſſis non habere materiam, aut non talem, ſed ſolum quæ ſecundum locum mobilis eſt, & 12. eorundem 10. manifeſtis verbis ſcriptum reliquit, cuncta quæ mutantur, materiam habere, ſed diuerſam, quoniam, & ipſa ſempiterna, quæ non ſunt generabilia, ſed latione mobilia materiam habent, non tamen generabilem, ſed vnde quo, & denique primo de Cœlo 95. dixit, cœlum eſſe eorum quæ ſingularia ſunt, & quæ ex materia. Rationes autem aduerſariorum vide ſi libet confutatas ab Aegidio quæſtione ſua de materia cœli priori parte, à Capreolo in ſecundo, diſt. 12. q. prima circa primam concluſionem, à Flandrienſe octauo Diuinorum, q. 7. art. primo, & lib. 12. quæſt. ſecunda, art. primo, à Soncinenſe eodem libro, quæſt. ſeptima, à Iauello octauo eorundem q. 12. & doctiſſime ab Aquario dilucidatione quarta eiuſdem libri, & à Banneſio p. p. loco relato, & ante hos omnes potiores quaſi rationes videbis ſolutas apud Albertum p. par. ſummæ de quattuor Coæuis circa tertium coæuum, art. tertio, Vnde non eſt in præſenti vt diſſoluantur argumenta Zabarellæ libro ſuo de natura cœli, à cap. tertio vſque ad ſextum, hoc enim quod in præſenti ſupponitur, aliàs forſan data opera definietur; Immo vero Capreolus fatetur Auer. ſibi ipſi in hoc non conſtare, & Soncinas refert quædam loca Commentatoris, & præcipue duodecimo Diuinorum, com 10. vbi ponit in cœlo materiam, at ab his inferioribus diuerſam, vnde cenſet de mente ipſius in cœlo eſſe materiam, communis tamen via, & Auctor ei tribuit, vt a cœlo materiam negauerit, ſed hoc in præſenti non eſt proſequendum vbi non cœli, ſed intelligentiæ naturam luſtramus, &c.

Auerroes.

D.Thom.

Ariſtotelis loca pro compoſitione cœli ex materia, & forma.

Aegidius.
Capreol.
Flandrien.
Soncinas.
Iauellus.
Aquarius.
Bannes.
Albe. mag.
Zabarella.

Denique

Denique aduerte, quod tametſi alicui videri poſſet locus iſte non omnino germanus, vbi hoc argumentum diſcutiatur, ſed potius ad libros de Cœlo, & Diuinorum cum Ariſtotele, ad ſecundum vero contra Gentes, cap. 70. & p. p. loco memorato cum Auctore ſpectare iudicetur, quoniam tamen verba huius literæ non obſcuram mihi occaſionem præbent, & quoniam intelligentiarum naturam, ac earundem ſimplicitatem hoc, & ſequenti capite Auctor inueſtigat, & quod in hanc quæſtionem vocatur, ad earundem naturam non parum attinet, eapropter dubium hoc admouere, & breui diſcutere placuit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo non ſint cœli animati.

Apparet vtique, Ariſtotelem poſuiſſe cœlos animatos, nam ſecundo Cœli 13. in primis verbis clare nimis profert, cœlum eſſe animatũ, & habere motus principium, & differentias animatorum proprias, ſurſum videlicet, & deorſum, dextrum, ac ſiniſtrum, quod autem hæ locorum, ſeu partium differentiæ ſint propriæ rebus animatis, probarat Philoſophus tex. 11. (ex quo occaſionem nactus eſt condemnandi Pythagoricos,) & 12. Similiter inferius 61. ait, nos oportere cogitare de cœlis, non tamquam omnino inanimatis, ſed tamquam participantibus actione, & vita, & 12. Diuinorum 36. ait, primum mouens moueri vt amatum, & deſideratum, reliqui igitur orbes amant, & deſiderant, ſunt itaque intellectiui, ac ex conſequenti habent intelligentias ipſis in ratione formæ coniunctas; Auerroes quoque ad hũc locum inquit, corpora cœleſtia eſſe animata, & quod non non habent de virtutibus animæ, niſi intellectum, & virtutem deſideratiuam, & ſecundo cap. de Subſtantia orbis, aperte vocat cœlum animatum, & oſtendit quomodo differat eius anima ab animabus horum animalium apud nos; Albertus denique magnus 11. Diuinorum tract. 2. cap. 10. primis verbis ait, omnes peripateticos dixiſſe, orbes cœlorum animas habere, quod ibi, & deinde per nonnulla capita ſequentia declarat, &c.

Ariſtotelis loca varia pro cœli animatione. *Auerroes.* *Alb. mag.*

Si dicatur, omnes auctoritates Ariſtotelis, & Auerrois, aliorumque peripateticorum accipi de anima, non dante eſſe, ſed quæ ſolum aſſiſtat, tunc eſt ſecundum argumentum; Quoniam nauis poſſet dici animata, cum ei aſſiſtat nauta, plauſtrum quoque poſſet dici animatum, quoniam eſt coniunctum bobus, & operationes nautæ, et bouum poſſent tribui naui, & plauſtro, ſic nauis diceretur mouere ſeipſam, ſimiliter & plauſtrum, & illa intelligere, quoniam nauta intelligit, & hæc ſentire, quoniam boues ſentiunt, & alia iuxta hoc dici poſſent, quæ abſque riſu, vel audiri, vel proferri vix poſſent.

Tertio; Ex Auctore p. p. quæſt. tertia art. 1. habetur, corpus viuum eſſe nobilius non viuente, at corpora cœleſtia ſunt nobiliora his inferioribus viuentibus, ergo ſunt viuentia, probatur minor, tum quoniam ſunt æterna, & incorruptibilia, tum quoniam ſunt cauſæ horum inferiorum, & cauſa præcipue æquiuoca, (quo modo cœli ſunt horum ſublunarium cauſæ,) eſt ſemper excellentior ſuo effectu, tum quoniam primo de Partibus animalium, cap. 5. res ſuperiores, & ſubſtantias immortales tametſi leuiter attingere poſſumus, ob eius tamen generis intelligendi excellentiam nos amplius oblectare legimus, quod & confirmauit Auer. in fine cap. ſecundi de Subſtantia orbis;

D. Thom. *Ariſtotel.* *Auerroes.*

Ariſtotel. tum quoniam primo Cœli 13. dixit Philoſophus, ſubſtantiam corporis cœleſtis eſſe diuiniorem, ac priorem his omnibus, quod & repetiit ſecundo eiuſdẽ 2. ex ſententia priſcorum philoſophorum, quos ibi commendat, vnde & ſubdit, quod cœlum ab ipſis antiquis tribuitur ceu locus Diis, quod & prædocuerat primo eiuſdem 22. ex Barbarorũ, Græcorum, & omnium qui vnquam putarunt eſſe Deos cõſenſione, & demum primo Metheororũ, ſumma prima, cap. 3. laudat Anaxagoram, & alios antiquos, qui exiſtimarunt, cœlum corpus ſemper currens, ac diuinum, vnde & æther ipſum vocabant, Cum itaque in apice nobilitatis videantur conſtituta cœleſtia corpora, ſequitur vt ſint viuentia, & animata, videtur autem nullam aliam animam poſſe habere, quam intelligentiam, ergo &c.

D.Thom. Quarto, Adeſt locus celeberrimus apud Auctorem, ſecundo contra Gentes, cap. illo 70. vbi contra Auerr. diſſerens de anima intellectiua, quomodo ſit corpori humano vnita, inquit cœlos eſſe animatos, & hoc ſecundum Ariſtotelis doctrinam neceſſario eſſe aſſerendum, quod ex eodem Philoſopho, & late declarat, & efficaciter confirmat, quare viro Thomiſtæ nulla apparet eſſe poſſe dubitatio de animatione Cœli, ſaltem in via Ariſtotelis.

Quinto probatur, quod vltra intellectiuam habeant etiam ſentientem animam, nam hæc cum ſit forma, & actus, eſt perfectio, ac proinde ſi in his inferioribus inueniatur, multo magis in ſuperis corporibus, & præterea habemus expreſſum Ariſtot. teſtimonium 3. de Anima 61. inquientis, nullum poſſe eſſe corpus, quod præditum ſit anima, & intellectu, ſenſum autem non habeat, ſeu corpus fuerit generabile, ſeu ingenerabile, quod & ibi de vtroque probat; ſi igitur habeat cœlum animam intellectiuam, habebit & ſenſum, priora autem argumenta videntur probaſſe illam adeſſe, quare &c.

Ariſtotel.

Denique apparet & vegetalis anima illis tribuenda, non enim deſuerunt antiqui philoſophi, qui referente Ariſtotele ſecundo Meteorologicorum, ſumma prima de Mari cap. 2. dixerunt, Solem ali humido, & nutriri, ideoque ipſum facere verſiones, & vapores ex aquis eleuare, conſtat autem nihil poſſe nutriri, niſi animam habeat vegetalem, & inſuper Ariſt. 2. Cœli 50. videtur ea vocare animalia, quare &c.

His, & aliis conſimilibus fundamentis viri non ignobiles ducti, varia de natura, & animatione cœlorum ſenſerunt, vnde Auicennas libro nono ſuæ Methaphyſicæ, cap. quarto, poſuit cœlos animatos anima informante, non quidem quæ ſit intelligentia, ſed quæ ſenſilis, & vim imaginatiuam habeat, vt nimirum cognoſcat cœlum reuolutiones ſingulares quibuſuis diebus occurrentes, quoniam hæc ſingularia nequit intellectiua vis attingere; Sed & Archangelus Mercenarius ſecundo ſuarum dilucidationum verſans, num cœlum ſit animatum anima ſentiente, refert Ioannem Grammaticum, qui ſuper 15. ſecundi de Anima, ſenſerit cœlum anima ſenſili ornatũ, & ſenſibus his, qui apud nos ſunt longe excellentioribus gaudere; ego vero nihil tale ibi apud Ioannem lego, at ſi legatur contemplatio illa ſua ad 59. tertij de Anima, ad quam ſe remittit infra com. 61. apparebit in hoc prope ambiguus, quoniam tamen argumenta Ariſtotelicorum negantium à cœlo ſenſum ſoluere ſtudet, vt Platonicos defenſet, & ob nonnulla, quæ breui inquit in fine contemplationis, merito iudicari poteſt, vt ſibi placuerit ſenſus in cœlis locare. Simplicius quoque in fine commenti 51. ſecundi de Cœlo tribuiſſe apparet cœlis tres ſenſus, viſum ſcilicet, auditum, & tactum, ſub dubio tamen loquitur, quam-

Sententia Auicennæ.

Mercenar.

Io. Gram.

Simplicius.

nis motiuis quibuſdam viſus ſit ad id induci, exponens autem 61. illum tertij de Anima, eo potius inclinat, vt Ariſtoteles corporibus cœleſtibus ſenſum nullibi conceſſerit. Achillinus autem dubio primo tertij libri de Orbibus longo diſcurſu docet ad aures Ariſtotelis, & Auerr. cœlum animatum, & animam eſſe intelligentiam ſibi in ratione formæ tribuentis eſſe vnitã, quod & viſus eſt voluiſſe Sueſſanus ſuper diſputationem tertiam Auer. Deſtructione deſtructionum, & apertius comm. 5. tertij de Anima, Aureolus vero apud Capreolum ſecundo ſent. diſtin. nona, quæſt. vnica cenſuit, intelligentiam ita ſe habere ad corpora cœleſtia, ſicut formam ignis ad materiam, eo excepto, vt nõ det ſibi actum primum, ſed tamen elargiatur ei omnes ſecundas perfectiones, quod eſt proprium ſoli formæ, quam poſitionem multis rationibus, & auctoritatibus conatus eſt confirmare, quarum validiores adductæ iam ſunt, & quas videre ibidem potes.

Achillin. *Sueſſanus.* *Aureolus.*

Alij dixerunt cœlos animatos, quoniam intelligentia eſt eis vnita in ratione mouentis, non autem in ratione formæ, addentes nullam aliam formam ineſſe in illis, quoniam dicunt non eſſe compoſitos ex materia, & forma, ſic nullam formam dantem illis eſſe tribuunt, ſed intelligentiam tantum aſſiſtentem, & omnes prope Auerroici hoc videntur docere, ſic accepit Cõmentatorem Aegidius principio ferè quæſtionis illius de materia cœli, ſic elicitur ex Ianduno quæſtionibus ſuis 12. & 13. ſuper duodecimũ Diuinorum, & ex Zimara in annotatione ad eaſdem quæſtiones, ſic liquido habet Mercenarius priori tomo ſuarum dilucidationum per aliquot capita, ad quæ ſe remittit ſecundo tomo dum tractat, num cœlum ſit anima intelligente animatum, ſic aperte ſatis innuiſſe apparuit Zabarella libro illo de natura cœli cap. 11. & vltimo.

Aegidius. *Iandunus.* *Zimara.* *Mercenar.* *Zabarella.*

Alij denique docent cœlos conſtare ex materia, & forma, quæ tamen forma nullo modo eſt anima, vnde præter hanc compoſitionem ex materia, & forma dant eiſdem intelligentiam aſſiſtentem in ratione mouentis vnitam, vnde vere, ac proprie loquendo cœli non ſunt animati, quoniam animam non habent informantem; Sic tradit Auctor quæſtione de Spiritualibus creaturis, ar. 6. & prima par. quæſt. 70. ar. tertio, ſic Albertus Magnus ar. illo tertio circa tertium cœuum, & vndecimo Diuinorum, tract. ſecundo, cap. 10. & deinde idipſum viſus eſt ſentire, ſic Dominicus à Flandria quæſt. ſeptima duodecimi Diuinorum, art. ſexto, ſic Caiet. prima parte loco relato, ſic Capreolus ſecundo ſenten. diſtin. & quæſtione memorata, circa primam concluſionem, ſic Soncinas duodecimo Diuinorum, quæſt. 11. & 12. ſic Iauellus eodem libro, quæſt. 16. & 17. ſic Aquarius dilucidatione illa quarta ad quartum eorundem, ſic poſtremo Bannes loco allegato primæ partis.

D.Thom. *Alb.magn.* *Flandrien.* *Caietanus.* *Capreol.* *Soncinas.* *Iauellus.* *Aquarius.* *Bannes.*

Et hæc ſunt, quæ ferme viri grauiſſimi in hac materia ſenſerunt, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo non ſint cœli animati.

Sit prima concluſio: Cœlum non eſt animatum anima vegetali; Cum enim tres ſint functiones huius animæ, nutritio ſcilicet, accretio, & ſui ſimilis procreatio, nullam harum quis vnquam in cœlo vidit; at vbi non ſunt functiones

Prior concluſio.

nes alicuius animæ, ibi anima illa non eſt ponenda, niſi quid velimus in natura omnino otioſum, contra eiuſdem naturæ leges, & ritus ſtatuere; Si vis autem ſcire quo pacto nulla trium enumeratarum operationum animæ vegetalis locum poſſit habere in corporibus cœleſtibus, cogita non inueniri alimentum in cœlo, quod eſt obiectum omnium munerum animæ vegetalis, ac proinde neque inueniri munera illa, quoniam omnis facultas dicitur in ordine ad obiectum ſuum, & illud reſpicit, &c. Et quidem qui Ariſtotelem vix percurrit ſecundo de Anima, à 34. vſque ad 50. facile colligit nutritionem pendere ex alimento, vt ſubſtantia eſt, accretionem, vt eſt quantum, & generationem, vt eſt redundans pro nutritione; ſed nullus vnquam agnouit quidpiam alimenti cõuerti in cœli ſubſtantiam, nullus vidit cœlum augeri, denique nullus deprehendit cœlum aliud ſibi ſimile procreare, quare ſi nulla eſt operatio animæ vegetalis in corporibus cœleſtibus, dicamus neque animam ipſam adeſſe. Vim huius ratiocinij pulchre nimis expendit Ariſtoteles primo de Cœlo 20. 21. & 22. vbi probabat, cœlum eſſe æternum, ingenerabile, incorruptibile, inſeneſcibile, & inalterabile, conſtat autem, quod quæ habent animam vegetalẽ, & trãſmutantur, & augmentum, ac decrementum ſubeunt, vt de corporibus, & partibus animalium, ac plantarum ibidem 21. legimus; Quod autem nulli tranſmutationi ſubiaceant corpora illa, probabat 22. ex ſenſu, quoniam toto tempore præterito ſecundum traditam inuicem memoriam nihil apparet tranſmutatum, neque ſecundum totum vltimum cœlum, neque ſecundum ipſius vllam propriam partem, quod & ex nomine ſibi ab antiquis tributo corroborabat. Sed & quando finis cuiuſque rei ceſſat, ſubtrahitur pariter & res ipſa, at finis nutritionis remouetur à cœlis, quoniam fit nutritio ad reparandum id, quod ex actione caloris naturalis continuo deperditur, ſed nihil vt patet ex dictis opus eſt huius in corporibus cœleſtibus, quare &c. quod ſi non adſit nutritio, neque vllum aliud opus præfatæ animæ, hæc enim eſt reliquarum fundamentum; Adde, quod finis generationis eſt ſeipſum conſeruare in ſpecie apud ea, quæ eadem in numero nequeunt ſemper permanere, vt habes ab Ariſtotele ſecundo de Anima 34. & 35. & 2. de Generatione 59. & primo Oeconomicorum, cap. 3. quod de homine ſpeciatim dixerat antea Plato quarto de Legibus, at cœlum eſt perpetuum, & nulli corruptioni obnoxium; quorſum igitur ei generatio tribuatur? Hinc merito idem Plato in Timæo loquens de cœlo dicebat, ſibi non fuiſſe elargita membra, quoniam his opus non erat, per quæ noua alimenta ſuſciperet, aut decocti cibi excrementa emitteret, quoniam nulla deceſſio, nulla acceſſio fieri poterat; Sed & ex ijs quas ſubnectam concluſionibus magis roborabitur prima hæc aſſertio, quæ tamen patentiſſima eſt, & eo magis, quoniam pauci admodum eius oppoſitum vel ſomniare valuerunt, & eos paucos ab Ariſtotele merito irriſos videbimus in ſolutionibus argumentorum, &c.

Ariſtotel. — *Finis nutritionis.* — *Finis generationis.* — *Ariſtotel.* — *Plato.*

Sit ſecunda concluſio: Non habet cœlum animam ſentientem, à qua vel interiores, vel exteriores ſenſus proficiſcantur; Et firmiſſima ratio pro hac concluſione eſt concluſio præcedens, quoniam ſi non habent animam vegetalem, ergo neque ſenſilem, nam authore Ariſtotele ſecundo de Anima 15. vegetatiuũ poteſt ab alijs ſeparari animabus, & eſſe abſque illis, ſed aliæ fieri non poteſt vt ſint abſque vegetatiua, & quamuis addat Ariſtoteles *in mortalibus*, excludendo ſempiterna ab hoc aſſerto, tamen id ſolum vult, quod in perpetuis poſſit eſſe, & de facto ſit, intellectus, & motus, non autem vel ſenſus, vel nutritio, vt ibidem exponebat Auerr. & Sueſſanus, & Genua. Rurſus, ſi cœlo inſit anima ſentiens, ergo

Concluſio ſecunda. — *Ariſtotel.*

ergo ineſt tactus, patet hæc conſecutio ex 3. de Anima 63. vbi dicitur, oportere neceſſario animalis corpus tactiuum eſſe, ſi debeat conſeruari anima, ergo non ſunt corpora ſimplicia, patet hæc illatio ibidem 62. legimus enim, impoſſibile eſſe aliquod corpus eſſe ſimplex, & tactum habere, quod docebat tex. 60. & infra 66. duplici ratione probabat, ſi enim tactus eſſet ſimplex, vtique medium haberet ſimplex, & tamen per ſe ipſum ſentit abſque medio externo, rurſus perceptiuus eſt plurium contrarietatum, vnde ad eas debet eſſe in potentia, ad quas non eſſet, niſi foret in debita illarum temperię, quippe quæ nequit eſſe in ſimplici elemento, cœlos autem eſſe corpora ſimplicia in Ariſtotele quis valeat dubitare, cum in libris de Cœlo, & præcipuæ in primo nil aliud ferè ſub illius initium doceat? Accedit, quod nullum organum videmus ineſſe cœlis, quo operationem vllam ſenſilem poſſint exercere, & tamen ſi animam haberent ſentientem, natura adeo nobilibus ſubſtantiis organa apta ſenſibilibus functionibus accommodaſſet, qua ratione probabat Ariſtoteles ſecundo Cœli 50. aſtra non moueri, ex defectu ſcilicet organi ad motum accommodati. Confirmatur, cœleſtia corpora non ſunt organica, non diuerſarum partium, ſed ſimilaria, quomodo igitur poſſunt habere varia organa, aut varias partes, quibus munia diuerſa ſentientis animæ obeant? Et quemadmodum circa præcedentem cõcluſionem arguebamus, ſi talis anima vigeret in his corporibus, certe aliquã operationem ab hac anima proficiſcentẽ intueremur, at dicãt qui oppoſitũ ſuſtinent, quas operationes animæ ſentiẽtis in cœlis vnquã deprehenderint; Et bene aduerte has rationes de organis ſenſuum, & operationibus partis ſentientis, quoniam ex his ineptæ agnoſcuntur quorundam reſponſiones, qui dicunt cœlis ineſſe ſenſum, non quidem ob neceſſitatem, ſed ob vtilitatem, & excellentiam, vt ſcilicet cognoſcant ſingularia, & quoniam nobiliſſima corpora ſunt, &c. ſed quacumque de cauſa inſint, aſſignanda ſunt, & eorum inſtrumenta, & eorum opera, quorum neutrum valet aſſignari; cognoſcentem autem facultatem videbimus non inueniri in cœlis vt ſic, ſed in intelligentiis eiſdem copulatis, vnde ſenſus forent ponendi in ſubſtantiis ſeparatis, & ſic eſſent corporeæ, & non ſeparatæ, cuius oppoſitum, & prima quæſtione huius capitis, & capite ipſo ferè toto oſtendimus, & clara eſt deductio, quoniam ſentire non eſt ſine corpore, vt colligis ex primo de Anima 12. 14. 15. 18. & ſecundo libro eiuſdem, toto prope capite de potentia animæ ſenſitiuæ, à 51. vſque ad 62. & de Somno, & vigilia, cap. primo habes, ſentire non eſſe proprium animæ, neque corporis, neque poſſibile eſſe corpus inanimatum ſentire, &c.

Cuiuſmodi corpora ſint cœli.

Vim nunc adductarum rationum.

Ariſtotelis loca.

Quare vane locatur imaginatiua in cœlis, tum quoniam hæc non ſit ſine ſenſu, ex ſecundo de Anima 153. & eſt motus factus à ſenſu ſecundum actum, ibidem 161. quare ſi deſint ſenſus exteriores, qui mittãt ad interiores, vani ſunt interiores ſenſus, vnde nullum eſt motiuum Auicennæ, immo ſeipſum deſtruit, non enim per virtutem imaginatiuam cognoſcuntur præſentia ſingularia, ſed in abſentia obiecti, ob ſingulares ſpecies ſibi ab exterioribus ſenſibus tranſmiſſas, (medio ſenſu communi,) vis imaginatrix percipit, quamuis fortaſſis Auicennas nomine imaginatiuæ in propoſito acceperit applicationem intellectus ad particularia naturæ, vt eum interpretatur Albertus magnus loco ſuæ ſummæ relato, ad tertium. Motiuum autem de nobilitate corporum cœleſtium, (quo tamen qui omnes ſenſus cœlis donarunt ſuaſi videntur,) nobis iuuat, mox viſuris non locari in ipſis ſenſus, ob eorundem excellentiam.

Auicenn.

Alb. magn.

Non

Ioannes Gramm.

Non me fugit, Ioannem Grammaticum contemplatione allegata occurrere quibuſdam prioribus pro hac concluſione inductis rationibus, ſed eius reſponſa penitus voluntaria quiſquis fatebitur, gratis enim negat, quæ in his ſenſibilibus, ſenſu, ac ratione duce arguimus ad corpora cœleſtia, & ſi modus ille reſpondendi introduceretur, nihil ex ſenſibilibus colligeremus in ſuperioribus; Accedit, quod rationes alias induximus, quas ipſe non recenſuit, &c.

Plato.

Themiſt.

Hanc concluſionem voluit Plato in Timæo, vbi loquens de figura tornatili cœli, docet, & probat ſibi neque oculos, neque aures, neque manus, neque crura, neque pedes, neque vlla membra fuiſſe impertita, quoniam nullo horum opus erat. Hoc idem docuit Themiſtius cap. 71. tertij de Anima, circa 61. & 62. dicens, extremas mundi partes non habere ſenſum, & declarans quid nomine extremarum partium accipiat, dicit has eſſe cœlum, & plantas, mox ſubdit alia ratione cœlo, & alia plantis ſenſus fuiſſe denegatos, quoniam plantis ob ignobilitatem, & naturæ craſſamentum, cœlo autem, quoniam eminentiori ordine, & dignatione habebatur, quam vt ad hunc vſum deſcenderent, cœlum quippe paſci nullo modo neceſſe habebat, &c. quare ex cœli præſtantia elicimus ſenſus in ipſo non eſſe. Idipſum docuit Auer. 36. duodecimi Diuinorum & 15. tertii de Anima, & alii ibidem ſuperius memorati, & denique ſententia eſt, quam omnes ferme receperunt, &c.

Cur plantæ nõ habeant ſenſus.

Cur neque cœlum.

Concluſio tertia.

Sit tertia concluſio: Cœli non ſunt animati anima intelligente, quæ ſibi det eſſe, & ſit eorum forma informans; Potes ſi placet videre hanc concluſionem latiſſime probatam in via Ariſtotelis, & Auer. apud Zimaram, & Mercenarium locis allegatis, at quoniam multis Auerr. teſtimonijs innituntur, quorum nõnulla falſitatem continent, ideo eorum probationes non ſunt adducendæ. Dicas tu, quod ſi haberent animam intelligentem ſibi vt formam vere vnitam, talis anima eſſet intelligẽtia, vt patet, at nequit hoc eſſe, ergo &c. probatur minor; quoniam intelligentia eſt natura totalis, ac completa in ſpecie, vt manifeſtum eſt, ergo nequit alicui vniri vt forma, probatur conſequentia, quoniam in eo quod vnitur, iam fit pars ſpeciei, iam eſt naturæ incompletæ, & partialis, implicat autem, vt aliquid ſit ſimul completum, & incompletũ, totum, & pars, &c.

Præterea, omnes philoſophi vocant intelligentias ſimplices ſubſtantias, & actus puros, vt patuit ex quæſtionibus huius capitis, ergo nequeunt alicui vt formæ vniri, patet illatio, quoniam tunc eſſent in perpetua compoſitione cũ alio, ſiquidem component cum illis, quorum erunt formæ, & erunt perpetuo partes formales; Quod ſi dicatur in eſſentia ſua eſſe ſimplices, & immunes à materia, velut eſt anima humana, tamen poſſe vniri corporibus, vt eadem anima vnitur; tunc fortius arguitur, quoniam nulla eſſet differentia inter ſimplicitatem, & ſeparationem animæ humanæ, & ſubſtantiarum immaterialium, & æque anima poſſet dici ſubſtantia ſeparata, ſimplex, & ſubſiſtens, ac intelligẽtiæ, quod nullus philoſophus, vel theologus dicit. Vlterius, maior ratio habenda eſt formæ, quam materiæ, quoniam materia eſt ob formam, ex ſecundo Phyſic. 81. & ex primo de Partibus animalium, cap. 5. at licet bonum emergeret corpori cœleſti, ſi ei intelligentia vniretur vt forma, tamen nullum bonum, nullaue perfectio accederet ipſi intelligentiæ ex tali vnione, igitur ſuperuacanea eſt huiuſcemodi vnio, probatur minor, cum enim ſecundo Cœli 17. vnũquodque ſit ob ſuam operationem, operatio intelligentiæ non alia eſt, quam intelligere, vane autem vniretur corpori, quoniam nullatenus hæc operatio adiuuaretur, enimuero ſcientiã à rebus non mendicant intelligentiæ, cur itaque

Ariſtotel.

Intelligentiæ operatio.

vniantur corpori? Et ſi intellectus facultas in aliquo pendeat à corpore, id nulla alia ratione eſt, niſi quoniam per ſenſus ei miniſtrantur phantaſmata, at iam vidimus ſuperiori aſſertione, nullam ineſſe facultatem ſenſilem in corporibus cœleſtibus, quare, &c. Profecto, tota ratio quare anima intellectiua ponitur forma corporis humani eſt, vt acquirat ſcientiam, & quoniam eſt pars, & quid incompletum in ſpecie, at neutrum horum inuenitur in intelligentijs, immo totum oppoſitum, adeo vt poſſit, & debeat fieri argumentum innixum maximæ illi poſterioriſticæ; Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, &c. Hanc concluſionē voluere ij omnes, quos duobus vltimis locis memoraui, & præter loca allata ex Auctore, adeſt hæc litera, in cuius gratiam mota eſt hæc quæſtio, nam enumerans intelligentias, ait animam, quæ eſt vltima inter ipſas ita vniri corpori, vt ex ea, & ex corpore fiat vnum per ſe, non igitur hoc vult eſſe in alijs intelligentijs, aliàs non oſtendiſſet ex eo animam eſſe vltimam in ſerie intelligentiarum, & velut id enunciauit de anima, enunciaſſet quoque de intelligentijs, ſed condiuidens illam ab his, illud de illa pronunciauit, quare vult id locum minime in iſtis habere.

Cur anima intellectiua forma corporis.

D.Thom.

Potes autem conijcere, me in hac concluſione accepiſſe cœlum vt ſic, & præciſe, cum enim conſueuerit accipi duobus modis, & pro ipſo corpore videlicet, quatenus diſtinguitur ab intelligentia, & pro aggregato ex corpore, & intelligentia, nulli dubium eſt in hac ſecunda acceptione, ipſum habere animam intelligentē, quoniā erit intelligētia, quā ſic includit, & anima, & ea intellectiua gaudere cōſtat, quo ſenſu cœlo accepto, multæ conditiones tribuūtur, vt cernere erit in ſolutionibus argumentorū, at intelligitur hæc cōcluſio de ipſo præciſe, vt ſic, &c. Nec tibi quid moleſtiæ pariat propoſitio illa, quæ videtur elici ex Auerr. ſecūdo de Cœlo, com. tertio, qua dicitur, Ex intelligentia, & orbe fieri verius vnū, quā ex materia, & forma, nō enim vult Auerr. fieri magis vnū per ſe, ſed fieri ens nobilius, hoc eſt, incorruptibilius, vt aliqui dicūt, vel intellexit fieri aliquid indiuiſibilius, & coniunctius, quoniam forma ſeparatur à materia, at non intelligentia ab orbe; Vel dicas fieri aliquid vnum immediatius, quoniam non coniungitur intelligentia orbi medijs dimenſionibus interminatis, velut putauit Auerr. formam vniri materiæ, &c.

Duplex cœli acceptio.

Senſus propoſitionis Auerrois.

At ſiſcitaberis, quare probauerim, ex eo intelligentiam non coniungi cœlo tamquam formam, quoniam vnio illa nihil faceret intellectioni, & omiſerim motum ipſius cœli, non enim hoc moueretur, niſi haberet intelligentiam principium motus ſui; Hoc præuidit Auctor prima parte, quæſt. 70. art. illo tertio, & optime dixit, quod vtique ob motum cœlorum oportet eis vniri aliquam intelligentiam, at non ſequitur, vt debeat vniri vt forma, ſed ſufficit vt tamquā motor mobili, per contactū virtutis, & hoc maxime firmat hanc concluſionem, quoniam ſi vt forma copularetur, talis copulatio omnino redundans deprehenderetur; Quod autem contactus ille virtutis, & vnio in ratione mouentis ſufficiat ad motum, habetur ex octauo Phyſic. 42. & 43. vbi aſſignans Philoſophus quomodo vniuntur partes, mouens ſcilicet, & mota, dicebat id fieri per contactum, vel duorum ad inuicem, ſi vtrumque fuerit corpus, vel vnius ad alterum, & non e conuerſo, ſi vnum ſit corpus, & aliud non corpus; Quare ad motionem ceu requiritur, ita ſufficiens eſt contactus, neque exigitur vnio per informationem.

D.Thom.

Ariſtotel.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quam formam, & quomodo cæli obtineant.

SIt vnica concluſio: Cœlum habet intelligentiam ei vnitam in ratione formæ aſſiſtentis; Quæ ſane concluſio declarationem potius, quam probationẽ deſiderat, conueniunt enim omnes, quod orbes cœleſtes ab aliquibus moueantur, vnde Ariſtoteles duodecimo Diuinorum 43. ex numero orbium colligebat numerum intelligentiarum, & inferius videbimus, pleroſque grauiſſimos auctores hanc concluſionem voluiſſe. Declaratur igitur, quoniam præter formam illam, à qua cœlum obtinet eſſe, & perfectiones primas, & ſecundas, & ex qua vnà cum cœli materia efficitur vnum per ſe, non minus, (licet alio modo,) quam ipſe ſim vnus ex mea materia, ac forma, tribuitur ipſi intelligentia aſſiſtens, & motrix, quæ ipſum perpetuo, ac infatigabiliter mouet, & ad cuius motum nequaquam mouetur ipſa, has enim eſſe immobiles, eodem textu dicebat Ariſtoteles, quod & prædocuerat octauo Phyſic. 45. Poſſunt nihilominus dici mobiles per accidens, & denominatione extrinſeca, quatenus ſcilicet mobilia quæ mouent, recipiunt motum ab alio, & ad motum primi mobilis mouẽtur, quo ſenſu eodem octauo 51. dicebantur moueri per accidens; Neque turberis, ſi légas ex Ariſtotele adductam paſſim propoſitionẽ, motis nobis, moueri ea quæ ſunt in nobis, vnde apparet, quod cum intelligentiæ ſint in orbibus, ad ipſorum motum & ipſæ moueantur, ſiquidem Ariſtotelis pronunciatum vel accipitur de ijs, quæ ita ſunt in nobis, vt à nobis dependeant, vel de ijs, quæ in quauis parte noſtri ſint, vel demum quando nos ſecundum totum mutamur de loco ad locum; at intelligentiæ quamuis ſint in orbibus, non tamen ab eis pendent, rurſus ſunt in aliqua tantum parte determinata, & non in toto orbe, vt legis octauo illo Phyſ. 84. & demum non mouentur orbes ſecundum totum, vel de loco ad locum, ſed merito partium, & circa locum.

Ariſtotel.

Qua ratione intelligentiæ mobiles.

Ariſtotelis propoſitio quomodo accipienda.

Aduerte autem, quod licet ſecundum eſſe ſit extrinſeca cœlo intelligentia, attamen eſt ei intrinſeca vt motrix vnde motus cœli non eſt violẽtus, ſed naturalis, ex primo de Cœlo octauo, quoniam habet in ſe principium intrinſecum talis motus, non quidem actiuum, (hoc enim eſt intelligentia, quam ei ponimus extrinſecam,) ſed paſſiuum, quoniam ſphæra cœleſtis naturalem habet inclinationem ad hoc, vt ab intelligentia moueatur, vt vbique habes ab Auctore, præcipue quæſtione de Spiritualibus creaturis, art. ſexto ad ſeptimum, & 1. parte, quæſt. illa 70. ar. tertio ad quartum. Vnde nulla eſt argumentatio, ſi quis dicat, Cœlum non habet in ſe principium actiuum ſui motus, ergo non mouetur naturaliter, quoniam datur & principium paſſiuum, nam ipſa natura nedum eſt actiuum principium, ſed & paſſiuum, vt colligitur ex 8. Phyſ. 32.

Motus cœli qualis.

D. Thom.

Quamuis etiam optima ratione dicere poſſimus, cœlum habere principium actiuum ſui motus intrinſecum, quoniam intelligentia habet naturalem virtutem determinatam ad talis corporis motũ, vt loco relato de Spiritualibus creaturis legimus, & poteſt hoc principium actiuum vocari intrinſecum ipſi cœlo, quoniam eſt ei vnitum ex appropriatione ad motũ, neque enim ad hoc vt quid ſit in ratione motus intrinſecum requiritur, quod vniatur ſecundum eſſe, ſed

Principiũ actiuũ motus quo modo cœlo intraneum.

ſufficit

ſufficit ſecundum contactum virtutis, vt prope finem præcedentis ar. dicebam, & cum iuxta hunc contactũ ſit intelligentia vnita orbi, non video cur nequeat dici cœlum habere in ſe principium actiuum intrinſecum in ratione motus, licet non in ratione formæ; Quam doctrinam videor mihi colligere ex Auctore prima par, vbi ſupra ad ſecundum, dum ait poſſe dici, quod motor cœli ratione D.Thom. contactus virtutis ſit ei principium intrinſecum, adeo vt motus cœli poſſit dici naturalis ex parte quoque principij actiui; Vnde quando legis apud eundem Auctorẽ alibi, & alios, non eſſe in cœlo principium intrinſecum actiuum ſui motus, explica ly *intrinſecum*, quo ad eſſe; At naturalem cœli procliuitatem ad hoc vt moueatur ab intelligentia agnouit, & concinne explicauit Alexander Alexand. comm. 48. duodecimi Diuinorum, &c.

Ex his collige, minus bene docuiſſe Auicennã nono ſuæ Metaphyſicæ, cap. 2. Auicenn. quem ſecuti ſunt Scotus ſecundo ſent. diſt. ſecunda, quæſt. ſexta, in fine, & Du- Scotus. randus eodem libro, diſt. 14. quæſt. ſecunda, dum aſſeruit motum cœli non Durand. eſſe naturalem.

Illud tamen obſerua, quod licet hic motus ſit naturalis, & à forma cœli, tãquam à principio intrinſeco, non tamen vane ponitur ei aſſiſtens intelligentia, quoniam principio paſſiuo non fruſtra, ſed neceſſario additur principium actiuum, forma autem, quæ actuat materiam cœli ſe habet ſimul cum ſua materia, vt quid materiale in ordine ad intelligentiam mouentem quo ad motum, & vt quid perfectibile; Quanquam etiam poſſumus dicere cum Caiet. prima parte, Caietanus. quæſt. 66. art. ſecundo, quod motus cœli eſt quidem naturalis, ſed non pure, ac præciſe, quoniam eſt etiam animalis, adeo vt forma cœli non ſit quid pure paſſiuum in ordine ad motum proprium, ſed medio modo ſe habeat inter actiuum, & paſſiuum, ita nimirum, quod in ſui coniunctione ad intelligentiam natus ſit ſequi motus circularis; Neque mireris, ſi audiueris Auctorem dicentẽ, in cœlo eſſe tantum principium paſſiuum, quoniam vel nomine paſſiui accipi- Quid nomine principij paſſiui. tur, id quod ex ſe abſque alio actiuo principio nequit in actum exire, vel accipitur prout condiſtinguitur ab intelligentia, ſic enim forma quamuis nonnihil actiuitatis habeat, comparata tamen intelligentiæ mouenti, habet rationem paſſiui. Rurſus ponitur intelligentia vt principium *quod* motus orbium, ſic ruit argumentum, quod amplificauit adeo Mercenarius priori illo ſuarum di- Mercenar. lucidationum volumine, & tamen ſi Caiet. loco memorato aduertiſſet, cognouiſſet vires argumenti ſui iam longe antea comminutas, & prius etiam alia via ab Aegidio quæſtione illa de materiali cœli compoſitione, art. primo, ad Aegidius. quintũ argumentum. Quod vero addit, quod forma illa, quæ dat eſſe cœlo oportet, vt de neceſſitate ſit intelligens, vanum nimis eſt, cum enim nos ponamus formam illam in materia, (licet alterius rationis ab his inferioribus,) mi- Contra Mercenarium. rum eſt, quomodo grauis philoſophus arguat contra nos conditionibus formæ à materia abiunctæ, ad inferendam formam illam eſſe intellectualis naturæ, ſed magis argumentum hoc militat contra ipſum, qui ſequens Auerr. ait, cœlum non eſſe compoſitum ex materia, & forma, ſed quid in actu, tunc enim certe vt arguit Auctor prima par. vbi ſupra ſequitur, quod ſit natura intelligens, ſed de his aliàs, ſcio enim adferri pro reſponſo, quod adſit quantitas in cœlo, & tamen neſcio quo pacto velint adeſſe quantitatem abſque materia, &c.

Nec te moueat, quod diximus ſæpius quæſtione quinta ad hoc caput, quod in abſtractis à materia quod eſt finis, & mouens, ſit quoque forma, vnde videtur ſi intelligentia motrix ſit cœli, quod ſit etiam forma, ſed nomine formæ tunc

accipitur perfectio, non autem pars intrinſeca rei, aliàs ſequeretur Deum eſſe partem rerum omnium intrinſecam, quod eſt ſtultum, & pulchre Auerr. duodecimo Diuinorum 37. dicebat, quod perfectiones ſunt in duplici differẽtia, nam aliæ ſunt qualitates, quibus perficitur id quod mouetur, aliæ ſunt ſubſtantiæ extrinſecæ à rebus, quæ mouentur ad eas, ceu ſunt actiones ſeruorum, quæ ſunt erga intentionem domini ſui, & ſimiliter omnia entia cum primo principio, quare in abſtractis, quod eſt finis, & agens, eſt etiam forma, hoc eſt, perfectio, non intrinſeca, ſed ſeparata. Rurſus, quoniam motus eſt quidam gradus vitæ, ex ſecundo de Anima 13. & motus cœli dicitur vita octauo Phyſ. primo, & viuere viuentibus eſt eſſe, ſecundo eodem de Anima 36. cum intelligentia tribuat motum cœlo, tribuit ei vitam aliquo modo, & eſſe, ſub qua ratione, & cœlum quoniam mouetur poteſt dici minus proprie viuens, & intelligentia eadem impropríetate locutionis eius anima; At quoniam intelligentia non vere illi donat eſſe, neque eſt eius actus primus, ideo vere, ac proprie loquendo nequit dici anima cœli, neque ipſum cœlum proprie animatum, niſi æquiuoce; Sic docte Albertus vndecimo Diuinorum, tract. ſecundo, cap. 12. in fine dicebat, animam dici æquiuoce de animabus ſuperiorum, & inferiorũ, quod & Auctor dixit ar. illo tertio, quæſt. 70. primæ par. quod & ſcripſit Sueſſanus prope finem comm. 10. ſecundi de Anima.

Auerroes. Alb. magn. D. Thom. Sueſſanus.

Animam igitur ſolum aſſiſtentem habet cœlum, & motum elargientem, non autem vel informantem, vel præbentem eſſe, & hoc voluere omnes illi, quos penultimo, & vltimo loco ſub finem art. ſecundi recenſui, quamuis diſſerant in alia forma, quam ij vltimo loco memorati tribuunt cœlo; Hoc quoque viſus eſt ſenſiſſe Alenſis ad 36. duodecimi Diuinorum, & Zabarell. cap. vltimo libri illius de natura cœli, & Pererius lib. 7. de communibus rerum naturalium principijs, cap. 3. & 8.

Alenſis. Zabarella. Perèrius.

ARTICVLVS QVINTVS.

Tolluntur quæ poſſent obſtare.

AD primum ex varijs auctoritatibus Ariſtotelis, Auerrois, & aliorum deſumptum, habes quomodo dupliciter eas poſſis intelligere, & primo de cœlo non præciſe, ſed pro aggregato ex ipſo, & intelligentia, dic deinde vocari animatos cœlos ab ipſis philoſophis, quoniam motum, qui eſt vita, & quoddam eſſe habent ab intelligentia, & quoniam pendent in eſſe, & in conſeruari, & in permanentia ab intelligentijs apud Philoſophos, & ab intelligentia prima apud veritatem, Dic quarto, vtique habere formã, quæ eſt anima, at ſi inferatur, ergo informantem, committitur fallacia conſequentis, quoniam ſtat, quod ſit aſſiſtens, &c.

Multiplex ſenſus dicti philoſophorum.

Ad ſecundum, quod adducebatur contra hanc vltimam viam reſpondendi, dico cum Ferrarienſe cap. illo 70. ſecundi cont. Gent. quod intelligentia quæ mouet orbem, virtutem habet naturaliter determinatam ad talem motum, & ſimiliter orbis habet naturalem inclinationem, & procliuitatem, vt ab ipſa moueatur, velut ſuperiori articulo dicebam, quæ non inuenies vel in naui, vel in plauſtro; Deinde, contactus intelligentiæ ad cœlum eſt ſecundum virtutem, & intimus cœlo, in naui autem, & plauſtro eſt extrinſecus, & quantitatiuus,

Ferrarien.

titatiuus, vt enim eodem libro, cap. 56. dicebat Auctor, in tactu quantitatiuo, qui fit ſecundum extrema, oportet tangens eſſe extrinſecum ei quod tangitur, at in contactu virtutis ſubſtantia tangens eſt intra id quod tangitur, vnde intimior eſt intelligentia cœlo, quam nauta nauigio, & boues plauſtro; Addo ego, quod inſeparabilis eſt intelligentia in ratione motus à cœlo, quod non cernitur in inſtantiis adductis, & ratione huius perpetuæ vnionis poteſt dici cœlum quoquo pacto, & improprie vt dixi animatum, & intelligere, & velle, &c. Sed & cum dictum fuerit præcedenti art. formam cœli non eſſe quid pure paſſiuum relatione ad motum, ſed modo animali concurrere, quod nulla via inuenitur in naui, aut plauſtro, ideo magis congrue poteſt cœlum denominari à conditionibus intelligentiæ, quam enumerata à nauta, vel à bobus; Et tandem ſi vis fiat in voce, non eſſet valde contendendum, cur nauis ſumpta pro aggregato ex ipſa, & nauta non poſſet dici ſe mouere, & ſimiliter dic de plauſtro, ſed ratione motus ſolum, quoniam penes hunc ſolum, non penes velle, intelligere, &c. boues, & nauta illis copulantur, ſed certe quæ adduximus manifeſtum diſcrimen patefaciunt verſari inter cœlum, & alia memorata, &c. D.Thom.

Ad tertium dic primo, cœlum pro aggregato ex ipſo, & intelligentia eſſe cauſam horum ſublunarium, ſic omnibus his inferioribus eſſe præſtantius dicimus, &c. nam cœlum præciſe ſemotum ab intelligentia non eſt cauſa, niſi inſtrumentalis horum inferiorum, ſic mille locis apud Ariſtotelem quis legit, Solem, & hominem generare hominem. Sic autem præciſe acceptum, quo pacto accipitur, & quando vocatur æternũ, & locus Dei, vt recenſebatur in argumento, dic ſecundo, quod quoniam comparatio fit ſemper cum rebus eiuſdem generis, & ordinis, ideo nobilitatem cœli intellige ſuper alia corpora, ſic 13. illo primi de Cœlo dicebatur ſubſtantia corporea præſtantior, &c. & dum tribuitur locus mentibus ſuperis, patet accipi vt quid corporeum; comparatum autem viuentibus, dicimus, (quicquid nonnulli velint,) cum Auctore loco allegato in argumento, corpus viuens eſſe nobilius non viuente, quoniam viuentia includunt gradum vlteriorem nobiliſſimum, qui eſt viuere, cum quo ſtat, aliquod corpus non viuens, vt cœlum in ratione corporis eſſe nobilius viuentibus, quoniam digniores habet modos eſſendi, cum ſit incorruptibile, perpetuum, lucidum, ornatum &c. Sic uiuentia erunt nobiliora entia cœlo, ipſum vero erit nobilius corpus viuentibus his inferioribus, homine excepto, quem vnum ex omnibus animalibus diuinitatis participem, habemus ab Ariſtotele ſecundo de Partibus animalium cap. 10. & naturam obtinere diuinam quarto eorundem, cap. 10. & omnium eſſe finem ſcripſit idem Philoſophus ſecundo Phyſ. 24. Cœlum quo pacto cauſa ſublunarium. Quibus ſit cœlum nobilius. Quomodo uiuens nobilius non viuente. Ariſtot.

Ad quartum, quod Auctoris diſcipulos vehementer excruciare ſolet, dicas Auctorem loco illo cont. Gent. arguere contra Auer. qui omnes rationes ſuas fundare videbatur ſuper verbis Ariſtotelis, vt probaret animam intellectiuam non poſſe eſſe corporis formam, voluit ipſe oſtendere, quod ex verbis Ariſtotelis hoc non repugnat, immo nonnulla Ariſtotelis loca inſpiciendo, & verba attendendo, colligitur id non repugnare eius doctrinæ, cum aliquando vocet cœlos animatos, quam viam reſpondendi amplexatur Ferrar. ibidẽ & Iauellus q. illa 16. ad duodecimum Diuinorum, & Caiet. p.p. art. illo 3. q. 70. adeo vt quaſi exaggeratus Auctor contra Auer. voluerit dicere, non repugnare in via Ariſt. ponere ſubſtantiam intellectualem corporis formam, & quidem reſponſio quam adinuenerunt præclara ingenia, à nobis amplexanda venit. D.Thomas ſcopus.

Illud

Cogitatum Auctoris.

Illud tamen adderem, quod fortaſſis Auctor non ex locis Ariſtotelis tantum abſolute, ſed vt ab Auer. quoque exponuntur voluit oſtendere non repugnare doctrinæ Ariſtotelis, quod intellectualis ſubſtantia ſit vnita vt forma corpori, nam 13. illum ſecundi de Cœlo allatum ab Auctore exponens Auer. clare aſſerit cœlum animatum, quare non ſimpliciter, ſed ad hominem, in via quoque Ariſtotelis poſſet dici Auctor ibi locutus; at vero abſolute, & ſimpliciter contra neminem arguens prima par. loco perſæpe citato, conſtanter docuit, & probauit cœlos non animatos, niſi anima aſſiſtente, & æquiuoce, &c.

Ad quintum, circa finem ſecundæ concluſionis art. tertio reflectebamus argumētum, quoniam ex nobilitate cœli ſenſus ab eo remouebamus, & quamuis ſentire ſit perfectio, non tamen ſimpliciter, ſed magnam habet annexam imperfectionem, cum nequeat exerceri abſque corpore, & materia, vt proinde leue ſit arguere, quod in entibus nobilibus ſit locandum. Auctoritas vero Ariſtotelis 61. illo tertij de Anima non omnino facilis eſt ob expoſitiones varias, & præter illam Auerr. & Themiſtij, quas adducebat Auctor 2. de Cœlo 51. quæ certe accommodatæ ſatis ſunt, poſt illas Alexandri, Simplicij, & Plutarchi, quos ſuper illum locum refert Genua, poſt illam Ioannis Grammatici, qui illas Alexandri, & Plutarchi commemorat, & iuxta vtramque uidetur problematicum ſe gerere, dic tu breui cum Auctore, verum eſſe, nullum corpus habere animam intellectiuam ſine ſenſu, ſiue fuerit corpus ingenerabile, ſiue generabile, at nomine corporis ingenerabilis non accipitur ibi Cœlum, quoniam hoc eſt manſiuum in eodem loco ſecundum totum, Ariſtoteles autem clare ibi loquitur de corpore, quod non manſiuum exiſtit; vnde apparet loqui de quibuſdam corporibus animatis, quæ à Platonicis denominabantur dæmones, & dicebantur animalia corpore aerea, tempore æterna, vt ex Apuleio dictum à nobis fuit prima quæſtione ad hoc caput, & dicebant animalia hæc moueri motu progreſſiuo, ac non eſſe manſiua, non quod Ariſtoteles ponat ſpiritus hos aereos, vel hos dæmones, ſed dato quod ſint, vt alij eos hoc modo poſuerunt, id profert Philoſophus, Ex quibus verbis ex ſuppoſitione acceptis, cadit inſtantia, quam Genua contra hanc Auctoris interpretationem, (quam ſecutus eſt Toletus Cardinalis) ibidem affert.

Variæ loci Ariſtotelis expoſitiones.

D.Thom.

Genua. Toletus.

Ad vltimum, merito deridentur ab Ariſtotele ibidem, & pluribus impugnantur, qui enunciarunt, Solem nutriri humido, & vaporibus, hi quippe in altum tolluntur, non vt nutriant corpora cœleſtia, quæ corruptionem ignorant, ſed ex materiæ neceſſitate, & profecto ſi ex his depaſceretur Sol, vel aliud quodpiam cœleſte corpus, non in pluuias, aut rorem, aut niuem conuerſi, rurſus ad terram deſcenderent. Quod vero adnectitur, Ariſtotelem vocare cœlos animalia, valde leue eſt; nam & duodecimo Diuinorum 39. dicebat, Deum eſſe animal perpetuum, & optimum, & nomine animalis nil aliud accipitur, quam viuens, vt plerique vertunt; Accedit, quod non dicuntur ibi cœli animalia ab Ariſtotele, ſed entia precioſa comparatione ad animalia, ex quo potius colligitur, quod non ſint animalia, ſed ſi admitteres etiam dici animalia, explica habentia animam, qualem autem, & quali modo, iam noſti ex articulo ſuperiori, & ex ſolutione ad primum, &c.

Cur vapores ſurſum ferantur.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

1 HIS viſis, patet quomodo eſſentia inueniatur in diuerſis; Inuenitur autem triplex modus habendi eſſentiam in ſubſtantiis, aliquid enim eſt ſicut Deus, cuius eſſentia eſt ipſum ſuum eſſe, & ideo inueniuntur aliqui philoſophi dicentes, quod Deus non habet eſſentiam, quia eſſentia eius non eſt aliud, quam eſſe eius; Et ex hoc ſequitur, quod ipſe non ſit in genere, quia omne quod eſt in genere, oportet quod habeat quidditatem præter eſſe ſuum, cum quidditas, aut natura generis, aut ſpeciei non diſtinguatur ſecundum rationem naturæ in illis, quorum eſt genus, vel ſpecies, ſed eſſe eſt in diuerſis diuerſimode.

2 Nec oportet, ſi diximus quod Deus eſt eſſe tantum, vt in errorem eorum incidamus, qui Deum dixerunt eſſe illud eſſe vniuerſale, quo quælibet res formaliter eſt; Hoc enim eſſe, quod Deus eſt, huius conditionis eſt, vt nulla ſibi additio fieri poſſit, vnde per ipſam ſuam puritatem eſt eſſe diſtinctum ab omni eſſe, propter quod in commento nonæ propoſitionis libri de Cauſis dicitur, quod indiuiduatio primæ cauſæ, quæ eſt eſſe tantum, eſt per puram bonitatem eius; Eſſe autem commune ſicut in intellectu ſuo non includit aliquam additionem, ita nec includit in intellectu ſuo aliquam præciſionem additionis, quia ſi hoc eſſet, nihil poſſet intelligi eſſe, in quo ſuper eſſe aliquid adderetur: Similiter etiam quamuis ſit eſſe tantum, non oportet, quod deficiant ei reliquæ perfectiones, vel nobilitates, immo habet omnes perfectiones, quæ ſunt in omnibus generibus, propter quod perfectum ſimpliciter dicitur, vt Philoſophus, & Commentator in quinto Metaphyſicæ * dicunt; ſed habet eas modo excellentiori omnibus rebus, quia in eo omnes vnum ſunt, ſed in aliis tex. & com. 21.

in aliis diuerſitatem habent, & hoc eſt, quia omnes illæ perfectiones conueniunt ſibi ſecundum ſuum eſſe ſimplex, ſicut ſi aliquis per vnam qualitatem poſſet efficere operationes omnium qualitatum, in illa vna qualitate omnes qualitates haberet, ita Deus in ipſo eſſe ſuo omnes perfectiones habet.

3 Secundo modo inuenitur eſſentia in ſubſtantiis creatis intellectualibus, in quibus eſt aliud eſſe, quam eſſentia ipſarum; quamuis eſſentia ſit ſine materia, vnde eſſe earum non eſt abſolutum, ſed receptum, & ideo limitatum, & finitum ad capacitatem naturæ recipientis; ſed natura, vel quidditas earum eſt abſoluta, non recepta in aliqua materia, & ideo dicitur in libro de Cauſis, quod intelligentiæ ſunt finitæ ſuperius, & infinitæ inferius, ſunt enim finitæ quantum ad eſſe ſuum, quod à ſuperiori recipiunt, non tamen finiuntur inferius, quia earum formæ non limitantur ad capacitatem alicuius materiæ recipientis eas, & in talibus ſubſtantiis nõ inuenitur multitudo indiuiduorum in vna ſpecie, vt dictum eſt, niſi in anima humana propter corpus cui vnitur.

4 Et licet indiuiduatio eius ex corpore occaſionaliter dependeat quantum ad ſui inchoationem, quia non acquiritur ſibi eſſe indiuiduatum, niſi in corpore, cuius eſt actus, non tamen oportet, vt deſtructo corpore indiuiduatio pereat, quia cum habeat eſſe abſolutum, ex quo acquiſitum eſt ſibi eſſe indiuiduatum, ex hoc quod facta eſt forma huius corporis, illud eſſe ſemper remanet indiuiduatũ, & ideo dicit Auicennas,* quod indiuiduatio animarum, & multiplicatio dependet ex corpore quantum ad ſui principium, ſed non quantum ad ſui finem.

Colligitur ex 5. par. de Anima, cap. 3. & 4.

5 Et quia in iſtis ſubſtantiis quidditas non eſt idem quod eſſe, ideo ſunt ordinabiles in prædicamento, & propter hoc inuenitur in eis genus, ſpecies, & differentia, quamuis earum differentiæ propriæ nobis occultæ

ſint;

ſint; In rebus enim ſenſibilibus etiam ipſæ differentiæ eſſentiales nobis ignotæ ſunt, vnde ſignificantur per differentias accidentales, quæ ex eſſentialibus oriuntur, ſicut cauſa ſignificatur per ſuum effectum, ſicut bipes ponitur differentia hominis; accidentia autem propria ſubſtantiarum immaterialiũ nobis ignota ſunt, vnde differentiæ earum nec per ſe, nec per accidentales differentias nobis ſignificari poſſunt.

6 Hoc tamen ſciendum, quod non eodem modo ſumitur genus, & differentia in illis ſubſtantiis, & in ſubſtantiis ſenſibilibus, quia in ſenſibilibus genus ſumitur ab eo quod eſt materiale in re, differentia vero ab eo quod eſt formale in ipſa; vnde dicit Auicennas in principio libri ſui de Anima*, quod forma in rebus compoſitis ex materia, & forma eſt differentia ſimplex eius, quod conſtituitur ex illa, non autem ita, quod ipſa forma ſit differentia, ſed quia eſt principiũ differentiæ, vt idem dicit in ſua Metaphyſica*, & dicitur talis differentia eſſe differentia ſimplex, quia ſumitur ab eo quod eſt pars quidditatis rei, ſcilicet à forma; Cum autem ſubſtantiæ ſpirituales ſint ſimplices quidditates, non poteſt in eis differentia ſumi ab eo quod eſt pars quidditatis, ſed à tota quidditate, & ideo in principio de Anima* dicit Auicennas, quod differentiam ſimplicem non habent niſi ſpecies, quarum eſſentiæ ſunt compoſitæ ex materia, & forma; Similiter etiam in eis ex tota eſſentia ſumitur genus, modo tamen differẽti, vna enim ſubſtantia ſeparata cõuenit cũ alia in immaterialitate. Differunt autem ab inuicem in gradu perfectionis, ſecundum receſſum à potentialitate, & acceſſum ad actum purum, & ideo ab eo quod ſequitur illas inquantum ſunt immateriales, ſumitur in eis genus, ſicut intellectualitas, vel aliquid huiuſmodi, ab eo autem quod ſequitur in eis gradum perfectionis, ſumitur in eis differentia, nobis tamen ignota.

* cap. 1.

* Lib. 5. cap. 6. in princ.

* Vbi ſupra.

7 Nec oportet has differẽtias eſſe accidentales, quia ſunt

ſecundum maiorem, & minorem perfectionem, quæ non diuerſificat ſpeciem; Gradus enim perfectionis in recipiendo eãdem formam non diuerſificat ſpeciem, ſicut albius, & minus albũ in participando eiuſdẽ ſpeciei albedinẽ, ſed diuerſis gradibus perfectionis in ipſis formis, vel naturis participatis diuerſificat ſpeciẽ, ſicut natura procedit per gradus de plãtis ad animalia per quædam, quæ fiunt media inter animalia, & plantas, ſecundum Philoſophum in libro de Animalibus. Nec iterum eſt neceſſarium, vt diuiſio intellectualium ſubſtantiarum ſit ſemper per differentias veras, quia hoc eſt impoſſibile in omnibus rebus accidere, vt Philoſophus dicit in undecimo de Animalibus*.

* 1. de Partib. animal. cap. 2. & 3.

8 Tertio modo inuenitur in ſubſtantijs compoſitis ex materia, & forma, in quibus & eſſe eſt receptũ, & finitum, propter quod & ab alio eſſe habent, & iterum natura, vel quidditas earum recepta eſt in materia ſignata, & ideo ſunt finitæ & ſuperius, & inferius, & in eis etiam propter diuiſionem materiæ ſignatæ poſſibilis eſt multiplicatio indiuiduorũ in vna ſpecie; & in his ſubſtantiis qualiter ſe habeat eſſentia ad intentiones logicas, ſupra dictum eſt.

SVMMA CAPITIS.

Manifeſtat, quomodo in triplici ordine ſubſtantiæ eſſentia inueniatur, & primo quomodo in prima ſubſtantia, inquiens eius eſſentiam eſſe purum eſſe, perfectiſſimum, & omnes omnium rerum perfectiones continentem, neque ad vllum genus determinatam, deinde quomodo in aliis ſubſtantiis intellectualibus, earundem & ſimplicitatem, & compoſitionem, & multiplicationem, & ad determinatum genus limitationem, in quibus & animam intellectiuam commemorat aſſignãs, quamque de ipſis agnitionem habere poſſimus oſtendit, ac denique quomodo in ſubſtantiis compoſitis inueniatur eſſentia, earum compoſitionem aperiens, & quommodo multiplicentur, & ad logicas intentiones ſe habeant, remittens ſe ad ea, quæ iam in hoc eodem opere de ipſis allegauit, &c.

DIVISIO.

HAec eſt ſecunda pars partis ſecundæ principalis huius tractatus, in qua Auctor proſequitur, & terminat contemplationem de eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium, quam iam in capite præcedenti incœperat; Et quidem poſſet hæc pars in tres præcipuas diuidi, velut in triplici gradu ſubſtātiæ eſſentiam inueniri docemur; Verum quoniam multa ſigillatim docet, potiſſimum de primo, ac ſecundo gradu ſubſtantiarũ, quæ non commode ſatis ad vnam, vel alteram partem redigi queunt, ideo quæ præcipua magis tradit, locis magis peculiaribus apparent accommodāda; Quare dicamus octo eſſe eius partes, in quarum prima manifeſtatur qualis ſit eſſentia Dei, & quomodo ſe habeat, vel potius non ſe habeat ad logicas intentiones, in ſecunda ex aſſignata eſſentia reiicit duos errores, qui poſſent oriri, & in quos aliqui ſtulte lapſi ſunt. in tertia ſermonem habens de ſubſtantiis creatis intellectualibus, & ſimplicibus, quattuor de ipſis profert, quæ prope colliguntur ex doctrina capitis præcedentis, in quarta declarat id quod de ipſis quarto loco pronunciauerat, remouens tacitam quandam obiectionem, in quinta incipit oſtendere quo pacto ſubſtantiæ iſtæ ſe habeant ad intentiones logicas, & quam exilem de ipſis teneamus cognitionem declarat, in ſexta comparando eas ad ſubſtantias ſenſibiles, digreditur quomodo ſint in prædicamento, quomodo in eis inueniatur ratio generis, & differentiæ, & vnde hæc ſumantur, in ſeptima occurrit duplici obiectioni, quæ poſſet accidere contra determinata in ſexta parte; denique in octaua enucleat quomodo in ſubſtantiis compoſitis ex materia, & forma reperiatur eſſentia, quomodo multiplicetur, & quomodo ſe habeant ad logicas intentiones, quæ omnia ex antehabitis ferme innoteſcunt, &c. *Partes huius litere.*

Quo ad primum inquit, quod eſſentia, quæ inuenitur in Deo eſt ipſummet eſſe diuinum, vnde ait nonnullos adeſſe philoſophos, qui dicunt Deum nō habere eſſentiam, diſtinctam ſcilicet ab eſſe, quoniam eius eſſentia nil aliud eſt, quam eius eſſe, ex quo prouenit, vt ipſe non ſit in genere, quoniam omne quod eſt in genere, habet quidditatem aliam ab eſſe, quia natura generis eſt eadem in omnibus iis, quæ ſunt ſub ipſo, & tamen illamet differunt in eſſe illius generis, nequit autem idem eſſe id in quo aliqua conueniunt, & in quo differunt, ſed Deus non habet eſſentiam aliam ab eſſe, &c. *Prima.*

Quo ad ſecundum, poſſet quis primo ſibi ſuadere, quod Deus eſſet illud eſſe vniuerſale, quo res quæcumque formaliter eſt, nam dictum fuit, quod Deus eſt eſſe tantū, at res nō ita ſe habet, quoniā illud eſſe quod dicimus eſſe Deum, eſt illius naturæ, vt nullam ſecum patiatur additionem, quare ex ipſa ſui puritate diſtinguitur ab omni eſſe, vt elicitur ex commento nonæ propoſitionis libri de Cauſis, eſſe vero commune omnibus tale eſt, quod ceu in ſuo intellectu non includit aliquam additionem, ita neque pręciſionem additionis, adeo vt licet non ſit de ſui ratione additio, non tamen eſt vt ei non fiat additio, ſic abſtrahit ab vtroque; Poſſet deinceps quis ſuſpicari, vt Deū deficerent aliæ perfectiones, ſed totum oppoſitum eſt, quoniam enim eſt ſuū eſſe, ob id perfectiones omnium generum obtinet, vnde & ab Ariſtotele quinto Diuinorum 21. cap. de Perfecto, & à Commentatore ibidem clarius dicitur ſimpliciter perfectus, & modo vniuerſali; Cumque variæ rerum perfectiones in aliis diuerſitatē ha- *Secunda.* *Ariſtotel. Auerroes*

beant, in Deo ſunt vnum, quoniam conueniunt ei ſecundum eſſe ſuū ſimplex, atque ideo nobiliori modo, vt enim qui per vnam qualitaté efficeret omnium qualitatum operationes, perfectior eſſet, quam qui per varias qualitates eaſdem obiret, ita Deus omnibus eſt perfectior, quoniam in ſuo vnico eſſe omnes claudit perfectiones, &c.

Tertia. Quo ad tertium, Inuenitur ſecundo modo eſſentia in ſubſtantiis creatis intellectualibus, de quibus quattuor extant pronunciata, & primum eſt, quod in ipſis eſſe eſt aliud ab eſſentia, ſecundum, non inueniri in eis materiā, tertium, ipſarum eſſe non abſolutum, ſed receptum, & finitū inueniri, finitur enim ad capacitatem naturæ, in qua recipitur, eorum vero naturam abſolutam, quoniam non in materia recipitur, vnde libro de Cauſis vocatur intelligentiæ finitæ ſuperius, & infinitæ inferius, quartum, in his ſubſtantiis non adeſſe multitudiné indiuiduorum in eadem ſpecie, niſi in anima humana, & hoc ei euenire merito corporis, cui vnitur.

Quarta. Quo ad quartū, Licet indiuiduatio animæ intellectiuæ dependeat ex corpore occaſionaliter, quantum ad ſui initium, quoniam nō habet eſſe indiuiduale, niſi in corpore, cuius eſt actus, non tamen ſequitur, vt destructo corpore tollatur indiuiduatio, nam habet eſſe abſolutum à corpore, vnde illud eſſe, quod ſemel acquiſiuit, perpetuo retinet, quocirca bene dixit Auicen. 5. par. de Anima, cap. 3. & 4. indiuiduationem, ac multiplicationem animarū dependere ex corpore quo ad ſui principium, non quo ad ſui finem. *Auicenna.*

Quinta. Quo ad quintum, Habetur intelligentias eſſe in prædicamento, quoniā in eis differt eſſe ab eſſentia, hinc in eis inuenitur & genus, & ſpecies, & differentia, quamuis earum differentiæ propriæ nos lateant; Et quidem licet in rebus quoque ſenſui ſubiacentibus differentias eſſentiales ignoremus, attamen eas per accidentales differētias pateſacimus, quippe quæ accidētales ex eſſentialibus cauſantur; Ita cauſam ſignificamus per ſuum effectum, ita bipes ponitur differentia hominis, ſed hoc nequimus efficere in ſubſtantiis intellectualibus, quoniam & eorum propria accidentia cognitionem noſtram fugiunt, quare exilis nimis de ipſis nobis adeſt cognitio, &c.

Sexta. Quo ad ſextum; Vario modo ſumitur genus, & differentia in ſubſtātiis iſtis, & in ſenſibilibus, quoniam in his ſumitur genus ab eo quod eſt in re materiale, differentia autem ab eo quod in eadem re eſt formale, ſic Auicennas libro ſuo de Anima, cap. 1. dicebat, formā in rebus ex materia, & forma conſtantibus eſſe differentiam ſimplicem illius, quod ex illa conſtituitur, non quidem in eo ſenſu, vt forma ſit differētia, ſed differentiæ principiū, ex eodē in ſua Metaph. lib. 5. cap. 6. In ſubſtātiis vero illis nequit res hoc modo ſe habere, cū enim ſint quidditates ſimplices, non poteſt in eis ſumi differētia ab eo, quod eſt pars quidditatis, ſed à tota quidditate, ſic idē Philoſ. vbi ſupra lib. de Anima ſcriptū reliquit, differentiam ſimplicem non habere niſi ſpecies, quarum eſſentiæ ex materia, ac forma ſunt compoſitę; quare in eiſdem & genus ſumetur ex tota eſſentia, modo tamen vario; cum enim vna ſubſtantia ſeparata conueniat cum alia in immaterialitate, & ab inuicem differant, quatenus magis, & minus ad actum purū accedunt, ideo ab eo quod ſequitur ipſas quatenus conueniunt deſumitur genus, quodcūq; illud fuerit, ab eo vero quod ſequitur in eis gradū illū perfectionis, iuxta quem differunt, ratio ſumitur differentiæ, quam vtique nos ignoramus. *Auicennas.*

Septima. Quo ad ſeptimum, Poſſet quis primo dicere, has differentias eſſe accidentales, cum ſumantur à vario gradu perfectionis, nam quæ differunt ſecundum

magis

magis, & minus perfectum, non variant ſpeciem, in eadem quippe ſpecie ſunt magis album, & minus album; ſed curreret obiectio, ſi hoc magis, & minus perfectum attenderentur penes eandem formam diuerſimode participatam, velut erat in exemplo de magis, & minus albo, at quoniam varij illi gradus perfectionis, iuxta quos diximus deſumi differentias in intellectualibus ſubſtātijs, à varijs formis ſumūtur, eapropter nulla eſt obiectio, quoniā diuerſitas formarum diuerſitatem arguit ſpecierum, ac ſubinde eſſentialem. Obijcere poſſet quis ſecundo dicendo, quod ſi in intelligentijs ſit verum genus, & veræ ſpecies, oportet & eſſe duas veras differentias, per quas diuiſum genus trahatur ad ſpecies, at magis, & minus perfectum, quæ differentias diximus eſſe in intelligentijs non ſunt veræ differentiæ, quoniam minus perfectū non eſt quid poſitiuum, quod exigitur ad rationem veræ differentiæ, ſed priuatiuum, vt patet; At cadit hæc obiectio, quoniā non eſt vniuerſaliter verum, quod omne genus diuidatur per veras differētias, immo hoc eſt impoſſibile accidere in omnibus, ex Ariſtotelis ſententia libro de Partibus animalium primo, cap. 2. & 3. Ariſtotel.

Quo ad vltimum; Tertio modo inuenitur eſſentia in ſubſtantijs compoſitis ex materia, & forma, in quibus primo intuemur eſſe earum finitum, ac receptum, nam ab alio illud habent, ſecundo itidem cernimus naturam, ac quidditatem receptam, nimirum in materia, ex quo tertio ſequitur, quod & ſuperius, & inferius finitas contemplemur; quarto eas in vna, ac eadem vltima ſpecie ob materiæ ſignatæ diuiſionem multiplicationem admittere conſtat; Quomodo vero in his eſſentia ſe habeat ad intentiones logicas, ſupra dictum fuit, intellige toto capite huius libri quarto, &c.

ANNOTATIONES.

His viſis patet, quomodo eſſentia, &c.

CIRCA primam partem, vbi habetur, quod quoniam eſſentia Dei eſt ſuum eſſe, ideo quoſdam philoſophos inueniri dicentes, Deum non habere eſſentiam, aduerte, quod nomine horum philoſophorum accipitur forſan Plato, quippe qui in Parmenide, dialectico quidem, at perobſcuro, & perdocto diſcurſu, in fine præſertim primæ ſuppoſitionis colligit Deum non eſſe ens, quem Deum vocat ibi vnum; ſed & D. Dionyſius cap. 5. libri de Diuinis nominibus inquit, Deum non eſſe exiſtentem, ſed ſupra exiſtentia; Vnde quando inuenis Deum appellari non ens, non habentem eſſentiam, intellige non habere eſſentiam aliam ab eſſe, intellige non eſſe ens participatum, & vere non habere eſſentiam, quoniam eſt ipſamet eſſentia, & ipſummet eſſe, quare non ſunt abſolute proferendæ huiuſcemodi negationes de Deo, quoniā ſimpliciter hi modi loquendi haud bonum ſenſum referre videntur, tantū enim abeſt, vt Deus non ſit ens, quod eſt ipſummet eſſe & ab eo eſt quicquid eſt, ſed intelligere debes, vt expoſitum eſt: Hinc Plato ibidem, quando concluſit nullo modo eſſe ipſum vnum, mox ſubiecit, quoniam eſſet ens, & eſſentiæ particeps, negauit igitur ipſum eſſe ens ex participatione, D. vero Dionyſ. clare dixit Deum eſſe ſupra exiſtentia, &c.

Plato.

D. Dionyſ.

Senſus quorūdam dictorū.

Quod autem eſſentia Dei ſit eſſe ſuum, & conueniunt omnes, & clare elicitur

tur ex illo Exodi tertio, Ego ſum, qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos, & tribus validis rationibus comprobatur ab Auctore prima par. quæſt. tertia, ar. quarto, & prima deſumitur ex eo quod Deus eſt prima cauſa efficiens, quare ſi eſſe ſuum non foret ſua eſſentia, oporteret vt ab aliquo alio cauſaretur, (non enim valet cauſari ex principijs tantum eſſentialibus rei, vt vidimus circa par. ſeptimam literæ præcedentis,) & ſic non foret primum efficiens; Secunda ſumitur ex puriſſima eius ſimplicitate, in quo ſubinde nihil potentiale valet habere locum, & tamen ſi eſſentia differat ab eſſe, iam illa compararetur ad hoc vt potentia ad actum, vt habitum eſt toto ferè præcedenti capite, & maxime quæſtione ſexta; Tertia petitur ex eo quod ipſe eſt primum ens, vnde nequit habere eſſe, quicquid enim habet aliquid, & non eſt illud, tale eſt per participationem, quocirca oportet, vt ſit ſuum eſſe, cumque ſit ſua eſſentia, ſequitur vt hæc non differat ab illo; & vide ſi libet alias rationes ad hoc, apud eundem Auctorem primo contra Gentes 22. non enim in re apertiſſima eſt vt immoremur.

D. Thomæ rationes.

Remouetur quædam obiectio.

Nec te conturbet, quod de Deo ſcias eſſe, & ignores eſſentiam, hoc enim non arguit vllam in ipſa re diſtinctionē, ſed ſolum, quod eadem res ſub vna ratione, & conceptu poteſt terminare intellectum, & non ſub alio, & tamen ſi eſſe Dei à parte rei noſſes vt in ſe eſt, noſſes & eſſentiam, nam eſſe ipſius eſt eiuſdem quidditas, & terminat nedum quæſtionem an eſt, vt facit eſſe aliarū rerum, ſed & quid eſt; non enim minus eſt prædicatum eſſentiale, & in primo modo dicendi per ſe ly *eſſe* reſpectu Dei, & non minus in ſui definitione poneretur, quam ſit rationale reſpectu hominis, quod in nullo alio poteſt veritatem habere; Quomodo autem verum ſit, quod eſſe Dei nedum ſit terminus quæſtionis an eſt, ſed & quid eſt, nonnulla dixi in prologomenis huius operis, in tertio quæſito de natura ſubiecti, &c.

D. Thom. Nomen maxime proprium Deo.

Adeo autem eſſe eſt de conceptu quidditatiuo Dei, vt Auctor prima parte, quæſt. 13. ar. 11. doceat, hoc nomen *qui eſt*, inter omnia nomina quæ Deo tribuuntur eſſe maxime proprium, quoniam non aliquam formam determinatam ſignificat, velut cætera nomina, quæ de ipſo dicuntur, (bonum quippe ſignificat formam bonitatis, ſapiens formam ſapientiæ,) ſed exprimit ipſum eſſe, ambiens omnem modum eſſendi, quod eſt idem, quod eſſentia Dei; Et vere ſolius Dei eſt eſſe, nam reliqua omnia priuſquam fuerint, non erant, & dum ſunt, ſunt, ac non ſunt, quatenus ſunt poſſibilia non eſſe, logice ſaltem, & per potentiam in alio; rurſus dum ſunt, non ſunt abſolute, ſed hoc modo, huius ſcilicet, & illius perfectionis, limitatæ, &c. Cum autem audis hoc nomem *qui eſt* eſſe magis proprium Deo inter omnia alia nomina, intellige quo ad id, ad quod nomē imponitur, cū enim imponatur ab eſſe, hoc eſt magis peculiare Deo, quā vniuerſalis prouidentia, à qua impoſitum eſt hoc nomen *Deus*, quoniam eſſe eſt communioris ſignificati, at ſi fuerit ſermo de eo ad quod ſignificandum nomen impoſitum eſt, tunc eſt magis proprium hoc nomen *Deus*, quam *qui eſt*, quoniam deitas ad quam ſignificandam imponitur illud nomen Deus eſt ei peculiaris magis, quam eſſe, cum importet illam naturam quaſi ſecundum differentiam ſpecificam, (aiebat Caiet. ſuper citatum ar. primæ par.) ly vero *qui eſt*, quaſi ſecundum genus, &c.

Caietanus.

At dices, quare ex eo, quod eſſe eſt latioris ſignificati, quam hæc vox *Deus* intulerim, quod ſit vox magis propria? Aduerte breui, & facile ex Auctore, & ſuo Interprete Illuſtriſſimo ibidem, quod nomina quo communiora in ſignificato, eo magis propria ſunt Deo, cuius ratio eſt, quoniam modus eſſendi Dei

D. Thom.

di Dei eſt incognitus,(non enim habet viator quodquideſt ipſius,) hinc modus omnis cognitus deficit à modo illius, & quoniam hic defectus oritur ex immenſa amplitudine modi eſſendi ipſius, (cum ſit non hoc, vel illud eſſe coarctatum,ſed ipſum eſſe ſimpliciter,) id profecto conſequitur, vt ratio illius nominis, quæ erit amplior, & quæ minus recedet ab illo vaſtiſſimo pelago diuini eſſe,& cuius proinde ſignificatum latius patebit, magis ſit Deo accommodata, cum enim nomen nullum Dei modum exæquet, (quoniam nullus conceptus adæquat,) id quod minus dicitur magis proprium, & minus recedere, eſt magis proprie dici in propoſito, iam autem explicatum dedi, hoc nomen *qui eſt*, patentiſſimi eſſe ſignificati, quare, &c.

Cuius nominis ratio Deo congruétior.

Nec oportet ſi diximus, quod Deus eſt eſſe tantum, &c.

CIrca primum errorem, qui reiicitur in ſecunda parte,quod ſcilicet à quibuſdam dictum fuerit,Deum eſſe illud eſſe vniuerſale, & formale omniũ, potes ſcire, hunc errorem late confutari ab Auctore primo contra Gent. cap. toto 26. vbi & quattuor motiua,quibus aliquis ad eam ſtultitiam potuerit deuenire adfert,& reſpuit, in hac autem parte, motiuum ſolum ſecundo loco ibi adductum commemorat, & illud eſt, quoniam eſſe nulla ſpecificatum additione,eſt eſſe cõmune,(ideo quippe eſſe eſt proprium huic, & illi, quoniã ad hoc, & ad illud ſpecificatur,limitatur,&c.) Deus autem eſt eiuſmodi eſſe,ergo,&c. Reijcitur motiuum hoc & in præſenti,& loco illo ab Auctore,& prima parte, quæſt.tertia,ar. quarto ad primum hac diſtinctione, nam duplex eſt eſſe,quoddam,quod nullam habet additionem, poteſt tamen habere,& hoc eſt eſſe commune,aliud eſt quod nedum non habet additionem, ſed neque poteſt habere, quod eſſe eſt Deus, primum eſſe neque includit,neque excludit additionem, abſtrahit enim ab vtroque, quoniam ſi includeret, iam eſſet ſpecificatum ab illo incluſo,vnde non eſſet commune,ſi excluderet, nihil poſſet intelligi eſſe, in quo aliquid acciperetur ſuperuenire ipſi eſſe, nam quod ab aliquo excluditur, nequit ei aduenire,ſic non ſenſus,non vita,non intellectus ei adueniret; At vero ſecundum eſſe præſcindit, & excludit additionem omnem.

D.Thom.

Duplex eſſe.

Hæc Caiet alijs verbis hoc loco pateſaciens ait, eſſe nulla additione contrahi, vel ſpecificari, bifariam poſſe intelligi, vel actu ſolum, (quod dicebamus nos non habere additionem, poſſe tamen habere,) vel actu, & potentia ſimul, (quod dicebamus neque habere,neque poſſe habere,) primum eſt eſſe commune, ſecundum autem eſt Deus;Si itaque dicatur,eſſe nulla additione ſpecificatum,eſt eſſe commune,intellige eſſe, quod nullam habet additionem, poteſt tamen habere, vel eſſe, quod non habet additionem actu, &c. at tunc nequit colligi, quod Deus ſit eiuſmodi eſſe, quoniam nedum non habet additionem, ſed neque poteſt habere,nedum actu non habet, ſed neque potentia,&c.

Caietanus.

Hinc elicias,alia longe ratione,eſſe commune,& eſſe diuinum inueniri abſque additione, ſeu ſpecificatione, quoniam illud eapropter non eſt aliqua additione ſpecificatum, quoniam nihil vltra eſſe vt ſic includit, licet neque excludat, hoc autem eatenus non eſt aliqua additione ſpecificatum, quoniam omnia in ſe habet,& includit,cum ſit ſubſiſtens,ſic illud eſt purum, quoniam nihil vt ſic habet annexum, hoc autem, quoniã vniuerſa continet ſimpliciſſime,&c. Obſerua autem facile, quod dum modo dicebatur aliquid poſſe ipſi eſſe ſuperuenire,

Latum diſcrimen inter eſſe commune, & eſſe diuinum.

uenire, nolumus aliquid tamquam differentiam addi poſſe enti, quodue ſit extra ipſius naturam, implicat enim, vt aliquid ſit ens, & ſit extra ipſius naturam, ac quid ſuperuenit ei, tamquam eius modus, quid explicite ſignificans, quod implicite ſolum continetur in ente, vt docebam quæſtione de analogia entis ad primum Aureoli, ex doctrina Auctoris quæſtione de Veritate prima, art. primo, &c.

D. Thom. Caietanus. Sed & aliam viam reſpondendi huic argumentationi habes, & apud Auctorem loco illo contra Gent. & apud Caiet. hoc loco, & ſtat in hoc, quod eſſe commune eſt nulla additione ſpecificatum, ſecundum intellectus conſiderationem, non autem ſecundum rem, & extra intellectum, eſt vtique verum, quod eſſe commune abſtractum per intellectum, nullam contractionem includit, eſt autem falſum, quod extra animam non includat contractionem, quoniam omne quod tandem in rerum natura creatum exiſtit, eſt ſpecificatum ad ſubſtantiam, vel accidens, & ita eſt ſubſtantia, quod non accidens, & e contra, quemadmodum & animal nequit eſſe extra animam abſque rationali, vel irrationali differentia, quamuis abſque vtriſque à quibus ſpecificatur, cogitetur, & ſit in intellectu, cum neutra illarum differentiarum eius rationem ingrediatur, eſſe vero diuinum nedum ſecundum intellectum non eſt vlla additione ſpecificatum, ſed neque ſecundum rem; Vnde quando dicitur, eſſe nulla ſpecificatum additione eſt eſſe commune, explica de additione ſecundum intellectum, tunc autem nequit colligi, quod Deus ſit tale eſſe, &c.

Aliud diſcrimen inter illa eſſe.

Illud circa hæc omnia obſerua, quod non dixit Auctor, Deum non eſſe illud eſſe commune omnium abſolute, ſed conſultiſſime adiecit, *quo quælibet res formaliter eſt*, adeo quod negat vt ſit eſſe commune formale, non autem negat ſimpliciter, vt ſit eſſe commune, quoniam vt habes ab eodem prima par. quæſt. tertia, art. octauo ad primum, Deitas eſt omnium effectiue, & exemplariter, & rei veritas eſt, quod diuinum eſſe eſt commune communitate formæ exemplaris, quoniam omne eſſe eſt nonnulla diuini eſſe participatio, ac ſimilitudo, & infra ibi quæſt. ſexta, art. quarto habes, vnumquodque poſſe dici bonum, & ens, quatenus participat primum ens, & primum bonum, tamquam primum principium effectiuum, exemplare, & finale; nequit vero eſſe commune eſſe formaliter, quoniam cauſa efficiens, exemplaris, & finalis ſunt extra ea, quorũ ſunt cauſæ, vnde neque ſunt effectuum partes, neque componunt cum ipſis, forma autem eſt vere pars eius, cuius eſt forma, & componit cum eodem, vnde priora genera cauſarum conuenire poſſunt Deo, non autem hoc quartum genus, pugnat enim cum ſimplicitate, ac puritate ipſius; Quæ ſemper intelligas in genere rei; neque enim me præterit, doceri à Theologis diuinam eſſentiam eſſe formam intellectus beati, & eidem per modum ſpeciei intelligibilis vniri, at vnio hæc mirabilis eſt, & nullatenus in ordine rei, ſed ſpirituali, ac intelligibili, & ſemper accipienda venit omnibus ſemotis imperfectionibus, quod negotium explicare non eſt huius loci, vel intentionis, &c.

D. Thom. Eſſe diuinum quomodo cõmune.

Circa alium errorem, qui eadem ſecunda parte reiectus legitur, aduerte, quod naturæ lumine deprehenditur eius falſitas, nam conſtat Ariſtotelem, & Auerr. ſolo illo lumine colluſtratos agnouiſſe Deum in ſummo gradu perfectionis conſtitutum, omniumque rerum perfectiones in ſe complecti, vt habes in litera; Sed vide latius Auerr. Deſtructione deſtructionum, prope finem diſputationis ſextæ, vbi refert viam philoſophorum, qua cognouerunt Deum eſſe cauſam omnium cauſarum primam, & actum purum, & principium mundi, &

Auerroes.

ſimplex,

ſimplex,& ſcientiam, & intellectum; Inſpice Ariſtotelem duodecimo Diuinorum 39. manifeſtantem fœlicitatem, quæ perpetuo ineſt Deo , & colligentem Deum ſempiternum, & optimum viuens,& inferius toto 51. de eius natura, & intellectu mira,& digniſſima profert , & ſecundo magnorum Moraliũ,cap. 18. aiebat,ipſum bona cuncta obtinere,ac ſibi ſatis eſſe; Aphrodiſæus quoque ad illum 39. dicebat, Deum ſemper in iucunditate viuere , immo vero primam cauſam eſſe optimam vitam,& poſt multa ſubdit,quod ille tanto melius nobis ſe habet,vt verbis nequeat explicari,& exceſſum ad nos tantum eſſe, quantum non ſit conſequi verbis . Themiſtius etiam nobili illa paraphraſi ſuper eundem eiuſdem libri locum ſcripſit,Deum eſſe legem,& rationem , & cauſam rectitudinis entium, atque eorundem ordinem, ac legem viuam, perpetuam, & præſtantiſſimam, & honorabiliorem omni vitam habente . Vide demum Platonem locis mille de Deo magnifice ſentientem,nam prope finem Euthiphri ait , nullũ eſſe bonum nobis,quod Deus non præbeat,& quæ à nobis accipit,nihil ei conferre; in Parmenide etiam mira enunciat de eſſe diuino,inquiens, neminem niſi Deum ſupremam ſcientiam habere, & apud ipſum ſupremam eſſe dominationem . Rurſus dialogo ſecundo de Republica non longe à fine ait, Deum eſſe dicendum cauſam bonorum,nõ autem malorum,& poſt nonnulla inquit , eum eſſe pulcherrimum,& optimum,& in ſua forma ſimplici, ac ſempiterna perſeuerare. In Timæo etiam vocat ipſum auctorem omnium,& bonum,& optimũ, & nulla inuidia tangi,ab eoque liuorem prorſus eſſe alienum. Denique dialogo 10. de Legibus,(vt alia loca prætercam,) & probat Deos dari,(intellige diuinas mentes,& vnam inter eas principem,earumque cauſam,)& rerum humanarum curam habere,de eorum virtute digrediens . Non deeſſent teſtimonia aliorum mille philoſophorum de Dei perfectione,ac præſtãtia, vt Anaxagoræ, Empedoclis, Pythagoræ, Antiſtenis,Chryſippi,Ciceronis,& aliorũ, ſed fruſtra penitus in re notiſſima laborarem,ſufficiat inſigniores philoſophos ; (de Gentilibus loquor) nominaſſe.

Ariſtotel.

Alexan.

Themiſt.

Loca Platonis.

Philoſophi varij.

Conſidera deinde modum loquendi Auctoris in hoc errore explodendo, ait enim,ex eo quod dictum eſt, quod Deus ſit eſſe tantum , non ſequi vt deſint ei aliæ perfectiones,immo ex hoc ſequitur,vt habeat omnes perfectiones; & iure hoc modo loquitur , iam enim diximus in reijciendo errore priori , quod Deus eſt eſſe purum, ac ſubſiſtens, cui nulla quouis modo poteſt fieri additio, eſſe autem ſubſiſtens, eo quod ſubſiſtens,omnes claudit perfectiones, quoniam vt idem Auctor dicebat prima par. quæſt. quarta, ar. 3. eſſe ſubſiſtens totam perfectionem eſſendi continet,adferens exemplum de calore, quam doctrinam tradebat diffuſe primo cont. Gent. 28. exemplo de albedine, quod & inferius cap. 43. eiuſdem libri repetijt , quod ſane exemplum habes in hac parte à Caiet. Si itaque Deus eſt eſſe ſubſiſtens,nihil de perfectione eſſendi poteſt ei deeſſe,& ita oportet vt habeat omnes perfectiones, quoniam vnaquæque res dicitur perfecta,ſecundum quod habet eſſe,ſic omnium perfectiones ſpectant ad perfectionem eſſendi, quare qui continet totam eſſendi perfectionem , omnes ſubinde continet perfectiones . Quod ſi cupias videre , quo pacto eſſe poſſit comparari ad viuere,ad intelligere,& reliqua,& quomodo præciſe,ac formaliter acceptũ ſit omnibus nobilius, licet viuens,& alia vt includunt eſſe,hunc, vel illum gradum addentia ſint nobiliora , vide eundem Auctorem prima par. vbi ſupra ad tertium,ex D. Dionyſio, cap. 5. de Diuinis nominibus,& Caiet. ibidem ; Sed tu quando ſermo eſt de Deo his anguſtijs non premeris, quoniam illud eſſe , quod

D.Thom.

eſt Deus nequit conſiderari vt ab alijs gradibus diſtinctum, neque ei quicquam poteſt addi.

Caietanus. Obſeruabat autem Caiet. in præſenti, quod dum dicitur eſſe ſubſiſtens, eo quod ſubſiſtens habere omnes perfectiones, & ſimiliter ſi daretur vel calor, vel albedo ſubſiſtens, nihil illi, vel huic deficeret, quoniam non forent in ſubiecto recepta, (nihil inquam nedum quo ad eſſentiam, & ſpeciem, nam hoc modo & tunc albedo, & calor, & reliqua ſunt perfecta, cum rerum ſpecies ſtent in indiuiſibili, ſed nihil quo ad perfectionem gradualem,) nō eſſe intelligendū, quod hæc negatio receptionis in alio adferat has perfectiones, ſiquidem negatio formaliter nihil eſt, & ab eo quod eſt nihil nulla valet emanare perfectio, ſed id tribui deberet naturæ, quoniam ſubſiſtens eſt, ad quam plane ſubſiſtentiam concurrit tamquam conditio, vt non recipiatur in vllo ſubiecto, eo enim quod recepta, iam non eſt ſubſiſtens, & illa negatio fundamētaliter eſt ipſamet natura, velut homo eſt non leo, non ob aliquam formalem negationem, ſed ſeipſo, quoniam eſt talis naturæ, cui repugnat eſſe irrationale; quocirca illa negatio receptionis formaliter non dat perfectionem, ſed eſt explicatio illius ſubſiſtentiæ, & eiuſdem declaratiua.

Duplex perfectionis genus. Demum circa hanc partem ſcias, quod illæ perfectiones, quæ dicuntur perfectiones ſimpliciter, (quarum naturam explicaui ſecunda quæſtione ad ſecundum caput libri) ſunt in Deo formaliter, ſic Deus abſolute dicitur vita, bonitas, ſapientia, perfectiones vero illæ, quæ vocantur ſecundum quid, eminenter tantum ſunt in ipſo, ratione perfectionis in ipſis clauſæ, non autem ratione imperfectionis, quam neceſſario habent annexam, ſic nō dicitur abſolute leo, (niſi ex metaphora,) non lapis, non ſentiens, &c. Et quamuis legas apud Auctorē cap illo 28. primi con. Gent. quod à Deo totaliter non eſſe abeſt, non tamen intelligas, vt ibidem adnotabat librorū illorum Expoſitor, quod omne eſſe formaliter Deo conueniat, & omne non eſſe ab eodem formaliter remoueatur; non enim verum eſt, quod Deus habeat formaliter eſſe rerum materialiū, quare accipito virtualiter, & eminenter, quo ad omne id quod in omnibus rebus vt ſic dicit perfectionem, quo etiam modo nullum non eſſe ſibi conuenit, vnde non eſt verum dicere, quod Deus non ſit leo, aut quid ſimile virtualiter, & ex quadam eminentia, quamuis non formaliter, &c.

D.Thom.

Ferrarien.

Ex eo itaque quod ponitur Deus ipſum eſſe tantum, non ſolum nō ſequitur, vt alias perfectiones deſideret, ſed vt omnes cumulatiſſime habeat, quoniam talis eſt natura illius eſſe, quod ſubſiſtens eſt; Quod ſi alias cauſas cupias videre, ob quas rerum omnium nobilitates, ac perfectiones ſint in ipſo, vide Auctorem loco memorato cont. Gent. & prima etiā parte, vbi ſupra adfert rationem illam ex parte cauſalitatis ipſius ad omnia alia ab ipſo, modum autem per quē rerum perfectiones ſunt ſublimiori modo in illo, quem habes in litera, explicabo quæſtione ad hanc partem conficienda, &c.

D.Thom.

Secundo modo inuenitur eſſentia in ſubſtantijs, &c.

Circa ea, quæ primo, & ſecundo loco proferuntur in tertia parte de eſſentia ſubſtantiarum intellectualium, nihil prorſus adnotādum occurrit, quoniā ſexta quæſtione ad caput præcedens definitum fuit, quomodo eſſe differat in ipſis ab eſſentia, & prima quæſtione ad idem vidimus eas carere materia; Quod

Quomodo ſe habeant eſſe, & eſſentia.

Quid ſit receptio.

Geminus actus, & gemina potentia.

Ariſtotel.

autem tertio enunciatur, indiget aliqua obſeruatione, quãuis nonnulla fuerit de eodem habita cõſideratio eadẽ prima quæſtione. Dicitur ſiquidẽ de ipſis, quod eſſe habent finitũ, & receptum, eſſentiam autem abſolutã, & irreceptã, vnde vocari conſueuerunt finitæ ſuperius, & infinitæ inferius, quoniam enim eſſe ſe habet vt ſuperius ad eſſentiã, & ei intelligitur accedere, & in earum eſſentia recipitur, ac finitur, ideo finitæ ſuperius, quoniam autem eſſentia eſt quid inferius ad eſſe, & hæc in nullo recipitur, quoniã non in materia, iccirco infinitæ inferius; ſic ex alicuius receptione colligitur eiuſdẽ finitas; & ex irreceptione infinitas, at ſi vnica tantum foret receptio, non poſſet in intelligentijs diſtingui finitas, & infinitas, ſed abſolute forent dicendæ vel finitæ, vel infinitæ, at quoniã duplex inuenitur receptio, & irreceptio, ideo duplex finitas, & infinitas emergit, & quoniã non vtraque, ſed altera tantum in ipſis ineſt, ea propter non vtrinque, ſed ex altero tantum capite infinitæ vocantur; Cæterum ſi inueniatur duplex receptio, oportet vtique inueniri duplex receptũ, & duplex recipiens, cum receptio ſit quędã relatio cõſurgens inter id quod recipit, & id quod recipitur, cumque potentiæ ſit recipere, & actus recipi, hinc duplex actus, & duplex potentia erumpit, & quidẽ duo actus ſunt forma, & eſſe; duæ potentiæ, materia, & eſſentia, hinc pluries cap. ſuperiori duplicẽ compoſitionem, alterã ex eſſe, & eſſentia, alteram ex materia, ac forma aſſignabamus; Ita ex duplici actu, & duplici potentia duplicem receptionem, vel irreceptionem, & ex his duplicem finitatem, vel infinitatem deprehendimus. Quare cum non cuiuis actui quæuis potentia, ſed huic, & illi, hæc, & illa potentia reſpõdeat, vt elicis ex primo de Anima 53. ex ſecundo eiuſdem 26. & ex octauo Diuinorum 11. ſi recolas quæ capite præcedenti, & præſertim 3. ac 6. quæſt. dixi, habebis materiam non eſſe propriam potentiam reſpondentem ipſi eſſe, ſed tantum eſſentiam ipſam, & ſuppoſitum, formæ vero propriam potentiam materiam; Quando igitur eſſe erit in eſſentia receptum, finitum fiet, vtpote accommodatum naturæ ipſius eſſentiæ, quæ illud recipit, cum enim ipſi vt ſic minime repugnet in hac, vel illa eſſentiæ recipi, dum in hac recipitur, iam amittit amplitudinem illam; idem dicas de forma, cui cum non repugnet in hac, vel illa materia recipi, ac proinde ſit latiſſimi ambitus, ſi in hac materia recipiatur, ceſſat ambitus ille, & accommodatur materiæ eam recipienti.

Caietanus.

Quid dicat eſſe.

Quid forma.

Sed intuere diligenter id quod colligis ex Caiet. hoc loco, & 1. p.q.7.ar.1. quod longe alterius rationis eſt receptio, vel irreceptio, ac ſubinde finitas, vel infinitas eſſe in eſſentia, & formæ in materia, nam eſſe ſecundum ſe quandam perfectionem dicit, ſed neſcimus vel ſcire, vel concipere quantam, niſi alicui naturæ ſit applicatum, quare dum recipitur in eſſentia, limites obtinet perfectionis, iuxta conditionem eſſentiæ in qua recipitur, vnde ſi ponatur nulli omnino quidditati coniunctum, ſed in ſeipſo naturaliter ſubſiſtens, nullum eſſentialem terminum habet, ac proinde infinitum omnino, & illimitatũ manet, at vero forma tametſi perfectionem dicit, nihilominus etiam materiæ nulli vnita, vel vnibilis, intelligi valet ad tantam perfectionem limitata, nam ſi eſt forma, ad hanc certe, vel illam ſpeciem attinet, ac proinde non omnia ambit, ſed huic, vel illi inuenitur limitata.

Et plane omittentes modo eſſe illud, quod nulli quidditati vnitum ponitur, quippe quod, vnicũ, ac diuinũ eſt, atque exinde noſtro propoſito non inſeruiẽs, vbi de ſubſtantijs creatis intellectualibus eſt ſermo, quas dicimus cum litera tertio hoc pronunciato ſuperius, hoc eſt, quo ad eſſe finitas, quoniam earũ eſſe

in earundem eſſentia recipitur, & iam diximus ex receptione ſequi finitatem, inferius autem, quo ſcilicet ad eſſentiam infinitas, quoniam earum eſſentia non recipitur in materia, ſic per ſubtractionem, ac poſitionem receptiui, ſubtrahitur, ac ponitur finitas, vnde non ex quauis irreceptione, quæuis colligitur infinitas, ſed ex hac irreceptione, hæc infinitas.

Caietani propoſitio.

Quare obſerua propoſitionem, quam adfert Caiet. in præſenti; Omnis res ſecundum ſuum ordinē receptibilis in alio, (ſic ruit argumentum de compoſitis, & de materia, quæ licet non recipiantur, quoniam tamen receptibilia non ſunt, nihil infinitatis obtinent,) realiter irrecepta, eſt infinita infinitate, quæ opponitur finitati, quam res ſui ordinis, quæ recepta eſt contrahit, & quā ipſamet contraheret, ſi reciperetur. Cum ergo tum eſſe, tum formæ, ſecundum ordinem ſuum vt ſic non repugnet recipi, ſi aliqua forma non recipiatur, erit infinita infinitate oppoſita finitati illius formæ, quæ recipitur, & finitati propriæ, ſi ipſamet reciperetur; In quo autem recipitur forma? certe in materia; Quam finitatem habet forma recepta in materia? profecto, vt infra ipſam claudatur, ad eāque limitata, & definita, &c. Quæ igitur forma non in materia recipietur, quā infinitatem ſortietur? vtique oppoſitam finitati formæ receptæ, quæ nunc recenſebatur, non erit inquam ad vllius materiæ capacitatem coarctata; Similiter ſi aliquod eſſe non recipiatur, vindicabit ſibi infinitatem oppoſitam finitati, quā habet eſſe receptum, & quam idem haberet, ſi reciperetur, Quæ autē eſſet hæc finitas? limitatio ſane ad ſpeciem, & genus illius quidditatis, in qua receptū eſſet; Quocirca eſſe non receptum erit infinitum, ad nullum genus, nullamuē ſpeciem definitum, ac ſubinde ſimpliciter, ac vnicum, purum, ſubſiſtens, &c.

Quomodo finita forma non recepta in materia.

Quomodo infinitum eſſe.

Quando itaque ponimus intelligētias finitas quo ad eſſe, dicimus eas ad certum genus, certamque ſpeciem definitas, & dum eaſdem aſſeueramus infinitas quo ad eſſentiam, nil aliud volumus, quam vt in materia nō ſint receptæ, vt eademet litera declaratur; Sic perit argumentum, quod format, ſeu tangit Doctor Subtilis primo ſen. diſt. 2. q. 2. quo ait, rationē noſtram nihil valere ad infinitatem probandā ex irreceptione formæ in materia, quoniā tunc angeli eſſent entia infinita; iam enim conſtat, quæ infinitas proueniat alicui formæ ex eius non receptione in materia, non infinitas ſimpliciter, ſed ſecundū quid, hoc eſt, totam ſuæ ſpeciei, ſuæ quidditatis latitudinē complectitur, non plures eiuſdē ſpeciei gradus admittens, cum hoc tamen ſtat, ipſam eſſe naturā limitatam, finitam ſimpliciter, &c. Hāc quippe limitationē non ſortitur ex materia in qua ponitur recipi, cum dictum fuerit formam etiā materię non vnibilē intelligi ad tantā perfectionem, & quidditatē definitā, ſed cum eadē forma in eſſe ſuo habeat latitudinē, & penes varios intra idē gradus poſſit in hoc, & in illo recipi, in nullo recepta, eā obtinet infinitatē, vt habeat eſſe modo perfectiſſimo iuxta naturæ ſuæ conditionē, toto ſuo eſſe fruens, & omnes perfectionis gradus continens, ſecundum quos in hoc, & illo receptiuo eſſe poſſet, ſic cum finitate naturæ, & quidditatis, cernis infinitatē graduum intra eandē naturam, non quia infiniti ſint illi gradus, ſed quoniam omnes quos in ſua natura poteſt habere, & quos varie in hoc, & illo haberet, in ſe manens, in nulloque recepta in ſe retinet; Et hoc eſt, quod ſæpe clamat Auctor, quod ſi daretur forma ſubſiſtens, eſſet infinita, & haberet omnes gradus ſibi poſſibiles, vnde cū finitate ſimpliciter ſtat infinitas ſecūdum quid. Hinc propoſitio illa, quā poſt nonnulla ibidē Scotus contra nos proferebat, quādo dixit. *Breuiter dico vnam propoſitionem, quod quacumque eſſentia abſolute finita in ſe eſt finita, vt præintelligitur omni comparationi ſui ad aliā eſſen-*

Scotus.

Frequens D. Thomæ dictū.

Scoti propoſitio.

 tiam,

tiam, patet in quo ſenſu vera ſit, concludit enim de finitate entis, & naturę, non autem de illa graduum intra eandem naturam, & ſecundum quid.

Sed mirum eſt, quomodo Scotus, & alij obiiciant contra Auctorem, quod ſi ex irreceptione formæ in materia ſequatur infinitas, tunc intelligentiæ ſint infinitæ, cum expreſſe hoc loco doceat, cum infinitate eſſentiæ ipſarum ſtare finitatem quo ad eſſe, vnde docet eas finitas ſuperius, & infinitas inferius, & explicans quid per hanc eſſentiæ infinitatem intelligat, inquit, *Quia earum formæ non limitatur ad capacitatem alicuius materiæ recipientis eas*, quod ſi hanc hoc modo explicatam intelligentiarum infinitatem impugnant, iam & earum à materia immunitatem, ac ſeipſos impugnant; Sed in eo allucinari viſi ſunt, quod probans Auctor p.p. quæſt. 7. art. primo Dei infinitatem, eam probauit ex non receptione formæ in materia, & tamen eis erat inſpiciendum, quod non poſuit ibi Auctor vim in nó receptione formæ, ſed in nó receptione eſſe, quod eſt omnium maxime formale, & cum eſſe diuinum fuerit intuitus ſubſiſtens, ac in nullo receptum, merito abſolutam eius intulit infinitatem; Non itaque ex eo quod forma non recipitur in materia, collegit Dei infinitatem; tűc enim fruſtra addidiſſet ſermonem de eſſe irrecepto, ſed ex infinitate formæ, quæ eſt ſecundum quid, manuduxit, vt ibi Interpres ait ad infinitatem formaliſſimi omnium, &c. Quod vero addit Scotus, quod eſſentia angeli eſſet intenſiue infinita, quoniam nequit dici, quod finiatur per eſſe, cum hoc ſit illa poſterius, & eius accidens, quare admiſſo finiri per eſſe, in illo attamen priori antequam habeat eſſe, erit infinita eſſentia, vnde in ſecundo ſigno, (ſic loquitur,) non erit finibilis per eſſe; Hoc nullas vires habet, nűquam enim eſſentia creata eſt ſuum eſſe, quare ſemper finita manet; rurſus, nullum datur ſignum, in quo non intelligatur receptibilis ipſius eſſe, licet detur ſignű, in quo nó ſit ſub eſſe actuali, nedum autem eſſe realiter annexű, verum etiam habitudo ad ipſum, eiuſdemq. receptibilitas dat finitatem eſſentiæ; Quod vero admiſcetur de accidentalitate eſſe, non ſemel vidimus eſſe quidem accidens definitioni, at non rei, &c.

D.Thom.

Caietanus.

Scoti ratio.

Diluitur.

Vides itaque formam non receptam in materia ſortiri infinitatem, non ſimpliciter, at ſecúndum quid, cuius plane infinitatis præciſa, & vera cauſa eſt hæc non receptio, vnde optimum eſt argumentum dicendo, Eſſentia intelligentiarum non eſt in materia recepta, ergo eſt infinita, & nulla accidit fallacia à deſtructione antecedentis ad deſtructionem conſequentis, quoniam in conuertibilibus hic modus arguendi tenet; Sic ruit argumentum Scoti de corpore, quod finitur ad aliud corpus, & tamen ſi non ſit finitum ad corpus, non ſequitur, quod ſit infinitum, (aliàs vltimum cœlum eſſet infinitum,) hæc enim concedimus, quoniam præciſa ratio ob quam corpus ſit finitum, non eſt eius ad aliud corpus terminatio, ſed ei id accidit.

Aliud eiuſdé motiuum ſoluitur.

Sed contra ea, quæ proxime diximus inſurgit dubitatio, apparet enim, quod deſtruatur doctrina Auctoris in hac parte, & id omne, quod de intelligentiis docet, & nos cum ipſo; enimuero pluries repetitum eſt, eſſentiam intelligentiarum eſſe infinitam, & eſſe earundem finitum, attamen occurrentes ſecundo motiuo Scoti diximus, earum eſſentiam finiri per eſſe, vel per ordinem ad ipſum, iam igitur in eſſe, & eſſentia, ac ſubinde ſuperius, & inferius ſunt finitæ, &c. Et confirmatur, quoniã veluti actus finitur per potentiã, ita & potétia per actum, vt poteſt elici ex iis, quæ hoc loco docuimus, & ex Auctore loco p.p. relato, quare ſi finiatur eſſe, quoniam tamquam actus recipitur in eſſentia, quæ eſt potentia ſibi reſpondens, ergo & eſſentia finietur per actű, qué recipit.

Difficultas.

Confirmatur.

Ad hoc

Prior ſoluendi modus. Ad hoc poſſet quis dicere, eſſentiam intelligentiarum eſſe infinitam, quoniam non recipitur, cum non adſit materia, quæ eſt eius receptiuum, & quod ſermo præſens eſt de infinitate quo ad recipi, vt ſcilicet illud dicatur infinitum, quod non recipitur, quod vero eſſentia recipiat eſſe, hoc nihil eſt, quoniam licet recipiat, non tamen recipitur, &c. Hic modus dicendi non ſoluit difficultatem, quoniam reuera potentia finitur recipiendo actum, rurſus, diximus intelligentiarum eſſentiam finitam, & præterea ſi potentia numquam finiretur, niſi quia recipiatur, tunc omnis potentia, vt potentia erit infinita, quoniam nulla potentia vt ſic recipitur, ſed recipit; Quamobrem dicendum ex doctrina, quam attigit Caiet. in hac parte, diſtinguendo duplicem infinitatē, quoniam quædam ſe tenet ex parte actus, quædam ex parte potentiæ, & illa finitur, quoniam recipitur, hæc, quoniam recipit, vnde quod non erit receptum, erit infinitum infinitate actus, (intellige ſemper infinitate ei reſpondente,) ſi tamen hoc quod non recipitur, recipiet, erit finitum ex parte potentiæ; Sic itaque eſſe intelligentiarum erit finitum finitate actus, quoniam in eſſentia receptum, eſſentia vero erit infinita infinitate actus, quoniam non recepta, finita tamen eſt finitate potentiæ, quoniam recipit eſſe, eo finitur, ac terminatur, vt argumentum oſtendit, & vt docuimus. Quando igitur dicimus, intelligentias finitas ſuperius, infinitas inferius, accipimus & finitatem, & infinitatem ſe tenentem ex parte actus, quando earundem eſſentiam docemus finitam, loquimur de finitate ſe tenente ex parte potentiæ, &c.

Impugnatur.

Vera ſolutio.

Caietanus.

Dubium. Et ſi diceres, eſſe intelligentiarum poſſe vocari infinitum infinitate potentiæ, quoniā licet recipiatur, attamen non recipit, aduertas, quod infinitas ex parte potentiæ ſi alicui tribuenda ſit, tribui oportet ei, quod aliquo modo rationem poteſt habere potentiæ, & recipientis, quorum neutrum poteſt eſſe accommodari, cum & actualiſſimum, & rei omnis actualitatem frequenter capite præcedenti, & maxime ſexta quæſtione dixerimus; eſſentiæ autem rationem actus, & potentiæ poſſe conuenire ibidem dicebamus, quare nil mirum, ſi infinitatem in ratione actus, & finitatem in ratione potentiæ eidem elargiamur, &c.

Soluitur.

Circa id, quod eadem tertia parte vltimo loco de intelligentiis profertur, nihil obſeruandum venit quo ad priorem partem, in qua dicitur, intelligentias non compati numeralem intra eandem ſpeciem multitudinem, id enim enucleate viſum, ac definitum fuit quæſtione ad caput præcedens quarta. Quod vero facit ad poſteriorem partem, vbi eſt ſermo de multiplicatione animarum intra eandem athomam ſpeciem, aduerte hoc nihil admirationis continere, quoniam licet anima humana appelletur nonnumquam intelligentia, ſiue in earum ſerie connumeretur, nihilominus quæſtione vltima cap. 4. & ſub initium obſeruationum ad præcedens caput vidimus, varias longe conditiones ineſſe intelligentiis ex vna, & animæ noſtræ ex alia parte, vnde inter alias hæc vna præcipua eſt, quod anima eſt forma corporis, ac ſubinde merito corporum quibus vnitur multiplicatur in eadem ſpecie; & hanc vnionem cauſam multiplicationis numeralis animarum nedum adducit Auctor hoc loco, ſed vbique dum hoc argumentum ei occurrit, vt p.p. q. 76. art. 2. ad primum, 2. cont. Gent. cap. 75. & 81. cuius rationis ſufficientia innotuit quæſtione antea habita de pluralitate poſſibilis intellectus, quoniam vt etiam habes hoc loco à Caiet. omnis forma ſic corpori vnita, vt ei præbeat eſſe formaliter, ſi multiplicentur corpora, oportet & ipſam formam multiplicari, ſiquidem ab vna

D. Thom.

Caietanus.

forma

forma fieri non valet, vt proficiſcatur niſi vnum eſſe numero ſubſtantiale; Cumque omnis diſtinctio ſit vel ſpecifica, vel numerica, & illa à forma, hæc à materia proueniat, vt ſæpe dictum fuit, ſi anima ponatur numero diſtincta, ac numerice multiplicata, aliquid aliud à forma inquirendum manet, ex quo præfata diſtinctio, & multiplicatio oriatur; ſic iure ad materiam, cuius anima eſt forma recurritur, ſic horum cauſa, & radix corpus merito aſſignatur, vt explicatius docebit quæſtio de hoc habenda, &c.

Et licet indiuiduatio eius ex corpore, &c.

CIrca quartam partem, vbi dicitur, quod quamuis indiuiduatio animæ intellectiuæ pendeat à corpore, non tamen perempto corpore perit anima, & adſertur ratio, quoniam habet eſſe non dependens à materia, obſerua, quod Auctor explicans quomodo indiuiduatio animæ pendeat à corpore, duo profert, alterum, quod corpus eſt occaſio, & indiuiduationis, & multiplicationis, alterum, quod eſt occaſio non in fine, ſed in principio, quod eſt dicere, nõ in fieri, & conſeruari ſimnl, ſed in fieri tantum, quam doctrinã tradidit etiam manifeſte primo ſent. diſt. 8. quæſt. 5. art. ſecundo ad ſextum. Ratione primi, argumenta quæ innituntur cauſalitati materiæ, vel corporis ſupra indiuiduationem, & multiplicationem animarum, nullius ſunt momenti, & falſum ſupponere patet, ratione ſecundi, non ſequitur, vt ablato corpore, auferatur eſſe animæ, tunc enim mortuo artifice ædificij periret ædificium, & nullus filius ſuperſtes eſſet patri. Vt autem hæc dilucidius innoteſcant, conſidera, quod anima intellectiua, (de hac enim loquimur,) quamuis ſit forma corporis, & materiæ, non tamen pendet in eſſe à materia, vt vidimus quæſtionibus de pluralitate intellectus, & de ſimplicitate intelligentiarum, vnde habet eſſe à Deo, & eſt deforis veniens, nullatenus educta de gremio materiæ, neque enim latitat in natura materiæ, adeo vt ad actionem naturalis agentis mediis diſpoſitionibus erumpat ex ſinu ſuo, ceu contingit in materialibus formis, hinc prius natura habet in ſe eſſe, & illud confert materiæ, ac ſuppoſito, quod tamen non ſibi confertur à Deo, niſi in corpore, quoniam non prius fit à Deo, & poſtea vnitur corpori, ſed ſimul fit, & vnitur, iuxta celebre dictum D. Auguſtini libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 3. vbi ait, Deum creando animam infundere corpori, & infundendo creare; Sic legis in litera, animæ non acquiri eſſe indiuiduatum niſi in corpore, cuius eſt actus, quare eius eſſe eſt abſolutum à corpore, & tamen illud non acquirit niſi in ipſo, quoniam actus eſſentialiter aliquam potentiam reſpiciens, in illa potentia fieri debet, & proprio actui propria reſpondet potentia, eſt autem anima forma, & actus, corpus materia, ac potentia ipſius. Hoc igitur eſſe, quod ſemel acquiſiuit in corpore, (non á corpore,) ſemper retinet, etiam pereunte corpore, quoniam adfuit corpus, vt illud eſſe fieret, non vt eſſet, vel permaneret.

D. Thom.

Præſtantia animæ humanæ.

D. Auguſt.

Rurſus cogita, quod non eſt idem dicere, hoc pendet ab illo in eſſe numerato, & indiuiduali, & dicere pendet ab ipſo in eſſe ſimpliciter, nam, eſſe hoc, vel hic, vel nunc eſt eſſe ſecundum quid; & certe cum quæſito de indiuiduationis principio cenſeam me oſtendiſſe formam indiuiduari, & fieri hanc per materiam, nulla tamen foret illatio, ſi quis diceret, ergo forma pendet in eſſe ſimpliciter à materia, cum potius res e contra ſe habeat, ſed & ſi ab aliquo

Quale ſit eſſe hoc.

conti-

continuo diuidas particulam aliquam, licet pendeat hæc particula à te in eſſe hoc, & ab aliis partibus diſtincto, neutiquam tamen pendet in eſſe ſimpliciter, (quod nihilominus ſimile ſcio in pluribus deficere,) &c.

Diluitur obiectio.

Nec tibi tædio ſit, quod videas animam æternam, corpus autem mortale, & corruptibile, vt proinde ſit tibi forſan in admiratione, quomodo à caduco queat dependere immortale, nil enim prohibet, tale æternum à tali caduco, ſecundum quid, & in eſſe hoc, non autem eſſe ſimpliciter dependere. Intellige autem tale æternum, & tale mortale, quæ ſe habent vt potentia, & actus, & quod magis eſt, vt partes ad totum conſtituendum, & quoniam omnis pars de ſui natura ordinatur ad totum, iccirco anima ordinem habet ad corpus, non quod hoc ſit totum, ſed quoniam eſt altera pars, cui niſi vniatur anima, non erumpet totum, homo videlicet, &c.

Dubitatio.

At dices, ſi poſt corpora remanent animæ, ac retinent eſſe, vnitatem, & multiplicationem, pari ratione poterant produci, ſeu creari ante corpora, & ſic numeratæ ante ipſa manere, quod videtur poſuiſſe Origenes, & quod abſurdum eſt, & libro de Eccleſiaſticis dogmatibus condemnatum, vt cumulate potes videre in Auctore ſecundo contra Gent. 83. qui rationibus variis, & inducti libri auctoritate, ac Pſalmi 32. Origenis poſitionem euellit, & capite mox ſequenti reſponſum dat nonnullis rationibus, quas iam formauerat pro illa poſitione.

Solutio.

Reſpondetur itaque, non eſſe parem rationem de animabus ante corpora, & de eiſdem poſt eadem, quoniam dum anima creatur, ſit vt pars, & ſi non crearetur vt pars, non eſſet anima, quare ſi perfecta creari debeat, neceſſe eſt, vt coniuncta toti ſuo creetur, cum omnis pars à ſuo toto ſeparata ſit imperfecta, vbi autem hanc perfectionem eſt adepta, poteſt ſtare extra corpus, quoniam iam eſſe numericum, & indiuiduale, ac perfectum ſortita eſt ex coniunctione ad corpus, & nedum ex ſacra Theologia habetur hoc definitum vt ſcilicet animæ nō ſint ante corpora creatæ, ſed & ab Ariſt. nō videtur fuiſſe ignoratum, cum duodecimo Diuinorum 16. ſcriptum reliquerit, cauſas mouentes præcedere effectus ſuos, & antea exiſtere, tamquam antea ortas, quæ vero formales cauſæ ſunt, ſimul cum effectibus ſunt, & de hoc affert clara exempla, mox tex. 17. ſubdit, quod in quibuſdam nihil prohibet, vt aliqua cauſa formalis remaneat poſterius, & de anima non omni, ſed intellectiua ſolum loquitur, vt ibi patet, quem locum exponens Alenſis dicebat, ſententiam Philoſophi eſſe, quod de eſſentia cuiuslibet formæ ſit, vt incipiat eſſe cum ſubſtantia compoſita, aliquam tamen formam eſſe, quæ poteſt habere eſſe poſt ſubſtantiam compoſitam, ſicut eſt intellectus, &c.

Ariſtotel.

Alenſis.

Varium formarum genus.

Potes videre hoc loco Caiet. facillime afferentem triplex genus formarum, earum ſcilicet, quæ & fiunt in materia, & ex eiuſdem gremio educuntur, vt ſunt formæ materiales, quæ quoniam nullo modo queunt eſſe abſque materia, vſurparunt ſibi accommodatum nomen, materialium ſcilicet formarum; quarundam deinde, quæ fiunt quidem in materia, at non educuntur ex eius ſinu, vt anima humana, quæ quo ad eſſe creationis, quo ad ineſſe eſt generationis terminus, & tertio quarundam, quæ neque fiunt in materia, neque ex ipſa extrahuntur, euiuſmodi ſunt intelligentiæ; Differt forma educta e gremio materiæ ab ea, quæ non eſt educta, quod eſſe, & vnitas illius à materia dependet, eſſe vero, & vnitas huius cum totam materiæ capacitatem excedat, eſt ab ipſa independens, & cum huiuſmodi ſit anima humana, ideo ſicut deſtructo corpore remanet eius eſſe, ita & eius vnitas, quoniam idem eſt iu-

eſt iudicium de eſſe, ac de vnitate, ac multiplicatione eiuſdem eſſe, vt habes etiam apud Auctorem p.p.quæſt.76.art.2.ad 2. &c. D.Thom.

Et quia in ipſis ſubſtantiis quidditas non eſt idem, &c.

CIrca quintam partem, vbi legis inueniri in intelligentiis differentias, has tamen nobis ignotas eſſe, aduerte facile hæc duo ſimul ſtare, quod nimirũ differentiæ ſint in intelligentiis, & quod nos lateant, non enim quicquid eſt, ſcitur à nobis, licet omne quod ſcimus ſit, vnde tenemus an eſt differentiarum, quæ in intelligentiis locum habent, & earundẽ quid eſt ignoramus, quoniam neſcimus perfecte, & exacte, licet aliquo modo, & dicamus has differentias eſſe ipſarum intelligentiarum conſtitutiuas, eas nominantes per acceſſum maiorem, & minorem ad actum primum, quippe quæ nedum cognitionem an eſt, ſed & quid, diminutam tamen valde, & imperfectam oſtendunt.

Aduerte deinceps Auctorem dicere, in rebus ſenſibilibus differentias eſſentiales à nobis ignorari, vbi loquitur indefinite, non vniuerſaliter, nam ſi omnes rerum differentias ignoraremus, nullam rem perfecte omnino agnoſceremus, cum nihil vt decet ſciatur, ignorata eius differentia, & conſtat nos multarum rerum multas noſſe differentias, quarum proinde multas accipi in definitionibus legimus ſeptimo Diuinor. 43. Quare accipiendum eſt dictum hoc de vltimis differentiis, vt ſcilicet hæ dicantur hoc loco à nobis ignorari, velut ipſemet docebat lectione 13. ſecundi Poſter. Quod credo voluiſſe Caiet. in præſenti, quando inquit, commune eſſe omnibus ſubſtantiis habere occultas differentias proprias, conſtat autem, quod differentiæ propriæ ſunt vltimæ, quoniam & hæ, & illæ ſunt conuertibiles cum iis quorum ſunt differentiæ, & vni ſoli ſpeciei conueniunt, & multas ſpecies extare, quæ vnam tantum differentiam habent, accepimus ab Ariſtotele primo de Partibus animaliũ, cap. ſecundo, vltimamque differentiam totam rei naturam dicere, habemus ab eodem loco illo ſeptimi Diuinorum, &c. Senſum verborũ D. Thomæ. Caietanus Ariſtotel.

Quod autem non fuerit intentio Auctoris dicere omnes abſolute rerũ ſenſibilium differentias noſtram fugere cognitionem, ſed ſolũ illud acceperit de vltimis, collige & ex iis quæ nunc dicebam, & etiam quoniam prima ſec. q. 49. art. 2. ad tertium docet, quando differentiæ in ſubſtantiis nos latent, tunc nos accipere loco ipſarum vel proprietates, vel accidentia, & ad 23. decimi Diuinorum ait, quod interdũ per accidentia deſignantur differentiæ, & formæ ſubſtantiales; quod ſi ſemper ignorarentur, abſolute pronũciaſſet ſemper loco differentiarum ſumi effectus, vel proprietates, &c. D.Thom.

Et hoc ipſum colligitur ex Auer. ſecundo Poſteriorũ, com. 20. & 4. de Cœlo 40. immo in Epithome 2. eiuſdem Poſteriorum, cap. 1. dicebat, contingere in aliquibus rebus, quod ſuæ differentiæ non ſunt notæ, & tunc ait loco ipſarum nos accipere definitionem differentiæ, aut proprium, dans exemplũ de palma, dum dicitur arbor faciens dactilos, & de equo, quando dicitur animal hinnibile, &c. Auerroes.

Aduerte vlterius, iure dici in litera, differentias eſſentiales, quas neſcimus, à nobis exprimi per accidentales, quoniam ex primo de Anima 11. conferunt accidentia ad cognoſcendum quodquideſt, ſic ex accidentibus venimus in cognitionem differentiarum, non ſimpliciter, & abſolute, tunc enim non di- Ariſtot.

cerentur nobis ignotæ, ſed deprehendimus ex accidente proprio huius naturæ, & ſpeciei hanc naturam, & ſpeciem differre ab illa, at quid ſit verum, proprium, & vltimatum illius naturæ conſtitutiuum, nos fugit; Iure quoque additur, nos eo modo eſſentiales per accidentales ſignificare, quo cauſa per effectum ſuum manifeſtari conſueuit, nam vere differentiæ eſſentiales ſunt cauſæ accidentalium, (non media aliqua actione, ſed conſequio naturali,) ceu viſibile in homine cauſatur ex rationalitate, & diſgregatio viſus in albo ex multitudine lucis, ſic Auerr. 3. Cœli 77. dicebat, operationes conſequi differentias, & 2. eiuſdem 8. inquit, differentias eſſe cauſas ſpecierum generis, & accidentium illarum ſpecierum, &c.

Auerroes.

Quamuis itaq; rerum ſenſibiliũ differentias ignoremus, eas tamen proprietatum ſuarum nominibus ſignificamus, ita leonem mugibilem, equum hinnibilem vocamus, vnde partim ſciuntur, partim ignorantur, at differentias ſubſtantiarum immaterialium, & ſecundum ſe neſcimus, & ſuarum proprietatum vocibus explicare ſimili modo nequimus, quoniam propria earundem accidentia non ſubiacent notitiæ noſtræ, & bene dicit Auctor *propria*, quoniam accidentia communia non latent, ſcimus nãque intelligentias intelligere, amare, velle, orbes mouere, eſſe in loco definitiue beneficio operationis, &c. at ex his tantum abeſt, vt ſcire poſſimus earum differentias, quod manuducũt nos in cognitionem eorum, quæ omnibus ſunt communia, & in quibus omnes participant, vnde hac via ipſarum genus nobis innoteſcit, non differentiæ, &c.

D.Thom.

Communia intelligentiis.

Hoc tamen ſciendum, quod non eodem modo, &c.

Auicennas.

Circa ſextam partem, in qua ex Auicen. ſub initiũ cap. 6. quinti ſuæ Metaph. aſſeritur in litera formam non eſſe differentiam, ſed differentiæ principiũ, quod ex eodem dictum fuerat ſuperius prima parte 4. cap. obſerua, quod in rebus, quæ in prædicamento ſedem habent nedum intuemur genus, differentiã, & ſpeciem, ſed & horum omnium principium, vt in homine non ſolum cernimus animal, & rationale, & hominem ipſum, ſed & animalitatem, quæ eſt principium generis, & rationalitatem, quæ eſt principium differentiæ, & humanitatem, quæ eſt principium hominis, ſic dicimus animalitatem nõ genus, ſed principium generis formale, eſt enim formalitas, à qua animal eſt animal, & id ſolũ ipſa cõcernit, animal vero & eandem dicit animalitatẽ, & vltra innuit aliquod quaſi materiale, hoc eſt, habens animalitatem, dixi quaſi materiale, quoniam habens animalitatem quod concernit genus, non eſt hoc, vel illud indiuiduum, aliàs genus concerneret principia indiuiduantia, non minus quam indiuiduũ, quod eſt falſum, ſed eſt quid materiale in ordine ad animalitatem, quam tamquam rationem ſui formalem claudit; Idem pari proportione ſentias de humanitate comparata cum homine, & de rationalitate, quæ propterea non eſt differentia, vt in litera dicitur, ſed eſt principium ipſius formale, quippe quod id tantum dicit, quo quid tamquam forma eſt rationale, ipſum vero rationale nedum rationalitatem dicit, ſed & habens ipſam, quod videlicet eſt quoddam ceu materiale, non quidem importans hoc in indiuiduo habens ipſam, ſed vt ſic, vt circa genus dicebatur. Rationem autem omnium horum habuiſti toto propemodum cap. 3. & etiam 4. nam genus, ſpecies, differentia dicunt totum rei, principia vero ipſorum formalia partem ſolum, atque ideo iſta non ſunt illa, ne-

Quid dicat animal.

Quid rationale.

la, neque e contra; Hinc cap.tertio non ſemel dicebamus, formam non eſſe differentiam, ſed ab illa hanc ſumi, quoniam nimirum eſt eius formale principium, quæ omnia explicatiora adhunc erunt in quæſtione ad hanc partem conficienda.

Circa eandem partem obſeruet iunior, quod dum ex Auicenna cap.1.ſui de Anima, non multum à princ.dicimus differentiam in ſubſtantiis compoſitis eſſe ſimplicem, & rurſus ex eodem ibidē repetitur differentiam ſimplicem non habere niſi ſpecies, quarum eſſentiæ ſunt ex materia, & forma compoſitæ, nomine ly *ſimplex*, accipitur pars, vt diſtinguitur contra totum, non autem contra compoſitum, tunc enim ſequeretur, quod eſſentiæ ſubſtantiarum immaterialium haberent differentiam compoſitam, iam enim dicitur, quod non gaudent differentia ſimplici, niſi eſſentiæ ſubſtantiarum compoſitarum, quod paradoxum poſſet merito iudicari. Quapropter Auicenn. & Auctor volunt differentiam eſſentiarum, quæ compoſitæ ſunt eſſe ſimplicem, hoc eſt, partem eſſentiæ ipſarum, quoniam ſumitur in ipſis differentia à forma, quæ eſt altera pars eſſentię ſuæ, quod non habet locum in intelligentiis, vbi forma non pars, ſed tota eſt eſſentia, quæ proinde dicuntur nō habere differentiam ſimplicem, hoc eſt, ſumptam à parte, ſed à tota eſſentia. Quod autem per ly *ſimplex* accipiatur pars, nedum quæ dixi conuincunt, ſed & verba literæ id demonſtrant, quoniam dum explicatur quid nomine differentiæ ſimplicis intelligatur, dicitur eiuſmodi differentiam eſſe ſimplicem, quoniam ſumptam ab eo, quod eſt pars quidditatis rei; & 2. ſent.diſt. 3.art.5.quæſt.1. inquit Auctor, in ſimplicibus naturis non ſumi genus, & differentiam ab aliquibus partibus, quoniam complementum in eis, & poſſibilitas, (à quibus ſumitur genus, & differentia,) non fundantur ſuper diuerſas partes quidditatis, ſed ſuper idem ſimplex, vbi vides vocare & genus, & differentiam quid ſimplex, hoc eſt, non compoſitum, non autem vt partem, immo id negat, &c.

Auicenna.

Mens D.Tho. & Auicen.

Non imponas autem mihi, vt ſentiam formam à qua ſumitur differentia in compoſitis non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam, hoc enim nec ſomnio, nec elicitur ex ijs quæ dixi, ſed ſolum quod dum legimus in litera, differentiā ſimplicem non habere, niſi ſpecies ex forma, ac materia compoſitas, cum forma ſit & pars, & quoddam ſimplex, non accipitur ly *ſimplex*, vt dicit non compoſitū, ſed vt dicit partem; ſic & differentiæ immaterialium ſunt à forma, quæ eſt ſimplex, at non pars, ſed tota ipſarum eſſentia; vnde non differt id à quo ſumitur differentia in compoſitis, & ſimplicibus penes ſimplex, & non ſimplex, cum in vtriſque ſit ſimplex, ſed in eſſe, ac non eſſe partis, quoniā in illis pars, in iſtis totum, & quoniam pars comparata toti videtur habere rationem cuiuſdā ſimplicis, totum vero cuiuſdam compoſiti, ideo eſſentia compoſitorum dicitur habere differentiam ſimplicem, in quo ſenſu poſſet dici differentia immaterialium non eſſe ſimplex, hoc eſt, non pars, non eſt tamen propoſitio hæc in vſu ponenda, quoniam licet ſit tota eſſentia, hæc tamen eſt ſimplex, & non omne totum importat compoſitionem partium, ſed & rei perfectionem, ſic dicitur Deus eſſe totus vbique, & totus videri à beatis, à quo tamen rationem omnem partium remotam eſſe non eſt cur quis dubitet.

Sed poſſet quis dubitare circa hoc, vt enim hac eadem parte ſubdit Auctor, & vt fuſius videbitur in quæſtione, genus in immaterialibus ſumitur quidem à tota eſſentia, & ſimiliter differentia, at illud à tota eſſentia, vt alteri ſimilis eſt, hæc ab eadem, vt ab altero diuerſa eſt, ſed eſſentia vt alteri ſimilis, & ipſamet

Dubitatio.

ſumet ut ab alia differens ſe habent vt partes ad eſſentiam ipſam, vt ſimul eſt & differens à quibuſdam, & eiſdem ſimilis, & probatur, quoniam tunc eſſentia habet vtrumque, in illis vero acceptionibus habet alterum tantum, quod autem habet duo, eſt vere totum relatione ad illa duo diuiſim, & ſimiliter vtrumque eorum ſeorſum eſt vere pars. Et confirmatur, quoniam eſſentia tota vt ſimilis eſt genus, eadem vt diuerſa eſt differentia, genus autem, & differentia ſunt partes in ordine ad ſpeciem, &c. vnde non ſtare videntur, quæ dicebantur, tunc enim nedum eſſentia compoſitorum habebit differentiam ſimplicem, hoc eſt partem, ſed & illa ſimplicium, &c. Verum facili dubitationi facilis eſt ſolutio, quin ex confirmatione argumenti elicitur, concludit quippe argumentum totalitatem, compoſitionem, & partes, non rei, ſed definitionis; quippe quæ dicunt totam rem, at alium, & alium conceptum important, vnde de ipſa re dicuntur in recto, vt patuit toto prope capite tertio. Quis autem poſſet dubitare, quod ſi in intelligentiis ponatur genus, & differentia, non etiam ſtatim de neceſſitate ponantur partes definitionis? Quocirca, eſſentia illa vt ſimilis, & vt diuerſa ſeorſum, non differt re à ſeipſa, vt ſimilis, & diuerſa ſimul, quoniam ſemper vt tota accipitur, ſed ratione dumtaxat, & conceptu, at vero in materialibus id à quo accipitur genus differt re ab eo à quo accipitur differentia, vt enodatius habebitur quæſtione de hoc, &c.

Confirmatur.

Soluitur.

Circa eandem partem, dum legis intelligentias differre in gradu perfectionis ab inuicem, ſecundum quod recedunt à potentialitate, & quatenus accedunt ad actum purum, obſerua, quod quamuis idem dictu ſit hoc recedere ab actu, & accedere ad potentiam, vel e contra, quoniam mutuo ſe inferunt, vt dicebam in prioribus obſeruationibus ad vltimam partem cap. præcedentis, attamen ſi proprie, ac vere loqui velimus, dicendum erit, quod intelligentiæ propterea ſunt perfectiores, quia propius accedunt ad actum purum, & ideo ſunt ſimiliter imperfectiores, quoniam magis ab illo recedunt, non autem quia formaliter accedant ad potentialitatem, quamuis cauſaliter, ac conſequenter manifeſtum ſit, quod ex eo quia recedunt ab actu, accedunt ad potentiam; ita docebat Auctor prima ſecundæ quæſt. 22. art. ſecundo ad primum, quod in his, quæ ad perfectionem ſpectant attenditur intenſio ex acceſſu ad vnum primum principium, cui quo quid magis accedit, eo intenſius eſt, in his vero quę ad defectum pertinent ſpectatur intenſio non ex acceſſu ad aliquod ſummum, ſed ex receſſu ab illo ſummo, & ſic quo minus recedit à primo, eſt minus intēſum, hoc eſt minus habens defectus, vel imperfectionis, cuius rationem ſubdebat ex natura illius quod deficiens eſt, & imperfectionem dicit, nam ratio priuationis, & defectus conſiſtit in receſſu à perfecto; ſic vt ibi ſcribebat Interpres, vſitatum, & regulare eſt, quod vnumquodque eſt magis, & minus tale ſecundum propriam latitudinem conſtitutiui, quoniam enim album conſtituitur in eſſe ſuo per lucem, vbi maior, vel minor copia lucis, ibi magis, & minus album, & ſic de aliis, cumque defectiua vt ſic habeant pro ſuo conſtitutiuo hoc, quod eſt ab aliquo deficere, quo magis ab illo deficiunt, eo magis deficientia ſunt.

D.Thom.

Ratio defectus.

Caietanus.

Ita ſi inſpicias duas intelligentias in gradu perfectionis differētes, (velut omnes hoc modo differūt, quoniā ſpecie,) illa quæ eſt imperfectior, nō proinde eſt formaliter imperfectior, quoniā accedat magis ad potentiā, ſed quoniam magis recedit ab actu, vnde illa perfectior intelligētia non eſt propria cauſa imperfectionis iſtius, tūc enim minus imperfectū cauſaret magis imperfectū, ſed maior

illa imperfectio prouenit ex maiori elongatione ab actu, quoniã hæc eſt elõgatior illa; Dixerim nõ eſſe propriã cauſam, quoniã aliquo modo videtur cauſare, eo ſcilicet ſenſu, quod niſi illa media eſſet inter actũ primũ, & hanc poſteriorẽ intelligentiã, hæc nõ eſſet ſic imperfecta, quoniã non adeo elõgaretur à primo actu, hinc potẽtialitas huius poſterioris non eſt tota à potentialitate prioris, ſed de neceſſitate aduenit ex illa, quoniam certe ſi illa prior mediat inter actum primum, & iſtam, neceſſario ſequitur, vt maior ſit potentialitas in iſta, non tamen eſt propria cauſa, hæc enim ſtat in elongatione illa formaliter; Sic dum legis in litera differre ab inuicem intelligentias in gradu perfectionis ſecundũ receſſum à potentialitate, & acceſſum ad actum purum, & ſi hæc duo ſe mutuo comitantur vt dixi, tamen ſe habent vt cauſa, & effectus, non enim quia recedit quid à potentialitate, ideo accedit ad actum, tunc enim alicuius perfectio non proueniret tamquam à cauſa ex acceſſu ad ſummum, ſed ex receſſu ab vltimo, quod aduerſatur & ijs quæ ex Auctore docuimus, & rationi, quoniam alicuius poſitiui vt ſic conſtitutiuum eſſet quid priuatiuum, ſed quoniam quid accedit ad actum, eapropter recedit à potentialitate, velut e contra, eo quid imperfectius, quo magis à primo perfecto recedit, quoniam huius deficientis conſtitutiuum aſſignatur receſſus, qui eſt veluti quædam negatio, non legis autem in litera differre in gradu perfectionis, ſecundum acceſſum ad potentialitatem, quoniam licet quid imperfectius, quo propinquius potentialitati, hæc tamen propinquitas non eſt vera cauſa, ſed ex ipſa conſequitur, &c.

Quomodo ſe habeant receſſusa potentia, & acceſſus ad actum.

Verum aduerſus hæc illud apparet eſſe, quod quinto Diuinorum 21. enumerans Ariſtoteles varios modos perfecti, ſentire videtur, quod & in malis detur menſura, quoniam ſecundum quod res habent finem, dicuntur perfectæ, & finem quoque, ac vltimum in prauis ibidem locat, quare & in deficientibus fiet reductio ad aliquid ſummum, & non ſpectabitur ex elongatione à perfecto. Cõfirmatur, quoniam ſic expreſſe docet Caiet. prima par. quæſt. 11. ar. primo reſpondens ad argumenta Scoti, quibus vult probare vnum dicere quid poſitiuum, inquit enim ad tertium, quod menſuræ nomen commune eſt poſitiuis, & negatiuis, non ſolum enim in generibus entium quod eſt ſimpliciſſimum menſurat reliqua, ſed etiam in generibus ægritudinum, (& certe communiter dicimus infirmitates maiores per acceſſum ad mortem, non enim dicitur iſte graui morbo laborare, quoniam elongetur à vita, cum adhuc viuat, ſed quoniam morti proximus eſt,) idem repetit dum reſpondet ad ſecundam confirmationem quarti ex eodem adducti. Confirmatur vlterius, quoniam potentiam maiorem dicimus per acceſſum ad materiam primam, & tamen potentia defectum importat, &c. Hæc autem licet omnino contemnenda non ſint, non tamẽ eas vires habent, vt deſeratur doctrina tradita, quæ etiam eſt Alenſis quæſtione prima ad 18. quarti Diuinorum; quare dicendum eſt primo ad Ariſtotelem, nullatenus ipſum dicere, quod in prauis ſit aliquid, quod menſuret, ſed vt quid in ipſis poſſit dici perfectum ex tranſlatione; cæterum demus, quod inde doctrina illa colligatur, vt eam collegit Aquarius dilucidatione tertia quarti Diuinorum ad eadem motiua Scoti reſpondens, Omnibus ſimul occurrendum eſt ex doctrina Caiet. loco allegato prima ſec. cum enim decimo Diuinorum 3. & 5. legatur menſura debere eſſe notiſſima, & id quo reliqua cognoſcimus, nullum eſt inconueniens, vt ex parte noſtri menſurentur defectus iuxta acceſſum ad aliquod poſitiuum ſumme deficiens, hoc enim nobis notiſſimum eſt, ſic infirmitates grauiores, ac leuiores dicimus ex maiori, & minori, ad mortem acceſſu, ſic

Difficultas. Ariſtotel.

Confirmatur Caietanus.

Alenſis.

Soluitur.

Aquarius.

Caietanus.

ſu, ſic potentialia apud nos ex appropinquatione ad materiam primam menſurantur, & tamen in rei veritate illæ per receſſum à vita, hæc per receſſum ab actu maiora, ſeu minora ſunt; Illud tamen mihi adnectendum apparet, quod quoniam cauſas effectuũ nomine non raro exprimere conſueuimus, ideo nullũ errorem admittimus, ſi aliqua deficientia ex acceſſu ad valde deficiens metiamur, quoniam hic acceſſus ad hoc deficiẽs eſt effectus elongationis ab eo, quod perfectum eſt; Hoc autem nihil diuerſum eſt à via Caiet. immo eandem confirmat, eatenus enim dixit, poſſe deficientia menſurari ex approximatione ad id quod ſumme deficit, quoniam hoc aliquando eſt notius, idipſum alia via ipſe obfirmaui, cum nemo non ſciat, effectus nobis ſuis cauſis eſſe exploratiores. At dices, quod ex his non ſatisfit Caiet. dicenti loco memorato primæ par. dari in negatiuis talem menſuram, vnde nedum ex parte noſtri, ſed & in re ipſa id perhibet, &c. At primo potes dicere, id ipſum intellexiſſe tantum ex parte noſtri, & ex parte menſuræ, vt nobis eſt notior, deinde dicito, quod in re ipſa etiam id obuenit, at tamquã effectus proficiſcens ex illa elongatione, vt mox dicebam; Demum memento Caiet. illa enunciaſſe in materia de vno, vt ſcilicet tueretur ipſum ſignificare negationem, quam tamen non pure ſignificat, ſed poſitiuum cũ negatiuo de formali, vt ſuſius vidimus prima quæſtione ad quartum caput, circa primam concluſionẽ, hinc Vnum habet rationem menſuræ, nõ penes negationem ſolum, quam includit, neque quo ad poſitiuum tantũ, quod dicit, ſed ex poſitiuo ſub tali negatione, vt optime dixit Capreolus in primo, diſtinct. 24. quæſt. vnica, art. primo ad ſecundum Scoti contra tertiam concluſionem. Quamobrem ſi quæ tribuuntur ipſi Vni, & aliqua in eius gratiam proferantur, non per omnia ſunt applicanda pure negatiuis, non enim in horum numero reponitur, &c.

Ratio menſuræ quomodo cõueniat Vni.

Capreol.

Circa eandem partem, quando legis, genus ſumi in intelligentijs ab eo quod ſequitur illas quatenus ſunt immateriales, velut intellectualitas, differentiam autem ab eo quod in eis ſequitur gradum perfectionis, aduerte, quod licet diſtinguatur intellectualitas à gradu perfectionis, non tamen negatur, quod ſit gradus, eſt enim præſtantiſſimus omnium, qui contineantur in vniuerſo, & ex quibus perfectio, ac decor eiuſdem conſurgit; ſed nomine gradus in præſenti poſſunt duo accipi, vel naturæ ipſæ, quæ relatæ ad vniuerſum dicũtur gradus, vt vita, ſenſus, intellectus, vel latitudines, quæ in hiſmet naturis dãtur iuxta magis, & minus, quemadmodum albedinis natura ſecundum ſe poteſt dici gradus relata ad colorem, eſſe vero album vt tria, & vt ſex, ſunt gradus eiuſdem albedinis, non autem coloris, niſi ſecundario; Gradus in primo ſenſu referuntur immediate ad vniuerſum, quoniam naturæ illæ vere ſunt gradus ipſius, gradus autem ſecundo modo non immediate, & primo referuntur ad vniuerſum, ſed mediate, & ſecundario, medijs ſcilicet naturis, quarum ſunt gradus, non enim hoc, vel illo modo participare gradum intellectualitatis ſpectat immediate ad ordinem, vel perfectionem vniuerſi, ſed ſolum participare abſolute; Id itaque à quo ſumitur genus in intelligentijs eſt gradus nobiliſſimus vniuerſi, id vero à quo ſumitur differentia eſt gradus illiusmet gradus, ſic non dicitur intellectualitas, vel immaterialitas non eſſe gradus abſolute, ſed inſinuatur non eſſe gradus, penes cuius participationem vt ſic differant intelligentiæ, quoniam in ea vt ſic conueniunt vniuerſæ.

Dignitas gradus Intellectiui.

Dubium.

Verumtamen iure ſciſcitaberis, qui fieri poſſit, vt intelligentiæ omnes conueniant in gradu intellectualitatis, quem dicimus præſtantiſſimum, & deinde diſcrimi-

ſcriminentur ab inuicem, nam vltima differentia eſt nobiliſſima, cum compleat rationem ſpeciei, & nobilior ſit genere, ſi ergo conueniunt in nobiliſſimo, cōueniunt in vltima differentia, ac proinde nequit in eis ſumi differentia penes gradum perfectionis. Hæc difficultas nullatenus angit eos, qui cenſent intelligentias non differre ſpecie, quoniam admittent ipſas conuenire in nobiliſſimo, ac in vltima differentia ſpecifica, & tamen numero ſub hac vltima differentia differre, Verum quoniam quæſtione quarta ad caput præcedens, & quarto pronūciato de ipſis tertia parte hius literæ defenſamus ipſas differre ſpecie, ideo alia via ſatisfacere oportet propoſitæ dubitationi, ex doctrina nimirum Auctoris prima par. quæſt. 50. ar. quarto ad primum, & quæſt. 75. art. ſeptimo ad ſecundum, quæ elici etiam poteſt ex ijs quæ proxime dicebantur, vt ſcilicet dicamus intelligentias conuenire in nobiliſſimo gradu vt ſic vniuerſi, quoniam omnes ſunt intellectuales, at non conuenire in æquali participatione illius gradus, vel in gradu eiuſdem gradus, quemadmodum omnia alba conueniunt in nobiliſſimo colorum, at non in gradu illius nobiliſſimi, Et ne confundaris, cogita, quod natura intellectualis eſt gradus, ſi vt dixi comparetur vniuerſo, nō vocatur autem gradus relatione ad ea, quæ ipſam participant, ſed natura, latitudo autem illa, & varia eiuſdem naturæ participatio nominatur gradus, &c. Quando itaque dicitur, Quæ conueniunt in nobiliſſimo, conueniunt in vltima differentia, verum eſt, ſi conueniant in nobiliſſimo gradu illius naturæ, ſed tunc nega minorem ſubſumendam, quod ſcilicet intelligentiæ in tali nobiliſſimo conueniant, ſin autem conueniant in nobiliſſima tantum natura, negatur quod conueniant in vltima differentia, licet enim omnis vltima differentia ſit quid nobiliſſimum, non tamen omne nobiliſſimum eſt vltima differentia, & non eodem modo intellectuale, & vltima differentia ſunt quid nobiliſſimum, quoniam hæc tamquam maxime determinata, quo modo illud non eſt nobiliſſimum, cum ſit indeterminatum, & commune ad varios intellectualitatis gradus, qui per varias differentias exprimuntur, ſic differentia eſt nobilior genere, tamquam determinatum indeterminato, & proprium communi, non ſicut alia, & alia natura, &c.

Soluitur ex doctrina D. Tho.

Senſus propoſitionis.

Quomodo differentia nobilior genere.

Nec oportet has differentias eſſe accidentales, &c.

CIrca ſeptimam partem, in qua dicitur, differentias allegatas iuxta gradum perfectionis non eſſe accidentales, ſed formales, ac ſpecificas, quoniam nō ab vna, & eadem, ſed à diuerſis formis deſumuntur, potes obſeruare ſumma facilitate, quod quæ modo dicebantur de vario gradu participationis naturæ intellectualis, nomine ly *natura* non accipitur aliquid vnum ſpecie, vt ſcilicet quæ diuerſo modo illud participent, differant ſolum numero, ſed accipitur quid vnum genere, quoniam natura, ſeu gradus intellectualis innumera admittit ſub ſe, quæ ſpecie differunt, ſicut quando dicitur gradus, vel natura ſenſitiua, nullus ignorat vnum quid genere accipi, quod magnam ſpecierum differentiam ſub ſe continet, &c.

Doctrinam vero illam, ex qua diſtinctio pulchra à Caiet. merito nuncupata elicitur, quod nimirum magis, & minus ſumpta ex aliqua vna forma diuerſitatem tantum numericam, at ex diuerſis formis ſpecificam inducant, nedum habes

D.Thom. Ariſtotel. bes hoc loco ab Auctore, ſed & prima par. quæſt. 50.ar. quarto ad ſecundum, quam videtur innuiſſe Ariſtoteles decimo Diuinorum 25. dicens, contrarietatem ſumptam iuxta formam facere differentiam ſpecificam, (ecce diuerſitatē ſequentem formam, vt formam, & ex conſequenti varias formas,) non autem contrarietatem ſumptam iuxta materiam, vbi vides variam eiuſdem formæ participationem, &c. Quomodo autem omnis differentia ſumpta à forma vt ſic, in eo quod forma ſit ſpecifica, & diuerſitatem in genere pariat, quod nequit dici de differentia ſumpta à forma, vt hæc, vel illa materialiter, & per accidens diuiſa, cumulate explicatum reliqui prioribus annotationibus ad tertium caput libri, &c.

Illa igitur propoſitio, Magis, & minus non diuerſificant ſpeciem venit ſane intelligenda, vt patuit, ſolet autem abſolute proferri, quoniam vt aduertit in præſenti Caiet. magis, & minus denotant comparationem, quæ vt elicitur ex ſeptimo Phyſic. 29. debet fieri in athoma ſpecie, quod ſane proprie, ac phyſice accipi debet, nam logice, & metaphyſice in genere etiam eſt apta comparatio, quamquam enim in hoc multæ latent naturæ, ex eodem libro, tex. 31. (quas proinde æquiuocationes in ſubiecta materia, hoc eſt phyſice appellat;) tamen vnus erit conceptus generis logicus, ac metaphyſicus, ſic decimo Diuinorum 13. legis, in genere fieri comparationem, & in ijs quæ differunt ſpecie, non autem in ijs quæ differunt genere, & ratio ibidem redditur; Quoniam nihilominus verum eſt, propriam, ac veram comparationem fieri dumtaxat in ſpecie vltima, eapropter conſueuit ſimpliciter dici, quod magis, & minus non variant ſpeciem, &c.

Cauſa propoſitionis abſolutæ prolatæ.

Ariſtotel.

Circa hæc eadem obſerua, quod quoniam pluries dicimus dari magis, & minus in intelligentijs, ideo aſſignandum eſt quid maximum, nam vbicumque inuenitur magis, & minus, inuenitur & maximum, quoniam illa nil aliud ſunt, quam gradus fundati ſupra formam in ordine ad ſummum gradum formæ, & magis dicitur ex acceſſu ad ipſum, minus ex receſſu ab eodem; Quare vt implicaret, ſi quis poneret acceſſum, & receſſum, niſi poneretur id ad quod acceditur, & à quo receditur, ita non eſt imaginabile, vt detur magis, & minus, niſi detur maximum, ad quod magis accedit, & à quo minus recedit; & quamuis magis reſpiciat relatiue minus, tamen hæc reſpicere non ſe poſſent vt ſic, niſi adeſſet maximũ, in ordine ad quod vtrũque ita dicitur, ſicut licet frater reſpiciat aliũ fratrem, (cũ omnis frater ſit alicuius fratris frater,) attamen hi ad inuicem non referrentur, niſi eſſet parens, à quo in eſſe fratris conſtitutus vterque eſſet. Hoc igitur maximum, quod reſpiciunt intelligentiæ, eſt ſumma, ac prima intelligentia, nam quemadmodum ex quarto Diuinorum 18. ſi ſit dare magis, & minus, verum eſt dare quoque maxime verum, ita ponentibus perfectiorem, & minus perfectam intelligentiam, ponenda etiam eſt perfectiſſima, ex cuius acceſſu, & receſſu illa perfectior, alia non adeo perfecta dicatur, Ita aſſignamus glorioſum Deum, primum ens, ſimpliciſſimumque actum menſuram perfectionis intelligentiarum; Non cogites autem, an ſit danda imperfectiſſima, vt ita loquar intelligentia, ex cuius approximatione intelligentiæ dicatur minus perfectæ, cum enim imperfectio ſit defectus, (ſaltem negatiue,) iam ex his obſeruationibus ſublata eſt hæc cogitatio, nam minus perfecta intelligentia ea eſt, quæ elongatior à prima, & perfectiſſima.

Quid ſint Magis, & Minus.

Quodmaximũ reſpiciant Intelligentiæ.

Circa reſponſum, quod datur ſecundæ obiectioni in eadem parte aduerte, quod cum vera differentia debeat conuerti cum eo cuius eſt differentia, quot

ſpecies

ſpecies clauduntur ſub aliquo genere, tot & differentias eſſe oportet; Enimuero cum differentiæ ſit & diuidere genus, & conſtituere ſpeciem, vt Porphirius dicebat, neque genus trahetur ad hanc ſpeciem per diuiſionem, neque conſtituetur ſpecies, niſi adſit differentia, cum numquam quid conſtituatur in eſſe abſque ſuo conſtituente, omnis autem ſpecies per differentiam conſtituitur, quo circa ſi plures ſpecies, quam duæ contineantur ſub aliquo genere, impoſſibile eſt, vt genus illud poſſit diuidi per duas tantum differentias, quæ veræ differentiæ ſint, ſic ſub initium cap. ſecundi libri 1. de Partibus animalium dicebat Ariſtoteles eſſe quoſdam, qui genus in duas ſecant differentias, quod plane partim non facile, partim nullo pacto fieri poteſt. Hinc quoniam cernis ſub animali innumeras propemodum ſpecies immediate contineri, nequit diuidi per duas tantum differentias, quæ & conuertantur cum ſpeciebus ſuis, & naturæ ſint poſitiuæ, contrariæque, aliàs duæ tantum eſſent ſpecies, ſed conſueuit diuidi per rationale, & irrationale, & quidem illud vera eſt differentia, ac poſitiua, hoc autem eſt differentia non vera, ſed priuatiua, & cum nulla ſpecie athoma conuertibilis, ſed communis omnibus alijs ſpeciebus ab homine, hinc Ariſtoteles ibidem cap. tertio ſequenti, initio dicebat, quod qui ita partitur genus in duas differentias, priuatione id facit, & tamen priuationis vt ſic nulla eſt differentia, non enim fieri valet, vt ſpecies adſit illius, quod non eſt. Quoniam itaque in vniuerſo inueniuntur aliquæ res plures duabus, quæ continentur immediate ſub aliquo communi, quod formaliter eſt diuiſibile, iccirco impoſſibile eſt vniuerſaliter, omnem diuiſionem fieri per duas differentias veras, & poſitiuas, & ſic euenit in intelligentijs, cum enim omnes claudantur ſub vno genere, quod eſt immateriale, vel intellectuale, fieri nequit, vt hoc earum genus deſcendat ad ipſas per duas tantum veras differentias, tūc enim duæ ſolum eſſent illarum ſpecies, vnde multiplicem fieri oportet diuiſionem, quam nos ignoramus, iam enim quinta parte literæ, & vidimus, & adnotatum dedimus, earum differentias nos non tenere. Quapropter ſi bimembri partitione ipſarum genus erit diuidendum, oportet, vt altera harum duarum differentiarum ſit non vera, quandoquidem priuatiuam eſſe oportebit, (quod & in animali euenire dicebatur,) alteram quoque neceſſe eſt eſſe non veram, ex parte ſcilicet noſtri, qui nequimus vllam propriam in ipſis differentiam vel agnoſcere, vel exprimere, (quod non habet locum in animali, in quo rationale veram differentiam, ſaltem in eo quod poſitiuam agnoſcimus,) & hæ fuerunt differentiæ, quas iam cum Auctore aſſignabamus, nimirum magis, & minus perfectum, vbi apparet hoc poſterius eſſe differentiam priuantem, illud vero prius magnam habere latitudinem, ac proinde non veram differentiam, &c.

Munus differentiæ.

Ariſtotel.

Quomodo ſe habeát rationale, & irrationale ad animal.

Quod autem ſolet adſerri ex Boetio cap. tertio libri diuiſionum, quod omnis diuiſio ſit bimembris, explica ex reductione, ſic diuiſio animalis ſit per rationale, & irrationale, vbi deprehendis mille brutorum ſpecies ſub vnam cadere differentiam priuatiuam; Similiter intelligentias dicimus diſcriminari per magis, & minus perfectum, vbi tandem ex quadam reductione ad bimembrem diuiſionem earum genus reducitur, &c.

Quomodo omnis diuiſio bimembris.

Tertio modo inuenitur in ſubſtantijs compoſitis, &c.

CIrca vltimam partem legis aperte, quomodo inueniatur eſſentia in ſubſtātijs compoſitis ex materia, & ea quattuor de ipſis enunciata, & quo pacto ſe habeant ad logicas intentiones, manifeſta iam omnino ex varijs partibus huius libri, & præcipue ex capitibus ſecundo, tertio, ac quarto habentur, quocirca nihil penitus in horum gratiam eſt vt adducatur. Hæc autem de compoſitis ſubſtantijs hac parte eo putauerim conſilio ab Auctore collecta, quoniam in præſenti complet, ac abſoluit ſermonem de ſubſtantijs, quæ quoniam in tripli ci differentia ſunt, vt patuit, cum hoc capite oſtendiſſet quomodo inueniatur eſſentia in prima intelligentia, & in alijs ab ipſa, ad completam ſubſtantiarum manifeſtationem, quæ iam de compoſitis in præcedentibus edocuit, hoc loco duobus verbis recenſere voluit, &c.

Ratio verborum D. Tho.

QVAESTIONES.

Num Deus ſit in genere.

CIRCA priorem partem, in qua dicebatur, & firmabatur Deum non eſſe in genere, moueo quæſtionem de veritate huius dicti, in quo ſimul examinabitur eius probatio in præſenti adducta, pro quo efficiam quattuor, nam primo manifeſtabo titulum, deinde referam opiniones minus veras cum rationibus firmioribus, tertio declarabitur, & ſimul probabitur vera ſententia, vltimo auferentur fundamenta contrariæ poſitionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit quæſtio.

DEbes ſcire ex doctrina communi, & vera, quod duplex datur genus, alterū quod appellatur logicum, alterum quod dicitur phyſicum; Illud deſumitur ab vnitate alicuius intentionis, & conceptus, cui reſpondet aliqua natura varijs formalibus differentijs diuiſibilis, & quamuis ipſæ naturæ multipliciter aliàs differant, ſi tamen in aliquo conceptu, vel intentione conueniant, cadent ſub vno genere logico; Hoc autem ſumitur ex vnitate vel potentiæ, vel materiæ, ſic cum omnia generabilia, & corruptibilia conueniant in eadem materia ſubiecta priuationi, dicuntur eiuſdem generis phyſici; In præſenti non inquirimus, an Deus ſit in genere phyſico, nullus enim id animo valet concipere, cum in omni culmine ſimplicitatis viuat, atque ideo à quauis materia, vel potentia ſit quamremotiſſimus; vnde inquiſitio eſt de genere logico, num ſcilicet conueniat in aliqua intentione, vel conceptu cum aliqua re.

Genus logicū.

Genus phyſicum.

Ex his rurſus aduerte, quod nomine huius generis logici accipitur genus proprie prædicamentale, & intentio illa ſecunda, non autem aliqua natura, illi intentioni ſubſtrata, neque ſciſcitamur, num Deus ſit genus illud, vel intentio, hoc enim eſſet ſtultitiæ plenum, ſed num contineatur ſub genere aliquo modo, vel directe ſcilicet, vel indirecte, vel inquam vt ſpecies, aut tamquam principium, &c. Cumque decem ſint huiuſcemodi genera logice accepta, vt eſt videre in Ariſtotele tractatu de anteprædicamentis, & alibi ſæpe, & inter hæc nouem ſint accidentis, vnicum vero ſubſtantiæ, non eſt quæſtio de illis nouem, omne enim quod in quouis illorum eſt, accidens eſt, Deum autem nedum non eſſe accidens, ſed neque vllum in eo accidens habere locum docent omnes & theologi, & veri philoſophi, quare difficultas eſt de genere ſubſtantiæ, &c. Ariſtotel.

Dixi doctrinam hanc de genere logico, & phyſico eſſe communem, ſaltem apud latinos, & etiam veram, neque illi qui duplex hoc genus impugnant, abſolute illud infringere conantur, ſed id videntur velle, vt realiter ab inuicé non ſint ſecernenda, in quorum numero fuit fortaſſe Zimara theoremate 62. & Zabarella in fine cap. 18. tertij libri de Naturalibus principijs, quod ſi velint non diſtingui tamquam ré à re, nihil contra nos, quoniá genus logicũ vt ſic non eſt res, ſed intentio, & conceptus; Diſtinguuntur tamen, quoniam logicum poteſt eſſe abſque phyſico, multa enim habent genus commune logicum, quæ non conueniunt in genere phyſico apud Zabarellá etiam, vnde falſo ſubdit nó dari vnũ genus ſine altero; Docet profecto cap. 5. primi libri ibidem, quod corpus naturale late acceptum, vt ſcilicet dicitur de mortali, & æterno eſt ſubiectũ in philoſophia naturali, & damnat eorum opinionem, qui volebant corpus ſolũ generabile ſtatui pro ſubiecto; tunc quæro, an corpus generabile, & æternũ ſint in eodé genere phyſico, certe dicet quod non, tum quoniá cap. 18. illius tertij libri late probare nititur genus eſſe materiam, inferius autem libro ſexto, cap. 6. docet ex Auerr. in cœlo non eſſe materiam, tum quoniam decimo Diuinorum 26. clare docemur, corruptibile, & incorruptibile differre genere, tunc rurſus quæro, num conueniant in genere logico, ſi ſic, habeo quod volo, iam enim aliqua different in genere phyſico, & conuenient in logico, & datur vnum abſque altero, ſi non, igitur eſt impoſſibile, vt ad vnam, eandemque facultatem attineat vtriuſque conſideratio. Zimara. Zabarella. Ariſtotel.

Rurſus, ſi quis non neget ſenſum, non negabit in cœlo eſſe accidentia, quantitatem, &c. peto, vel hæc accidentia conueniunt in genere naturali cũ accidentibus his inferioribus, vel in genere logico, ſi primum, ergo corruptibile, & incorruptibile non differunt genere, ergo in cœlo materia, ſi ſecundum, habeo quod intendo, & vere ſic eſt, quoniá definitiones qualitatis, & quantitatis conueniunt vtriſque; Neque confugiendum eſt ad prædicationé analogicam, quoniam per ſingula diſcurrenti, ſub eadem ratione conſtabit dici conceptũ de corruptibilibus, & incorruptibilibus, hæc enim naturá ſolum variant, non conceptum, vnde Zimara in fine illius theorematis inquit, conceptum ſecundæ intentionis, & ſecundo intellecti vniuoce dici de corruptibili, & incorruptibili, ſi vera fuerit limitatio illa, quam ibi theoremati ſuo adhibet, quare ex eorundé ſententia conueniunt in genere logico vniuoco, & nequaquam in phyſico, &c. Quod autem ipſe adfert de corruptibili, & incorruptibili, quod nedum phyſico, ſed & logico genere differant, (quod fuit motiuum prius à Ianduno allatũ quæſtione vltima decimi Diuinorum,) & ſibi forſan contradicit, ſi attente expendatur, & confutatum habes à Iauello q. 21. & ab Aquario dilucidatione vl- Zimara. Iandunus. Iauellus.

Aquarius. tima eiuſdem 10. libri; Quod addit Zabarella, quod genus hoc logicum eſſet vanum, quoniam fictitius eſt ille conceptus, cui non reſpondet aliqua natura communis ad extra, dico primo nullam omnino dari communem naturam ad extra, vnde pari via genus phyſicum foret vanum, dico deinde varias ad extra reſpondere naturas diſtinctas, & diuerſas materialiter, at conſiderantur vt in illo conceptu conueniunt, cuius fundamentum ſunt ipſæ naturæ, & cuius formalitas eſt ab intellectu, & in intellectu. At conſpice philoſophum celebrem, qui dum eodem capite vult adferre penes quæ differant genus, & materia, recenſens doctrinam Alexandri cap. vltimo ſecundi naturalium quæſtionum, vbi varia adducit, iuxta quæ diſcriminantur genus, & materia, inquit illum ſumpſiſſe genus logice potius, quam naturaliter, vnde facile ipſi fuit generis, & materiæ differentias conſiderare, ſed per Zabarellam genus naturale eſt materia, ergo facile eſt adferre diſcrimen inter genus naturale, & logicum, ergo ex eius doctrina, & datur vtrumque genus, & vnum ab altero ſecernitur, &c.

Zabarellæ motiuũ diluitur.

Alexan.

Demum nomine generis logici accipe conceptum vnum, vt dicebatur vniuoce dictum de ijs, quæ in illo conueniunt, non autem aliquod genus analogũ, vt interpretatus eſt Auctorem Sueſſanus in fine diſputationis vltimæ ſuper decimũ Diuinorum, admonens thomiſtam, vt conſideraret hanc ſuam expoſitionem, quam pulchram vocabat, verũ neglecta hac pulchritudine, falſa eſt, quoniam ſubſtantia, corpus, & ſimilia conueniunt in genere logico, & cõceptu vniuoco, vt conſtare cuique poteſt ex dictis, neque Auctor ſuper illum 26. decimi Diuinorum ſibi contradicit, quando enim ait corruptibile, & incorruptibile diuidere ens, loquitur de ente, & non de aliquo eius conceptu vltimato, & loquitur de genere naturali, nõ logico, & mirum certe eſt, quomodo Auctor in eiuſdem textus expoſitione ſibi contradiceret, & æque mirum, quomodo à nullo vmquam thomiſta conſiderata fuiſſet hæc contradictio, ſed aperta ſunt D. Doctoris verba, &c. Eſt itaque quæſtio, num Deus conueniat in aliquo conceptu ſubſtantiæ cum alijs, &c.

Inanis Sueſſani admonitio.

D. Thom.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid nonnullis placuerit, & quare.

Ariminen. Bacchonit.

GRegorius de Arimino primo ſent. diſt. 8. quæſt. 3. art. 2. & Ioannes Bacchonius eodem libro diſtin. 9. & alij diſt. illa octaua docent partem affirmantem, quæ ſententia poteſt comprobari

Primo, Quoniam vt tituli enodatione dicebatur, quod conuenit in conceptu ſubſtantiæ cum alijs, eſt in genere illo, at Deus conuenit in tali conceptu, ergo, &c. probatur minor, quoniam conceptus ſubſtantiæ eſt, vt ſit ens per ſe ſubſiſtens, hoc autem maximè proprie conſtat ipſi conuenire, quare cum eſſe ſubſiſtens dicatur etiam de alijs, & in quid, vt patet, ſequitur quod ſe habeat vt genus, ſub quo & Deus contineatur. Dicetur forſan, quod eſſe ſubſiſtens dicitur per prius de Deo, quam de alijs ſubſtantijs, quoniam longe perfectior ſubſtantia eſt Deus; Sed contra, quoniam huiuſcemodi prioritas, & poſterioritas non impedit generis vniuocationem, vt ex Auerr. comm. 2. duodecimi Diuinorum dicebatur quæſtione de analogia entis ar. 1. aliàs nec animal diceretur vniuocę de homine, & leone, &c.

Secundo

Secundo, Quicquid eſt in mundo, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, at conſtat Deum non eſſe accidens, ergo erit ſubſtantia, ſed genus ſubſtantiæ complectitur omnes ſubſtantias, ergo & Deum; Quod ſi dicatur genus ſubſtantiæ generaliſſimum complecti ſubſtantias ſolum finitas, & creatas; Tunc inſtatur primo, quoniam Ariſtoteles non omnia entia ad decem genera redegiſſet, quare diminutus fuiſſet; Deinde finitas, & infinitas non variant rationem eius cui adueniunt, vnde ſi daretur albedo, & linea infinita, adhuc forent in prædicamento, quoniam adhuc illa eſſet qualitas, hæc quantitas, ergo licet Deus ſit infinitus, non exinde à prædicamento arcendus apparet.

Tertio, Si quis conſideret proceſſum Ariſtotelis duodecimo Diuinorum, aperte nimis deprehendet, Deum ad aures ipſius contineri in genere, nam 2. tex. diuidens prædicamenta ait, ſubſtantiam primam partem eſſe, deinde quale, poſtea quantum, mox tex. 5. partitur primum membrum, inquiens tres eſſe ſubſtantias, vnam ſenſibilem, quæ duplex eſt, quædam ſempiterna, & quædam corruptibilis, tertia vero eſt ſubſtantia immobilis, deinceps digrediens de ſenſibilibus ſubſtantiis, & earum principiis, vſque ad 28. ſtatim 29. repetit, quod cum tres ſint ſubſtantiæ, duæ naturales, alia vero immobilis, de hac dicendum eſt, ſub qua Deum contineri nemini poteſt eſſe ambiguitas, quare clauditur ſub prædicamentali ſubſtantia, hæc enim, & non alia ea eſt, quæ eſt prima pars entis; cuius alia pars eſt quale, & quantum; Rurſus, quod ſenſibilis ſubſtantia contineatur in genere, nullus poteſt dubitare, ſed idem iudicium quo ad hoc facit Ariſtoteles de ſubſtantia immobili, quoniam vt partes afferuntur ſubſtantiæ prædicamentalis, &c. Ariſtotel.

Quarto, Sæpe in annotationibus ad ſextam partem literæ inculcabamus, omnes intelligentias differre penes acceſſum, & receſſum à prima, & cum diceremus dari magis, & minus in ipſis, addebamus, & probabamus dari etiam maximum, quod diximus eſſe Deum, quem earundem menſuram poſuimus, ſed ex decimo Diuinorum 4. ſemper menſura eſt eiuſdem generis, cum itaque ſit menſura ſubſtantiarum, erit in cathegoria ſubſtantiæ. Confirmatur, quoniã circa ſeptimam partem literæ dicebatur, quod licet magis, & minus ſint proprie in ſpecie ſpecialiſſima, attamen in genere etiam vtcumque locum habent, in quo ſubinde fieri poſſe diximus comparationem, in iis vero quæ genere differebant non dabatur comparatio, cum ergo in genere intelligentiarum ſit magis, & minus, & maximum, quod eſt Deus, quomodo non erit in genere?

Quinto, Videtur hæc eſſe clara mens D. Auguſtini, qui quinto de Trinitate, cap. 8. ait, ſacram ſcripturam loqui de Deo ſecundum prædicamenta, aliquando improprie, dum dicitur Deus habere diſpoſitionem, aliquando proprie, vt cum dicitur Deus ſubſtantia, aut ſpiritus, ſic apud D. Ioannem cap. 4. legis, Deum ſpiritum eſſe, ſic Fides catholica docet, Deum eſſe veriſſime patrem, ac veriſſime filium, & in ipſo vt trinus eſt vere adeſſe relationes paternitatis, filiationis, & proceſſionis, quæ ſane conſtat eſſe de prædicamento ad aliquid, vnde Apoſtolus ad Epheſios 3. ex Deo inquiebat paternitatem omnem in cœlo, & in terra nominari, &c. D. Auguſt. D. Ioan. Veritas Fidei catholicæ. D. Paulus.

Vltimo, In hac ſententia fuit Auctor, quoniam primo ſent. diſt. 8. quæſt. 4. art. 2. ad tertium, inquit non oportere, quod Deus ſit in genere ſubſtantiæ, ſicut contentum, ſed ſolum ſicut principium, ſimiliter quæſtionibus diſputatis de Potentia, quæſt. 7. art. 3. ad ſeptimum, & vltimum, ait poſſe dici, Deum eſſe D.Thom.

in ge-

in genere ſubſtantiæ per reductionem, ſicut principium, quo modo inquit punctum eſt in genere quantitatis continuæ, & vnitas in genere numeri, quare &c.

Capreolus

Si vis nonnulla alia argumenta videre, lege Capreolum in primo, diſt. 8. q. 2. præcipue circa quartam concluſionem, at quæ adduxi ſunt difficiliora, & eorum ſolutiones, alia quoque diſſoluent, ſi bene, (quod facillimum erit) applicatæ fuerint.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ponitur, manifeſtatur, firmatur vera ſententia.

D.Thom. Caietanus. Capreolus Ferrarien. Aquarius. Bannes. Alb. mag. Scotus. Alenſis. Aegidius. Molina. Gregor. de Valentia. Toletus.

OPpoſitam partem tuetur Auctor, & in præſenti, & in calce huius libri, dum eius epilogum format, & primo contra Gent. 15. & p.p.q.3.art. 5. vbi manifeſte docet, probatque Deum, neque directe, neque reductiue in prædicamento locari, quod & repetijt infra q. 88. art. 2. ad quartum. In hanc eandem iuit Caiet. vtroque loco, Capreolus vbi ſupra, Ferrar. cap. illo primi contra Gent. Aquarius dilucidatione 1. decimi Diuinorum, Banneſius loco memorato p.p. Sed vltra D. Thom. ſcholam, adeſt Albertus magnus quinto Diuinor. tract. 6. in fine cap. 10. & fuſius 11. eorundem, tract. 2. cap. 8. Scotus in 1. diſt. 8. q. 3. Alenſis ſuper 4. decimi Diuinorum, Aegidius q. 1. & plenius q. 4. eiuſdem 10. Molina, & Valentia loco illo p.p. & Cardinalis Toletus in prædicamentis, cap. de Subſtantia, quæſt. tertia, & alij; Vnde hæc opinio à nobis etiam eſt amplexanda.

D. Thomæ loca.

Pro qua ponitur hæc concluſio: Deus nullo modo eſt in genere, vel directe, vel ex reductione. Cumque varia ſint fundamenta, quæ eam poſſint, & ſoleant declarare, atque confirmare, illud tamen potiſſimum eſt, cuius meminit hoc loco Auctor, quodque adfert vbicumque de hac materia ſermo ei incidit, quod nimirum eſſe Dei eſt ſua eſſentia, nihilo ab ea differens, ſed de conceptu ſuo quidditatiuo exiſtens; Hoc ſiquidem vbi in hac parte pronunciauit, mox intulit, Deum non eſſe in genere, hoc adfert primo ſent. loco ſupra relato, vbi poſt nonnullas rationes, hanc ſubtiliorem, (cuius auctorem perhibet Auicennam,) dicit, & de Potentia, q. 7. art. 3. & primo contra Gent. 26. & p.p.q. illa 3. ar. 5. tertio loco, quod & ab oppoſito innuit loco illo alio ex p.p.q. 88. ar. 2. ad 4. & ſecundo ſent. diſt. 3. q. 1. art. 5

Caietanus.

Quod fundamentum vt dilucidetur, cogita cum Caiet. in præſenti, quod quidditas illa, quæ eſt ſua exiſtentia actualis, non eſt ad aliquod genus determinata, & ratio eſt, quoniam non poteſt deſignari per differentiam, à qua mendicet eſſe in actu, implicaret enim, vt id quod eſt actualis exiſtentia, acquirat exiſtentiam hanc per aliquid aliud à ſe, tunc enim & acquireret quod habet, & prior exiſtentia nihil efficeret, & non eſſet maior ratio, quare hæc exiſtentia adueniens tribueret eſſe, & non tribueret illa prior, quare vt pugnat, quod album vt ſic mendicet ab aliquo alio à ſe diſtincto lucem, quoniam in ipſo vt ſic plurimum ineſt lucis, ita non eſt intelligibile, vt actualis exiſtentia mendicet ab aliquo alio eſſe in actu; His autem adde, quod omnis quidditas in genere limitata, eſſentialiter deſignabilis eſt per differentiam, à qua mendicat eſſe in actu, ſic animal determinabile eſt eſſentialiter per differentias, rationale nimi-

rum

rum, & irrationale, à quibus mendicat eſſe in actu, cum ſit impoſſibile animal eſſe actualiter exiſtens, niſi fuerit vel rationale, vel irrationale, ſic dicas de alii s rebus ad aliquod genus definitis, ſic enim optima,& vltima definitione definiens Porphirius differentiam, eam dicebat ad eſſe conducere; quare cum quidditas,quæ eſt ſuum eſſe à nullo alio mendicet actuale eſſe, relinquitur, vt ad nullum ſit definita genus. Porphirius

Cogita deinde, quod exiſtentia hæc actualis, quæ ad nullum genus eſt determinata,eſt purum eſſe, quemadmodum enim animal ſi ad nullam ſpeciem determinetur, eſt purum animal, & color ſi in aliquo ſubiecto non limitetur, erit purus color, ſic exiſtentia, quæ non eſt limitata ad vllius naturæ prædicamentalis capacitatem, erit pura exiſtentia, vt enim genus per differentias, & accidentia per ſubiecta contrahuntur, ita & eſſe per eſſentiam; neque modo refert,num hæc abſtractio eſſe ab eſſentia ſit rationis, vel in re ipſa, nam ad primam abſtractionem ſequitur puritas rationis, ad ſecundam puritas rei.

Cogita vltimo, quod eſſe eſt de conceptu quidditatiuo puri eſſe tantum,& quidē non eſt perceptibile, vt de puro eſſe non prædicetur quidditatiue ipſum eſſe, quoniā ſi quid ponatur de ipſo prædicari,nequit aliud eſſe præter ipſum, nam ſi aliud prædicaretur, tunc purum eſſe non foret purum, ſed admixtum huic quod de ipſo diceretur,quod etiam dicatur quidditatiue de ipſo tantū,patet, quoniam cum alia non habeant eſſe in ſua puritate, ſed accommodatum propriis quidditatibus,(vnde prouenit vt non ſint purum eſſe,)poſſunt ſecundum ſuas quidditates abſque eſſe, & non eſſe definiri.

His quæ ex Caiet. collegimus præmiſſis, cum eodem ita ſyllogizemus;Ideo exiſtentia eſt de conceptu quidditatiuo rei, quoniam res iſta eſt purum eſſe, (patet hoc ex vltimo dictis,)ideo res iſta eſt purum eſſe,quoniam ad nullum genus eſt limitata,(patet ex ſecundo pronunciato,)ideo res iſta ad nullum genus eſt limitata,quoniam eſt eadem cum ſuo eſſe, (patet ex primo,) ergo de primo ad vltimum,ideo exiſtentia eſt de conceptu quidditatiuo rei, quoniam res iſta eſt eadem cum ſuo eſſe. Caietani diſcurſus.

Quare vno verbo dicito, Deus habet eſſentiam eandem cum ſuo eſſe omnino, ita vt hoc ſit de illius definitione, (ſi definiretur,) igitur non eſt in genere;antecedens ab omnibus conceditur,& patuit ex obſeruationibus ad hanc partem, conſequentia modo deducta fuit, &c.

Vt autem plenius hæc percipias, conſidera rationem hanc Auctoris, quam & in præſenti, & locis relatis habes, omne enim quod eſt in genere, differt ſecundum eſſe ab aliis,quæ ſunt in eodem genere, aliàs genus non prædicaretur de pluribus, ſed omnia quæ ſunt in genere conueniunt in quidditate generis, aliàs non diceretur genus de ſuis inferioribus in quid, quare de neceſſitate dicendum eſt, quod omne contentū in genere habeat quidditatem differentem ab eſſe ſuo, ſi enim in quidditate conuenit cum aliis, in eſſe differt,certe nequit in eo eſſe idem quidditas,& eſſe, quoniam implicat, vt idem vt ſic,& ſub eadem ratione ſit ratio, qua aliqua conueniant,& differant; Bene enim dicebat Auicen. cap. primo compendij ſui de Anima, & repetebat cap. ſecundo ibidem, quod res quandocumque in aliquo communicant, & alio differunt, illud in quo communicant, eſt aliud ab eo in quo differunt; Dixerim ſub eadem ratione; quoniam optime noui, ſpecies conuenire in genere, & differre in differentiis, & illud eſſe rationem qua conueniant, has quibus differant, & tamen non realiter diſtinguitur illud ab illis, ſed ſolum ratione, & formali Auicen.

conceptu

conceptu fundato in re in ordine ad quemuis intellectű, & diſtinctione meta-phyſica, vt explicaui quæſtione prima ad tertium caput; ſed hæc parum ad propoſitum faciunt, quoniam ſaltem formaliter omnino deprehenditur diſtinctio inter eſſe, & eſſentiã eorum, quæ ſub genere locantur, qualis certe non reperitur in Deo; videbimus enim ſequenti quæſtione, omnes huiuſcemodi diſtinctiones ab ipſo peralienas.

Difficultas. At dices in hoc diſcurſu committi æquiuocationem, quando enim dicitur, quæ ſunt in genere conuenire in eius eſſentia, & differre in eſſe, tunc accipitur eſſe ſpecificum, non autem actualis exiſtentiæ, ſic enim homo, & leo conueniunt in quidditate animalis, & differunt rationali, & irrationali, quippe quod eſſe eſt quidditatiuum ſpecifice acceptum, nam differunt ſpecie, quoniam conſtituuntur differentiis ſpecie oppoſitis, quando autem ex hoc infertur, ergo omne quod eſt in genere, habet eſſentiam aliam ab eſſe, tunc accipitur eſſe pro actuali exiſtentia, & non pro eſſe quidditatiuo ſpecifice; Sed

Solutio. reſpondetur, quod quamuis quæ ſunt ſub genere, differant in eſſe ſpecifico illius, quoniam per oppoſitas differentias conſtituuntur, tamen ex hoc eodem habetur, quod etiam differant in eſſe exiſtentiæ, quoniam ipſæmet differentiæ conducunt ad eſſe, vt ex Porphirio dicebatur, ad eſſe inquam actualis exiſtentiæ,

Quomodo differentia conducat ad eſſe. & vltima quæſtione ad hanc partem videbimus, quomodo ſumatur differentia in ordine ad actualem exiſtentiã, eatenus quippe differentia conducit ad eſſe, quoniam conſtituit proprium receptiuum eiuſdem actualis eſſe, quoniam vltra differentiam vltimam nil aliud expectatur, vt ibidem dicetur. Nulla ergo admittitur æquiuocatio, quoniam dum dicitur ea quæ ſunt in genere differre in eſſe illius, quamuis hoc intelligatur primo de eſſe ſpecifico, (quoniam differentiæ partiuntur genus primo in eſſe ſpecifico varias conſtituentes ſpecies,) tamen intelligitur & de eſſe actualis exiſtentiæ, quoniam deinde diuidunt idem genus in eſſe diuerſo exiſtentiæ, quoniam illæmet differentiæ, quæ varias ſpecies conſtituerunt, varia quoque eſſe actualis exiſtentiæ ſecum

Caietanus. ferent, quoniam ad hoc conducunt, ſic probe Caiet. dicebat hoc loco, mira ſubtilitate vſum Auctorem in huiuſcemodi ratiocinio, quoniam non diuertit ad eſſe exiſtentiæ actualis generis, in quo differunt quæ ſub ipſo ſunt, (dum tamen communicent in eſſentia,) ſed primam diſtinctionis genericæ rationem in ipſis conſiderauit, quæ ſane eſt differentia ipſa ſpecifica, primo vtique diſtinguens genus quo ad eſſe quidditatiuum, vt dicebatur, ſed & deinde quo ad eſſe exiſtentiæ, nam rationale, quod diuiſit animal ſpecifice ab irrationali, diuidet quoque in eſſe exiſtentiæ, non quidem formaliter, ſed originatiue, quoniam conducet ad actualem exiſtentiam hominem in qua, (nedum ſpecifice,) ſecernetur à leone, &c.

Et plane hæc ratio ſola ſufficeret ad noſtram concluſionem oſtendendam, vt non iniuria eam vbique attulerit Auctor, quæ magis adhuc obfirmabitur vltima illa quæſtione præſentis capitis; Quod ſi Deus eſt ſuű eſſe, ſi eſſe eſt de eius quidditate, quomodo illa poſſit concipi elongata ab hoc? Quomodo proxima, quomodo magis proxima? Siquidem nihil in genere locatur quod non habeat genus, & differentiam, ſed hæc conducit rem ad eſſe, vt non ſemel dictum fuit, & ad eſſe tandem actualis exiſtentiæ, at quomodo rogo poteſt differentia conducere eſſentiam Dei ad eſſe, ſi illamet eſſentia eſt ipſum eſſe; nedú realiter, & identice, ſed formaliter, ſed quidditatiue? Conducitur ne quid ad ſeipſum? Quod ſi dicatur, non poni differentiam ex parte rei inter eſſentiam, &

eſſe di-

eſſe diuinum, ſed ſolum ex parte noſtri; Videat iſte, quod genus, & differentia non habebunt vere locum in Deo, & tamen quod eſt in prædicamento ex ſui natura debet in illo reponi, & vbi vere deſtruitur ratio omnis diſtinctionis inter eſſentiam, & eſſe, ibi ſubinde perit ratio generis, & differentiæ, & vbi nullus datur locus potentialitati, ibi nullum poteſt habere pedem genus, quoniam ſemper hoc eſt quid potentiale, quid determinabile, deſignabile, ac ſpecificabile, quorum nullum in Deo inuenitur, quod ſi omnia hæc auferantur à genere, implicat vt remaneat ratio ipſius. Ratio generi à

Verumtamen, vt quam ſequimur opinio efficaciores habeat vires, nonnulla adhuc in eius probationem adducam, & arguo ex infinitate Dei; Nullus quippe negauerit Deum eſſe infinitum, videtur autem implicare, vt quid infinitum locetur in genere, quoniam mox ad genus definitur, in cuius rei ſignũ ita locatur in vno genere, quod non in alio; & certe differentia contrahit, & limitat genus, vt eſt videre in ſubſtantia, in animali, & quouis alio genere, eapropter genera vt patet diſtinguuntur, quoniam vnum non eſt aliud, & ſi non ſecernerentur, aut vnum eſſet omnia, vel non tot genera, vel vnum dumtaxat haberetur genus: Dicere autem, quod conſtituatur Deus in genere, remota limitatione, potentialitate, & imperfectione, eſt dicere pugnantia, quoniam de intrinſeca ratione illius quod reponitur in genere, eſt habere genus, & differentiam, & ab horũ rationibus inſeparabilia ſunt, quæ recenſebam, ſed vide Scotũ loco nominato rationẽ hanc ex infinitate ſumptam proſequentẽ. Ratio conſtituti in genere.

Ex qua ſane infinitate, & diuini eſſe illimitatione prouenit, vt omnium rerum perfectiones contineat, & ſit omni ex parte perfectus, vt circa ſecundam partem literæ obſeruabatur, ac proinde vt in nullo genere collocetur, quod enim eſt in genere, ita ad ea quæ illius ſunt generis determinatur, vt ad vlteriora non ſe extendat, da enim oppoſitum, iam non eſt in illo tantum genere; cum cuique generi proprij cancelli, ac limites ſint præfixi; Neque dicendum eſt, argumentum hoc ex continentia perfectionum omnium generum non valere, vt ibidem dixit Scotus, licet enim verum ſit quod ibi habet, continens ſcilicet aliquid, continere illud per modum ſui, tamen hoc iuuat, quoniã ſic Deus omnia continet, vt modo ſuo infinito, ac illimitato ea contineat, vnde non eſt par ratio de indiuiduis ſubſtantiarum, quæ ſi à Deo ſola cauſarentur, haberent in ſe virtutem, vnde omnia accidentia cauſarent, (& tamen ſubſtantiæ creatæ in genere ponuntur,) quicquid enim fuerit de hac hypotheſi, ſubſtantiæ tunc creatæ virtutem primo ab alio haberent huiuſmodi continentiæ, & deinde quod magis refert, continentia ſolum virtuali accidentia continerent, nõ autem formali, de qua præcipue eſt ſermo, quando modo dicitur Deus contin ere perfectiones rerum vt ſic, hoc eſt, ſtando in perfectionibus, rurſus vna ſubſtantia non contineret perfectionem alterius ſubſtantiæ, neque omnia accidentia indiſcriminatim, ſed ea quæ ex tali natura, (in toto tamen genere hypotheſi admiſſa,) &c. Demum ſermo eſt de ſubſtãtiis creatis, quales modo ſunt, virtutis profecto limitatæ, & ſecundum quid, nam pugnat vt ſubſtantia quæ omnes omnium perfectiones contineat producatur, hoc rerum ordine ſuppoſito, & fortaſſe abſolute, nam id entitatem, ac virtutem infinitam argueret. Scoti motiuũ. Solutio.

Accedit, quod omnis vera Philoſophia, ac ſacra Theologia tradit aperte, Deum actum puriſſimum, & nullam prorſus compoſitionem admittere, quare ab eo remouenda etiam eſt hæc compoſitio ex genere, & differentia, cum præcipue hæc dicat compoſitionem actus, & potentiæ, contrahentis, & contracti.

Qualis cōpoſitio generis, & differentiæ. D.Thom.

perfectibilis,& perficientis,(quæ profecto ita ſunt de ratione generis, ac differentiæ, vt ſine his nequeant concipi,)hinc iure optimo Auctor q. illa 3.p.p. quæ eſt de diuina ſimplicitate admiſcuit quinto loco quæſitum hoc,& neganter reſpondit, quod ſi affirmanter reſpondiſſet, non omnem ſimplicitatem viſus fuiſſet comprehendere Deus, &c.

Confirmat poſitionem hanc tota de entis analogia quæſtio, vbi definitum fuit, nihil poſſe dici vniuoce de Deo,& de creaturis, vnde cum in nullo conceptu vniuoco cum illis conueniat, ſequitur non poſſe eſſe in genere, cum omne genus logicum dicatur ſecundùm eandem rationem de iis, quæ ſub ipſo ſunt. Hinc toto cœlo aberrant ij, qui ne aberrent, dicunt Deum ita ſub genere ſubſtantiæ contineri, vt tamen nihil eius omnimodæ ſimplicitati derogetur, tunc enim & alia quæ ſub ambitu generis ſubſtantiæ cadunt, tanta potirentur ſimplicitate, quod nullus ſomniat,& patet illatio, aliàs enim nō vniuoce diceretur genus illud, hæc enim ſimplicitas nedum arguit perfectionem entitatis in ſubſtantia materialē vt ita dicam, ſed & formalem, hoc eſt, quatenus genus participat, quoniam in tanta ſimplicitate nequit vera ratio generis, ac differentiæ conſiſtere, ac proinde neque æqua generis participatio vt ſic, quoniā his mediis ſub genere omnia contenta aſſeruantur, quare neque vniuocatio,&c.

Alb. magn.

Vide ſi placet magnum Albertū loco illo vndecimi Diuinorum ex inductione probantē Deum non eſſe in genere, quoniam neque vt genus, neque vt ſpecies, neque vt indiuiduum, neque vt principium, neque vt vniuerſale, neque vt particulare,& quidem quod non ſit vel genus, vel ſpecies, vel quid vniuerſale, eius ſimplicitas,& ſingularitas oſtendit, nō enim dicitur de pluribus, nullus autem adducet argumētum de natura diuina, quę tribus ſuppoſitis ad intra communicata eſt, quoniam ſi fuerit purus philoſophus, hoc ignorabit, ſi theologus, optime ſciet naturam illam eſſe vnam, eandemque numero in illis ſuppoſitis, ac proinde nullius vniuerſalis proprie rationem habere poſſe, quandoquidem

Cōmunicatio vniuerſalium.

vniuerſalia cum diuiſione tantum eſſentiæ, ac naturæ communicātur ſuis inferioribus, quod non vt quid indiuiduum, vel ſingulare, rationes adductæ demōſtrarunt, quod demum non vt principium, collige ex eo quod dicebatur, omne quod eſt alicuius generis quocumque modo fuerit, non extendere ſe vltra genus ſuum, ſic punctum, quod tamquam principium ponitur in genere quantitatis, videbis non eſſe principium niſi quantitatis continuæ, ſic vnitatem principium ſolum quantitatis diſcretæ, Deus autem eſt principium & omnium generum,& totius eſſe, quare habes neque directe, neque indirecte ſpectare poſſe ad genus, illud enim vnum alicuius animum potuiſſet mouere, vt ſibi ſuaſum habuiſſet Deum ex reductione attinere ad genus, quoniam ſcilicet eſſet principium generis, at hoc etiam ex eius infinitate,& omnium continentia, ac cauſalitate ſubtractum è medio vides,&c.

Plato. D.Thom. Ariſtot.

Denique quod in obſeruationibus ad hanc partem adſerebatur ex Platone, ac D. Dionyſio dicentibus, Deum eſſe ſupra ens, maxime confirmat, quod docemus, Ariſt. quoque quinto Diuinor. 15. enumerans ſubſtantiā primam, ac ſecundam, & varias primæ acceptiones referens, (ſub qua certe contineretur Deus, ſi eſſet in genere,) ipſum non recenſet, ſed elementa, ſed corpora, ſed dæmonia, ſed animalia, ſed eorū partes,&c. quod ſi ſub prædicamentali ſubſtantia

Auerroes.

locaretur, ipſum non ſubiicuiſſet. Commentator quoque 12. Diuinor. 51. loquens de diuina ſcientia, dicebat ipſam æquiuoce dici, ſi ad noſtram referatur, & ait eam neque vniuerſalē eſſe, neque particularē, quod ſi eius ſcientia æqui-

uoce dicitur cum noſtra, iam non eſt in genere, neque igitur Deus, quoniã ſcientia Dei eſt Deus, ſimiliter ſi non inſunt ei intentiones vniuerſalis, & particularis, oſtenditur non eſſe in genere. Deſtructione etiam deſtructionum, diſput. 7. non longe ab initio clare dicit, quod philoſophi non concedunt de ente antiquo, (de Deo certe, vt & ibi ait Sueſſanus, & vt patet legenti,) aliquam cõmunicationem in genere omnino, & nota ly *omnino*, nam Deus, & reliqua entia, communicant in genere æquiuoce dicto, vt dicebat ibidem Sueſſanus, & vt verba Auer. oſtendunt, & demum eodem lib, diſput. 11. prope finem habet cum famoſis quibuſdam hominibus, Deum eſſe omnia entia, igitur non continetur in genere, & patet ex dictis conſecutio. Sueſſanus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Tolluntur obiecta.

RESpondeo ad primum, quod Deus, vt patet ex hucuſque dictis conuenit in conceptu ſubſtantiæ cum aliis æquiuoce, non vniuoce, quoniã non ſecundũ eandem, ſed penitus diuerſam rationem dicitur ratio ſubſtantiæ prædicamẽtalis de ipſo, & de aliis, nã ſubſtantia quæ eſt in prædicamento, eſt cuius quidditas differt ab eſſe, & potentialis ſit ad ipſum, & deſignabilis, & ſpecificabilis, quorum nullum poteſt Deo conuenire, ſic conceptus ſubſtantiæ prædicamentalis non eſt iſte ſolũ, vt ſit per ſe ens, ſed tale ens, cuius eſſentia differat ab eſſe, cũ aliis conditionibus nunc recenſitis, & quando ſubſtantia dicitur à ſubſtando, conſtat non poſſe in hoc ſenſu conuenire Deo, cum nulli accidenti ſubſtet, quando autem dicitur à per ſe ſubſiſtẽdo, ſi ly *per ſe* opponatur ei quod eſt per aliud, in eo ſenſu, vt illud aliud cadat in eius definitione ſi debeat exiſtere, tunc omnis ſubſtantia, vt condiſtinguitur ab accidente per ſe exiſtit, non autẽ accidens vt patet, cum ſubiectũ ſuum quod in eius definitione cadit, ſit ei cauſa, quare exiſtat, ſi vero per ſe exiſtere accipiatur, vt opponitur ei quod exiſtit per aliud, tamquam per cauſam, ita ſolus Deus per ſe ſubſiſtit, cum creatum omne exiſtat per eſſe à prima cauſa ſibi elargitum, ſic non vno modo vt patet accipitur per ſe exiſtere; Vnde quando conſpicies, qualisnam ſit conceptus ſubſtantiæ prædicamentalis, iam hac reſponſione expreſſus, intelliges argumenta deſumpta ex ratione ſubſtantiæ, in nullo factæ obſtare determinationi; Quod vero additur de illa prioritate, ac poſterioritate perfectionis, ceu veriſſimum, ita leuiſſimum eſt in propoſito, vt cernere potuiſti ex iis, quæ proxime dicebam pro veritatis confirmatione ſuperiori art. ſumpta ex entis analogia, quippe, quæ & motiuum hoc ſoluunt, & retorquent, &c. Subſtantia prædicamentalis quæ. Eiuſdem conceptus.

Ad ſecundum bene ibi reſpondebatur, Quod vero de Ariſt. dicitur, facile ſoluitur, quoniam omnia entia finita, & ad genus reducibilia reduxit, diminutionis autem labem non euaſiſſet, ſi nullibi de Deo fuiſſet locutus, at de illo diſſeruit, & duodecimo Diuinor. 52. ipſum ſeparatum vniuerſi bonum poſuit, quo ſatis innuit, illum non communicare cum entibus in aliquo genere; Quod adnectitur de finitate, & infinitate non variantibus, &c. palã fiet quæſt. quæ mox ſequetur id veritatem habere de infinitate ſecundum quid, in tali ſcilicet, & tali genere, non autem de infinitate ſimpliciter, hæc enim eleuat ſupra omnia id cui adnexa inuenitur: Linea autem, & albedo ſi darentur infinitæ vt ſic, adhuc eſſent finita entia, quare ad prædicamentum ſpectarent, ſecus eſt de Ariſtotel.

 ſub-

ſubſtantia infinita, ſed pollicita quæſtione latius de his, & vide ſi vis ſubtilem Doctorem loco memorato primi ſent. vere, ac ſubtiliter digredientem, quamuis contra ſe, vt eadem quæſt. patefiet.

Scotus.

Ad tertium dicendum, quod ex illo Ariſtotelis proceſſu colligitur vtique Deum eſſe ſubſtantiam, at non prædicamentalem, nam ſubſtantia vt dicitur de ſenſibili, & inſenſibili, non eſt genus vniuocum, neque poteſt eſſe prædicamentum, quoniam quæ dicuntur de omni ſubſtantia inſenſibili, nequeunt habere eandem rationem cum iis, quæ proferunturde ſenſibili, nihil enim cōmune Deo, & creaturis dicitur vniuoce. Sed dices non ſolui argumentum, cur enim diuiſit Ariſtoteles prædicamenta, & Deum ſub ſubſtantia collocauit? Dico, quod quoniam à notioribus nobis ſemper procedimus, vt idem Philoſophus docebat primo Phyſicorū 3. ſecundo de Anima 12. & ſeptimo Diuinorum 10. ab his ſubſtantiis prædicamentalibus, & ſenſibilibus, manuduxit nos ad ſubſtantiam illam extra genus, & à ſenſibus, motuque omnino ſecretam, vnde libro de Mundo ad Alexandrum, cap. 7. dicebat, quod licet Deus ſit naturæ, quæ nequeat conſpici, ab operibus tamen cernitur, & cognoſcitur, ſatis autem deinde eodem duodecimo Diuinor. patefecit ipſum non eſſe ſubſtantiam in genere prædicamentali, cum toto 51. ipſum actum puriſſimum oſtendat, & 52. ſeparatum ab vniuerſo, atque ideo nihil iuxta eandem rationem commune cum aliis habentem, &c.

Occurritur difficultati.

Ariſtotel.

Ad quartum, ſcio multa ab Ariſtotelis interpretibus ſub initium 10. Diuinorum adferri, & in quæſtionē vocari de menſura ſubſtātiarum; Dic tu breui pro confutatione argumenti, veriſſimū eſſe, Deum eſſe menſuram ſubſtantiarum, ac intelligentiarum, & omnium entium, at non menſuram quæ ſit in genere. Et quando dicitur menſura eſſe eiuſdem generis cum iis quorum eſt menſura, explica de menſura proportionata, non autem excedente, qualis eſt Deus, & quando dicimus omnia in perfectione, vel imperfectione menſurari in ordine ad Deum penes acceſſum, & receſſum, nil aliud volumus, niſi quod omnia habent analogiam, & attributionem ad ipſum, qui plane non genere vniuoco, non aliquo iuxta eandem rationem conceptu, ſed analogice ab omnibus entibus reſpicitur. Quare vt bene dicebat Alenſis tertia quæſtione circa quartum eiuſdem libri, inter menſuram, & menſuratum nequit eſſe vnitas vnius penitus rationis, vel vniuocationis, quoniam tunc non poſſet magis aſſignari ratio, quare hoc eſſet menſura, illud menſuratum, vel e contra, nam ſi vnam participarent rationem, ratio menſuræ non magis vni, quam alteri poſſet conuenire, quare accipitur vnitas menſuræ ad menſuratum analogice, & præcipue quando dicitur Deus menſura ſubſtantiarum, ac intelligentiarum. Sic optime Caiet. p.p. q. 3. art. 5. ad ſecundum dicebat, quod ſi genus ſumatur proprie, negandum eſt cum Auctore ibidem, Deum eſſe menſuram homogeneam generis ſubſtantiæ, ſin autem accipiatur large, vt ſcilicet dicit coordinationem, tunc Deus eſt menſura homogenea coordinationis ſubſtantiarum magis, quam accidentium, quoniam ipſe eſt ſubſtantia, & non eſt accidens, hoc autem modo eſſe menſuram, eſt eſſe extra genus ſubſtantiæ prædicamentalis, & eſſe menſurā omnium generum extra omnia genera, quoniam nimirum cuncta ipſum analogice reſpiciunt; Ita ex diſtinctione generis vel vniuoci, vel analogi, vel proprie, vel improprie dicti, conceditur, & non conceditur Deum eſſe, & non eſſe menſuram ſubſtantiarum, & reliquorum entium, & ſimiliter eſſe, & non eſſe in genere, &c.

Quomodo Deus menſura rerum.

Alenſis.

Caietanus.

Ad

Ad quintum, nulli dubium eſſe poteſt, aut debet, Deum veriſſime eſſe ſubſtantiam, Spiritum, Patrem, Filium; at non ſequitur ex his, vt ſit in genere, quoniam in nullo horum vniuoce conuenit cum alijs; Et quando dicitur prædicamentum remanere in Diuinis, intellige non quo ad vniuerſalitatem, ſeu particularitatem, aut quo ad intentionem generis, vel ſpeciei, ſed ſolum quo ad modum prædicandi, vt dicebat Capreolus primo illo ſenten. inter reſpondendum ad ſecundum contra quartam concluſionem, aliqua etenim dicuntur de Deo eo modo, quo illa quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ dicuntur de ſuis inferioribus; vtpote quia dicunt eſſentiam ſubiecti; aliqua ſimiliter dicuntur iuxta modum relationis, ſignificant enim habitudinem ſubiecti ad aliquid, &c. at hoc non infert vt ſit in prædicamento, quoniam non ſecundum eandem rationem, vt dicebatur prædicantur de Deo, & de alijs; Quod ſi inductæ auctoritates concluderent, ſubinde colligeretur, quod in Deo eſſet accidens, quod eſt impium, nullus enim ignorat, prædicamentum relationis eſſe accidens, & debiliſſimæ entitatis inter omnia accidentia, adeo vt à nonnullis creditum fuerit eſſe ex ſecundis intellectis, vt tradit Auerroes duodecimo Diuinorum 19. Quod ſi dicas, (vt dicendum eſt,) relationem in Deo eſſe ſubſtantiam ob eius infinitatem, ac puritatem, ita dico & ipſe non haberet prædicamenti rationem ob eaſdem cauſas, vt præcedenti ar. patuit. Conſidera itaque in tota ferè argumentorum congerie, quæ in hac quæſtione ſolent agitari diuerſum longe modum, quo quid dicitur de Deo, & de alijs entibus, & quaſi ab omnibus nullo negotio te extricabis, &c.

Quomodo prędicamentū in diuinis.

Capreol.

Auerroes.

Ad vltimum dic facile, Deum eſſe in genere, tamquam principium, non contentum in ipſo, ſed continens ipſum, immo omnia genera, ſic quando inuenis Deum eſſe in genere, explica vt continens, non vt contentum, quoniam ipſe ad nullum genus reducitur, ſed omnia ad ipſum. Ita rectè obſeruabat Caiet. loco primæ par. memorato, quod Auctor dum docuit, quomodo Deus neque vt principium erat in genere, dixit non contineri in genere, dicendo enim *non contineri*, præſeruauit ſe ab eſſe in genere vt principium continens, ad quod ordine quodam genus omne reducitur. Hinc videbis eundem Auctorem eodem libro quæſtione quarta, articulo tertio ad ſecundum docentem, Deum & eſſe extra omne genus, & omnium generum principium, quod & repetit quæſt. ſexta, art. ſecundo ad tertium. Neque tibi opus eſt explicatione loci illius primi ſenten. ibi enim negando Deum eſſe in genere vt quid contentum, & affirmando eſſe vt principium, profectò intelligit de principio contentiuo, adde tu nedum illius generis, ſed aliorum omnium, quamuis modo quodam magis ſpeciali generis ſubſtantiæ, vt dicebatur de menſura in ſolutione ad quartum, Iuxta quem modum accipe & alium locum, de quo in argumento, &c.

Quomodo Deus ſit in genere vt principium.

Caietanus.

D.Thom.

* * *
* *
*

QVÆ-

QVAESTIO SECVNDA.

An, & quomodo perfectiones, quæ in Deo ſunt, diſtinguantur.

CIRCA id quod in ſecunda parte adferebatur pro confutatione ſecundi erroris, dum dicebatur Deum omnium rerum perfectiones in ſe comprehendere, & ipſas omnes vnũ in ipſo eſſe, non autem diſtinctas, velut in his inferioribus inueniuntur aſſerebamus, moueo ſolemnem nimis quæſtionem, in qua inueſtigo, vtrum perfectiones, quæ ſunt in Deo ſint aliquo modo diſtinctæ, an potius vnum omnino ſint, & nullam admiſceant diſtinctionem, vt litera videtur innuere. In huius perdifficilis controuerſiæ gratiam ſeptem præſtabo; primo eius ſenſum dilucidabo, ſecundo opinionem à vero alienam cum potioribus rationibus allegabo, tertio eandem impugnabo, ex cuius impugnatione roborabitur vera ſententia, quam proinde quarto loco adferre, & explanare incipiam, oſtendens quomodo non diſtinguantur hæ perfectiones, quinto patefaciam quomodo diſtinguantur, ſexto nonnulla ex ijs quæ attulero, applicabo difficultatibus theologicis, in quibus eſt hæc eadem difficultas, & ſimul colligam penes quid diſſentiant opinio reprobata, & ſententiæ recepta, & denique ſeptimo loco rejjciam fundamenta, quibus munita incedebat repudiata poſitio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid quæratur, quid ſupponatur.

DIuinæ perfectiones, & diuina attributa in hoc propoſito confundi, ac pro eodem ab omnibus vſurpari conſueuerunt, licet enim attributi nomine late accepti poſſit omne illud intelligi, quod Deo attribuitur, quo ſenſu nomen hoc latius patet, quàm hoc nomen *perfectio*, vt in præſenti capitur, quoniam mox videbimus non de quauis perfectione quæſtionem hanc inſtitui, & rurſus, quoniam aliquid interdum tribuitur Deo, quod abſtrahit à perfectione, & imperfectione, & ex conſequenti non importat perfectionem, nihilominus iam explicabitur, quo pacto in præſenti idem accipiatur nomine perfectionis, & nomine attributi, vnde iam vſu receptum eſt, vt idem ſit quærere de diſtinctione attributorum, & de diſtinctione diuinarum perfectionum. In cuius rei gratiam ſcias, quod in præſenti non eſt quæſtio niſi de perfectionibus illis, quæ vocantur perfectiones ſimpliciter, quæ ſcilicet in ſuo conceptu formali perfectionem abſque vlla imperfectione dicunt, has enim vere tribuimus Deo, & formaliter, & abſque vllo addito; nam abſolute, & veriſſime dicitur Deus ſapiens, bonus, immo bonitas, & ſapientia, quoniam huiuſcemodi ſunt in ipſo, tamquam forma in habente eam. Et ſi hoc vnum bene contempleris, quod quæſtio eſt de perfectionibus tantum ſimpliciter, videbis primo non vocari in quæſtionem perfectiones illas, quæ dicuntur ſecundum quid, quæ virtualiter

Perfectio ſimpliciter.

ſolum

ſolum habent in Deo locum, & tamquam effectus in cauſa, à quibus non ſumitur abſoluta denominatio, ceu non dicitur Sol calidus, quamuis virtute contineat in ſe calorem, agnoſces deinde non verti in dubium ea, quæ vel relationes ſunt, vel intrinſece connotant aliquam relationem, quoniam relatio vt ſic, ſecundum proprium, ac peculiarem conceptum non eſt perfectio ſimpliciter, immo in præciſo conceptu, neque perfectionem dicit, neque imperfectioné, qua ratione, & ideas ſub hanc quæſtionem non cadere deprehendis, cum idea vt ſic reſpectum, & relationem formaliter dicat, vtpote exiſtens de numero illarum rerum, quæ reſpectiuum cum abſoluto dicunt; Colliges vlterius, nullum ens rationis huc ſpectare, quoniam vt ſic formaliter acceptum nullam dicit perfectionem; Ita actiones illæ diuinæ, quæ reſpectū aliquem rationis ad creaturas formaliter dicunt, cuiuſmodi ſunt gubernare, prouidere, creare, & reliqua id genus ab hoc quæſito procul manent, dum nimirum formaliter quo ad reſpectum illum incluſum accipiuntur, (quod faciendum eſt, ſi vt actiones ſumantur,) reſpectus profecto ille nihil reale, ac proinde nullam dicit in Deo perfectionem.

Conceptus relationis.

Conceptus ideæ.

Ita videbis a nonnullis manifeſtari attributum diuinum, vt dicatur eſſe ratio realis abſoluta formaliter in Deo exiſtens, quæ omnia quantum ego ſentio comprehendūtur ſub hac voce, ſi dicatur nomen attributi ſumi pro perfectione ſimpliciter, hanc enim & quid reale, & quid abſolutum, & formaliter in Deo inueniri iam ſatis apparet, vocatur autem ratio, quoniam iam patere poteſt nomine attributi non accipi vocem, vel nomen, ſed vocis, ac nominis ſignificatum, & rationem ipſis reſpondentem, vt in quæſtionis progreſſu fiet manifeſtum.

Diuini attributi deſcriptio.

Ex his autem obſerua vlterius, quod ſub nomine harum perfectionum, vel horum attributorum non venit Deitas, ſiue eſſentia diuina, vel natura, quamuis etenim fuerit quid abſolutum, & quid perfectionem ſimpliciter omnino referens, nō tamen concipitur à nobis, quod ſit formaliter in Deo, & velut forma eius, affectioque, quoniam eſt ipſemet Deus, & nihil tribuitur ſibi ipſi; Dixerim non concipi à nobis, quoniam ſi rem ipſam ſpectemus, neque vllum attributorum ſe habet vt affectio, vel vt forma in Deo, cum attributum omne ſit ipſemet Deus, ob aliquam tamen diſtinctionem, quam inter has perfectiones, & diuinam naturam aſſignamus vt patebit, concipimus eas ſe habere inſtar affectionum, & quaſi formarum in ordine ad diuinam naturam, ſic dicimus Deum eſſe ſapientem, iuſtum, & bonum, non dicimus autem Deum eſſe Deum, niſi proferre velimus pronūciatum, in quo idem penitus ſit & ſubiectū, & prædicatum, ſatis autem ſuadet hoc communis loquendi modus, quoniam omnes inueſtigant, num perfectiones, & attributa diſtinguantur ab eſſentia diuina, vbi patet condiſtingui attributum à diuina eſſentia; Eadem autem quæſtio erit de diſtinctione diuinarum perfectionum inter ſe; vnde quæritur, & quomodo ſapientia diſtinguatur à bonitate, & quomodo ab eſſentia diuina; idem dicas de reliquis.

Obſerua adhuc, quod quoniam ſuperuacaneum eſt dubitare de ijs, quæ certa ſunt, ideo cum multiplex ſit modus diſtinctionis, vt quæſtionibus tertia, & ſexta cap. præcedentis innuebam, non quærimus, num attributa vel ab inuicem, vel ab eſſentia diuina realiter diſtinguantur, nullus enim partem quæ affirmat vel per ſomnium vidit, cum enim ſit Deus in fine ſimplicitatis, & cuiuſuis compoſitionis expers, omni compoſito foret compoſitior, ſi perfectiones mille, ac

mille,

mille, quæ ei tribuuntur, realiter ab inuicem diſtinguerentur; Similiter cum notiſſimum ſit, aliquam diſtinctionem in his attributis collocari, vt copioſe hac quæſtione docebitur, & præcipue conuincent argumenta, quæ ar. ſequenti audientur, icciro in quæſtionem nolo vocare, num rationis diſtinctio in eis locum habeat, illud quaſi ſupponendo, quod tamen in veritatis deciſione demonſtrabitur; Hinc nullum argumentum vel Gregorij de Arimino in primo, diſt. 8. vel Aureoli ibidem adferre ſtatui, quibus rem omnino improbabilem probare nituntur, vt nimirum nulla vel rationis diſtinctio in his perfectionibus ſit aſſignanda, quorum conatus nihil efficere declarauit plene Capreolus eodē libro, & diſt. circa ſecundam concluſionem. Sic duo ſupponentur, primo quod non datur in his realis diſtinctio, Secundo quod datur illa rationis, & inueſtigabitur, num hæc ſola in ipſis inueniatur, vel alia vlterior maior illa rationis, & minor reali.

Ariminen. Aureolus. Capreol.

Duo tandem adhuc breui, ac facile aduerte in hoc, alterum eſt, quod hæc quæſtio vnum etiam ſupponit, & aliud quærit; enimuero ſupponit has perfectiones, hæc attributa formaliter in Deo inueniri, quod ſane circa obſeruationes huiuſmet hteræ aliquo modo manifeſtatum, & probatum reliquimus, quærit autem, quomodo vel conueniant, vel differant, modo nunc expoſito; Alterum, quod tametſi quæſitum hoc agit de attributis diuinis, à quorum claſſe abſunt relationes vt dicebatur, nihilominus ſexto quæſtionis art. quædam de his proferam, ex dictis potius applicando, & definiendo, quam in quæſtionem vocando, videbitur namque eadem in hoc iſtorum omnium eſſe ratio; Illud ſemper præ oculis quæſtione hac tota habendo, quod dum dicetur, nullam eſſe realem in Deo diſtinctionem, nullam actualem, &c. ſemper intelligendum eſt excepta perſonarum Trinitate; ſic quando dicetur relationes non realiter in Deo diſtingui, ſemper accipiatur de relationibus comparatis eſſentiæ, non autem inter ſe; ex Fide etenim nouimus, realiter diuina tria ſuppoſita ab inuicē diſtingui, & alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum, quamuis in eſſentia omnes vnum ſint, &c.

Tota hac quæſtione obſeruanda.

Doctrina Fidei.

Quæritur itaque, num perfectiones diuinæ, quæ attributa dici conſueuerūt, quæ inquam perfectiones ſimpliciter ſunt abſolute, ac realiter in Deo exiſtentes, tamquam diuinæ eſſentiæ affectiones, quo ad noſtrum concipiendi modum, ita ab inuicem, & ab eſſentia diuina diſtinguantur, vt cum rationis diſtinctione, alia in eis habeat locum diſtinctio, quæ tamen realis non ſit, &c.

Epilogus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ponitur Scoti ſententia, explicatur, & probatur.

Scotus.

FVit placitum Subtilis Doctoris primo ſent. diſt. 8. quæſt. 4. per totam, dicentis, inter diuinas perfectiones adeſſe maiorem diſtinctionem, quam ſit illa rationis; Vnde poſt multa, quæ adduxit pro confutatione quarundam poſitionum, tandem AD QVAESTIONEM reſpondet, & dicit, inter perfectiones eſſentiales non eſſe tantum differentiam rationis, & explicans quid per rationis diſtinctionem ibi intelligat, ait non eſſe diſtinctionem diuerſorum modorum accipiendi idem obiectum formale, quoniam talis diſtinctio eſt inter

ſapiens ; & ſapientiam , hinc maior vtique eſt inter ſapientiam , & veritatem, quare perpaucis interiectis colligit, eſſe diſtinctionem præcedentem intellectum omni modo , & ſeipſum declarat , quoniam inquit ſapientia eſt in re ex natura rei , & bonitas eſt in re ex natura rei , ſapientia autem in re formaliter non eſt bonitas, & inter reſpondendum ad quoddam argumentum,quod contra ſe mouet , ait rationem ſapientiæ eſſe rationem bonitatis, non tamen hanc rationem eſſe formaliter illam ; non enim inquit ſequitur , eſt vere idem alteri , ergo formaliter idem eidem , quoniam eſt vera identitas A , & B , abſque hoc, quod A includat formaliter rationem ipſius B ; Hoc ipſum docet eodem libro diſt.2.q.7.dum poſt aliarum difficultatũ deciſionem, AD PRIMAM QVAESTIONEM dicit ,ſimul ſtare vnitatem eſſentiæ , & pluralitatem ſuppoſitorum , vbi non multum anteaquam reſpondeat ad primum principale ibi , (SED Hic reſtat vlterior difficultas,)quomodo ſcilicet eſſentia non plurificetur, & ſuppoſita ſint plura , niſi aliqua diſtinctio ponatur inter rationem eſſentiæ , & rationem ſuppoſiti , dicit ſine aſſertione , & præiudicio melioris ſententiæ , quod inter hæc adeſt aliqua diſtinctio præcedens omnem actum intellectus creati, & increati, & poſt multa ait ; *Breuiter igitur dico,omittendo illa verba de diſtinctione rationis , & de diſtinctione virtuali: non quia ſint male dicta , ſed quia non oportet eis uti , dico , quod in eſſentia diuina ante actum intellectus eſt entitas A , & eſt entitas B , & hac non eſt formaliter illa , ita quod intellectus paternus conſiderans A , & conſiderans B , habet ex natura rei , vnde iſta compoſitio ſit vera , A non formaliter B , non autem pracise ex aliquo actu intellectus circa A , & B ;*

Vult itaque ſubtilis , & grauis auctor inter attributa, (de his enim inſtituitur quæſtio ,) non eſſe diſtinctionem realem , quoniam ſapientia eſt res , quæ eſt bonitas , ſed vult , quod ſit diſtinctio formalis, & ex natura rei inter ipſa, adeo vt ratio formalis ſapientiæ in re ipſa,& nõ ex aliquo actu intellectus non ſit ratio formalis bonitatis , immo ſapientia in re , non ſit formaliter bonitas , quocirca, vt idem docet diſt. illa 8. & 4. quæſt. ſi definirentur diuinæ perfectiones,vna non eſſet in alterius definitione ponẽda,quapropter videtur innuere,vt & ea inter ipſas ſit diſtinctio,quæ aſſolet eſſe in ijs,quæ varias habeãt definitiones,ſi habeãt, &c.Sic appellatur hæc diſtinctio formalis,& ex natura rei, formalis,quoniam innaſcitur ex formis,ſeu ex rationibus formalibus, à quibus nomen ſortitur,ex natura autẽ rei,quoniã in re ipſa,& obiectiue loquendo,ratio vnius non eſt ratio alterius ; quamobrem vt ſapientia non ſit formaliter bonitas,non proficiſcitur ex aliqua alicuius intellectus actione, ſed ex natura rei. *Diſtinctio formalis. Ex natura rei.*

Hæc quantũ intelligo,& quantũ verba ex Scoto allegata , & alia multa quæ vtrobique adfert mihi ſonant,eſt eius in hoc voluntas, pro qua confirmanda, multa apud eũdem legere potes locis allegatis ; ipſe validiora dumtaxat referã ex illis quæ diuinarum perfectionum negotium attingunt ; quod enim attinet ad diſtinctionem naturæ,& ſuppoſiti, vel eſſentiæ,& relationis omittetur,quoniam ſexta quæſtionis parte cernere erit,nihil concludere , &c.

Probo itaque Scoti ſententiam primo ſic , Per actum intellectus producit Pater Filiũ,& per actum volũtatis Spiritũ ſanctũ,ſed Filius,ac Spiritus ſanctus diſtinguũtur realiter, ergo intellectus,& volũtas diſtinguentur maiori diſtinctione , quam illa rationis , ergo ex natura rei, ſed intellectus, & voluntas ſunt attributa,& perfectiones diuinæ, ergo &c. maior propoſitio eſt communis omnibus theologis, vno fortaſſis Durando excepto in primo, diſt. 6. quæſt. *Durand.*

ſecunda, minor eſt de Fide, quapropter conſequentia ſolum eget probationis, quæ tamen facile probatur, ſi enim diſtinctio, quæ eſt inter intellectum, & voluntatem eſt cauſa diſtinctionis realis, certe ipſa nequit eſſe tantum rationis, nulla enim realis diſtinctio neceſſario præexigit diſtinctionem tátum rationis, velut neque aliquid quod eſt ens reale, præexigit aliquid quod ſint ens rationis, quoniam nullum poſterius naturaliter poteſt eſſe perfectius ens ente priori naturaliter, ens autem rationis eſt poſterius ente reali, quare nequit eſſe perfectius, ita vt cauſet ens reale. Confirmatur, quoniam minor diſtinctio nō poteſt eſſe cauſa maioris, hinc nequit rationis pura inter voluntatem, & intellectum diſtinctio eſſe cauſa realis diſtinctionis inter Filium, & Spiritum ſanctum, & conſtat omni intellectus opere ſemoto eſſe diſtinctionem realem perſonarum ab inuicem, quare ea nequit ex rationis diſtinctione, (quæ ab intellectu pendet) prouenire.

Secūdo, Illa diſtinctio quæ præcedit rationē primi diſtinctiui, nō eſt per tale diſtinctiuum, (implicat enim vt aliquid præcedat id à quo eſt,) ſed diſtinctio naturæ, & intellectus, & intellectus, & voluntatis præcedit intellectionem, quæ eſt primum diſtinctiuum eorum, quæ diſtinguuntur ſecundum rationem, ergo horum diſtinctio non eſt per intellectum, ergo ex natura rei, probatur minor, quoniam da oppoſitum, quod ſcilicet nulla inter hæc diſtinctio præcedat intellectionem, quicquid diſtingueretur intellectione, diſtingueretur quoque natura, ſic Filius, qui per intellectum diſtinguitur à Spiritu ſancto, diſtingueretur etiam natura, quod eſt hæreticum, &c.

Tertio, In Deo ſunt omnes perfectiones ſimpliciter, vt vere ſupponit quæſtio, ergo ex rei natura diſtinguūtur, probatur conſecutio, quoniam omnes perfectiones ſunt actus, & formæ, de ratione autem actus ex ſeptimo Diuinorum 49. eſt diſtinguere, & ſeparare, quare ſi bonitas ſit actu in Deo, diſtinguitur à ſapientia, & ſic de alijs; Rurſus, cum vnaquæque earum ſit ens, erit etiam vna, & velut ex Auicenna primo ſuæ Metaphyſicæ, cap. 5. equinitas eſt tantum equinitas, ſic ſapientia erit tantum ſapientia, nō igitur iuſtitia, vel bonitas, vel aliud attributum. Confirmatur, quoniam vna harum perfectionum demonſtratur per alteram, ſic probatur de Deo immutabilitas ex æternitate, patet autem nihil probare ſeipſum, ſimiliter dicuntur hæ perfectiones æquales, nihil autem eſt ſibi æquale, &c.

Ariſtotel.

Auicenn.

Quarto, Deus intuetur diſtincte perfectiones ſuas ab æterno, videt quippe bonitatem, iuſtitiam, veritatem ſuam, &c. Similiter beati in patria clare conſpiciunt perfectiones has diuinas, ergo inter ipſas eſt diſtinctio actualis ex natura rei, probatur conſequētia, quoniam ex eo differt notitia intuitiua ab abſtractiua, quod illa concernit in ſui ratione exiſtentiam, & rei actualitatem. Cōfirmatur, quoniam vel ſunt plures perfectiones in Deo, vel nō, ſed tantum vna, ſi primum, inintelligibile apparet, vt adſit aliqua pluralitas abſque diſtinctione, ſi enim plures, certe vna nō eſt alia, ſaltem formaliter, ſi ſecundū, igitur vana eſt quæſtio, quorſum enim quæritur, num perfectiones diſtinguantur? & ruerent, quæ docent ſancti Patres, & ſcholaſtici Doctores de pluralitate perfectionum in Deo exiſtentium, quod & nos conati ſumus demonſtrare quadamtenus dictis philoſophorum, & rationibus inter obſeruationes ad hanc partem.

Quinto, Dum varios conceptus format noſter intellectus de varijs diuinis perfectionibus, vel aliquid in re reſpōdet, vel nihil, non ſecundum, quoniam & vani, & fictitij eſſent, & rationi aduerſatur, quoniam ſi tribuo ſapientiam Deo

vère ratio ſapientiæ eſt in Deo, ergo primum, quod igitur dicitur reſpondere,
vel eſt idem re,& ratione formali,vel idem ſolum re,at nõ formali ratione;ſi ſe-
cundum,habeo quod volo,ſi primũ,iam omnes conceptus ſunt ſynonimi,quo-
niam eandem rem,& eandem formalitatem dicũt,hoc autem & veritati aduer
ſans eſt,& Auctori prima par.q.13.ar.4.Si dicatur adeſſe rationis diſtinctionẽ, D.Thom.
quæ faciat,vt non ſint ſynonimi; Contra, quoniam pari paſſu hæc vox *Marcus*
Tullius Cic. non foret ſynonima, & deinde eſſet apta hæc propoſitio, Sapiẽtia
eſt ſapiẽtia,nam hæc ſub ratione ſubiecti differt ratione à ſeipſa vt eſt ſub præ-
dicato,vnde cum maior ſit diſtinctio inter ſapiẽtiam,& bonitatem,ſeu eſſentiã,
quam inter ſapiẽtiam,& ſapientiam ſub varijs rationibus,maior affirmanda eſt
diſtinctio,quam ſit illa rationis,ac ſubinde ex natura rei,& formalis,& ita vo-
luerunt Doctores antiquiores, & qui eos ſunt ſecuti dicentes, hoc pronuncia-
tum, Veritas eſt bonitas,verum in ſenſu identico, non formali, &c.

Sexto, Ante omnem actionẽ intellectus datur cõtradictio inter diuina attri-
buta,nam Deus intelligit intellectu,nõ voluntate,vult volũtate, nõ intellectu,
inter cõtradictoria autẽ datur diſtinctio,& nõ rationis,vt nunc dicebatur,quo-
niam eſt ante actum intellectus,ergo ex natura rei;Similiter Deus intelligit ab
æterno eſſentiam ſuam vt veram,vult vt bonam,ergo bonitas, & veritas diſtin-
guuntur ante opus intellectus,& patens eſt cõſecutio,quoniã ſecundo de Ani
ma 33.diſtinctio obiectorum prçuenit illam actuũ,cum penes illa hi diſtinguã- Ariſtotel.
tur,cum ergo verum intellectus, bonum voluntatis ſit obiectum,cõſequitur,vt
horum diſtinctio præcedat illam actuum, intelligere ſcilicet, & velle.

Septimo,Sapiẽtia infinita,ſi eſſet formaliter infinita bonitas, ergo ſapiẽtia in
cõmuni eſſet formaliter bonitas in cõmuni,patet, quoniã infinitas nõ deſtruit
formaliter rationẽ illius cui additur,nam in quocumque gradu intelligatur eſ-
ſe aliqua perfectio,qui tamẽ gradus ſit in ſui latitudine,ſiue vt vtar verbis Sco
ti,ſit gradus illius perfectionis, nõ aufertur ratio formalis huius perfectionis,
(addas quippe infinitos gradus albedinis alicui albedini, nũquam albedo erit
ſapor,ſed ſolũ albedo,) quare ſi nõ includit formaliter vt in cõmuni, neque vt
infinita infinitã; Quod autem ſapiẽtia in communi nõ includat formaliter bo-
nitatem,res eſt manifeſta,neque enim in definitione ſapiẽtiæ cadit bonitas, vel
tamquã eius definitio, vel tamquã pars definitionis,quibus tantum modis ali-
quid dicitur in alio formaliter includi. Cũ itaque ſapiẽtia vt ſic non ſit bonitas
formaliter, neque ſapiẽtia diuina, quæ eſt infinita,erit formaliter bonitas, &c.

Octauo,& poſtremò,Docet Auctor 1.p.q.32.ar.ar.3.ad tertiũ,quod licet di D.Thom.
camus in Deo ſciẽtiam eſſe potentiã,non tamen dicimus,quod attributũ ſcien-
tiæ ſit attributũ potentiæ,igitur de mente ipſius quamuis res illa quæ eſt potẽ-
tia,ſit ſcientia,(quod docet & Scotus,)attamen potentia vt ſtat ſub attributo,nõ
eſt ſcientia vt eſt attributũ,nullus autem ignorat, quod attributũ ſignificat ra-
tionem formalem reſpondentem voci,nominique,vt dicebam in titulo, igitur
ratio formalis potentiæ nõ eſt ratio formalis ſcientiæ. Arduũ profecto apparet,
vt ratio formalis vnius,ſit illa alterius,tunc enim qui vnũ attributũ diceret,om
nia diceret,qui vnũ noſſet,aliud,& omnia noſſet,quod videtur implicare, nam
res ipſa teſtis eſt,quod ſi definiam Deũ vt ſapientem,(eo modo quo definibilis
eſt,) nõ faciam mentionẽ vel potentiæ,vel iuſtitiæ, quod ſi & mentionẽ habere
vellem,in nugationẽ prolaberer,quoniam iam intelligẽtur explicata in ſapien-
tia;& demum theologi omnes tribuunt Patri potentiã,Filio ſapientiã, & Spiri-
tui ſancto bonitatem ex quadã accõmodatione, (vnde appropriata,nõ propria

ſunt hæc attributa ipſis perſonis,) at ſi eadē ſit ratio formalis vnius,& omniũ, quæ accommodatio,quæ appropriatio erit iſta? implicat etenim, vt vnum tribuatur abſque alio, ſi de conceptu vnius ſit conceptus alterius.

Capreol. Hæc ſunt argumenta neutiquã contemnēda,quibus poteſt roborari Scoti opinio,& quibus,(vltimo excepto) idem ſeipſum munuit; Alia quoque nonnulla adſunt, quæ cumulate habes apud Capreolum memorato loco, ſed qui reſponſum dabit ijs quæ adduximus, omnia facile confutabit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Arguitur contra præfatam ſententiam.

Prior ratio ex Voce communi Theologorum. NOn eſt vera hæc poſitio,quod multiplici via patefacio, & primo deſumo argumentũ ex cõi theologorũ proloquio,quo dicitur, Omnia in diuinis eſſe vnũ,vbi non adeſt relatiua oppoſitio,at inter perfectiones diuinas, vel inuicem,vel eſſentiæ comparatas,inter perſonã, & naturam nulla eſt oppoſitio relatiua,quare nulla inter hæc erit in re ipſa diſtinctio; Quod ſi inductũ axioma dicatur accipiendum de vnitate reali,queat tamen adeſſe diſtinctio ex natura rei,& formalis; Contra, tum quoniam abſolute, & vniuerſaliter loquuntur Doctores, vnde voluntarie gloſſatur, cum de omni vnitate in ipſa re ſit intelligendum, tum quoniam nulla in attributis diuinis inuenitur actualis vllius generis oppoſitio ex rei natura, ergo nulla quoque ex rei natura poteſt Ariſtotel. aſſignari diſtinctio,probatur illatio; quoniam decimo Diuinorum 24. habetur, omnem diſtinctionem,& differentiam fundari in aliqua oppoſitione,& quamuis ibi ſermo ſit de diſtinctione reali, attamen oppoſitio quoque realis ibidem adſertur; quare & diſtinctionis ex natura rei oppoſitio ex natura rei pro fundamento eſt aſſignãda,antecedēs autem manifeſtius eſt,quam vt egeat probatione,nõ enim eſt oppoſitio contradictoria,non priuatiua,quoniam in his alterum extremum formaliter eſt ſemper negatio, quæ locum non habet in diuinis perfectionibus,neque contraria,quoniam alterum contrariorum eſt ſemper deficiens,neque demum relatiua, vt patet, &c.

Secũda ratio. Præterea,accipio diuinam eſſentiam,vt diſtinguitur ex natura rei à bonitate, eſt ne bona,an non? profecto eſt bona,tunc ſciſcitor, an ſit bona bonitate illa, quæ ponitur attributum, aut alia, non ſecundum,tunc enim in Deo eſſent duæ bonitates diſtinctæ, & quod dicitur de bonitate, dicito de alijs perfectionibus, cumque nomina hæc abſoluta dicantur ſubſtantiue,nõ adiectiue, vt theologus omnis nouit,cõſtat nullo pacto poſſe multiplicari,& præterea bonitas illa quæ ponitur attributum, gratis poneretur, cum locum habeat in Deo quaſi affectio quædã noſtro modo loquendi Deitatis,iã autē alia illa bonitas hoc munus præſtitiſſet, ergo eſt bona bonitate quæ eſt diuina perfectio, ergo eſſentia diuina non diſtinguitur ex natura rei à bonitate, quantumcumque enim cogitatione præſcindatur à bonitate, ſemper in ſui natura,& in re ipſa eſt bona illa bonitate, atque ideo includitur intrinſece in diuina eſſentia bonitas ipſa.

Neque faciunt ſatis huic rationi, qui Scotum imitati reſpondent, diuinam eſſentiam in ſe conſideratam non eſſe bonitatē,& quod bonitas eſt attributum Defenditur. circumſtans eſſentiam;Hæc enim diuinam ſimplicitatē non omnino quadrãnes, dum aliquid ponitur ei quodã modo extra eius rationē aduenire, vnde diuina eſſentia conditiones induat potentiæ ad actus, qui ei aduenire intelligantur

poſt

poſt ſuum conceptum, à quibus ponatur perfici, non minus quam potentia ab actu, neque eius plenam infinitatem ſaluant, cum non omnia de ſui natura includere dicantur, immo vero omnia à ſui conceptu excludere doceant, quoniam argumentum factum de bonitate, facias de ſapientia, iuſtitia, & aliis, ſciſcitans, num eſſentia ea excludat, vel includat, & ſi includat, concludit ratio, ſi nō includat, iam nihil in ſuo conceptu includit, cum nō ſit maior ratio de vno attributo, quam de alio, & ſi fuerit, aſſignetur, & ſi aſſignabitur, (quod non fiet,) cōcludet ratio ex parte, & infirmabitur poſitio, contra quā arguo, at æqua eſt omnium ratio, quid ergo erit in ſuo conceptu formali diuinitas? ſi definiretur, quomodo definiretur? dicant ipſi, & vtinam quid veri, boniuè dicant.

Tertio arguo ex doctrina ipſiuſmet Scoti quæſtione illa quarta diſt. 8. prope finem ad argumentum principale, vere dicentis, quod abſtrahendo ſapientiam diuinam à quocumque, quod eſt extra rationem ſapientiæ, & ſimiliter bonitatem a quocumque, quod eſt extra eius rationem formaliter, remanet vtraque quidditas, (ſapientiæ ſcilicet, & bonitatis,) præciſe ſumpta formaliter infinita, hoc ipſum repetit 3. ſent. diſt. 3. q. 6. quo loco ſeipſum refert in parte nunc allegata; tunc ſic, Perfectiones diuinæ quauis abſtractione abſtractæ, & præciſe acceptæ, ſunt formaliter infinitæ, ergo oportet, vt vnaquæque ipſarum infra ſuæ rationis formalis ambitum contineat omnem perfectionem ſimpliciter, & quod harum nullam a ſui ratione formali excludat, & conſequenter, vt ex ſui natura à nulla diſtinguatur, ſtatim enim vt dicis ab aliis perfectionibus diſtingui, iam limitatam eam ponis, & ita facis hanc perfectionem, quod non illam, & ſic non infinitam ſimpliciter, pugnat ergo ponere attributa diuina, (& quod dicitur de attributis, dicito in hoc de eſſentia,) infinita ſimpliciter, & deinde dicere, quod in ſuis rationibus formalibus ex rei natura diſtinguantur ab inuicem, quoniam ſi infinita ſimpliciter, omnia ambiunt, & ſi quid à ſeipſis excludant, infinita ſimpliciter non ſunt. Et plane huic argumento non video aliud poſſe dari reſponſum, niſi dicendo, quod vel concludit de infinitate per identitatem, non autem de formali, hoc eſt, quod omne attributum eſt reipſa, & per identitatem omnia alia, non autem in ſui ratione formali, quæ ſolutio videtur elici poſſe ex dictis Scoti vtrobique. Vel dicendo, vt innuit Caiet. hoc loco poſſe dici. At multipliciter vtramque reſponſionem, vel potius fugam reiicio, & primo hanc, quam certe credo præuidiſſe Scotum, quoniam tunc nihil doceret Scotus, Quis enim dubitet, nullam dari pluralitatem, vel diſtinctionem realem in Deo, præter illam perſonarum? Quis dubitet, ſapientiam eſſe rem illam, quæ eſt bonitas in Deo? An forſan tot res realiter diſtinctas in Deo quis poſuit, quot ſunt attributa? An quis adeo demens, vt Deum in vertice ſimplicitatis conſtitutum, in profundo compoſitionis locauerit? Præterea inquit Scotus, quod ſi abſtrahatur attributum ab alio, vtrumque remanet infinitum, pero an abſtrahatur re, & ſeparetur realiter, an ratione, non primum, hoc enim & eſt impoſſibile, & modo impugnabatur, ergo ratione, at ſic abſtractum in ratione ſua acceptum eſt infinitum, ergo omnia in ſui ratione includit, ergo ex ſui natura à nullo nullum ſecernitur.

Rurſus, idem Scotus ait remanere quidditatem attributi formaliter infinitam, ergo hæc quæ attributi remanet quidditas eſt formaliter alia omnia, & nedum entitatiue, aut per identitatem. Enimuero ſicut res omnino infinita omnia includit realiter, ita ratio formalis, quæ omnino infinita eſt, omnia formaliter complectitur, ſed ait Scotus remanere attributi quidditatem formali-

Tertia. Scotus.

Quid poſſit huic rationi dici.

Reiicitur.

ter infinitam, igitur nedum per identitatem, ſed & formaliter eſt omnia aliaſimul. Denique, ſi attributum quidpiam eſt omnia per identitatem, quoniam infinitum eſt, habetne vllam rationem hoc ens infinitum? certe habet, igitur ei reſpondere debet, atque ideo eſſe infinita & omnia in ſe complectens, at motiuum hoc paulo inferius quantum ſit efficax demonſtrabo.

Caietanus. Si autem reſpondeatur, vt inſinuat in præſenti Caiet. quod nimirum quoduis attributum voluerit Scotus eſſe infinitum non infinitate entis, & ſimpliciter, ſed infra propriam rationem, vt ſcilicet ſapientia omne illud includat, quod ad rationem ſapientiæ facit, non autem quod ad rationē entis, hæc quoque reſponſio nulla eſt, quoniam vt ait Caiet. nullum prius includit formaliter ſuum poſterius, attributum autem diuinum, vt ſapientia, prius eſt infinitate illa, quoniam huiuſcemodi infinitas eſt modus quidam ipſius intrinſecus, rem autem omnem conſtat formaliter priorem quouis modo ſuo, eamque in illo priori non includere; habet autem Scotus, perfectionem diuinam eſſe formaliter infinitam, igitur nequit accipere infinitatem infra propriam rationem, loquitur itaque de infinitate in latitudine entis, & ſicut prius, &c.

Addo ego, quod qui pro Scoto ſic diceret, contra Scotum diceret, clare enim concedit, & docet, quod ſapientia diuina eſt infinita, & quod infinitas eſt ratio ſufficiens identitatis extremorum, adeo vt ſapientia ſit bonitas, & e veſtigio, ſimiliter deitas ſit bonitas, liquet autem, quod ſi loqueretur de infinitate infra propriam rationem, hæc falſa eſſent, quoniam hæc infinitas nequit eſſe ratio, vt vnum ſit aliud, non enim infinita albedo, erit eadem cum alio accidente alterius generis, vel ſpeciei; Accedit, quod idem Scotus eodem primo, & eadem 8. diſt. quæſt. 3. docte oſtendens, quomodo Deus non ſit in genere, quoniam eſt infinitus ſimpliciter, dicebat, quod cum infinitum eius non tantum dicat perfectionem ſummam, ſed etiam non poſſibilem excedi, non ſequitur infinitum ens, niſi præciſe ad infinitum tale, quod eſt perfectiſſimum, in quo eſt ratio entis, quod ſcilicet dicit perfectionem ſimpliciter, iccirco quamuis eſſet quantitas infinita in ratione quantitatis, cum quantitas nō ſit perfectio ſimpliciter, non ſequitur vt ſit infinitum ens; Ad aures ergo Scoti ſequitur infinitum ens ad illud infinitum, quod dicit perfectionem ſimpliciter, ſubſumas tu, quod attributa diuina dicunt perfectionem ſimpliciter, & præciſe accepta, atque abſtracta ſunt infinita, ergo ſunt infinita infinitate entis, & non illa iuxta propriam rationem, ergo formaliter omnia includunt, ergo ex rei natura vnum nequit ab alio diſtingui. Confirmatur ex verbis eiuſdem Doctoris loco mox allegato, vbi ait ſecundam illam infinitatem, entis videlicet, & perfectionis ſimpliciter, neceſſario tollere omnem potentialitatem; ſi itaque ſapientia diuina formaliter ſit infinita, auferenda eſt ab ea omnis potentialitas, nō autē auferetur, ſi ex rei natura ponatur diſtincta à bonitate, & ab aliis perfectionibus, immo multas potentialitates ſecum habebit, vt ſcilicet formaliter efficiatur & bonitas, & alia attributa, ad hæc etenim, quæ eius rationi formali ponuntur poſſe aduenire, ſe habebit inſtar potentiæ ad actum; Si dicatur loqui Scotum de potentialitate reali, non formali, hoc non valet, tum quoniam formaliter ſapientia ponitur ab ipſo infinitum ens, quare & potentialitas formalis ab ea ſubtrahi debet, tum quoniam ibi eſt ſermo de potentialitate generis ad differentiam, & iam quæſtione prima ad tertium caput vidimus genus, & differentiam eandem rem dicere, & ratione ſolum differre, vnde genus non eſt in reali potentia ad differentiam, ſed formali, quare & hæc forma-

Scoti doctrina. (margin)

Excluditur obiectio. (margin)

lis potenſialitas debet remoueri ab infinito, quod dicit perfectionem ſimpliciter, ac ſubinde attributa diuina nedum per identitatem, ſed formaliter etiam quoduis eorum omnia includit, & à nullo ex rei natura ſecernitur.

Adduco quartam rationem, & dico ſic, Sapientia diuina, (& omnis alia diuina perfectio,) eſt infinitum ens, vt modo dicebatur, & nullus negat, eſt enim ipſemet Deus, ergo debet habere quicquid attinet ad rationem infinitæ ſapientiæ, velut dicitur à theologis meritum Chriſti domini fuiſſe in genere meriti infinitum, quoniam habuit quicquid ad meriti rationem facere poterat, ſed ad rationem ſapientiæ infinitæ ſpectat, vt dicat perfectionem ſummam, & non poſſibilem excedi, ex verbis eiuſdem Scoti ibidem, ergo oportet vt per identitatem, & formaliter ſit omnia alia attributa diuina, quemadmodum enim ſi non foret infinitum ens, poſſet excedi ab infinito, ita niſi formaliter foret omnia, poſſet excedi, nam ab illa perfectione excederetur, quæ formaliter eſſet nedum ſeipſa, ſed & alia, & rurſus ſi alia, & alia perfectio poneretur ſeparatim, & ſucceſſiue eſſe de ſua formali ratione, paulatim excederetur, & millies poſſet excedi, vt quiſque deducere poteſt; Si itaque dicat perfectionem nedum ſummam, ſed neque poſſibilem excedi, oportet vt omnia in ſua formali ratione complectatur. Quarta ratio.

Vide quomodo ex verbis ipſiuſmet Scoti de infinitate entis, & perfectionis ſimpliciter, ex ijs quæ huic infinitati vere tribuit, colligitur neceſſario, & Deitatem, & quoduis diuinum attributum quantum in ipſis fuerit à nullo formaliter diſtingui, ſed in illa, & in vnoquoque eorum omnia formaliter contineri. Hinc dicebamus in ſolutione ſecundi argumenti præcedentis quæſtionis, doctrinam veram tradere Scotum loco memorato, ſed ſibi, (& certe vehementer in hoc negotio,) contrariam, &c.

Sit quintum argumentum; Ea quæ ſunt in inferioribus diuiſa, adunantur in ſuperioribus, vt patet inductiue in obiectis ſenſibilibus, quæ differentiam faciunt ſpecificam in quinque ſenſibus inferioribus, ſeu exterioribus, & tamen ab vno ſenſu communi ſuperiori ſub vna ſpecifica obiecti ratione attingũtur, & ſimiliter omnia quæ plures ſenſus interiores agnoſcunt diuiſim, vnicus intellectus multo eminentius ſub vna entis ratione aſſequitur, idem cernis in cauſis naturalibus, & artificioſis, in quibus, quo aliqua eſt ſuperior, eo ſimpliciori virtute omnes illos effectus operatur, quos cauſæ inferiores plures ſeorſum gignunt, & faciunt, ergo omnia quæ in his inferioribus diuiſim cõtinentur, ſunt in ſupremo ente vnum, ſic Deus cum ſumma, ac ſimpliciſſima vnitate eſt ſapientia, bonitas, vita, &c. & non ſolum per identitatem, (vt quis partes aduerſas defendẽs poſſet dicere,) ſed & formaliter, quoniam velut res diſtinctæ in inferioribus adunantur in aliqua ſuperiori, ita & rationes formales rerum inferiorum adunari debẽt in ratione formali alicuius ſuperioris, nõ enim eſt maior ratio rei, quam rationis rei, immo ratio inſequitur rem, &c. Confirmatur, quoniam ſi in rebus creatis, & limitatis res ita ſe habet, vt quæ in inferioribus diſperſa ſunt, in ſuperioribus colligantur, vt dicebatur, & præcipue in re altioris ordinis, quoniam videbimus indiuiduum ordinis immaterialis æquiualere non tantum infinitis indiuiduis materialibus ſub vna ſpecie, ſed etiam ſub vno genere, & eo analogo, nam voluntati, & intellectui viribus immaterialibus, quarum vtraque eſt vna ſecundum ſpeciem, reſpondet verum, & bonum, quæ ſane conſtat res innumerabiles, genere quoque diuerſas continere, & hæc omnia ſunt illarum obiecta, verum vtique intellectus Quinta. Confirmatur. Obiectum intellectus, & voluntatis.

lectus, bonum voluntatis, & tamen poſſet quis dicere, quod obiectum vnum ſecũdum ſpeciem vtrique facultati aſſignari deberet, at earum immaterialitas id habet, vt cum earum ſpecifica vnitate, & limitatione, ac finitate æquiualeāt

D. Thom. tot, & tot rebus, vt colligis ex Auctore prima ſec. quæſt. 10. art. primo ad ter-

Caietanus. tium, in cuius doctrinæ celſitudinem mentem eleuandam iure ibidem aiebat Interpres, quanto igitur magis res infinita, & illimitata, Deus inquam ipſe ſimpliciſſimus, ac perfectiſſimus, omnes rerum omnium perfectiones nedum per identitatem, ſed & in ſui vnica ratione formali continebit, omnibus ipſis æquiualens, & reſpondens?

Sexta. Arguo ſexto, Vnicuique rei reſpondet ſua ratio formalis, & tali rei, talis ratio formalis, vt inductiue probari poteſt, nam homini reſpõdet humanitas, huic angelo hæc immaterialitas, & ſic de ſingulis, ergo huic rei rerum omnium nobiliſſimæ, Deo inquam reſpondere debet vna ratio formalis, reſpondet profecto, & eſt Deitas; res eſt infinita ſimpliciter, & omnia per identitatem complectitur, vt docet Fides, & vera philoſophia, ergo & ratio eis reſpondens debet eſſe hac infinitate infinita, aliàs non eſſet ratio adæquata eius rei, cuius eſt ratio, & Deus non eſſet per ſe primo vnum intelligibile à quouis intellectu, ergo deitas eſt infinita ſimpliciter, ergo claudit in ſe omnes perfectiones ſimpliciter, ergo nulla formalis diſtinctio eſt inter diuinā eſſentiam, & attributa. Et cum Deus ipſe claudat in ſe formaliſſime ens abſolutum, & reſpectiuum, communicabile, & incommunicabile, vt Fides docet, (quoniam eſſentia eſt abſoluta, & communicabilis, perſonæ ſunt reſpectiuæ, & incommunicabiles;) oportet, & rationem formalem huius rei, ſcilicet deitatis omnia hæc ſimiliter complecti, ſi ratio debeat rei reſpondere; Immo vero vt

Caietanus. bene attingebat Caietanus prima parte q. 39. art. primo, ſuppoſito primo ex Fide, (vt ſcilicet Deus in ſua maxima vnitate ſit communicabilis, & incommunicabilis, habeat quod eſt abſoluti, & reſpectiui,) hoc ſecundum ſequitur ex recta philoſophia; vt ſcilicet ratio ſua formalis omnia hæc ambiat, quoniam vt dicebatur, cuique rei reſpondet ratio ſua; & fateor me hac ratione conuinci, non enim intelligo, quomodo poſſit alia via aſſignari ratio rei adæquata, ſi illa in genere rationis formalis non contineat quicquid continet iſta in genere rei. Hinc ſi daretur definitio Dei, in illa definitione, ac vnica ratione formali includeretur formaliter quicquid eſt Deus, nam ſi des oppoſitum, definitio non exæquaret definitæ rei celſitudinem. Confirmatur hæc ratio, quoniam ſi quis efflagitet, cur Deus omnes perfectiones ſimpliciter contineat, reſpondebitur certe ob ſui infinitatem, & illimitationem ſimplicem, & abſolutam, ſed velut res, quæ eſt Deus eſt infinita ſimpliciter, ita pari modo ſua ratio formalis eſt infinita, aliàs entis infiniti eſſet ratio finita, & aliquod finitū formaliſſime eſſet in Deo, quod pugnat, ergo ſicut ob rei infinitatem eſt omnia per identitatem, ita & propter rationis formalis infinitatem eſt omnia ſecundum ſe formaliter. Infinitas vltro, citroque eſt, aſſignetur ratio, (ſi queat aſſignari,) quare ex parte rei ponatur continentia, non ex parte rationis formalis.

Ad extremū, Summa Dei ſimplicitas oſtendit falſitatē huius poſitionis, quoniam ex ipſa ſequitur, quod in diuina natura reperiatur multitudo quædā rationum formalium, quarũ vna non ſit alia, quod nimis aperte obuiat ſummæ, dæ ſimplicitati, quam & philoſophia, & theologia, & fides vbiq; clamant, & proteſtantur; probatur autem conſecutio, quoniam quodlibet attributorum ſeorſum in Deo erit quid ſimplicius, quam omnium collectio, quæ ſemper

omnium

omnium ipſorum collectio eſt ipſemet Deus, vnde datur in Deo quid magis, quid minus ſimplex, quæ omnia malum certe ſenſum præſeferunt, vt non iniuria fortaſſis Ludouicus Molina ad p.p. D. Thom. q. 28. ar. 2. hanc Scoti ſententiã nõ ſatis tutam, Gregorius autem de Valentia ibidẽ, q. 39. ar. 1. parum fidei conſentaneam, (loquitur tamen hic Auctor de diſtinctione eſſentiæ à perſona, ſed omnium vna eſt ratio, nam ſupra q. 13. ar. 4. puncto 3. hoc quod modo impugnamus reiicit eiſdem ferme rationibus,) adiudicauerint, quos doctores vnà cum Torre, & Bannes ad q. illam 28. & Caiet. in præſenti, ſi placet legas, ſi vis alia quædam argumẽta videre pro huius ſentẽtiæ impugnatione, & apud Molinam præcipue, & Valentiam videbis teſtimonia quorundam ſanctorum Patrum, quæ neſcio quomodo valeat interpretari Scotus, niſi dicat intelligi debere per idẽtitatem tantum, quod ſcilicet Deus ſit vita, ſapientia, deitas, & omnia, quod omnia ſint in ipſo vnum, & ſimilia, nõ autem quod in ſua ratione formali hæc dicat, ſed ſatis interpretatio hæc impugnata manet ex argumẽtis inductis, & præcipue ex tertio, ac ſexto. Accedit, quod idẽ Scotus in 1. d. 1. q. 6. ad 1. principale ait, quod non quæuis identitas ſufficit ad perfectam aliquorum idẽtitatem, quare ad omnimodam abſolute idẽtitatem, quæ neceſſario in Deo eſt conſtituenda, ſi eiuſdem abſolutiſſimam ſimplicitatem ſaluare velimus, nõ ſufficiet identitas rei, ſed & illa rationis formalis eſt adhibẽda. Adde, quod propoſitiones identicæ tantum nõ conſueuerunt vſitari, non enim dicitur, quod actio ſit paſſio, & nõ abſolute enunciabit Scotus animam eſſe intellectum, hanc eſſe voluntatem, at ſancti Patres abſolute, ac ſemper proferunt, & frequẽter repetunt, & perdocte probãt, Deũ eſſe omnes ſuas perfectiones, ergo formaliter loquuntur; Quo certe modo, (ſi minora maioribus agglutinare liceat,) locutus eſt Ariſtot. quando duodecimo Diuinor. 39. Deum viuẽs dixit, & vitam, & Alexãder, quando ibidem ſcripſit, Deum eſſe optimam vitam, & Themiſtius eodem loco, & Auer. Deſtructione deſtructionũ, in fine prope diſputat. 6. dicens, Deum eſſe ſcientiam, intellectum, & lege ſi libet eũdem Commentatorẽ com. 39. eiuſdem duodecimi Diuinor. ad plenum docẽtem, ſola ratione, & intellectu, nullo autem modo re ipſa differre diuinas perfectiones in ipſo Deo, cuius verba ad longum refert Capreolus in primo art. quæſt. illius 4. diſt. 8. primi ſent. vbi habes & teſtimonia Algazelis, & Auicen. pro hac ſententia confutanda, quam tamen ſatis ex his confutatam opinor, &c.

Molinæ, & Gregor. de Valent. iudicium de Scoti poſitione.

Ariſtotel. Alexand. Themiſt. Auerroes. Capreolus

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo diuinæ perfectiones non diſtinguantur.

VEra opinio eſt, quam vbiq; docuit Auctor, quod nimirum diuinæ perfectiones ab inuicem, & à diuina eſſentia ratione tãtum diſtinguantur, & nullatenus ex natura rei, ſeu formaliter; Hoc ex ipſo colligis ex q. 7. de Potentia Dei ferè per totam, præcipue vero art. 1. 5. & 6. ex primo ſent. d. 2. q. 1. ar. 3. ex 1. cont. Gent. cap. 31. 35. & 36. ex p. p. q. 4. art. 2. ad 1. q. 13. art. 4. & ad 3. & art. 12. ex hac etiam litera, circa quam præſens quæſtio formata eſt; Quem eius diſcipuli vniuerſi ſecuti ſunt, vt Capreol. diſt. illa 8. mox relata, Caiet. hoc loco, & circa omnia ferè ex p. p. nunc allegata, potiſſimum circa art. illum 12. & q. 17. art. 2. circa reſp. ad 3. Ferrar. quoq; in fine cap. illius 36. remittit ſe ad Capr.

D. Thomæ loca.

Capreol. Caietanus. Ferrarien.

Bannes. Suesſanus. Bannes etiam loco relato, & ij qui ſuper p. par. ſcripſerunt, quos proxime recenſebam, inter quos annumera ſi placet & Sueſſanũ q. ſua 13. ad duodecimũ Diuinor. & melius in collectaneis non longe à fine ſuper quintũ 3. de Anima.

Prima concluſio. Vt hæc ſententia innoteſcere incipiat, ſit prima concluſio, & ea quam primo loco habet Caiet. in præſenti; In Deo ſecundum ſe nulla eſt prorſus actualis, ſeu actualiter diſtinctio. In cuius gratiam aduerte, quod quoniã de re ipſa certiſſima eſt concluſio, ideo quo ad formalitatem, vel quo ad rationes formales dilucidanda eſt, quamuis ex 6. arg. quod adduxi, neceſſaria apud me ſit cõſecutio, quod ſi datur res, detur & per omnia ſimilis ratio rei; Vnde ſpeculare cum Caiet. circa hãc concluſ. quod non idem, ſed penitus diuerſum iudiciũ faciendum eſt de rationibus formalibus rerum, dum ſunt in propriis naturis, & de eiſdem dum ſunt formaliter adunatæ in re aliqua eminẽtioris ordinis. Res ſiquidem in propriis naturis exiſtentes, quouis actu intellectus ceſſante formaliter diſtinguuntur, quoniam ratio formalis vnius, non eſt ratio formalis alterius, neque illam includit, petis quare? quoniã velut arguebam, ratio rei reſpõdet, res autem in propriis naturis manentes, non mutuo ſe includunt, ſed hæc res ita eſt vna, quod non alia, & e contra, neque enim lux eſt calor, quo circa neque ratio formalis lucis includit rationem formalẽ caloris. Dum autem res congregantur in aliquo ordinis ſublimioris, congregantur in vnica illius rei ratione, & ita deficit ipſis formalis diſtinctio ex natura rei, quoniam deficit ratio huius diſtinctionis, ſiquidem diſtinguebantur, quoniam limitatæ erant, & quæuis earum ita erat vna, quod non alia, dum autem in aliquo eminentiori adunantur, ceſſat radix illa, quoniam nulla tunc eſt magis ipſa, quam alia; Cum itaque perfectiones, quæ formaliter ſunt in Deo, non definitæ ſunt ad proprias naturas, ſed ad eiuſdem Dei eſſe omuino illimitatum eleuatæ, (ſecus non forẽt in Deo,) ſequitur, quod ſint formaliter indiſtinctæ in illa ratione formali ſimpliciſſima, & velut diuina ſapiẽtia, non eſt magis ſapientia, quã bonitas, ita ratio formalis ſapiẽtiæ non magis eſt ratio formalis ſapientiæ, quam bonitatis, & aliarũ perfectionum omnium, & ex conſequẽti non eſt ratio propria ſapientiæ in eo ſenſu; vt ſit ſolius ſapiẽtiæ, quoniã eſt omnium aliorum, vnde non eſt ratio vt ſic, hoc eſt præciſe ſapientiæ, ſed alicuius tertij ſupra ſapientiã, bonitatem, & omnia, quæ ambit; oppoſitum cernis in rebus creatis, in quibus ratio formalis ſapiẽtiæ eſt ita propria ipſius, quod non alterius, homo enim vt ſapiẽs eſt ordinatiuus præciſe ſuorũ actuum, non autẽ vt ſic reddit vnicuique ius ſuum, (quæ eſt ratio iuſtitiæ,) quod ſi adſit homo & ſuorum actuum directiuus, & quod ſuũ eſt vnicuique reddens, duplex in eo formalis ratio inuenitur, hinc videbis hæc nonnumquã in homine ſeparari; at Deus vt ſapiens eſt vtique ſuorum actuum ordinatiuus, at non tantum hoc habet, ſed vt ſit iuſtus, bonus, &c. quoniã ſapiẽtiæ ratio in ipſo non dicit aliquid præciſe, ſed omnia includit, in cuius rei ſignum, numquam vnum attributum ab alio quis in eo ſeparatum inueniet; Ex qua doctrina merito colligebat Auctor p.p.q.13. art. 5. nullum nomen vniuoce dici de Deo, & de creaturis, iã enim patet longe diuerſam eſſe ex vtraque parte rationem, nam in creaturis ratio vnius nominis eſt limitata, & ita vnam dicit perfectionem, quod nõ aliam, in Deo autem eſt prorſus illimitata, & omnes perfectiones formaliter dicens, & non magis hanc, quam illam, immo neque hanc, vel illam, ſed quid altius, illas, & iſtas, & omnes alias complectens, quod innuebatur quæſt. de analogia entis de Deo, & de creaturis, ad finem 6. art.

Caietanus. Ratio formalis diuinæ ſapientiæ. D. Thom.

Cum itaque omnia ſint in Deo vnitæ, ac indiſtinctæ, & vna perfectio non ſit

magis

magis ipſa, quã reliquæ omnes, relinquitur profecto, vt nulla prorſus ſit in Deo actualis diſtinctio; Quod ſi dicas, ergo in Deo non ſunt multæ perfectiones, ſed vna tantum, quæ omnes contineat; Reſpondeo, quod hoc nedum concedo, ſed & doceo, quoniã in Deo eſt ſola Deitas, quæ ex ſui altiſſima illimitatione præhabet in ſe omnes alias, vel reperibiles, vel conceptibiles perfectiones, quod recte concedunt & Capreol. & Caiet. ille loco nominato, dum reſpondet ad 4 Scoti contra 1. concluſ. iſte ſecunda ratione, quam adfert in gratiam huius concluſionis; ſed de hoc nonnihil adhuc dicetur, dum vlt. quæſtionis art. reſpondebitur ad confirmationem quarti. Capreolus Caietanus.

Illud autem perfacile circa hanc, & quæ mox ſequetur concluſ. aduerte; quod ſemper loquimur de ratione formali eſſentiæ, & attributorum diuinorũ ſecundum ſe, non autem comparatione ad hunc, vel illum intellectum, nam de his ſequenti art. loquemur, hinc appoſitum fuit in concluſione ly *ſecundum ſe*, Quæ ſane probata relinquitur ex art. toto præced. & ex eiuſdem declaratione, quæ enucleatior reddetur ex ea, quam nunc ſubnectam concluſione.

Sit itaque ſecunda concluſio: De ratione formali cuiuſuis attributi diuini ſunt omnia alia, & ipſa quoq; eſſentia. Id quippe vult hæc concluſio, ſeu nos in ipſa, quod quemadmodum in ratione formali diuinæ eſſentiæ clauditur omne attributum, ita in ratione cuiuslibet attributi ſecundũ ſe claudatur & diuina eſſentia, & omne aliud attributum, ſic de ratione formali ſapientiæ eſt bonitas, & e contra; quæ concluſio probata ſufficienter eſt argumentis præced. art. & præcipue tertio, vbi viſum fuit, omne attributũ abſtractũ præciſe eſſe ens infinitum ſimpliciter, ac proinde in ſui ratione formali omnia continens; propter quod præciſe, ac formaliter moueor, hoc eſt, ex cuiuſuis attributi formali infinitate, vt dicam in quolibet eorum & diuinã eſſentiam, & omnia alia cõtineri, non autem ex eo quod cõtineat vnumquodque ipſorũ diuinam eſſentiam, tũc enim idẽ probarem per idem, quoniã doceo in ſingulis attributis claudi eſſentiam diuinã, & omnia ipſa, & deinde probarem, quoniam contineant diuinam eſſentiã; Quamobrẽ, ſi definitione *quid rei* poſſet diuina bonitas definiri, in hac definitione clauderetur formaliter & diuina eſſentia, & omne aliud attributũ, & quod dico de diuina bonitate, accipito de omni alia diuina perfectione, & ſimiliter de eſſentia diuina in ordine ad omnes perfectiones ſuas, vt dicebatur cõcluſione ſuperiori. Et hoc, ſiue hæc docet Capreol. manifeſte in 1. d. illa 8. q. 2. ad 3. Aureoli contra 2. concluſ. & ead. diſt. q. 4. ſæpe allegata ad 3. Scoti improbationem contra ſolutionem 4. aduerſus primã concluſ. & ad 7. eiuſdẽ contra eandẽ concluſ. & ad 14. Aureoli ibidẽ aduerſus 2. concluſ. Vnde non imaginor, quod deinde eadem q. ad 16. eiuſdem Aureoli ibidem oppoſitũ doceat, & ſibi ita manifeſte, ac propemodũ immediate cõtradicat, licet enim nõnulla ibi dicat, quæ videntur docere oppoſitum eorũ quæ retuli ex pluribus illis locis, (quod cauſæ fuit, vt abſq; cauſa Torres loco relato p. p. diſp. 2. dubio 1. & 2. tã facile eum in contraria tulerit ſententia, nulla habita conſideratione ad ea quæ ex ipſo recenſui,) ſed forte voluit innuere diſtinctionem fundamentalem, quæ eſt inter eſſentiam, & ſapientiã, de qua erit deinde ſermo, vel potius accepit de diſtinctione rationum attributorũ nõ ſecũdum ſe, (quomodo nunc loquimur,) ſed in ordine ad creatum intellectum, & precipue viatoris, vt ſeipſum videtur explicaſſe immediate antea, ſolutione ſcilicet illa ad 14. Aureoli. Hæc itidem habet Caiet. & in præſenti, & p p. q. 27. ar. 2. circa reſp. ad tertium. Nec te moueat, quod legis apud ipſum eadem p. p. q. 56. art. 3. quod attributales perfe-

Concluſio ſecunda. Capreol. Torres. Caietanus

ctiones ſortiantur infinitatem, tamquam modum quantitatis perfectionalis; Deitas vero ipſa agnoſcat infinitatem, vt proprium ſui conſtitutiuum. Hæc ſiquidem nihil obſtant, tum quoniam non negat Caiet. attributa eſſe infinita, immo fatetur aperte eſſe infinita, quæ proinde ſic negat eſſe per creatam ſpeciem diſtincte repræſentabilia, ſed inquit ea obtinere infinitatem, vt modum quendam, &c. tum quoniam modo noſtro concipiendi loquitur, vt patet ex iis quæ præmittit, dum ait, *Si de diuinis balbutiendo loqui licet*, &c. quare quemadmodum 1. art. dicebamus attributum ſe habere inſtar formæ, & affectionis in Deo exiſtẽtis noſtro loquẽdi modo, cũ tamen ſint idem prorſus Deus, ita innuit Caiet. eadem attributa ſe habere more cuiuſdam ſubſtrati ad infinitatem, cum tamen & realiter, & formaliter ſint infinita, & iuxta hunc dicendi modum, vt ſcilicet Caiet. more humano, & ex parte noſtri loquatur, (vt ſeipſum explicaſſe inducta eius verba patefaciunt,) nihil contra ipſam concludunt, quæ ibidem nonnulli recentiores ei opponunt.

Remouetur difficultas.

Ferrarien. Bannes. Gregor de Valentia. Torres. Molina.

Docet ſimiliter has cõcluſiones Ferrar. 1 con Gẽt. 25 & Bannes, & Valẽtia loco illo q 13. Torres, ac Molina vbi ſupra, qui poſteriores auctores varia Patrũ teſtimonia pro hac veritate adducunt, & apparet expreſſa ſententia Auctoris p. p. q illa 27. art. 2. ad 3. Hinc Deus pater qui intuetur eſſentiam ſuam ex parte rei quantum agnoſcibilis eſt, vnicum verbum format adæquatum rei, quam videt, in quo ſane & eſſentiam, & attributa, & perſonas, & demum omnia dicit, exprimitque; Ratio eſt, quoniã in diuina eſſentia formaliter omnia continentur, & ſimiliter in quauis diuina perfectione; Idem dicas de Filio, ac Spiritu ſancto, quippe qui licet in ſua intellectione non forment verbũ, neque conceptum exprimant, omnia tamẽ æque, ac Pater vnico, eodemque ſimpliciſſimo intellectionis actu diuinam intuentes eſſentiam vident, quoniam in ea cuncta relucent, vtpote excellẽtiſſime in illa contenta.

Dubium.

Non turberis autem, quod dicamus diuinam eſſentiam includere formaliter perfectiones diuinas, & e contra, ſimiliter vnam perfectionẽ continere alias, & diuinam eſſentiam, & vice verſa, vt proinde videatur tibi mirum, quomodo incluſum ſit æquale includenti, cum ſemper appareat hoc latius, & amplius, quam illud, ſic homo plus continet eſſentialiter, quam animal, quoniã in ſe continet illud, non autem e contra, & pugnare videtur, vt duo mutuo ſe includant, Sed occurrit Torres huic argumento poſt nonnulla quę adfert ad inconueniẽs deducendo ſi concluderet, & ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 10, quibus motiui huius difficultatem oſtendit, Dicas cum ipſo, nihil prohibere, quod aliqua ſe inuicem includant, quando illa ſunt vna res ſimpliciter infinita, propter hoc enim omne eſt omnia, vnde non debes imaginari eſſe veram incluſionem, quoniã certe incluſio aliquam ſupponit diſtinctionem inter includens, & incluſum, ſed illud accipe, quod ratio vnius eſt ratio reliquorum, & e contra, vnde velut dicitur Deus comprehendere ſeipſum, quoniam nihil eſt Dei, quod ipſum lateat, non autem ut comprehenſus ponatur, vel finitus, vel incluſus, ita dicuntur perfectiones diuinæ mutuo ſe continere, quoniam vt dicebatur, ratio vnius eſt ratio omnium, cum tamen omnes ſint vna ſimpliciſſima res, & formalis ratio, ſed plures dicuntur, & virtute, & in ordine ad nos, vt ſequenti articulo explicabitur.

Soluitur. Torres. D. Auguſt.

Quo pacto diuinæ perfectiones ſe mutuo contineant.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Quomodo eadem perfectiones diſtinguantur.

SIt prima, vel tertia concluſio: In Deo ſecũdum ſe eſt diſtinctio rationis fundamentaliter, ſeu virtualiter. Vt hanc concluſionem intelligas, nota quod cum hoc loco accipiatur ly *fundamentaliter*, & *virtualiter*, & vt opponitur ei, quod eſt eſſe actualiter, & vt dicit continẽtiam cauſalem, & productioné poſſibilem, velut effectus dicuntur contineri in cauſa, tamquam in virtute, ſeu fundamento, ſi accipiatur primo modo, diſtinctio hæc, quam ponimus in Deo ſecundum ſe, reſpicit diſtinctionem actualem tantum rationis, quoniam diſtinctio iſta, quam virtualem dicimus, aliquando fiet actualis, & ad actum reducetur, vt patebit ſequenti cõcluſione, vbi & modus huius reductionis explicabitur, ſi vero accipiatur ſecundo modo, ſic poſſumus dicere, quod reſpiciat res reales, hoc eſt, ab hac diſtinctione virtuali, tamquam à cauſa res proficiſcuntur reales, & quod videlicet intellectus ſit principium *quo* productionis Filij, non Spiritus ſancti; voluntas ſit principium *quo* productionis Spiritus ſancti, non Filij, quod eſſentia ſit abſoluta, & communicabilis, perſona reſpectiua, & incõmunicabilis, quæ omnia maxime realia ſunt; ſic vides ab hac virtuali diſtinctione prodire in actu, immo ſemper prodijſſe res vere reales; adeo quod diſtinctio hæc comparata ſibiipſi dicitur virtualis, vt diſtinguitur contra diſtinctionem in actu, ſed rationis tantum, quoniã hæc eadem ob intellectus noſtri actiones ſit actualis, ſed comparata ad ea, ad quæ ſe habet vt cauſa, (ſcio cauſæ nomen proprie acceptum in diuinis minime extendendum) accipitur ly *virtuale* contra quid reale in actu. Hinc iure diſtinctionem hanc alio nomine vocabat Caiet. in fine huius quæſtionis, & prima par. quæſt. 39. ar. primo, (quem ſecuti ſunt recentiores illi locis relatis) formalem, non formaliter, aut actualiter, ſed eminenter, & virtualiter, quoniam nimirum id totum efficit, ac præſtat ob ſuam eminentiam, quod efficeret, ac præſtaret, atque ſi eſſet formalis formaliter, velut Sol dicitur calidus eminenter, & virtualiter, quoniam id omne agit, ac ſi formaliter eſſet calidus, ſic diligenter aduertas, nos nõ negare diſtinctionem inter attributa abſolute, ſed talem diſtinctionem, formalem ſcilicet formaliter, vel in actu, quocirca dum fit argumentum, diſtinguuntur, ergo formaliter, ergo in actu, committitur fallacia à ſuperiori ad inferius affirmanter. Concluſio. Caietanus.

Quamobrem pro multorum, ac multorum argumentorum firma, & reſoluta confutatione, obſerua, quod dum arguitur, Deus ab æterno intellectu intelligit, non vult, voluntate vult, non intelligit, intellectu producit Filium, non Spiritum ſanctum, voluntate e contra non Filium, ſed Spiritum ſanctum ſpirat, eſſentia communicatur, perſona non communicatur, & alia multa, quæ adducuntur, quæ contradictoria ab æterno vera oſtendũt in Deo, ex quo infertur, ab æterno eſſe inter hæc enumerata diſtinctio, quoniam hic effectus, qui eſt vnum dici de vno, & non de alio, & quod affirmatio, & negatio de aliquo ſibi non contradicant, eſt diſtinctio, ſeu non identitas aliqua in illo exiſtens, & quoniam ex ſecundo Phyſ. 37. & quinto Diuinorum 2. effectus in actu habere debet cauſam in actu, (quod erat motiuum Aureoli apud Capreolum in primo, Motiua multa inſinuata. Ariſtotel.

diſt. 2. q. 3. ar. 3, adductum primo loco) igitur hic effectus cum ab æterno ſit in actu vt patuit, debet ab æterno cauſam in actu habere, omnia concedimus, omnia docemus; Sed quando infert ipſe, & alij, ergo ab æterno eſt diſtinctio actualis inter eſſentiam, & attributa, vel inter attributa ab inuicem, vel inter eſſentiam, & perſonas, ac relationes, (vt omnia complectar,) negatur conſequentia, quoniam hic effectus, (vt ſcilicet vnum affirmetur de vno, & de alio negetur) à duplici cauſa poteſt oriri, à diſtinctione nimirum actuali, & à diſtinctione virtuali, vel à formali formaliter, & à formali eminenter, & quidem ſi ab actuali, oritur tamquam à cauſa quaſi vniuoca, quoniam effectus actualis eſt, & diſtinctio quoque, vnde nedum in nomine, ſed & in ratione conueniunt, ſin autem à virtuali, ſeu formali eminenter, tunc emanat à cauſa ferè æquiuoca; quoniam effectus eſt actualis, diſtinctio autem virtualis, vnde à cauſa diuerſæ rationis proficiſcitur; Nullus autem ignorat, quod quando quis effectus poteſt à duplici cauſa ſeorſum produci, ad poſitionem effectus non ſequitur determinate altera cauſarum, ſed altera ſub diſtinctione, vt eleganter dicebat Caiet. loco memorato primæ par. quoniam enim hic effectus, ſcilicet *calor* poteſt prouenire à duplici cauſa, ab igne ſcilicet, tamquam à cauſa ferè vniuoca, (dico ferè, quoniam inter cauſam, & effectum nequit eſſe vera vniuocatio,) & à Sole, velut à cauſa prope æquiuoca, ad poſitionem caloris, non ſequitur altera cauſa determinate, nō enim valet, eſt calor, ergo productus eſt ab igne; potuit enim & à Sole produci, ſed bene ſequitur altera cauſarum ſub diſiunctione, productus ſcilicet ab igne, vel à Sole, (ſupponendo modo calorem ab hac ſolum duplici cauſa poſſe erumpere,) ſimiliter in propoſito, multi effectus adſunt ab æterno, vt ſcilicet quid verum ſit de intellectu, quod nō de voluntate, & e contra, at quoniam à gemina cauſa queūt emanare, nulla eſt illatio, ſi dicatur; ergo ab hac determinate, videlicet ab actuali diſtinctione, ſed bona eſt argumētatio, ergo proueniunt vel ab actuali, vel à virtuali, ſeu formali eminenter, & illud quidem iam reiecimus, vnde hoc amplectimur; Et ſi hanc doctrinam bene inſpexeris, & noueris quādo, & vbi neceſſe fuerit applicare, omnium ora, (vt voces Caiet. ibidem adhibeam) obſtrues, & vere ſic eſſe deprehendes, quoniam id omne quod aduerſarij tribuunt diſtinctioni actuali formali, nos damus fundamentali, & virtuali, & eminenter formali, quam dubium non eſt omnia illa efficere, quæ efficit illa, cum eandem eminēter contineat, eo vel maxime, quoniam Scotus in primo, diſt. prima, quæſt. ſexta, ad primum illud principale inquit, quamcumque differentiam ſufficere ad diſtinguendum, &c.

Doctrina pro illorum confutatione. — *Caietanus.* — *Scotus.*

Illud breuiter pro iunioribus adderem, quod dum dicūtur effectus hi promanare à diſtinctione virtuali, ly *virtualis* non cadit ſupra cauſam, vel ſupra effectum, tunc enim nō ſatisfactum eſſet argumento Aureoli, & fatemur, vtrūque eſſe ab æterno in actu, cauſam ſcilicet, & effectū, ſed cadit ſupra diſtinctionem, quoniam hæc non eſt actualis, ſed virtualis, ſic eſt diſtinctio in actu, non actualis, velut Sol eſt cauſa in actu caloris, non quia calor ſit actualis in ipſo, ſed quia actu eſt in ipſo virtualiter, & eminenter, & anima quæ in me exiſtit, eſt in virtute vegetalis, tamen hanc virtutem habet actu, non enim eſt virtus virtutis, aut potentia potentiæ, &c. Scio Capreolum loco vltimo relato multa dicere pro confutatione argumenti ex Aureolo iam confutati, de quibus verbum proferam vltimo quæſtionis ar. in reſponſione ad ſextum, in quo hæc eadem difficultas inſinuatur.

Capreol.

Illud autem obſerua, quod diſtinctio hæc rationis fundamentalis, ſeu virtualis,

tualis, ſeu formalis eminenter, quam in Deo ab æterno locamus, nullum habet ordinem ad noſtrum intellectum, vnde omni intellectus actione deficiente, vere diſtinctio illa eſt in Deo, & in re manifeſtiſſima non eſt cur detineamur, ſi enim ponitur ab æterno, conſtat nil aliud à Deo fuiſſe ab æterno; Ita ab æterno ob hanc diſtinctionem, Deus intellectu intelligebat, & non volebat, voluntate volebat, & nõ intelligebat, & quemadmodum nullus ſomniat, quod ex intellectu noſtro dicantur diuinæ perfectiones in ipſo cauſari, ita ſuſpicandum nullatenus eſt, quod ex actione noſtri intellectus cauſetur hæc eadẽ diſtinctio, quæ in ipſis eiſdem eſt, ex intellectu vero noſtro proficiſcitur, quod diſtinctio hæc virtualis, aliquando fiat actualis, at numquam ex parte ſui, vel ex rei natura, nihil ſiquidem eſt in Deo in potentia, quod proprie loquendo ad actum reducatur, ſed ſolum ex parte noſtri intellectus, quatenus ipſe varios cõceptus de Deo ſibi actu format, vt mox patefaciam, quapropter hæc eadem diſtinctio dicitur fundamentalis, & virtualis, nedum in ordine ad ea, quæ iam eſſe ab æterno recenſuimus, & nullatenus ab vllo extrinſeco pendere, ſed & comparatione ad noſtrum intellectum, quatenus ſcilicet res illa ſimpliciſſima poteſt reſpõdere varijs conceptibus, quos de ipſa creatus intellectus poteſt formare, & omnium illorum eſſe fundamentum. Quocirca non conſideratur in præſenti eſſentia diuina, aut eius perfectiones, quatenus circa ipſa noſter intellectus actu negotiatur, ſed quatenus negotiari poteſt, quatenus vero actu circa ipſa ſpeculatur, patefaciet ſequens concluſio, quæ proinde & præſentem dilucidiorem reddet, & totum hoc negotium abſoluet.

Quare ſit ſecunda, aut quarta concluſio: In Deo, quatenus actu terminat intellectus noſtri actum eſt diſtinctio rationis actualiter. Pro cognitione aduerte ex Auctore multis in locis eorum quæ ſupra citauimus, præcipue vero ar. 5. quæſtionis illius de Potentia, & primo cõtra Gentes 35. & prima par. quæſt. 13. ar. quarto, quod noſter intellectus ea quæ ſunt in Deo cõcipit ex his, quæ ſunt in rebus creatis, vt bonitatem diuinam, ex bonitate creata, & ſic de alijs, quocirca, ſicut diuerſæ rerum creatarum perfectiones ſunt in Deo, tamquam in cauſa vnite, & nulla ex his creatis perfectionibus imitatur plene, ac perfecte diuinam perfectionem, ſic varij illi cõceptus proportionati perfectionibus creatis, quos de Deo noſter intellectus format, ſignificant vnam ſimpliciſſimam Dei perfectionem, at cum eorum nullus plene, & adæquate ipſam poſſit referre, ideo multiplicantur, & varij fiunt. Ita horum conceptuum diuerſitas prouenit ex duplici capite, ex eminentia ſcilicet diuinæ eſſentiæ, & ex noſtri intellectus tenuitate, vt idem B. Doctor ſcribebat primo ſent. diſt. illa ſecũda, quæſt. prima, ar. tertio. Intellectus quippe creatus, & potiſſimum humanus, eſt maxime elongatus ab illa ſumma Dei vnitate, eapropter adeo dearticulate intelligit, velut diuinæ imitationes, aut perfectiones inueniũtur ad extra in rebus creatis, vnde ſicut in rebus iſtis, aliud eſt bonitas, aliud ſapientia, ita quoque in noſtro intellectu alius eſt conceptus bonitatis, alius ſapientiæ; & quemadmodum quando conſideratur Deus, prout mille cõceptibus, quos de ipſo nos poſſumus formare, ſub ea ratione qua illis poteſt reſpõdere, eoſdéq; terminare, ponitur in ipſo virtualis diſtinctio relatione ad noſtrum intellectum, ita dum conſideratur prout actu terminat formales illos conceptus, actualis in eodem conſtituitur diſtinctio; Poteſt ſane terminare, & terminat cõceptum, quem formauero de eius ſapientia, quoniam in ipſo obiectiue eſt ſapientia, immo ipſe eſt ſapientia, & cõceptum quem formauero de bonitate, quoniam in ipſo eſt ratio bonitatis obie-

ctiue,

Concluſio.

D.Thom.

Vnde conceptuum quos de diuinis format noſter intellectus diuerſitas.

ctiue, immo ipſe eſt ratio bonitatis, at bonitas hæc, & ſapientia idem prorſus ſunt in Deo, ſed ratione diſtinguuntur, quatenus à me concipiũtur, & eatenus ipſe conceptus varios de diuina ſapientia, & bonitate, alijſque diuinis perfectionibus formo, quatenus nequeo apprehendere vllam diuinarum perfectionum ſecundum ſe, quoniam ſi eas vt in ſe ſunt à parte rei apprehenderem, in quauis earum omnes alias, nedum identice, ſed & formaliter contineri viderem; rurſus eas diuiſim apprehendo, quoniam in rebus iſtis diuiſas contemplor.

Non propterea eſt iudicãdum, quod Intellectus noſter, dum de Deo plures ſuorum attributorum cõceptus format, ſic diuinum attributum diſtinguat, vt aliquid de eo concipiat, & aliquid nõ concipiat, ſiue relinquat, ſed diuinum attributum diuerſis cõceptibus cõcipit, qui omnes ſunt diuinæ perfectioni inadæquati, quoniam imperfecte illam repreſentant, nõ enim eam illo modo exprimunt, quo ſecũdum ſe expreſſibilis eſt, vt ſcilicet omnes alias cõtinet, & diuinam eſſentiam, in quo dicebat Capreolus vbi ſupra ad ſextum Aureoli, inueniri aliquam ſimilitudinem realis diuiſionis, quoniam ſicut vbi eſt realis diuiſio, vna pars ſeparatur ab alia, vel vna ſignificatur abſque alia, ita in diſtinctione horum conceptuum, dum noſter intellectus cõcipit diuinam perfectionem, vt continet hanc perfectionem, quæ eſt ſapientia, non concipiendo vt continet hanc aliam, quæ eſt bonitas, vel e contra, apparet aliquo modo, vt diuinam perfectionem partiatur; Neque ex hoc colligas falſum eſſe intellectum, dum ſic diſtincte concipit, quoniam non intelligit, quod hæc in Deo ſint diſtincta, ſed ipſe ſic diſtincte percipit, quoniam nihil tale intelligit, quale in Deo eſt, quandoquidem nullus horum conceptuum adæquat rem conceptam, quare diſtinctio, & conceptuum pluralitas non cadit in diuinis perfectionibus ſecundum quod in ſe ſunt, ſed quatenus a noſtro intellectu concipiuntur.

Capreol.

Quare pro clariori notitia obſeruabis, quod dum Deus actu terminat plures conceptus, qui de ipſo formantur, dicitur multiplex ratione, vt dicebat Auctor prima par. quæſt. 13. ar. illo quarto ad tertium, nõ cenſeas autẽ, quod ſit ſubiectum horum plurium conceptuum, adeo vt ſit multiplex ratione ſubiectiue, hoc enim eſt falſum, vt ibidem adnotabat Interpres, cum vnicus ſit in diuino intellectu conceptus, quo & ſe, & omnia alia nouit, ſed dicitur multiplex ratione obiectiue, quoniam ipſe eſt obiectum omnium cõceptuum qui de ipſo à nobis formantur, eos omnes terminãs; vnde quemadmodum, dum intueor lapidem, hic intuitus nõ eſt in lapide ſubiectiue, ſed ſolum obiectiue, ac terminatiue, in oculo autem meo, tamquam in ſubiecto, ita dum varios noſter intellectus de perfectionibus diuinis format conceptus, hi conceptus ſunt in noſtro intellectu, tamquam in ſubiecto, in Deo autem tamquam in obiecto, & termino tantum; Sic pulchre Auctor primo ſent. diſt. 2. quæſt. prima, ar. 3. ad quintum dicebat, rationes intellectus habere firmitatem ſui eſſe ab intellectu, (velut & alia accidentia à ſuis ſubiectis) firmitatem autem ſuæ veritatis ex re, cui cõformantur, quocirca rationes attributorum fundantur in intellectu quo ad ſuum eſſe; in eſſentia vero diuina ſunt quo ad veritatem ſuæ firmitatis; reſpondet enim Deus his cõceptibus, eos veros faciens, quod ipſum breuiter docuit q. illa ſeptima de Potentia, ar. 6. verſus finem.

Quomodo Deus terminans plures conceptus noſtras ſit multiplex ratione.

D. Thom.

Hinc ſpeculare adhuc, quod velut dum video lapidem, ex hac mea viſione nihil reale, nihil intrinſecum, nihil abſolutum acquirit lapis, ſed reſpectum tantum rationis, & extrinſecam denominationem, qua dicitur de nouo viſus,

ita ex conceptibus, quos de diuinis perfectionibus formamus, nihil prorſus aduenit Deo, niſi rationis reſpectus, & extrinſeca denominatio, qua dicitur de nouo intellectus, conceptus, cognitus, &c. Sic bene Capreolus in primo, diſt. 2. q. 3. ar. 3. ad ſecundum Aureoli dicebat, Deum eo quia multis noſtri intellectus cõceptionibus reſpondet, dici multiplicem ratione extrinſece, velut (inquit) Spiritus ſanctus dicitur multiplex, & ſeptiformis, non in ſe, ſed extrinſece, ob multiplices eius effectus; Ex quo colligas, nullam nos ponere in Deo compoſitionem, ex hoc quia mille, & mille conceptuum ſit obiectum, fundamentum, ac terminus; colligas etiam non propterea diſtinctionem illam virtualem, de qua concluſione quæ anteceſſit diſſeruimus fieri actualem, quaſi quid in Deo reducatur de potentia ad actum, nam diſtinctio illa vt ſic, & in ſe manet virtualis ſemper, & numquam ſecundum ſe fit actualis, at dicitur actualis in ordine ad nos, & extrinſece, modo declarato, & rurſus declarando. Capreol.

Vlterius itaque notabis, quod in his noſtris varijs cõceptibus duo intuemur, aſſimilationem videlicet eorum ad obiectum, & eorundem pluralitatem, & plane ipſis reſpondet res vna multipliciter imitabilis, & repreſentabilis, deitas ſcilicet, quæ & ſub ratione bonitatis, & ſapientiæ, & vitæ, & ſimilium repreſentatur, ipſorum vero pluralitati non reſpondet pluralitas, in re obiecta, ſed eiuſdẽ eminentia, qua vnitim habet, & coniunctim id, quod diuiſim, & ſeparatim apprehenditur; Et dum ducuntur argumenta à diſtinctione conceptuũ, ad diſtinctionem rei quæ concipitur, arguitur à diſtinctione effectuum, ad diſtinctionẽ cauſæ, quod inane prorſus eſt arguendi genus, cum ab vna, & eadem cauſa ob ſuam eminentiam, mille paſſim cernamus erumpere effectus. Ita elucere poteſt, quod dum nos formamus conceptum ſapientiæ alium à conceptu bonitatis, hæc diſtinctio non eſt pure per opus intellectus, cui ſcilicet nullum in re fundamentũ reſpondeat, quoniam adeſt res vna, quæ concipitur continens, & ſapientiam, & bonitatem diſtinctas fundamentaliter ſecundum ſe, & actualiter, prout actu terminant conceptus noſtros, & iam audiſti, quid obiectiue his cõceptibus reſpondeat; res vna, & ratio vna formalis varie repreſentabilis, non autem pluralitas vlla actualis, vel rei, vel rationis formalis ſecundum ſe, ſed ſolum rationis in ordine ad nos; Et hoc prudenter debes obſeruare, quoniam licet ratio formalis ſapientiæ, ſit ratio formalis iuſtitiæ ſecundum ſe, vt hac quæſtione edocuimus, attamen in ordine ad nos concipientes has perfectiones, alia eſt ratio vnius, alia alterius, & ratio patet ex dictis, quoniam nos nullam diuinam perfectionem ſecundum ſe cõcipimus, ſed multipliciter eas intelligimus, ac diuiſim, velut multiplices, ac diuiſæ ſunt in rebus creatis, ex quibus ad eas noſcendas manuducimur. Quid noſtris cõceptibus reſpondeat. Quid eorundẽ pluralitati.

Immo vero, cũ attributi ratio in eo potiſſimũ ſit cõſtituta, vt per illud aliquid tribuatur Deo formaliter, in ipſo exiſtens, & velut diuinæ naturæ affectio, vt dictum fuit in titulo quæſtionis, cum hoc à parte rei non detur, ſed ſolum ex parte noſtri, qui varia de Deo concipientes, eadem ipſi tribuimus, ideo poteſt, ac debet dici, quod ratio vnius attributi vt ſic, ſit alia à ratione alterius; quod nihil aliud eſt dictu, quam vt ratio diuinæ vnius perfectionis, quatenus reſpõdet conceptibus noſtris de ipſa formalibus, (in quo ſtat formalis attributi ratio,) ſit alia à ratione alterius, vt ſimiliter noſtris de ipſa formalibus reſpondet cõceptibus; Iuniores tamen ne fallantur, ob maiorem claritatem diſtinguant, ſi velint rationem formalem attributorum ſecundum ſe, & reſpectu noſtri, & primo modo dicant, eandem penitus rationem omnium, ſecundo modo dicant diſtingui, & Ratio diuini attributi. Pro iunioribus.

ita à varijs anguſtijs liberabuntur,& illud præcipue mox habebunt, quod nomina hæc,quæ de diuinis perfectionibus proferimus,non ſunt vllo modo ſynonima,quoniam quamuis omnia vnā,eamque maxime ſimplicem rem dicant, nō tamen ſub eodem conceptu,quod tamen requireretur,vt patebit in ſolutione ad quintum.

Ad hæc notabis,quod quæ dicta ſunt de varijs rationibus attributorū reſpōdentibus conceptibus formalibus,qui de ipſis habētur, accipienda ſunt nedum in ordine ad intellectum noſtrum, dum ſumus in hac vita Deum ex creaturis agnoſcentes,ſed & reſpectu comprehenſorū,tum hominum,tum angelorum in quouis ſtatu, tametſi viri doctiſſimi ar. illo ſecundo quæſt. 28. ſuper primā par. diſputatione tertia oppoſitū ſentiunt,nos enim adhæremus Capreolo loco ſæpe recenſito ad primum vltimo loco contra ſecundam concluſionem,& Caiet. prima par.q.13.ar.4 & Auctori primo ſent.diſt. illa ſecunda,quæſt. prima, ar.3. expreſſe dicenti,quod ſi intellectus videns Deum per eſſentiam, imponeret nomen rei, quā videret,& nominaret mediante cōceptione, quam de ea habet,oporteret adhuc,quod imponeret plura nomina,& cauſam aſſignat,quoniā fieri nequit,vt creati intellectus conceptio totam diuinæ eſſentiæ repræſentet perfectionem,quod & Chryſoſtomi auctoritate firmat. Enimuero cōceptiones varias de diuinis perfectionibus eatenus à nobis concipi dicebamus, quoniam non poſſumus eas agnoſcere,quantum agnoſcibiles ſunt, hoc autem cuiuis intellectui creato in omni ſtatu conuenit,vt patet; Verum tamen eſt, quod quo remotior quis intellectus à Deo,eo minus perſpicaciter agnoſcit, & ſubinde plures format conceptiones,vnde minor pluralitas proueniet reſpectu intellectus propinquioris, (ſic non tam dearticulate intelligit angelus, quam homo, neque ſuperior angelus,quam inferior,) nulla autem pluralitas orietur reſpectu intellectus propinquiſſimi,qui ſolus eſt diuinus, & qui vnus Deum quantū eſt intelligibilis intelligit,quamuis etenim beati videant diuinam eſſentiam totam,nō tamen totaliter,vnde licet eam vnico conceptu intelligerent,non tamē ſecundum omnem modum,quo poſſet concipi, quare vt perfecte cōciperetur, plures rationes eis formādæ eſſent.Et quidem,quod nos viatores varios de attributis diuinis formemus conceptus,prouenit primo ex ipſorum infinitate,& ſecundo,quoniā ſpecies illæ quibus Deum agnoſcimus exceduntur ab ipſa diuina natura,horum autem primum ſolum locum habet in beatis,non autem ſecūdum,vt theologus omnis nouit.Quapropter vnico verbo dicendū eſt, quod cum hæc formalium conceptuum pluralitas proficiſcatur ex eminentia diuinæ eſſentiæ,& ex noſtri intellectus debilitate, & hoc quoque in comprehēſoribus locum habeat,ideo diſtinctio iſta rationum formalium ex parte cōcipientium ab illis ſubtrahi minime debet; Quod autem inquit vir ille doctus, numerum attributorum nō eſſe infinitum,ſed finitum, ac proinde à beatis attingi poſſe,nihil facit, immo vero nullus eſt attributorum à parte rei numerus, quoniam omnia ſunt vnica, eademque ſimpliciſſima res,& ratio ſecundum ſe, at hoc nō eſt cauſæ,cur plures dicamus in beatis conceptus ineſſe, ſed quoniam nullum attributum,nullam diuinam perfectionem vident, quantum à parte rei videri poteſt.

Recentioris opinio.

Capreol.

Caietanus.

D.Thom.

Quomodo beati videant Deum.

Recentioris illius motiuum ſoluitur.

Quæ autem omnia dicta ſunt de varijs conceptionibus comparatione ad cōprehenſores,accipito ex ſuppoſitione, & conditionaliter,vt ſatis indicarunt verba,quæ ex Auctore allegaui,& modus loquendi quem ipſe adhibui, hoc eſt, ſi beati formarent conceptus, exprimerent rationes diuinæ eſſentiæ viſæ, plures conce-

conceptus exprimerent, plura nomina imponerent ob allatas cauſas; rei autem veritas eſt, quod nullam creatam conceptionem formant, in qua diuinam eſſentiam intueantur, vt fuſius pateſeci quæſt. 4. ad quartũ caput, ſed omnia in Verbo intuentur, quippe quod vnum exiſtẽs, Deum, & diuina omnia attributa perfecte, ac ſimpliciſſime repreſentat, de quo accipiatur, quod Auctor loco relato & primo con. Gen. 31. dicit, vnum tantum nomen eſſe apud beatos, iuxta illud Zachariæ vltimo; In die illa erit dominus vnus, & nomẽ eius vnum; Ex quo ſoluitur & aliud recentioris illius motiuum, à quo adducendo poterat abſtinere, cum à Ferrar. loco illo primi con. Gen. virtute ſolutum pridem fuerit. D. Thom. Ferrarieſ.

Illud denique circa hanc concluſionẽ obſerua, quod hanc actualem rationis diſtinctionẽ, quam in Deo locamus, prout actu terminat cõceptus noſtros, nõnulli ſtatuunt ab æterno in ipſo Deo, ea ſcilicet ratione, qua cognoſcit Deus ab æterno eſſentiã ſuam eſſe fundamentũ ſufficiẽs diuerſorum conceptuũ in intellectu creato, & diuinas perfectiones eiuſmodi eſſe, vt de ipſis intellectus creatus multos inadæquatos conceptus formare poſſet, quæ rationis multiplicitas eſt reſpectu illius intellectus, qui eam apprehendit; Ita ſentit Capreol. loco memorato ad 16. Scoti cõtra primam concluſionẽ, & Torres diſputatione ſecũda, dubio primo, & Molina diſputatione tertia; Bannes etiam hanc ſententiã vocat probabilem, immo & Caiet hoc loco ad tertium inquit, hoc nõ eſſe à philoſophia alienum, quare neque ipſe poſſum affirmare improbabilẽ hunc modũ dicendi; Multo tamen probabilius, & conformius primæ, & tertiæ cõcluſionibus noſtris, & primæ Caiet. hac in parte dicemus, nullatenus hanc diſtinctionẽ vocandam actualem, iam enim docuimus in Deo ſecundum ſe nullã adeſſe actualem diſtinctionem, & quæ modo adducebantur, ſolum oſtendunt fundamẽtalem ſtatui debere ab æterno iuxta tertiam noſtram aſſertionem, nam vt inter aliqua ſit diſtinctio rationis actualis, requiruntur actu duo extrema, & quod duo conceptus actu terminentur ab ipſis attributis, quod patet non inueniri ab æterno, cum agnoſcantur tantum ipſa attributa tunc à Deo tamquam vnum, quod tamen poteſt habere rationem duorum extremorum in actu reſpectu creati intellectus, quod certe diſtinctionem ſolum virtualem, ſeu fundamentalem inſinuat, quod autem rationis actualis diſtinctio requirat duo extrema actu, natura diſtinctionis demonſtrat, numquam enim inter vnam rem cadit diſtinctio, ſed ſemper de neceſſitate requiritur vel rerum, vel rationum rei pluralitas, iuxta diſtinctionis naturam, vel realis ſcilicet, vel rationis; Quoniam nihilominus oppoſitam partem viri illuſtres memorati vel docent, vel nõ improbabilem autumant, propterea nihil neceſſe eſt hac in re plus iuſto ſolicitari, cum ferè de nomine ſolum controuerſia appareat, certiſſimum namque eſt Deum cognoſcere eſſentiam ſuam, & perfectiones omnibus modis, ſub quibus plane clauditur & illa conſideratio, ſecũdum quam intellectus creatus poterit circa ipſa varios habere conceptus, quod vero hoc ſufficiat ad actualem diſtinctionem aſtruẽdam, in dubium vertitur, & ſi dicatur affirmanter, iam ab æterno ponitur in Deo actualis rationis diſtinctio, ſin autem neganter reſpondeatur, (quod mihi magis probatur,) nulla actualis diſtinctio eſt in Deo ſecundum ſe, vt dicebat prima concluſio Caiet. & mea, ſed ſolum fundamentalis, vt dicebat ſecunda Caiet. quam ego tertiam poſui, actualis vero tunc dumtaxat, quando terminat actu conceptus noſtros, iuxta tertiam Caiet. & quartã hanc mea, &c. Probabile virorũ grauium placitum. Auctori oppoſitum probabilius. Requiſita ad rationis diſtinctionẽ actualem.

ARTICVLVS SEXTVS.

Difficultatibus theologicis accommodantur, quæ dicta ſunt.

IN quæſtionem multa paſſim vocant diuini theologi, quorum omnium eſt eadem deciſio, atque illa quam fecimus, dubitare enim & profunde ſolent, qualis diſtinctio ſit inter perſonam diuinam, & naturam, ſimiliter qualis inter eſſentiam, & diuinas relationes; quod enim aliqua diſtinctio ſit ſtatuenda, inter omnes conuenit, & fides docet, quoniam multa negantur de vno, quæ affirmátur de alio, catholicæ namque ſunt hæ propoſitiones, Vnio humanæ naturæ cū Deo facta eſt in perſona, Pater generat, hæretica vero forent hæc pronunciata, Vnio eſt facta in natura, Eſſentia diuina generat; ſimiliter vere dicitur natura diuina abſoluta, & communicabilis, perſona diuina relatiua, & incommunicabilis, quare tota difficultas ſtat, quænam diſtinctio locari debeat inter eſſentiā, & perſonam, atque inter eſſentiā, & relationes, & ſane noſtrum non eſt in præſenti hæc omnino examinare, ſed quæ diximus applicare; Quocirca diſtinctionem illam virtualem, vel fundamentalem, vel formalem eminenter inter enumerata ab æterno locamus, ratione cuius, & contradictoria de ipſis redduntur vera, & aliquid veriſſime profertur de eſſentia, quod negatur de perſona, & de relatione, & e contra, quæ omnia merito huius diſtinctionis ſaluantur, ac ſi adeſſet vel realis, vel formalis ex rei natura diſtinctio, iam enim diximus, diſtinctionem iſtam omnia illa efficere, quæ efficeret, ſi formalis formaliter eſſet, ſic nedum eſſentia eſt res illa, quæ eſt perſona, vel relatio diuina identice, ſed & ratio formalis eſſentiæ, eſt ratio formalis ſecundum ſe relationis, & e contra, adeo vt qui diuinam eſſentiam vt in ſe viſibilis eſt intueretur, in illa ratione formali videret, & relationes, & perſonas, & earundem rationes formales, vt dicebat Auctor prima par. q. 27. ar. illo ſecundo ad tertium, & ibidem Interpres qui verba illa Auctoris aurea merito nominabat.

Grauia Theologorū dubia. — *D. Thom.* — *Caietanus.*

Fundamentū autē horū omniū elici poteſt ex iiſdem rationibus, quibus tertio quæſt. ar. opinatio contraria fuit impugnata, & præcipue ex ſexto argumento, quemadmodū enim in Deo eſt res illa vnica realis, nō pure abſoluta, nō pure reſpectiua, non præciſe cōicabilis, nō præciſe incommunicabilis, neque mixta, neque compoſita, neque demū ex vtraque reſultans, ſed eminentiſſime, & formaliter habens quodquideſt entis & abſoluti, & reſpectiui, & cōicabilis, & incommunicabilis, (in Deo ſiquidē eſt eſſentia, & relatio, & illam abſolutā & communicabilem, hanc reſpectiuam, & incommunicabilem intuemur,) ita quoque adeſt ratio vnica formalis, (ſic enim rei ratio reſpondet,) non pure abſoluta, non pure reſpectiua, non præciſe communicabilis, non præciſe incommunicabilis, ſed vtrumque, & omnia formaliter, & modo maxime eminenti in ſe complectens ob ſui infinitatem, non enim minus eſt infinita ratio alicuius rei, quam ſit ipſa res, cuius eſt ratio. Neque hoc tibi ſit in admiratione, cum credas illud quod eſt cauſa huius, ſiquidem orthodoxa Fide commonefactus, credis vnicam rem ſimpliciſſimam, Deum ſcilicet immenſum, & communicabilem, & incommunicabilem, & abſolutam, & reſpectiuam, quo ſane præſuppoſito, ſequitur deinde naturali ratione, vt huic rei, parem rationem tribuas formalem; Et tamen ſi ſolerter inſpexeris, quomodo Deus, & quic-

Dei celſitudo.

quid

quid in Deo eſt, infinitum ſit, ac illimitatum, ac proinde minime clauſum ſub conditionibus horum entium, quæ apud nos ſunt, ad hoc, vel illud genus definita, huius, & illius præciſe naturæ, ceſſabit ex parte admiratio; At præclare nimis Caiet. prima par. quæſt. 39. art. 1. dicebat, falli intellectum noſtrum, dum à conditionibus entis, vel abſoluti, vel reſpectiui arguit ad Deum, volens vt ſub altero horum claudatur, & ſit vel ens abſolutum tantum, vel præciſe reſpectiuum, quaſi Deus ſit poſterior ente, cum tamen eo ſit prior, & huiuſcemodi, quæ dicuntur, omne ens eſſe, vel abſolutum, vel reſpectiuum, vel communicabile, vel incommunicabile, ſint paſſiones entis finiti, & ſpecierum entis, non autem entis illius infiniti, à quo eſt omne ens. Ita nobis, qui rem omnem, vel abſolutam præciſe, vel relatiuam præciſe intuemur, mirum apparet, dari rem vnam, quæ vtrique enti ſit realiter, ac formaliter communis, at mentis aciem eleuantibus, & eam in excellentioris entis genus figentibus, diuinaque non more humano metientibus, non tanta ſe offeret admirationis cauſa. Enimuero, ceu non valet, eſt animal, ergo eſt rationale, quoniam illud non eſt ſpecies huius, neque ſub ipſo clauditur, poſterius vè eſt, valet autem, eſt rationale, ergo eſt animal, quoniam res oppoſito modo prorſus ſe habet; ita non valet, Deus eſt ens, ergo vel eſt quid abſolutum, & communicabile præciſe, vel quid reſpectiuum, & incõmunicabile præciſe, quoniã non clauditur ſub ente, non eſt ipſo poſterior, ſed e contra, valet autem, hoc eſt ens finitum, ergo vel tantum abſolutum, vel tantum reſpectiuum, quoniam huiuſmodi ens clauditur ſub ente abſolute, eſt eius ſpecies, ipſoque poſterius. *Nobilis Caiet. doctrina.* *Variæ illationes.*

Ex his colligas, nihil concludere Scotum, quando primo ſent. diſt. 2. quæſt. illa 7. ſciſcitatur, an Pater æternus intelligat ab æterno eſſentiam ſuam, & paternitatem vt duo obiecta formalia, aut vnum, dicimus enim, quod intelligit vt vnum obiectum formaliter, & multa virtualiter; Dices, ergo in illa ſumma re, eſſentia, & paternitas non ſunt formaliter, ſed virtualiter, nego illationem, iam enim facis tranſitum à diſtinctione ad res; nam & eſſentia, & paternitas ſunt & realiter, & formaliter, ſed earum diſtinctio eſt virtualiter, quoniam ibi ita ſunt, ac ſi eſſent actu diſtinctæ. Dices, apud nos in ratione obiectiua diſtinguuntur actualiter, ergo & in Deo, negatur conſequentia, quoniam quod nos hæc actu diſtincta concipiamus, (quod eſt cauſæ, cur de ipſis, tamquam ſi formaliter eſſent diſtincta loquamur, vt & D. Auguſtinus à Scoto ibi citatus videtur loqui,) nihil ponit in Deo, niſi relatiuam, & extrinſecam rationis denominationem, vt præcedenti articulo patuit. Similiter dum arguit, quod Pater æternus habet in ſe rem, & entitatem communicabilem, & incommunicabilem, (in ipſo enim ineſt eſſentia, & paternitas,) ergo habet in ſe rem diuerſarum rationum formalium, negatur hęc collectio, & quando eam probat, quoniam ſi eſſet vnius rationis formalis, eſſet aut tantum communicabilis, aut tantum incommunicabilis, patet quid ſit dicendum, nam cum formali vnitate ſtat, & quod ſit communicabilis, & incommunicabilis ob eius infinitatem. Et ſi præ oculis ſemper habueris, quod res illa ſimpliciſſima, einſdemque formalis ratio, quam in Deo ponimus, ita eſt vna in re, ut tamen ſit in virtute multiplex, comperies multa argumenta, quæ in hac materia conſueuerunt adduci, omnino debilitari, & frangi. *Scoti rationes tolluntur.*

Scio Bartholomeum Torres loco p. p. non ſemel allegato, dubio 2. diſputat. 2. docere eſſentiam diuinam includi quidem formaliter in relationibus, non autem eſſentiam ipſam includere formaliter relationes, quam ſententiam iure *Torres ſententia.*

reijcit

Merito à Bannes reiecta.

reijcit Bannes Caiet. veſtigijs inſiſtens, immo vero Auctoris expreſſe dicentis reſp. illa ad tertium, in perfectione diuini eſſe contineri, & verbum intelligibiliter procedēs, & principium Verbi; Neque explicatio Torres literæ valet accommodari, quoniam vt bene idem Bannes conſiderauit, eodem modo vult

D.Thom.

Auctor in eſſentia diuina contineri relationes, & perfectiones, ſeu attributa, iam autem oſtenſum eſt, eſſentiam diuinam, (quod & Torres docet,) continere formaliter, & intrinſece diuinas perfectiones; Neque valet, quod ab ipſo adfertur, quod tunc in filiatione intrinſece includeretur paternitas, cum filiatio contineat intrinſece eſſentiam, in qua ſi intrinſece includatur paternitas, iam in filiatione includitur paternitas, vt ſic dicatur, filiatio continet intrinſece eſſentiam, eſſentia continet intrinſece paternitatem, ergo filiatio cōtinet intrinſece paternitatem; At dicimus filiationem continere intrinſece eſſentiam, non ſub ea ratione, qua continet formaliter paternitatem, ſed quatenus virtute ab ea diſtinguitur, & rurſus, quamuis filiatio intrinſece contineat eſſentiam, non tamen adæquate, adeo vt contineat quicquid eſt idem ipſi eſſentiæ; Sed hic non eſt locus ad vnguem rimandi hæc negotia, ſufficiat puncta difficultatis attingere. Memor ſit quoque theologus, quod vbi admiſcentur rationes oppoſitæ, (cuiuſmodi ſunt paternitatis, & filiationis,) non currere argumenta de continentia rationum formaliū ſub ea ratione, qua in illis ineſt oppoſitio, &c.

Cogitatio Molinæ.

Scio quin etiam Ludouicum Molinam diſputatione ſua ſexta, diſtinguētem ſecundum conſiderationem noſtram eſſentiam diuinam, quatenus & quid abſolutum, & quid reſpectiuum formaliter eſt, hoc eſt, quatenus res ſimpliciſſima eſt, vtrumque dicens in ſua ratione formali, & quatenus quid mere abſolutum eſt, & vt virtute diſtinctum à relatione, ſimiliter conſiderat relationem, vt eſt eadem realiter, & formaliter cum eſſentia, & vt quid pure reſpectiuum, virtute ab eſſentia diſtinctum, & primo modo vere dicit & eſſentiam formaliter, ac intrinſece relationes continere, & e contra, ſecundo vero modo neque eſſentiam relationes, neque has illam includere, & non minus facile, quam verum hoc apparet, quis enim dubitet, quod ſub ea præciſe conſideratione, qua quid ab aliquo diſtinguitur, (quæcumque fuerit illa diſtinctio,) numquam illud vt ſic formaliter in illo includetur? an non pugnat aliquid vt diſtinguitur, ſub eadem ratione includi? Quamobrem in re manifeſta non eſt cur quis detineatur; Quemadmodum autem Caiet. in ſuam hanc ſententiam, ſeu potius modum loquendi trahere ſtudet, quamuis ſemper dixerit, omnia hæc mutuo ſe includere, quoniam loquebatur de ipſis, non ſub ea ratione, qua diſtinguuntur, ſed prout realiter, & formaliter conueniunt, ita non debebat adducere Torres in contraria ſententia, vel modo loquendi, quoniam dixerit relationes includere eſſentiam, quoniam tunc & ipſe accepit relationes, non ſecundum quod ab eſſentia virtute diſtinguuntur, ſed quatenus, & re, & conceptu ſecundum ſe, & à parte rei ſunt, &c.

Paternitas, & ſpiratio actiua quomodo in Patre diſtinguantur.

Idem tandem dicas de relationibus illis, quas in vna, & eadem perſona locant theologi, puta de paternitate, & ſpiratione actiua in Patre, diſtinguuntur enim ab inuicem fundamentaliter ſolum, & formaliter eminenter; In Patre quippe adeſt realiſſime, & paternitas, & diuina ſpiratio, at earum diſtinctio eſt eminenter formalis, id omne efficiens, quod efficeret, ac ſi actualis eſſet. Non ignoro, huiuſcemodi materias eſſe perarduas, at ſufficiat aliquid lucis cuiuis earum attuliſſe, neque enim vt dixi eas minutatim examinare profiteor, ſpectant ſiquidem ad materiam de ſanctiſſima Trinitate, quam ſi nobis

conceſ-

conceſſerit Deus verſari, quæ modo vix attingimus, latius tractabuntur, fateor tamen, quod ſi quæ dixi quis mediocri ingenio præditus applicare voluerit, non erit valde difficile omnium ferè habere ſolutionem.

Si autem quæ omnia noſtra hac quæſtione protulimus quis contemplatus fuerit, manifeſte colliget non parum diſſidij inter nos & Scotum hac in re verſari. Vult enim iſte, quod remoto quouis actu intellectus ſit ab æterno inter eſſentiam diuinam, & eius perfectiones, perſonas, relationes, & inter ipſas perfectiones ad inuicem actualis diſtinctio, nos hoc inficiamur, virtualem ſolum diſtinctonem ponẽtes. Sentit ille, quod in re ipſa ex natura rei aliquid ſit de ratione vnius eorum, quæ enumerauimus, quod non ſit de ratione alterius, nos nequaquam, ſed dicimus quicquid eſt de ratione vnius, eſſe quoque de ratione alterius, (demptis rationibus oppoſitis perſonarum, quæ ab inuicem reali diſtinctione differunt,) vnde qui videret rationem formalem ſapientiæ diuinæ vti viſibilis eſt, videret rationem formalem omnium, quæ omnino negat Scotus, vt in eius adducenda ſententia viſum fuit. Vult ipſe, quod dum varios de diuinis perfectionibus, & de reliquis enumeratis formamus conceptus, ſit diſtinctio actualis formalis in Deo ex natura rei, & non ſolom in ordine ad nos, quod à nobis reijcitur, ponentibus diſtinctionem tantum rationis, & extrinſecam, non autem in re ipſa. Denique credit ille pluralitati noſtrorum conceptuum reſpondere pluralitatem rationum formalium ex rei natura, nos vnicam rationem formalem ſecundum ſe eminentiſſimam, & diſtinctam numquam ſecundum ſe, ſed reſpectu noſtri dumtaxat. Hinc non eſt audiendus Iauellus quæſt. 19. duodecimi Diuinorum, docens verbalem ſolum differentiam inter Auctorem, & Scotum in hac materia inueniri, non enim Scoti mentem vt decebat rimatus eſt, quare minus recte dixit, non eſſe curandum de labore Capreoli in primo, diſ. 8. quæſt. illa quarta, in euellendis Scoti argumentis, quem ſane laborem, & Caiet. & alij viri clariſſimi non recuſarunt, facile enim Auctoris, & Scoti ſententiam comtemplantibus apparuit, non unico verbo poſſe hæc ſedari, vt idem Iauellus, (cui virum aliàs eruditum ſatis noſtri inſtituti olim adhæſiſſe admirans audiui,) ſuaſum ſibi habuit, &c.

Diſcrimen inter D. Thomã, & Scotum.

Non placet Iauelli iudicium

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Auferuntur argumenta pro ſententia contraria.

NVllas primum argumentum habet vires, quoniam conceſſa maiori, & minori, negatur conſequentia, intellectus ſiquidem, & voluntas in Deo non niſi fundamentaliter diſtinguuntur, eſt autem falſum, quod ſint cauſa realis diſtinctionis perſonarum, non enim ideo Filius diſtinguitur realiter a Spiritu ſancto, quoniam ille per intellectum, iſte per uoluntatem procedat, ſed quoniam ordo originis eſt inter ipſas proceſſiones, non quod una proceſſio, (ò theologe) origínetur ex altera, ſed quoniam id quod procedit per unam proceſſionem, diſtinguitur ab illo, quod procedit per aliam. Ita nos D. Thomæ diſcipuli, ab eodem edocti prima parte, quæſt. 36. art. 2. ſuſtinemus, quod ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab ipſo realiter, Filius enim vt ſic per filiatioue diſtinguitur ſolum a Patre, cum relatiuum hoc habeat, vt ſecundum propria, & vt ſic à correlatiuo tantum diſtinguat, de qua materia latiſſime agitur à noſtris loco memorato p. p. Non itaque diſtinctio

Quare Filius, & Spiritus ſanctus realiter diſtinguantur.

ſtinctio intellectus, & voluntatis eſt cauſa diſtinctionis realis proceſſionum; ſed diſtinctio illa inter hæc fundamentalis, (quam Capreolus ad primum Scoti contra primam concluſionem vocabat diſtinctionem inchoatam,) eſt cauſa diſtinctionis formalis ipſarum proceſſionum; Quando autem dicitur diſtinctionem minorem non poſſe cauſare maiorem, falſum eſt, quoniam ſi cum vnitate cauſæ ſtat diuerſitas effectuum, multo magis cum minori diſtinctione in cauſa poteſt ſtare maior diſtinctio in effectibus, diſtinctio etenim vt ſic non eſt res, quæ dicat perfectionem, vt neceſſe ſit procedere ab æquali, vel maiori diſtinctione. Et bene aduertas, quod hoc argumentum æque militat contra aduerſarios, ac contra nos, nam etiam diſtinctio formalis ex natura rei, eſt minor diſtinctione reali, quare ſi argumentũ ualeat, neque diſtinctio, quam ipſi aſſignant ſufficiens eſt ad realem diſtinctionem, vnde uelut ipſi pro cauſa prædicatorum realium, quæ contradictoria ſunt, & aliorum ſimilium dicunt, non ſufficere rationis diſtinctionem, ſed maiorem ponunt, utpote formalem, ita nos ex rationis diſtinctione omnia ſaluamus, ut enim hæc minor eſt reali, ita & illa, quare in hoc non magis ipſi contra nos, quam nos contra ipſos arguere poſſunt, vt eleganter conſiderauit ibidem Capreolus ad quartum. Adde, quod diſtinctionem, quam nos ſtatuimus, virtute æqualem formali, quam ponunt ipſi frequenter hac quæſtione pateſecimus, quæ enim omnia tribuunt illi ſuæ diſtinctioni, nos damus noſtræ, quam proinde eminenter formalem nominamus.

Capreol.

Ad ſecundum negatur minor, ſed præcedit ſolum fundamentalis diſtinctio inter naturam, & intellectionem, qua diſtinctione conſtituta, nihil ſequitur eorum, quæ in argumento deducebantur; non enim ſequitur, nulla actualis diſtinctio præcedit naturam, & intellectum, ergo nulla diſtinctio præcedit.

Ad tertium negatur conſecutio, auctoritas vero Ariſtotelis intelligitur de actu limitato, & de forma finita, quæ ita eſt hæc, quod non alia forma, non autem accipitur de actu infinito, qui omnia complectitur, & non eſt magis vnum, quam aliud, quo etiam modo oportet accipere illud Auicennæ, quidditas enim finita eſt ita gratia exempli equinitas, quod non aliæ formæ, vel (& in idem redit,) intelligendum eſt de finitate definibili, quod ſi definibilis eſt, iam finita eſt, ſi vero diuinæ perfectiones, & quicquid in Deo eſt, infinitum eſt, collige, nihil in ipſo eſſe definibile. Huius vero argumenti confirmatio diſtinctionem ſolum fundamentalem arguit inter diuinas perfectiones, nõ actualem, vel formalem; Adde, quod relatione ad nos tantum vna perfectio per aliam demonſtratur, non ex parte rei, & conditionaliter, non abſolute, hoc eſt, ſi illud poſſet eſſe cauſa huius, &c.

Quis actus ſeparet, & diſtinguat.

Ad quartum dicitur eodem modo, quod ad intuitiuam notitiam ſufficit intellectio attributorum virtualiter diſtinctorum, ſic enim videntur vt ſunt. Vel dicatur, quod cum ex triplici capite poſſit aliqua cognitio dici diſtincta, vel ſcilicet ex parte obiecti, quoniam eſt diſtinctum, vel ex parte intuitionis, quando eſt diſtincta, vel ex parte modi, quando via perfecta fit cognitio, nouit Deus diſtincta attributa ab æterno non primo modo, quoniam obiectum à Deo cognitum eſt vnicum, non ſecundo, quoniam vnica eſt intuitio, ſed ſolum tertio, quoniam perfecte, & clare nouit, adeo quod ly *diſtincte* non diſtinctionem, ſed claritatem importat. Ad confirmationem dico, quod à parte rei, & ſecundum ſe datur in Deo vna tantum perfectio illimitata, & extra genus, quæ eſt deitas, in ordine autem ad nos multæ dantur perfectiones, quoniam

Multiplex cognitionis diſtinctæ modus

niam nos multos formamus conceptus de ipſa deitate, nunc bonam, nunc iuſtam, nunc viuentem appellantes, quibus omnibus conceptibus reſpondet ipſamet deitas eminentiſſime omnia continens; Sic non eſt vana quæſtio, quoniam nos ſumus, qui quæſtioné formamus, & apud nos ſunt multæ diuinæ perfectiones formaliter diſtinctæ, non ſecundum ſe, at quatenus conceptibus noſtris reſpondét; ſic ſapienter humano more & ſancti Patres, & Doctores alij de diuinis perfectionibus ſunt locuti, & deitatis excelſa balbutiendo, quantum in eis fuit reſonarunt.

Ad quintum dicebatur circa vltimam concluſionem, quid varijs noſtris de Deo conceptibus reſpondeat, vna ſcilicet res eminentiſſima, ſiue plena Dei perfectio, aut plenitudo perfectionis, vt videtur loqui Auctor loco illo primi ſent. ſæpe memorato, quippe quæ eſt quid vnum re, ac ratione formali ſecundum ſe, non autem relatione ad noſtros conceptus, nam conceptus vnius eſt alius à conceptu alterius, ſic non ſunt ſynonima nomina permulta, quæ de Deo enunciamus, vt docebat idem Auctor quæſt. illa ſeptima de Potentia, ar. 6. & primo cont. Gent. 35. & p.p. loco citato in argumento, ad hoc enim vt eſſent ſynonima, oporteret, quod nedum eandem rem, ſed & ſub eodem conceptu tenente ſe ex parte concipientis exprimerent, quod non accidit in propoſito, & vt hoc loco ad hoc idem argumentum aiebat Caiet. vt aliqua vox ſit ſynonima, non eſt attendenda identitas rationis formalis rei ſecundum ſe, ſed penes identitaté conceptus mentalis, illius ſcilicet, qui concipit. Porro ita dicimus, vt concipimus, (voces enim ſunt ſigna animi paſſionum, & conceptuum,) concipimus auté rationem vnius attributi, aliam à ratione alterius, quare iuxta varias conceptiones, aderit varietas nominum. Illæ autem voces, de quibus ſubditur in argumento ſunt vere ſynonimæ, quoniam ſub eodem conceptu idem dicunt, nulla exiſtente diſtinctione, niſi rationis puræ, & ratiocinantis, nullum in re fundamentum habentis, hic autem adeſt rationis diſtinctio, cui reſpondet aliquid in re, & quæ vocatur rationis ratiocinatæ; Sic cum detur gradus inter diſtinctiones rationis, nulla eſt hæc argumentatio; Sapientia magis differt à bonitate, quam à ſapientia, ergo differt à bonitate diſtinctione maiori, quam ſit rationis, quoniam differt à ſeipſa diſtinctione rationis tantum ratiocinantis, a bonitate autem, rationis ratiocinatæ; Tandem doctores dicentes pronunciatum illud, de quo in argumento, & ſimilia eſſe vera in ſenſu identico, non formali, probe dixerunt, quoniam ſpectarút pronunciata vt ab ipſis, & à nobis formantur, comparatione ad quos non ſemel dictum eſt, rationem formalem vnius, nó eſſe rationem alterius, quãuis ſecundú ſe ſit eadem omnium formalis ratio.

D.Thom.

Caietanus.

Quando vox ſynonima.

Ad ſextum patuit abunde circa tertiam concluſionem, quomodo ab æterno detur cauſa in actu, cur vera ſint contradictoria, quæ cauſa non eſt diſtinctio actualis, ſed virtualis, & formalis eminenter, &c. Veruntamen Capreolus in primo, diſt. 2. q. 3. art. 3. ad 1. multa cogitauit, vt hoc argumentum dirimeret, quod ipſum effecit q. illa 3. diſt. 8. ad 6. Scoti contra 1. cócl. Primo enim dixit, quod affirmatio, & negatio non dicuntur de Deo ab æterno, quoniam prædicari non conſurgit, niſi ex opere intellectus; addidit, affirmationem, & negationem non conuenire actu alicui, tamquam duo extrema realia, ſi nullus intellectus conſideret, cum negatio ſit ſolum ens rationis; ſubintulit, oppoſitionem contradictoriam non eſſe relationem realem, cum vnum contradictorium ſit ſemper non ens, & entis ad non ens non ſit relatio niſi rationis, ens vero rationis nó ſit abſque intellectus operatione; Denique adiecit, quod etiam ſi admittatur ab æterno eſſe

Nonnulla ex Capreolo.

no eſſe affirmationem & negationem, non tamen eſt ponenda actualis rationis diſtinctio ab æterno ad contradictionem tollendã, cum enim non contradictio ſit negatio, huic negationi aſſignatur pro cauſa alia negatio, videlicet non identitas rationis inter illa, de quibus vera ſunt cõtradictoria; Vel quemadmodum ante opus intellectus non eſt in diuinis affirmatio, & negatio in actu completo, ſed tamquam in fundamento, ita aſſignatur pro cauſa diſtinctio rationis, non in actu completo, ſed vt in fundamento; Quæ vero adfert loco poſterius citato, eo pergunt, vt poſſit poni diſtinctio rationis ab æterno conſurgens ex actu diuini intellectus conſiderantis ſuas perfectiones, quatenus poſſunt varios in nobis conceptus fundare, de quo ſatis dictum fuit in fine 5. art.

Caietanus.

Caiet. quoque hoc loco ad 7. non videtur abhorrere ab iis, quæ ex Capr. in primis dictis retuli, ait enim, quod quoniã ante omnem actum intellectus non inuenitur contradictio formaliter, ſed ſolum fundamentaliter, quoniam alterum contradictorium eſt formaliter negatio, quæ non eſt niſi merito intellectus, ideo tunc ſufficit fundamentalis diſtinctio. At vero p.p.q. illa 39. art. 1. & Capreolo, & ſibiipſi opponens, mutauit fortaſſe ſententiam, quoniam licet negatio non ſit ante opus intellectus, prout induit rationem entis rationis, attamen quo ad illud non eſſe quod negat, quodque in actu exercito exprimit, nullo intellectu conſiderante manet, tunc enim non ſignificat aliquod eſſe, ſed non eſſe, velut cæcitas quamuis ſit ens rationis, nullo tamen conſiderante intellectu aliquis eſt cæcus, quoniam eſſe cæcum non eſſe, ſed non eſſe dicit; vnde licet hæc propoſitio, Homo non eſt bos, ante opus intellectus non ſit, & hoc non eſſe non habeat rationem entis rationis, (hoc enim ab intellectu omnino pendet,) ſignificatum tamen propoſitionis ab intellectu non pendet; nam nullo intellectu conſiderante, homo non eſt bos; Aliud eſt ergo, quod ab æterno non ſint hæ propoſitiones, Eſſentia nõ generat, Pater generat, Deus intelligit intellectu, non voluntate, aliud eſt, quod non ſint ſignificata harũ propoſitionum, primum non adeſt, ſecundum adeſt, quoniam propoſitiones pendent ab intellectu, non ſignificatum ipſarum. Quare dicatur, ab æterno vera eſſe in Deo contradictoria, & aliquid verum eſſe de eſſentia, quod non de relatione, & huius effectus in actu aſſignetur cauſa in actu, & ſit diſtinctio inter hæc fundamentalis, non actualis, &c.

Diſcrimen inter ſignificata propoſitionũ, & propoſitiones.

Ad ſeptimum negatur conſequentia, ad cuius probationem dicitur quod duplex eſt infinitas, vt innuebatur in reſponſione ad 2. præcedentis quæſt. quædam eſt ſecundum quid, vel ſecundum propriam rationem, vel in hoc & illo genere, quædam eſt ſimpliciter in ratione entis, illa non extrahit rem cui apponitur à proprio genere, ita ſi daretur albedo infinita, eſſet infinita qualitatis ſpecies, non autem infinitum ens; hæc vero quamuis minime deſtruat perfectionem formalem illius rei, cui intelligitur ſuperaddi, tamen vſque adeo eleuat illam, vt non admittat diſtinctionem, cum enim attendatur penes ea, ad quæ totius entis latitudo ſe extendit, rem, eiuſque formalem rationem tantopere eleuat, ut omnia includat, ſubtrahendo radicem illam, ob quam diſtinguebatur, limitationem videlicet, qua ita erat ipſa, quod non alia. Mirum autem eſt, quomodo Scotus adferat hoc argumẽtum, cum primo ſent. diſt. 8. quæſt. 3. aliud iudicium fecerit de infinita quantitate, & de infinita perfectione ſimpliciter, & illam, ens finitum remanere, hanc vero, infinitum ens conſurgere dixit, vt ex ipſo referebam tertio quæſtionis art. circa tertiam rationem, vbi ſatis innuit duplicem hanc infinitatem, & varium vtriuſque

Infinitas in genere.
Infinitas in ente.

Scotus.

minus, ac effectum; quare ex eius doctrina eius argumento fit ſatis, nam poſterior hæc infinitas rationem formalem non ita deſtruit vt perdat, ſed maxime amplificat, & nobilitat, omnia ſibi eadem faciendo, & ſubinde à nullo diſtinctam, prior autem relinquit id cuius eſt infinitas in propria latitudine, ratione, atque genere, &c. Vidimus autem, & probauimus, ad aures etiam eiuſdem Scoti, omne diuinum attributum eſſe formaliter infinitum infinitate ſimpliciter, & in ratione entis, &c.

Non ſis vero in præſentia ſolicitus, quænam ſint illa, quæ gaudeāt infinitate ſimpliciter, & in ratione entis, & quæ gaudeant infinitate in proprio genere, hæc enim parum, vel nihil ad propoſitum faciunt, quod fuit cauſæ, vt Caiet. in præſenti, dum ad primum reſpondet, hæc uix innuendo, & ſub dubium relinquendo tacitus pertranſeat, nam certe ſi loquamur de facto, nihil præter Deum conſpicitur infinitum infinitate entis, vel in propria latitudine, ſi preſſius loqui velimus, (quod dixerim ob intelligentias, quas capite præcedenti inferius infinitas non raro nominabamus,) & ſermo eſt de aliquo, quod ſit vnum numero, nam admiſſo, quod eſſe, uiuere, & ſimilia gaudeant infinitate in genere, & in propria latitudine, attamen in hoc, & in illo finita ſunt, iuxta ſubiecta, in quibus inueniuntur, & infinitas illa ſi adſit, eſt potius in conſideratione, quam ad extra; Hypotheſes quoque multæ, poſſunt fieri, puta ſi hoc ens hanc obtineret infinitatem, illud illam, &c. ſufficiat, quam de duplici infinitate tradidimus doctrinam veram eſſe ex ſententia quoque aduerſariorum, & ſatis ſit, diuinam eſſentiam, diuinas perfectiones, & quicquid in Deo eſt, infitum eſſe infinitate ſimpliciter, & entis, &c. Caietanus.

Ad vltimum, conſtat teſtimonium Auctoris inductum confirmare quod pluries diximus, rationem ſcilicet formalem vnius attributi, quatenus attributum eſt, quatenus à nobis concipitur, & noſtris conceptibus reſpondet, eſſe aliam à ratione formali alterius, non autem ſecundum ſe, ſic erudite dixit attributum potentiæ non eſſe attributum ſcientiæ, quoniam de attributo vt ſic loquebatur, quippe quod vt circa vltimam concluſionem dicebam dicitur in ordine ad nos, quandoquidem nos ſumus, qui aliquid tamquam affectionem diuinæ eſſentiæ tribuimus, iuxta noſtros conceptus, &c. Sic Caiet. ibidem dicebat, attributa ſub intentione non rei, ſed attributi differre, quæ plane nos ſolum reſpicit, vt modo dicebatur: Ex qua doctrina diluuntur quæ omnia in eodem argumento ingeruntur, quæ nihilominus prima facie aliqualem apparentiæ vmbram referre videntur, quoniam enim in ordine ad nos ratio formalis vnius, non eſt ratio alterius, ideo dum dico vnum attributum, non dico alia ex parte mea, & alia dicendo, non interuenit nugatio, & iure accommodantur quædam diuinarum perfectionum diuinis perſonis, quoniam apud nos actualiter diſtinguuntur, & concipiendo vnum, non concipimus aliud, licet à parte rei, & vnum ſit aliud, & vnius ratio, ſit eadem omnium, vt plene forſan quæſtio iſta patefecit, &c. D. Thom. Caietanus.

QVAESTIO TERTIA.

A quo anima intellectiua fiat hæc.

CIRCA quartam partem, in qua dictum fuit, animam intellectiuam ex corpore indiuiduari, & eſſe ſuum indiuiduale in corpore acquirere, quæſtio non ignobilis diſcutienda occurrit de veritate huius dicti, quæ vt terminetur, explicandus primo eſt eius ſenſus, ac ſentẽtia contraria adducenda, firmandaque, deinde quid ſentiamus dilucidandum, ſimulque probandum, tertio eneruanda, & euellenda ſunt argumenta in oppoſitum.

Quo ad primum, Si ad memoriam reuoces, quæ art. primo quæſtionis de principio indiuiduationis dicebantur, patebit ſenſus huius quæſiti, cum enim indiuiduum id ſibi velit, vt in ſe indiuiſum, & ab aliis diuiſum ſit, idem eſt quærere, vnde indiuidua fiat anima intellectiua, & vnde habeat, vt in ſe indiuiſa ſit, & ab alijs diuiſa, quæritur autem undenam intrinſece hoc obtineat, non autem vnde extrinſece, nullus enim ignorat agentem cauſam principium rerum extrinſecum, & in propoſito Deum, à quo ſolo creationis beneficio prodit in eſſe anima, vnde non dicitur homo generare animam alterius hominis, ſed hominem ipſum, &c.

Illud tamen obſerua, quod alicui vana poſſet hæc quæſtio apparere, quoniam anima intellectiua aut clauditur ſub ordine rerum materialium, aut immaterialium, ſi primum, iam memorata quæſtione indiuiduationis ſuæ principium habitum eſt, ſi ſecundum, (vt reuera dicendum eſt,) iam quæſtione quarta ad cap. præcedens definitum fuit, à quo immateriales ſubſtantiæ, & intelligentiæ fierent indiuiduæ; At non conuincit hic diſcurſus, quoniam licet abſolute loquendo anima humana ſit ſubſtantia immaterialis, non tamen proprie eſt intelligentia, quin multis ab ipſis diſſidet, vt patefeci quæſtione vltima circa caput quartum, & ad initium obſeruationum capitis præcedentis, quod etiam referebam circa tertiam partem huius literæ, immo vero cum ſit forma coniũcta materiæ, ſæpius ſub formarum materialium claſſe locatur, quoniam tamen vere non eſt materialis forma, propterea aliquid ſibi peculiare tribuendum eſt, à quo indiuiduationem recipiat, & nihilominus ob nonnullam quam ad materiales formas, & intelligentias obtinet affinitatem; (qua ratione dicitur ab Auctore ſecundo cont. Gent. 68. quaſi quidam orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum, quoniam eſt ſubſtantia incorporea, & tamen corporis forma,) videbimus, quod pro principio ſuæ indiuiduationis tribuitur aliquid ſimilitudinem habens cum eo rerum materialium, & aliquid ſimile modo indiuiduationis intelligentiarum, &c.

Cauſa huius quæſiti

D.Thom.

Quibus præhabitis; Scotus ſequens quod docuit ſecundo ſent. diſt. 3. q. 6. ſubſtãtiam ſcilicet materialem indiuiduam eſſe per entitatem illam poſitiuam, per ſe determinantem naturam ad ſingularitatem, quam vocare ſolent hæcceitatem, & idipſum inferius q. 7. de omni natura, quæ non eſt de ſe actus purus affirmans, ex conſequenti tenet animam indiuiduari ſua propria hæcceitate. Quæſtione autem ſecunda quolibetali, circa impugnationem ob-

Scoti opinio.

longam ſatis primæ rationis multipliciter conatur oſtendere, quod non fiat indiuidua ex vnione ad corpus, ſed ex ſua propria ſingularitate, ad quod arguit primo in hunc modum:

Anima prius natura eſt terminus creationis, quam infundatur, vel vniatur corpori, primus autem terminus creationis, vt talis formaliter eſt hic, ergo anima naturaliter prius eſt hæc, quam vniatur materiæ, & pari ratione aliæ animæ ita ſe habent, quare in illo priori ante vnionem ad corpus anima & eſt hæc, & ab alijs diſtincta, ergo indiuidua, maior propoſitio probatur ex quinto Diuinorum 16. vbi dicitur, priora eſſe, quæ contingit eſſe ſine alijs, & non e contra, anima vero nedum ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam, ſed & ſecundum exiſtentiam, & vt terminus creationis poteſt eſſe ſine materia, quare, &c. minor clariſſima eſt, nam creatio ad ſingulare hic, & nunc terminatur; Poteſt hæc ratio firmari, quoniam prius eſt in aliquo eſſe, quam ineſſe, non enim valet ineſſe, niſi ſit, poteſt autem eſſe niſi inſit, ſed anima quo ad eſſe eſt terminus creationis, quo ad ineſſe generationis, ergo prius eſt, quam vniatur corpori, eſt autem hæc, quare, &c. Ariſtotel.

Si dicatur ad hoc, & ſimilia argumenta, quod concludant animam eſſe prius hanc, & indiuiduam, quam actualiter ſit corpori vnita, non autem priuſquam aptitudinem habeat ad corpus, ex qua aptitudine ponitur indiuidua; tunc

Secundo arguit, Natura abſoluta præcedit ſaltem natura ſuam aptitudinem, quoniam enim anima eſt hæc, ideo hanc obtinet aptitudinem ad hoc corpus, quæ alteri animæ repugnat, ſed alia ad aliud corpus ei ineſt, tunc ſic; Quod conuenit huic, & repugnat alij eiuſdem ſpeciei, non conuenit huic per ſe ſecundum illud quod eſt commune iſtis, vel ſaltem neceſſario præexigit huius ab illo diſtinctionem; ſed hæc aptitudo conuenit huic, & repugnat illi animæ, ergo neceſſario præexigit diſtinctionem huius animæ ab illa, tantum igitur abeſt, vt aptitudo ſit cauſa prima vel eſſe huius, vel eſſe diſtincti, quod præſupponit & ſingularitatem, & diſtinctionem eius, cuius eſt aptitudo, maior liquet ex terminis, implicat enim vt diſtinctio aliquorum proueniat ab eo, quod eſt illis commune, & in quo conueniunt, hinc Scotus eam non probauit, minor autem manifeſta, & manifeſtata eſt, &c.

Tertio, Si formaliter velimus loqui; ratio aptitudinis non eſt ad ſe, da enim oppoſitum, poſſet intelligi, & non ad aliud, vt terminum, quod pugnat, non enim concipi valet, vt intelligatur aptitudo abſque eo cuius eſt aptitudo; Rurſus, ratio aptitudinis non eſt ratio entis in actu, nam poteſt eſſe aptitudo ad terminum, qui non exiſtat, quod autem exigit neceſſario aliquod non exiſtens, ipſum eſt non exiſtens in actu, igitur aptitudo hæc nequit eſſe principium vnde anima fiat indiuidua, probatur conſequentia, quoniam hæc anima eſt ſingulare abſolutum, & in actu.

Quarto, Habitudo iſta eſt quid reſpectiuum, ergo & præſupponit abſolutum, & non eſt de eſſentia abſoluti, nam iſtæ ſunt conditiones entis reſpectiui, ergo prius præſupponitur anima, & illa non eſt de eius eſſentia; Confirmatur, quoniam ſeparata anima à corpore, perit hæc habitudo, ergo tunc anima non eſſet hæc, & indiuidua, probatur antecedens, quoniam nihil otioſum debet poni perpetuum, otioſe autem tunc anima reſpiceret corpus in via philoſophorum, qui non agnouerunt corpus reuniendum animæ, non eſt itaque in ipſa ſeparata aptitudo illa ponenda; conſequentia autem probatur, quoniam ſublato eo quod indiuiduat, perit indiuiduatio.

Si di-

Si dicatur, quod hæc habitudo non eſt quid reſpectiuum de genere ad aliquid, ſed quoddam tranſcendentale, & ipſamet animæ ſubſtantia, quæ proinde numquam ab ea ſeparabilis eſt, tunc eſt quintum argumentum, quoniam iam anima ſeipſa fit indiuidua, & eius indiuiduatio habita erit quæſtione illa quarta ad caput præcedens.

D.Thom. Vltimo, Habet Auctor de Spiritualibus creaturis ar. nono ad tertium, quod ſicut corpus ſe habet ad eſſe animæ, ita & ad eius indiuiduationem, tunc ſubſumo, quod corpus nullo modo eſt cauſa ipſius eſſe animæ, hanc enim conſtat illud excedere, ab eoque nullatenus pendere, quare neque eius indiuiduatio vlla via pendebit à corpore, vel ab habitudine, quæuis fuerit ad illud.

Toletus. Hanc ſententiam vehementer amplexatus eſt inter recentiores Toletus Cardinalis quæſt. 18. tertij de Anima, concluſione ſecunda, & eandem nonnullis firmare tentauit, quæ tamen miſſa facio, tum quoniam idem petunt, quod iam ex Scoto inducta argumenta, tum quoniam ex dicendis confutata manebunt, Aquarius. tum demum quoniam iam ab Aquario formaliter diſſoluta ſunt dilucidatione ſua vnica ſuper vndecimum Diuinorum, &c.

Quo ad ſecundum; Sententiam Auctoris iam audiſti in hac parte, animæ nimirum indiuiduationem à corpore pendere, quod ipſum docet primo ſent. diſt. D.Thom. octaua, quæſt. quinta, art. ſecundo ad vltimum, & quæſtione de Anima, art. tertio Auicenn. ad 15. & ſecundo cont. Gen. 75. & 81. Quem graui, latoque verborum cir- Caietanus. cuitu præceſſit Auicennas quinta illa parte de Anima, cap. tertio, & quarto, & Capreol. quem ſecuti ſunt omnes eius diſcipuli, vt Caiet. hoc loco, Capreolus in ſecun- Ferrarien. do, diſt. tertia, quæſt. prima circa quintam concluſionem, & eius argumenta, Soncinas. Ferrarienſis vtroque capite cont. Gent. allegato, Soncinas ſeptimo Diuinorum, Iauellus. quæſt. 34. circa ſolutionem ad ſecundum, Iauellus tertio de Anima, quæſt. quin- Aquarius. ta de eſſentia animæ intellectiuæ, Aquarius nominata dilucidatione, Bannes pri- Bannes. mo de Generatione, cap. quinto, quæſt. tertia, ar. 9. ad tertium; Aegidius etiam Aegidius. Correctorio ſuo, art. 30. circa primam par. Auctoris hanc viam ſectatur, quam tamquam veram, ac ex principijs noſtris pendentem ſecuturi & nos elucidare oportet.

Nota itaque primo, quod quemadmodum ſatis patuit quæſtionibus de indiuiduationis principio, & de multiplicatione intelligentiarum ſub eadem ſpe- Ariſtotel. cie, omnis diuiſio ad aures Ariſtotelis tertio Diuinorum 11. & de mente Com- Auerroes. mentatoris primo Phyſ. ſexto, vel eſt per formam, vel per quantitatem, ſimiliter vtrobique dilucidum fuit, omnem diſtinctionem formalem vt ſic eſſe ſpecificam, materialem auté numericam; cum itaque apud omnes conueniat, animas hominum vniuerſas eſſe eiuſdem ſpeciei, numeroque tantum diſſidere, earum ab inuicem diſtinctio à materia deſumetur, vel à quantitate, nó autem vllo pacto à forma vt ſic, vidimus autem abunde memorato de indiuiduationis principio quæſito, ſolam quantitatem non poſſe eſſe cauſam diſtinctionis ſubſtantialis, ſed hanc eſſe materiam quantitate affectam, modo ibidem declarato, vnde relinquitur, vt animarum intellectualium ab inuicem diſtinctio à materia deſumatur, cumq; eadem quæſtione haud obſcure declaratum fuerit, ab eodé habere aliquid vt ab alijs ſecernatur, & in ſeipſo ſit indiſtinctum, (quæ duo ra- Ratio indiuidui. tionem faciunt, & perficiunt indiuidui,) ſequitur, vt per materiam anima intellectiua indiuiduetur, & hic diſcurſus patés, ac firmus eſt, ijs ſuppoſitis, quorum claritas, ac firmitas locis allegatis in aperto poſita eſt.

Sed nota ſecundo, quod res materiales ita à materia vt præhabente in ſua

radice

radice quantitatem indiuiduari dicebamus, vt eiuſmodi materiam veram indiuiduationis cauſam, ſeu potius id vnde vera cauſa deſumebatur traderemus, cuius ratio eſt, quoniam res materiales vt ſic pendent à materia, neque abſque ipſa eſſe queunt; anima vero intellectiua quamuis ſit rei materialis forma, non tamen vel in eſſe, vel in vnitate ſua pendet à materia, ſed eſſe ſuum abſolutum, & independens eſt ab illa, vnde recedente ab ipſa materia, manet adhuc in eſſe, quod nequit dici de rebus vt ſic materialibus; Ex quo fit, vt quamuis ſi debeat numero multiplicari, materia interuenire debeat, attamen non tamquam præbens ei vel eſſe, vel indiuiduationem, ſed ſolum tamquam occaſio, ob quam fiat, quoniam enim hæc anima fit in hoc corpore, & illa in illo, propterea hæc anima eſt hæc, & ab alijs diſtincta; Et hoc diligenter aduertendum eſt, vt ſcilicet dicatur, quemadmodum legis in hac litera, & loco illo præcipue primi ſent. quodque apud Auicennam ibi legis corpus eſſe occaſionem fieri ipſius animæ, non autem cauſam, quod ſi non eſt cauſa fieri, multo minus eſſe, vel indiuiduationis. Materia quo pacto concurrat ad indiuiduationē animæ.

Vnde obſerua tertio, quod cum anima ſit eſſentialiter pars ſpeciei humanæ, & quid in ſpecie ſecundum ſe incompletum, dum fit, & creatur, creatur, vel concreatur coniuncta corpori; creat quippe illam Deus infundendo, vnde à corpore occaſionaliter pendet eius fieri, quoniam corpus eſt altera pars compoſiti, cuius & anima eſt pars, quoniam autem fieri terminatur ad eſſe, iccirco dum anima fit in corpore, acquirit eſſe, cuius plane nullo modo eſt cauſa corpus, ſed Deus; cumque hoc eſſe ſit ſubſiſtens, vbi ſemel id anima eſt aſſecuta, ſemper retinet, quo circa corpus eſt occaſio & fieri, & eſſe animæ, prout eſſe terminat fieri, non autem abſolute; eſt autem occaſio, quoniam cum anima ſit vt dicebam pars, nequit produci ſecundum ſe, & ſeparata à toto ſuo, (iuxta definitum rerum ordinem loquor,) ſed fit in corpore, quapropter non accipit indiuiduationem ſuam à corpore, ſed ab illa commenſuratione, & habitudine, quam ſecundum ſe habet ad illud: Quæ ſane commenſuratio duo poteſt importare, vt recte adnotauit Interpres librorum cont. Gent. cap. illo 81. & fundamentum ſcilicet habitudinis, & habitudinem ipſam, vnde poſſumus dicere, quod ſumatur & fundamentaliter, & formaliter, fundamentum commenſurationis in anima, eſt ipſamet animæ ſubſtantia, ita huic corpori ſecundum ſuam eſſentiam, & eſſe proportionata, ceu propria forma propriæ materiæ, ſuper quā deinde intelligitur fundari habitudo commenſurationis, merito cuius hæc anima dicitur huic corpori commenſurata formaliter, ita ſuper albedinem fundatur ſimilitudo, cuius ope hoc dicitur formaliter illi ſimile; Cum itaque audis animarum diuerſitatem iuxta diuerſam earum ad corpora commenſurationē, non accipias commēſurationem formaliter, vt dicit relationē illam, tunc enim non diſtinguerentur ab inuicem animę ſubſtantialiter, ſed tantum per accidēs ſuperadditum, ſed intellige fundamentaliter, quoniam enim hæc anima ſecundum ſuam ſubſtantiam, & ſecundum ſuum eſſe eſt ita propria forma huius corporis, quod non alterius, habet vt ſubſtantialiter diſtinguatur ab alia anima, quæ ſit alio corpori proportionata, ſed quoniam ad hoc ſubſtantiale fundamentum neceſſario conſequitur habitudo illa commēſurationis, ideo poteſt dici, quod & merito harum habitudinum diſtinguantur animæ. Ferrarien. Fundamentū commenſurationis in anima.

Hæc eleganter habes hoc loco à Caiet. dum inquit, commenſurationem dupliciter ſumi, vno modo vt dicit relationem commenſurationis, (quod dicebat Ferrar. denotare habitudinem, & nos appellabamus commenſurationem formali- Caietanus.

formaliter,) alio modo pro ipſa ſubſtãtiali rei coaptatione, (quod vocabat Ferrar. fundamentum habitudinis, & nos commenſurationem fundamentaliter,) primo modo ſumpta commenſuratio eſt eſſentialiter res dicens reſpectum, & in genere ad aliquid, ſecundo modo eſt res abſoluta, & de prædicamento illius rei, cuius eſt commenſuratio, cum ſit idem eſſentialiter, quod res ipſa commenſurata, ſola ratione ab ea differens; Illud autem cum eodem Caiet. in præſenti obſerua, quod aliquid poteſt dici abſolutum & à termino, quo pacto ſubſtãtia, & omne genus accidentis, excepta relatione eſt abſolutum, & à ſubiecto, ſeu receptiuo, & ſic ſola ſubſtantia eſt ens abſolutum, nam accidens omne eſt in ſubiecto, &c. Commenſurationes ergo ſubſtantiales ſecundo modo acceptæ, iuxta quas dicimus animas indiuiduari ſunt abſolutæ à terminis, licet nõ à receptiuis, ſi enim quid extra ſe reſpiciant, id non tamquam terminum, ſed tamquam receptiuum, anima enim quamuis reſpiciat corpus, non tamen vt terminum, ſed potius vt id in quo recipitur; Vnde accepta vt forma, & vt corpus reſpicit, (velut quoniam pars ſemper reſpicit,) neque eſt ens pure abſolutum, neque præciſe reſpectiuum, ſed ſub ambitum currit earum rerum, quæ mediã tenent ſedem, de quibus in hoc opere non ſemel diſſerui; partim quippe eſt reſpectiua, quoniam ſemper reſpicit corpus, partim abſoluta, quoniam illud non reſpicit ceu terminum, ſic nõn eſt in prædicamento relationis, &c.

Quomodo anima reſpiciat corpus.

Hinc vlterius aduertes, quod ſicut in definitione animæ ponitur, quod ſit actus corporis phyſici, vt indicauit Ariſtoteles ſecundo de Anima ſexto, ita de eſſentia animæ humanæ eſt eſſe actum corporis humani, atque ideo hoc in eius definitione ponitur, & de eſſentia huius animæ eſt eſſe huius corporis actum, vbi liquet commenſurationem hãc fundamentalem animæ ad corpus, (de hac enim ſemper eſt ſermo) non ſequi ipſam animam, ſed eandem cõſtituere, idem enim eſt eſſe actum proprium huius corporis, & ſubſtantialem eius perfectionem commenſuratam; Quocirca diuiditur proprijs differentijs per hoc, quod eſt actus huius, & illius corporis, & rurſus actus corporis huius, ſcilicet humani diuiditur proprijs differentijs, per hoc quod eſt actus talis, ac talis corporis; nam propriæ differentiæ alicuius diuiſi debent per ſe diſtinguere illud vt ſic, & in eo quod tale, velut rationale, & irrationale per ſe diuidunt animal vt ſic, vt habes hoc loco à Caiet. ex Ariſtotele primo de Partibus animalium, cap. 3.

Ariſtotel.

Munus propriarum differentiarum.

Id autem non erit inutile adnotare, quod licet veriſſimum ſit commune philoſophorum axioma ex ſecundo Phyſ. 81. & aliunde excerptum, quod ſcilicet materia eſt propter formam, nõ forma propter materiam, quare ex diuerſitate animarum deberemus colligere diuerſitatem corporum, & non e contra, attamen & veritatis plenum eſt aliud in ore omnium adagium, omne ſcilicet quod in aliquo recipitur, ad modum recipientis recipi, & formam ad modũ materiæ in eadem materia recipi videmus, vnde & proprium actum, ſeu formã in propria materia, ſeu potẽtia recipi docebat Philoſophus octauo Diuinorũ, 11. & alibi, ſic in vtriſque eſt differentia propter vtrumque: nam & ob diuerſitatem formæ eſt diuerſitas in materia, quoniam hæc propter illam, & ob diuerſitatem materiæ eſt diuerſitas in forma, quoniam hæc recipitur in illa ad modum illius, At ſcias, quod in his quæ ſpectant ad ſpeciem, materia trahitur ad modum formæ, quoniam forma conſtituit ſpeciem, & vnumquodque ratione formæ principaliter locatur in ſpecie, in his autem quæ ad indiuiduum attinent, forma trahitur ad modum materiæ, & ei vt ita loquar morem gerit,

Dicta philoſophorum communia.

Ariſtotel.

quoniam

quoniam à materia in habentibus materiam, vel eam reſpicientibus omnis indiuiduatio; ſic membra leonis, & equi differunt, quoniam eorum animæ differunt, ſed anima huius, & illius equi diſcriminantur, quoniam corpora, vel materiæ non ſunt eædem; quocirca cum de indiuiduatione numerali ſit ſermo, nil mirum, ſi dicamus animam eſſe hanc, quoniam hoc reſpiciat corpus, & ab illa diſtingui, quoniam illa aliud corpus reſpiciat. Intellige autem ſemper conformiter ad ea, quæ tertio notabili dicebantur, non enim volumus materiam cauſam huius eſſe animæ, ſed occaſionem tantum, & in fieri ſolum, vnde non inconcinne Ferrarienſis ſecundo contra Gentes 75. dicebat, materiam eſſe cauſam eſſendi animæ ſecundum quid, quatenus ſcilicet eſt cauſa, vt ſit forma huius, habens eſſe in hoc indiuiduo, nequit enim anima eſſe actu forma huius indiuidui, habens eſſe in ipſo, tamquam eius pars, niſi ſit in materia, quamuis enim ſeparata gaudeat eſſe, non tamen in hoc; Addo ego, quod non haberet hoc eſſe ſeparatum, niſi prius habuiſſet eſſe in hoc, quoniam non ſeparatim, ſed corpori infuſa creatur à Deo. Ferrarien.

Quamobrem reſolute, ac breuiter dico, quod Deus creat hanc animam, & ſeipſa anima eſt hæc, nullo videlicet ei realiter ſuperaddito, veruntamen in ly *ſeipſa* includitur intrinſece habitudo ad hoc corpus, & ſi non foret hoc corpus, cui anima eſſet vnibilis, non eſſet hæc, quoniam non acquireret eſſe, cum fiat vt pars, & de lege vſitata nequeat creari niſi in corpore; ita corpus eſt extrinſecum ab anima, non ab habitudine, quam illa ad ipſum dicit.

Non ſum neſcius, conſueuiſſe à quibuſdam diſtingui animam intellectiuam in eo quod ens, & in eo quod forma, ſeu anima, & tunc dici, quod ſub ſecunda ratione nequit eius diſtinctio, aut vnitas, aut perfectio intelligi abſque corpore, quoniam hoc eſt commune omni formæ non habenti eſſe in ſpecie completum, ſed aliunde illud expectat, ex ſubiecto ſcilicet, & perfectibili, in primo autem ſenſu nihil prohibere eam intelligi abſque corporis adminiculo, ſed ratione tantum propriæ entitatis, quapropter theologi licet eodem temporis inſtanti animam dicant infundi quando creatur, attamen in primo inſtanti naturæ eam intelligunt creari, & non infundi; At quicquid fuerit de hac diſtinctione, hæc parum, aut nihil ad rem faciunt, cum non ſit modo ſermo, num poſſit anima abſque corpore intelligi, quamuis enim reſpiciat corpus, nihilominus non vt potentia actum, ſed vt actus potentiam, at ſermo eſt, quomodo anima vere, ac realiter ſit hæc, & quo ab alijs eiuſdem ſpeciei animabus numero diſtinguatur; De illo autem naturæ ſigno nihil in propoſito eſt curandum, quoniam & tunc habet fundamentalem illam aptitudinem, quæ vt dictum fuit nil aliud eſt, quam ipſamet animæ ſubſtantia, à ſeipſa formali ratione differens, vt magis patebit in ſolutione ad quintum. Quorumdam cogitatio. Quomodo anima reſpiciat corpus.

Hæc pro veræ ſententiæ explicatione, ac probatione etiam, nam in ea explicanda eandem probauimus, & eius probatio pendet à quæſtionibus illis de indiuiduationis principio, & de multiplicatione angelorum ſub eadem athoma ſpecie, &c.

Quo ad tertium, Optime primo argumento, eiuſque confirmationi occurrebatur, & neceſſario conſimilibus argumentis ſolutio illa adhibenda venit, quam proinde Scotus ingenioſiſſimus quæſtione illa quolibetali præuidit, vnde quamuis dum creatur anima, in aliquo ſigno naturæ non ſit corpori

actualiter vnita, & non obtineat habitudinem illam pro relatione, & pro formali, ſemper tamen habet illius habitudinis fundamentum, & ſubſtantialem illam commenſurationem, per quam dicimus indiuiduari, quam & à corpore ſeparata retinet, licet tunc non indiuiduetur per illam, quoniam quam ſemel initio indiuiduationem eſt ſortita, perpetuo ſeruat.

Quam aptitudinem præcedat natura abſoluta.

Ad ſecundum, falſum eſt, quod natura abſoluta præcedat ſuam aptitudinem, quando illa aptitudo eſt ipſamet rei ſubſtantia, cuiuſmodi eſt illa, de qua loquimur, verum autem eſt de aptitudine accepta pro relatione, ac pro formali; Quod vero additur de eo quod conuenit vni, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, &c. verum eſt quo ad primam partem, nam licet aptitudo ad corpus conueniat animabus, ſecundum quod ſunt eiuſdem ſpeciei, aptitudo tamen ad hoc corpus non conuenit animæ, ſecundum quod conuenit cum alia anima, vt bene argumentum probat, ſed falſitatem habet quo ad ſecundam, vt ſcilicet illud tale præexigat diſtinctionem huius ab illo, non enim præexigit, ſed ſecum fert, & parit diſtinctionem; Vt enim adfert tibi ſimile

Caietanus.

Caietanus, rationale conuenit homini, & repugnat equo, irrationale e contra ineſt huic, & repugnat illi, & hæc conſtat eis minime ineſſe penes id in quo conueniunt, & nihilominus non præexigunt diſtinctionem hominis, & equi, ſed illam gignunt. Et acute hoc argumentum retorquet in Scotum, quoniam

Retorquetur ratio.

hæccheitas, ſiue ſingularitas animæ Sortis conuenit ſibi, & repugnat animæ Platonis, ergo hæccheitates præſupponunt ipſas animas diſtinctas, quomodo ergo ſunt cauſa earum diſtinctionis? Adde tu, quod ſi veritatem haberet Scotica propoſitio, daretur proceſſus in infinitum, quoniam id quod cauſat differentiam alicuius ab aliquo, certe conuenit vni, & repugnat alteri, ergo ſi hoc præexigat diſtinctionem, petam de illo alio, & ſic numquam erit deuenire ad aliquid, quod faciat diſtinctionem, ſed ſtare ſemper oportebit in aliquo exigente diſtinctionem; Quod ſi dicatur valere propoſitionem in ijs quæ non ſunt diſtinctiua, iam nos dicimus has aptitudines eſſe animarum diſtinctiuas, & præterea nugax eſſet propoſitio, clarum eſt enim, quod ſi hoc conuenit huic, & repugnat illi, iam diſtinguitur hoc ab illo, & ſi hoc non faciat diſtinctionem, certe ſupponitur, &c.

Ad tertium diſtinguitur antecedens pro vtraque parte in materia noſtra, nam quo ad primam, ratio aptitudinis ſubſtantialis de qua eſt ſermo, eſt ad aliud, non quidem vt terminum, ſed vt receptiuum, & ſic poteſt intelligi non ad aliud tamquam terminum, non autem non ad aliud vt receptiuum, quo ad ſecundam falſum eſt, quod ratio aptitudinis ſit ratio non entis in actu, quoniam omnis aptitudo ad actum ſecundum habet rationem entis in actu primo, immo omnis huiuſmodi aptitudo fundatur in ente in actu, & ſimiliter non eſt verum, quod exigens aliquid non exiſtens, non ſit exiſtens, quoniam vt ſtemus in eodem exemplo, quæuis potentia actiua in actu primo tantum exigit ſuam operationem non exiſtere, (quoniam ad hanc, quæ eſt actus ſecundus eſt in potentia,) & tamen ipſa potentia eſt in actu, immo ſi non eſſet in actu, non poſſet eſſe in potentia ad actum ſecundum. Sed vt ſcite

Caietanus.

ait Caietanus hoc loco, æquiuocatio eſt de *aptitudine*, nam hæc per quam ponimus animam indiuiduari, ſemper eſt in anima, neque quid requirit, quod eam ad actum reducat, neque alia conſimilia, quæ de aptitudine ſolum pro formali, ac pro relatione vera ſunt, non de fundamento aptitudinis, & de commenſuratione ſubſtantiali, &c.

Ad

Ad quartum ex eadem doctrina reſpondetur, quod omnia in argumento adducta procedunt de habitudine pro formali, & prout dicit relationem, non autem de ipſamet habitudine fundamentaliter; vt facile patet. Neque otioſe ponitur in anima ſeparata hæc aptitudo, tum quoniam non eſt quid reale additum animæ, ſed eſt identice ipſamet anima, tum quoniam non ponitur tunc, vt ab ipſa indiuiduetur, iam enim ſemel indiuiduata eſt, & indiuiduationem illam numquam non tenet, & ſi huiuſcemodi aptitudo ſubtraheretur, non eſſet cur periret animæ indiuiduatio, quandoquidem in fieri ſolum ponitur indiuiduans, vt eleganti exemplo ex ſenſibilibus pateſaciebat Auctor reſponſione illa ad vltimum loco nominato primi ſent. D. Thom.

Ad quintum reſpondeo cum Ferrarienſe cap. illo 81. ſecundi contra Gent. quod animæ diſtinguuntur ſeipſis identice, hoc eſt, non per vllam realem entitatem eis ſuperadditam, ſed formaliter, non ſeipſis, ſed per commenſurationem ad corpora, quæ ſane commenſuratio formaliter ab ipſa anima diſtinguitur, ſicut homo diſtinguitur ſpecifice à leone ſeipſo identice, quoniam non per quid reale ſibi additum, attamen formaliter per rationale, & per ſuam ſpecificam differentiam diſtinguitur; Non inferas autem, quod nulla conſideratione habita ad corpus diſtinguatur anima identice, quoniam in ipſamet re quæ eſt anima, & in illa identitate clauditur habitudo illa ad corpus, & hæc eſt illi eſſentialis; Hoc illud eſt, quod in quæſtionis titulo dicebam, principium videlicet animæ intellectiuæ indiuiduatiuum habere quid commune cum illo rerum materialium, & immaterialium, nam cum materialibus communis eſt ei materia, quam illa reſpiciunt, cum immaterialibus identitas iſta iam explicata; differt autem à materialibus, quoniam materia actu eſt indiuiduationis principium, & ab ipſa tamquam à cauſa pendet hoc numero eſſe, in anima vero ineſt habitudo ad materiam, à qua non pendet tamquam à cauſa tale eſſe; diſſidet ſimiliter ab immaterialibus, quoniam hæc ſeipſis nullo ordine ad materiam habito indiuiduæ fiunt, quare inter hæc, & illa, media eſt animæ intellectiuæ ſedes.

Ferrarien.

In indiuiduatione quomodo conueniat, & differat anima ab intelligentijs, & materialibus.

Ad vltimum elicitur ſolutio ex ijs quæ inter obſeruandum dicta ſunt, patet enim quomodo eſſe animæ pendeat à materia, nō tamquam à cauſa, ſed occaſionaliter, non in eſſe, vel in termino, ſed in fieri, & in principio; Idipſum intelligebat Auctor de indiuiduatione, vt ex hac litera conſtat, & ex locis alijs prænotatis, &c.

QVAESTIO QVARTA.

An quidditatiue agnoſcat humanus intellectus entia abſtracta.

CIRCA quintam partem, in qua legimus, nos ignorare differentias nedum eſſentiales ſubſtantiarum ſeparatarum, ſed & accidentales, quoniam & earundem propria accidentia nos latẽt, quæ verba attendentes nonnulla de tenui admodum agnitione, quæ apud nos manet de intelligentijs pronunciauimus, moueo dubium famoſum valde, ac perdifficile de notitia, quæ apud nos eſt de ſeparatis ſubſtantijs; In quo definiendo ſex efficiam, nam primo adferam in quo ſit difficultas, & opiniones falſas, & eam potiſſimum Auerrois conſiderabo, ſecundo fundamenta quæ firmiora iudicauerim pro illis ſententijs recenſebo, tertio opinionem præcipue Auerr. repudiabo, & aliorum deinde, quarto veram ponam ſententiam, in eiuſquè explicatione verſabor, quinto eandem confirmabo, occaſione cuius videbitur primo quid in hoc ſenſerit Ariſtoteles, & dubium in Auctoris doctrina ſoluam, vltimo confutabuntur argumenta pro aduerſarijs inducta.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſupponat, quid petat quæſtio, quidque uarij in ea uoluerint.

SVpponitur hac quæſtione nos agnoſcere ſubſtantias ſeparatas, quæritur vero modus, quo eas cognoſcimus, ita ſupponitur cognitio, & cognitionis qualitas indagatur. Quod enim eas dignoſcamus, nulli dubium eſſe poteſt, nam & præcedenti, & præſenti capite multa de ipſis vbique protulimus, quæ omnia nedum coniunctim, ſed ſingula ex ſe ipſarum præexigunt notitiam. Ariſtoteles quoque duodecimo Diuinorũ, præcipue à 29. vſque ad finẽ propemodum libri multa de eis tradit; Cumque omnia hæc, & ſingula arguãt earum cognitionem nedum quo ad quid nominis, ſed & quo ad quid rei, ea propter non dubitatur, an vel abſolute, vel quo ad quid nominis, vel quo ad quid rei eas cognoſcamus, ſed hæc omnia ſupponentes ſcrutamur, num ita quo ad quid rei agnoſcantur, vt omnia earum quidditatiua prædicata ad vltimam vſque differentiam penetremus, quæ cognitio conſueuit vocari, & quidditatiua, & omni ex parte abſoluta, ratione primi, inſinuando omnia, quæ alicui quidditatiue tribuantur, in tali cognitione includi, ratione ſecundi, quod nihil vltra hæc ad eius plenam notitiam exigatur; Quo fit, vt longo ab inuicem diſtent interuallo cognitio quidditatis, & cognitio quidditatiua, quoniam ad illam

illam ſufficit cognitio cuiuſuis prædicati eſſentialis, qui enim agnoſcit hominem eſſe ſubſtantiam, cognoſcit eius quidditatem, ad hanc vero requiritur, vt omnia eſſentialia prædicata teneantur; Et conſulto loquor de prædicatis eſſentialibus, ac quidditatiuis, vt excludam vel virtutem, vel poteſtatem, vel reſpectum ad alia, & ſimilia, nam cum horum ignoratione ſtabit quidditatiua notitia, ceu & beatæ mentes in patria dicuntur noſſe Deum quidditatiue, quoniam nihil eius illas latet, non tamen omnibus modis eum agnoſcunt, neque quantum cognoſcibilis eſt, vnde à nemine comprehenditur. Cognitio q̃dditatis. Cognitio q̃dditatiua.

Hinc duo breui colliges, alterum, quod nobis hac in re non eſt cum Scoto dimicandum, quamuis etenim primo ſent. diſt. 3. quæſt. prima, probet nos habere conceptum de Deo, eumque agnoſcere, non tamen vult, vt perfectam omni ex parte de ipſo teneamus notitiam, & licet ibi dicat, in aliquo conceptu nos concipere quidditatiue Deum, attamen nomine cognitionis quidditatiuæ nil aliud vult, quam cognitionem illam, cuius beneficio prædicatum aliquod quidditatiuum agnoſcitur, nam deinceps tertio ſuo dicto docet, ac probat non agnoſci Deum in particulari, & proprie; ſic verbale dumtaxat diſſidium inter nos, & ipſum verſari innuit Caiet. hoc loco, & dilucidius p.p.q. 88. art. 2. & Bannes com. eiuſdem quæſtionis notabili 3. quod & Ferrar. docet vltimis verbis ad caput 45. tertij cont. Gent. & Iauellus quæſt. 3. ſecundi Diuinorum, & Fonſeca quæſt. 1. in caput eiuſdem libri primum. Alterum eſt, quod dum aliquando legis apud Auctorem, & præcipue quæſtione de Anima, ar. 16. intellectum noſtrum non cognoſcere de ſeparatis ſubſtantiis quid ſint, nomine cognitionis quid eſt accipe cognitionem quidditatis perfectam, per quam ſcilicet agnoſcuntur omnia eſſentialia prædicata, non autem intelligas ipſum velle, nullum earum prædicatum eſſentiale nos poſſe aſſequi. Quid nomine quidditatiuæ cognitionis velit Scotus. Caietanus. Bannes. Ferrarien. Iauellus. Fonſeca. D.Thom.

Nota vlterius, quod quidditatiua hæc cognitio cum duplici via haberi poſſit, & immediate ſcilicet, & mediate, & rurſus hoc modo dupliciter, vel per ſpeciem propriam, vel per ſpeciem alterius rei perfecte ipſam repreſentantis, de omnibus his cognitionibus, ſeu de omnibus his modis huius cognitionis inquirimus; Quare dubitatur, num intuitiue, & per eſſentiam poſſimus agnoſcere intelligentias, (quæ eſt immediata cognitio, abſque vlla nimirum ſpecie,) & num per propriam ſpeciem, vel per alterius rei, quæ perfecte ipſas exprimat, quorum vtrumque eſt mediatus agnoſcendi modus. Multiplex cognitio.

Illud etiam obſerua, quod cum intellectus noſter in duplici ſtatu poſſit conſiderari, & vt ſcilicet eſt corpori coniunctus, vel vt non eſt ſeparatus à magnitudine, vt verbis vtar Ariſtotelis tertio de Anima 36. & vt eſt corpori alligatus, ſeu à magnitudine non ſeparatus, quæſtio noſtra non eſt de intellectu vt ſeparatus eſt, ſed ſolum de eo prout eſt corpori coniunctus, & pro huius viæ ſtatu; Cumque hoc modo poſſit conſiderari, & vt cognitione naturali, & ſupernaturali imbuitur, procul eſt ab hoc quæſito conſideratio de cognitione ſupernaturali, quocumque modo illa fuerit, ſed ſolum iuxta naturalem cognitionem inquirimus, ſic enim & merita ipſius intellectus ſecundum ſe metimur, & cum philoſophis præcipue loquimur, qui cognitionem ſupra naturæ vires ignorarunt. Ariſtotel.

Demum aduerte, quod quamuis hoc loco Auctor loquatur tantum de intelligentiis aliis à prima, dum dicit earum differentias nos neſcire, quoniam tamen eadem poteſt eſſe difficultas circa cognitionem intelligentiæ primæ, & priſci philoſophi hac de re differentes, eam ad primam quoque intelligentiam exten-

extendiſſe viſi ſunt, dum in abſtractorum contemplatione hominum fœlicitatem conſtitutam dixerunt, (quæ ſane in primi entis potiſſimum ſpeculatione ſita eſt,) eapropter & de ipſius primæ intelligentiæ accipi poteſt quæſtio hæc, nihil tamen ſpeciale de ea proferetur, quoniam quæ omnia dicent, & cōmonſtrabunt nos alias à prima intelligentias perfecte cognoſcere non poſſe, multo amplius dicent, & oſtendent de prima, &c.

Eſt igitur quæſtio, an noſter intellectus corpori coniunctus, cognitione naturali immediata, vel quouis modo mediata valeat quidditatiue, ac omni ex parte noſſe abſtracta entia.

Auerrois poſitio. His præmiſſis; Auerroes ſecundo Diuinorum com. 1. & 36. tertij de Anima, & tractatu de Animæ beatitudine, & epiſtola de connexione intellectus abſtracti cum homine, docet manifeſte partem affirmantem, quamuis enim minime dicat noſtrum intellectum cognoſcere abſtracta quidditatiue, omnes tamen eum in hoc ſenſu acceperunt, & qui ei ſuffragantur, & qui refragantur, quod & eius tantus labor declarat; nulli enim dubium poterat accidere de imperfecta, diminutaque eorum agnitione, vnde cum plurimũ laborauerit in aſſignatione modi, quo noſter intellectus hanc notitiam aſſequitur, cumque ad perſcrutanda antiquiorum philoſophorum placita non mediocrem induſtriam adhibuerit, manifeſtum fit, id de notitia omnino perfecta accepiſſe; Accedit, quod non niſi in fine vitæ hanc cognitionem docet homini accidere, & quando rerum omnium notitiam homo calluerit, quæ vera non eſſent de quauis cognitione, & denique loco allegato tertij de Anima, vult hominem in hoc aſſimilari Deo, quoniam eſt omnia entia quoquo modo, & ea aliquo modo ſciens, & ordinem hunc mirabilem, modumque iſtum eſſendi extraneum dicit, quæ omnia ſatis indicant, ipſum non de qualicumque, ſed abſoluta, & quidditatiua notitia locutum.

Hanc vero Commentatoris ſententiam ſi concluſionem ſpectes, facillimam, ſi modum quo uult hominem hanc notitiam adipiſci, & ea quæ pro hoc modo explicando ingerit, difficillimam comperies, vnde in ea explicanda non parum inſudarunt Iandunus quæſt. 37. tertij de Anima, & quæſt. 4. ſecundi Diuinorũ, Sueſſanus ſuper illum 36. eiuſdem tertij, Marcus Antonius Genua ibidem, Achillinus quolibeto quarto, dubio 3. qui omnes poſt multa, & multa quæ attulerunt, dubitaruntque, eidem Auer. aures dederunt, in quorum ſerie & Zimara venit connumerandus contradictionibus ſuis ſuper Auerroem, circa primum illum ſecundi Diuinorum, & theoremate 76. Albertus etiam magnus tertio de Anima, tractatu 3. cap. 11. & mentem Auerr. commemorat, & quamuis quibuſdam ab eo diſſentiat, attamen in huius negotij concluſione viſus eſt ei adhærere. Auctor etiam p. p. quæſt. 88. art. 1. & tertio cont. Gent. 43. & ibidem Expoſitor, Auer. poſitionem ſatis examinant, quod & ab Aegidio ſecundo Diuinorum, q. 14. effectum eſt, & demum à Caiet. hoc loco.

(Iandunus. Sueſſanus. Genua. Achillin. Zimara. Alb. magn. D. Thom. Aegidius. Caietanus.)

Explicatur mens Auer. Dicamus nos, id Auerr. in hoc propoſito placere, quod uelut ex vnione poſſibilis intellectus nobiſcũ intelligimus materialia merito illius copulationis, quam ipſe ſcriptam reliquit com. 5. tertij de Anima, & quam nos poſtrema quæſtione ad quartum caput adduximus, & repudiauimus, ita vbi poſſibilis hic intellectus adeptus fuerit omnia intellecta ſpeculatiua, tunc continuatus erit intellectui agenti, nedum vt efficienti, ſed etiam vt formæ, & per illum intelliget ſubſtantias ſeparatas, ac ex conſequenti, nos quibus tunc hic intellectus agens erit forma, dicemur intelligere ſubſtantias ſeparatas.

Pro

Pro cuius ſententiæ clara reſolutione collige, quæ idem Commentator proli xa illa digreſſione poſt relatas opiniones Alexandri, Auempace, & Themiſtij præmittit.

Et primo, quod intellectus in nobis exiſtens duas habet actiones ſecũdum quod nobis tribuitur, quarum vna eſt de genere paſſionis, & eſt intelligere, (ecce intellectum poſſibilem,) alia eſt in genere actionis, & eſt extrahere formas, eas à materijs denudando, & actu intellectas facere, quæ prius poten tia ſolum erant intelligibiles, (ecce agentem intellectum,) quæ ſecunda actio eſt prior in nobis, quam ſit prima, vel nobilitate, vt intellexerunt Iandunus, & Sueſſanus, vel natura, vt expoſuit Genua, (quod tamen pridem reiecerat Sueſſanus,) vel etiam definitione, vt idem Sueſſanus tamquam melius credens adiecit. Duplex intellectus actio.

Secundo, quod intellecta fiunt in nobis dupliciter, hoc eſt, quæ intelligimus, duplici via acquirimus, quædam enim naturaliter, ceu primas propoſitiones, quæ cum ſint per ſe notæ, neſcimus quando extiterint, vel quomodo nobis adueniunt, quædam autem intellligimus voluntarie, ex ratiocinatione ſcilicet, velut concluſiones ex primis deductas propoſitionibus. Duplicis ordinis cognita.

Tertio, quæ à nobis naturaliter intelliguntur oportet vt ſint ab aliquo, quod in ſe ſit à materia liberatum, & hoc eſt intellectus agens, ea enim ex quibus conſtant prima principia, ſunt potentia tantum ſecundum ſe intelligibilia, quare munere intellectus huius fiunt actu intelligibilia, at quæ voluntarie ſcimus, pendent ex primis propoſitionibus, & ex intellectu agente, nam ſi hic intellectus eſt cauſa cognitionis primarum propoſitionum, & hæ ſunt cauſa concluſionum, certe intellectus agens eſt vtrorũque cauſa. Quod vero primæ propoſitiones ſint cauſa cognitionis concluſionum, liquido conſtat, quoniam ex principiis formaliter eliciuntur concluſiones; ſic dicebat Auerr. non poſſe à nobis dici, propoſitiones non habere introitum in eſſe intellectorum acquiſitorum, hoc eſt, non habere cauſalitatem ſuper concluſiones: Dicebat autem bene Sueſſanus, primas propoſitiones eſſe ab intellectu agente, tamquam à cauſa proxima, concluſiones vero, tamquam à cauſa vniuerſali, & remota. Sueſſanus.

Quarto, quod cum hæc duo concurrant ad notitiam concluſionum, intellectus agens ſe habet vt efficiens principale, & vt forma, propoſitiones vero primæ, vt inſtrumentum, & materia, non quidem vere, ſed ex aliqua proportione, quoniam ſunt quid minus perfectum, quando enim duo ſunt in vno ſubiecto, quæ ordinem habent eſſentialem inter ſe, oportet vnum eſſe perfectius, aliud minus perfectum, & illud rationem formæ, hoc materiæ induit; Sic cum intellectus poſſibilis recipiat & agentem intellectum, & primas propoſitiones, nulli poteſt eſſe ambiguum, quod ille rationem habeat formæ, & principalis agentis, hæc vero materiæ, & inſtrumenti, quo modo cernimus idem eſſe ſubiectum receptiuum coloris, & lucis ſimul, diaphanũ videlicet, & lux eſt efficiens colorem, ſic poſſibilis intellectus, (quem ſæpius vocat Auer. materialem, ob proportionem quam habet ad materiam, cum ſit pura poten tia in genere intelligibili, &c.) recipit primas propoſitiones, & agentem intellectum, qui eas efficit, ſic diaphano reſpondet intellectus poſſibilis, colori propoſitiones, primæ luci intellectus agens. Intellectus poſſibilis quo modo vocatus ab Auer.

Quinto, quod ſic inuenitur via, qua intellectus agens continuatur nobiſcum, nam intellectus qui in nobis eſt in actu, compoſitus eſt ex intellectis ſpeculatiuis, hoc

nis, hoc eſt ex primis principiis, & concluſionibus, & ex intellectu agente; & hoc modo poterimus generare intellecta, hoc eſt intelligere, quando placuerit, quoniam formam nobis vnitam habebimus, intellectum ſcilicet agentem; illud autem in quo eſt forma alicuius operationis principium, operari poteſt dum ei libet; Modus autem, quo forma hæc, intellectus ſcilicet agens generatur in nobis, hoc eſt vt forma vnitur, eſt iſte, quoniam intellecta ſpeculatiua, hoc eſt principia, & concluſiones copulantur nobiſcum per formas imaginabiles; hoc eſt per phantaſmata, intellectus vero agens copulatur cum intellectis ſpeculatiuis, & ita nobiſcum. Sic tres gradus videtur adferre Auerroes, primum, quo peruenimus ad intentiones imaginatas, hoc eſt ad phantaſmata, vt fiant nobis formæ, ſecundum, quo mediis his phantaſmatibus pergimus ad intellecta ſpeculatiua, quæ ipſorum phantaſmatum ſunt formæ, tertium, quo munere horum ſpeculatiue intellectorum accedimus ad intellectum agentem, qui eſt ipſorum forma, ita cum intellectus poſſibilis ſit ſubiectum vtriuſque, & intellectorum videlicet ſpeculatiuorum, & intellectus agentis, & illa nobiſcum copulentur, copulatur & iſte.

Sexto, quoniam merito ſpeculatiue intellectorum intellectus agens nobiſcum vnitur, ideo bene ſequitur, vt quando illa fuerint in nobis potẽtia exiſtentia, iſte quoque erit nobis potentia copulatus, & quando omnia illa fuerint in nobis actu, ipſe etiam erit nobis actu coniunctus, & demum quando quædam illorum fuerint actu, & quædam potentia, ipſe ſimiliter erit nobis vnitus ſecundum partem, & ſecundum partem non, & tunc dicimur moueri ad continuationem, ſiue coniunctionem agentis intellectus nobiſcum; Ita non prius tempore copulatur nobiſcum intellectus agens, quam intelligatur à nobis, quoniam eius ad nos vnio, non eſt niſi eius intellectio, & e contra, attamen copulatio eſt cauſa intellectionis, non vice verſa, non enim ideo copulatur, quoniã intelligimus, vt voluit Auempace, ſed iccirco intelligitur, quoniam copulatur, vnde à Sueſſano, & à Genua appellatur copulatio prior natura ipſa intellectione. Accipe vero intellectum agentem nobis ſecundũ partem, & partem vniri, vel quoniam vt Albertus magnus ait, accipit continue intellectus poſſibilis lumen agentis, eique de die in diem ſimilior efficitur, vel quoniã ex Ianduno, (quod in idem prope redit,) poſſibilis magis, ac magis accipit cognitionem agentis, vel cum Sueſſano, & Achillino, hæc partibilitas non eſt ex parte intellectus in ſe, at ex parte ipſius, quatenus eſt copulabilis, ita vt copulatio, & diſpoſitio fiat per partem poſt partem, vel demum cum Genua, ratione primæ operationis intellectus agentis, quæ eſt abſtrahere, & illuminare phantaſmata, in qua paſſiua illuminatione poſſibilis ſucceſſiue perficitur.

Quomodo intellectus agẽs ſecundum partem vniri dicatur.

Septimo, quod dum motus iſte complebitur, quando ſcilicet omnia intellecta ſpeculatiua erunt nobis in actu, mox iſte intellectus copulabitur nobiſcum omnibus modis, & hic erit terminus ad quem motus ſpeculatiui, & tunc homo intelligit per intellectum ſibi proprium omnia entia, & ſeparata ſcilicet, & non ſeparata, & agit actionem ſibi propriam, & opus hominis, inquantum eſt homo, vt ait Albertus, iuxta quem modum homo ex Themiſtij ſententia aſſimilatur Deo, in hoc quod eſt omnia entia quoquo modo, & ea quoquo modo ſciens, vnde in hoc termino cognitionis homo eſt fœlix, quem plane ordinem, quo in fœlicitatem aſcendit homo, admirabilem vocat Auer. & modum eſſendi extraneum, quoniam vt ait Sueſſanus eſt quodammodo ſupra naturam, raro eueniens, & longa temporum periodo, vel quoniam eſt val-

Alb.mag. Themiſt. Sueſſanus.

eſt valde diuerſus à primo modo eſſendi, nimirum ante hanc vnionem, vt interpretatus eſt Genua.

Genua.

Octauo, ex his habetur cauſa, quare noſter intellectus intelligat de nouo formas ſeparatas,& cur nobis in fine continuatur,non autem in principio,quæ cauſa ex intellectis ſpeculatiuis eſt accipienda, hæc enim poſſibili intellectui non ſunt ſemper vnita, & ex conſequenti intellectus agens non eſt nobis vnitus,(patet hæc conſequentia ex quinto dicto,)quando vero ſpeculatiua intellecta nobis coniuncta habemus, tunc & agens intellectus vnitur, & per eius eſſentiam intelligimus,& quamuis in ordine ad nos intellectio hæc dicatur noua, comparata nihilominus intellectui in ſe, æterna eſt.

Nono colligere potes, an cognitio quam habet intellectus de ſubſtantiis abſtractis, ſiue quam habet intellectus hominis fœlicis,vt loquitur Sueſſanus. ſit ſpeculatiua,aut pars ſcientiæ ſpeculatiuæ; & dicas,quod licet non ſit ſcientia ſpeculatiua, eſt tamen quid procedens curſu rei generatæ naturaliter, hoc eſt,ſe habet inſtar illarum, quoniam in nobis aggeneratur ex diſciplina ſcientiarum ſpeculatiuarum, quoniam ex ipſarum acquiſitione enaſcitur nobis intellectus agens vt forma, vnde ſpeculatiua ſcientia eſt ad hanc vnionem cauſa diſpoſitiua, qui ſane intellectus agens quando eſt nobis vt forma vnitus,vocatur intellectus adeptus,& diuinus quoque à magno Alberto, & adeptum quidem crediderim vocari, quoniam ex omnibus intellectibus emergit, & nobis adeſt, & ex intellectu quando accipitur pro cogitatiua, & ex intellectu poſſibili,& ex intellectu principiorum, & concluſionum, & ex ipſomet vt forma; diuinum autem, quoniam operationem exercet præſtantiſſimam, intelligendo ſcilicet abſtracta, & circa diuina ſpeculando, ratione ſcilicet operationis, & obiecti.

Cognitio de abſtractis qualis ſit.

Intellectus agens cur dicatur adeptus.

Cur diuinus.

Decimo, quod intellectus agens connectitur nobis,nedũ vt agens,& appropriatiue, vt voluit Alpharabius in Nichomachia, hoc eſt in moralibus ad Nichomachum Ariſtotelis filium,aui nomine appellatum, vt inquit Genua, tunc enim non magis vnietur homini, quam reliquis entibus, quocirca vt forma etiam nobis coniungitur, ſic per ipſum vt agens eſt, mouetur homo, per eundem vt forma,fœlix fit,& tota fiducia in hac poſſibilitate, & continuatione declaranda,fuit hæc vnio per modum formæ intellectus agentis ad ipſum hominem, &c.

His totam in hoc Auerr. mentem nobis videmur collegiſſe, quam perobſcure ab ipſo traditam,& experti ſumus in ea colligenda, & alij aliorum ad idem labores demonſtrant.

Cum Auerr. in hac ſententia ſunt philoſophi ipſo antiquiores, nimirum Auempace, Alexander, & Themiſtius, quippe qui licet non eadem, ſed longe diuerſa via ab ea, quam ex Auer. retuli, ad eandem tamen concluſionem declinarunt, quorum ſententias legis abunde apud ipſummet Commentatoré loco prænotato tertij de Anima,& à tribus illis philoſophis,Ianduno videlicet, Sueſſano, & Genua, qui digreſſionem illam Auer. examinarunt plene audis. Eaſdé habes apud Albertum tractatu illo 3. eiuſdem libri,cap. 6.7.& 8.vbi & cap. 9. habes poſitionem Auicennæ, & Algazelis; Romanus quoque Aegidius ſecundo Diuinorum à 9. quæſtione vſque ad 15.Auer.Alexandri, Themiſtijque ſententias refert,quibus & illas Empedoclis, & Alpharabij aggregauit;Auctor etiam tertio contra Gent. 41. mentem Auempace,& adfert,& aufert,quod & facit pri.p. quæſt.illa 88. art.2. Idipſum cap.42. præſtat circa poſitionem

Auctores varij

Kkkkk Ale-

Alexandri, & 45. circa illam Themiſtij, quæ loca ſi placet intueberis, ipſe enim breuiſſime, & ſtrictim horum philoſophorum methodos, quibus volebant nos in abſtractorum poſſe venire notitiam referam.

Auempace igitur, (quem Auer. inquit multum in hoc negotio & laboris, & perſcrutationis impendiſſe, & ab eius cogitatione neque per nutum oculi receſſiſſe, & quem Albertus cap. illo 8. tota vita ſua pro hac quæſtione ſolicitum fuiſſe perhibet,) ſtatuens poſſibilem intellectum in nobis exiſtentem, & organo affixum, agentem vero ſeparatum, aſſeruit, quod intellectus ſemper, & inceſſanter res in ſuas quidditates reſoluendo, demum ne in infinitum protendat, peruenit ad quidditatem ſubſtantiarum ſeparatarum non habentem aliã quidditatem, & rurſus cum quidditas intellecti non ſit quidditas indiuidui, cum intellectũ vt ſic ſit vniuerſale, noſter intellectus poterit intelligere quidditatem, cuius intellectus eſt vnus apud omnes, quæ plane eſt quidditas ſubſtantiæ ſeparatæ.

Mens Auempace.

Alexander vero ponens intellectum poſſibilem eſſe aptitudinem quandam in nobis, ac præparationem ad ſpecierum receptionem, vt patet primo ſuo libro de Anima, cap. de intellectu practico, & ſpeculatiuo, & ſecundo eiuſdem, cap. 21. quem & mortalem perperam poſuit, vt conſtat ibidem, cap. de Intellectu agente, & omnibus hominibus non orbatis, vel mutilis à ſui ortus principio communem, participemque fecit, eodem libro, cap. de intellectu materiali, ſtatuens deinde intellectum in habitu eſſe ſpecies intelligibiles ibidem, cap. de intellectu ſecundum habitum, quem proinde non omnibus hominibus accommodat, ſed exercitatis ſolum in ſtudiis, docens vlterius intellectum agentem non eſſe animæ noſtræ facultatem, ſed mentem deforis aduenientem, perpetuum, immortalemque, Deum ſcilicet præpotentem, vt ibi legis, capite de intellectu agente, & ſecundo libro, cap. 16. denique cap. nunc allegato ex primo libro ait, quod intellectus qui res incorruptibiles ſecundum ſe & abſtractas nouit, eſt intellectus incorruptibilis, non ſubiectus, non materialis, quoniam hic cum anima cuius eſt poteſtas corruptibilis ſimul interit, (nefaria verba,) eoque intereunte, eiuſdem habitus, poteſtas, & perfectio vnà corrumpuntur; Quocirca ex hoc Alexandri loco habetur, quod poſſibilis intellectus non eſt ille, quo nos agnoſcimus res abſtractas, & incorruptibiles, ſed eſt intellectus incorruptibilis, quem ibidem ait ab Ariſtotele deforis aduenientem nuncupari, quoniam inquit eſt intellectus ab extra in nobis genitus, non autem poteſtas animæ, quæ in nobis ſit, neque habitus, per quem intellectus poſſibilis, ſeu potentiæ, & res alias, & hunc eundem intellectum incorruptibilem apprehendat. Veruntamen ſubdit Auer. loco nominato tertij de Anima, & epiſtola illa de connexione intellectus abſtracti cum homine, Alexandrum quodam tractatu, ſeu libello de intellectu, cap. 5. addit Genua, (quem librum ipſe deſidero,) contrarium docuiſſe ijs, quæ ex ipſo in libris de Anima mox recenſebam, quoniam ibi vult intellectum, qui eſt in potentia, quando fuerit completus, aut augmentatus tunc intelligere agentem, quod manifeſtat exemplo de virtute incedendi, quam homo à natiuitate habet, hæc enim venit ad actum poſt tempus, quando id per quod fit ambulatio perficitur, ſic intellectus cũ fuerit perfectus, ea intelligit, quæ ſunt per ſuam naturam intellecta, & faciet ſenſata intellecta, quæ verba inquit Auerroes, manifeſtum eſſe obſtare eiuſdem verbis ex libris de Anima adductis. Illud ſufficiat, quod nos de mente Alexandri, vel ope intellectus agentis iuxta doctrinam ſuam in libris de Ani-

Quædam quæ ſenſit Alexander.

Quid de Alexandro in hoc dicat Auer.

de Anima, vel beneficio poſſibilis, iuxta doctrinam illius tractatus, valemus intelligere, & intellectum agentem, & ea quæ ſecundum ſe ſunt intellecta, entia nimirum abſtracta.

Iam vero ſuccedit ſententia Themiſtij, quæ clara eſt tertio de Anima, cap. 51. affirmantis, intellectum noſtrum vtrumque, & materialem, ſeu poſſibilem, & agentem cognoſcere res illas, quæ à materia prorſus ſunt ſeparatæ, eaque facultate poſſibilem præditum, (de hoc enim tantum apparebat difficultas,) ut ipſas poſſit comprehendere, & quamuis ſit inferior agente, attamen inquit, non eſſe eo nomine inferiorem, quod non attingat genera immaterialia, ſed ex eo quod hic nec ſemper attingit, nec ſemper intelligit, agens vero & ſemper attingit, & ſemper intelligit; Quam poſitionem roborat argumento per locum à minori, quod adducetur inferius, & hoc loco breuiſſimũ ſe gerit Themiſtius in tantæ rei deciſione, vt non immerito dixerit Auer. tractatu illo de animæ beatitudine, cap. 3. ipſum dixiſſe in hoc verbum abbreuiatum, cuius breuitatis ſeipſum excuſat ibidem inquiens, id ſolũ ibi attingere, quoniam locum alium ſe dicit habere ſeruatum, in quo ho c & doceat, & demonſtret, & vltimis verbis illius capitis ait, hæc & ſæpius, & diligentius fore ſibi ſcrutanda, & recuperanda, quæ loca inquit Ludouicus Nogarola in Scholiis ad caput illud 51. eſſe, & principio ſecundi, & fine noni libri Diuinor. atque Themiſtij verba græco, & latino deinceps idiomate refert, at vtrumque locum fruſtra ipſe videre tentaui.

Poſitio Themiſtij.

Auerroes.

Nogarola.

Vltimo loco adeſt poſitio Auicennæ, & Algazelis, quorum cap. illo nono meminit Albertus dicentium, intellectum noſtrum poſſibilem eſſe principio vt tabulam nudam, addiſcere autem hominem, quoniam formas intellectas acquirat, hoc ſcilicet modo, quod intellectus agens eas denudat, & intellectui poſſibili coniungit, & cum vnaquæque illarum formarum reddita eſt intellecta ab agente, in quauis earum poſſibilis conuertitur ad agentem, & quando fuerit perfecta eius ad ipſum conuerſio, tunc agens vnitur poſſibili tamquam forma, & tunc merito huius formæ, hoc eſt agentis intellectus ſibi vt forma vniti intelligit ſeparata; Vnde ex horum ſententia addiſcere nil aliud eſt, quam acquirere perfectam habitudinem, qua materialis, ſeu poſſibilis intellectus conuertatur ad agentem, qua habitudine acquiſita omnia nouit; cuius ſane viæ, quam poſuit Auicennas in noſtra intellectione, mentionem habet Auctor p.q.84. art.4.&c.

Sententia Auicennæ, & Algazelis.

D.Thom.

Hæc de ſententiis variis, ac famoſioribus antiquorum circa hoc negotium, nam illæ Alpharabij, & Empedoclis ab Aegidio recenſitæ, eædem videntur eſſe cum illa Auempacis, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Confirmantur inductæ ſententiæ.

ADeſt prima ratio, quæ ex longo Auer. diſcurſu poteſt colligi, velut eam præſenti quæſtione collegit Caiet. Quod mouetur ad aliquid, tamquam formam acquirendam, ſi formam illam perfecte acquiſiuerit, poteſt exire in operationem, quæ eſt illius formæ propria, colligitur hæc propoſitio ex quinto dicto Auer. & de ſe manifeſta eſt; ſed po ſſibilis intellectus vt eſt nobis appropriatus, mouetur ad acquirendum intellectum agentem, tamquam formam, pa

tet hæc popoſitio ex tota ferè Auer. digreſſione, potiſſimum à quarto dicto incipiendo vſque ad vltimum, ergo vbi acquiſiuerit ipſum, poterit propriam illius operationem exercere, ſubſumas autem, quod propria operatio intellectus agentis eſt cognoſcere abſtracta quidditatiue, vt colligitur ex ſeptimo dicto, ergo intellectus poſſibilis intelliget quidditatiue abſtracta, ergo nos eodem modo ea intelligemus, quoniam poſſibilis intellectus eſt nobis vnitus; Et hæc ratio poteſt iuuare Auempace, & Alexandrum, maxime ſi iſte in ſecundo ſenſu accipiatur, & Auicennam quoque.

Aristotel. Secundo poteſt elici ratio ex hac Auer. digreſſione, Quoniam in contemplatione liquet fœlicitatem, ac beatitudinem Ariſt. poſuiſſe 10. Ethic. cap. 7. & 8. clarum autem eſt, eam verſari in contemplatione entium maximæ nobilitatis, ad ipſam autem peruenit homo iu hac vita, vt ibidem ex Ariſtotele colligitur, & ex primo eiuſdē facultatis, cap. 10. igitur in hac vita cognoſcet homo quidditatiue abſtracta; Neque enim valet dicere, quod ea qualicumque cognitione cognôſcer, tunc enim mox homo eſſet fœlix, ſiquidem diſciplinis vacans, ſtatim aliqualem poteſt intelligentiarum cognitionem obtinere, & tamen non niſi in perfecta ætate homini conſtituto vult ibidem Ariſt. accidere poſſe fœlicitatē; Et hæc quoque ratio facere poteſt pro Auempace, Alexand. & Auicen.

Tertio adeſt ratio eiuſdem Auerrois ſuper illum primum ſecundi Diuinorum, in qua deducit ad hoc inconueniens, ſi intelligentiæ à nobis non agnoſcerentur, quod fruſtra à natura fuiſſent effectæ, & quoniam hæc ratio vbique ab Auctore confutata inuenitur, ideo & Iandunus tertio de Anima quæſt. illa 37. & q. 4. ad ſecundū. Diuinorum, & Zimara in contradictionibus Auer. eiuſdem primi textus ſatis laborant, vt eam defendant, dicentes, quod ſi non ſit finis primarius intelligentiarum vt à nobis intelligantur, ſaltem eſt ſecūdarius, & quod noſter intellectus fruſtra factus eſſet, ſi nō haberet potentiā paſſiuam ad eas agnoſcendas, quoniam illę ſe habent vt obiectū actiuum, & motiuum ad noſtrum intellectū, addente altero, quod niſi à noſtro intellectu agnoſcerētur, tūc à nullo, & neque à ſeipſis, & tunc vere fruſtra factæ fuiſſent à natura; deducit Zimara conſequentiā, quoniā vel repugnat intellectui noſtro eas noſſe, quatenus intellectus, vel quatenus humanus intellectus eſt, ſi primū, iam nullus intellectus eas noſſe poſſet, ſi ſecundum, hoc falſum eſt, quod probat argumento illo, quo vno Themiſtius loco relato poſitionem ſuam roborauit, quoniam nimirum ſubſtātiæ ſeparatæ ſunt magis intelligibiles, quam hæc materialia, quoniam hæc intelliguntur, quatenus ope intellectus agentis à materia ſeparātur, illæ vero ſecūdum ſe intelligibiles ſunt, ſi ergo noſter intellectus hæc materialia comprehendat, multo magis intelliget res ſimpliciter ſeparatas, & materiæ ſordibus, (ſic loquitur Themiſtius,) prorſus vacuas, & abſolutas. Sed & quidam Rugerius tractatu ſuo de intellectu, quem miſit D. Tho. pro reſponſione ad tractatum ſuum cōtra Auerroiſtas, conſequentiam hanc Zimaræ, (referēte Ferrar. tertio cont. Gent. 45.) muniuit, ſi noſter intellectus non poſſit abſtractas ſubſtantias intelligere, ergo ſunt ſimpliciter ignoratæ, quoniam ſi nequeat intelligere Deum, ergo nulla mediarum intelligentiarū valet illū intelligere, ſi enim Deus non poteſt recipi in eo quod eſt maxime receptiuū in genere abſtractorū, cuiuſmodi eſt noſter intellectus, neq; poterit recipi in eo quod in illo genere eſt minus receptiuum, ergo nulla mediarū poteſt intelligere mediā, (eadem enim videtur eſſe ratio,) & ex conſequenti neque ſeipſam, ergo ſunt omnino ignoratæ, quod ſi dicātur intelligi à Deo, contra hoc illud eſt, quod Deus extra

Ianduni, & Zimaræ conatus.

Ratio Themiſtij.

Rogerius. Ferrarien.

ſeipſum nihil intelligit, intelligentiæ autem ſunt extra ipſum, quare &c.

Quarto, Vnio formæ ad propriam materiam eſt quid ei optimum, ergo debet ei cõmodo eſſe, nõ impedimento, ſed inter ea quæ omnia nobiliſſima poteſt habere hæc forma, quæ eſt anima intellectiua, illud præſtantius eſt, vt agnoſcat entia illa ſuperiora, ergo tantum abeſt, vt ex ſui vnione ad materiam impediatur ab hac cognitione, quod potius ea debeat iuuari, non eſt igitur dicendum, quod coniuncta corpori nequeat percipere abſtracta, & quod ſeparata id valcat aſſequi; Et hoc fuit motiuum Ianduni, confirmatum propoſitione illa, qua dicitur, Bonum ſimpliciter alicuius naturæ, non impedire bonum ſimpliciter eiuſdem naturæ, quæ ſane confirmatio idem omnino petit, quod in argumento explicaui. Ianduni ratio.

Quinto, Aliæ intelligentiæ, quæ ſuis orbibus aſſiſtunt, intelligunt ſubſtantias ſuperiores, intelligentia namque Lunæ intelligit intelligentiam aſſiſtẽtem Soli, cur igitur intellectus applicatus homini, tamquam intelligentia orbi proprio de mente Auerr. non intelliget ſubſtantias ſibi ſuperiores? Nihil autem ſuperius eſt intellectu humano præter Deum, & intelligentias; Si dicatur intellectum non eſſe aſſiſtentem homini, ſed illum informantem, vt reuera dicendum eſt, hoc non tollit argumentum, nihil enim minus intelligeret intelligentia Lunæ illam Solis, ſi eam informaret, quam intelligat nunc, quando ei credimus aſſiſtentem. Confirmatur hæc ratio; intellectus noſter conuenit in genere cum intelligentijs, cur ergo ſi ſeipſum intelligit, nequeat & illas intelligere? Neque dicendum eſt, adeſſe ſpecificam differentiam inter ipſum, & intelligentias, quamuis enim hoc ſit veritatis plenum, attamen nihil facit, alioquin ſequeretur, quod nulla intelligentia poſſet aliam noſſe, ſiquidem ſpecie ab inuicem diſſident.

Sexto, Qui cauſæ alicuius effectum adæquatum intuetur, & cauſam illam comprehendit, ſed nos cernimus effectum adæquatum intelligentiarum, ergo eas comprehendimus, & ex conſequenti quidditatiue attingimus, maior propoſitio ex ipſis vocibus effectus *adæquati* patet, ex qua probabat Auctor prima par. quæſt. 12. ar. 8. non poſſe aliquem videre in Deo quicquid poteſt facere, quoniam iam cerneret adæquatum eius effectum, & ſic illum comprehenderet, minor probatur, quoniam videmus orbes moueri, qui plane motus orbiũ eſt adæquatus intelligentiarum effectus, ſaltem apud philoſophos, vt conſtat duodecimo Diuinorum 48. vbi ex numero motuum habetur numerus ipſarũ, vanum autem eſſet ex numero effectuum inadæquatorum venari numerum cauſarum, quoniam dici poſſet, ex alijs earum effectibus alium colligi numerum debere. D.Thom. Ariſtotel.

Septimo, Nos omnes natura duce ſcire deſideramus, ergo & intelligentias, immo has maxime, cum enim ſit earum cognitio delectabiliſſima, & longe charior cognitione horum inferiorum, vt habetur in Ariſtotele primo de Partibus animalium, cap. 5. & in Auerr. de Subſtantia orbis, ad finem cap. 2. ideo maximum nos tenet deſiderium illas dignoſcendi, nequit autem deſiderium vniuerſo hominum generi à natura inditum fruſtrari, ergo &c. Dicetur forte, nos deſiderare earum cognitionem qualemcumque, & quia ſint, non quid ſint, ſed hoc magis roborat argumentum, quoniam cognitio *quia* magis accendit, magiſque animos hominũ excitat ad notitiam pleniorẽ adipiſcendam, & præterea res ipſa docet, nos cũ aliquid de eis ſcimus, plura ſemper in dies optare. Auerroes.

Vltimo, Extat apud Ariſtotelem primo de Anima 26. & 33. ſimile ſimili cognoſci, Ariſtotel.

cognoſci, maior autem eſt ſimilitudo inter noſtrum intellectum, & intelligentias, quam inter ipſum, & hæc materialia, & tamen hæc agnoſcimus, quare &c. Quod ſi dicatur illas eſſe ſimiles intellectui noſtro in natura, non in aliqua intentione, quoniam illarum non poſſumus habere ſpeciem, tunc illud militabit, quod par erit iudicium de Deo, & de alijs intelligentijs, nam & Deum glorioſum agnoſcimus quo ad *quia*, qualicumque notitia eum attingentes, qui tamen in infinitum à nobis diſtat, quod nequit dici de alijs intelligentijs, itaque admiſſo, quod propter Dei infinitatem ipſum nequeamus quidditatiue cognoſcere, hæc tamen ratio non habet locum in alijs intelligentijs, de quibus eſt quæſtio, quæ certe ſi minus diſtant, magis cognoſcuntur, Deus autem à nobis imperfecte attingitur, & quo ad *quia*, ergo intelligentias attingemus perfecte, & quo ad *quid*.

Hæc ratus ſum efficaciora argumenta pro horum philoſophorum ſententia firmanda, neque facilis omnino ſolutionis apparent; ſcio alia permulta adeſſe, at legentes ad auctores apud quos ſoluta habentur remittemus, ea pro vera opinione fundamenta iacturi, quæ annexa ijs quæ dicentur pro inductorum ſolutionė, nullam non ſoluent difficultatem, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

Reÿcitur Auerrois, & aliorum ſententia.

LOnge, lateque à vero diſtat commemorata ſententia, & quidem omnium illorum philoſophorum vnanimis concluſio ſimul impugnabitur, ſed præſtat prius conſiderare modũ ab Auerr. excogitatum, quem vtique locis multis egregie confutatum legis apud Auctorem, præcipue vero prima par. quæſt. illa 88. ar. primo, vbi ſex rationes contra illum format, & tertio contra Gentes 43. ſex alias adfert. Dicamus nos primo cum ipſo, commentitiam prorſus eſſe illam vnionem, ſeu illas vniones, nam & poſſibilis, & agens intellectus non ſunt ſubſtantiæ à nobis ſeparatæ, ſed veræ noſtræ animæ partes, (in quo etiam Albertus fatetur ſe ab Auerr. diſſentire,) ac ſubinde ſemper coniunctæ, quare cum falſa penitus ſit vnio illa agentis intellectus in fine, (de hac enim præcipue loquitur in hoc Auerr.) vana quoque omnia ſunt, quæ illa ſuppoſita in eius gratiam ſunt allata, vana deinde omnia, quæ docent Achillinus, & Sueſſanus de noſtra fœlicitate, quam conſtituunt in cognitione, ſeu vnione intellectus agentis, non enim intellectus agens, qui eſt pars animæ noſtræ eſt Deus, vt illi ſtulte poſuerunt, quæ autẽ omnia nunc breui attingimus, locupletius quæſtione vltima ad quartum caput & expendimus, & muniuimus; Quapropter non eſt vt adducam rationem illam, quam ſecundo loco format Caiet. in præſenti contra hanc Auerrois viam, qua vere oſtendit hominem ex hac vnione nõ intelligere, ſed potius intelligi, quoniam nominata quæſtione vidimus eam firmiſſimam extitiſſe Auctoris rationem, eiuſque vires manifeſtauimus contra reſponſa varia, ſeu mauis fugas eam defendendo.

D.Thom.

Caietanus.

Verum diſputationis gratia demus Auerroi, intellectum agentem eſſe ſeparatam ſubſtantiam, aſſentiamur ei vnionem illam ſuam, quæ tamen purum eſt figmentum, & dicamus cum Auctore ratione quinta loci allegati cont. Gen. & cum

cum Caiet. hac in parte ratione prima, quod quemadmodum patet ex inducta Commentatoris poſitione, & præcipue quinto, & ſexto dictis, intellectus agẽs non copulatur nobis niſi merito intellectorum ſpeculatiuorum, in ordine ad quæ habet certe rationem factiui, & formæ, vnde igitur ſequitur, quod copuletur nobis quatenus cognoſcit ſubſtãtias ſeparatas? Enimuero hic intellectus duplicem habet habitudinem, alteram ad intellecta ſpeculatiua, alteram ad ſeparatas ſubſtantias, in ordine ad illa comparatur vt forma, & vt agẽs, ſeu actiuus, nam vere ſpeculatiua intellecta ſecundum ſe in potentia ſolum, actu facit intelligibilia, & eſt eorum forma, vt patuit in primo dicto, ad hæc vero nequaquam habet hanc comparationem, quoniam intelligentiæ ſecundum ſe ſunt actus intelligibiles, ſed eas tantum contemplatur, & earum eſt cognoſcitiuus, ponatur ergo quod nobis vniatur merito omnium ſpeculatiue intellectorum, quæ conſequentia eſt illa, ergo vnitur quatenus eſt abſtractorum contemplatiuus? Hinc iure optimo dicebat Auctor ibidem, in tali vnione manifeſte inueniri fallaciam accidentis, quoniam ex vno aliud colligitur, quoniam enim homo, & intellectus agens ſunt aliquo modo vniti, (eſt enim hic vnitus illi ratione habitudinis ad ſpeculatiue intellecta,) infertur conſequens, ac ſi modis omnibus eſſent coniuncti, vnde accidit intellectui agenti vt intelligat ſubſtantias ſeparatas, quatenus eſt nobis vnitus, quoniam hoc ſibi conuenit non ſecundum quod nobis copulatur, ſed prout à nobis eſt ſeparatus; Si dicatur intellectum hunc eſſe nobis aliquo modo vnitum, & quoniam ipſe eſt cognoſcitiuus abſtractorum, ideo nos dicamur cognoſcere abſtracta; contra, quoniã tunc fruſtra tantopere laboraſſet Auerr. in aſſignanda cauſa huius intellectionis vnione illa ratione ſpeculatiue intellectorum, iam enim in aperto eſt, quod ratione huius, & hoc modo vnionis nos non intelligimus abſtracta, quare ſat erat dicere, ideo nos intelligere, quoniam agens intellectus nobis eſt coniunctus, & ſic male arguiſſet Alexandrum, quod non poſuerit modum continuationis. Confirmatur, quoniam habitudo ad abſtracta eſt nobilior, quam habitudo ad ſpeculatiue intellecta, quare non ſequitur, quod ſi nobis coniungatur ratione habitudinis inferioris, vt copuletur ratione excellentioris, quod ſi habitudo ad ſpeculatiue intellecta dignior eſſet, aliqua poſſet videri apparentia, vt ſi continuetur nobiſcum ratione habitudinis ſublimioris, quod & id eueniat ratione humilioris, at res oppoſito modo ſe habet.

Intellectus agentis habitudines.

D. Thom.

Præterea, ex Auerr. intellectus poſſibilis eſt ſubiectum recipiens, & intellecta ſpeculatiua, & intellectum agentem, hunc quidem tamquam formam, illa tamquam materiam, vt colligebatur in quarto dicto, ſciſcitor ego, an intellectus hic agens ſit Deus, an vero ſit aliqua ſubſtantia immaterialis vltima inter intelligentias, ſuperior tantum intellectu poſſibili, primum abſurdiſſimum eſt, (quod tamen tradunt Achillinus, & Sueſſanus,) tunc enim homo ex his materialibus, (hæc enim ſunt ſpeculatiue intellecta) venit in quidditatiuam Dei cognitionem, quod tamen falſum eſſe oſtendetur paulo inferius, & rurſus fieret ſatis quæſtioni dicendo, quando poſſibilis intellectus cognoſcit agentem, nouit abſtracta, immo omnium abſtractiſſimum, Deum videlicet, & ſic de extremo ad extremum abſque vllo medio tranſiret, & primo agnoſceret intelligentiã ſupremam, quã medias, quæ omnia vaniſſima, & prorſus ridicula ſunt; ſi dicatur ſecundũ, (quod rationabilius eſt, quodq; dat Iandunus quæſt. illa tertij de Anima,) conſtat nullam eſſe conſecutionẽ, ſi cognoſcatur hic intellectus agens, ergo aliæ intelligentiæ, cuius cõſecutionis nullitas erit inferius magis conſpicua.

Achillin.
Sueſſanus.
Iandunus.

Vlterius

Vlterius peto, num intellectus hic agens de quo hi loquuntur habeat alias operationes vltra illam, qua fit forma ſpeculatiue intellectorum, an non, ſi hoc ſecundum, iam non cognoſceret abſtracta, quod eſt contra Auerr. ſi primũ, velut de neceſſitate ipſis dicendum eſt, non ſequitur, quod ſi vniatur nobis ratione ſpeculatiue intellectorum, vt ipſum quidditatiue agnoſcamus, quoniam eum attingimus ratione ſolum inferioris operationis, non ratione officiorum ſuorum magis nobilium, quod ſi ipſum non totaliter dignoſcimus, quomodo ergo quidditatiue? Enimuero cum in homine ſint functiones animæ ſenſilis, & intellectualis, ſi agnoſco ipſum ratione operationum animæ ſenſilis tantũ, nullatenus ſequitur, vt illum quidditatiue cognoſcam. Dicetur forſam, quod ex ſpeculatiue intellectis venimus in quidditatiuam abſtractorum notitiam; Sed tunc eſt argumentum, quod ſemper illa cognoſceremus, quoniam ſemper aliqua ſpeculatiue intellecta nouimus; Sed reſpondebitur, quod non ex cuiuſuis notitia id ponitur prouenire, ſed ex illa dumtaxat omnium; At nulla eſt hæc reſponſio, quoniam nulla certe alia de cauſa dicitur, quod non oriatur illa cognitio ex quolibet in ſingulari ſpeculatiue intellecto cognito, niſi quoniam tale, & tale cognitum non adæquat perfectionem intellectus agentis in ſubſtantijs abſtractis dignoſcendis, (da enim quod adæquaret, profecto dignoſceretur,) at pari via neque omnia ſpeculatiue intellecta ſimul exæquant perfectionem illam intellectus agentis, prout eſt abſtractorum contemplatiuus; ſiquidem omnia hæc ſpeculatiue intellecta non ſunt ſecundum ſe intelligibilia, ſed fiunt talia virtute agentis intellectus, quomodo ergo poſſunt adæquare huius perfectionem, cui iſti tantam elargiuntur virtutem, dum quidam Deum aſſerũt, quidam intelligentiam, quæ ſecundum ſe eſt actu intellecta? An non docebat idẽ Auerr. tertio de Anima 18. quod dum intellectus agens facit rem ſenſibilem actu intelligibilem, eam transfert de ordine in ordinem? alter itaque eſt ordo potentia tantum intelligibilium, & intelligibilium actu, ſic alter erit ordo ſpeculatiue intellectorum, & alter intelligentiarum, quomodo ergo res vnius ordinis, & maxime inferioris poterit ducere in cognitionem quidditatiuam rei alterius ordinis, & potiſſimum ſuperioris? Certe velut quoduis ſpeculatiue intellectum ex ſe eſt alterius ordinis ab intellectu agente, quatenus eſt abſtractorum ſpeculatiuus, & illum non adæquans, ac ſubinde ex illius ad nos continuatione minime conſurgit notitia hæc intellectus agentis, ita omnino ſentiendum eſt de omnibus ſimul ſpeculatiue intellectis, vt patefaciebam.

Defenditur hæc ratio.

Auerroes.

His accedit, quod fœlicitas bonum longe commune eſt, & ab omnibus diſciplina quadam, & intelligentia valet acquiri, modo ad virtutem conſequendam læſi, ac manci nõ fuerint, vt ad verbum ſcribebat Ariſtoteles primo Ethic. cap. 9. ergo impoſſibile eſt, vt poſita ſit in notitia iſta omnium ſpeculatiue intellectorum, & in ſubſequenti agentis intellectus continuatione, probatur conſequentia, quoniam nedum valde laborioſum, ſed & impoſſibile eſt omnia ſpeculatiue intellecta quempiam noſſe, & concedatur hoc poſſibile, perpauci erunt illi, qui id poterunt obtinere, quomodo ergo fœlicitas erit commune bonum? Huic argumento reſpondet ex parte Achillinus, quod nomine ſpeculatiue intellectorũ non accipitur generaliter omnis ſpeculatiue intellectus, hoc etenim fatetur non eſſe bene poſſibile ab aliquo comparari, ſed intellectus ſpeculatiuus naturalium, & metaphiſicalium: Sed multa ſunt contra hanc reſponſionẽ, quæ eam omnino frangunt, atque nullam penitus declarant; Primo namque voluntarie omnino excluditur cognitio practica, & de ſpeculatiuis naturalia ſolum

Ariſtotel.

Quomodo huic rationi occurrat Achillinus.

Impugnatur varie.

ſolum, & metaphyſica aſſumuntur, tot alijs relictis, & neglectis, vnde Sueſſanus inquit, modico intellectus ſpeculatiui deficiente, non haberi hanc copulationem, quoniam pro eius generatione totus ſpeculatiuus requiritur intellectus, & Iandunus nomine omnium ſpeculatiue intellectorum videtur accipere omnes concluſiones, ac ſcientias illarum rerum, quæ ad vniuerſi requiruntur perfectionem; Deinde Auerr. prologo ſuo magno ſuper libros Phyſicorum, parum ab initio, vult hominem ipſum eſſe perfectum per ſcientiã ſpeculatiuam, & hanc fœlicitatem poſtea ſequi ſcientiam de moralitate virtuoſam in omnibus ſpeciebus ipſarum virtutum moralium, conſtat autem, quod ad omnem ſpeculatiuam, & moralem notitiam multo plura exiguntur, quam quæ in naturalibus, & metaphyſicis tradita habentur ab Ariſtotele, & Auerroe. Deinde concedamus ſola naturalia, ac metaphyſica ſufficere ad hanc fœlicitatem, peto, quis hæc perfecte vnquã fuerit adeptus? Inquit, Ariſtotelem, & Auerroem hos extitiſſe, vnde firmiter tenet eos fœlices fuiſſe, licet imperfecte, at ſi commonſtrauerimus Ariſtotelem illorum notitiam haud vndequaque calluiſſe, idipſum & de Auerroe dicendum erit, libenter enim credo ipſum Ariſtoteli primas conceſſurum, cum Auerr. ſuus ita eum in fine nominati prologi, & tertio de Anima, comm. 15. & alibi laudet, & celebret, vt regulam in natura datum, & exemplar ad perfectionem humanam oſtendendam appellet, aliaque permagnifice de ipſo enunciet: Nunc intueamur, an omnia naturalia, & metaphyſica ſciuerit Ariſtoteles; Nullus ignorat, mundi æternitatem ab ipſo poſitam octauo Phyſ. & alibi eſſe inter præcipua fundamenta ſuæ totius de natura philoſophiæ, ac diuinæ, & tamen cõſulatur ipſemet peripateticorum princeps primo Topicorum, cap. 9. & dicet, hoc ſibi problema eſſe, & eius rationem non habere, cum magnum quid ſit, vnde arduum, cenſet propter quid aſſignare, hæc enim eſt problematum natura, & eodem capite exemplum adferens de problematibus, poſitionem hanc de mundi æternitate adduxit. Rurſus videatur duodecimo Diuinorum 48. vbi enim multa de numero intelligentiarum tulit, & 45. faſſus fuerit ſe in hoc negotio aliorum placita requirere, & certioribus adhærere, inquit concludendo rationabile eſſe, vt earum numerus ſit ille quem definiuit, at id neceſſarium non eſſe fatetur, relinquens potentioribus iudicandum, non igitur huius quæſiti ſcientiam habuit, nec ſe habere credidit. Vlterius adeas ipſum primo Metheororũ, ſumma ſecunda, cap. quarto, vbi de cometarum cauſis, ac differentijs ſecundum propriam ſententiam, (poſt illas antiquorum repudiatas) vult diſſerere, videbis trepide ſatis loqui, & ſub initium palam profiteri ſe de ijs, quæ ſenſus noſtros fugiunt, tunc ſufficienter demonſtratum cenſere, ſi quæ doceantur ad poſſibile reduci queant, ex quibus profecto aliquid non ſequatur inconcinnũ ad ea quæ ſenſu apprehẽdimus. Poſtremo legas eundem primo de Partibus animalium, cap. 5 initio, & deinde pulchra nimis verborum phraſi maniſeſtantem quam tenuem de ſeparatis ſubſtantijs cognitionem teneat, quem locum art. ſequenti expendam; Quomodo igitur omnia naturalia, ac metaphyſica conſecutus eſt, ſi in rebus vtriuſque facultatis potiſſimis ſe aliquid non certo, ac perfecte ſcire clamet? Mitto quam ſæpe libris de Hiſtoria, ac Generatione animalium multa ei dubia, incertaque accidant, in quibus ſe nihil certo affirmare poſſe affirmat, quæ loca non eſt vt nominatim recenſeam. Omnibus his accedit, quod multa abſolute falſa credidit ipſe Achillinus Ariſtotelem in philoſophia docuiſſe, vt quod vnus ſit numero omnium intellectus, quod æterna

Sueſſanus.

Iandunus.

Auerroes.

Iudiciũ Auerrois de Ariſt.

Quæ ab Ariſtotele nõ plene agnita.

entia non dependeant à primo effectiue, & vere Philoſophus ipſe pleraque falſitatis plena docuit, vt mundi, temporis, primæ materiæ, ac motus æternitatem, intelligentiarum numerum; Quomodo igitur omnium ſibi notitiam peperit? Quomodo fœlix eſſe poteſt? An ſtat fœlicitas in falſis edocendis? An in continuatione intellectus agentis merito ſpeculatiue intellectorum, ex quibus falſa permulta emergant? Ad extremum, eſt argumentum contra hanc reſponſionem Achillini, ait enim Ariſtotelem, & Auerroem dubio procul fœlices extitiſſe vt dicebam, ſed addit imperfecte propter aliquas finis circumſtantias aliter habendas, quam ipſi intellexerint, vide quæ doceat hic vir, vult intellectum agentem eſſe Deum, vult hunc Ariſtoteli, & Auerr. fuiſſe continuatum, & nihilominus hos minime plene fuiſſe fœlices, rurſus vult eos finem conſecutos, & tamen non circumſtantias finis, quæ omnia & pugnare, & veram, ac chriſtianam doctrinam minus bene referre videntur. Et certe mirari non deſiſto philoſophum hunc, & alios lumine fidei colluſtratos, viros aliàs percelebres, qui cum veritate duce ſciant multa falſa in via Auerr. docere debere, ſi quaſdam eius poſitiones velint tueri, non potius enunciauerint, quod reuera eis erat enunciandum, nimirum fabulas, & fictiones ea eſſe, quæ plerumque docuit Auerroes, & ipſi ſuperſediſſent à mille falſitatibus proſerendis pro altera falſitate tuenda. Idque mihi ſuadeo, quod ſi Auerr. alia via veritas conſpecta fuiſſet, ceu ab illis fide duce agnita fuit, numquam quid falſi docuiſſet, cuius falſitatem vere nouiſſet, hi tamen certo ſciunt ſe multa falſa tradere, & nihilominus ea pro Auerr. ſuſtinendo dicere, & ſcribere non formidant.

Contra nonnullos philoſophos.

Occurrit alia via huic eidem argumento Iandunus quæſt ſua ad ſecundum Diuinorum præcitata dicens, quod fœlicitas eſt bonum commune per cauſalitatem, non per inhærentiam, vnde non requiritur, quod inſit multis ſuppoſitis hominum ſimul, ſed ſufficit cognitionem Dei eſſe cauſam omnium finalem, At hoc reſponſo non euacuatur argumentum, ſi enim fœlicitas eſſet communis hoc ſolum modo, male dixiſſet Ariſtoteles eſſe communem omnibus non læſis, vel mancis; rurſus ſi communis ſit per cauſalitatem, oportet in omnibus cauſari aliquid, ex quo moueantur vniuerſi ad ipſam obtinendam, & vere ſic eſt, nam fœlicitatem omnes concupiſcunt, cum enim hæc ſit ſummum bonum ex imperitiſſimorum quoque ſententia, vt habes apud Platonem in Euthidemo, & apud Ariſtotelem primo Ethicorum, cap. 7. cumque bonum ipſum omnia appetant, immo hæc ſit boni definitio, vt legis in primis verbis primi eorundem, illud neceſſario conſequitur, vt omnes hanc fœlicitatem appetant, quod ſi pauci adeo eam conſequantur, nonne naturale, idemque commune deſiderium maxima ex parte fruſtatur? immouero nonne penitus otioſum, cum intellectum illum adeptum nullus fuerit ſortitus? Quocirca nulla ſunt, quæ addit Iandunus, quod ſcilicet in aliquo indiuiduo hominis fruſtetur, & non in ſpecie., & quod non omnes naturali inclinatione ferantur ad ſpeculationes, quoniam omnis homo appetit fœlicitatem, & beatus nemo inuitus euadit, ex tertio Ethicorum, cap. 5. Nullatenus itaque ponenda eſt humana fœlicitas in hac adeptione, ſiue continuatione, cum potiſſimum, & Plato, & Ariſtoteles eam locarint in ſapientia, virumque ſapientem vere fœlicem nuncuparint, vt habes ex iſto, 10. eorundem, toto cap. octauo, ex illo vero, loco relato in Euthydemo, & nullam vmquam huiuſce continuationis ad intellectum agentem, vel adeptum mentionem habuerint, cum tamen de fœli-

Quomodo eidē obuius eat Iandunus.

Impugnatur.

Plato. Ariſtotel.

Vbi locarint fœlicitatē Plato, & Ariſtot.

citate,

citate, ac beatitudine vterque ſermonem longum non vno tantum loco inſtituerit, ſed ſemper ex diſciplinarum ſtudijs eam proficiſci voluerint, &c.

Hæc quo ad Auerroem, quæ tamen aliorum quoque philoſophorum ſententiam euertunt.

Quo ad poſitionem Auempace, eam ſufficientiſſime habes impugnatam apud Auctorem tertio illo contra Gentes 41. per ſex rationes, Auerroes etiam eandem locis memoratis reſpuere videtur. Siquidem quidditas non dicitur vniuoce de quidditatibus horum ſenſibilium, & de illis abſtractorum, quoniam illorum eſt ſenſibilis, ex materia, & forma conſtans, potentia ſolum intelligibilis, horum vero eſt actu intelligibilis, ſola forma, à ſenſibus libera, &c. quare ex illarum abſtractione nequit ad notitiam harum quidditatiuam deuenire, licet quandam poſſit attingere, remotum ſcilicet ipſarum genus arripiendo, quatenus tandem in communi quadam notione quidditatis conueniunt, cognitio autem generis præciſe, eſt longe imperfecta, communia ſolum luſtrans; & ſi ex cognitione vnius ſenſibilis vt ſic non habetur perfecta omnino cognitio alterius ſenſibilis, multo minus ex ſenſibilibus nanciſci erit notitiam abſtractorum, magis enim diſſidet ſenſibile ab intelligibili, quam vnum ab alio ſenſibili. Ita ſoluitur eius motiuum, nam impertinens eſt harum quidditatum materialium abſtractio ad aſſequendam perfectam abſtractorum notitiam. Sed & Ariſtoteles tertio de Anima 39. eſt manifeſte contra hanc ſententiam, quoniam ibi habet, quæcumque dicuntur abſtractione intelligi, ea in ſpeciebus ſenſibilibus intelligibilia eſſe, quantumcumque igitur abſtrahatur quidditas à quidditate, ſemper in ſpeciebus ſenſibilibus agnoſcetur, & ſic numquam per ſpecies ſeparatas intelligentur. Neque ſequitur proceſſus in infinitum, quoniam in ſeparatione animæ à corpore peribit abſtractio, toto autem vitæ decurſu ſcientijs, & nouis vacare non inconuenit, immo erat Solonis præceptum, tamdiu ſtudendum, quamdiu viuitur, & Plato à Philedono laceſſitus, quod non minorem operam in diſcendo, quam in docendo impenderet, ab eodemque ſciſcitatus, quoad diſcipulus eſſe vellet, reſpondit, quamdiu meliorem, ac peritiorem me eſſe pœnitebit, &c.

D. Thom. Auerroes. Quidditas materialium. Abſtractorũ. Ariſtotel. Solonis præceptum. Platonis reſponſum.

Quo ad Alexandrum, vide ſuorum dictorum plenam confutationem apud eundem Auctorem eodem libro, cap. 43. de quibus non eſt hic locus differendi, & contradictione illa omiſſa, cuius eum ab Auerroe vidimus damnatum, quoniam fortaſſis accepit intellectum in habitu, quando dixit intellectum potentiæ vbi peruenerit ad finem generationis, &c. intellecturum intellectum agentem, non autem acceperit poſſibilem intellectum, quem negarat poſſe abſtracta dignoſcere, vnde intellectum illum vocat potentiæ, non poſſibilem, & potentiæ nomen ſibi valet adaptari, quatenus comparatur intellectui in actu, vnde Auctor non meminit huius contradictionis; Sed quicquid de hoc fuerit, irrationabilis penitus eſt poſitio ſua, nam vel fuerit intellectus in habitu, vel poſſibilis, vterque ab ipſo mortalis ſtatuitur, quocirca intellectus agens neutrius illorum poteſt eſſe forma, quoniam apud ipſum æternum non poteſt fieri forma generabilis, & corruptibilis, ſin autem dicat intellectum agentem illum eſſe, qui abſtracta intelligat, quod iuxta eius doctrinam eſt neceſſario dicendum, cum eiuſmodi intellectum dicat eſſe Deum, explicanda erat Alexandro continuatio huius intellectus nobiſcum, cumque nequeat aſſignare, quo pacto nobis vniatur vt forma, quomodo nos per aliquid à nobis

D. Thom. Contra Alexandrum.

ſecundum eſſe ſeparatum valebimus intelligere? Neque eius ratio quicquam eſſi. it, damus enim, quod quando erit perfectus intellectus poſſibilis, exiet in actum, ſed certe iuxta modum ſui generis tantum, non alterius, & præcipue altioris, ſic intelligit modo ſuo, non autem iuxta eum modum, quo entia abſtracta intelligunt; Rurſus hæc generatio eſſet in omnibus, vel ſaltem in plurimis, at nullus hoc adhuc obtinuiſſe inuentus eſt, vt contra Auerroem arguebam. Et demum generatio iſta, & hoc complementum attenditur vel penes abſtracta, quæ ſucceſſiue intelliguntur, vel penes hæc materialia, ſi primum, iam à principio ea agnoſcet, & non erit complementum expectandum, ſi ſecundum, fiat quæuis, & quantæuis additio, augeatur in infinitum, vt ita dixerim, numquam ex ipſis deueniet quis ad perfectam abſtractorum notitiam, vt in præcedentibus opinionibus reijciendis dicebatur, &c.

Themiſt. Quod attinet ad Themiſtium, nihil dicendum eſt, cum enim concluſionem tantum docuerit, nulla aſſignata methodo, qua talem notitiam poſſibilem manifeſtauerit, iam impugnata manet eius concluſio, & rurſus impugnabitur ſequentibus art. eiuſque ratio vltimo art. circa ſolutionem ad tertium confutabitur, &c.

Contra Auicēnam. Auicennæ demum ſententia non eſt ſuſtinenda, cum enim velit ſpecies intelligibiles actuali intellectione ceſſante non remanere in intellectu, non patet via, qua poſſibilis intellectus per formas temporis ſucceſſu prius ab agente receptas, deinde ad ipſummet agentem tamquam formam, quam debeat recipere conuertatur; Quod ſi dicat, licet formæ illæ tranſierint, reliquiſſe tamen in illo hanc aptitudinem, tunc ſurgit argumentum commune omnibus his philoſophis, quoniam formæ illæ rerum materialium nequeunt talem gignere notitiam, cum ſint alterius ordinis; præterea vel agens intellectus vnitur in fine poſſibili eo modo quo vniebantur antea formæ illæ intellectæ, quæ præceſſerunt, vel diuerſo, ſi primum, tunc non vnitur niſi vt forma quædam facta intellecta in actu, vel ſaltem quatenus eſt alia faciens intellecta in actu, at non quatenus eſt intelligentiarum contemplator, ſi ſecundum, hoc apparet voluntarie dici, & præterea non erat, cur tot priorum formarum receptio præcederet in intellectu poſſibili, quoniam ad quid ab eis diuerſum nequeunt diſponere, ita præcipue, vt plene ea penetret, & ita æque in principio, atque in fine poterat vniri; Denique vana eſt huiuſcemodi intelligendi via, ſiue vnionis ad intelligendum, nam intellectus agens eſt ſemper nobis coniunctus, tamquam animæ noſtræ facultas, & reiectum legis ordinem hunc intelligendi apud Auctorem prima parte, quæſt. illa 84. art.

D. Thom. quarto, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Veram ſententiam cum ſua explicatione.

D. Thomæ opinio. AVctor vbique ſentit, quod noſter intellectus corpori alligatus nequit ſubſtantias à materia abiunctas quidditatiue cognoſcere, ita docet quæſt. de Anima, art. 16. tertio contra Gent. 45. ſuper primum ſecundi Diuinorum, p. p. quæſt.

quæſt.88. art. 1. & in hac parte. Quamobrem hæc tota hac quæſtione vnica erit concluſio: Noſter intellectus in hoc ſtatu nullatenus poteſt intelligentias quidditatiue attingere. Concluſio.

Pro notitia aduerte facile ex doctrina, quæ colligitur ex Ariſtotele primo illo ſecundi Diuinorum, quod difficultas in re aliqua dignoſcenda ex duplici capite oriri poteſt, vel ſcilicet ex re ipſa, vel ex noſtro intellectu, cum enim cognitio importet habitudinem quandam inter obiectum cognitum, & potentiam agnoſcentem, eius difficultas ex vtroque capite manare poteſt, ceu euenire contingit in iis omnibus, quæ in quadam vnius ad alterum habitudine poſita ſunt, vtrumque ſiquidem concurrit, & vtrumque poteſt deficere; conuenit autem inter omnes, difficultatem in abſtractorum cognitione non prouenire ex parte ipſorum, vel ex parte obiecti, quoniam ſecundum ſe ſunt maxime agnoſcibilia, cum ſint entia omnino in actu, quorum paſſio eſt cognoſcibilitas, ex nono Diuinorum 20. hinc manifeſtiſſima in natura vocabantur ab Ariſtotele eodem primo contextu, quocirca remanet, vt difficultas hæc ex parte noſtri intellectus, & potentiæ ortum habeat, vnde ibidem inquiebat Ariſtoteles, nos ita ad ipſa in natura notiſſima ſe habere, quo modo ad Solis lumen ſe habent oculi noctuarum, quapropter velut cauſa cur noctuæ non intueantur Solem, non prouenit ex defectu Solis, qui ſecundum ſe eſt maxime viſibilis, ſed ex debilitate luminis in ipſis, ita quod nos entia abſtracta non quidditatiue dignoſcamus, non ex obiecto, ſed ex noſtræ potentiæ tenuitate oritur. Veruntamen ſcias non in omnibus currere hoc exemplum, (aliàs non ſimile, ſed idem foret,) nam ex vehementia obiecti ſenſibilis potentia organi corporei ſentiens, & læditur, & corrumpitur, ſi fuerit ſenſibile valde excellens, ex tertio de Anima vltimo, at vero ex obiecti intelligibilis excellētia non læditur intellectus, immo quando quid valde intelligibile intellexerit, vigoroſior euadit, vt legis ſeptimo eiuſdem libri, quæ diuerſitatis ratio eſt, quam ibi mox ſubdit Ariſtoteles, quoniam ſcilicet potentia ſentiens per corporeum organū exercetur, quippe quod patitur paſſione corruptiua, vel læſiua ab excedente ſenſibili, intellectiua autem facultas cum nulli ſit organo affixa, nequit eſſe huius paſſionis capax, at ſimilitudo ea eſt, quæ ad noſtrum propoſitum facit, quod velut ſenſus impeditur à cognitione alicuius ſenſibilis, ſi deficiat proportio in potentia ad obiectum, ita hoc locum habet in intellectu, quare ex duplici capite prouenit impedimentum in ſenſu, ex improportione ſcilicet, & ex materia, ſecundum quam patitur, in intellectu vero ex primo dumtaxat, &c.

Ariſtotel. Quid dicat cognitio. Ariſtotel. Quare abſtracta non plene noſcamus. Ariſtot.

Noli autem inferre,, quod ſi intellectus intelligendo aliquod excellens intelligibile perficiatur, vt ideo magis, ac magis poſſit intelligere, & ſic ad quidditatiuam intelligentiarum notitiam aſcendere, nam intellectus quidem perficitur, at ſecundum modum ſibi in intelligendo poſſibilem, plenam autem abſtractorum notitiam ei impoſſibilem, & vidimus, & videbimus, ſed conformiter verbis Ariſtotelis potes, ac debes colligere, quod ſi intellectus hanc notitiam non aſſequatur, id non oritur ex eius alteratione, ſeu paſſione corruptiua, vt euenit in ſenſu, dum ei ſenſibile excellens occurrit. Excluditur obiectio.

Nota vlterius, quod tota cauſa, & radix huius improportionis, & impotentiæ, quam dicimus eſſe in noſtro intellectu ad manifeſtiſſima in natura, ea eſt, quoniam dum corpori eſt alligatus, nihil intelligit abſque ſenſu, cum nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, hinc ſæpius clamat Ariſtoteles, nihil

Ariſtot. hil intelligere animam abſque phantaſmate, vnde qui nihil ſentit, nihil quoque poterit addiſcere, ex eiuſdem Philoſophi ſententia tertio de Anima 39. cum enim rerum materialium quidditates ſint in eſſe à ſenſibilibus inſeparabiles, conſequitur vt in intelligi etiã nequeant à phantaſmatibus ſeparari, & hoc quidem ex ratione obiecti deſumitur, ex ratione autem potentiæ, ſeu ſubiecti, cum anima noſtra ſit partim ſeparata, quatenus ſcilicet non eſt à corpore dependens, & partim coniuncta, quoniam eſt forma corporis, habebit ſubinde operationem propriam, nimirum intellectionem, & ſeparatam, & coniunctam, hoc eſt, ab organo corporeo abiunctam, at corporeo obiecto alligatam, vtpote phantaſmatibus; & cum modus eſſendi animæ in corpore ſit ei naturalis, oportet vt & modum habeat operandi naturalem reſpondentem modo eſſendi, nam omne quatenus eſt in actu operatur, ſic ſemper phantaſma eſt neceſſariũ animæ, ſi in ſtatu ſuo naturali intelligere debeat; Cumque abſtractæ ſubſtantiæ ſenſibus minime ſubijciantur, manifeſte habetur animæ impotentia ad eas penetrandas.

Quod liquido voluit Ariſtoteles primo de Partibus animalium, cap. 5. quando primis verbis ait, nos partem æternam, nobilem, atque diuinam, ſubſtantias ſcilicet ingenitas, & ſæculis omnibus immortales, minus contemplari poſſe, quoniam pauca admodum de ipſis ſenſui patent, quorum beneficio tum de parte ipſa diuina, tum de iis, quæ noſſe cupimus facultas nobis indagandi, & cogitandi ſuppeditatur. Quibus verbis & quod intendimus docet Ariſtoteles, & cauſam etiam, quam allegamus, nam primo habes, nos ſubſtantias illas diuinas leuiter poſſe attingere, & deinde huius radicem, quoniam ſcilicet pauca de ipſis ſub ſenſum cadunt, cuius ope, quæ omnia naturaliter ſcimus, nobis obuia fiunt. Vbi nota modum loquendi Philoſophi, non enim dixit ſubſtantias æternas parum ſenſui ſubiacere, ſiquidem nihil ſecundum ſe ſubiacent, cum ſupra omnem ſint ſenſus facultatem, non minus quam ab omni materiæ mole elongatæ, ſed dixit pauca admodum ipſarum ſub ſenſum cadere, hoc eſt, pauca earum effecta, & munera.

Expenduntur verba Ariſt.

Difficultas. Quod ſi quis dicat, quamuis ſecundum ſe minime ſenſui ſubiaceant, & pauci admodum earum effectus, attamen inter perpaucos hos effectus aliquem adeſſe, qui ipſis ſit adæquatus, ac proinde in abſolutam earum cognitionem ducens; Conſideret iſte, quod inconcinne valde vocaret Ariſtoteles hos effectus perpaucos, quoniam ſi adſit adæquatus effectus, non pauci, ſed pleni, ſed totales extant effectus, deinde falſo addidiſſet nos leuiter illas attingere, & in minima earum notitia nos magis oblectari, quam in plena horum caducorum; rurſus falſiſſimum eſt dari effectum, (ſaltem nobis agnitum,) qui ipſas exæquet, nam de effectu vniuoco, eiſque ſpecie ſimili quod non detur, clarius eſt, quam vt probationis vllius indigeat, de virtuali etiam, hoc eſt, virtutem earum totam exprimente manifeſtum eſt, ſi quidem omnia hæc inferiora particularia ſunt, quare nequeunt ad plenum oſtendere virtutem cauſarum vniuerſalium, cuiuſmodi ſunt intelligentiæ, & ex continuatione ad quas mundum hunc inferiorem gubernari dicebat Ariſt. ſub initium primi Metheoror. ſed & in repudiandis aliorum placitis vidimus nullum ſenſibile, vel materiale adæquatum eſſe effectum rei inſenſibilis, & immaterialis, & demum in ſexti argumenti confutatione aliquid de hoc dicetur. Sane diſcurſus quẽ habui pro concluſionis declaratione, eam ſimul adeo probat, vt eandem conuincat, quoniam qui partes oppoſitas defendunt, Achillinus præcipue, & Iandunus experientia

Aufertur multipliciter.

Ariſtotel.

Achillin.

rientia, & variis Ariſtotelis teſtimonijs conuicti, vt aſſerant omnem noſtram cognitionem à ſenſu initia trahere, eiuſque beneficio nobis promanare, ac ſemper in intellectione nos phantaſmatibus egere, concedunt intelligentias ſecundum ſe non cadere ſub ſenſu, ſed bene aliquem earundem adæquatum effectum, qui eas perfecte referat, et hoc docet Iandunus quæſt. illa 37. tertij de Anima, ad primum principale, & effectum illum inquit eſſe motum, quæ verba mihi fuerunt occaſio, vt ſextum argumentum formarem. Neque eſt vt vel attingatur difficultas, num motus oſtendat omnem virtutem primæ cauſæ, eſt enim veriſſima pars quæ negat, quam & ſecundum Fidem ipſemet Iandunus quæſt. illa 4. ſecundi Diuinorum concedit, mordicus deinde, ac falſo docens ſecundum Ariſtotelem primum motorem non eſſe infinitum in vigore, at certe motus neque aliarum intelligentiarum virtutem omnino adæquat, vt in confutatione 6. illius argumenti conſtabit. Videat tamen interim Iandunus, ſe aliquid contra Fidem docere, (quod proinde falſitatis plenum noſcebat,) vt falſam Auer. poſitionem ſuſtineat; videat deinde quomodo docens totum mundum eſſe adæquatum Dei effectum de mente Ariſtotelis, ac proinde in eius abſolutam notitiam deducentem, opus ſit ei dicere, vt qui Deũ quidditatiue dignoſcit, oporteat quidditatiue totam rerum vniuerſitatem noſſe, & quis iſte fuerit?

Iandunus

Contra Iandunum.

Adhuc obſerua, quod licet quæſtionem hanc determinemus de noſtro intellectu corpori coniuncto, non tamen docemus animam à corpore ſeiunctam cognoſcere naturaliter quidditatiue ſeparatas ſubſtantias, immo vero oppoſitum ſentimus cum Auctore p.p.quæſt.89.art.2.adeo quod in nullo ſtatu nec coniuncta, nec ſeparata ex viribus naturæ perfectam de ipſis habet notitiam; licet enim tunc alium intelligendi modum ſimpliciter, & abſolute nobiliorẽ, non tamen vt ab ipſa participabitur, quoniam diminute illius erit particeps ex alio eſſendi modo prouenientem fuerit ſortita, ac proinde non ſe ad phantaſmata conuertendo, (quæ nulla tunc ei erunt,) ſed ex conuerſione ad ſuperiora, & ex receptione nouarum ſpecierum, quas ei naturæ auctor indet, nõ tamen harum ſpecierum adminiculo eas quidditatiue agnoſcere poterit, quoniam ſpecies illæ non erunt ita dearticulatæ, vt quot res ſint, tot ſpecies habeat, ſed ampliores, ac magis vniuerſales, atque ideo minus accommodatæ animæ ad claram omnino huius, illiuſuè notitiam gignendam, quin vero dilucidior eſt ea notitia, ac magis diſtincta, quam habet in corpore de rebus his ſenſibilibus, quas plene agnoſcit merito harum ſpecierum, quæ eius viribus ſunt commenſuratæ, quam illa quæ tunc ſibi inerit per receptas ſpecies deſuper, ſic vnitur corpori ob melius ſibi, & nedum ob melius compoſiti, vt viſus eſt voluiſſe Scotus in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. in 2. reſponſione ad primum principale, quamuis enim partes ſint propter totum, tamen materia quoque eſt propter formam, & maxime ob illam formam, quæ habet proprium operari, in quo neque corpus, neque compoſitum communicat, huic enim operationi maxime videtur ineſſe ratio finis, & optimi; Ex quo prouenit, vt ſtatus ille, in quo ſeparata anima uiuit, non ſit ei ſecundum ſuam naturam, neque contra naturam, ſed præter eius naturam abſolute, conformis tamen eius naturæ, quatenus eſt participatiua ſubſtantiarum ſeparatarum, eas in ſui ſummo vtcumque participans, at de his docte, ac ſubtiliter diſſeritur à Caietano vnà cum Auctore loco relato primæ partis, & ferè per totam illam quæſtionem, de quibus & nos aliàs Deo fauente. Interim tamen ſcias breuiſſime

D.Thom.

Modus intelligendi animæ ſeparatæ.

Scotus.

Status animę ſeparatę qualis.

D.Thom.

Caietanus.

uiſſime, argumentum doctiſſimi Fonſecæ ad finem ſectionis 6. quæſt. 2. ad primum caput ſecundi Diuinorum non cogere, vt per ſpecies illas inditas anima tunc vel ſenſibilia, vel omnes, vel aliquam ſeparatarum ſubſtantiarum clare omnino agnoſcat, quoniam ſtat, & quod naturaliter ei infundantur, & quod ita infundantur, vt non ſint ei omnino commenſuratæ, & primum habeat, quoniam participat abſtractorum naturam, ſecundum, quoniam minus perſecte participat, at hic non eſt locus, in quo hæc adamuſſim examinentur. Hæc autem in præſenti placuit adferre, & vt conſpiciatur quomodo ſtando in viribus naturæ ſit in quouis ſtatu impoſſibilis animæ noſtræ quidditatiua de entibus omnino abſtractis contemplatio, & vt nulla argumenta illa deprehendantur, quæ aſſumunt, animam ex vnione ad corpus impediri ab hac quidditatiua notitia, numquam ſiquidem impeditur, quoniam numquam ei naturaliter ineſt hæc agnitio, vt magis adhuc explicabitur in reſponſione ad 4.

Tollitur quoddam motiuum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Confirmatur poſita, explicataque ſententia.

Auerroes. EX Auer. ſententia, quæſitum hoc nullatenus extat ab Ariſtotele determinatum, is enim tractatu illo de animæ beatitudine, cap. tertio ait ipſum libris de Anima, (intellige in 36. tertij,) promiſiſſe hanc quæſtionem tentare, numquam tamen in aliquo ſuorum librorum ſolutionem ſe inueniſſe, idem apparet dicere magnus Albertus tertio de Anima, tractatu illo tertio, cap. 6. addés niſi forte hoc exciderit à libris ſuis, qui ad nos nondum peruenerunt, quod ipſum præciſis ferè verbis confirmat Auctor art. illo 16. quæſt. de Anima, ſub initium, & ſuper 36. illum tertij de Anima, quod confirmauit Caiet. in hac quæſtione reſpondens ad primum Ianduni, quocirca nihil omni ex parte clarum videtur ex ipſo elici poſſe. Hæc autem dicta ſic ipſe accipio, vt Ariſtoteles nullibi hoc inueniatur ex totali intentione, & de induſtria definiſſe, vt tantæ rei negotium exigebat, ſed tamen illud teneo, vt ex eius doctrina, variiſque verbis variis locis vt póſcebat opportunitas ab eo prolatis, firmiſſime colligendum ſit ipſum voluiſſe, vt intellectus corpori coniunctus nullatenus entia abſtracta quidditatiue noſſet, nam ſi eius doctrinã ſpectes, cernis omnes in eo conuenire, vt nihil poſſit à nobis intelligi, quod non cadat ſub ſenſu, vel ſecundum ſe, vel ratione ſuorum effectuum, & vtroque modo conſtat fieri non poſſe, vt plene abſtracta luſtremus. Si quæ inhac re enunciauit inſpicias, vides ſecundo Diuinorum 1. dicentem, nos in ea proportione verſari ad entia illa contuenda, in qua ſunt oculi noctuæ ad lucem Solis, quippe quod exemplum vel commonſtret impoſſibilitatem, vt via communis accepit, vel difficultatem, vt placuit Auerr. id ſemper habetur, quod numquam quidditatiue ea callere poſſimus, quoniam quicquid fuerit de noctua ad Solem, num aliquando, vel numquam poſſit illum conſpicere, illud certiſſimum eſt, quod numquã in claro lumine eum contueri valet. Audis deinceps verba illa relata ex primo de Partibus animalium, cap. 5. quibus plane nil conſpicatius poteſt haberi ad oſtendendam tenuem quam de ipſis habemus, vel habere poſſimus notitiam. Adeſt quoque tex. 22. & vltimus noni Diuinorum, vbi legis mentem no-

Alb. mag. D. Thom. Caietanus. MensAuctoris de Ariſtot. in hoc. Ariſtotelis loca.

tem noſtram non ſe habere vt cæcitatem ad dignoſcendas ſimplices ſubſtantias, quod ſatis indicat nos eas haud poſſe in clara luce penetrare, ſed non eſſe inſtar cæcorum, qui nihil omnino conſpiciunt, ſed aliquam de ipſis nobis comparare poſſe notitiam. Vnde ſemper in admiratione eos habui, qui locum hunc Ariſt. adferunt, vt demonſtrent noſtrum intellectũ poſſe abſtracta quidditatiue apprehendere, inter quos princeps forſan eſt Zimara theor. illo 76. cũ omnino oppoſitum ex eo colligatur; quandoquidem ſi quis definiens de aliquo, num clare queat lumen videre, dicat eũ non ſe habere vt cæcum in tali intuitu, quis ex his verbis eliciat illum clare omnino lumen penetrare? certe quiſquam eliciet, quod vtcumque ipſum poteſt attingere, quoniã non eſt cæcus, qui nullo modo poſſit; Ita dicens Ariſt. ignorantiam noſtrã circa abſtracta non eſſe inſtar cæcitatis, quis colligat, nos ea omnino perluſtrare? an non intuitum hũc noſtrum vocat ignorantiam? quis autem plenam notitiam, apprehenſionem quidditatiuam, vocet vmquam ignorantiã? ſi quidditatiua cognitio ſit ignorantia, nulla notitia poterit vmquã agnitionis nomen promereri, ſiquidem quidditatiua apprehenſio primaria eſt inter quoſcumque agnoſcendi modos; Quod vero Iauellus quæſt. vlt. ad nonũ illum Diuinor. expendens hunc locum ait, Ariſtotelem de notitia quidditatiua loqui, cum dicat nõ eſſe deceptionem, ſi autẽ abſtracta intelligerentur ex ſenſibilibus, (quod eſſet, ſi non quidditatiue,) poſſet eſſe deceptio, nihil efficit, quoniam vult dicere Ariſt. quod ſecundũ ſe, & ex parte ipſorum non eſſet deceptio, ceu contingit ex parte ſubſtantiarum compoſitarum, merito partium, poſſet nihilominus eſſe deceptio ex parte concipientis tantum, ex parte noſtra, &c. — *Zimara.* — *Aufertur modum Iauelli.*

Cæterum, quamuis hæc omnia mihi veriſſima ſint, alumnus tamẽ Auctoris nõ mediocri videtur angi difficultate, ſi enim locus, qui mox allegatus eſt, pro noſtra poſitione facit, cur ipſe Auctor eundem locum exponẽs dixit, ex eo patere, quod ſecundũ ſententiam Ariſt. humanus intellectus poteſt pertingere ad ſubſtãtias ſimplices intelligẽdas, quod videtur ſub dubio reliquiſſe in 3. de Anima? Quæ verba conſiderãs Zimara loco memorato, ait Auctorem ab ipſa tandẽ veritate coactum affirmaſſe intellectũ noſtrum poſſe abſtracta cognoſcere; Et ex his Auctoris verbis duplex apparet in ipſo poſſe colligi repugnantia, altera eſt, quod cum dixerit Ariſt. hanc quæſt. non determinaſſe, iam ait ſoluiſſe, altera, quomodo cum vbique doceat partem negantem huius quæſtionis, ibi parti affirmanti aures præbere videatur. Scio multa conſueuere dici pro Auctore, & primo, quod verba illa allegata in expoſitione illius tex nõ ſunt ſua, ſed alicuius, qui in margine gloſſarit, & vitio poſtea ſcriptorum in expoſitione fuiſſe inſerta, ſic ſentit Iauellus quæſt. mox relata, & magiſter Georgius Buſtus Vercellenſis, vir in noſtra Familia in primis eruditus quæſt. ſua de ſubiecto Philoſophiæ naturalis, quod nõ diſplicet Aquario dilucid. 3. ſecundi Diuinor. prope finem, & cauſam reddũt ex manuſcripta metaphyſica Auctoris, quam ſe vidiſſe perhibent abſque illis verbis, vel corollario; ex qua reſponſione omnis in hac parte aufertur difficultas; Sed quoniã reſponſum hoc non omnes æquo animo audiũt, conſueuit ſecũdo dici, quod aliud eſt de induſtria, & data opra ſoluere quæſtionẽ, aliud eſt innuere modũ, quo poſſit quæſtio ſolui, ſemper Auctor cenſuit Ariſt. non ſoluiſſe primo modo quæſtionẽ hanc, interpretatus vero nominatũ tex. aſſeruit Philoſophum in ſecũdo ſenſu ſoluiſſe, & reuera ſic eſt, quoniã ex illis verbis nullus dicet plene definitam huiuſcemodi quæſtionẽ, nã verba illa vidit profecto Auer. expoſuitque, & tamen inquit ſe nullibi vidiſſe eam — *Difficultas in via D. Thom.* — *Primus dicendi modus.* — *Iauellus.* — *Georgius Buſtus.* — *Aquarius* — *Secundus.*

ab Ariſt. ſolutam,& ſi duo verba ad negotij huius plenam deciſionem ſufficerēt,multo magis,veriusq; dicere poſſemus,illud definitū fuiſſe cap.illo de Partibus animalium,vbi plura certe ad hoc legimus. Tandē ſolet dici, quod duas quæſtiones mouit Ariſtoteles 36. tertij illius de Anima de ſimplicium intellectione,alteram, nū abſolute,& quouis modo poſſint dignoſci,alterā,num perſecte, vel quidditatiue,quando Auctor inquit non fuiſſe difficultatem hanc ab Ariſtotele definitam, loquitur in ſecundo ſenſu,quando affirmat haberi determinatā,accipit in primo;& facilis, ac vera apparet huiuſcemodi interpretatio, quoniā certe 9.illo Diuinor.inquit ignorantiam noſtrā non eſſe ſicut cæcitatē, vnde definit nos poſſe abſtracta cognoſcere,ex hoc autē minime habetur,quod perſecte omnino,vt patuit, vnde priorem quæſtionem,non poſteriorem ibi diſſoluit,& ſic vtraque quæ in Auctore apparebat,ſublata eſt contradictio.

Tertius.

Dubitatio. Scrupulus tamen mihi ſemper circa hoc remanſit, ſi enim omnino compertū eſt nos de abſtractis ſubſtantiis nonnulla prædicata eſſentialia apprehendere,& nulli de hoc dubiū vnquā fuit, vt huius quæſtionis titulo dicebatur. quomodo dici poteſt Ariſt. ad locum illū de Anima q. hanc admouiſſe,& rem penitus certam in incertum vocaſſe?Enimuero ſic dubitāti dicerem,aliud eſſe, quod hoc tempore in aperto ſit quæſtio illa in priori ſenſu, & aliud eſſe,quod tempore Ariſtotelis id omnibus pro comperto haberetur, primum verum eſt, & in titulo dicebatur,ſecundum autem non eſt verum, quoniā multi antiquorum philoſophorū nihil præter corpora dari autumabāt,vnde apud ipſos tantū aberat, vt certum eſſet dari aliqualem abſtractorum notitiā,vt ipſa abſtracta dari ignorarēt,vt de nonnullis philoſophis ait Ariſt.7.Diuinor.5.& quarto Phyſ. 52.& 57. commemorat priſcos quoſdam philoſophos exiſtimātes,omne quod eſt,corpus eſſe,vt habes etiam apud Auctorem p.p.q.50.art.1.ex quibus inquit, proceſſiſſe Saduceorū errorem, qui ſpiritum negabāt,quapropter licuit Ariſt. id in dubium vocare; Adde, quod libris de Anima quæſtionem hanc admonuit,vbi nulla adhuc de ſubſtantijs abſtractis habita fuerat ex intētione commemoratio, vnde Auctor tex.illum exponens dicebat,quæſtionem hanc ibi nō potuiſſe determinari, quoniā nondum erat manifeſtum eſſe aliquas ſubſtantias ſeparatas,nec quæ,vel quales ſint,&c.Errant igitur,& errarunt,qui Auctorē hac in re ſibi non conſtare, vel dicunt,vel dixerunt, & minus bene ſentire viſus eſt Iauellus quæſtione illa dicens,quod ſi corollariū illud eſſet Auctoris, iam ſibi contradiceret,nā aliis viis ſaluatur eius doctrina,etiā ſi verba illa ſua ſint,excuſandus attamen eſt omnino Iauellus, quoniā in hoc non ſe proteruū præbuit.

Remouetur.

Ariſtot.

D.Thom.

Iauellus.

Quamuis autē ex his quæ modo dicta ſunt,& ex ijs quibus ſentētiæ contrariæ impugnabātur ſatis firmata maneat noſtra concluſio, nihilominus vnicam addere decreui communē rationem,cui omnes vtique occurrunt,at nullus ſatisfacit,& alteram peculiarem;Ea autem eſt:Docet Ariſtoteles quinto Diuinorum 17.potentiæ cuiuis paſſiuæ reſpondere actiuam,& e contra,intellectus autē noſter poſſibilis eſt potētia paſſiua, cui reſpondet actiua,quæ eſt intellectus agens,& ille quidē omnia fit, hic vero omnia facit,ex 3.de Anima 18. cū itaq; duæ hæ facultates ſe mutuo reſpiciant,paſſiua illa recipiet, quæ ſibi actiua demandabit,quod ſi potentia paſſiua alia poſſet fieri,quæ non faceret potētia actiua,iam illa in plus ſe haberet,& nō adæquate reſpiceret iſtam;poſſibilis itaque intellectus ea ſolum fiet, quæ faciet intellectus agens, ſed iſte nequit facere, niſi potentia intelligibilia actu talia,igitur ille nihil aliud ab his intelliget;omnia clara, & vera ſunt,nam intellectus agens non facit res in eſſe reali,ſed ſolū

Ariſtotel.

actu

actu intelligibiles,vt ſæpe vidimus in obſeruationibus ad 4.cap.at nequit efficere entia abſtracta actu intelligibilia,quoniã ex ſe ipſis talia ſunt, neque vlla depuratione paſſiua egẽt,igitur nihil ſuper ipſa obtinet actiuitatis,igitur poſſibilis intellectus nequit ea recipere,quoniã vt dicebam,ea tantũ natus eſt fieri, quæ intellectus agens natus eſt facere; Sic patet quomodo argumentũ illud, quod conſueuit fieri de anima,quæ eſt omnia ex 3.de Anima 37.quod nõ eſſet verũ, ſi nõ noſſet entia ſeparata, nõ modo cõfutari,ſed & reflecti queat,quoniã anima eſt illa omnia,quæ ſolum efficere valet intellectus agens,at hæc nequit hic facere, ergo nõ eſt illa; Communiter tamen dicitur,quod anima noſtra eſt etiam ſubſtantiæ ſeparatæ,quoniam eas nouit,at ſi dicatur, ergo quidditatiue, vana eſt conſequentia, & committitur manifeſte fallacia à ſuperiori ad inferius affirmanter,facto tranſitu à cognitione ad talem cognitionem; Sic quando dicitur obiectũ noſtri intellectus eſſe ens, concedas abſolute, quamuis ſit pro hoc ſtatu obiectũ adæquatum proportionatum quidditas ſolum rei materialis, quare dũ dicitur noſtrum intellectũ poſſe omne ens cognoſcere, admitte, ſed ſi dicatur ergo quidditatiue, neglige hanc collectionẽ, vt enim habes à Caiet. hoc loco ad ſecundum, licet ens ſit obiectũ adæquatum noſtro intellectui extenſiue, hoc eſt, licet ad omne ens poſſit noſter intellectus intelligendo ſe extendere,attamen nõ eſt adæquatum intenſiue,hoc eſt,nequit penetrare omne ens perfecte,& quidditatiue;profecto,ſi omne ens intẽſiue poſſet perluſtrare,iã veritatis contemplatio nõ foret ex parte noſtri difficilis,ſed omnino facilis, & cum entia abſtracta ſint ſecundũ ſe maxime agnoſcibilia, iam ſtatim ab intellectu noſtro comprehenderentur, iam non ſe haberet ad ea,vt oculus nicticoracis ad diei lumen.

Solutio, & reflexio cuiuſdã motiui.

Obiectũ noſtri intellectus in hoc ſtatu.

Caietanus.

Quod ſi dicatur ad principalem hanc rationem,intellectũ agentẽ facere aliquẽ effectum abſtractorũ,qui actu intelligi poſſit, ex quo deinceps intellectus poſſibilis fiat ipſa abſtracta,iam dictum eſt,& dicetur,non dari talem effectum, qui perfecte exprimat intelligentias, Sin autem dicatur poſſibilem poſſe fieri, & abſtrahibilia,& non abſtrahibilia,vt inquit Achillinus ad tertium primo loco aduerſus ſe inductũ,tunc potentia actiua agentis nõ adequat potentiã paſſiuã poſſibilis,tunc nobilior, & latior eſt intellectus poſſibilis,quam agens,tunc aliquid aliud agens in ordine ad poſſibilem eſt requirendum, quod nullus eſt imaginatus, vel dicendum eſt,abſque phantaſmatibus,abſque ſenſibus poſſe poſſibilem agnoſcere,ſi enim omnia,quæ ſub phantaſmatibus, aut ſenſibus cadere poſſunt,intellectus agens valet abſtrahere,& hæc tantũ, & poſſibilis alia poteſt fieri vltra abſtrahibilia, iam illa fieret abſque intellectu agente, abſque ſenſibus,abſque phantaſmatibus, quæ omnia ſchola peripatetica longe abhorret, & irridet.

Achillin.

Ratio autem poſt hanc communẽ deſumitur ex experientia;Dicunt iſti poſſe noſtrum intellectum cognoſcere intelligentias quidditatiue,hanc cognitionem,ſeu hanc cognitionis poſſibilitatem oſtendãt rogo, immo vero adducant differentias earum,quibus abinuicem ſecernuntur, quis vmquam hoc docuit? certe niſi earum communia docti ſumus, vt veriſſime dicatur in hac litera,nos earum differentias ignorare;Sed in eo admirationem,ac prope riſum excitant iſti,quod cum fateamur omnes ſimul cum Ariſt.horum ſenſibiliũ complurium vltimas differentias nos neſcire, (profecto brutorum animalium vltimæ differentiæ nos adhuc latent,)id nobis de nobis polliceamur, vt vltimas entium illorum abſtractorum differentias,quæ numquam vidimus, neque hoc ſtatu vi-

debimus, omnino penetrare poſſimus,& tamen numquam eorum propria tradimus,ea circumloquimur, in communibus ſiſtimus,neque mirum, quoniá ſi pleraque in terris exiſtentia, & quæ in noſtris oculis ſunt ſemper,non omnino cognoſcimus,immo quo magis in illis mentis acië defigimus,eo nos maior occupat admiratio, (quis enim adhuc plene aſſequi valuit,quomodo magnes trahat ferrum,minimus piſcis maximas naues moretur, ſalamandra vitã degat in igne, oculi baſiliſci interimant quos feriũt,rubrus, ſericeuſque funiculus, qui viperã dum iugularetur circundarit,angina collo laboranti admotus,genus illud morbi acutiſſimi leuet,(vt nuper ipſe deprehẽdi accidiſſe perilluſtri, & Reuerendiſſimo D. Ioanni Baptiſtæ Cucinæ Veneto, vtriuſque Signaturæ Referendario,magnæ,& ſpectatæ virtutis viro,cum omnibus,tum mihi præcipue multis nominibus colendo,) & alia permulta id genus,) quomodo attingemus quidditatiue ea quæ ſupra ſidera viuũt, ab oculis noſtris remotiſſima? Cui adhuc vt deceret cognitæ ſunt mille herbarum, florum, ac fructuum ſemper admirandæ vires,de quibus ſi & ipſi cõſultiſſimi conſulantur,ſilẽtio id potius indicant, ad naturæ arcana merito referentes? Hæc Salomonem olim animo complexum arbitrarer, (quem mortalium omnium ſapientiſſimum,ſolus inſipiẽs dubitabit,)quãdo Sapientiæ ſuæ 9.dixit. *Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt,& quæ in conſpectu ſunt inuenimus cũ labore,quæ in cœlis ſunt autẽ quis inueſtigabit?* Magnus quoq; Plato ex perſona Timei,nõ lõge ab initio eiuſdẽ lib. dũ de Diis,& mũdi generatione dicturus eſt,excuſationem petit, ſi rationes de iis maxime probatas,exactiſſimasq; afferre nõ poſſit,ſatisq; factũ audientes putare monet,ſi rationes veriſimiles,& probabiles habeat;Lib. etiã qui ſequitur,cui tit. eſt Critias, parũ á princ. comparatione facta inter mortalia,& diuina,apto pictorum exẽplo adhibito colligit,*nam ſatis eſſe putamus,ſi de cœleſtibus,diuiniſq; rebus,quicquam vel parum, quod conueniens eſt afferatur*. Hæc ſi aduerſarij ſecum reputarent,& in intimis animi ſedibus cõſtituti,tenuitatis propriæ cõſcij, mentium cœleſtium notitiam,(quidditatiuã maxime) nobis impoſſibilẽ adiudicarent,& cum philoſophorum,ſeu peripateticorum,ſeu academicorum principibus, & quod magis refert cũ Salomone idipſum agnoſcerent, commentis Auerrois neglectis, & poſthabitis. Illud dico,& repeto,quod iſti nos doceant hanc quidditatiuam de abſtractis notitiã,aut ſi id nequeant,vel aliquem cómemorẽt,qui hæc docuerit,alioquin ſatis declarãt,ſe minime poſſibilia profiteri.

Nonnulla in natura admirabilia.

Reuerendiſs. Cucina.

Salomon.

Plato.

Grauiſſimorum quos recenſui teſtimonijs accedit vniuerſa Schola Thomiſtica Ducem ſecuta ſuum,vt Capreolus in primo d.2.q.1.ar.2.ad argumẽta Scoti contra quintam concluſionẽ.Caiet.hoc loco,& p.p.q.illa 88.& Bannes, Gregoriuſq; de Valentia ibidem. Ferrar.3.illo cont.Gent.45.Iauellus ſecundo Diuinorum q.3.& 9.eorundem vltima,Flandrien q.1.eiuſdem ſecũdi,art.3. 4.& 5. Aquarius dilucidat. relata; Et præter Auctoris diſcipulos adeſt Aegidius memoratis quæſtionibus ſecundi illius Diuinorum,& præſertim q.15.& quolibeto 1.q.17.Fonſeca ſuper eundẽ ſecundũ q.2. in caput primum,Toletus Card. quæſtione 23.tertij de Anima,Scavnus cap.3. ad eundem ſecundum, & denique Alenſis in hac ſententia poteſt citari, ſi eius dicta perpendantur ſuper primum illum eiuſdem ſecũdi, & ſi multos ex his Doctoribus adeas, multa quoq; & antiquorum,& recentiorum argumenta euerſa comperies,at ſi vnicum Auctorem omnibus ferè locis relatis, & potiſſimũ q.illa de Anima, art.16.& 17. intuearis,omnia abſolute priſcorũ arg.extirpata dices,quorũ nonnulla ex ijs, quæ allata ſunt confutata manent,& alia cadẽt ex ijs, quæ modo ſubnectemus.

Capreol.
Caietanus.
Bannes.
Gregor. de Valentia.
Ferrarien.
Iauellus.
Flandrienſ.
Aquarius.
Aegidius.
Fonſeca.
Toletus.
Alenſis.
D.Thom.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Occurritur argumentis pro contrarijs ſententijs.

COnfutatio primi argumenti Auerr. elicitur ex ijs, quæ contra eius ſententiam dicebantur, nam poſſibilis intellectus mouetur ad acquirendum agentem vt formam ſpeculatiue intellectorum, non autem vt eſt ſuperiorum entium contemplatiuus, ſic poteſt operari operationem propriam formæ acquiſitæ, non abſolute, ſed quatenus eam acquiſiuit, tunc negatur quod ſubſumitur, propriam ſcilicet operationem agentis intellectus prout eſt vnitus poſſibili, eſſe cognitionem abſtractorũ, quoniam ea eſt ſolum formare ſpeculatiue intellecta, quare peccat argumentũ ex parte vnionis arguẽdo ad omnes gradus vnionis, ac ſi quis vellet aquam calefactam ab igne producere poſſe omnem ignis operationem, quæ tamen non operaretur, niſi quatenus ignis in hoc, & illo gradu ei fuiſſet vnitus, non abſolute, &c. Defectus argumenti.

Ad ſecundum dicimus fœlicitatem huius vitæ ad aures Ariſtotelis poſitam eſſe in cognitione entium abſtractorum poſſibili, non quidditatiua, quæ nequit ab anima haberi, neque ſequitur, quod in principio eſſet homo fœlix, quoniam non ſtatim valet entia illa intelligere, cum eiuſmodi contemplatio ſit apprime ardua, rurſus vbi magis addiſcit homo, ea magis nouit, ſed numquam perfecte. At vires huius argumenti debebant nobis contrarij animo complecti, & cum hanc cognitionem ab ipſis, vel ab alio minime comparabilem intelligerent, eam in alia vita expectandam iudicaſſent, cum potiſſimum Ariſtoteles, Auerr. & Themiſtius animam poſuerint immortalem, ac proinde functione propria, quæ eſt intelligere gaudentem.

Ad tertium, ſatis conſtat intelligentias non otioſe factas, ſi à nobis non intelligantur, tum quoniam nos non ſumus earum finis, tum quoniam ipſæ ad inuicem ſe intelligunt, & adeſt locus inſignis in Ariſtotele ſeptimo Diuinorũ, 58. qui de induſtria factus apparet, vt huic Auerr. argumẽto ſatisfiat; ibi enim contradicens Philoſophus Platoni ponenti ſeparatas ſubſtantias eiuſdem rationis cum his quas cernimus, ea ratione, quoniam vel erant ſubſtantiæ ſeparatæ, vel non erant, quod ſi erant, à nobis intelligebantur cum his ſenſibilibus, quod ſi à nobis non intelligebantur, non erant (ſic ferme vides motiuum Auerr.) inquit Ariſtoteles, quod quamuis ſi non videamus aſtra, non minus tament forent ſubſtantiæ ſempiternæ præter has quas conſpicimus ſubſtantias, quare & nunc ſi non habeamus quænam ipſæ ſempiternæ ſubſtantiæ ſint, ipſas tamen eſſe eſt neceſſarium; non igitur eſſe ſubſtantiæ ſeparatæ ſtat in hoc vt à nobis intelligatur, hinc otioſe eas non fecit natura; Sic ruit argumentum Auerr. vt iacet, quod quoniam debile, ac vanum vel ipſi Auerroiſtæ intellexerunt, ideo ea excogitarunt, quæ in argumento recenſentur; Sed Ianduno condonantes finem ſecundarium intelligentiarum eſſe vt à nobis intelligantur, (cum tamen quæſt. nona tertij de Anima ad primum doceat oppoſitum, multitudinem ſcilicet intelligentiarum eſſe velut cauſam finalem noſtri intellectus,) dum infertur quidditatiua intellectio, dicitur, quod nulla eſt cõſequentia, neque fruſtratur noſter intellectus, quoniam percipit, quod eſt ſibi proportionatum in ratione motiui, quod plane eſt quidditas in phantaſmatibus Ariſtotel. Plato. Iandunus.

relucens,

relucens, ſine quibus nihil aſſequi valet,& ſub quibus nequit latere quidditas immaterialis, rurſus agnoſcit noſter intellectus immaterialia, ergo quidditatiue, ſemper conſecutio eſt probanda.

Ad deductionem Zimaræ dicitur, quod repugnat noſtro intellectui non vt intellectus, ſed vt humanus, cum arguitur argumento Themiſtij, iam ipſi occurrit Auctor ar.illo de Anima ad quartum, & tertio contra Gentes, cap. illo 45. vt proinde mirum ſit Zimaram confutato pridem argumento ſe roboraſſe, eſt autem ſolutio, quod materialia cadunt ſub obiecto proportionato, & motiuo, & intenſiue à nobis penetrabili, cuius oppoſitum contingit immaterialibus,vt præhabitum eſt; & argumenti huius auctores immemores videntur doctrinæ peripateticæ primo illo ſecundi Diuinorum, quod ſcilicet contemplationis difficultas ex nobis etiam oriatur, nam videntes abſtracta ſecundum ſe maxime agnoſcibilia, ſtatim intulerunt, ergo à nobis, cum tamen ibi Ariſtoteles de Sole, qui ſecundum ſe eſt maxime conſpicabilis dicat à noctua videri non poſſe; Neque obſtat,quod intellectus ſit immaterialis, (ratione cuius dixit Auerr.argumentum Themiſtij eſſe verum,) nam & Sol eſt materialis, & tamen ob eius exceſſum nequit illum intueri veſpertilio, rurſus intellectus eſt ita immaterialis,vt tamen materiæ coniunctus nequeat abſque ſenſu intelligere, denique eius immaterialitas illum iuuat,vt abſtracta poſſit intelligere,ergo quidditatiue, nega, quoniam cum immaterialitate in potentia, & in obiecto, ſtat exceſſus, & magnus in obiecto, &c.

D.Thom.
Zimara.
Ariſtotel.
Auerroes.

Ad deductionem Rugerij negatur cõſequentia, quoniam noſter intellectus vltimum tenet locum in genere intelligibilium, & eſt minoris virtutis, quam ſint mediæ intelligentiæ,quod autem dicatur maxime receptiuus,hoc eiuſdem impotentiam, non vires oſtendit, non enim eſt maxime receptiuus, quia maxime proportionatus,ſed quia maxime remotus,ſic nullæ ſunt illationes,quæ de alijs intelligentijs inferuntur, & vere dicebatur, quod à Deo intelligantur, licet enim Deus nihil extra ſe intelligat, vt *in quo*, & vt in medio, (cum omnia in ſua eſſentia intueatur,) attamen omnia extra ſe intelligit, vt *quod*, & vt terminum, quamuis omnia alia à ſeipſo ſint obiectum cognitionis eius ſecundarium.

Quomodo nihil extra ſe intelligat Deus.

Ad quartum, quod ſemel,& iterum adduxit Iandunus, iam Auctor reſpondit quæſt. illa de Anima ad primũ, (quæ proinde reſponſio erat ei obſeruãda,) & ex annotationibus noſtris patet ſolutio, non enim impeditur anima à quidditatiua intelligentiarum cognitione ex ſui vnione ad corpus, quoniam nihil dicitur impediri ab eo,quod non eſt ſibi natum conuenire,talem autem cognitionem animæ naturaliter impoſſibilem vidimus, quare argumentum ſupponit,vel hanc agnitionem primo adfuiſſe animæ,& deinde ex vnione ad corpus ab ea ſubtrahi,vel poſſe illam in corpore ſortiri, & tamen hoc eſſe ſibi impedimento,quorum vtrumque falſum eſt. Et ſi dicatur, animam vnitam eam ſaltẽ habere debere notitiam,quam habebit ſeparata ex receptione ſpecierum ab ipſiſmet ſeparatis ſubſtantijs,reſpondetur melius eſſe animæ vniri corpori, & eſſe completum ſpecificum obtinere, rerumque naturalium diſtinctã aſſequi notitiam,quam modo illo abſtracta percipere,quoniã neque tunc erit quidditatiua cognitio vt quarto art.dictum fuit,in quo ſenſu tunc negatur,quod intelligere abſtracta ſit nobiliſſima operatio animæ ſimpliciter, ſed ſolum eſt ſecundum quid, ratione ſcilicet modi per conuerſionem ad ſuperiora, medio claro lumine, ſemotis vmbris phantaſmatum, nobiliſſima vero ſimpliciter ipſius

D.Thom.

ſius operatio eſt dare eſſe corpori,per hoc enim definitur,ſitque ens in ſpecie completum,coniuncta manet ſuo toti,eſt principium mille aliarum operationum,& intellectionis diſtinctæ plurium ſenſibilium, & qualiſcumque intelligentiarum; Ex quibus ruit confirmatio, &c.

Nobiliſſima animæ functio.

Ad quintum,vnio illa intelligentiarum ad orbes non eſt ad propoſitũ, quoniam anima humana informat corpus; Quod vero dicitur de intelligentijs, quæ mutuo ſe intelligunt,poteſt ſolui facile,quoniam intelligentiæ omnes eodem modo intelligunt,non per conuerſionem ad phantaſmata, ſed merito ſpecierum infuſarum,eiſque apte commenſuratarum, in quibus omnes exprimuntur,quoniam rerum omnium ſpecies habent, quod certe locum non habet in noſtro intellectu; deinde cõcedimus intellectum eas ratione affinitatis cuiuſdam intelligere, ergo quidditatiue, nequaquam. Ad confirmationem, nonnulla apparet difficultas inter recentiores verſari, num anima noſtra ſeipſam comprehendat,vel plene intelligat,dicamus nos cũ Auctore prima par. quæſt. illa 88.ar.ſecundo ad tertium, quod & videtur innuere Caiet. hoc loco in ſecunda probatione ſuæ,& noſtræ ſententiæ,quod ipſa ſe intelligit per ſuum intelligere, quod eſt actus eius proprius, vel effectus perfecte demonſtrans eius virtutem,ac naturam, non habet autem effectum ſubſtantias ſeparatas ad plenum oſtendentem; Quod vero adſertur de eius in genere cum intelligentijs communicatione, mox ſolutum fuit, &c.

D.Thom.
Caietanus.

Ad ſextum conceditur maior,de qua & plura dicta ſunt,& quæ eſt firmiſſimum poſitionis noſtræ fundamentum,ſed negatur minor, ad cuius probationem dicitur,quod motus cœleſtis eſt vtique effectus intelligentiarum, at non adæquatus,ſed valde deficiẽs,tum quoniam particularis eſt,cum alios effectus producant intelligẽtiæ, implicat autem,vt ponatur aliquis adæquatus effectus comparatione ad aliquam cauſam, & deinde in alia eadem cauſa poſſit, tum quoniam nullus dicet hunc effectum eſſe tantæ perfectionis, quantæ eſt cauſa, tum quoniam licet in via philoſophorum, motus eſſet adæquatus earum effectus,(quod tamen non eſt admittendum,) oportet comprehendere hunc effectum, ſi ex eius cognitione proficiſci debeat notitia ſuæ cauſæ quidditatiua, quis autem plene agnouit virtutem motus cœlorum,quæ,& quot cauſet,quæ, & quot gignat? Immo & ipſe motus imperfecte attingitur, & ſcitur vtique eſſe,at quorum ſit cauſa,& quo pacto,quis nouit? Sed & motus cœlorum proueniunt ab intelligentijs iuxta id in quo conueniunt,quoniam ſcilicet ſunt cauſæ intellectuales, in cuius rei ſignum eas omnes mouentes poſuit Ariſtoteles, hoc autem ducit ad notitiam communium ipſis,non ad eorum quibus ab inuicem ſecernuntur. Ad extremum, eſt argumentum ad hominem, ſi motus eſt adæquatus effectus intelligentiarum eas omnino repreſentans,ergo repreſentabit & id quo vna intelligentia conuenit cum alia, & id quo differt, & hæc cõſecutio patet,cur igitur ipſe Iandunus tertio de Anima quæſt. nona ab Auerr. comm. 5. eiuſdem libri edoctus docet,& exagerat,quod ſi non eſſet cognita natura poſſibilis intellectus, nullatenus cognoſceretur multitudo ſubſtantiarũ ſeparatarum,quoniã non agnoſceretur,vel perfectior,vel imperfectior,vt abunde ex ipſo retuli in calce obſeruationum ad caput præcedens?Si motus ſit effectus adæquatus,quare non ducit nos in omnem cauſarum ſuarum notitiam? Quorſum natura poſſibilis intellectus requiritur? An non intuemur motum? An non patet?

Motus cœli, qualis effectus intelligentiarum.

Iandunus.

Ad ſeptimum dicitur,nos vtique deſiderio flagrare noſcendi entia illa nobiliſſima,

liſſima, at deſiderium hoc vtcumque explemus in hac vita, dum maiorem de ipſis notitiam nobis in dies comparamus, non omnino autem complebitur, ſed in alio ſtatu, quoniam numquam erit noſtræ menti quies, niſi in Deo, in quo ſolo eſt vera, ac plena fœlicitas, in cognitione vero aliarum intelligentiarum eſt qualiſcumque fœlicitatis portio, & ſimiliter in ſcientiarum ſtudijs, & contemplatione, vt tradit Auctor prima ſecundæ, quæſt. tertia, ar. 6. & 7. Sed neque Ariſtoteles inuenitur poſuiſſe completam hominis fœlicitatem in hac vita; erit igitur in alio ſtatu, de quo nihil habemus ab Ariſtotele. Non erit itaque fruſtaneum hoc naturale deſiderium, tum quoniam in hac vita quomodocumque expletur, & nullus ſapiens in hoc ſtatu efficaci deſiderio abſolute deſiderat mentium illarum agnitionem, cum eam ſibi intelligat impoſſibilem, & ordinatum deſiderium non ſit rei impoſſibilis, velut neque electio, vt docebat Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 2. tum quoniam in alio vitæ ſtatu alio modo complebitur, & hoc argumentum animæ immortalitatem non nihil ſuadere poteſt; Sic corruit confirmatio, quoniam licet ex viſis magis accendamur ad ea plenius videnda, attamen deſiderium hoc eſt ad poſſibilem modum in hac vita, & abſolute in alio.

D. Thom.

Ariſtotel.

Ad octauum bene reſpondebatur, nos videlicet nullam habere intelligentiarum ſpeciem, atque ideo nos eaſdem minus perfecte attingere; Ad impugnationem verum eſt, Deum ob ſui infinitatem maxime à nobis eſſe elongatũ, & ſubinde nos imperfecte valde eum apprehendere; veruntamen hæc non eſt totalis cauſa, cur quid non plene cognoſcatur, ſed & ea quæ in cognoſcendis intelligentijs nobis accidere hac quæſtione diximus. Quod autem dicitur nos de ipſo quoque Deo agnoſcere *quia*, &c. conceditur, ſed tamen citra cognitionem quidditatiuam dantur gradus in imperfecta cognitione, ita imperfectior poteſt eſſe cognitio de Deo, quã de intelligentijs, neutra exiſtente quidditatiua, & intelligentiæ conueniunt nobiſcum ſaltem in genere logico, quod nequit dici de Deo, vnde de illis, & nobis vt intellectu præditi ſumus vniuoce dicitur ſubſtantia, & quæ omnia ipſis accommodantur, finita ad certum genus ſunt, quod in Deo liquet locum non habere. Quod autem legis apud quoſdam, nos poſſe plura prædicata quidditatiua Dei, quam intelligentiarum habere, quoniam illum iuſtum, bonum ſapientem, cauſam primam appellamus, mille alia ei tribuentes, quod in iſtis non reperitur, cum eas tantum ſciamus ſubſtantias incorporeas, ac intellectuales, hoc non arguit maiorem Dei notitiam abſolute, quoniam mille illa, quæ de Deo proferimus pauciſſima ſunt ijs comparata, quæ de ipſo poſſent enunciari, quamuis etiam ſi id dicamus, veriſſimũ mihi appareat, quoniam manifeſtiores ſunt nobis effectus Dei, cum ſit prima cauſa, primum ens, & eius cognitio ſit cuique naturalis ex effectibus; Cum vero audis nos magis ignorare Deum, quam intelligentias, vt videtur elici ex reſponſo Auctoris ad quartum ar. ſecundi quæſt. illius 88. primæ par. intellige, quod quæ Deo tribuimus, minus diuinam perfectionem adæquant, quam quæ de intelligentijs enunciamus; Sed hæc inſtituto noſtro minime ſunt neceſſaria, quoniam ſemper manet, nos de Deo, alijſque intelligentijs non quidditatiuam, ſed exilem admodum tenere cognitionem, &c.

Quorundam dictum.

D. Thom.

QVÆ-

QVAESTIO QVINTA.

Num Intelligentiæ ſint in prædicamento.

CIRCA eandem partem, vbi intelligentiæ locantur in prædicamento, & parte ſexta aperitur modus quomodo in eis genus, ac differentia ſumatur, facta comparatione ad ſenſibiles ſubſtantias, moueo quæſtionem de horum dictorum veritate, & num ſcilicet in genere locentur intelligentiæ, & quo pacto genus, & differentia in eiſdem accipiantur, ſic enim quæ multa ad hoc profunde adſert hac parte Caiet. conſiderabuntur; Pro quibus definiendis, vbi primo ſenſum difficultatis aperuero, atque opinionem contrariam cum ſuis rationibus potioribus, ſecũdo veritatem patefaciam, ac probabo, tertio de natura, atque eſſentia generis, & differentiæ dſſeram, quarto ea accommodabo intelligentijs primo, & deinde omnibus entibus, poſtremo diluam quæ obſtabunt factæ determinationi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid uocetur in quæſtionem, aliorumque ſententias, & fundamenta.

AD memoriam breui, ac facile redigas, quæ priori ar. primæ quæſtionis ad hanc literam adferebantur, duplex videlicet dari genus, phyſicum nimirũ, & logicum, & illud ex vnitate potentiæ, ſeu materiæ, hoc ex vnitate cõceptus, vel intentionis deſumi, cumque varijs locis huius operis, & capitis conſpexerimus in intelligentijs locum non habere materiam, eaſque nulla corporea mole affici, omniſque corruptionis expertes, relinquitur, vt non ſit quæſtio de genere phyſico, ſed ſolum de logico, num videlicet in aliquo conceptu vniuoce dicto participent cum alijs; & ſatis conſtat eſſe ſermonem de genere, ac conceptu ſubſtantiæ, niſi quis adeo inſaniat, vt intellectuales ſubſtantias, accidentia putet. Duplex genus

Deinde cogita in hac quæſtione non vocari cœlos, quoniam licet ſint incorruptibiles, & intranſmutabiles, in quo cum intelligentijs conueniunt, vnde Auctor prima par. quæſt. 10 ar. 6. ad ſecundum, eadem menſura menſurari docet, quoniam tamen ſupponimus corpora cœleſtia ex materia, ac forma conſtare, velut dicebam quæſtione vltima literæ præcedentis, ideo manifeſtum nimis relinquitur, quod in genere conſtituuntur, non quidem phyſico vniuoce dicto de ipſis, & de ſubſtantijs his ſenſibilibus, quoniam illorum perpetuitas, & horũ corruptibilitas id non patitur, ex doctrina Ariſtotelis decimo Diuinorum vltimo; ſed de intelligentijs non modica eſt difficultas, cum enim careant materia, nonnulli eas à genere ſemouerunt, id ſibi ſuadentes, vt omne in genere conſtitutum conſtet ex materia, ac forma. D. Thom. Ariſtotel.

Obſerua quinetiam, quod ex vera doctrina, eademque communi, idem eſt

aliquid eſſe in genere, & illud idem genere, differentiaque conſtare, nam dum quid reponitur in genere, profecto cum aliquibus conuenit, quatenus ſunt illius generis, ab eiſdemque differt aliquo ei proprio, nequimus autem imaginari quod differat, niſi merito differentiæ, neque quod conueniat, niſi ope generis; rurſus ſi eſt in genere, eſt quoque in aliqua ſpecie illius generis; nequit autem vlla eſſe ſpecies, niſi limitata, ac conſtituta fuerit per differentiam, quare de neceſſitate includit & genus, & differentiam.

Durand. Hæc dixerim propter Durandum, qui ſecundo ſent. diſt. 3 q. 2 ad finē concedit intelligentias locari in genere, negans eaſdem ex genere, & differentia proprie conſtare; nos autem hæc duo ad inuicem conuerti putantes, dum quærimus, num intelligentiæ ſint in genere, ſubinde quærimus, num conſtent ex genere, atque differentia, quinuero id non videmur quærere, ſed vbi fuerit definitum, quod ſint in genere, mox perſcrutandum maneat, vndenam in ipſis ratio generis, & differentiæ ſumatur; Enimuero genus, & differentia ſe habent veluti propria paſſio, & inſeparabilis omnino effectus eius, quod eſt eſſe in prædicamento, non autem tamquā cauſa, quoniam ſe habent vt partes eſſentiales ad id quod reponitur in prædicamento, conſtat autem non totum ob partes, ſed has ob illud & fieri, & eſſe, quocirca ex eo quod quid eſt in prædicamento, conſtat ex genere, & differentia, non e contra, &c.

Proportio generis, & differentiæ ad id quod eſt in prædicamentū.

His explicatis; Auerr. ſuper Porphyrium, cap. de ſpecie ſentire videtur, quod genus generaliſſimum, ſiue vt ipſe ibi loquitur, genus generum ſit corpus, ac proinde non niſi corpora contineantur ſub linea prædicamentali, idem explicatius repetit ſuis epithomatibus ſuper prædicamenta, cap. 2. dicens, vniuerſaliſſimum genus, quod in ſubſtantia reperitur, eſſe corpus, eiuſdem adferens definitionem. immo vero non omne corpus abſolute voluit fortaſſis eſſe genus ſupremum, ſed generabile tantum, atque corruptibile, & illud in quo vere ſit materia, nam ſecundo Cœli 49. ait, quod ſi corpora cœleſtia eſſent eadem genere, ac plura ſpecie, compoſita eſſent ex materia, & forma diuerſa, & tunc eſſent generabilia, ac corruptibilia, quod eſt impoſſibile, quæ Auerr. dicta ſequitur Ianduñus quæſt. vlt. ſuper decimū Diuinorum, & Sueſſanus ibidem, & Zimara Theoremate 62. & poſtremo Genua in vltimis verbis ſuper ſecundum ſecundi de Anima idem docuit dicens, genus generaliſſimum ſubſtantiæ, non eſſe ſubſtantiam, vniuocum ſcilicet, ſed corpus ſenſibile, ex quibus nimis liquido habetur, intelligentias a ſubſtantiæ prædicamento ex horum ſententia remoueri; Quæ poteſt probari

Mens Auerrois.

Iandunus. Sueſſanus. Zimara. Genua.

Ariſtotel. Primo, Quoniam octauo Diuinorum 9. clare habemus partes definitionis eſſe materiam, ac formam, hæ autem partes ſunt genus, & differētia, vbi itaque erit genus, & differētia, erit materia, formaq; at in intelligentijs non eſt materia, ergo non genus, non differentia, ergo non ſunt in prædicamento. Confirmatur, quoniam tertio huius libri capite, & præcipue ſexta parte non ſemel docetur, genus ſumi à materia, differentiam à forma, idem repetitur ab Auctore ſeptima parte cap. ſequentis, vbi ergo non erit materia, non erit genus, ergo idem quod prius, &c.

D. Thom.

Ariſtotel. Secundo, Vidimus capite ferè toto præcedenti intelligentias eſſe ſubſtantias ſimplices; ab Ariſtotele quoque nono Diuinorum 17. & 12. eorundem 3. dicuntur carere potentia, igitur impoſſibile eſt, vt in eis locum habeat genus, hoc enim potentiale quoddam, & determinabile, & contrahibile, & omnes docent & explicatum dedimus nos prima quæſtione ad tertium caput, & repetitum

ſuit prima huius literæ quæſtione, quod ſi in eis nequeat inueniri genus, neque certe differentia, hæc enim ex illo oritur, ex eius poteſtate exiens, quod ſi non adſint hæ partes, nequit eſſe vt ſint in prædicamento, ita earum ſimplicitati apparet obſtare ratio partium, & huiuſcemodi partium, quæ videtur voluiſſe Durandus loco allegato, dum pro ſe arguebat, &c. Durand.

Tertio, Idem nequit eſſe quo quid cum alijs conueniat, & ab alijs differat, vt prima illa huius capitis quæſtione pro nobis arguebamus, ergo erit aliud, & aliud, at ſi intelligentiæ ponatur in prædicamẽto, oportebit hoc aliud, & aliud in eis inueniri, cum omne quod eſt in genere cum alijs cõueniat, & ab alijs diſſerat, immo ab eiſdem differt, quibus cum conuenit, ſed cũ in ipſis non ſint partes, quo pacto erit aliud, & aliud? Dicetur, quod non habent partes rei, ſed rationis, at tunc arguitur, quod non ſecundum rem locabuntur in genere, ſed ſecundum rationem tantum; & præterea poſſet etiã Deus reponi in genere, ſiquidem nihil prohibet rationis diſtinctionem in ipſo ponere. At dicetur, quod ex diſtinctione eſſentiæ, & eſſe, quæ locum habet in ipſis prouenit, vt ponantur in genere, quæ plane diſtinctio procul abeſt à Deo; ſed tunc

Quarto inſtatur, quoniam ſequeretur genus ſumi in ipſis ab eſſentia, differẽtiam autem ab eſſe, at cum definitiones conſtent ex genere, ac differentia, tunc definitiones ipſæ non abſtraherent ab eſſe, quod eſt contra omnes philoſophos, præterea omnes intelligentiæ in hoc conueniunt, vt habeant eſſentiam ab eſſe diſtinctam, quare dato quod ex hoc poſſet deſumi ratio generis, & conuenientiæ, non inde apparet, vndenam ratio differentiæ ſit petenda, quod ſi has partes non ſit in eis inuenire, conſequens eſt, vt non ſint in genere conſtituendæ.

Quinto, Inquirens Philoſophus duodecimo Diuinorum prædicamentorum principia, & negotium hoc à 19. vſque ad 29. verſans, 26. & 28. docet, omnium generum principia eſſe actum, & potentiam, & nomine actus accipit formam, nomine potentiæ materiam, quocirca omne quod eſt in prædicamento, conſtat ex materia, & forma, velut principijs, at hæc nõ ſunt in intelligentijs, ergo &c. Ariſtotel.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid ſentiendum ſit declaratur, probaturque.

AVctoris ſententia perpetua fuit, intelligentias in prædicamento locari, ſic eam euidenter docet hac parte, modũ aperiens quomodo genus, & differentiã in eis aſſignemus, idipſum præſtat docte, & abunde ſecundo cont. Gent. 95. prima par. q. 50. ar. 2. ad primum, & q. 88. ar. 2. ad quartum, de Spiritualibus creaturis, ar. 1. ad 24. Quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, vt Caiet. hoc locó Ferrar. vbi ſupra con. Gent. Soncinas duodecimo Diuinorum q. 47. Iauellus 10. eorundem q. vltima. Bannes loco prima par. memorato, & ibidem adhuc q. 3. ar. 5. quod ſecutus eſt & Toletus in prædicamentis, cap. de ſubſtantia, quæſt. 2. Opin. D. Tho. Caietanus. Ferrarien. Soncinas. Iauellus. Bannes. Toletus.

Ponamus itaque concluſionem dicentem: Intelligentiæ ſunt in prædicamento. Pro cuius declaratione, & probatione cogita, quod duo præcipua apparẽt, ex quibus minus vera deprehendi poſſet poſita concluſio, alterum eſt incorruptibilitas earum, alterum earundem ſimplicitas, ſed neutrum prorſus obſtat, quoniam quo ad primum, videmus Ariſtotelem quinto Diuinorum 15. locare Ariſtotel.

in prædicamento ſubſtantiæ dæmonia, quæ patet eſſe incorruptibilia ex omniū ſententia, (quicquid de eorum exiſtentia voluerit Ariſtoteles,) ſimiliter ſeptimo Diuinorum 5. cœlum, aſtra, Solem connumerat in ſubſtantiæ prædicamento cum elementis; Neque poteſt dici, quod analogice dicatur ſubſtantia de ſubſtantijs ſenſibilibus, quas ibidem recenſet Philoſophus, & de illis incorruptibilibus, quoniam natura ſola poſſet eſſe cauſa huius differentiæ, ſed iam ex hac naturæ varietate ſubtrahimus genus phyſicum illis commune, quare non eſt vt ſubtrahatur genus logicum, & conceptus communis, cum æque ſubſtantiæ ſint illæ quæ ortui, ac interitui ſubiacent, & quæ ab his immunes ſunt. Confirmatur hic diſcurſus, quoniam ſi corruptibilitas, & incorruptibilitas auferūt communem conceptum, & intentionem, tunc quæuis nobilitas, ac ignobilitas id efficere poſſent, quod tamen eſt ridiculum, tunc enim homo non eſſet in eodem genere cum capra, conſequentia vero patet, quoniam inter corruptibilitatem & incorruptibilitatē ſublata materia, nullum aliud apparet diſcrimen, quam penes digniorem, & minus dignum gradum, at ex ſubtractione materiæ, (vel ſubtrahatur omnino, vel ſaltem illa, quæ corruptioni eſt obnoxia) auſertur genus commune phyſicum, & id quod reuera attenditur ex parte materiæ, quamobrem remanere debet communis conceptus, vniuocaque intentio; Secundum ſimiliter non obſtat, quoniam non omnis compoſitio exigitur ad id quod in genere debet reponi, ſed ſolum illa, à qua ratio generis, & differentiæ poſſit deſumi, videbimus autem ſequenti art. non requiri materiam, & formam ad compoſitionem hanc fundandam, ſed ſufficere illam actus, & potentiæ, eſſe, & eſſentiæ, quarum vtramque locum in intelligentijs habere, & vidimus, & per quæſtiones, & obſeruationes præcedenti cap. declarauimus, atque definiuimus.

Quę compoſitio requiratur ad conſtitutū in genere.

Probatur deinde concluſio; Quoniam omnes illæ rationes, quibus prima huius literæ quæſtione probabatur Deum non eſſe in genere, in propoſito ceſſant, nam in intelligentijs differt eſſe ab eſſentia, & ex conſequenti non ſunt actus omnino puri, rurſus ſunt quidditates, ac entitates finitæ, non ſupra ens, quare nihil poteſt eſſe, quod eas à genere ſubſtantiæ eximat, & quod dum dicitur intelligentias eſſe ſubſtantias intellectuales, ac incorporeas, ly *ſubſtantia* non accipiatur pro ſubſtantia prædicamentali. Accedit, quod æque omnes immunes ſunt à materia, omnes ſunt intellectuales, quare in his conueniunt, vna autem non eſt alia, & in gradu nobilitatis ab inuicem differunt, vt idemmet Auerroes docet duodecimo Diuinorum 44. & Deſtructione deſtructionum, diſputatione tertia, vbi ait intelligentias excedere ſe ad inuicem quo ad diminutionem, ſi itaque adſit earum conuenientia, & differentia, cur non reponantur in genere? Sed poſſet dicere quis, intelligentias ſe totis diſtingui, cum enim aliquid non ſit eis additum, per quod diſtinguantur, relinquitur, vt per ſuas ſubſtantias diſtinguantur, conſtat autem in earum ſubſtantia non adeſſe partes, quare apparet, vt ſe totis diſtinguantur, ac proinde in nullo conueniant; Veruntamen quamuis per aliquid ſui non diſtinguantur, vel per aliquid non diſtinguantur, remanet nihilominus conceptus vniuocus eis communis, in quo conueniunt, quoniam non diſtinguuntur omni eo, quod eſt intelligentia, non enim diſſidēt ſua natura generica, vt dicebat Soncinas quæſtione nominata ad primū, hoc eſt, intelligētu, non differre in notione, quandoquidem nomine genericæ naturæ in qua nō diſtinguūtur, nil aliud accipiendū eſt,

Auerroes.

Obiectio.

Excluditur.

Soncinas.

quam

quam conceptus, & intentio, hæc enim ſunt fundantia genus de quo loquimur, vnde quæ omnes rationes probant, in nulla natura phyſica conuenire intelligentias cum his ſubſtantijs, quas ad ſenſum videmus, ac proinde nullum commune genus phyſicum his, & illis eſſe poſſe, concedas, immo doceas, vt colligere potes ex titulo.

Rurſus, quis concipiat vnquã differẽtiam egredi à genere, abſque eo quod conſtituat ſpeciem? nam ab eo exiens, idem diuidit, nequit autem diuidere, niſi conſtituat ſpeciem, cum diuidatur in hanc, & illam ſpeciem, immo finis diuiſionis generis, eſt ſpeciei conſtitutio; tunc arguo ſic: Subſtantia eſt quoddam genus, & diuiditur differentiis his, quæ ſunt corporeum, & incorporeum, vt eſt cernere in arbore Porphirij, & vt res ipſa oſtendit, nam ſubſtantiarum alia eſt corporea, alia incorporea, ergo hæ differentiæ debent conſtituere ſpecies, ita videmus corporeum conſtituere corpus, cur igitur & incorporeum nõ erit ſuæ ſpeciei conſtitutiuum? an nobilior differentia priuabitur eo, quod poteſt efficere, efficitque differentia ſibi oppoſita minus nobilis? Dabuntur itaque ſubſtantiæ ſpirituales, & hæ erunt intelligentiæ. Dicetur, quod ſunt in genere non vniuoco, ſed analogo; Sed tunc ſit vltimum argumentum: Quando aliqua multa continentur ſub aliquo vno, & inter ea non eſt dependentia, vel cauſalitas vnius ab alio, neque vnum dicitur tale ratione alterius, ſed omnia ſubeunt ſecundum ſe prædicationem illius communis vniformem, tunc non analogia, ſed vniuocatio adeſt, at intelligentiæ conueniunt in ſubſtantia ſpirituali, & vna non eſt cauſa alterius, neque vna dicitur intelligentia merito alterius, ergo genus ſubſtantiæ ſpiritualis eſt eis vniuocũ, & eſt prædicatio generis de ſpecie, maior patet ex natura analogiæ, minor autem non modo diuinis theologis eſt manifeſta, ſed & veris philoſophis dicentibus, omnes intelligentias pendere à prima, hancque omniũ aliarum cauſam eſſe, vt patuit quæſt. 5. ad caput præcedens. Quod dictum eſt de ſubſtantia ſpirituali reſpectu intelligentiarum, dicito de ſubſtantia vt ſic in ordine ad intelligentias, & iſtas ſubſtantias inferiores, videbis enim has, & illas ſub communi generi, ac notione ſubſtantiæ contineri, abſq; dependentia, ſeu cauſalitate in tali ratione ſubeũda.

Finis diuiſionis generis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De natura generis, & differentiæ.

Sit prima concluſio: Materia non eſt genus. In hac omnes conuenire arbitror, quam aperte docebat Auctor 6. parte tertij cap. huius operis, & eſt antiqua Alexandri ſententia, ab ipſo declarata ſecundo ſuarum naturalium quæſtionum, cap. vltimo, & adeo efficaciter roborata, vt Auer. hanc veritatem multis doctrinæ ſuæ locis amplexatus, dixerit in calce com. 17. primi Diuinor. antiquos, & maxime Alexandrum ſcripſiſſe demonſtratiue, quod genus eſt aliud à materia, quod & docuit Auic. 5. Metaph. cap. 5. idipſum tradidit Albertus magnus quinto Diuinorum, tract. 6. cap. 10. & Alenſis eodem lib. tex. 10. & ſeptimo eorundem 43. & octauo, tex. 6. & decimo, tex. 24. & Aegidius ſeptimo Diuinorum, quæſt. 9. vbi tres differentias inter genus, & materiam ex Commentatoris doctrina adfert, & Zimara in tabula, verbo *Genus*, & Caietum

Prima concluſio. D.Thom. Alexand. Auerroes. Auicen. Alb. magn. Alenſis. Aegidius. Zimara. Caietanus.

tum cap. illo tertio huius libri, tum hoc loco, & denique communis eſt, vt dicebam ſententia. Cumque multa loco relato adſerat Alexander, quibus materiam aliam à genere oſtendit, ex quibus deinceps varij varia inter ipſa diſcrimina recenſuerunt, & præcipue Achillinus primo de Elementis, dubio 11. & Pererius lib. 5. illorum 15. cap. 17. illud tamen præcipuum magis, & noſtro propoſito accommodatius eſt, quod materia non eſt totum illud, cuius eſt materia, ſed pars dumtaxat, genus vero non pars, ſed totum eius, cuius eſt genus; ſic locis pleriſque probabat Auctor, genus eſſe totum, quæ nihil neceſſe habeo commemorare, cum ea retulerim tertia parte tertij memorati capitis, ex quo ſexta illa parte collegit vnico, ſed efficaci medio, materiam non eſſe genus, quod plane diſcrimen videbis apud allegatos auctores ſemper portari, & aliquando ipſum dumtaxat, omnibus aliis poſthabitis; Ex quo illud mox ſequitur, vt materia non prædicetur de re, cuius eſt materia, prædicatione formali, & in recto, genus vero prædiceturi, vt plene cap. illo toto tertio viſum fuit. Hoc vero diſcrimen ipſe non proprie appellauerim aliud ab illo priori, quoniam eſt vere illius inſeparabilis effectus, & non niſi per illud declaratur, quoniam enim modus prædicandi comitatur modum eſſendi, cum genus ſit totum ſpeciei, de ipſa dicitur, cum oppoſito modo ſe habeat materia ad id, cuius eſt, oppoſita quoque emerget prædicatio; ſi enim roges, quare materia non dicatur de eo cuius eſt, genus vero dicatur, ſtatim reſpondetur, quoniam illa eſt pars, hoc vero totum, at id parum retulerit, appelles ne variam hanc prædicationem aliud diſcrimen ab eo quod explicatum eſt, totius, & partis, vel eius neceſſarium effectum. Alia diſcrimina vide ſi libet apud Alex. neque enim ad rem noſtram faciunt.

Achillin. *Pererius.* *D. Thom.*

Dices, quare toties ab Ariſt. Auer. Auctore, & aliis viris clariſſimis genus dicitur ſimile materiæ? Dico primo, quod dum ſimile dicitur, & ſecum proportionem quandam habere, eo ipſo declaratur genus non eſſe materiam, nam nihil eſt ſimile ſibiipſi, nihil ſeipſum proportionaliter reſpicit, ſic Ariſt. 9. illo octaui Diuinorum citato in primo arg. non dixit genus eſſe materiam, ſed vt materiam, ſic philoſophi memorati, vbi nonnulla iuxta quæ conueniunt genus, & materia pronunciarunt, varia ſtatim afferunt, iuxta quæ diſcriminantur, ſic Porphirius cap. illo de Differentia dixit, genus proportionale eſſe materiæ. Dico deinde, quod cauſam huius ſimilitudinis, & proportionis attigimus tertio cap. huius libri, ratione ſcilicet imperfecti, contrahibilis, potentialis, receptiui, & determinabilis, quæ tum materia, tum genus important; Perficitur quippe materia per formam, & per eandem contrahitur, eiuſdem eſt receptiua, & ab eadem determinatur, non ſecus ratione horum omnium genus per differentiam, & velut materia non perficitur in eſſentia ſua per formam, ſed ſolum in exiſtentia, quoniam forma non eſt de eſſentia materiæ vt ſic, ita genus in conceptu, & eſſentia ſua, (quod Albertus cap. illo decimo, vocabat ſubſtantiam, & cap. vndecimo, eſſe ipſius generis,) non perficitur per differentiam, ſed ſolum in eſſe exiſtentiæ, quoniam eſt de exiſtentia generis, vt prima quæſtione cap. illius tertij dicebamus; Quoniam igitur multæ conditiones inſequentes materiam, inſequuntur & genus, ideo iure hoc illi comparatur, ſimileque dicitur. Et ſi Aphrodiſæus primo de Anima, cap. de intellectu potentiæ, ſeu materiali dixit, omne quod aliquid natum ſit ſuſcipere, eſſe materiã eius, quod ſuſcipitur, ex vna profecto materiæ conditione, quæ in quopiam inſit, illud materiam vocans, multo magis nos, qui permultas materiæ condi-

Cur genus dicatur ſimile materiæ. *Ariſtot.* *Porphirius* *Alb. mag.* *Alexand.*

tiones geneſi accommodatas cernimus, illud non ſolum materiæ ſimile, ſed & materiam nonnumquam appellare valemus.

Sit ſecunda concluſio: Differentia non eſt forma. Hanc docet Auctor dilucide ſexta illa parte tertij cap. quam colligebat ex proxime dictis præcedenti quinta parte, quoniam ſcilicet de ſpecie dicitur in recto, quare eſt totum ſpeciei, non igitur forma, quæ eſt tantum pars, eamque apparet docuiſſe Ariſtoteles, quando ſeptimo Diuinorum 43. habet, finalem differentiam eſſe rei ſubſtantiam, ac definitionem, quod eſſe non poſſet, niſi diceret totum, formam autem partem duntaxat eſſe nullus ibit inficias, vbicumque enim loquens Ariſtoteles de compoſita ſubſtantia, recenſet primo geminas eius partes, materiam, & formam, ex quibus illa conſurgit vt octauo Diuinorum 3. & 6. ac alibi ſæpe ſæpius, ſed capite illo tertio, tum in obſeruationibus, tum prima, ac tertia quæſt. cumulate habetur veritas huius aſſerti. Hinc bene Auerr. in fine comm. 30. quinti Diuinorum dixit, formas vt ſunt genera, & ſpecies, ſeu differentiæ, differre à ſeipſis, vt ſunt formæ tantum, quoniam accidit formis, vt differentiæ ſint; Addo ego, quod & ea ratione forma vt eſt differentia, differt a ſeipſa vt eſt forma tantum, quoniam vt forma, pars ſolum eſt & rei, & definitionis, vt differentia, totum eſt illius, cuius eſt differentia; Neque enim deinde audiendus eſt idem Auerr. quando ſeptimo Diuinorum 34. profert. formam prædicari per ſe de habente formam, quatenus eius quidditatem ſubſtantialem declarat, quæ verba in tabula ſua clariſſimus Zimara verbo *forma* refert, ac interpretatur, ſequitur enim Auer. ſententiam ſuam, qua vult formam eſſe totam rei quidditatem, quam doctrinam iam repudiauimus ſecundo cap. huius libri, quæſt. tertia.

Conclusio ſecunda.

D.Thom.

Ariſtotel.

Auerroes.

Enimuero tres modos dicendi hanc in re mihi videor inuenire, duos extremos, & tertium medium; Aliqui enim volunt, quod forma nonmodo vt differentiæ rationem induit, ſed etiã vt forma eſt, dicat totam definitionem, quorum princeps forſan eſt Auerr. Alij in alio extremo volunt formam neque vt forma, neque ſub ea conſideratione, qua induit rationem differentiæ, dicere totam definitionem, vel ſpeciem, ſed eſſe ſemper partem, in qua ſententia video Aegidium Romanum ſeptimo Diuinorum q. 10. & 12. Illi demum qui mediam incedunt viam, cenſent formam quatenus forma eſt, dicere ſemper partem tum rei, (& hoc nullus in compoſitis ſubſtantijs negat,) tum definitionis, at prout differentia eſt, dicere totum, ceu dicit & genus, & materia, quando vt genus accipitur, & hæc eſt ſententia Auctoris, & omnium eius diſcipulorum, & abitror eſſe communem opinionem; Cum Auer. non eſt in præſenti diſputandum, nam quo ad præſens propoſitum eſt nobiſcum, licet quid magis ſentiat de forma vt ſic, de qua re allegata quæſtione diſſerui; quapropter ſuſtinentes cum propoſita concluſione differentiam non eſſe formam, diluenda ſunt fundamenta eruditiſſimi Aegidij, quibus nititur probare differentiam non totum, ſed partem ſolum dicere.

Prior ſententia.

Secunda.

Aegidius.

Tertia.

Ea autem tria mihi apparẽt, quorũ primũ eſt, quod ſi differẽtia diceret totũ, vel à toto deſumeretur, cum & genus dicat totum, iam hoc diceretur de illa, nam totum valet de toto prædicari, velut à ſimili prædicatur genus de ſpecie, quoniam vtrumque à tota natura ſumitur, falſum eſt autem, quod genus prædicetur per ſe de differentia, vt probatum reliquimus quæſtione ſecunda ad tertium illud caput. Sed huic argumento facilis eſt reſponſio, negando conſequentiam, & ad probationem dicendo, quod ſi quid ex ea colligeretur, tunc

Ratio prior Aegidij.

Soluitur.

ego

ego poſſem prædicari de lapide, ſiquidẽ lapis eſt quoddam totum, & ego aliud; cur vero genus non prædicetur de differentia, explicatum dedimus nominata quæſtione; Genus autem prædicatur de ſpecie, non quia præciſe totum ſit genus, & totum ſit ſpecies, ſed quoniam conceptus illius eſt de conceptu huius, nunc autem conceptus generis, non eſt conceptus differentiæ. Quod ſi fortaſſe conſequentia loquatur de prædicatione identica, conceditur, nam res generis, eſt res differentiæ, &c.

Diluitur ſecunda.

Secundum autem eſt, quoniam differentia ſemper prædicatur denominatiue, quare nequit dicere totum; Reſpondeo, hoc verum eſſe de differentia, quo ad ſuum conceptum formalem præciſe, non autem quo ad conceptum formalem, & materialem ſimul, ſic enim totum dicit ſpeciei, & prædicatione eſſentiali de ipſa prædicatur, dicendo, homo eſt rationalis, &c.

Et tertia.

Tertium, & poſtremum eſt, quoniam tunc differentia poneretur in recta linea prædicamentali, & non locaretur a latere, ceu & directe in tali linea locatur genus; Reſpondeo, quod differentia quoniam vt ſic ſub conceptu formali, ac præciſe non eſt tota ſpecies, ſed eius pars, ideo non directe reponitur, ſed à latere; Dices, quod pari ratione & genus foret à latere locandum; Dico, quod genus habet rationem ſuperioris, & ſemper prædicatio generis de ſpecie, eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, quod differentiæ non euenit, quæ ſemper ſi vera fuerit, conuertitur cum ſua ſpecie, ordo autem prædicamentalis ſpectandus eſt ex ſuperioritate, & inferioritate, quoniã in prædicatione ſuperius ſemper dicitur de inferiori; præterea non locantur directe in genere prædicamentali differentiæ, quoniam cum ſemper oppoſitæ à genere exeant, lis eſſet inextricabilis, quænam ſuperiori, quænamvè inferiori loco foret ponenda, non enim maior eſſet ratio vnius, quam alterius; Denique genera ſunt etiam ſpecies, excepto generaliſſimo, & cum ſpecies ſit illa, quæ vere directam ſedem ſibi aſcribat in linea illa, iccirco merito in ipſa conſtituitur genus directe, non differentia, quæ numquam eſt ſpecies, ſed eius tantum conſtitutiua, &c.

Vnde ordo prædicamentalis attendatur.

Ex his duabus concluſionibus deducito, quod cum duplex in præſenti queat ordo conſiderari, rerum ſcilicet, & conceptuum, ſi ſpectetur ille rerum, multum diſcriminis inuenitur inter materiam, & genus, formam, & differentiam, compoſitum, & ſpeciem, nam materia non eſt res illa, quæ eſt forma, neque e contra, neque materia, vel forma ſunt res illa, quæ eſt compoſitum, recipit vtique materia formã, ſed aliud eſt recipiens, aliud receptum, componũt materia, & forma compoſitum, at componentia ſaltem diuiſim, non ſunt id quod componunt. Horum oppoſitum penitus elucet in genere, differentia, ac ſpecie, nam genus eſt res illa, quæ eſt differentia, & e contra, & vtrumque horũ eſt ſpecies, vt potuit patere tertio cap. ſępius nominato; Sin autem inſpicias ordinem conceptuum, pulchram deprehendes proportionem, nam conceptus generis non eſt conceptus ſpeciei, (loquendo ſemper de conceptibus formalibus,) neque e contra, rurſus, neutrum horum eſt conceptus ſpeciei adæquatus, ſed partialis dumtaxat, velut materia, & forma ſunt partes compoſiti, conceptus quoque ſpeciei, eſt conceptus generis, ac differentiæ; Ita in ordine rei locando materiam, formam, & compoſitum, in ſerie conceptuum, genus, ſpeciem, & differentiam, completam forte inuenies proportionem, &c.

Diſcrimen inter materiam, & genus, formam, & differentiam, compoſitum, & ſpeciem.

Similitudo inter eadem.

Tertia concluſio.

Sit tertia concluſio: Abſolute loquendo accidit generi, vt ſumatur à materia, & differentiæ, vt ſumatur à forma. Pro notitia obſerua ex Caiet circa 6. partem

partem literæ profunde admodum ſpeculante,quod aliud iudicium faciẽdum eſt de genere, ac differentia penes ea quæ ſibi vt ſic, & eſſentialiter conueniũt, & aliud iuxta ea quæ eiſdem cõueniunt,prout huic, vel illi naturæ applicãtur, nam priora ipſis vere conuenire fatebimur , poſteriora autem eiſdem accidere iure dicemus. Ad rationem itaque generis primo modo requiruntur hæc duo, quæ eiuſdem rationem complent, ac perficiunt, alterum eſt , vt certam naturam ſignificet, (ſic ens, & reliqua tranſcendentia,quæ omnes naturas circuunt, à ratione generis excluduntur.) alterum eſt , vt natura quam dicit , ſit formaliter determinabilis , ita à generis ratione ſemouentur ſpecialiſſima , vtpote materialiter ſolum determinabilia . Similiter ad eſſentiam differentiæ requiritur, quod dicat certum , definitumque gradum entis , omnibus enim perſpectum eſt , quod cum genus ſit indeterminatæ naturæ , & plures importet naturas,differentia ei accedens,conſtituit ſpeciem in determinato gradu entis,& ipſummet genus in illa ſpecie;determinatũ autem gradũ entis differẽtiam obtinere ſi quis dubitet,adeat Ariſtotelẽ 8.Diuinorum 10 & accipiet,quod velut vnitas,vel addita, vel ſubtracta á numeris,eos variat,(ſi enim eam adiicias numero ſenario fit ſeptenarius , ſi demas,fit quinarius ,) ita ſi quid addatur ſpeciebus , vel ab eiſdem ſubtrahatur, earũdem naturas variari deprehendes , vbi enim per gradum viuentis aduenientem corpori cernis quid animatum conſtitutum , ſi addas ſenſibile , iam animal intueris . Rurſus hic gradus , quem dicit differentia , quamuis ſit extra conceptum , & eſſentiam generis , (in quo ſenſu poſſes apud nonnullos legere , eſſe naturæ extraneæ ab ipſo ,) oportet nihilominus,quod non ſit extraneæ naturæ à genere,cuius eſt differentia , cum eadem ſit in genere naturæ , & rei, differentiæ , generiſque natura , oportet etiam vt ſit diuiſiua formaliter ipſius , nam ita diſtinguere , vel partiri debet , vt nõ modo ſpecies conſtituta per ipſam,ſit alia ab alia ſpecie, quam alia conſtituerit differentia , ſed & natura ipſius generis in hac ſpecie,ſit alia à natura generis ab alia ſpecie . Ita decimo Diuinorum 24. habes,in diuerſitate ſecundum ſpeciem , (quæ certe merito differentiæ euenit ,) duo accipi , quod ſcilicet hoc ſit diuerſum ab aliquo , & aliquid ſit diuerſificatum per hæc duo , & quod hoc per hæc duo diuerſum effectum,inſit vtrique, ſic vides rationale conſtituere hominem , irrationale brutum , vides illum ab hoc ſpecie ſecerni , vides animal vtrique ineſſe,& per hæc duo diuerſum factum ; nedum enim homo eſt diuerſus a bruto , ſed & animal, quod eſt in illo , diuerſum eſt ab animali,quod eſt in iſto .

Verum ſi loquamur de genere , & differentia, vt applicantur naturis materialibus , ſic genus videbimus nedum explicare naturam certam , ac formaliter determinabilem , ſed & à materia,tamquam à radice ſumi , & differentiam nõ ſolum ſignificãtem gradum illum determinatum, generis eiuſdem formaliter diuiſiuum,ſed & à forma,tamquam à radice ſumi ſpectabimus,at hæc accidunt generi,& differẽtiæ, ex eo quod eſſentia, & natura illa cuius ſunt genus, & differentia , eſt realiter compoſita ex materia , quæ determinabilis eſt , & ex forma quæ eſt determinans. Animal profecto ex ſe vt genus,nil aliud habet, niſi vt ſignificet certam naturam formaliter determinabilem , quod habet , dum ſignificat naturam ſenſitiuam , quæ per rationale determinabilis eſt , ſed quoniam natura hæc ſenſitiua habet , vt per rationale ſit determinabilis, ex eo quod habet materiam , (natura enim , in qua inueniuntur ſenſus , eſt materia-

Caietanus.

Quid poſtulet ratio generis vt ſic.

Quid ratio differentiæ.

Ariſtotel.

Ratio generis in materialibus.

Ratio differentiæ.

lis,)ideo accidit huic generi,quod eſt animal,quatenus genus,vt ſumatur à materia,ſi enim natura ſenſitiua poſſet per rationale determinari,& eſſet abſq; materia, adhuc animal vere eſſet genus obtineret enim ea, quæ ſibi vt generi conueniunt; Similiter rationale vt differentia,nil aliud per ſe ſibi vindicat, niſi vt exprimat naturam ratiocinatiuam, eſſentialiter determinantem naturam ſenſilem, quod plane efficit, dum gradum illum rationalis explicat, ſed quoniam gradus intellectiuus habet, vt ſit determinatiuus ſenſitiui, ex eo quod anima intellectiua eſt in natura materiali, cum ſit forma corporis, eapropter accidit rationali vt eſt differentia, quod ſumatur à forma, nam ſi natura ratiocinatiua poſſet determinare ſenſitiuam,abſque eo quod anima eſſet forma corporis, rationale adhuc eſſet æque vera differentia, ſignificaret enim ea, quæ ſunt de ratione differentiæ vt ſic, &c.

Caietanus. Ferrarien. Conſidera tamen diligenter ex eodem Caiet. & Ferrar. cap. illo 95. ſecundi cont. Gent. quod ſi interrogeris, num in rebus materialibus genus à materia, differentia à forma ſumatur, & affirmanter, & negatiue potes, ac debes reſpondere, nam ſi loqueris de eo à quo formaliter, (vt ait Caiet.) vel proxime, (vt inquit Ferrarienſis,) ſumuntur, negare id debes, ſi de eo, à quo tamquam à radice cum illo, vel remote, & originaliter cum iſto,id tibi affirmandum eſt. Pro quo nota, quod in rebus materialibus duo ſunt, quæ fundant generis rationem, & rurſus alia duo, quæ differentiæ, nam gratia exempli materia, & tota hominis eſſentia,vt perfectibilis eſt, per differentiam contrahibilis, determinabilis, atque ad eam in potentia, fundant rationem generis; & quidem eſſentia formaliter, & proxime, materia vero radicaliter, ac remote, cum enim genus ſit quoddam potentiale, contrahibile, &c. merito eſſentia has rationes induta fundat genus, cumque materia ſit radix potentialitatis, & conditionum reliquarum quas allegauimus, iure ab ipſa, tamquam à radice hæc omnia accipi dicuntur, ſic genus à tota eſſentia, vt formaliter perfectibilis ſumitur, tamquam à re formaliter nomine generis ſignificata, vere enim tota eſſentia vt potentialis, vel perfectibilis, denominatur,eſtque genus,à materia autem ſumitur nō vt à re formaliter ſignificata, neque enim materia vel eſt,vel dicitur formaliter genus,ſed vt à radice,& fundamento illius formalis ſignificati, ſic homo vt ſubſtantia, vt corpus, vt viuens eſt genus,ſi ipſi ſibi comparetur,vt animal, vt rationalis. E contra vero tota hominis eſſentia, vt perfecta, vt actualis, vt determinata, & forma, fundant differentiam, illa proxime, aut formaliter, hæc remote, vel radicaliter,cum enim differentia ſit quid perfectum, actuale,&c. iure eſſentia ſub his rationibus fundat differentiam, ſimiliter cum forma ſit radix actualitatis, determinationis, &c. merito ab ipſa, ceu à cauſa, & radice hæc depromuntur, et quidem ab illa, vt à re formaliter denominata nomine differentiæ, cum vere eſſentia ſub illis conceptibus ſit differentia, ab hac vero, vt à radice huius, non formaliter, quoniam forma non eſt formaliter differentia.

Quæ in materialibus fundent ratione generis.

Quæ rationem differentiæ.

Quam ſane doctrinam de genere, ac differentia, quomodo formaliter, & radicaliter ſumantur, vel non ſumantur à materia, & forma,reſolute ſatis complexus eſt Conradus ſuper primam ſec. q. 54. art. primo, circa reſponſum ad primum.

Conradus.

In rebus itaque materialibus genus radicaliter ſumitur à materia, non formaliter, differentia radicaliter à forma, non formaliter, ſed illud forma-

liter

liter à tota eſſentia, vt potentialis, tamquam à re ſignificata nomine primæ intentionis, hæc autem ab ea vt actualis ſimiliter, denominatur autem nominibus ſecundæ intentionis, quoniam nomen obtinet generis, & differentiæ.

Sic non mireris, ſi inuenias quandoque dici, genus non à materia, differentiam non à forma deſumi, id enim in ſenſu explicato optime dicitur, & melius iudicio meo, ſi abſolute negetur, quam ſi affirmetur, tum quoniam in rebus ſolum materialibus id veritatem habet, tum quoniam neque omnino in his verum eſt, ſed in vno ſenſu tantum, radicaliter ſcilicet, & remote; Quocirca abſolute viri docti pronunciabunt, genus in omnibus ſumi ab aliquo materiali, & potentiali, & ab aliquo quod ſe habet inſtar materiæ, eique proportionale eſt, vt circa primam aſſertionem dicebatur; idem dicent de differentia, quod nimirum deſumitur ab aliquo actuali, quod formæ proportionale eſt, cum ea habens ſimilitudinem, ſic enim dicendo, & illud enunciabitur, quod ſaluatur in omnibus, vbi genus, & differentia inueniuntur, eaque audiuntur, quæ & generis, & differentiæ rationem conſtituunt, complentque, & ſine quibus neutrius ratio conſiſtere valet, &c.

Quid melius iudicet Auctor

Quomodo viri docti loquātur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo in intelligentiis, aliisque entibus locum habeant genus, & differentia.

Sit prior concluſio: In intelligentiis adeſt vera ratio generis, & vera ratio differentiæ. Hæc concluſio, quæ ſecundum ſe poſſet videri difficilis, facillima apparet ex præcedentibus concluſionibus; Genus quippe in ipſis ſignificat certam naturam formaliter determinabilem, intellectualem inquam, quam patet definitam, ac ſpecie eſſe plurificabilem, immo ſpecie ſolum; Differentia quoque in eiſdem explicat determinatam naturam ſubſtantialem, cum enim earum mentium natura non ſit ens infinitum, determinata eſt ad certum perfectionis gradum, & natura etiam intellectualis, quæ eſt genus, aliud eſſe habet in Gabriele, aliud in Raphaele, & hic diuerſus eſt ab illo, vbi vides requiſita ad rationem generis, & differentiæ vt ſic.

Prima concluſio.

Sit poſterior concluſio; In intelligentijs vnum tantum eſt, quod fundat rationem generis, & vnum ſimiliter, quod rationem differentiæ. Declaratur hæc concluſio, quoniam in abſtractis adeſt eſſentia tota, quatenus perfectibilis, & potentialis, & eadem, quatenus perfecta eſt, & actualis, quæ dicebantur formaliter, proximeque fundare rationem harum ſecundarum intentionum, non eſt autem in ipſis inuenire ea, quæ remote, & radicaliter fundent has intentiones, quoniam clarum eſt, non adeſſe in ipſis materiam, quæ cum forma componat. Quamobrem in intelligentijs ſumitur genus à tota eſſentia, vt potentialis, & determinabilis eſt, differentia vero ab eadem, vt actualis, & determinata eſt, ſic conueniunt cum materialibus ſubſtantiis penes id à quo proxime ſumitur iſtorum ratio, non penes id à quo remote, non in eo ſenſu, vt aliud ſit remote in materialibus fundans rationem generis, & differentiæ, &

Secunda.

Vnde ſumatur genus, & differentia in intelligentiis.

aliud in ipſis, ſed quoniam in illis adeſt quid remote fundans, aliud ab eo quod fundat proxime, in ſeparatis autem nihil eſt, quod remote fundet, conueniunt etiam in ratione generis, & differentiæ iuxta ea quæ nominibus his ſecundæ intentionis per ſe, & vt ſic inſunt, non autem penes ea, quæ his poſſunt accidere, & accidunt.

Vt illuſtratiora hæc fiant, & videatur quomodo nõ ſolum in abſtractis, ſed & in alijs ſumatur harum ratio intentionum, conſidera quod in omni ente creato adeſt ratio actus, & potentiæ, & in propoſito noſtro, eſſentia eſt quid potentiale, eſſe autem quid actuale, quo nihil eſt actualius, quippe quod omnium actualiſſimum ſæpe hoc libro diximus, at in eſſentia ipſa dantur gradus vt ita loquar potentialitatis, hoc eſt, ſub vna, vel alia ratione, magis, & minus potentialis eſt, in ipſo autem eſſe non cernuntur hi gradus, quoniam in actualiſſimo nõ eſt inuenire magis, & minus actualitatis; Sic recte Caiet. prima earum, quas hoc loco adfert propoſitionum dicebat, quod omne indiuiduum, cuius eſſentia eſt ab eſſe realiter diſtincta, habet plura prædicata quidditatiua, quorum ſucceſſu magis, magiſque propinquum fit proprio eſſe; In Alexandro ſi quidem, (vt propoſitionem clariſſimam clariorem reddamus,) videmus plura quidditatiua prædicata, de eo namque dicitur ſubſtantia, corpus, viuens, animal, homo, & cuique exploratum eſt, quod ipſe vt ſubſtantia valde nimis elongatus eſt à ſuo eſſe, ad hoc enim vt ſit, oportet, quod ſit corpus, quod viuens, quod animal, quod homo, & notum eſt, quod magis appropinquat ſuo eſſe, quando eſt corpus, quam quando eſt ſubſtantia, & magis quando viuum, quam quando corpus, & magis quando animal, & denique magis quando eſt homo, petis quare? quoniam numquam poteſt recipere eſſe, niſi fuerit homo, cum enim eſſe ſit vltimum inter actualia, nequit recipi niſi in ſubiecto, quod ad eius receptionem fuerit diſpoſitum, (actus profecto actiuorum fiunt in paſſo bene diſpoſito,) diſponitur autem per actualitates præcedentes, cum non perueniatur ad extrema abſque medijs. At vero inter hæc quidditatiua prædicata is ordo eſt, quod vnumquodque quo magis recedit ab eſſe, eſt potentialius, quo magis ei accedit, eſt actualius, (quæ eſt ſecunda Caiet. propoſitio,) ſicut enim quo magis quid accedit ad ignem, eo calidius eſt, ita quo quid appropinquatius eſt fonti vt ita dixerim actualitatis, eo erit actualius, ſæpe autem inculcauimus, & inculcamus, quod omnium ſit eſſe actualiſſimum, quare &c. ita poſterius prædicatum eſt actualius priori, quoniam magis accedit ad vltimum, quod eſt actualiſſimum, ſic homo inter prædicata illa, quæ in Alexandro enumerabamus, erit prædicatum actualius, &c.

Caietanus.

Varia in indiuiduo quidditatiua prædicata.

Ordo inter ipſa.

Cum ergo docuerimus, genus ſumi ab eo quod eſt vt determinabile, & potentiale, differentiam autem ab eo quod eſt vt determinans, & actuale, illud conſequitur, vt genus, ac differentia in quouis ente ſumantur à tota eſſentia rei, ſecundum propinquitatem, & elongationem ab eſſe, cum enim generaliſſimum genus explicet eſſentiam maxime, & mille modis, vt ita loquar terminabilem, oportet ab eo ſumi, ſub quo eſſentia eſt ab eſſe elongatior, ſic enim oportet vt determinetur, ac perficiatur omnibus differentijs ad hoc, vt eſſe poſſit ſuſcipere, ſi enim nil remotius, vel æque remotum ab eſſe, quam genus generaliſſimum, vt ex dictis conſtat, oportet vtique vt ſumatur ab illo, ſub quo magis, quam ſub quocumq; alio eſſentia eſt remota ab eſſe, ita ſumitur

Vnde genus in quouis ente

ab eſ-

ab eſſentia hominis, prout ſtat ſub prædicato, vel ſub conceptu ſubſtantiæ. Differentia vero vltima cum ſpeciem conſtituat, eamque in certo entis gradu reponat, eſt vltimum complementum ipſi eſſentiæ ad hoc, vt eſſe ſit ſuſceptiua, quoniam vltra differentiam vltimam non expectat indiuiduum aliud complementum formale intrinſecum, ita ab eo ſumitur, ſub quo poſita eſſentia eſt maxime propinqua ipſi eſſe, & propinquior, quam ſub quouis alio, quod ponderans Porphyrius dicebat cap. de differentia, quod eſt ea, quæ conducit ad eſſe, intellige vltimate, nam & reliqua etiam conducunt, at illa adeo, vt nil aliud expectetur. Demum genera, & differentiæ intermediæ ſumuntur ab intermedijs prædicatis, ſiue conceptibus, quibus paulatim eſſentia determinatur, habiliſque redditur ad eſſe recipiendum, & à prædicatis proximioribus, proximiora, à remotioribus, remotiora. Vnde differentia. Porphyr.

Illud autem ſemper in memoria habeas, me non dicere genus ſumi ab hoc, vel illo prædicato, neque differentiam, ſed ſemper dico ab eſſentia vtrumque ſumi, prout ipſa eſt ſub hoc, vel illo conceptu, ſic non ſumitur genus, vel differentia ab eſſe actualis exiſtentiæ, ſed ab eſſentia, quatenus reſpicit exiſtentiam, & quatenus ad ipſam ordinem habet, non quidem de genere ad aliquid, ſed tranſcendentalem, ipſam nimirum eſſentiam ſic commenſuratam dicentem, ſic prima quæſtione ad hoc cap. dicebatur, differentias diuidere genus, & conſtituere ſpecies in vario eſſe ſpecifico, ita tamen quod & in eſſe exiſtentiæ eas varias reddebant, quoniam in ordine ad hoc eas partiebantur, &c.

Quæcumque igitur natura tibi vniuerſim occurrat, animo volue varia, quæ in ea cernis prædicata quidditatiua, & ſi illa noſti, (quod dixerim ob ſubſtantias immateriales, quarum perpauca nouimus,) id ſub quo eſſentia eſt maxime remota ab eſſe, dic ab eſſentia ſub illa ratione ſumi genus, id ſub quo maxime eſt propinqua, dic ab eſſentia vt ſic vltimam ſumi differentiam, ea ſub quibus magis, minuſque accedit ad eſſe, dic ab eſſentia vt ſic accipi intermedia, ita ab eſſentia hominis vt ſtat ſub conceptu ſubſtantiæ, dic oriri primum genus, ab eadem vt ſtat ſub ratione animalis, vltimum genus, demum ab ipſa vt ſtat ſub conceptu rationalis, vltimam differentiam. Idem dicas in alijs ex proportione; Et in intelligentijs præcipue, de quibus eſt quæſtio, dicas genus accipi ab earum eſſentia, vt eſt ab eſſe elongata, vt videlicet ſtat ſub gradu ſubſtantiæ immaterialis, vel intellectualis, differentiam vero ab eadem, vt eſt propinqua eſſe, (quam à me non expectes nominari, quia eam ignoro,) quam tamen ſi liceat aliqua via adumbrare, dic eſſe gradum propinquitatis ad primum ens, nam velut per hos propinquitatis gradus magis, & minus propinquæ ſunt actui puriſſimo, ita ex illis ſumuntur ſpecificæ earum differentiæ; Genera intermedia in ipſis non quæras, quoniam carent genere ſubalterno, ex doctrina Auctoris tractatu de natura generis, cap. 5. cum earum perfectio non conſurgat ex multis differentiarum coniunctionibus, & varijs generum diuiſionibus, id enim earum ſimplicitas non patitur, vt pulchre admodum tradit ibidem Auctor, quod totum caput ſpectare potes, nam maxime inſeruit ijs omnibus, quæ hac quæſtione docuimus; ex quo illarum natura eo excellentior deprehenditur, quo plura coniunctim, & in vno ſimplici poſſidet. Genus, & differentia in intelligentijs. D.Thom.

Ita elucet tibi, quanta ratione Auicennas, & Auctor vbique totum pene funda-

fundamentum, cur aliquod vel in genere locetur, vel ab eo eximatur, voluerint eſſe vel identitatem eſſe cum eſſentia, vel horum diſtinctionem, cum & genus, & differentia ſumantur ex varia habitudine, quam habet eſſentia ad eſſe, ex quo colligis ſolum Deum carere genere, & differentia, quoniam in quidditate ſua, quæ eſt realiter eadem cum ſuo eſſe, nequis concipere vel elongationem, vel appropinquationem, vt prima huius capitis quæſtione dicebatur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Remouentur fundamenta contrariæ ſententiæ.

APplicanda potius veniunt, quæ diximus, vt argumenta tollantur, quam aliquid noui ſit adferendum.

Ad primum enim dicimus ex doctrina tum primæ, tum tertiæ concluſionis, genus non vocari abſolute materiam, ſed quid ei ſimile, hoc eſt, quoddam materiale; Rurſus quando dicitur genus accipi à materia, id accipiendum eſt in ſubſtantijs ſenſibilibus, non quidem proxime, ſed originaliter, idem dicendum eſt, quando differentia aut dicitur forma, aut ab ea peti; Ex quo patet ad confirmationem.

Ad ſecundum, pluries me dixiſſe noui, compoſitionem phyſicam ex materia, & forma ab Ariſtotele ſemoueri ab intelligentijs, non autem metaphyſicam, eſſe, & eſſentiæ, actus, & potentiæ, ac ſubinde generis, & differentiæ.

Ad tertium bene ibidem reſponſum fuit; Ad impugnationem negatur prima conſequentia, nam hæ rationis partes ſi adſint, ſufficiunt ad hoc vt aliquid vere, & realiter in genere conſtituatur, nam & prædicamentum, genuſque pro intentione, (quo pacto hic accipitur) eſt quoddam rationis; Negatur & ſecunda conſequentia, quoniam ex eſſentia, vt remota ab eſſe ſumitur ratio generis, quod habet locum in abſtractis, in quibus eſſentia, & eſſe diſtinguuntur, quod ſane de Deo dici nequit, quare licet genus, & differentia ſolum ratione, conceptuvè differant, ſumuntur nihilominus à diſtinctis realitatibus, qua ratione poſſumus aſſerere adeſſe partes in intelligentijs, non quidem, quæ ſint res, ſed realitates, quæ ſi quadam ratione poſſint dici aliud, & aliud, propter realem ab inuicem diſtinctionem, nega minorem huius argumenti principalis, & alia via illud, & alia pleraque confutabis.

Quomodo in intelligentijs partes.

Ad quartum, quod contra hæc adducebatur patet ex doctrina præcedentis art. non enim differentia ſumitur ab exiſtentia actuali, ſed ex ordine ad ipſam, à quo non abſtrahunt definitiones, quoniam differentia conducit ad eſſe; Ad id quod additur, dicimus vtique omnes intelligentias in eo conuenire, vt eſſentiam habeant ab eſſe diſtinctam, attamen vnius eſſentia eſt alia ab eſſentia alterius, quoniam reſpicit aliud eſſe, & alium eſſendi gradum, qui omnes formaliter, ac ſpecifice ſecernuntur, & magis, ac minus nobiles ſunt, ſed hos gradus non exprimimus, quoniam non nouimus, ij enim ſolum eos callent, qui illarum ad Deum propinquitatem, & à ſenſibilibus elongationem ſpeculantur, vt dicebat Auctor cap. illo 5. de natura generis; Exprimantur,

D.Thom.

mantur ab ijs, qui dicunt nos poſſe ipſas in hoc ſtatu plene agnoſcere. Conueniunt itaque in habenda eſſentia ab eſſe diſtincta, at differunt in hac eſſentia, & hoc eſſe, ceu conueniunt omnes homines in eo quod habeant corpus, & animam, ſed diſcriminantur penes hoc corpus, & penes hanc animam, quamuis differentia illarum ſit ſpecifica, hæc vero numerica, &c.

Ad vltimum dicitur primo Ariſtotelem ibi aſſignaſſe principia rerum ſenſibilium, & ſubſtantiarum materialium, quod patet ex pluribus, quæ ibi adfert exemplis, vt 22. 23. & 26 hinc 29. in epilogum ducens ſermonem illum Ariſtotel. de prædicamentorum principijs dixit, *Quæ itaque ſenſibilium principia ſunt, & quot, quo vè modo eadem, & diuerſa, dictum eſt*, Dicitur ſecundo, quod ſi ad omnes ſubſtantias extendere velimus, nomine materiæ, ac formæ accipitur quid materiale, & formale, quid ſcilicet actuale, & potentiale, vnde 26. dixit, alio modo principia eſſe eadem, vt actus, & potentia; Quo modo interpretetur prudens lector, ſi quæ adſint priſcorum teſtimonia, quibus dicatur genus eſſe materiam, differentiamuè formam, dum abſolute loquūtur, nam ſi de materialibus tantum habeatur ſermo, alia tibi ex hac quæſtione ſuppetit intelligentia; Et hæc de hac quæſtione, & de ſexto capite, ac de tota omnium ſubſtantiarum tractatione.

Quid nominæ materiæ, ac formæ.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

1 NVNC autem reſtat videre, qualiter eſſentia ſit in accidentibus, quomodo autem ſit in omnibus ſubſtantijs, dictum eſt; Et quia vt dictum eſt, eſſentia per definitionẽ ſignificatur, oportet quod eo modo habeant eſſentiam, quo habẽt definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non poſſunt definiri, niſi ponatur ſubiectum in eorum definitione, & hoc ideo eſt, quia non habent in ſe eſſe abſolutum per ſe à ſubiecto.

2 Sed ſicut ex forma, & materia relinquitur eſſe ſubſtantiale, quando componitur, ita ex accidente, & ſubiecto relinquitur eſſe accidentale, quando accidens ſubiecto aduenit: & ideo etiam nec forma ſubſtantialis completam eſſentiam habet, nec materia, quia in definitione formæ ſubſtantialis oportet, quod ponatur illud cuius eſt forma, & ita definitio eius eſt per additionem alicuius, quod extra eius genus eſt, ſicut & definitio formæ accidentalis, vt etiam in definitione animæ ponitur corpus à Naturali *, qui conſiderat animam ſolum, inquantum eſt forma phyſici corporis.

* 2. de Aīa 6.

3 Sed tamen inter formas ſubſtantiales, & accidentales tantum intereſt, quia ſicut forma ſubſtantialis non habet per ſe eſſe abſolutum ſine eo cui aduenit, ita nec illud cui aduenit, ſcilicet materia, & ideo ex ea coniunctione vtriuſque relinquitur illud eſſe, in quo res per ſe ſubſiſtit, & ex eis efficitur vnũ per ſe, propter quod ex coniunctione eorum relinquitur eſſentia quædam; Vnde forma quamuis in ſe conſiderata non habeat rationem completam eſſentiæ, tamen eſt pars eſſentiæ completæ. Sed illud cui aduenit accidens, eſt ens in ſe completum conſiſtens in ſuo eſſe, quod quidem eſſe naturaliter præcedit accidens, quod ſuperuenit, & ideo accidens ſuperueniẽs ex coniunctione ſui cum eo

cui

cui ſuperuenit, nõ cauſat illud eſſe in quo res ſubſiſtit, per quod res eſt ens per ſe, ſed cauſat quoddam eſſe ſecundum, ſine quo res ſubſiſtens intelligi poteſt eſſe, ſicut primum poteſt intelligi ſine ſecundo, vel prædicatum ſine ſubiecto; Vnde ex accidente, & ſubiecto nõ fit vnum per ſe, ſed vnum per accidens, & ideo ex eorum coniunctione non reſultat eſſentia quædam, ſicut ex coniũctione formæ cum materia, propter quod accidens neque rationem completæ eſſentiæ habet, neque pars completæ eſſentiæ eſt, ſed ſicut eſt ens ſecundum quid, ita & eſſentiam ſecundum quid habet.

4 Sed quia illud, quod dicitur maxime, & veriſſime in quolibet genere, eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt in illo genere, ſicut ignis qui in fine caliditatis eſt cauſa caloris in rebus calidis, vt ſecũdo Metaphyſ.* dicitur, ideo ſubſtantia, quæ eſt principium in genere entis maxime, & veriſſime eſſentiã habens, oportet quod ſit cauſa accidentium, quæ ſecundario, & quaſi ſecundum quid rationem entis participant; Quod tamen diuerſimode contingit; quia enim partes ſubſtantiæ ſunt materia, & forma, ideo quædam accidentia principaliter conſequuntur formam, & quædam materiam. *tex.4.

5 Forma autem inuenitur aliqua, cuius eſſe non dependet à materia, vt anima intellectualis, materia vero non habet eſſe niſi per formam; vnde in accidentibus, quæ ſequuntur formam eſt aliquid, quod non habet communicationem cum materia, vt intelligere, quod non eſt per organum corporale, ſicut probat Philoſophus in tertio de Anima.* Aliqua vero ex conſequentibus formam ſunt, quæ habent communicationem cũ materia, vt ſentire, ſed nullum accidens ſequitur materiã ſine cõmunicatione formæ. In his tamen accidẽtibus, quæ materiam conſequũtur inuenitur quædam diuerſitas, quædã enim accidẽtia conſequuntur materiã ſecundum ordinem quem habet ad formam ſpecialẽ, vt maſculinum, & fœmininum in animalibus, quorum *tex.6.

diuerſitas ad materiam reducitur, vt dicitur in 10. Metaphy.* vnde remota forma animalis, dicta accidentia non remanent niſi æquiuoce, quædã vero conſequuntur materiam ſecundum ordinem quem habet ad formam generalem, & ideo remota forma ſpeciali, adhuc in ea remanent, ſicut nigredo cutis eſt in æthiope ex mixtione elementorum, & non ex ratione animæ, & ideo poſt mortem in eo remanet.

*tex.25.

6 Et quia vnaquæque res indiuiduatur ex materia, & collocatur in genere, vel ſpecie per ſuam formam, ideo accidentia, quæ conſequuntur materiã, ſunt accidentia indiuidui, ſecundum quæ etiam indiuidua eiuſdem ſpeciei differunt adinuicem; Accidentia vero quæ cõſequuntur formam, ſunt propriæ paſſiones, vel generis vel ſpeciei, vnde inueniuntur in omnibus participantibus naturam generis, vel ſpeciei, ſicut riſibile conſequitur in homine formam, quia riſus contingit ex aliqua apprehenſione animæ hominis; Sciendum etiam eſt, quod aliquando accidentia ex principijs eſſentialibus cauſantur ſecundum actum perfectum, ſicut calor in igne, qui ſemper actu eſt calidus, aliquando vero ſecundum aptitudinem tantum, ſed complementum accipiunt accidentia ex agẽte exteriori, ſicut diaphaneitas in aere, quæ completur per corpus lucidum exterius, & in talibus aptitudo eſt accidẽs inſeparabile, ſed cõplementũ quod aduenit ex aliquo principio, quod eſt extra eſſentiã rei, vel quod non intrat conſtitutionem rei, eſt ſeparabile, ſicut moueri, & huiuſmodi.

7 Sciendum eſt autem, quod in accidentibus alio modo ſumuntur genus, differentia, & ſpecies, quam in ſubſtantijs; quia enim in ſubſtantijs ex materia, & forma ſubſtantiali fit per ſe vnũ, vna quadam natura ex eorũ coniunctione reſultante, quæ proprie in prædicamento ſubſtantiæ collocatur, ideo in ſubſtantijs nomina concreta, quæ compoſitum ſignificant, proprie in genere eſſe dicuntur, ſicut genera, vel ſpecies, vt homo,

vel

vel animal, non autem forma, vel materia eſt in prædicamento hoc modo, niſi per reductionem, ſicut principia in genere principiatorum eſſe dicuntur, ſed ex accidente, & ſubiecto non fit vnum per ſe, vnde non reſultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intẽtio generis, vel ſpeciei poſſit attribui, vnde nomina accidentium concretiue dicta, non ponuntur in prædicamento, ſicut ſpecies, vel genera, vt album, vel muſicum, niſi per reductionem, ſed ſolum ſecundum quod abſtracta ſignificantur, vt albedo, & muſica.

8 Et quia accidentia non componũtur ex materia, & forma, ideo non poteſt in eis ſumi genus à materia, & differentia à forma, ſicut in ſubſtantijs cõpoſitis, ſed oportet vt primum genus ſumatur ex ipſo modo eſſendi, ſecundum quod ens diuerſimode ſecundum prius, & poſterius de decem generibus prædicatur, ſicut dicitur quantitas, ex eo quod eſt menſura ſubſtantiæ, & qualitas, ſecundum quod eſt diſpoſitio ſubſtantiæ, & ſic de alijs, ſecundum philoſophum in 11. Metaphyſicæ.* Differentiæ vero in eis ſumuntur ex diuerſitate principiorum, ex quibus cauſantur, & quia propriæ paſſiones ex proprijs principijs ſubiecti cauſantur, ideo ſubiectum ponitur in definitione eorum loco differentiæ, ſi in abſtracto definiãtur, ſecũdum quod ſunt proprie in genere, ſicut dicitur, quod ſimitas eſt naſi curuitas, ſed e conuerſo eſſet, ſi eorum definitio ſumeretur, ſecundum quod concretiue dicuntur, ſic enim ſubiectum in eorũ definitione poneretur ſicut genus, quia tunc definirentur per modum ſubſtãtiarum compoſitarum, in quibus ratio generis ſumitur à materia, ſicut dicimus, quod ſimum eſt naſus curuus; Similiter etiam eſt, ſi vnum accidens alterius accidentis principium ſit, ſicut principiũ relationis, eſt actio, & paſſio, & quantitas, & ideo ſecundũ hæc diuidit Philoſophus relationem in quinto Metaphyſ.* Sed quia propria principia accidentium nõ ſemper ſunt manifeſta, ideo

* innuitur cap. 3.

* tex. 20.

quandoque ſumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, ſicut congregatiuum, & diſgregatiuum viſus dicũtur differẽtiæ coloris, quæ cauſantur ex abundantia & paucitate lucis, ex qua diuerſæ ſpecies coloris cauſantur.

9 Sic ergo patet, quomodo eſſentia eſt in ſubſtãtijs, & accidentibus, & quomodo in ſubſtantijs compoſitis, & ſimplicibus, & quomodo intentiones logicæ vniuerſales in eis inueniũtur, excepto primo principio, quod eſt infinitæ ſimplicitatis, cui non conuenit ratio generis, vel ſpeciei, & per conſequẽs nec definitio propter ſuam ſimplicitatem, in quo ſit finis, & conſummatio huius ſermonis.

SVMMA CAPITIS.

De accidentibus diſſerens, eorum eſſentiam incompletam, ex eorundem definitione, comparatione facta ad formam ſubſtantialem oſtendit, variaſque ſpecies accidentium adfert, quorundam ſcilicet inſequentium formam, aliorum comitantium materiam, & illa, & iſta partitur adhuc, multiplicia vtraque declarans, aperit deinceps quomodo, & ſub qua ratione reponantur in prædicamento, & vnde in ipſis intentiones & generis, & differentiæ ſumantur, & quomodo non ſemper ab eodem nos eorum differentias petamus, quoniam ipſarum nonnullas ignoramus, breuem denique, clarumque eorum omniũ de quibus hoc libro diſſeruit epilogum ducit.

DIVISIO.

Haec eſt tertia, ac vltima pars principalis huius operis, in qua poſt ſermonem de ſubſtãtijs, tum compoſitis, tum ſimplicibus explicatur natura accidentium, vt de omni ente mentio habeatur, Abſoluitur autem hæc pars vnico hoc ſeptimo, & poſtremo capite, cuius partes ſunt nouem, in quarum prima proponens Auctor quod intendit, & ad præcedentia ſe continuans, adfert conclusionem, qua patefacit, quæ ſit accidentium eſſentia, in ſecunda vt hæc magis innoteſcant comparationem facit inter accidentalem, & ſubſtantialem formas, tria innuens, quibus accidens conuenit cum forma ſubſtantiali, in tertia comparationem proſequens, quinque inſinuat, penes quæ differunt, ex quibus colligit concluſionem in prima parte principaliter intentam, in quarta aſſignat cauſam accidentium, quam duplicem oſtendens, duo eſſe dicit genera accidentium, quorum alterum formam, alterum materiã inſequitur, in quinta vtraque ſubdiuidit, & varia manifeſtat, tum ea quæ formam, tum quæ materiam ſequuntur, in ſexta adducit quoddam dictum, ex quo infert corollarium, in quo habetur alterum proprium accidentibus inſequentibus materiam, & alterũ ijs, quæ formam

Partes huius literæ.

formam comitantur, & vnum deinde vtriſque commune, in ſeptima oſtendit qua ratione locentur accidentia in prædicamento, in octaua tradit vnde in ipſis ratio generis, & differentiæ deſumatur, in poſtrema breui epilogo redigit quæ omnia principaliter toto hoc opere docuit, &c.

Quo ad primum, Inquit ſupereſſe videndum, quomodo eſſentia ſit in accidentibus, dictum enim fuit, quomodo ſit in ſubſtantijs omnibus, id vero aggrediens, hanc habet concluſionem; Accidentia eo modo habent eſſentiam, quo habent definitionem, ſubſumit, quod eorum definitio eſt incompleta, ergo colligitur eorum eſſentia eſſe incompleta, probatur prima propoſitio, ſeu concluſio, quoniam vt dictum fuit, (intellige vltima parte primi capitis huius libri) eſſentia per definitionem ſignificatur, altera propoſitio conſtat, quoniam nequeunt accidentia definiri, niſi in eorum definitione ponatur ſubiectũ, quod ſane conſtat eſſe extra eſſentiam accidentium, ac proinde nequit eo cum definitio per intrinſeca compleri, ſic eſt incompleta; cauſa autem cur in eorum definitione ponatur ſubiectum, eſt quoniam non habent eſſe in ſe, à ſubiecto abſolutum, &c. Prima.

Quo ad ſecundum, Comparatio ea eſt, quod ſicut ex forma ſubſtantiali quando vnitur materiæ reſultat eſſe ſubſtantiale, ſic ex accidente, ac ſubiecto, quando huic illud aduenit prouenit eſſe accidentale, ex quo elicitur id in quo primo conueniunt, neutrum ſcilicet eorum habere eſſe abſolutum à receptiuo; Conueniunt ſecundo, quod vtrumque habet eſſentiam incompletam, nam in definitione quoque formæ ponitur id cuius eſt forma, & ex conſequenti erumpit eius definitio ex aliquo addito, & extrinſeco, ſic in definitione animæ ſecundo eiuſdem 6. poſuit corpus Ariſtoteles artifex ibi naturalis, quippe qui conſiderat animam tantum, vt eſt forma phyſici corporis, quo fit, vt tertio conueniant in definitione incompleta. Secunda. Ariſtot.

Quo ad tertium, De forma habetur, quod ſicut ipſa non habet per ſe eſſe abſolum ſine eo cui aduenit, hoc eſt ſine materia, quæ eſt eius receptiuum, ita nec ipſa materia, in quo primo differt ab accidente, cuius receptiuum eſt ens in ſe completum, in ſuo eſſe conſiſtens, quod vtique eſſe naturaliter præcedit accidens ei aduemiens; Ex quo ſequitur, vt ſecundo differant, quoniam ex coniunctione formæ cum materia, illud eſſe prouenit, in quo res per ſe ſubſiſtit, at ex coniunctione accidentis cum ſubiecto non tale eſſe, ſed ſecundum quid reſultat, ſine quo res ſubſiſtens poteſt intelligi eſſe ſicut primum ſine ſecundo, vel ſicut prædicatum ſine ſubiecto; Ex quo prouenit tertio, vt ex forma, & materia fiat vnum per ſe, quod non contingit ex accidente, & ſubiecto; Vnde quarto fit, vt ex illorum coniunctione eſſentia quædam & entitas emanet, ex his vero vnum peraccidens; Quare vltimo ſequitur, quod licet forma ſecundum ſe conſiderata non habeat rationem completam eſſentiæ, eſt tamen eſſentiæ cõpletæ pars, accidens vero neque rationem obtinet completæ eſſentiæ, neque talis eſſentiæ partem, ſed velut eſt ens ſecundum quid, ita & eſſentiam ſecundum quid habet, quæ erat principalis primæ partis concluſio. Tertia.

Quo ad quartũ; Subſtantia eſt cauſa accidentium, quod probatur ex ſecundo Diuinorũ 4. vbi habetur, id quod dicitur maxime, ac veriſſime in quolibet genere eſſe cauſam eorum, quæ ſunt poſt in illo genere, vt ignis eſt cauſa caloris in rebus calidis, at in genere entis & ſubſtantia, & accidens conueniunt, & illa eſt maxime, veriſſimeque ens, igitur eſt cauſa accidentium, quæ ſecundario tantum, & ſecundum quid entis rationem participant; Quoniam tamen Quarta. Ariſtot.

partes

partes ſubſtātiæ ſunt materia,& forma,ideo ex eorū cauſa diſcriminantur accidentia,adeo vt quædā principaliter formam,quædam materiā conſequantur.

Quinta. Quo ad quintum,Quoniā duplex forma inuenitur, quædam à materia independens,vt anima intellectiua,quædam cū materia cōplicata,vt omnes formæ materiales, ea propter duplicia ſunt accidentia inſequentia formam,(quæ eſt prior ſubdiuiſio,) nam quædam nullam habent cum materia cōmunicationem, vt intelligere,quod nullo organo corporeo exercetur, quædam cum materia communicant, vt ſentire, non poteſt autem dari accidens ſequens materiam abſque communicatione formæ,quoniam nulla materia datur ſine forma, ceu datur aliqua forma abſque materia; In accidentibus autem illis, quæ materiam comitantur,(ecce alteram ſubdiuiſionem) quædā illam comitantur,ſecundum ordinem quem habet ad formam ſpecialem, vt maſculinum, & fœmininum in animalibus, quorum diuerſitas ad materiam reducitur, vt habes decimo Diuinorum 25.hinc remota animalis forma,prædicta accidentia non niſi æquiuoce remanent, quædam vero eiuſdem comites ſunt, ſecundum ordinem qui ei ad formam generalem ineſt,vnde forma ſpeciali remota,adhuc in materia manēt, vt nigredinem cutis in æthiope poſt mortē remanere videmus, accidens enim hoc ex mixtione elementorum,quæ eſt forma generalis, non ex animæ ratione, quæ eſt forma ſpecialis proficiſcitur.

Sexta. Quo ad ſextum, Quoniam vnaquæque res ex materia indiuiduatur, & in genere,vel ſpecie per ſuā formam reponitur,ſequitur hoc conſectarium de accidentibus inſequentibus materiam,quod ſunt indiuidui,iuxta quæ eiuſdem ſpeciei indiuidua differunt, de conſequētibus vero formam,quod vel generis,vel ſpeciei proprię paſſiones ſunt, in cuius ſignū in omnibus ijs inueniuntur,quæ generis,& ſpeciei naturam obtinent, velut riſibile, quoniam ſequitur formam hominis,in omni homine ineſt: Omnibus vero accidentibus commune eſt,vt aliquādo cauſentur ex principijs eſſentialibus ſecundū actum perfectum,vt calor in igne,aliquando ſecundum aptitudinem tantum,accipientia complementum ex agente exteriori,vt diaphaneitas in aere, & in his aptitudo eſt accidens inſeparabile, complementum vero illud ſeparabile,&c.

Septima. Quo ad ſeptimum, Cum ex accidente, & ſubiecto non fiat vnum per ſe, ex quo proueniat ex eorum coniunctione aliqua natura,(vt dicebatur tertia parte,) ideo accepta accidentia in concreto non ponuntur directe in prædicamento, vt genera ſcilicet, vel ſpecies, nam intentio generis, & differentiæ alicui naturæ tribui debet,quæ nunc non inuenitur, quare vt abſtracta ſumuntur,reponuntur,velut albedo, & muſica, concreta autem ſubſtantiarum directam habent in prędicamēto ſedem, nā ex vnione formæ ad materiam reſultat vna natura,vnum per ſe, cui ex conſequenti intentiones illæ tribuuntur, &c.

Octaua. Quo ad octauum; Nequit ſumi in accidentibus genus à materia, & differentia à forma, quoniam his carent, quare primum genus ſumitur, ex ipſo modo eſſendi, quatenus ens vario modo prioritatis, & poſterioritatis dicitur de prædicamentis; ſic genus quantitatis, ex eo quod eſt menſura ſubſtantiæ, qualitatis, ex eo quod eſt eiuſdem diſpoſitio, & ſic de alijs accidentibus,vt vndecimo Diuinor.cap.3. elicitur,differentiæ vero ſumuntur ex diuerſitate propriorū principiorum,ex quibus ipſa accidentia cauſantur,cuius rei indiciū eſt,quod in accidentibus abſtractiue ſignificatis,(quibus ſolis eſt directus locus in cathegoria)ſubiectū ponitur in eorū definitione loco differentiæ,ſic dicitur ſimitas naſi curuitas; Quod ſi in concreto acciperentur,ſubiectū (Ariſtotel.)

non

non loco differentiæ, ſed generis poneretur, tunc enim more compoſitarum ſubſtantiarum definiuntur, in quibus ratio generis ſumitur à materia, ſic dicitur ſimum naſus curuus; ſimiliter accidentium differentiæ ex principiorum diuerſitate accipiuntur, quando vnum accidens eſt alterius principiū, quo modo eſt in relatione, cuius principium eſt actio, & paſſio, & quantitas, iuxta quæ quinto Diuinorum 20. diuidebatur ab Ariſtotele relatio: Hoc tamen de ipſorum differentijs accipiendum eſt, quando eorum principia agnoſcimus, nam cum aliquando hæc à nobis ignorari contingat, tunc loco illorum ſumimus ab effectibus differentias, ita congregatiuum, & diſgregatiuum viſus, dicimus coloris differentias, quæ tamen effectus ſunt maioris, & minoris lucis, id enim fit ex eo quod ipſorum principia nos fugiunt, quę ſi noſſemus, non ex effectibus illas depromeremus. Ariſtotel.

Quo ad vltimū, Colligitur patere ex hoc tractatu, quomodo eſſentia inuenia tur in ſubſtantijs compoſitis, & ſimplicibus, quomodo in accidentibus, & quo pacto in his omnibus intentiones logicę reperiantur, primo principio excepto, cui ob eius infinitam ſimplicitatem neque ratio generis, neque differentiæ, neque definitio conuenire poteſt. Nota.

ANNOTATIONES.

Nunc autem reſtat videre, &c.

CIRCA primam partem, dum colligitur eſſentia accidentium incōpleta ex eorundem minus cōpleta definitione, aduerte probationem hanc, ſeu deductionem non eſſe à priori, ſed à poſteriori, non enim eſſentia ſequitur definitionem, ſed definitio eſſentiam, vnde hæc manifeſtatur per illam, non e contra; ſic recte Alexander ſub initium ſeptimi Diuinor. dicebat, quod ſicut res ſunt, ita definiuntur, earumque definitiones habentur, quod elicitur ex Ariſtotele ſecundo Diuinorum 4. dicente, vnumquodque vt ſe habet ad eſſe, ita ad ueritatem, & Alenſis circa 19. ſeptimi eorundem dixit, modum definiendi ſequi modum eſſendi; ſed & ex hac eadem litera hoc aperte colligis, dum enim dicitur non poſſe definiri accidentia, niſi eorum ſubiectum in definitione ponatur, huius cauſa redditur, quoniam nō habent in ſe eſſe abſolutum à ſubiecto, quod ſi forent entitates abſolutę à ſubiecto certe nō reciperent in ſui definitione ſubiectū, ac ſubinde eorū definitio nō eſſet incōpleta; Quia igitur habent eſſentiam incompletā, habent & definitionem ſimilem, & e contra, ſed prius proceditur per cauſam, nunc per effectum, non quod à parte rei eſſentia ſit cauſa definitionis, nam idem nequit eſſe cauſa ſui ipſius, & ſcimus eſſentiam, ac definitionem ſaltem fundamentaliter eſſe eandem rem, ſed quoniam eſſentia eſt cauſa, vt nos definiamus & iuxta hanc, & illam eſſentiam, hanc, & illam aſſignamus definitionem, & ſi duæ res eſſent definitio, & eſſentia, certe hæc foret realiter cauſa illius; Licet itaque vnum ex altero vario demonſtrationis genere demonſtrare, vt in hac litera fit, vbi primo eſſentia ex definitione manifeſtatur, deinde hæc ex illa menſuratur. Ita quando ſequenti ſecunda parte immediate legis, neque formam ſubſtantia-

Alexan. Ariſtotel. Alenſis. Quomodo ſe habeāt eſſentia, & definitio.

lem

lem completam eſſentiam habere, quoniam & eius definitio incompleta eſt, hæc ratio non cauſam, ſed effectum aſſignat, &c.

Sed ſicut ex forma, & materia relinquitur eſſe ſubſtantiale, &c.

Circa ſecundam partem, dum legis formas ſubſtantiales, & accidentales in eo conuenire, vt eſſentiam, ac ſubinde definitionem habeant incompletã, atque ideo non haberem, in ſe eſſe abſolutum à receptiuo, nota, quod ly *forma ſubſtantialis*, poteſt diſtribuere pro formis pure naturalibus tantum, quæ videlicet e gremio materiæ educũtur, poteſt & diſtribuere pro anima rationali, ſi primo modo, exploratum eſt omnẽ eiuſmodi formã habere eſſe dependens à materia, ac ſubinde per ipſam definiri, ſi ſecundo modo, id falſum apparet, quoniã iam quinto capite viſum fuit animam intellectiuam habere eſſe à materia minime dependens, & ſeparatã exiſtere, quodipſum innuitur inferius quinta parte literæ; Prima interpretatio non eſt accipienda, tũ quoniã voluntarie à forma ſubſtantiali in propoſito ſecluditur anima intellectiua, tum quoniam ſubditur in littera definitio tradita de anima à Philoſopho ſecundo eiuſdem 6. vt oſtendatur formam ſubſtantialem habere definitionem, ac eſſentiam minus completam, conſtat autem ſub illa definitione contineri animam intellectiuam, & vniuoce ex vera Auctoris ſententia; Quare amplectamur ſecundam viam dicentes, formam omnem naturalem de genere ſubſtantiæ, eſſentiam habere incompletam, & per aliud definiri; Quod vero dicitur de anima humana, nihil eſt, tum quoniam & ipſa vt forma ordinem dicit ad eius materiam, & ab ea non eſt in eſſe abſoluta, vt ex eius definitione apparet, quod autem eſſe habeat à materia independens, id obtinet non quatenus forma, (tunc enim omnis forma id obtineret,) ſed quatenus talis forma, tum quoniam anima intellectiua vt forma naturalis, ſub hoc numero compræhenditur, & de ea ſub hac conſideratione vera ſunt, quæ proferuntur, vt vero intellectiua ſecundũ ſuam abſolutam quidditatẽ, non eſt forma naturalis, ſed abſtracta potius, & ad intelligentiarum genus aliquo modo ſpectans.

Eſſentia cuiuſuis formæ naturalis.

Sed & alia via ſpeculari poſſumus, dicendo animam intellectiuam ſecundũ omnem conſiderationem, & quatenus ſcilicet forma, & quatenus hæc forma habere eſſentiam incompletam, à receptiuo non abſolutam, quoniam ſemper eſt pars, ac ſubinde numquam à toto abſolubilis, ſaltem ſecundum aptitudinẽ, neque vmquam eſt quid completũ in ſpecie, ſic legis tertia parte quæ ſequitur, quodforma nõ habet rationẽ completam eſſentiæ, ſed eſt pars eſſentiæ cõpletæ, ita ſemper habet eſſe à receptiuo dependens, non quod in eſſe à materia dependeat, nam res oppoſito modo ſe habet, illa enim ſemper confert eſſe materiæ, ſed in eo ſenſu dependet tamquam pars, habens ſemper ordinem ad totum cui tribuat eſſe, & non à quo illud recipiat, ceu dicimus cauſam formaliter pendere ab effectu, & patrem à filio, nam ſi non eſſet effectus, vel filius, neque cauſa, neque pater formaliter eſſet, tamen hæc horum dependentia non eſt cauſa illis, vt habeant eſſe ab alio, ſed vt illud alijs elargiantur; Et quamuis nomine receptiui, & ſubiecti idem ſæpius, & iure conſueuerit denotari, attamen materiã receptiuum potius formæ, quam ſubiectum dicerẽ, quoniam nomine ſubiecti videtur deſignari quædam ſuſtentatio in ordine ad id cuius eſt ſubiectum, quod de materia relatione ad formam, & præcipue intellectiuam non eſt dicendum, cum nulla materia formæ, ſed omnis forma, quæ

Animæ intellectiuæ eſſentia.

Quid nomine ſubiecti.

materiæ

materiæ vnibilis eſt, huic tribuat eſſe; & vt vno verbo rem concludam, dum dico omnem naturalem formam à materia dependere, nomine *dependentiæ* accipio potiſſimum in anima intellectiua ordinem, & habitudinem, nulli enim dubitatio eſſe poteſt, inter dependentiam animæ intellectiuæ, & formarum materialium plurimum intercedere diſcriminis, qua de re ſuperius in fine obſeruationum ad quintum caput nonnulla habes.

Circa eandem partem poſſes dubitare, quomodo forma licet in eius definitione ponatur materia, poſſit dici habere incompletam definitionem, cum nihil in ea ponatur, quod ſit alterius generis ab ea, ſiquidem materia eſt in eodem genere cum forma, cum vtraque ſit ſubſtantia, & tamen tunc ſolum quid incomplete definiri apparet, quando per rem genere ab eo diuerſam definitur; At duplex eſt modus in propoſito dicendi, & primo negando, tunc ſolum quid eſſe incompletæ definitionis, quando in illa ponitur quid ab ipſo genere diuerſum, ad incompletam enim definitionem requiritur, & ſufficit, vt quid additum recipiat, quid inquam extra rei definitæ eſſentiam, vel illud fuerit eiuſdem, vel varij generis, nil minus enim incomplete definiretur homo, ſi in eius definitione neceſſario caderet lapis, quam ſi caderet color; Quocirca vera eſt hæc propoſitio; Omne per rem alterius generis definitum, definitionem habere incompletam, non eſt tamen vera cum dictione excludente, vt ſcilicet id tantum eo modo incomplete definiatur, ſed is eſt modus, & ſpecies incompletæ definitionis, vniuerſaliter autem ſic intelligitur, Omne per id quod non eſt ſibi eſſentiale definitum, eſſe definitionis incompletæ; Et doctrina hæc conſentanea eſt Auctori, qui quolibeto 9. artic. 5. ad primum inquit, illam eſſe definitionem per additionem; quando in ea ponitur aliquid, quod eſt extra eſſentiam definiti, quod & innuit in expoſitione 17. ſeptimi Diuinorum, quem locum allegat Capreolus primo ſentent. diſt. 43 art. 2. ad ſecundum Aureoli 2. loco contra ſecundã concluſionem; Dicitur ſecũdo admittendo, quod illud tantum definiatur incomplete, quod per quid alterius generis definitur, materiam eſſe extra genus formæ, non quidem remotum, ſed proximum, licet enim ſit in genere ſubſtantiæ, quæ remotum eſt vtriuſque genus, tamen forma eſt in genere actus, materia autem in genere potentiæ, & poſt partitionem entis in ſubſtantiam & accidens, vel in decem genera, habetur illa in actum, & potentiam, vt patet quinto Diuinorum 14. & nono eorundem primo, & primo de Anima 6. in cuius vltimi loci expoſitione actum, & potentiam differentias entis valde oppoſitas dicebat Auerroes, vt alias dictum fuit; vnde iure materia poteſt dici alterius generis à forma, quod autem genus formæ ſit actus, & genus materiæ potentia, tota ſecunda quæſtio ſuper quintum caput declarauit, &c.

Senſus propoſitionis.

D. Thom.

Capreol.

Ariſtot.

Quod ſi dicas maiorem eſſe diſtantiam inter id quod additur accidenti, & accidens, quam inter formam, & ei additum, eo quod in nullo genere illa conueniunt, hæc autem ſaltem in remoto communicant Dico tria, & primo quod hoc non inconuenit, eo quod accidens magis vere, ac proprie dicitur definiri per additamentum, quam forma ſubſtantialis, immo vero id ei proprium dicebamus cum Auctore quinta parte cap. 2. huius operis; ſecundo dico, quod hoc nihil ad propoſitum facit, ſufficit enim, vt quid per additum dicatur definiri, vt in ſui definitione recipiat neceſſario rem vel alterius generis cuiuſcumque, vel quod ſit præter eius eſſentiam, nam ad definitionem per additamentum ſi requiratur res alterius generis, non tamen vel magis, vel minus

Difficultas.

Varie ſoluitur.

nus remotis;vltimo dico, quod ex alio capite accidens, & eius ſubiectum maiorem habent conuenientiam, quam forma, & materia, nam vtrumque illorum clauditur aliquo modo ſub actu, quod non contingit in materia, ac forma, vt dicebatur, &c.

Circa eandē partem dubitare adhuc poſſes,quare dum adfertur exemplum, quomodo forma ſubſtātialis recipiat aliquod ex addito in ſui definitione,adducatur animæ definitio tradita 2. de Anima 6. vbi videmus ipſam per corpus definiri,non autē per materiā, cū tamen nos diceremus in definitione formæ poni materiam; ſed rē bene conſideranti nulla apparet hæc difficultas,quoniā omne illud cuius forma eſt forma, poteſt dici materia, cōparatum ipſi formæ, & ab ea condiſtinctū;deinde iure optimo in animæ definitione poſitū eſt pro materia corpus phyſicum organicum, quoniam animæ vt anima propria materia eſt tale corpus, quamuis enim vt forma immediate vniatur materiæ nudæ, attamen vt anima vnitur corpori phyſico,& ſi fuerit intellectiua, corpori habenti animam, & vegetalem, & ſenſilem, non quod alia anima tunc præcedat, ſed ipſamet præceditur à ſeipſa ſub ratione formæ, & animæ ſentientis, vt cumulatius dicetur quæſtione ſecunda ad hoc caput; Philoſophus itaque naturalis,qui eam vt animam,& vt talem formam, phyſici ſcilicet corporis conſiderat,eam definiens, propriam ſibi accommodauit materiam, &c.

Circa eandem partem, & quæ mox dicebantur ex litera, quod ſcilicet naturalis conſiderat animam ſolum,prout eſt forma phyſici corporis, ex quo infert Caietanus, quod conſiderare animam intellectiuam vt ſic ſecundum ſuam completam quidditatem,non pertinet ad phyſicum, quod & firmauit teſtimonio Ariſtotelis primo de Partibus Animalium, cap. primo, potuiſſet moueri quæſtio celebris ſatis de cōſideratione animæ, & præcipue intellectiuæ; Verū quoniam ab innumeris ferme auctoribus,& recentioribus præcipue negotium hoc definitum video, quoniam etiam hæc non de induſtria, ſed obiter ferè ab vtroque Thoma,& breuiſſime adferri animaduerto,iccirco quæſtione omiſſa, inter obſeruandum rem hanc & ipſe attingam. Cunque de anima vegetali, ac ſentiente nulli iam dubium ſit conſiderationem ad phyſicum omnino attinere, cum ſint formæ penitus materiales,& Ariſtoteles loco relato dicat phyſici eſſe tractare de anima, licet non de omni, ſed de illa, quæ dependet à materia, tota difficultas verſatur circa animam intellectiuam; Et quidem ſi eius intelligere nullo modo penderet à corpore, vel à phantaſmate,iam eſſet metaphiſici negotij, huius enim eſt de intellectu, vt intellectus abſolute diſſerere, quoniā talis intellectus,& tale intelligere nullam prorſus concernit materiam,at quoniam eius intelligere dum eſt corpori vnita, non exit in actum abſque phantaſmate, ideo videtur diſtinguendum, vt dicamus ipſam,vt eſt forma corporis, & ei colligata,etiam vt intellectiua eſt, (enimuero ſecundum gradū quoque intellectiuum eſt corporis forma) ad phyſicam ſpeculationem pertinere, vt autem intellectiua abſolute, & ſecundum ſuam eſſentiam, abſque corpore valens exiſtere,non ad phyſicum, ſed ad metaphyſicum ſpectare dicenda eſt; Et hæc apparet ſententia Ariſtotelis ſecundo Phyſicorum 26.& Auctoris ibidē manifeſte,& Caiet. circa 15.primi de Anima;Licet enim Philoſophus locis nominatis de Partibus animalium, & primi de Anima dubitet, num de omni anima, aut de huiuſmodi tantum ſit phyſici diſſerere, non tamen ipſe intelligo,vt animā vllam,tamquam animā dubitauerit eſſe phyſici muneris,ſed quod aliquam animam ſub aliqua conſideratione vocauerit in dubium,an ſpectaret ad natu-

Caietanus.

Animæ vegetalis & ſentiētis conſideratio qualis.

Munus Metaphyſici.

Anima intellectiua quomodo phyſicæ,& metaphyſicæ ſpeculationis.

Ariſtot.

ad naturalem; ſic animam intellectiuam, vt res quædam, & vt anima, dicimus eſſe phyſicæ contemplationis; at quatenus intellectiua ſimpliciter, & à corpore ſeparabilis, ſub diuini philoſophi cadit ſpeculatione.

Memoria autem repete quæ dicebam quæſtione quarta ad caput præcedẽs, naturaliſſimum ſcilicet eſſe animæ humanæ intelligere per phantaſmata, at vero abſque phantaſmate ei non conuenire, niſi ex quadam mentium abſtractarũ participatione, & facile agnoſces, quod licet ipſa vt intellectiua partim ad naturalem, partim ad diuinum philoſophum attineat; ſimpliciter tamen, & ſecundum id quod ſibi proprium eſt, ad naturalem ſpectat, ſecũdum quid autem, & ratione eius quod ei quaſi ex alio conuenit, hoc eſt, ex tenui naturæ ſuperioris participatione, metaphyſici eſt artificis.

Dum itaque legis in hac litera, quod philoſophus cõſiderat animam ſolum, quatenus eſt forma phyſici corporis, non intelligas remoueri animam intellectiuam à tali conſideratione, quoniam ipſa quoque, & vt tali modo intellectiua, eſt vere forma corporis, ſed vt intellectiua ſimpliciter, & vt ſecundum ſuam eſſentiam à corpore eſt ſeparabilis; ſic & Caiet. hoc loco non ait, quod conſiderare animam intellectiuam non ſit opus phyſici, ſed quod conſiderare eam vt ſic, & ſecundum completam ſuam quidditatem, &c. Ita omnia dicta ſaluantur, ita patet litera, ita veræ ſententiæ habetur definitio, omiſſis aliorum opinionibus, & argumentis, quæ tamen minimo negotio quis confutare poterit ex doctrina, quam breui attulimus, &c. Caietanus.

Circa hanc eandem partem nota breui, ac facile, quod tria illa, quibus formam ſubſtantialem, & accidens conuenire diximus, vnum ex alio prouenit, poſterius videlicet ex priori, quoniã enim nõ habent in ſe eſſe abſolutũ à ſubiecto, ideo habent eſſentiam incompletam, ab ente enim ſumitur eſſentia, & hæc illud ſequitur, ex eo autem quod eſſentia eſt illis incompleta, ſequitur, vt & definitionẽ minus completam habeant, vt circa primam partem dicebatur, &c. Enumeratorũ in litera ordo, & cauſalitas.

Sed tamen inter formas ſubſtantiales, & accidentales, &c.

Circa tertiam partem, in qua habẽtur quinque illa, quibus accidentalis forma differt à ſubſtantiali, obſerua, quod prius eſt cauſa poſterioris, vt innuebatur in referenda litera, quoniam enim formæ ſubſtantialis, (vt de ipſa primo loquamur) receptiuũ non habet eſſe per ſe, cũ pura ſit potentia, materia ſcilicet nuda, ideo dum ei forma vnitur, emanat eſſe ſimpliciter, nam nullum eſſe erat antea, & à forma ſubſtantiali eſſe ſimpliciter promanat, & quoniã ex hac vnione ſequitur hoc eſſe ſimpliciter, iccirco fit vnum per ſe, ad ens enim conſequitur vnum, & quoniam prouenit hoc vnum per ſe, propterea reſultat eſſentia quædam, cum ens omne gaudeat propria eſſentia, & denique quoniã ex materia, formaque proficiſcitur quædam eſſentia, oportet certe formam nõ eſſe quidẽ eſſentiam, quoniã nihil prouenit ex ſeipſo, ſed partem eſſentiæ, quoniam forma, & materia ſunt partes eius, quod ex ipſis vnitis emergit. Eodẽ modo, ſed oppoſito vide in forma accidentali, nam quoniam eius receptiuum habet eſſe per ſe abſque illo accidentis, ob id ex vnione eius ad ſubiectum nequit conſurgere eſſe, in quo res ſubſiſtat, (prius enim ſubſiſtebat,) ſed eſſe ſecundum quid ſolum, & ſecundum, ſine quo res quæ ſubſiſtit valet intelligi; & quoniam hoc tantum eſſe profluit, ea propter non fit vnum, niſi per accidens, ſi enim duo ſunt eſſe, vnum ſubiecti, alterum accidentis, nequit pro-

fecto eſſe vnum per ſe, quoniam eſſe per accidens ſequitur, & quoniam hoc vnum per accidens emergit, iccirco ex accidente, & ſubiecto non erumpit entitas vlla, vel eſſentia, nam quale ens, talis eſſentia, non enim entis per accidens eſt eſſentia per ſe, tandem quoniam nulla eſſentia ſurgit, clarum nimis eſt, accidens non eſſe partem eſſentiæ, cum ſit pars illius, quod ex ſui cum ſubiecto vnione reſultauit, quale iam diximus non eſſe eſſentiam, &c.

Circa id quod tertio loco profertur de forma ſubſtantiali, vt nimirum ex ea vnita materiæ fiat vnum per ſe, aduerte id prouenire ex natura ipſius formæ, & ipſius materiæ, quoniã ſcilicet illa eſt actus, hæc potentia, & quemadmodum ex duobus entibus in actu nequit vnum per ſe fieri, ex ſeptimo Diuinorum 49. Ariſtotel. ita ex duobus, quorum alterum ſit actus, alterum potentia, mox prouenit vnum per ſe, adeo vt nil amplius ſit quærendum, vel dubitandum de hoc, vt legis Soncinas. octauo Diuinorum 15. vnde Paulus Soncinas q. 18. eiuſdem libri ait, hoc non habere cauſam, per quam probari poſſit, ſed eſſe propoſitionẽ per ſe notã, quoniam natura actus, & potentiæ id ſibi vult; Et quoniam anima eſt forma ſubſtãtialis, & materiæ, quæ eſt potentia vniebatur, ideo ſecundo de Anima 7. dicebatur non eſſe quærendam cauſam, quare ex anima, & corpore fieret vnũ, ceu non quæritur cauſa, cur ex figura, & cera fiat vnum, neque omnino ex omni materia, & eo cuius materia; Intellige autem non eſſe quærendã cauſam intrinſecam, nã extrinſecam patet eſſe mouentem materiam ad formam, vel generantem, vt habetur loco citato octaui Diuinorum; Veruntamen non fallaris ex verbis allegatis ſecundo de Anima, vt ſcilicet ex forma ſubſtantiali vnita materiæ cogites prouenire tale vnum, quale reſultat ex cera, & figura, hoc enim cõſtat eſſe & vnum, & ens accidentale, quod vero ex forma, & materia, vnum Ariſtotel. eſſentiale, ſeu per ſe, vt dicitur in litera, ſed Ariſtoteles ibi ſolicitus tantũ erat oſtendere non eſſe aliquã cauſam indagandã, quare ex materia, & forma fieret vnũ, neque inueſtigandũ aliquod intrinſecũ vniẽs, hoc enim ab ipſo dubitabatur ſuperiore libro, tex. 90. & ad hoc aptũ eſt exemplum de cera, & figura, in quarũ vnione nullum intrinſecum adeſt mediũ coniungens. Inde autem implicite colligitur, ex forma ſubſtantiali, & materia, vel ex anima, & corpore vnum Caietanus. per ſe fieri, quoniã vt ad text. illum 7. ſecundi ait Caietan. iam dictũ fuerat ab Ariſtotele 6. eiuſdẽ, animam eſſe formã ſubſtantialẽ, cuius ſane formæ natura exigit conſtituere per ſe vnum cũ materia, quoniam ſicut à forma eſt eſſe, ita à tali forma tale eſſe, & quidẽ à forma ſubſtantiali, eſſe ſubſtãtiale, & ex conſequẽti per ſe; Rurſus ſubſtantialis forma vnitur materiæ nudæ nullũ habenti eſſe, quare ex tali vnione proficiſcitur eſſe ſimpliciter, quod non poſſet ſaluari, ſi adueniret materiæ ſub alia forma exiſtenti, vt plenius conſtabit quæſtione ad hanc partem formanda, &c.

Circa illud, quod eadem parte profertur ſecundo loco de forma accidentali, quod ſcilicet ex vnione ad ſubiectum emergit quoddam eſſe diminutum ac ſecundum quid, aduerte quod eſſe hoc accidentale ex hac vnione proueniens, realiter diſtinguitur ab exiſtentia ſubſtãtiali, ſiue ſubiecti, cui hoc eſſe aduenit, & quidem quod tale eſſe proueniat, id manifeſtum eſt ex natura formæ, à qua ſane diximus promanare eſſe, vnde ab hac forma accidentali, eſſe profecto accidentale fluere debet, ſic ab albedine pullulat eſſe albũ, & idem dicas de quauis alia forma accidentali, de qua in preſenti eſt ſermo, & quæſtione ſecunda ad quintum caput explicatius vidimus, quomodo eſſe ſit effectus à forma inſe-

parabilis;

parabilis; quod vero tale eſſe realiter diſtinguatur ab illo ſui ſubiecti ſubſtantiali, id clare innoteſcit, ſi quis conſideret rationes proprias, ac merita tum ſubſtantiæ, tum accidentis, quoniam eſſe illius cernis independens, ſecundum ſe, ſimpliciter, ac primum, eſſe vero huius vides à ſubiecto dependere, in alio, ſecundum quid, & poſterius, vel tempore, vel natura aduenire, quæ omnia realem indicant diſtinctionem; Cumque propriæ eſſentiæ reſpondeat proprium eſſe, & eſſentia ſubſtantiæ non ſit eſſentia accidentis, ſed hæc ab illa realiter ſecernatur, eſſe quoque proueniens ab eſſentia illius, non erit idem, quod eſſe huius. Rurſus in aliquo ſuppoſito plura eſſe accidentalia cernimus, vnicum autem eſſe ſubſtantiale, quod ſuppoſito manente, ſemper manet, illis vero manente etiam ſubiecto nonnumquam intereuntibus, ex quibus manifeſta realis abinuicē diſtinctio neceſſario colligitur. Hoc de neceſſitate ab ijs dicendū eſt, qui cenſent eſſentiam non diſtingui ab eſſe, ſic enim eſſe accidentis erit idem quod ſua eſſentia, quæ cum realiter differat ab illa ſubſtantiæ, conſequenter & eſſe accidentis diſtinguetur ab illo ſubſtantiæ, vnde ex falſo fundamento, veram, nobiſque conſentaneam colligunt concluſionem. Hoc vult Auctor nedum hac parte, dum ait, quod accidens coniunctū ſubiecto *cauſat quoddam eſſe ſecundum, ſine quo res ſubſiſtens intelligi poteſt eſſe*, conſtat autem eſſe ſubſtantiale non habere hanc conditionem, cum ſit & primum, & id in quo res ſubſiſtit, ſed & tertia par. quæſt. 17. ar. ſecundo, vbi ait, eſſe illius formæ, vel naturæ, quæ ad eſſe perſonale hypoſtaſis ſubſiſtentis non pertinet, non eſſe illius perſonæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid, velut eſſe albū, eſt eſſe Sortis, non quatenus eſt Sortes, ſed quatenus eſt albus, quod eſſe nihil prohibet multiplicari in vna perſona, quod vero eſſe pertinet ad hypoſtaſim ſecundum ſe, impoſſibile eſt in vna hypoſtaſi multiplicari, &c. Similiter quarto cont. Gent. 14. inquit, quod eſſe relationis eſt aliud ab eſſe ſubſtātiæ, & quod omne eſſe accidentium eſt ſuperadditum eſſe ſubſtantiæ, & tertia par. quæſt. 6. ar. 6. ad ſecundum ait, quod aliud eſt eſſe hominis, & aliud eſſe albi homini aduenientis: Hoc ipſum vult Capreolus in primo, diſt. 8. quæſt. 2. ad ſecundum Gregorij Ariminenſis contra ſecundam concluſionem, & Caiet. hoc loco, & etiam prima par. ar. 2. quæſt. 28. & Soncinas ſeptimo Diuinorum quæſt. 5. prima concluſione, & Bannes prima par. quæſt. 3. art. 4. dubio vltimo, hoc reputat probabilius.

Eſſe ſubſtantiæ, & accidentis.

D. Thom.

Capreol.
Caietanus.
Soncinas.
Bannes.

Non ſolum autem eſſe accidentale realiter diſtinguitur ab illo ſubiecti, ſed etiam ab ipſamet accidentis eſſentia; Quæſtione ſiquidem ſexta ad quintum caput vidimus, in omni re citra Deum eſſe differre ab eſſentia; Vnde vt habes in præſenti à Caiet. circa quintam dubitationem, exiſtentia albedinis non eſt albedo, ſed eiuſdem modus, & actualitas, vt quæſtione illa in reſponſione ad ſeptimum dicebam, & velut forma ſubſtantialis eſt ratio materiæ, & compoſito, quod ſit ſuſceptiuum eſſe, & illa non eſt hoc, ita forma accidentalis, puta albedo, eſt ratio ſubiecto compoſito ex albedine, & ex ſeipſo, vt ſit talis eſſe, ſcilicet albi ſuſceptiuum, & albedo non eſt illud eſſe album, natura enim albedinis eſt vt diſgreget viſum, (ex nobis proſpectis eam declarantes,) eſſe autem quod ipſa dat ſuo ſubiecto, quid claudit, quod non eſt in natura albedinis vt ſic, ſubiectum videlicet, &c.

Caietanus.

Sed contra hucuſque dicta duæ ſunt difficultates, altera eſt, quod ſi accidentia proprium habent eſſe, aliud ab illo ſubſtantiæ, iam ens non dicetur analogice de ſubſtantia, & accidente, iam accidens non eſſet ens quia entis, cōtra Ariſtotelem

Prior dubitatio.

ſtotelem ſeptimo Diuinorum 2. conſecutio probatur, quoniam ſi habent proprium eſſe, ex ſeipſis entia ſunt, & non merito alterius, ſic ſubſtantia non habet cauſalitatem ſupra illorum eſſe, ſic perit analogia. Confirmatur, quoniam multa accidentia ſimul cum ſubſtantia producuntur, & generantur, ergo idem eſſe acquirunt, alioquin ad duplex eſſe terminaretur generatio; Confirmatur adhuc, quoniam propterea dicebamus quæſtione ſecunda ad quintum caput materiam non habere proprium eſſe, quoniam non fuit ſecundum ſe creata, ſed concreata, ſub forma ſcilicet, ſed & accidentia ſimul cum ſubſtantia producuntur, non igitur proprium eſſe, aliudque ab illo ſubiecti queunt habere.

Poſterior.

Altera difficultas eſt, quoniam quæ omnia dicta ſunt in hoc propoſito, ſupponunt accidentia compoſita eſſe ex eſſentia, & eſſe, vt patet, & tamen ſolæ ſubſtantiæ, & ſola ſubſiſtentia hanc admittunt compoſitionem, vt elicitur ex Caiet. prima par. quæſt. 3. ar. 7. circa reſponſionem ad primum, igitur omnia ruũt, & quod ſcilicet eorum eſſe ſit aliud ab illo ſubiecti, & hoc ideo ſit, quoniam eorundem eſſentia eſt alia ab ea ſubiecti.

Caietanus.

Soluitur prima.

Ad primum negatur conſequentia, ſaluatur enim analogia entis, quatenus etiam participialiter ſumitur, quoniam eſſe accidentis cauſatur ab illo ſubſtantiæ, & ſic dicitur ens accidens, quoniam eius eſſentia, & eſſe cauſatur à ſubſtantia, ita tamen, vt propriam eſſentiam, & eſſe ſortitum ſit, & iam quæſtione de analogia entis ar. 5. docuimus accidentia propriam habere entitatem, quoniam quamuis ſub ratione analogiæ vt ſic attributionis, poſſit dici ens tantum extrinſece, & ideo ens quia entis, ratione tamen analogiæ proportionis, eſt ens deinde entitate ſibi intrinſeca, à ſubſtantia recepta, & de his plene ſatis ibidem diſſerui, & rurſus quæſtionibus ad hoc caput oſtendetur accidentia habere propriã entitatem. Ad priorem confirmationem dico, quod accidentia illa, quæ ſimul tempore cum ſubſtantia generantur, poſterius nihilominus natura, & non primo, ſed ſecundario comproducuntur, quare non eodem modo generatio reſpicit ſubiectum, & accidentia, vnde licet accidentia ſint aliquid ſubiecti, non ſequitur, quod non habeant eſſe diſtinctum ab illo ſubiecti, neque generatio duplex eſſe reſpicit, quoniam non generantur, ſed ſimul generantur, rurſus eſſe ipſorum non eſt diſparatum ab illo ſubiecti, ſed ei ſubordinatum, ac ab ipſo dependens, & nihil prohibet aliquam actionem duos terminos hoc modo reſpicere, quoniam à primo tantum ſpeciem ſumit. De accidentibus vero illis, quæ alia actione producuntur ab illa ſubiecti, & quæ vel per alterationem, vel augmentationem producuntur, & quæ ſubiecto ſucceſſu temporis adueniunt, hæc argumenti confirmatio non loquitur; Ad poſteriorem confirmationem, quicquid alij in propoſito dicant de comproductione, ſeu cõcreatione materiæ, dic facile materiam non eſſe formam, ac proinde nullum ſibi deberi eſſe, accidentia autem formæ, & actus ſunt, quare, &c.

Accidens ens extrinſece, & intrinſece quo modo.

Ad ſecundam difficultatem.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, certum mihi eſſe accidentia eſſe cõpoſita ex eſſentia, & exiſtentia. & cum ab Auctore ponantur aperte in prædicamento ſeptima parte huius capitis, non video quomodo poſſit quis in eius via dubitare, cum manifeſtum ſit in eius doctrina, propterea quid in genere locari, quoniam in illo aliud ſit eſſe, aliud eſſentia, vt præcedenti capite patuit; præſertim ex prima, ac vltima quæſtione; Rurſus cum ad aures ipſius, & omnium eius diſcipulorum quæſtione ſexta ad quintum caput viderimus in accidentibus differre eſſe ab eſſentia, & idipſum mox iteratum fuerit, certe nequit intelligi aliquorum diſtinctio, niſi quæ dicuntur diſtingui adſint; Quocirca hæc

hæc duo iudico ad inuicem pugnare, quod ſcilicet accidentia non componantur ex eſſentia,& eſſe, & quod in ipſis hoc realiter differat ab illa. Hinc Aquarium vehementer admiror, qui dilucidatione quarta ſuper quartum Diuinorũ propoſitione vltima docet,in accidentibus differre eſſentiam, & inexiſtentiam, quam nititur declarare,licet dicat difficilem intellectu, dilucidatione autem quinta ſuper octauum eorundem, concluſione vltima affirmat, accidentia non eſſe compoſita ex eſſentia,& eſſe, quam propoſitionem dicit eſſe expreſſe de mente Caiet. prima par.loco memorato; Sed vt Caiet.interpretemur,& argumentum iam confutemus,dicendum arbitror, Caiet.ibi negare compoſitionem à partibus,& ab accidentibus,tamquam ab ijs, quæ proprie ſint, & quorũ proprium ſit eſſe,non enim ſunt ſubſiſtentia, non proprie cauſata,quo modo ibi patet ipſum loqui; Rurſus. non omnem æque compoſitionem ibi negat à partibus, ſeu à concauſatis, ſtat enim,quod partes quædam careant compoſitione ex eſſentia,& eſſe,accidentia vero habeant hanc compoſitionem, careant deinde illa materiæ, ac formæ, vt octaua huius literæ parte docet Auctor, & Flandrienſis ſeptimo Diuinorum,quæſt. 8. art. 2. ad tertium. Sed tertio, & melius dico,Caiet.ibi loqui de partibus componentibus ea,quæ proprie ſunt, hoc eſt, compoſita cauſata, vt ibi eſt videre, id enim inquirebat Scoti argumentum,cõſtat autem accidentia non proprie poſſe dici componentia ſubſtantias, tantum enim abeſt vt ſint principia ipſarum, (quod tamen conuenit componentibus,) quod ab ipſis cauſantur,numerauit autem ibi Caiet. accidentia potius pro exẽplo,quam vt in rei rigore comprehẽdantur ſub partibus illis,de quibus loquebatur argumentum, & tamen cum in eo ſenſu ſint ſimplicia,vt non ſint ex materia,ac forma compoſita, cuiuſmodi ſunt multa cauſata, non inconcinne potuerunt numerari,vt à compoſitis condiuiſa; In cuius rei ſignum Auctor primo ſent. diſt. 8. quæſt. 5. ar. primo hoc idem argumentum à Caiet.ibi propoſitũ tertio loco mouens, adſerenſque eandem doctrinam, vt idem Caiet. eodem loco adnotauit,non numerauit accidentia inter illa ſimplicia, ſed ſolum materiã, formam,& vniuerſalia ſemel, ac iterum recenſuit; Nec te moueat, quod ibi dicat,formam quamlibet, & accidentia ſint formæ,intelligitur enim de qualibet forma in materia ſubiecta,hoc eſt,componente, & principio rerum compoſitarum. Nimis autem aperte hoc loco habet Caiet. eſſe accidentis à propria eſſentia realiter differre, redditque rationem,quoniam ſuperius probatum fuit,nullam creatam quidditatem eſſe ſuum eſſe exiſtentiæ, vbi inter quidditates creatas refert accidentia, (intellige minus proprie,) quare non eſt putãdus loco illo primæ par. huius doctrinæ immemor, cum potiſſimum ibidem ad huius libri commentaria, (ad aliud tamen propoſitum) legentem remittat, &c.

Aquarius.

Quomodo accipiendus Caietanus.

Flandrien.

D.Thom.

Ex his intelliges doctrinam quandam Auctoris tertia par.quæſt. 77.ar. primo ad quartum,quæ alicui poſſet videri obſtare huic compoſitioni eſſe, & eſſentiæ accidentis,ibi enim legis,quod accidentia panis,& vini,dum manet ſubſtantia panis,& vini,non habebant eſſe,veluti neque alia accidentia, ſed ſubiecta eorum habebant huiuſmodi eſſe per ea, vt nix eſt alba per albedinem; *ſed poſt conſecrationem ipſa accidentia, quæ remanent, habent eſſe, vnde ſunt compoſita ex eſſe, & quod eſt, ſicut prima par. de Angelis dictum eſt*. Conſidera hæc verba, non enim vult negare, quod ante conſecrationem accidentia habeant proprium eſſe abſolute, ſed intelligit ab eis remouere eſſe principale, vt *quod*, & tamquam de ſe ſubſiſtens,quod patet ex eo quod ſubdit, poſt conſecrationẽ ſcilicet accidentia illa habere eſſe,cõſtat enim quod tunc nõ modo habent eſſe

Caietanus.

vtcumque, velut alia accidentia, & ipſamet ante conſecrationem, ſed & ſubſiſtens,& vt quod, vnde ibidem colligebat, accidens per conſecrationem tranſire de quo eſt in quod eſt,& deinceps eſſe compoſitum ex quod,& quo eſt, illud ergo eſſe ibi ante conſecrationem negatur ab accidentibus, quod eiſdem poſt conſecrationem tribuitur. Quare dum negatur à quibuſdam accidentia eſſe compoſita ex eſſentia,& eſſe, intelligitur, quod non habeant quo, & quod eſt propria, & quod non proprie ſubſiſtant, quo modo exponenda tibi ſunt quæcumque poſſent præſeferre in accidentibus non eſſe hanc compoſitionem; Et ſi ita accepit Aquarius, non male ſenſit, ſed certe minus recte locutus eſt, abſolute enuncians accidentia non componi ex eſſentia, & eſſe.

Simplicitas eſſentię accidētis.

Veruntamen non ſuſpiceris me dicere, accidens eſſe compoſitum ex partibus eſſentialiter diſtinctis, aut accidentis eſſentiam componi ex aliquo potentiali intrinſece,& ex aliquo actuali, hoc enim neque ſomnio, ſcio namque formas accidentales eſſe in eſſentia ſimplices, & ſe totis actus, cum ſint principia agendi immediata agentibus, ſed cum his omnibus ſtat, vt componantur ex eſſe,& eſſentia, velut eorundem ſimplicitati nihil obſtat, vt cum ſubiecto faciant compoſitionem; Aliud eſt ſiquidem aliquam eſſentiam eſſe in ſeipſa compoſitam, & aliud eſt eſſentiam illam cum aliquo componere; intellectus profecto meus ſimplex in ſe forma eſt, & tamen recipiens intellectionem, cum ea componit; ſimiliter intelligentiæ recipiunt à Deo eſſe, cum quo earum eſſentiæ componunt, ipſæ tamen in ſeipſis ſimplices ſunt, neque ſunt compoſitæ, licet in eis ſit compoſitio, quæ vtique non eſt in earum quidditate, ſed quidditatis ſimplicis in ſe cum alio, vt innuebam in obſeruationibus ad quartam partē quinti capitis,& repetij in fine q. ſextæ ad eandem literam, quod ſi argumentum cōmune adduceres contra hanc accidentium ſimplicitatem, quandoquidem videtur colligi eorum eſſentias nobiliores eſſe illa ſubſtantiarum materialium, quæ eſt compoſita, memento quæſtionis ſecundæ ſuper ſecundum caput, vbi definitum fuit, ſimplicitatem vt ſic non dicere perfectionem,& vanitatem argumenti deprehendes.

Circa eandem partem, vbi in tertio diſcrimine formæ accidētalis à ſubſtantiali dicitur, quod ex accidente, ac ſubiecto non fit vnum per ſe,(quod & ſeptima parte repetitum legimus) aduerte, quod quoniam vnum ſequitur ens, & quale ens, tale vnum, cum viderimus eſſe illud, quod dat forma accidentalis ſubiecto, differre ab eſſe eiuſdē ſubiecti, relinquitur vt ſit ens per accidēs, quoniam vnius rei vnum tantum eſt eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale; lege autem

Ariſtotel.

Ariſtotelem quinto Diuinorum 7. varios modos vnius per accidens recenſentem in terminis primo ſingularibus, mox vniuerſalibus, & collige, vnum illud de quo loquimur eſſe primum modum, quando ſcilicet accidens comparatur ad ſubiectum, vt dicēdo Coriſcum muſicum,(quod eſt exemplum Ariſtotelis,) huic enim ſubiecto, quod eſt Coriſcus accidit muſica, quæ eſt accidentalis forma, ſic etiam quando apud eundem eodem libro tex. 13. legis varios modos entis per accidens, dic vnum illud de quo modo eſt ſermo, eſſe ſecundum in ordine, quando ſcilicet accidens dicitur de ſubiecto, vt dum dicitur homo muſicus, &c. Vt autem plenius naturam vnius, entiſque per accidens, (quomodo horum eſt natura) agnoſcas, ſcito, quod ſubiectum ſimul cum accidente non

Quomodo ſubiectū cum accidente vnum per accidens.

dicitur vnum, vel ens per accidens, quia eorum vnio, & coniunctio accidat, & quia poſſit omne accidens à ſubiecto ſeparari, nam propriæ paſſiones ſunt comites inſeparabiles ſubiectorum ſuorum, ſed ideo dicitur vnum, & ens per accidens,

cidens, tum quoniam vnum eſt extra formalem rationem alterius, non enim ſubiectum eſt de quidditate accidentis, neque e contra, quamuis illud cadat vt additum in huius definitione, tum quoniam ea tantum dicuntur facere ens, & vnum per ſe, ex quorum vnione prouenit idem eſſe, in quo vtrumque exiſtat, hoc autem nequit euenire, niſi quando alterum eſt actus, alterum potentia, nam quando vtrumque eſt actus, nequit vnum per ſe conſurgere, quoniam vterque actus habet propriam entitatem, ſubiectum autem, & forma accidentalis illi aduenien, ſunt entia in actu, quare, &c.

Non turberis autem, quod apud Ariſtotelem primo Poſteriorum cap. 4. legas, propoſitionem in qua propria paſſio dicitur de ſubiecto, & ſubiectum eſt de definitione prædicati, eſſe propoſitionem per ſe, non enim ad quemcumque modum perſeitatis in prædicatione exigitur vt ſubiectum, & prædicatum in vno eſſe conueniant, vel ſint vnum per ſe, nam aliquando ſat eſt inſeparabilitas prædicati à ſubiecto, aliquando, vt hoc ſit cauſa formalis inhærentiæ illius ad ipſum, iuxta quem vtrumque præcipue modum conſueuit attendi ſecundus modus per ſe prædicandi, &c.

Circa eandem partem, dum in quarta, & quinta differentia accidentis à forma ſubſtantiali legis, nullam eſſentiam ex accidente, ac ſubiecto emanare, & accidens neque obtinere completam eſſentiam, neque rationem partis completæ eſſentiæ, conſidera ſermonem eſſe in ſubiecta materia, hoc eſt, quod velut ex accidente, ac ſubiecto non prouenit ens per ſe, ita neque eſſentia per ſe, non intelligas autem quamcumque entitatem, ſeu eſſentiam omnino ab accidente remoueri, quam enim entitatem, & quomodo habeat, inquirendum manet prima ad hanc literam quæſtione.

Sed quia illud quod dicitur maxime, & veriſsime, &c.

Circa quartam partem, quando audis ſubſtantiam principium in genere entis, ſub quo & ipſa, & accidens continetur, memento facile nomine generis accipi non vniuocum, ſed analogum genus, ſufficit enim ad hoc, vt quod eſt cauſa aliorum in vno genere ſit maxime tale, vt conueniat nomine, & aliqua ratione, vel vniuoca, vel analogica cum ijs, quorum eſt cauſa, non autem ſufficeret, vt conueniret nomine dumtaxat, vt enim habes in hac parte à Caiet. nõ ſequitur, quod cœlum ſit maxime calidum, quamuis ponatur cauſa omnium calidorum, quoniam caliditas non niſi æquiuoce dicitur de cœlo, ac de his inferioribus; Hinc Ariſtoteles loco illo ſecundi Diuinorum 4. dum dixit, quod eſt cauſa aliorum calidorum, eſſe maxime tale, attulit ignem, non autem vel cœlũ, vel Solem; Cum itaque ſubſtantia, & accidens in eadem entis ratione analoga conueniant, & illa ſit maxime ens, iure ponitur cauſa aliorum, in eo vt entia ſint, &c. Caietanus. Ariſtotel.

Circa eandem partem, dum legis, quod quoniam partes ſubſtantiæ ſunt materia, & forma, ideo quædam accidentia principaliter formam, quædam materiam ſequuntur, aduerte primo, quod ly *ideo* eſt nota vere, ac proprie cauſalis, hoc eſt, nedum ex parte noſtri, ſed & à parte rei, adeo vt quoniam variæ ſunt partes ſubſtantiæ, hoc eſt cauſæ, vt varia ſint accidentia iuxta illarum partium varietatem, vt proinde recte dixerit Caiet. diuerſitatem illorũ, ex harum diuerſitate à priori aſſignari. Aduerte deinde hanc diuerſitatem non aſſignari ex diuerſitate Caietanus.

uerſitate cauſarum, ſed ex diuerſitate modorum, ſiue partium vnius, & eiuſdẽ cauſæ, cum enim dictum eſt ſubſtantiam eſſe cauſam accidentium, nomine ſubſtantiæ nõ accipitur vel materia, vel forma, quaſi duplex ſit vera, & completa ipſorum cauſa, ſed compoſitũ, cuius & forma, & materia partes ſunt, & quoniam quædam accidentia ipſum ſequuntur ratione huius, quædam ratione illius, propterea ex hac varia ratione vnius, eiuſdemque veræ cauſæ habetur radix diuerſitatis accidentium. Hinc docte Auctor non dixit abſolute quædam conſequi formã, quædam materiam, ſed adiecit *principaliter*, vt inſinuaret omnia accidentia ſequi compoſitum, ſed alia merito illius, alia merito iſtius; Hinc vides Caiet. pulchre dicentem, appoſitum fuiſſe ly *principaliter*, vt diſtinguitur contra totaliter, quoniam nullum accidens ſolam formam, ſolamuè materiam ſequitur, ſed omnia compoſitum, vt totalem cauſam; Immo vero non cenſeas quædam accidentia ita ſequi compoſitum ratione formæ, quod nullo modo ratione materiæ, vel e contra, quoniam nihil ſequitur ratione formæ, quod & materia non concurrat, & vice verſa, ſed quædam magis, ac principaliter ratione formæ, quam ratione materiæ, & e contra; ſi enim omnia accidentia materialia, (de his enim loquimur) ſunt in compoſito, vt in ſubiecto, vt quæſtionibus ad hanc literam definietur, conſtat ad ipſum, formam, materiamque concurrere, quare vtraque pars aliquid habet, ſed in quibuſdam magis vna, quam altera; Sed & ſi huiuſcemodi accidentia non reciperentur in cõpoſito, vt in ſubiecto, fatendum tamen adhuc eſſet, quod illud omnia ſequerentur, tamquam id quod operatur, quodque eorum elicit munera, & functiones, neque enim vel materia, vel forma ſunt, quæ quid faciant, ſed quibus compoſitum facit, &c.

D. Thom.

Caietanus.

Illud etiam cogita, quod ſi forma, & materia eaſdem haberent proprietates, & eadem ſibi vindicarent, non eſſet cur duplex cauſæ ratio diuerſitatis accidentium in propoſito diſtingueretur, ſed quoniam illa eſt actus, hæc potentia, & vnumquodque quatenus in actu, eatenus agit, quatenus in potentia, eatenus patitur, vel recipit, eapropter accidentia illa, quæ inſequuntur compoſitum prout agit, & operatur, in formam, tamquam in radicem erunt reſoluenda, quæ vero idipſum comitabuntur prout patitur, motibuſque varijs ſubijcitur, materiæ veluti radici erunt aſcribenda, quoniam autem ipſi vtraque horum ratio ineſt, (ex materia quippe, ac forma conſtat;) propterea ex alterutra radice emanantia accidentia ipſum ſubiectum, & cauſam totalem reſpicient; poſſumus enim imaginari compoſitum ſe habere ad formam, & materiam, vt quid ſuperius ad inferiora, & quoniam quæ in inferioribus diuiſa videmus, vnita in ſuperioribus conſpicimus, ideo quæ formam vt ſic, materiam vt ſic poſſent ſeorſum reſpicere, nil mirum ſi vtraque ſimul in compoſito contemplemur.

Quæ accidentia formam reſpiciant.

Quę materiã.

Forma autem inuenitur aliqua, &c.

Circa quintam partem, vbi inter accidentia, quæ ſequuntur formam, ſeu compoſitum ratione formæ, habes aliquod eorum ita ſequi formam, vt nullam cum materia habeat communicationem, cuiuſmodi eſt intelligere, conſidera primo rationem huius, quoniam enim datur aliqua forma, quæ in eſſe non dependet à materia, ideo ipſi accommodata operatio eſt tribuenda, talis nimirum, vt à materia non dependeat, aliàs forma illa nulla gauderet operatione, & ſic inanis in rerum natura eſſet; cum enim à materia ita poſſit ſeparari, vt ſubſiſtat per ſe, (in hoc enim ſtat eſſe à materia independens;) neceſſum

ceſſum eſt, vt eiuſmodi habeat operationem, quæ à materia non dependeat, ſic autem ſe habet intelligere, de quo dicebatur tertio de Anima 6. nullum habere corporeum inſtrumentum. Rurſus quoniam datur alia forma communicationem habens cum materia, ideo & accidentia, quæ eam comitantur, eius debent eſſe conditionis, vt à materia dependeant, alioquin accidentia,& operationes præſtantiores eſſent ijs, quorum ſunt operationes; huiuſmodi eſt ſentire, quod organo corporeo exercetur, vt ibidem legimus, ſic videre per oculum, audire per aurem adminiſtrari cernimus. Ariſtotel.

In horum gratiam ſunt nonnulla animaduertenda, & primo, quod licet forma, vt gratia exempli anima ſit principium omnium operationum,& accidentium, iuxta ſecundam eius definitionem ſecundo eiuſdem 24. & ſit ratio qua compoſitum cuius eſt forma operetur, non tamen eodem modo omnia accidentia reſpicit, nam quorundam eſt principium ſolum elicitiuum, (ſemper vt *quo* loquor, quorundam autem nedum elicitiuum, ſed & receptiuum, hoc eſt, nedum eſt ipſorum principium, ſed & ſubiectum; Sic intelligere,& velle, vel etiam intellectus, & voluntas agnoſcunt animam, non ſolum vt principium, ſed etiam vt ſubiectum, cum enim nullo corporeo inſtrumento, aut organo huiuſcemodi exerceantur, in anima ipſa ſedem habent, cumque ſint actiones immanentes illæ, quæ à voluntate, & intellectu prodeunt, eaque ſit harum actionum natura, vt in eodem maneant, à quo exierunt, & illud idē, quod eis fuit principium, ſit quoque ſubiectum, ac terminus, cum ab anima, ſiue à forma proueniant, in eadem etiam quieſcent, & hæc eſt clara Auctoris ſententia prima parte, quæſt. 77. art. quinto,& q. de Spiritualibus creaturis, ar. 4. ad tertium. Illarum vero operationum, quæ inſtrumento corporeo peraguntur, (cuiuſmodi ſunt omnes partis ſentientis, & vegetalis) anima eſt ſolum principium, non ſubiectum, hoc enim eſt totum compoſitum, ratione ſcilicet partium ex materia, formaque coaleſcentium, ceu viſionis ſubiectum eſt oculus, auditionis auris, & illum, & iſtam conſtat eſſe partes ex materia, ac forma conflatas.

Intellectus,& volūtas, quomodo reſpiciant animam.

D. Thom.

Aduerte ſecundo, quod dum intelligere dicitur de numero illorum accidentium, quæ inſequuntur formam, quatenus nullum eſt ei cum materia commercium, ſi accipiatur de intelligere vt ſic, res notiſſima eſt, at ſi de tali intelligere, puta humano, explica quod non pendet à materia, vt à ſubiecto, licet vt ab obiecto, explica deinceps, quod non pendet pro quouis ſtatu, ſed dumtaxat, quando anima cuius eſt accidens, alligata eſt materiæ.

Quomodo intelligere non pendeat à materia.

Tertio aduerte, quod quamuis vere dicatur ſuppoſitum intelligere merito animæ, non autem anima, quoniam hæc ita videtur intelligere, atque texere, vel ædificare, auctore Ariſtotele primo eiuſdem 64. attamen hæc veniunt accipienda in ratione ſuppoſiti, & agentis vt *quod*, nam ſub alia conſideratione anima ſola dicitur potens intelligere, intellectioniſque ſubiectum, compoſitum autem non niſi ratione partis, hoc eſt ipſius animæ, ſic in vario ordine varia ſunt enuncianda, nam Sortes gratia exempli proprie, ac primo intelligit vt ſuppoſitum, non autem primo intelligit abſolute, quamuis enim operatio ſit ipſius ſuppoſiti, non tamen ſemper primo, quando nimirum adeſt forma aliqua ſubſiſtens, quæ ſit ſuppoſito ratio vt agat, ſed operatio eſt primo ſubſiſtentis, ſic anima primo intelligit abſolute, quoniam intellectio eſt operatio ab ipſa proficiſcens, tamquam à principio, & ſubiecto, vt paulo ſuperius dicebatur, & vt habes à Caiet. prima parte loco memorato, ſic

Quomodo operationes ſint ſuppoſiti.

Caietanus.

eſt operatio comes formæ, vt eſt à materia independens, vt dicitur in litera. Quoniam tamen operationes partium videntur tribui ipſi toti; ideo dicitur nonnumquam homo intelligere per animam, vt patuit ex inducta Ariſtotelis auctoritate, quod conſiderans Auctor dixit eadem prima par. quæſt. 75. art. 2. ad ſecundum, animam intelligere, ſicut oculus videt, & magis proprie dici hominem per animam intelligere, contemplabatur enim rationem ſuppoſiti, & agentis vt *quod*; at de prioritate abſolute loquendo, primo anima intelligit, quoniam vt dictum eſt, intellectio eſt ab ipſa, & in ipſa. Eodem modo accipias eundem Auctorem, quando ſecundo cont. Gent. 50. tertia ratione dixit, actionem cuiuslibet compoſiti ex materia, ac forma non eſſe tantum formæ, nec tantum materiæ, ſed compoſiti, loquitur namque de actione alicuius, vt *quod*; Licet etiam explicatio Ferrarienſis ibidem haud inepta appareat, dum ait, propoſitionem allegatam accipi debere, quando compoſitum habet formam partem ſui, quæ non ſit ſubſiſtens, anima vero intellectiua eſt forma ſubſiſtens; At certe vel fuerit ſubſiſtens, vel non ſubſiſtens forma, quæ eſt pars compoſiti, ſemper habebit locum diſtinctio de operatione tribuenda, aut formæ, aut compoſito, illi quidem vt *quo*, huic autem vt *quod*; vnde quamuis anima humana ſit forma ſubſiſtens, attamen conſiderata ratione agentis vt *quod*, dicebat Auctor, vt audiſti cum Ariſtotele, proprie magis dici hominem per animam intelligere, quam animam ipſam, &c.

D.Thom.

Ferrarien.

Ex qua doctrina, ſiue diſtinctione collige non contradicere quæ modo dicuntur ijs, quæ antea immediate dicebantur, quod ſcilicet nullum accidens ſit vel formæ, vel materiæ, ſed omnia cópoſiti, hoc enim verũ eſt, vt ſuppoſiti, & vt quod, modo autẽ dictũ fuit intelligere eſſe formæ, eamque ſequi abſque materiæ participatione, hoc enim nó accipitur vt ſuppoſitũ, & vt *quod*, ſed vt principiũ elicitiuũ, & receptiuũ, & vt *quo*; Quãuis etiã poſſint intelligi quæ primo dicebantur de accidentibus materialibus, vt ibidem ex parentheſi adumbratũ fuit, quippe quæ omnia reſpiciunt compoſitum in ratione etiam ſubiecti, &c.

Quomodo omnia accidétia ſint compoſiti.

At dubitare poſſet iunior circa ea quæ adduximus, nam velut intelligere ſequitur formam, quæ non habet eſſe à materia dependens, ita & ſentire, quo circa nõ bene apparet dici in litera, eiuſque expoſitione, quod ſentire ſequatur formam, vt colligationẽ habet ad materiã, nam ſi conſideremus hominẽ, ab eadem forma, & eadem anima eſt & intelligere, & ſentire, ſaltem apud nos ponentes vnicam animam, & formã in compoſito, ſi itaque anima intellectiua in ſuo eſſe non pendet à materia, ergo quoduis accidẽs eam ſequens, erit tale, vt nulla ſit ei cũ materia ſocietas, &c. At ſi formaliter accipiãtur quæ dicuntur, ceſſat dubitatio, dũ enim dicitur accidẽtia illa quæ comitãtur formã, quæ à materia non dependet, non communicare cum materia, intelligendum eſt inſequentibus formam vt ſic, & ſub ea ratione, qua non pendet à materia, ſic autem accidit in intellectione, quæ ſequitur animam, quatenus formaliter eſt à materia indepẽdens, ſentire autem in homine licet ſit ab illa re, quæ eſt forma à materia independens, & ab illa forma, non tamen vt ſic, immo vt colligata eſt materiæ, niſi enim anima intellectiua eſſet forma materiæ, non proueniret ab ea ſentire, (vnde in intelligentijs non eſt ſenſus,) & accidit formæ intellectiuæ vt ſic, licet non tali formæ, vt ab ea emanet hoc accidens, quod eſt ſentire, &c.

Dubitatio.

Aufertur.

Circa ſecundam ſubdiuiſionem, quæ eadem parte habetur de accidentibus conſequentibus materiam, vel compoſitum ratione materiæ, aduerte, quod omnia accidentia, quæ attenduntur penes materiam, menſurantur ex hac, vel

illa forma,quam reſpicit materia, & merito, quoniam materiam vt ſic nullum accidens ſequitur,ſed ſolùm vt eſt ſub hac,vel illa forma,cum enim ſecundum ſe ſit omnis actualitatis ignara, nequit vllius accidentis eſſe ſubiectum, ſub forma tamen exiſtentem aliquid comitatur; Hinc vides,quod remota forma illa ſub qua materia exiſtit, in ordine ad quam hæc,ſiue illa accidentia eam ſequebantur,ſtatim abeunt ipſa accidentia;ſic habes in litera, quod remota forma animalis,recedunt maſculinum, & fœmininum, quæ comitabantur materiam ſub animalis forma degentem, & ſimiliter recedente mixtione elementorum,recederet nigredo ab æthiope, quod ſi ſequerentur materiam abſque ordine ad formam,quamuis ſolueretur forma animalis, remanere deberent maſculinum, ac fœmininum, cum remaneat materia,non inferas autem,quod non inſequantur materiam, quoniam optime ſtat, vt non materiam abſolute, ſed cum habitudine ad hanc, vel illam formam comitentur.

Deinde obſerua,quod quoniã maſculinũ,& fœmininũ inſequuntur materiã, ideo nõ faciunt animal differre ſpecie, vt habes decimo Diuinorũ a 5. nõ enim diuerſitas hæc ſequitur diuerſitatẽ formæ,ſed diuerſum modũ materiæ,eandem formam,ſeu ſpeciem recipientis, ſic ibidem legis, quod idem ſemen aliquam paſſionem paſſum, aut fœmina, aut mas fit, Alibi autem in hoc opere, & præcipue ad obſeruationes tertij cap. vidimus, diuiſionem quæ fit per materiam, non ſpecificam eſſe,ſed ſolum numericam, & indiuidualem; quæ autem diuerſa ſit paſſio ſeminis, & materiæ, vnde vel mas, vel fœmina proueniat, vide Alenſem loco relato decimi Diuinorum quattuor cauſas adferentem,ſed prima eſt potiſſima,quam hoc loco innuit & Caietanus,& quam pulchre proſequitur Ariſtot. 4. de Generatione animalium, cap. primo, quoniam nimirum materia nonnunquam plene ſubijcitur ſemini,& generanti, & nonnunquam non plene, ſic in primo caſu,mas, in ſecundo,fœmina gignitur,generans enim ſemper ſibi ſimile intendit generare, ac proinde marem, ſed dum ob caloris inopiam nequit concoquere, vel in ſuam formam ducere, ſed tantiſper ſuperatur, oportet vt mutetur in contrarium,& mari contraria fœmina eſt,ex Ariſtotele ibidem,vnde marem,& fœminam potentia quadam, & impotentia definiri dicebat,immo fœminam idem Philoſophus eodem libro,cap.6.& ſecundo eorundem, cap. tertio quaſi marem læſum, & quaſi læſionem naturalem, ac detrimentum arbitratur; Vide autem ſi placet initiò capitis ſecundi illius 4. libri huius cauſæ indicia aperta ſatis, quæ non eſt vt in præſenti adducam. Quod autem poſſet forſan ad cutem æthiopis attinere,de qua in littera fit mentio,hanc quoque dicimus ſequi compoſitum ratione materiæ,in ordine ad formam generalem, puta non huius hominis, non hominis, non animalis, ſed mixti, & cauſam huius accidentis,quod eſt nigredo,non incongrue Caietanus hoc loco innuit reduci in abundantiam caloris Solis, nam apud Ariſtot. quinto eorundem,in calce,cap. 5. legimus,cutem hominis maxime omnium tenuẽ, & præ ſua imbecillitate mutari, & vel à Sole, vel à flatu reddi nigriorem, vbi vides pro eius cauſa commemorari Solem, non cenſeas autẽ,vt quorum cutis eſt nigra,omnia quoque nigra ſint, videmus enim dentes æthiopum albos,eorumdemque ſemen album teſtatur Ariſtoteles contra Herodotum tertio de Hiſtoria animalium,cap. vltimo, & ſecundo de eorundem partibus,cap.2.

Ariſtot. Alenſis. Caietanus. Ariſtotel. Finis generantis. Ariſtotel. Cauſa nigredinis. Ariſtotel.

Et

Et quia vnaquæque res indiuiduatur ex materia, &c.

Circa ſextam partem conſidera, quod duo dicũtur de accidentibus conſequentibus materiam, alterum, quod ſunt accidentia indiuidui, alterum, quod iuxta ipſa indiuidua alicuius ſpeciei differunt, quorum ratio innuitur in litera, dum dicitur vnamquamque rem ex materia indiuiduari, cum enim materia, ſit cauſa eſſe indiuidualis vt ſic, hoc eſt, quatenus eſt indiuiduale, non quatenus eſt eſſe, erit etiam radix illorũ accidentiũ, quæ ipſum eſſe indiuiduale ſequuntur, quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, cauſa autẽ accidentium indiuidualium, eſt eſſe indiuiduale, quoniam enim ego habeo hoc eſſe indiuiduale, ideo habeo hæc accidentia, non autem e contrario, ſic patet primum, patet ex hoc ipſo & ſecundum, nam cum iuxta materiam, tamquam per cauſam diſcriminentur indiuidua, ſic etiam iuxta accidentia materialia, tamquam per effectus, eadem indiuidua ab inuicem diſcernentur.

Prior dubitatio. At contra vtrumque dictum apparet difficultas, nam contra primum eſt, quod maſculinum, & fœmininum ſequuntur materiam, vt dictum fuit, & tamen paſſiones ſunt animalis, quippe quod conſtat eſſe genus, non autem indiuiduum, non eſt itaque verum, quod accidentia materialia ſint indiuidui, ſed generis. Confirmatur, quoniam decimo Diuinorum 25. dicitur, maſculinum, & fœmininum eſſe differentia per ſe animalis, non vt albedo, & nigredo, & in calce eiuſdem textus habetur, quod ſunt propriæ animalis paſſiones, ſed & ſeptimo eorundem 17. & 19. tamquam paſſiones animalis recẽſentur, atque in ipſorum definitione poni animal docemur, quomodo igitur hæc doctrina eſt conformis Ariſtoteli? (Ariſtotel.)

Poſterior. Contra ſecundum facit, quod in accidentibus inſequentibus materiam conueniunt indiuidua eiuſdem ſpeciei, omnes ſiquidem homines habent quantitatem, quam ſcimus materiam ſequi, quomodo igitur ſtat, vt iuxta materialia accidentia differant indiuidua alicuius ſpeciei?

Occurritur priori cum Caietano. Priori difficultati occurrit Caietanus in hac parte, diſtinguendo paſſiones generum, nam quædam ipſis conueniunt ratione formæ genericæ, & quædam ratione materiæ, vt ſtando in animali, ſenſibilitas eſt eius paſſio ratione formæ, (intellige paſſionem pro omni eo quod eſt de ratione alicuius, nam ſenſibilitas eſt animalis differentia,) maſculinum autem, & fœmininum eſt illius paſſio ratione materiæ, & ita Ariſtoteles locis allegatis ea recenſet, vt animalis paſſiones ratione materiæ, velut in fine illius 25. ſe declarat; Auctor vero hoc loco ea paſſiones indiuidui commemorat, quoniam licet ſint paſſiones generis, non tamen ratione formæ, ſed materiæ, ſic non contradicit Ariſtoteli, nam quoniã ſunt paſſiones animalis ratione materię, ab Ariſtotele inter paſſiones numerantur, quoniam non ratione formæ, in litera reticentur. At vero difficultatem videtur pati hæc reſponſio, nam ſi non debeant dici paſſiones generis, quoniam non ſequantur illud ratione formæ, ſed materiæ, tunc neque poſſent dici paſſiones indiuidui, nam & hoc ſequuntur ratione materię, non formæ, & nulla accidentia forent materialia, quoniam nullum ſequitur materiam vt ſic, ſed aliquid ratione materiæ. Dicerem, aliud iudicium in hoc faciendum eſſe de generibus, & ſpeciebus, & aliud de indiuiduis, nam genus habet à ſua forma, vt ſit tale, (loquor de genere pro ſubſtrato, & pro natura, non pro intentione) nõ autẽ à materia, indiuiduũ vero habet à materia, vt ſit indiuiduũ, (Dubium contra ſolutionẽ.) (Remouetur.)

non

non à forma, & ideo quæ accidentia ſequuntur materiã, non omnino, & abſolute poſſunt dici paſſiones generis, quæ vero ſequuntur indiuiduum, abſoluta eius accidentia poſſunt dici, ſic accidentia materiæ, ſunt accidentia indiuidui vt ſic, generis vero non vt ſic; ita non negamus maſculinum, & fœmininum eſſe paſſiones generis abſolute, ſed cum Ariſtotele eas ſuperius diximus paſſiones huius generis, quod eſt animal, ratione materiæ, ſed accidentia in vniuerſum ſequentia materiam, dicuntur abſolute accidentia indiuidui, quoniam à materia indiuiduum, non autem à materia genus, vel ſpecies.

Sed & breuius poſſet argumento dici, quod dum habetur in litera, accidentia penes materiam eſſe accidentia indiuidui, non eſt ſermo de quauis materia, ſed de illa, quæ eſt cauſa indiuiduationis vt ſic, tunc negatur, quod maſculinum, & fœmininum hanc materiam vt ſic ſequantur, accidit enim materiæ, prout eſt principium indiuiduationis vt ſic, quod ſub mare, vel fœmina fiat, id enim aliunde euenire iam inſinuauimus, nihil minus certe materia eſt principium indiuiduationis ſi ſit ſub hoc mare, quam ſi ſub hac fœmina, ſed ſequuntur materiam quidem ſub ſpeciali forma, at quoniam aliquod paſſa eſt, quippe quod ei vt eſt cauſa indiuiduationis accidit; Quod autem in hac ſaltem parte ſit ſermo de accidentibus ſequentibus materiam, non quamcumque, ſed quæ ſit cauſa indiuiduationis, nullus poteſt dubitare, nam habetur, vnamquamque rem indiuiduari ex materia, ex quo mox infertur accidentia, quæ materiam comitantur, eſſe accidentia indiuidui. Prius vero reſponſum, ceu magis vniuerſale, ita & feriei literæ, Auctoriſque intentioni accommodatius iudico. — Alia eidẽ difficultati reſponſio.

Ad ſecundum facile reſpondetur ex hac eadem doctrina, quod licet indiuidua in quantitate conueniant, non tamen in hac quantitate ſignata, hæc enim eſt incommunicabilis, velut & materia ſignata, ſic differunt penes accidentia non incommuni; quoniam in his conueniunt, ſed penes hoc, & illud accidens ſignatum, ſic inquit Caietanus in præſenti quod differunt penes quantitates, non quod aliud ſit quantum, aliud non, ſed quoniam non eodem modo ſunt quanta, hoc eſt, non eadem quantitate numero, ſub eodem ſitu, &c. Ex quo cernere potes reſponſum quod ſecundo loco proxime dedi priori argumento, non eſſe contrarium Caiet. ſed in eius doctrina fundamentum habere, & ſic non quæuis quantitas ſequitur materiam illam, iuxta quam diſcriminantur indiuidua, ſed hæc, & illa ſignata, in qua minime duo indiuidua conueniunt, &c. — Ad ſecundam difficultatem. — Caietanus.

Circa eandem partem duo ſimiliter habes de accidentibus formam conſequentibus; primo, quod ſunt propriæ paſſiones vel generis, vel ſpeciei, ſecundo, quod in omnibus naturam illam vel generis, vel ſpeciei participantibus inueniuntur & hæc eſt quædam illius à ſigno probatio; Ratio autem horum eſt, quæ præmittitur in litera, dum dicitur, vnumquodque in genere, vel ſpecie merito ſuæ formæ conſtitui, quemadmodum enim dicebamus, quoniam materia erat cauſa eſſe indiuidualis, ideo erat quoque cauſa proprietatum, quę illud eſſe ſequebantur, ita quoniam forma eſt principium eſſe generici, ac ſpecifici, oportet vt ſit cauſa accidentium, quæ conſequuntur eſſe & ſpecificum, & genericum, eadem profecto ratione, quoniam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiã cauſa cauſati, conſtat autem eſſe ſpecificum eſſe cauſam ſuarum proprietatũ, ideo namque ipſe riſibilis, & admiratiuus ſum, quoniam ſum homo, non e contra, quod itaque eſt cauſa cur homo ſim, eſt etiam cauſa earũ quas recenſui affectionum; Et quoniam ego riſibilis ſum, non quatenus hic homo, ſed quatenus homo, ita ſequitur, quod ſecundo tradit litera, vt ſcilicet omnis homo riſibilis

ſibilis ſit, quod enim ſequitur ſpeciem, vel genus; vt ſic, oportet in ijs omnibus ineſſe, qui & ſpeciei, & generis naturam obtinent; Obſerua autem facile non eſſe firmam hanc argumentationem ſi dicatur; Hoc ineſt in omnibus indiuiduis huius naturæ, igitur eſt accidens ſpeciei, vel generis; ſtat enim, quod ſit accidens inſeparabile, ex indiuiduorum principijs emanans, & non ſit accidens ſpecificum, ſiue propriū, cuiuſmodi eſt nigredo in coruo, quæ non ei ſoli ineſt, vnde non eſt ei abſolute propria, neque cum eo conuertitur, quæ tamen eſt vera, ac propria proprij acceptio, vt habes à Porphyrio circa quartum prædicabile, & poteſt abſque illo intelligi, ea vero quæ principia eſſentialia, ac ſpecifica conſequuntur, inſunt omni, & ſoli, cum ijs quorum ſunt conuertuntur, & intelligi nequeunt ſine ijs, quibus ſunt propria, quæ videntur fuiſſe diſcrimina allegata ab Alberto Magno inter proprium, & accidens, priora quidem tractatu 5. ſuper prædicabilia, cap. 13. vltimum vero tractatu 7. cap. 2. ſed illud magis vrget, quod ſubiectum poſſumus intelligere abſque accidente inſeparabili, nedum per primam intellectus operationem, (hoc enim & circa propria accidentia ſpecifica accidit,) ſed & per ſecundam, dicere enim poſſumus componēdo, *coruus non eſt niger, coruus eſt albus*, at vero naturæ ſpecificæ quamuis non repugnet, vt intelligatur abſque eo quod accidentia propria ab ea fluere cognoſcantur, repugnat tamen ita concipi, vt ab ea dicantur non fluere, quod non videtur latuiſſe eundem Albertum loco poſterius citato, quamuis id perobſcure vix ſubindicauerit. Adde, quod ex affectibus temporarijs pennę coruorum aliquando nigræ viſæ ſunt, vt refert Ariſtot. 3. de Hiſtoria animalium ſub initium cap. 12. quodipſum, & ex prauitate, ſeu peruerſione generationis eueniſſe idem Philoſophus eſt auctor 5. de Generatione animalium, cap. 6. & Albertus eodem cap. 2. tradit viā, qua ex ouo corui prodeat albus coruus, & quomodo æthiops paulatim queat albeſcere; numquam autem vllo euentu accidere poterit, vt natura ſpecifica, vel generica inueniatur proprijs affectionibus deſtituta, ceu nūquam videbis hominem non riſibilem; Dicitur autē in litera riſum cōtingere ex aliqua apprehenſione animæ hominis, intellige ex apprehenſione alicuius delectabilis, ex quo dilatatur cor; Sed vnde proueniat riſus, & cur ſolus homo rideat, vide ſi vis Ariſt. 3. de Partibus animalium, cap. 10. id breuiſsime innuentem, & problematum libro ſectione 35. problemate præcipue 6. definit riſum, de quo etiam nonnulla ſcripſit Medina 1. ſec. q. 33. &c.

Porphyr. — *Alb. mag.* — *Ariſtotel.* — *Alber. mag.* — *Ariſtotel.* — *Medina.*

Circa illud, quod in eadem parte habetur commune accidentibus, & formam, & naturam inſequentibus, obſerua verum eſſe, quod modo dicebatur de inſeparabilitate accidentium, quæ ex principijs eſſentialibus fluunt, habes enim talem inſeparabilitatem, qualem modum paſsiue cauſandi habent à ſuis ſubiectis, quoniam enim quædam cauſantur ſecundum actum perfectum, ideo & quo ad aptitudinem, & quo ad actum ſunt à ſubiectis inſeparabilia, quoniam autem alia cauſantur ſecundum aptitudinem ſolum, propterea quo ad hanc tantum aptitudinem ſeparari nequeunt, & quoniam non cauſantur ſecundum actū perfectum, iccirco penes hunc queunt ſeparari; ſic nō modo inſeparabilitas accidentis à ſubiecto ſequitur dependentiā ad ipſum, ſed talis inſeparabilitas, talem dependentiam. Ita quoniam calor ex eſſentialibus ignis principijs ſecundum actum perfectum cauſatur, ob id ab ipſo nedum quo ad aptitudinem, ſed & quo ad perfectum actum inſeparabilis eſt; quoniam autem diaphaneitas prouenit ſecundum aptitudinem tantum ex eſſentialibus principijs aeris, & non ſecundum perfectum actum, eapropter quo ad actum perfectum ſeparatur

Dependentia caloris ab igne & diaphaneitatis ab aere.

ratur interdum ab ipſo, Sole nimirum ab illo recedente, quo vero ad aptitudinem nequaquam; ſic accidentia primi ordinis, & inchoatiue, & completiue à ſubiectis ſunt inſeparabilia, ea vero ſecundi ordinis completiue poſſunt ſeparari, non inchoatiue, ſeu radicaliter. In litera autem non habetur mentio de inſeparabilitate eorum primi ordinis, ſed ſolum de ſeparabilitate quo ad actũ perfectum illorum ſecundi ordinis, quoniam ex natura dependentiæ id clarum relictum eſt, & exemplo ignis adducto, quem ſemper vltimate, & in actu completo calidum omnes vident.

Notabat autem ingenioſe Caiet. quod inter ea accidentia, quæ proueniunt ex principijs eſſentialibus, ſuntque ipſorum effectus, non connumerantur ſimpliciter in litera paſſiones, quæ dicunt aptitudinẽ, ſed potius recenſentur actus ipſarum paſſionum, & aptitudinum, qui ſecundum incompletum eſſe aptitudines vocantur, ſic legis inter accidentia iſta penes eſſe incompletum commemorari diaphaneitatem in aere, quam nomine actus vides nominatam, cum tamen potuiſſet nominari nomine aptitudinis, & inchoationis ad diaphaneitatem, cum ratione eſſe incompleti vocem illam ſibi videatur vindicare; cauſam autẽ huius ait eſſe, quoniam aptitudo de ſe non habet, vt producatur, ſed producitur, vt producatur deinde actus, producitur inquam, vt medium, non vt finis, attamen vt medium ad quod ſequitur finis, enimuero potentia eſt per actum, & vana foret, niſi in actum exiret, & quamuis illa præcedat hunc in productione, hic tamen præcedit illam in intentione cuiuſuis agentis, &c. Caietanus. Finis productionis aptitudinis.

Quod ſi ſciſciteris, quare aliqua accidentia manant ex eſſentialibus principijs, ita vt neque quo ad actum, neque quo ad aptitudinem poſſint ſeparari, aliqua vero ita, vt penes illum, licet non penes hanc ſint ſeparabilia, reſpondet tibi Caiet ex doctrina Auctoris prima ſecũdæ, quæſt. 10. ar. primo ad ſecundũ, quoniam accidentia quo ad vtrumque inſeparabilia ſequuntur rei actualitatẽ, quæ vero quo ad completum actum poſſunt ſeparari, ſequuntur potentialitatẽ, & explicans Caiet. ait, quod ſubiectum quod eſt ſufficienter in actu, ſufficienter quoque operatur, cum omnis operatio ſit ab actu, & à tali actu, talis actio, ex hoc producit accidens in ſe complete, & nedum initiatiue, e veſtigio ſi adſit potentialitas, ſeu minus ſufficiens actualitas in ſubiecto, tunc producit accidens quo ad aptitudinem ſolum, ab alio expectans actualitatem, quæ ſibi ſolum inchoatiue adeſt; Rurſus quoniam ex actu naſcitur perfectio, propterea accidens primi ordinis eſt perfectum in actu, & quoniam ex potentialitate imperfectio, ideo accidentia ſecundæ claſſis non ſunt in actu completo, ſed iuxta ipſum ſunt ſeparabilia, quæ ſeparabilitas eſt quoddam non eſſe ipſi accidenti, cum ſit negatio ſequelæ ipſi neceſſariæ vt fluat à ſubiecto ſuo, cui ſolum quando ineſt, eſſe obtinet, cum eius eſſe ſit ineſſe, &c. Interrogatio. Reſpõſum ex D. Thoma, & Caietano.

Circa omnia hæc nonnulla ſunt breuiter aduertenda, & primo, quod Auctor loco nominato nomine actualitatis innuit formam, nomine potentialitatis materiam, inquit enim nonnulla accidentia ſequi formam, & ideo ſemper actu ineſſe, nonnulla ſequi materiam, & ob id non ſemper actu ineſſe; non cenſeas autem ibi ſtricte accipi vel formam, vel materiam, tum quoniam nullum accidens ſequitur vel formam, vel materiam tantum in his compoſitis ex materia, & forma, vt circa quartam partem literæ dicebatur, tum quoniam nunc ſermo eſt de accidentibus, quæ ſequuntur principia eſſentialia ſpeciei, quippe quæ in his ſenſibilibus ſunt materia, & forma, tum quoniam corollarium hoc, ſeu dictum, commune diximus vtriſque accidentibus, & materiam D. Thom.

ſcilicet, & formam comitantibus, tum demum quoniam ſi extendatur doctrina hæc ad omnia entia, ex quibus poſſunt fluere accidentia ſequentia eorum eſſentialia principia, non erit in ipſis compoſitio materiæ, & formæ, quocirca nomine formæ, actualitatem, nomine materiæ, potentialitatem ibi dicendum eſt intelligi debere, vt ibidē innuit Caiet. & euidenter adnotarunt Conradus, & Medina, quod & ex eiuſdem Auctoris verbis dilucide colligitur, nam primo ait, aliquid conſequi quaſi formam tantum, & aliquid ſicut conſequens materiam, vbi ex ly *quaſi*, & ly *ſicut*, ſatis indicat non preſſe accipere formam contra materiam, aut verſa vice, deinde inquit, quod forma eſt actus, materia vero potentia, vbi liquet nomine materiæ potentiam, nomine formæ actum denotare, denique ait, quod quæ ſequuntur motum in rebus naturalibus, non ſemper inſunt, nomine motus innuens materiam, & tamen non materiam, ſed potentiam includere motum nouimus.

Caietanus. Conradus. Medina.

Deinde obſerua, quod dum pluries diximus, quædam accidentia ſequi actū completum, & in actu completo ineſſe, nomine actus completi nihil aliud accipias, quam actum prout diſtinguitur à potentia, vel aptitudine, quod dixerim, ne ſuſpicaretur quis nomine accidentis in actu completo ſumi puta calorem in ſummo, vel in multis gradibus, tunc enim calor completus, vt decem graduum diſtinguitur à calore incompleto, puta trium graduum, non vt quid in actu ab aliquo in potentia, nam vterque eſt in actu, ſed vt quid intenſum ab aliquo remiſſo, at hæc per accidens ſe habent ad hoc, vt quid ſit in actu vt ſic, cum & ille, & iſte ſint æque in actu, quamuis etenim gradus formarum accidentalium aliud realiter non ſint, quam ipſamet forma ſub alio, & alio modo, non tamen ſunt de quidditate formæ, non etenim eſt de ratione caloris, vt ſit in hoc, vel illo gradu, &c.

Quid nomine actus cōpleti.

Denique circa eandem partem nota, quod loquens Auctor de accidentibus quo ad actum ſeparabilibus ait, vt iam vidimus aptitudinem eſſe accidens inſeparabile, complementem autem ex aliquo principio, quod eſt extra rei eſſentiam, vel quod rei conſtitutionem non ingreditur, eſſe ſeparabile, quaſi velit innuere aptitudinem illam eſſe de eſſentia rei, & eiuſdem conſtitutionem ingredi, quod ſane mihi eſt veriſſimum, de natura etenim aeris, (vt ab exemplo literæ non recedamus) eſt, vt ſit aptus natus eſſe diaphanus, & quamuis diaphaneitas actualis ab eo ſit ſeparabilis, & ſeparetur nonnumquam, attamen numquam ab eo ſeparatur aptitudo illa, vt dicitur in litera, & vt iam explicatum fuit; Et quidem fundamenta aptitudinum illarum, quæ ſubiectis per ſe inſunt, ſunt ipſamet naturæ, & ipſamet ſubiecta, ceu dicimus mobilitatem acceptam non pro paſſione, vel aptitudine, ſed pro fundamento aptitudinis, non eſſe aliquam affectionem de re mobili demonſtrabilem, ſed ipſummet ens mobile; ſic propriam rei eſſentiam, ac conſtitutionem intrant non accidentia, non aptitudo formaliter, ſed fundamentum aptitudinis, hoc eſt, cadit in rei eſſentia, vt huius, & illius affectionis, quæ eam inſequuntur per ſe ſit fundamentum, &c.

Diaphaneitas quomodo ab aere inſeparabilis.

Sciendum eſt autem, quod in accidentibus, &c.

Circa ſeptimam partem, vbi habemus accidentia in abſtracto ſignificata reponi in prædicamento, quod negatur de concretis, examinanda ſunt dicta hæc, ipſorumque radix inquirenda eſt, cum enim accidens vtrumque idem ſignifi-

Ariſtotel.

ſignificet, vt ſumus viſuri, & vt elicitur ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia,proprietate tertia, dicente album nil aliud ſignificare,quam qualitatem, videre oportet, quare concretum arceatur à genere,abſtractum autem reponatur;nónulla itaque ſunt declaranda, quæ accidentis naturam in medio ſatis ponent, quorum bona ex parte præbent nobis occaſionem,quæ ſcite, & eleganter in hac parte meditatus eſt Caiet.

Cõuenientia, & differentia accidentis abſtracti,& concreti.

Nota ergo primo,quod accidentia & abſtracta,& concreta conueniunt in modo eſſendi, vtrumque enim eſt in alio, & vtriuſque eſſe, eſt ineſſe, diſſentiunt autem in modo ſignificandi, quoniam in iſtis ſignificatur forma cum ſubiecti connotatione, vt dicendo *album*, ſignificatur albedo in ſubiecto, in illis autem exponitur forma abſque connotatione ſubiecti, vt dicendo *albedo*, ſignificatur forma hæc accidentalis abſque ſubiecto; & ideo accidens aliquod dicitur concretum, quoniam in ſui ſignificatione concernit ſubiectum,& ideo abſtractum,quoniam in modo ſignificandi illud non concernit, cum enim ſemper reſpiciat ſubiectum,(ſaltem aptitudine,) ab ipſo denominationem recipere debet, adeo vt dum illud connotat, dicatur concretum, dum minus, abſtractum. Et reuera, ſi quis bene contempletur, deprehendet accidens ſolum concretum ſignificari vt vere accidens, ſignificat enim adiacentiam ſuam, quã vt ſic oportet in omni accidente inueniri, abſtractum vero ſignificatur per modum ſubſtantiæ, quoniam exprimitur per modum ſubſiſtentis, & non adiacentis,quod conſtat eſſe proprietatem,immo naturam ſubſtantiæ, vnde non incómode à quibuſdam accidentia hæc in abſtracto conſueuerunt vocari ſubſtantiæ,non ſecundum rem,ſed ſecundum modum; & Auctor exponens 14.quinti Diuinorum dicebat,albedinem ſignificare accidens,non per modum accidentis, ſed per modum ſubſtantiæ. D.Thom.

Modus ſignificandi in quo fundetur.

Nota ſecundo, quod hic modus varius ſignificandi non fundatur ſuper modum eſſendi, tunc enim vnicus eſſet ille, velut & vnicus eſt iſte omnium accidentium, & vlterius falſus eſſet,quoniam in modo eſſendi non differunt,vt dicebatur abſtractum, & concretum, ſed fundatur ſuper modũ intelligendi proxime, (remote autem ſuper modum eſſendi, quoniam iſte fundat illum intelligendi, inter eſſe autem, & ſignificari mediat intelligi,) ex eo enim quod intelligo,ſignifico, & voces ſcimus explicatiuas animi conceptionum, & quoniã noſter intellectus quæ in rebus adunata ſunt diuidit, vt dicebat Auerr.duodecimo Diuinorum 39. hinc fit,vt licet obiectiue in accidentibus ſit vnicus eſſendi modus, videlicet *eſſe in* hunc tamen partitur, & in propoſito geminum facit, quoniam aliquando intelligit ipſa accidentia, intelligendo eorum ſubiectum, & vt vere accidentia, iuxta rem ſcilicet, & modum,& hæc ſunt concreta, nonnumquam ea intelligit per ſe, & ſolitarie, non cointelligendo eorum ſubiectum, ſed per modum ſubſtantiarum, & hæc ſunt abſtracta, & ſic quoniam duobus modis intelliguntur, & diuerſis, ea propter duobus, ijſdemque diuerſis modis ſignificantur; non cogites autem intellectum falſum, non enim dicit accidentia eſſe abſque ſubiecto per notam compoſitionis, aut diuiſionis, ſed vnum abſque altero intelligit, & vtitur abſtractione ſimplicis intelligentiæ, non compoſitionis. Auerroes.

Nota tertio, quod dum dicitur abſtractum importare ſolam formam,hoc nó eſt in eo ſenſu accipiendum, quaſi ſubiectũ à ſe omnimode excludat, ſed ideo, quoniam ex modo ſuo ſignificandi,(in quo ſolo differt à concreto) non inclu-

Quomodo accidens abſtractum, & concretum conueniant, & differant in modo ſignificandi.

dit ſubiectum principaliter, velut concretum, ſed ſecundario ſolum, & ex conſequenti. Conueniunt quippe in modo ſignificandi, quod vtrumque importat duo, ſubiectum nimirum, & formam, at differũt in varietate modi huius ſignificandi, quoniam concretum principaliter ſubiectum, abſtractum vero ſecundario, vt dicebatur exprimit. Ita non differunt in modo ſignificandi, quo ad rem, ſed quo ad modum, non enim differunt, quia vnum ſignificet, & aliud nõ, ſed quoniam alio modo vnum, alio alterum, velut duos calores dicemus ab inuicem diſſidere, non quia in vno ſit caliditas, & non in alio, ſed quoniam alio modo eſt in vno, alio in altero. Quod autem abſtractum importet ſubiectum, poteſt ex eius definitione manifeſtari, dices enim definiendo ſimitatem, quod eſt curuitas naſi, vbi cernis cadere ſubiectum, quod ſi definitio includat ſubiectum, certe & definitum, idem enim vtrumque importat, licet illa explicite, hoc vero implicite, de concreto autem nullus dubitat, quæ ſane manifeſtum eſt ex modo ſignificandi prouenire, quoniam vtrumque vt ſic puram formam importat, vt ex Ariſtotele cap. de ſubſtantia dicebatur, quod dictum refert Auctor loco illo quinti Diuinorum.

Sed nota quarto, quod aliud eſt dicere, hoc ſignificat illud, & hoc ex modo ſignificandi ſignificat illud, in hoc enim videtur quoddam pecularius tribui ipſi modo ſignificandi, & quod potius id habeat, vt ſignificatur, quam vt eſt in re, quod nõ accidit in illo, velut ſcibile ex ſua ſignificatione importat rem, quæ poteſt ſciri, quippe quod ex modo ſignificandi videtur dicere quandam relationem ad ſcientiam; Sic itaque in accidente concreto ſi attẽdatur ratio ſignificationis, primo importat formam, ſubiectum autem conſecutiue, album enim, & ſimum primo important albedinem, & ſimitatem, at quoniam non eſt res alba, & ſima, niſi in ſubiecto, ideo & hoc ſecundo importatur; ſic accipiendi ſunt Auerr. & Auctor, quando ſuper illum 14. quinti Diuinorum, contra Auicennam inquiunt accidens concretum, ſeu vt ponam vocem Auerr. denominatiuum, primo ſignificare accidens, deinde ſubſtantiam, & Zimara in tabula verbo *abſtractum*, quando ſcribit, dixiſſe ſapientes, concretum principaliter ſignificare formam, ſed connotatiue ſubiectum, at quo ad modum ſignificandi primo importat ſubiectum, & ex conſequenti formam, dum enim audis *album*, dicit ex modo ſignificandi rem habentem albedinẽ, ſuppoſitum ſcilicet, at quoniam non eſt tale niſi per albedinem, ideo formam connotatiue dicit. Ita vides in definitione concreti exprimi primo ſubiectum, vt genus, quod eſt prima pars definiti, & ſecundo loco, (quaſi differentiam) poni formam, dicis enim ſimum naſum curuum, quæ forſan conſiderans Auerroes 8. ſecundi de Anima dixit, nomina rerum artificialium, (quæ conſtat ſignificare accidẽs) dicere primo materiam, hoc eſt, ſubiectum, & deinde cõgregatum; ſed quid ibi voluerit Auer. non multum refert, neque enim ignoro explicationem Zimaræ ibidem, qua ſoluat cõtradictionem. Sin vero intuearis abſtractum, ſemper videbis importare primo formam, & ratione ſcilicet ſignificationis, & ratione modi ſignificandi, & ſecundo ſubiectum, vnde dum illud definis, tamquam genus pones primo loco formam, & deinde ſubiectum loco differentiæ, dices enim ſimitatem curuitatem naſi, quem varium definiendi modum clare elicis ex Auctore prima ſecundæ, quæſt. 53. ar. 2. ad tertium.

Quomodo intelligẽdi Auerroes, D. Thomas, & Zimara.

Auerroes.

Zimara.

Et ex diſtinctione rei ſignificatæ, & modi ſignificandi, varia virorum illuſtrium dicta de accidentium ſignificatione prudenter accipias.

At

At ſiſcitaris, vnde proueniat hæc diuerſitas, vt concretum ex modo ſignificādi primo dicat ſubiectum, mox formam, abſtractum autem e contrario? Reſpódeo ex doctrina Auctoris loco nunc relato, quam & hoc loco Caiet. inſinuat, quod licet vtrúque accidens, vel accidens vtroq́ue modo ſignificatū habeat ſecundum ſuam rationem dependentiam ad ſubiectum, aliter tamen, & aliter, quoniam abſtractum importat habitudinem, quæ eſt inter formam, & ſubiectū, vt incipit à forma, & terminatur ad ſubiectum, quare primo importat formā, à qua eſt initium ſuæ habitudinis, & deinde ſubiectum, ad quod eadē intelligitur terminari; concretum vero dicit habitudinem, vt à ſubiecto incipientem, & ad formam terminatam, vnde primo exprimitur illud, ſecundo iſta; Sic albedo dicit qua aliquid eſt album, ecce habitudinem à forma incipientē, album dicit quod habet albedinem, vbi vides eam à ſubiecto initium ſumentem, &c. Interrogatio. Solutio ex D. Thoma, & Caietano.

Sed rurſus horum rationem quæris; Dico, quoniam concreta inuenta ſunt ad hoc, vt ſignificent compoſita, abſtracta autem, vt exprimant formam, in cuius ſignum quæ compoſitione carent, vocamus abſtracta, iccirco quoniam à ſubiecto oritur compoſitio, concretum primo ſignificat ſubiectum, & formam quatenus ab eo incipit, quoniam vero abſtractum ſignificat formam, propterea & eam primo dicit, & eius habitudinem ad ſubiectum, ſed prout à forma incicipit, &c. Cautus tamen eſto, quod licet abſtracta dicant formas ſimplices, cōnotant tamen ſubiectum, vt dicebatur, quamuis enim formæ ſimplices ſint, ab illis tamen ſubiecta ſumunt denominationem, ab albedine enim quis dicitur albus, vnde formas quidem referunt, vt tamen ſubiectum reſpiciunt, & vt verbis vtar Caiet. important formas, vt cadentes ad ſubiecta, formæ enim apud nos nequeunt eſſe abſque ſubiectis, propterea ad ipſa cadunt, &c.

Ex his collige cauſam eorum, quæ principaliter in hac parte literæ habētur, cur ſcilicet accidentia in abſtracto locentur in prædicamento, concreta vero nequaquā; ſcimus vtique omne quod reponitur in genere, oportere dicere vnū per ſe, nam hoc ens diuidi per figuras prædicationis, ſiue per prædicamenta, docuit Ariſt. quinto Diuinorum 14. illo tex. cum itaque concretum ex modo ſignificandi importet primo ſubiectum, & deinceps formam, & ex conſequenti ſubſtantiam, & accidens, quæ diuerſorum eſſe generum nullus poteſt dubitare, ac ſubinde quid per accidens, ideo iure à prædicamento arcetur; quæ ratio innuitur in litera, dum dicitur accidens concretiue non locari in genere, quoniam ex ſubiecto, & accidente non fit vnum per ſe, & inſinuatur quoque ab eodem Auctore loco illo ad quintum Diuinorum. Hominem ſiquidem album, ens eſſe per accidens didicimus ab Ariſtotele quinto illo Diuinorum. 13. Cum vero accidens abſtractum ex modo ſignificandi ſolam formam primo ſignificet, & non ſubiectum, niſi per connotationem, relinquitur vt ſignificet quid vnum per ſe, accidentale tamen, ac ſubinde aliquid, cui & genus, & ſpecies tribui poſſit, quare merito in prædicamento ſtatuitur; Sic quod illud remoueatur, hoc autem ponatur in genere, non in rei diuerſitatem, cum vtrumque ſit res eadē, ac proinde vel neutrum, vel vtrumque eſſet ponendum, aut arcendum, ſed in varietatem ex parte modi ſignificandi reducendum eſt; Vnde patet ſolutio ad id quod principio difficultatem facere apparebat, ſumptum videlicet ex rei identitate vtriuſque, &c. Ariſtotel. D. Thomas.

Verum aduerſus hæc dubium non leue ſe offert, quoniam vnumquodque reponitur in genere ratione ſuæ eſſentiæ, & formæ, vt non ſemel hoc opere dictū eſt, & paulo ſuperius circa ſextam huius literæ partem; cum itaque ſit eadem Dubitatio.

eſſentia

eſſentia,& forma importata per vtrumque accidés, idem debet eſſe de vtroque iudicium in reſpiciendo,& non reſpiciendo prædicamentum : & vanus eſt recurſus ad varium ſignificandi modum, tunc enim res non per ſuam formam, ſed per modum ſignificandi in genere conſtitueretur. Pro ſolutione obſerua duas diſtinctiones, quas colligis ex Caiet.in præſenti, & prior eſt, duplex eſſe genus,alterum metaphyſicũ,alterum logicũ; poſterior eſt, aliquid concurrere ad poſitioné alicuius in genere dupliciter,vel ſcilicet vt rationé,vel vt conditionem ſine qua non; Tunc dicito,quod loquẽdo de genere metaphyſico,& de ratione reponendi, vnumquodque locatur in genere ratione ſuæ eſſentiæ, ac propriæ formæ; enimuero metaphyſicus conſiderat res,vt entia ſunt,non attendens modum vel intelligendi, vel ſignificandi, & ita vtrumque accidens ponitur in genere metaphyſico, quoniam vtriuſque eſt eadem eſſentia, naturaque; Sic videbis Ariſtot.quinto illo Diuinorum 14. & 7. eorundem 16.non vocare album,ens per accidens, ſed hoc albũ,& ſic procedit argumentum. At loquendo de genere logico, vera eſt doctrina noſtra, immo Auctoris, vt ſcilicet accidens ſolum abſtractiue ſumptum in genere locetur, hic enim artiſex cum non ſcrutetur res iuxta naturas ſuas,ſed iuxta intentiones additas ijs,quæ primo & intelliguntur, & ſignificantur, quoniam accidens concreto nomine expreſſum nequit obtinere denominationem ſpeciei, vel generis, vt patet in hoc nomine *album*, in abſtracto vero poteſt harum intentionum denominationem ſubire, vt patet in hac voce *albedo*,ideo illud à genere ſemouebit, hoc neutiquam. Memento tamen, quod apud vtrumque artificem ratio reponendi rem in genere,eſt propria forma, vel natura, & ſic ratione huius accidens quoque concretum eſt in genere logico, ſed conditio ſine qua non,eſt modus ſignificandi,modus inquam ille,ſub quo alicui poteſt tribui intentio generis, & ſpeciei; & modus in ſubſtantijs eſt,vt ſignificentur in concreto,ſic animal vocas genus, hominem ſpeciem,non autem animalitatem, vel humanitatem, ſed illam generis,hanc ſpeciei principium dices;in accidentibus e veſtigio modus eſt, vt ſignificentur in abſtracto, ita albedinem ſpeciem, colorem genus appellabis, non autem album,vel coloratũ, ſed illud habens ſpeciem, hoc habens genus dices.

Caietani diſtinctiones.

Reſpondetur dubitationi.

Ariſtotel.

Ratio cur quid ponatur in genere.

Conditio ſine qua non.

Dic ergo reſolute,quod vtrumque accidens,ſeu vtraque via ſignificatum reponitur in genere metaphyſico abſolute, in genere etiam logico,ſi attendatur ratio,qua quid in genere conſtituitur, at ſi ſpectetur conditio ſine qua non, dic abſtractum ſolum in hoc genere locari; Illud ſemper ante oculos habendo, quod ſermo eſt de eo, quod directe in genere ſtatuitur, nam ex reductione, velut humanitas, & animalitas ſpectant ad ſubſtantiæ genus, quæ tamen abſtractiue ſignificantur,ita album,& coloratum reducuntur ad cathegoriam accidentis,quamuis fuerint cócretiue expreſſa; Sic aperte legis in litera, *nomina accidentium concretiue dicta non ponuntur in prædicamento, ſicut ſpecies, vel genera, niſi per reductionem.*

Dubium.

Cæterum duplex adhuc circa hæc manet difficultas,& prima eſt,quoniam ſi accidentia in concreto accepta in genere metaphyſico reponantur,& in genere quoque logico quo ad rationem reponendi, potius debebat abſolute enunciare Auctor, quod ponantur in prædicamento, maior enim conſideratio habenda eſt de genere metaphyſico,& logico, merito rationis reponendi, quam de logico,ratione tantũ conditionis ſine qua non,& tamen nó modo cum diſtinctione non eſt locutus, ſed abſolute dixit in prædicamento non locari. Reſpondeo,quod ad genus metaphyſicum attinet,nihil facere ad propoſitũ, quoniam

Soluitur.

niam non intendit litera in hac parte oſtendere cuiuſnam naturæ, vel quidditatis ſint accidentia, quod eſſet tale genus aperire, cum nil aliud ſit eſſe in hoc genere, quem hanc, & illam obtinere quidditatem, hoc enim viſum fuit tribus prioribus partibus huius literæ, ſed quomodo ſe habeant ad logicas intentiones, quomodo poſsint denominari genera, ſpecies, &c. ſic iure negatum fuit hæc accidentia eſſe in prædicaméto abſolute, in ſubiecta tamen materia; Quod vero dicitur de genere logico, facile ſoluitur, cum enim bonum ex integra cauſa, malum vero ex particulari defectu contingat, quoniam non omnia requiſita habent, vt in genere logico poſsint directe conſtitui, iddo ab ipſo arceantur.

Altera difficultas eſt, quomodo varius modus ſignificandi ſufficiat, & non ſufficiat generi logico, cum ſit poſterior ipſis rebus, & in illo priori res ipſæ ſunt, vel non ſunt in prædicamento. Dico, quod quamuis modus ſignificandi ſequatur res vt ſic, & abſolute, attamen præcedit eaſdem, vt ſunt logicæ conſiderationis, & ſic in illo priori res poſſunt eſſe in genere phyſico, vel metaphyſico, non autem in logico, de quo loquimur; Quod vt explicatius fiat, recole quæ dicebantur, logicum videlicet res conſiderare iuxta intentiones adiunctas primis intellectis, ac ſignificatis, quo fit, vt nihil cadat ſub eius contemplatione vt ſic, niſi ſubſtet alicui ſecundæ intentioni, præuenit itaque modus ſignificandi intentiones ſecundas, & eſt earum prope fundamentum, quamuis etenim & ille, & iſtæ inſequantur rem, & modum intelligendi, ſeu rem, quatenus intellectam, & non ſecundum ſe tantum, (neque enim quid ſignifico, vel nomina ſecundæ intentionis ei tribuo, niſi prius illud intellexero,) ille tamen præcedit iſtas, & eſt quaſi medium inter rem intellectam, & ipſam ſecundam intentionem, nihil enim aliud eſt modus ſignificandi, quam ſignum exprimens modum intelligendi, (quia enim ſic intelligo, ita ſignifico,) velut etiam vox ſignificans eſt ſignum rei intellectæ, vnde quemadmodum ſignificatiua vox præuenit ſecundã intẽtionem, & immediatius ipſa ſequetur rem intellectam, (prius enim per hanc vocem *homo* ſignifico naturam humanam, quam eandem ſpeciẽ denominem,) ita modus ſignificandi præuenit modũ denominandi per ſecundas intentiones, ſic fit, vt ordo vniuerſus eorum, quæ pertinẽt ad nomina primæ intentionis, præcedat eorum, quæ ſpectant ad illa ſecundæ intentionis, ſic inquam, & vox ſignificans, & modus vocis ſignificandæ, quæ ſpectant ad illum primæ intentionis, præuenit nomina generum, & ſpecierum ſpectantium ad ſeriem intentionum ſecundarum. Logicus itaque cum in ſecundarum intentionum ſpeculatione immoretur, rem vnam vno modo ſignificatam collocabit in genere, & eandem modo alio expreſſam, ab eodem remouebit, quoniam vna, & eadem res vno modo ſignificata, poterit denominari ſpecies, vel genus, alio modo nequaquam, &c.

Quomodo quid logicæ conſiderationis.

Modus ſignificandi

Et quia accidentia non componuntur ex materia, & forma, &c.

Circa octauam partem, vbi legis accidentia non componi ex materia, & forma, aduerte hoc apud omnes receptiſsimum eſſe, & colligitur ex Ariſtot. octauo Diuinorum 14. dicente, quæcumque abſque transmutatione ſunt, aut nõ ſunt, non habent materiam, quod dictum ibi profert Philoſophus de formis, ac ſpeciebus, & Auctor exponit de formis tam ſubſtantialibus, quam accidentalibus

Ariſtot.
D. Thom.

Alb.mag. bus, quod & accepit Albertus tractatu 2.cap.3. eiuſdem libri, qui cap.præcedenti clare docuerat in accidentibus non eſſe materiam ex qua ſint, nullus autem ignorat accidentia eſſe formas; pugnat autem, vt forma in ſui eſſentia ſit cōpoſita ex materia tanquam ex qua, & habeat partem extra partem, vt ibidē ſcribit Alenſis; Et quidem hanc accidentium ſimplicitatem, vt in eorum eſſentia non componantur ex materia, docent vltra memoratos authores Iandunus octauo illo Diuinorum, quęſt.8. Antonius Andreas ibidē, & Aquarius dilucidatione 5. & Iauellus quæſt.16. eiuſdem libri, & neminem vidi contrarium docentem; cuius veritas ſatis patet ex ijs, quæ circa tertiam partem huius literæ dixi, quando de eorum eſſe, ac eſſentia ſermo erat, ex quibus liquet verum eſſe, quod habes in litera, genus ſcilicet, & differentiam non poſſe ſumi in ipſis à materia, vel forma.

Alenſis. Iandunus. Ant. Andr. Aquarius. Iauellus.

Aliunde ergo deſumendæ ſunt hæ ſecundæ intentiones, quare dicamus cum litera, primum genus ſumi ex proprio modo eſſendi, quo vnumquodque nouē accidentium conſtituitur pars entis; Vidimus profecto vltima quæſtione ad cap. præcedens, genus oportere vt explicet eſſentiam rei, cuius eſt genus ſecundum propriam potentiam, vel quatenus eſt determinabilis, accidentis vero eſſentia propriam habet potentiam ſecundum illum modum, quo conſtituitur pars entis, quare ex hoc modo eſſendi obtinent genus primum; quemadmodum enim ſpecies conſtituuntur in eſſe ſpecifico per id quo efficiuntur generis partes, merito ſcilicet differentiarum, per quas genus ad ipſas venit, ita prædicamenta conſtituuntur in eſſe prædicamenti, & conſequenter generis generaliſſimi, per id merito cuius efficiuntur partes entis; hi autem ſunt varij modi eſſendi per quos ens ad ipſa deſcendit; & cum in eo conueniant, vt ſint in alio, hoc nequit eſſe eorum genus, aliàs generaliſsima non eſſent generaliſsima, ſed modi hi ſunt, quibus quoduis eorū proprium *eſſe in* ſortitur, quæ varietas attenditur in vario, quem habent ad primum ens, hoc eſt ad ſubſtantiam reſpectu, vt ex Ariſtotele in litera relato habes, & velut idem Philoſophus habet nono Diuinorū 1 ſecundum ſubſtantiæ rationem genera accidentium dicuntur entia, quare & ſecundum hanc, & illam rationem ad ſubſtantiam, hoc, & illud erit genus, ſeu cathegoria accidentium, &c.

Vnde primum genus in accidentibus.

Conſtitutiua prædicamentorum.

Dixi ex hoc eſſendi modo in accidentibus aſsignari genus primū, nam vt eadē vltima quæſtione patuit, primū genus ſumitur ab eo, ſub quo poſita eſſentia habet rationem primo, ac maxime terminabilis, clarum autem eſt, quod vnumquodque habet hanc rationem, prout concipitur ſecundum primum ſui gradum, qui ſane ille eſt, qui ei ineſt ex illo modo, quem obtinet ſecundum proprium ſibi locum inter partes entis, quocirca primum genus ſumptum ab hoc modo entis, ſignificat rem, vt primo, & maxime determinabilem; ſic idem eſt dicere, res iſta ſumit genus, ſecūdum id quo habet rationem primo terminabilis, & ſumit genus, ſecundum illum modum, quo ſit pars entis; Ita primum genus ſumitur in accidentibus ex modo eſſendi, ſecundum quod ens varie de ipſis dicitur, quoniam iuxta hunc modum ipſa fiunt partes entis, vel primo, & maxime ſunt determinabilia.

Caue autem ne fallaris, intelligens forſan ſumi hoc primum genus in ipſis nouem accidentibus generaliſsimis, hæc ſiquidem genere carent, cum in nullo conueniant, & primo diuerſa ſint, ſed dico ex illis modis eſſendi conſtitui ipſa generaliſsima, quę deinde ſunt genera ſuprema accidentium illorum, quæ ſunt in cathegoria, ſic albedinis genus primū, qualitas, lineæ, quantitas, &c.

Eandem

Eandem vero partem literæ proſequendo, dicamus differentias ſumi in accidentibus ex diuerſitate propriorum principiorum, in cuius rei ſignum, dum definitur accidens in abſtracto, (quod proprie genus habet, ac differentiam, vt pote in prædicamento vere collocatum,) ponitur ſubiectum loco differentiæ, quod certe non eſſet, niſi diſcriminarentur accidentia penes ſua propria principia; ideo quippe paſſiones propriæ inter ſe differunt, quoniam ſubiecti principia, ex quibus cauſantur, diſcernuntur abinuicem, non autem e contra, quoniam paſſiones ſunt effectus principiorum ſubiecti; Hinc Caiet. dicebat, hoc in litera à poſteriori fuiſſe declaratum; Scito tamen, neque Auctorem, neque nos aſſerere ſubiectum eſſe differentam iaccidentis, ſed poni loco differentiæ; nam accidentia habent genus propriũ, atque differentiam ſui generis, vt in calce libri adnotauit Caiet. quod colligitur etiam ex Alberto ſeptimo Diuinorum, tractatu primo, in fine cap. noni, & clarius ex cap. 11. & innuit etiam Capreolus in 4. diſt. 12. ad primum Aureoli contra primam concluſionem, & fuſe docetur à Dominico à Flandria, probaturque ſeptimo illo Diuinorum quæſt. 8. artic. 2. veruntamen hæc perfecte explicari nequeũt abſque ſubiecto, quod eſſentialiter reſpiciunt, vt latius patebit prima quæſtione ad hanc literam.

Vnde accidentium differentiæ.

Caietanus.

Alb. mag.

Capreolus Frandrienſ.

At dices probationem Auctoris non eſſe vniuerſaliter veram, quoniam aliquando contingit, vt ſubiectum in definitione proprij accidentis ponatur loco generis, & non differentiæ, dices enim, ſimum eſſe naſum curuum; Verum huic cogitationi idem tibi occurrit dicens, hoc non euenire, niſi dum accidẽtia concretiue ſumpta definiuntur, tunc enim definiuntur more ſubſtantiarum compoſitarum, in quibus genus ſumitur à materia; ſic in definitione ſimi ponis naſum loco generis, vt informe, & materiale reſpectu curuitatis; at hoc nihil efficit contra aſſignatam doctrinam, tum quoniam intentio eſt declarandi vnde ſumatur differentia illius accidentis, quod locatur in prædicamento, vnde de concretis non eſt in hoc ratio habenda, tum quoniam in eius definitione non cadit ſubiectum loco generis, quaſi ipſius accidentis natura hoc exigat, ſed ex modo ſignificandi id prouenit, cum enim ex hoc modo importet coniunctum, ſubiectum ſcilicet, & accidens, ideo compoſitorum inſtar debet definiri, in quibus patet genus ſumi à materia; Vnde cum ſubiectum reſpectu accidentis ſe habeat vt materia, quoniam illud eſt huius receptiuum, quod omne comparatum receptibili, ſe habet vt eius materia, ex vera Alexandri ſententia primo de Anima, capite de intellectu potentiæ, ſiue materiali, vt quęſtione illa poſtrema ad caput præcedens, artic. 3. dicebatur, ideo merito ſubiectum ponitur loco generis, vnde dicitur ſimum naſus curuus, quod Auctor ſeptimo Diuinorum, com. 19. aiebat, ſubiectum cadere, in recto in definitione accidẽtis concreti. Hoc autem non contingit in definitione abſtracti, in qua ponitur, vt genus id, quod vere eſſentia accidẽtis determinat ſibi vt genus, quod quale ſit, iam vidimus, & loco differentię proprium ſubiectum, quod ibidem Auctor vocabat ſubiectum poni in obliquo; ſed iam varius modus definiendi abſtracta, & concreta accidentia omnibus proſpectus eſt, quem ſupra habuimus ex clara Auctoris doctrina prim. ſec. quæſt. illa 53. ar. 2. ad 3.

Difficultas.

Soluitur à D. Thoma.

Alexãder.

D. Thom.

Non mireris autem, ſi dixerimus ſubiectum in ordine ad accidens cuius eſt receptiuum, ſe habere vt materiam, ex quo videtur ſequi accidens nobilius eſſe ſubſtantia, nihil quippe prohibeat, illud ſecundum quid eſſe iſta dignius, prout eam in aliquo eſſe accidentali perficit, hæc vero eſt ſimpliciter illo præſtan-

tior,vt habes ab Auctore eodem libro,quæſt.66.art.4.&c.

Proſequitur autẽ litera patefacere hanc doctrinam,quod ſcilicet differentiæ accidentium ex diuerſitate propriorum principiorũ ſumantur, & dicitur hoc non modo habere veritatẽ, quando accidens immediate cauſatur à ſubſtantia, ſed etiam quando vnum accidens eſt principium alterius, tunc enim accidentia quæ cauſantur, ſuas ſortiuntur differentias, iuxta eorum accidentium diuerſitatem,à quibus cauſata ſunt,ceu quoniam principium, ſeu fundamentum relationis eſt actio,& paſſio,& quantitas,ideo iuxta hęc partitur relatio ab Ariſtotele quinto Diuinorum 20.vbi cernis differẽtias huius accidentis, quod eſt relatio, emanare non ex diuerſitate principiorum ſubiecti, ſed ex illa principiorum accidentium,quæ proxime enumerabamus,quoniam ab his relatio ipſa cauſatur,in eiſque fundatur.

Ariſtotel.

Circa hæc obſerua facile primo, quod non meminit Auctor tertij ordinis relatiuorum, ſeu tertiæ relationis, quam ibi connumerat Philoſophus, menſurabilis ſcilicet ad menſuram, velut ſcibilis ad ſcientiam, & ſenſibilis ad ſenſum,quoniam relationes ſolum reales mutuas, hoc eſt, quæ in vtroque termino reales ſunt recenſuit, cuiuſmodi non eſt illa tertij ordinis, quoniam licet relatio menſurabilis ad menſuram, vt ſcientiæ ad ſcibile ſit realis,non tamen e contra realiter ſcibile refertur ad ſcientiam, neque menſura ad menſurabile; Quod ſi tunc diceres fore cõmemorandam relationem realem fundatam ſupra qualitatem, vtputa ſimilitudinis, memento ex eodem
D.Thom. Auctore quæſt. 7. de Potentia Dei,art. 9. quod relationis realis fundamentum eſt actio,vel paſſio,vel quantitas, vel res quatenus induit modum, ſiue conditionem quantitatis; cum autem aliqua ſunt ſimilia, & plura ſunt in re, & vnũ in ſimilitudine; vnum autem,& plura ad quantitatem ſpectant modaliter,&c.

Aduerte deinde,magis vniuerſalem eſſe doctrinam hanc,vt dicatur differentias in accidentibus ſumi ex diuerſitate principiorum, ex quibus cauſantur, quam ſi dicatur cauſari ex diuerſitate principiorum ſubiecti, & ita vniuerſaliter legis in litera; Nos tamen primo diximus ſumi ex diuerſitate principiorum ſubiecti,tum quoniam hoc ſæpius euenit, tum quoniam & ſi quando aliquod accidens ſit,vnde alterius accidentis differentia ſumatur,illud comparatum huic,induit rationem ſubiecti, quoniam in illo hoc fundatur, licet enim comparatum ſubiecto primo, & ſit accidens, & rationem habeat accidentis, comparatum nihilominus huic poſteriori accidenti, accidens vtique eſt, ſed rationem ſortitur ſubiecti,non quidem primo,& vt *quod*,ſed ſecundarij, & vt
Quomodo accidens in alio accidente.
quo; poteſt enim dico accidens in alio accidente eſſe,vt in ſubiecto, quoniam illo medio ſubſtantiæ inhæret, vt docet Auctor prima ſecundæ, quæſt.7.artic.
D.Thom. 1.ad tertium,& quæſt.50 artic.2.ad ſecundum; Sic inſpicere potes ſubſtãtiam in qua fundatur quantitas,& æqualitatem in quantitate fundatam,& dum cõfers quãtitatem ſubſtantiæ,eam accidens prorſus intueris, quo ad rem ſcilicet, & quo ad modum,dum eandem conſideras in ordine ad æqualitatem,eam modum ſubiecti obtinere vides.

Ex hac doctrina ruit quædam difficultas, quæ poſſet moueri, quam inſinua-
Caietanus. uit hoc loco Caiet.quomodo ſcilicet fieri poſſit,vt accidentia ſumant differentiam à ſubiecti principijs, ſi nonnumquam plura accidentia differentia inter ſe ex eiuſdem ſubiecti principijs oriuntur, vt eſt videre in aliquo ſubiecto,in quo ſint duæ, vel tres paſſiones; has enim ſcimus differre, & tamen non ex eo quod principia ſubiecti à quibus oriuntur *differant*; Dicimus enim ex allegata

doctrina,

doctrina; quod nomine principiorum nedum intelliguntur principia ſubiecti eſſentialia, ſed id omne, quod in ſubiecto poteſt rationem habere principij, hãc autem habet id quod aliquid cauſat, vel vt *quo*, vel vt *quod*, vel propria, vel alterius virtute, vel principaliter, vel ſecundario; Ita in ſubiecto habente plures paſſiones, prima ſe habet vt principium ſecundæ, & hæc vt principium tertiæ, & differentia ſecundæ paſsionis non ſumitur proxime ex diuerſitate principiorũ ſubiecti, aliàs non differret à prima quoniã eadẽ eſſent vtriuſque principia, ſed ſumitur ex diuerſitate principiorum primæ paſſionis, & ita duarum paſſionum non ſunt eadem propria, ac proxima principia, & ex conſequenti ab inuicem diſtinguuntur. Quid nomine principiorum.

Poſſet quoque forſan dici, quod licet ex eiſdem principijs variæ paſſiones prouenirent, adhuc tamen & differrent, & earum diſcrimen petendum eſſet ex illis principijs; quippe quæ licet realiter, ac identice eadem eſſent, formaliter tamen differrent à ſeipſis, quatenus producẽtia ſunt vnã paſſionem, & quatenus aliam; Quando enim dicimus ex diuerſitate principiorum ſumi in accidentibus differentias, nihil neceſſitatis intelligo, vt accipiatur ſemper realis diuerſitas, & non ſufficiat formalis, velut ex diuerſitate obiectorum clamat Philoſophia, ſcientias, & potentias diſtingui, quæ formalis ſufficit, vt cuique pro comperto eſt, &c.

Circa eandem partem, quando audis, nobis ignorantibus propria principia ex quibus cauſantur accidentia, licere ſumere differentias ab effectibus, noli accipere omnimodam ignorationem, & plenam vt ita dicam neſcientiam, tunc enim nobis non permitteretur definire albedinem, dicendo colorem diſgregatiuum eſſe viſus, nam principia huius effectus, qui eſt diſgregatio non omnino ignoramus; Dicimus enim eſſe abundantiam lucis, vt in litera dicitur, velut principia; vel cauſam congregationis, nouimus eiuſdem lucis paucitatem, ſed accipe, quod dum non omnino facile nouimus talia principia, poſſumus loco eorum ſumere effectus, qui nobis notiſſimi ſunt, nos enim docuit natura ex notioribus procedere, vt dicitur ſecũdo de Anima 12. & ſeptimo Diuinorum 10. Quare ceu ingenerabile dicebatur primo de Cœlo 111. & quod ſimpliciter non poterat fieri, & quod non facile, neque cito, aut bene, quod ipſum de corruptibili proferebatur 113. & de incorruptibili 114. & de immobili vndecimo Diuinorum, in fine cap. 11. ita de eo quod ignoratur in præſenti interpretandum eſt; quando ſcilicet non facile, aut recte, aut cito ſcire contingat, &c. Hoc mihi ſuadeo voluiſſe Auctorem, quando dixit, *propria principia accidentium, non ſemper ſunt manifeſta*, hoc eſt, non ita præſto, ac in promptu eſſe, non enim dixit, ea nos ignorare, prorſus neſcire, ſed aliquam obſcuritatem, ac difficultatem ſubindicauit. Hoc ipſum voluit Caiet. quando dixit, abundãtiam lucis, & paucitatem non ita nobis manifeſtas eſſe, ſicut congregare, & diſgregare viſum, vbi & voce *manifeſtas* vſus eſt, & non abſolute manifeſtas negauit, ſed comparatiue ad ſuos effectus locutus eſt; quamuis itaque aliqualiter ſciamus accidentium principia, ſi tamen ipſorum effectus ſint nobis notiores, hos licet differentiarum loco adhibere.

Cauſa diſgregationis, & cõgregationis viſus.

Ariſtotel.

D. Thomas.

Caietanus.

Nota etiam non dici in litera congregationem, & diſgregationem viſus eſſe differentias albi, & nigri, ſed coloris, & ex his diuerſas coloris ſpecies cauſari, vt enim habes libello illo de Coloribus Ariſtoteli tributo cap. 3. lumen, & vmbræ, (ecce abundantiam, & paucitatẽ lucis,) tum per ſe, tum mixta cum coloribus creant colorum mutationes, colores vero ſimplices, vt album, & ni- Ariſtotel.

grum elementa ipſa ſequi,habes ibidem ſub initium primi capitis, vbi & edocetur,quomodo fieri nigrũ contingat colorem; id tamen verum eſt, quod quo magis quid diſgregat viſum,magis habet de albedine,& ex conſequenti maioris lucis abundantiam, vnde bene color albus dicitur viſum diſgregans,& quo minus quid habet de lumine,eo magis ad nigri coloris naturam accedit; cum enim coloris ſubiectum ſit quid perſpicuum, ex ſecundo de Anima 67. proprius actus perſpicui vt ſic eſt lumen,quare bene ex varietate luminis maioris, aut minoris, variæ ſumuntur coloris ſpecies; Et quamuis ex luminis priuatione,ſeu ex tenebris nigrum gigni colorem dixerit Ariſtoteles libro de Senſu, & ſenſibili,cap.3. non tamen credendum eſt nihil eſſe lucis in nigro colore, vt ibidem lectione ſeptima adnotabat Auctor, tunc enim neque cõtrariaretur albedini,neque eſſet color, neque quid poſitiuum, ſed id pronunciauit Philoſophus, quoniam minimum habet de lumine inter colores omnes, velut albedo plurimum; At hic non eſt locus, vt de coloris natura diſſeratur; Vide ſi vis ad hoc Ariſtotelem libello illo, ſi tamen ſit Ariſtotelis, & toto illo capit.3. de Senſu,ac ſenſili, & Auctorem ibidem per tres lectiones; Vide quoque eundem Ariſtotelem ſecundo de Anima,à 66. vſque ad 75. & ibidem ſuos interpretes, ac demum Alexandrum primo naturalium quæſtionum,cap.2.

D.Thom. Ariſtot. Alexander.

Sic ergo patet, quomodo eſſentia, &c.

Circa epilogum,quem vltima parte huius vltimi capitis legis,nota, quod reſpondet prooemio,vbi ſe tria præcipue præſtaturum pollicebatur,nimirum dilucidare quid nomine entis, & eſſentiæ ſignificetur, & quomodo in diuerſis reperirentur, & quo pacto ad logicas intentiones ſe haberent;quamuis enim de primo non loquatur epilogus, attamen ex ſecundo ſupponitur, & in illo intelligitur,non enim potuiſſet explicari, quomodo in diuerſis eſſentia inueniatur,niſi traditum fuiſſet nomen,ratioque ipſius.

Nota vlterius artificium Auctoris,quo ſub duobus preciſe verbis confirmet quod de primo principio docuit ſub initium cap. 6. remouendo illud à quouis genere,& à logicis intentionibus vniuerſalibus, quia nimirum eſt *infinitæ ſimplicitatis*, vbi rationes maximæ energiæ,eius infinitati,ſimplicitatique innixas inſinuat, quas nos prima illius literæ quæſtione expendimus. Et hæc de litera huius libri, &de obſeruationibus ad eandem.

QVAE-

QVAESTIONES.

Num, & quam eſſentiam, ac definitionem habeant accidentia.

CIRCA primam partem, in qua profertur accidentia habere & eſſentiam, & definitionem incompletam, celebris occurrit difficultas, ex qua pendet tota propemodum cognitio naturæ, eſſentiæque accidentiũ. In cuius gratiã quinque præſtabo, primo enim manifeſtabo in quo poſita ſit controuerſia, ſecundo opiniones varias cum earũdem rationibus adferam, tertio quid de eorum eſſentia ſit tenendum explicabo, quarto quid de eorum definitione, quinto rationes in contrarium reijciam.

Quo ad primum ſcias, quod nomine accidentis in propoſito non accipitur ens per accidens, ſed accidens ipſum dumtaxat, nam ens per accidẽs ſi proprie loquamur, dicit aggregatum ex ſubiecto, & accidente, ſic quid magis importat vltra accidens, vt homo albus, accidens autem dicit alteram ſolum partem huius aggregati, naturam videlicet accidentis, non illam ſubiecti: Ita Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 11. tamquam duo ſeparatim recenſuit, & primo accidẽs, dicens album accidere ſuperficiei, ac proinde non eſſe de eius eſſentia, deinde ens per accidens, dicendo neque aggregatum ex vtriſque, ſcilicet ex ſuperficie, & ex albo, vnde quæritur de accidente ſecundum ſe, cuius tamen deciſio declarabit etiam quid quiſque ſentire debeat de ente per accidens, ratione nimirum huius ſuæ partis. Quid nomine acciden.is. Ariſtotel.

Nota deinde, quod duobus modis poteſt intelligi, vt quæratur hoc, primo, vt ſupponatur accidens habere eſſentiam, & definitionem, ſed indagetur quænam ſit hæc eſſentia, & definitio, ſecundo, vt nullatenus certum ſit accidentia his potiri, ſed in dubium vocetur abſolute, num aliqua eſſentia, num aliqua definitione gaudeant; Et quoniam referente Commentatore 15. ſeptimi Diuinorum, non defuerunt aliqui, qui dixerint nullam eſſe accidentium vel quidditatem, vel definitionem, & alij qui e contrario veriſſimas ipſorum dixerint & quidditates, & definitiones, (quas diuerſas, ſeu contrarias opiniones recenſet & Aegidius quæſt. 3. eiuſdem libri,) & illos platonicos, hos autem phyſicos fuiſſe perhibet, quoniam etiam Ariſtoteles eodem libro, ab 11. vſque ad 19. diſſerere videtur abſolute, num accidentia definitionem, & ex conſequenti entitatem habeant, ideo & nos nihil de his in ipſis ſupponentes, ſcrutabimur quam, & qualem eſſentiam, atque definitionem obtineant. Auerroes. Aegidius. Ariſtotel.

Scito tertio, quod quærere, num accidentium definitio, & eſſentia ſit completa, & incompleta, nil aliud eſt, quam quærere, num accidẽtia habeant entitatẽ, & definitionem à nullo extrinſeco intrinſece pendentem, completum enim in propoſito ſonat idem, quod in ſe ſufficiens, ac perfectum, & nihil extra ſe intrinſece reſpiciens, incompletum autem e contra, dependentiam videlicet intrinſecam ad aliquid, quod non ſit de ſui eſſentia, vel modo id fuerit alterius, vel eiuſdem generis cum eo, in præſenti tamen accipitur quod eſt alterius generis perampli, atque analogici; Cum enim extra naturam accidẽtis ſit & aliud accidens, & ſubiectum, non eſt dubium, vtrum eſſentia accidentis, ac definitio ſit eo nomine incompleta, vt aliud accidens extra ſe intrinſece reſpiciat, hoc Quid in præſenti completi nomine & incompleti.

enim nullus ſomniauit,ſed vt ſubiectum reſpiciat,quippe quod loquendo de primo,ac principali, ſemper eſt ſubſtantia; Dixi autem ſemper intrinſece, vt excludatur ordo ad cauſas ſuas,& præſertim ad primam,quem ordinem omne ens neceſſario claudit, ſed hæc in rei definitione non ponuntur,quoniam non ſunt partes eſſentiæ,ac naturæ; Vnde idem eſt,ac ſi quæramus,num eſſentia accidentis vt ſic pendeat à ſubiecto, vel ex ſe completa ſit, & num eiuſdem definitio ſit ab eodem ſubiecto abſoluta, vel intrinſece idem claudat, adeo vt abſque ipſo nequeat completa eſſe definitio, ſemper intelligendo de accidente in vtraque ſignificatione accepto, & concretiue ſcilicet, & abſtractiue; Et hoc eſt,quod à quibuſdam ſub alijs verbis ſolet proponi inquirentibus, num inhærentia ad ſubiectum ſit de eſſentia accidentis,ſi enim ſpectes quæ dicebantur, comperies idem inueſtigari,ſi dicatur num eſſentia, ac definitio accidentis ſit completa abſque ſubiecto, & num inhærentia illius ad hoc, ſit de eius eſſentia. Et quæſtio eſt nedum de actu, ſed & de aptitudine, vtrum videlicet eſſentia accidentis dicat inhærentiam actualem, vel aptitudinalem ad ſubiectum, vel abſque ſubiecto ſit, aut poſſit eſſe completa, &c.

Alius huius quæſiti indagandi modus.

Denique nota,quod à permultis hæc quæſita ſeparatim conſueuerũt tractari, primo definientibus de accidentis eſſentia,mox de definitione, at quoniam hæc duo inſeparabiliter ſe conſequuntur, quoniam qualis eſſentia,talis definitio, & hæc omnino ex illa pendet, vt ſub initio obſeruationum ad hanc partẽ dicebam, propterea ſub vnico quæſito hæc ſimul cadere libuit,Caiet. imitatus, qui vbi docuit qualis ſit eſſentia accidentis, dixit ex hoc patere negotium de eiuſdem definitione, &c.

Quo ad ſecundum; Tres inuenio ſententias,duas extremas, & tertiam mediam,nam vtraque inhærentia negatur, vtraque affirmatur de accidentis eſſentia, & tertio actualis negatur, aptitudinalis affirmatur. Doctor itaque Subtilis ſecundo ſent. diſt. 12.quæſt. prima,concluſione tertia, & poſtrema, quam ibi ponit videtur docere, quod in denominato à per ſe ſignificato accidentis, hoc eſt in ſubſtrato illius, quod eſt per ſe ſignificatum accidentis,vt ſcilicet huius vocis,reſpectus, accidentalitas, ſi fuerit accidens abſolutum, puta quantitas, qualitas, impoſſibile ſit quamuis inhærentiam eſſe de eius eſſentia: Et bene dixi,quod hoc videtur docere,non quod abſolute doceat & euidenter,quoniam id potius ex probatione concluſionis, quam ex ipſa concluſione deducitur; nam tertia illa concluſione dicit, illud quod denominatur à per ſe ſignificato accidentis, & eſt quid abſolutum,poſſe eſſe, & non ineſſe ſubiecto actualiter, ſed neceſſario ineſſe aptitudinaliter,vbi apparet, quod neget actualem inhærentiam ab accidentis eſſentia,at non aptitudinalem, immo hanc neceſſario eidem dicit ineſſe; dum autem concluſionem illam probat, inquit quod abſolutum non requirit terminum, nec terminos, quoniam tunc non eſſet abſolutum; At prima quæſtione ſua ſuper ſeptimum Diuinorum, clare docet neutram inhærentiã eſſe de accidentis eſſentia, quãuis teneat aptitudinem eſſe eandem eſſentialiter,vel realiter ipſi accidenti, diſtinguit enim & bene, quod aliud eſt aliquid eſſe idem realiter, & eſſentialiter alicui, & aliud eſt eſſe de eius eſſentia, &c.

Scoti volũtas.

Scotum ſequitur Antonius Andreas quæſt. prima eiuſdem ſeptimi, & eadẽ prope verba adfert; Zimara quoque eſt in hac ſententia,vt cernere eſt apud ipſum theoremate tertio,& in tabula verbo *Vniuerſalis*, ſed & Paulus Soncinas eadem eiuſdem ſeptimi quæſtione hoc ipſum ſecunda concluſione docet.

Ant. Andr. Zimara. Soncinas.

Sunt

Aliorum placitum.

Sunt alij, qui in hoc negotio cenſent diſtinguendum, vt nimirum aliud proferendum ſit in via Ariſtotelis, aliud in via fidei, & veritatis; tunc in via Ariſtotelis oppoſitam omnino proferunt ei, quam mox allegabamus ſententiam, dicentes vtramque inhærentiam eſſe de accidentis eſſentia, & hi præcipue ſunt Ioannes Bacchonius in primo, diſt. 28. quæſt. prima, ar. 3. & Iandunus, ac Sueſſanus, ille quæſtione, hic diſputatione prima illius ſeptimi, quibus & Aquarius ſe nouiſſime ſubſcripſit eadem eiuſdem libri dilucidatione. Immo Sueſſanus inquit melius apud philoſophos dici eſſentiam actualẽ eſſe ipſummet accidẽs, quam eſſe de eiuſdem eſſentia. In via autem fidei tradunt inhærentiam actualem nullatenus eſſe de eius eſſentia, ſed ſolum aptitudinalem.

Bacchon. Iandunus. Sueſſanus. Aquarius.

Denique alij abſolute docent, inhærentiam actualem non eſſe de eſſentia accidentis, ſed tantum aptitudinalẽ, & quod eſſe in ſubiecto non eſt vel quidditas, vel definitio accidentis, ſed quidam ipſius modus, definitio vero, eiuſque eſſentia, eſt eſſe rem, cui debetur eſſe in alio; Ita Auicennas in ſua Metaphyſica, ita Auctor eiuſdem Auicennæ ſententiam interdum allegans, vt quarto ſent. diſt. 12. quæſt. prima, art. primo, quæſtiuncula prima, ad primum, & ſecundũ, & tertia par. quæſt. 77. ar. primo ad ſecundum, ita Capreolus eodem libro, & diſt. ad primum Aureoli contra primam concluſionem, & in primo, diſt. 42. ad primum eiuſdem contra quintam, & ſextam concluſionem, & in ſecundo, diſt. 18. quæſt. prima ad tertium eiuſdem Aureoli ſecundo loco aduerſus primam concluſionem; ita Caiet. in hac parte, ita Alenſis ſeptimo Diuinorum, quæſt. 3. ſuper tex. quintum, ita Ferrar. quarto contra Gent. 65. ita Conradus prima ſecundæ, quæſt. 110. ar. 2. circa reſp. ad tertium, ita Dominicus Sotus in quarto, diſt. 10. quæſt. 2. ar. primo, vbi & varia philoſophorum dicta refert, quibus non omnino impoſſibile viſum fuit, vt poſſet accidens abſque ſubiecto exiſtere. Chryſoſtomus autem Iauellus varius apparet, & forſan ſibi non conſtat, inquit enim quæſt. prima ſeptimi Diuinorum in tertia diſtinctione, quod ſecundum Ariſtotelem, vel vtraque, vel neutra inhærentia eſt de eius eſſentia, deinde prope finem quæſtionis docet cum Auctore, & Capreolo, inhærentiam ſolum aptitudinalem eſſe de eius eſſentia, quaſi quod Auctor, & Capreolus hoc doceant tantum vt theologi, & non etiam vt philoſophi, atque in via Ariſtotelis. Sed certe viri quos pro tertia hac opinione retuli, & Auctor præcipue (de cuius potiſſimum iudicio eſt mihi ſemper ſolicitudo) abſolute, & vt theologi, & vt philoſophi id ſentiunt, quod patet, quoniam Auctor adfert dictum Auicennæ, quo ait, eſſe in alio non eſſe accidentis definitionem, ex quo infert actualem inhærentiam eſſe ab eo ſeparabilem, non autem eam, quæ aptitudinalis eſt; conſtat autem Auicennam purum extitiſſe philoſophum; Deinde quando Auctor, & alij probant poſſe accidens actu à ſubiecto ſeparari, ex propoſitionibus ſcitis, ex philoſophiaque depromptis id efficiunt, non autem ex creditis; Rurſus quando citatur argumentum de accidentis definitione, quod ſit in ſubiecto, (quod inſolubile arbitrantur hæretici, vt loco citato inquit Sotus,) poterat Auctor, & alij ſe facile expedire dicendo, definitionem illam eſſe ad aures Ariſtotelis, non autem ſecundum fidem, & veritatem abſolute, & tamen declarant ipſam, & ex Ariſtotelis doctrina probant non eſſe definitionem, quoniam eſſe non eſt de ratione intrinſeca vel ſubſtantiæ, vel accidentis. Ad extremum Auctores primæ claſſis, & præcipue Zimara contendunt ad aures Ariſtotelis neutram inhærentiam eſſe de eius eſſentia, quare non eſt certum omnino in doctrina Philoſophi, vt de eſſentia accidentis ſit inhærentia, cum

Sententia Auicennę. D. Thom. Capreol. Caietani. Alenſis. Ferrarien. Conradi. Soti. Iauellus.

Enumeratorũ nunc auctorũ mens quomodo accipiẽda.

varij

varij in eius via varia ſentiant, & Caiet. hac quæſtione rationibus naturalibus probat inhærentiam aptitudinalem eſſe de eius eſſentia, non autem actualem; quare abſolute, & ſimpliciter hoc docent, & nedum vt theologi,

Rationes pro ſingulis his ſententijs non deſunt, & eas apud pleroſque ex cōmemoratis auctoribus videre licet, ſed firmiores dumtaxat ſunt referendæ; Quare pro prima ſententia ſit primum argumentum illud Scoticum, cuius iam in eius opinione recenſenda aliqualis mentio facta eſt; Quoniam videlicet nullum abſolutum poteſt in ſuo formali conceptu dicere relationem, tunc enim eſſet, & non eſſet abſolutum, ſed omnis inhærentia, ſeu actualis, ſeu aptitudinalis eſt relatio, non itaque poteſt eſſe de conceptu accidentium abſolutorum. Confirmatur, quoniam dicunt omnes, quantitatem, qualitatem diſtingui à prædicamento relationis, quoniam hoc eſt ad aliud, illa vero ſunt ad ſe, at ſi aliqua inhærentia ponatur de eſſentia accidentis, iam omne accidens eſt ad aliud, iam non differt accidens abſolutum à relatione.

Rationes pro priori poſitione.

Secundo, Si ponatur aliqua inhærentia de eſſentia accidentis, iam genera generaliſſima non erunt generaliſſima, falſitas conſequentis eſt manifeſta, & conſequentia probatur, quoniam à qualitate, & quantitate poterit abſtrahi conceptus communis inferior ente, & ad ipſa ſuperior, videlicet *eſſe in*, qui conceptus erit eis communis, quandoquidem in eo conuenient, inferiorque ente, quoniam non omne ens habet eſſe in, illis demum ſuperior, quoniam nedum qualitas, ſed & quantitas in illo conueniunt, &c.

Tertio, Dictum eſt ad finem prope obſeruationum huius literæ cum Ariſtotele cap. de ſubſtantia, quod album ſolam qualitatem ſignificat, at in ſola qualitate non includitur inhærentia, alias non eſſet ſola; Rurſus ſæpe dicitur, quod ſubiectum non eſt de eſſentia accidentis, quod accidentia proprium genus habent, & propriam differentiam, vnde & in prædicamento ea locauimus, non haberent autem proprium genus, & propriam differentiam, ſi de eorum eſſentia eſſet inhærentia, nam quid aliud à ſe reſpicerent, &c.

Quarto, & vltimo, Accidentia ſunt entia propria entitate, quamuis diminute, neque eorum entitas præciſe eſt ex attributione ad ſubſtantiam, quoniam inter hanc, & ipſa adeſt analogia quoque proportionis, igitur in ſui eſſentia nihil extra ſe reſpiciunt; Confirmatur, quoniam velut non eſſe in ſubiecto, eſt proprietas ſubſtantiæ, non natura, vel eſſentia, ita eſſe in ſubiecto, non erit eſſentia accidentis, ſed eius proprietas, & modus ipſum ſequens, hinc quoniam aliquando proprietates poſſunt ab eorum ſubiectis ſeparari, ideo ſecundum fidem credimus accidens eſſe abſque ſubiecto, & modum hunc *eſſendi in*, ab eo millies quotidie, & paſſim ſeparari; Confirmatur vlterius, quoniam nulla potentia poteſt ab aliquo ſeparari id, quod eſt de eius vera eſſentia, at in ſanctiſſimo altaris ſacramento docet vera fides accidentia eſſe ſine ſubiecto, quare inhærentia ab eis ſeparata eſt, &c.

Fundamentā pro ſecunda ſententia.

Secundā vero ſententiam hæc argumenta poſſunt munire, & primo vulgata illa apud omnes dicta, nimirū accidentia eſſe entia, quia entis, accidētis eſſe dici ineſſe; accidens eſſe ens in ordine ad ſubſtantiam, quæ omnia liquido demonſtrant actualem inhæſionem eſſe ipſummet accidens; Confirmatur, quoniam Ariſtoteles primo Phyſic. 14. ſeptimo Diuinorum 3. & 47. ac 12. eorundem 25. cenſet impoſſibile, accidens vllum ſeparabile eſſe à ſubiecto, ergo ſemper ineſt, ergo talis inhærentia eſt de ſui natura.

Ariſtotel.

Præterea, Si inhærentia non ſit de eſſentia accidentis, ergo aliud eſt ab ipſo,

eique

eique formaliter inhæret, nam ex omnium ſententia accidens dicitur formaliter inhærens, tunc quæritur de hac inhærentia, qua prima inhæret accidenti, aut eſt eadem ipſi, & priori inhærentiæ, aut non, ſi primum, pari ratione ſtandum erat in prima, ſi ſecundum, tunc procedetur in infinitum.

Poſtremo, Si de eſſentia accidentis non ſit vtraque inhærentia, tunc poſſet aliquando abſque ſubiecto definiri, quod eſt contra hanc literam, & eius falſitas conſtabit ex ijs, quæ hac quæſtione dicentur, conſequentia apparet manifeſta, quoniam accipiatur accidens in actu, & actualiter conſideretur, cum vt ſic non dependeat à ſubiecto, abſque ipſo poterit perfecte concipi, atque complete definiri, &c.

Tertia demum ſententia, quo ad inhærentiam actualem, quam negat, firmatur omnibus rationibus, & quidem efficaciter, quę pro poſitione prima ſunt adductæ, quo vero ad aptitudinalem, quam affirmat, probatur rationibus, quæ ſecundam ſententiam fortem efficiunt; quæ licet poſſent eſſe ſatis pro eius confirmatione, nihilominus probatur adhuc duplici medio, quorum primum ſit: Quemadmodum ens ſufficienter diuiditur per ſubſtantiam, & accidens, ita & omnis conceptus entis ſufficienter partitur, ex eo quod vel aptum natum eſt eſſe in ſe, vel in alio, non enim dabitur tertius, ceu non datur tertia entitas, túc ſumo conceptum accidentis, & quæro, an ſit aptus natus eſſe in ſe, aut in alio, non primum, quoniam tunc accidens non foret accidens, ſed ſubſtantia, ergo ſecundum, ergo aptitudo eſt de ſui eſſentia, & conceptu, da enim oppoſitum, tunc intelliges conceptum accidentis præter aptitudinem, tunc rurſus illo tempore quo intelligis ipſum ſine aptitudine, peto vt prius, an intelligas ipſum vt natum eſſe in ſe, vel in alio, & non primum, vt patet, ergo ſecundum, ergo concipis ipſum, & cum aptitudine & ſine aptitudine, quod pugnat.

Quibus innitur tertia poſitio.

Secundo arguo ſic; Conſtat ex determinatis, inter ſubſtantiã, & accidens eſſe analogiam, & hoc dependere ab illa, at hæc dependentia, vel eſt ei eſſentialis, vel accidentalis, non ſecundum, quoniam & analogia ad ſubſtantiam foret ei accidentalis, ergo primum, ergo eſſentialiter ab illa dependet. Non dicas autem duo hæc argumenta ſecundam firmare ſententiam, quandoquidem poſſumus aliquid concipere, quod actualiter non ſit in alio, quoniam conceptus nõ diuiditur per eſſe in ſe, vel in alio, ſed per aptitudinem ad eſſe in ſe, vel in alio, quoniam actualiter eſſe in ſe, vel in alio, ſunt quædam conſequentia ſubſtantiã, & accidens, eorũdemque affectiones, vt pro poſitione prima dicebatur, at quod poſſint eſſe vel in ſe, vel in alio, eſt eorũ natura, ac quidditas, ſicut quod homo rideat, eſt eius affectio, at quod habeat in ſe aptitudinem, potentiamque ad riſum, eſt ipſamet hominis natura. Similiter non eſt eſſentiale cuiuis analogato actu dependere à primo, ſed ſufficit ordo ille, & aptitudo, dixi cuiuis analogato, vt ſecludam ea, quæ ſunt analoga puræ attributionis, in quorum primo ſolum inuenitur formaliter formalitas illa, in qua fundatur analogia, &c. Et hæc de ſecundo.

Excluditur quædam obiectio.

Quo ad tertium; Sit prima concluſio: Accidentia habent aliquam entitatem, & aliquam eſſentiam. Hæc manifeſta eſt apud omnes, ſæpe enim Ariſtoteles ea vocat entia, & quinto Diuinorum 14. diuidens ens per ſe, partitur illud in ſubſtantiam, & accidens, ab omnibus quoque admittuntur formæ, & ſubſtantiales, & accidentales, accidentia itaque ſi ſint formæ, habent certe aliquam entitatem. Rurſus, ad ipſa aliqui motus terminãtur, vt eſt videre in alteratione, & augmẽtatione, conſtat autem, quod per motus aliqua entitas comparatur, aliàs ad nihil

Prior concluſio.
Ariſtotel.

mobile moueretur; Affirmant etiam omnes, ea eſſe inſtrumenta multorũ agentium, & eorum pleniſque rationes agendi; Cumque ens dicatur analogice, de ſubſtantia, & accidente, oportet in hæc aliquam entitatis rationem ſaluari; alioquin non eſſet inter ipſa analogia, ſed æquiuocatio; Denique aſſerunt vniuerſi, ea incompletam eſſentiam, & definitionem obtinere, ergo aliquam, & entitatem, pugnat enim, vt detur eſſentia incompleta, ſine eſſentia; quoniam illud *incompletum* non deſtruit eſſentiam, ſed ſupponit, limitat, declaratque.

Concluſio ſecunda.

Sit ſecunda concluſio; Hæc entitas quam ipſis tribuimus, eſt incompleta, & diminuta; Sic enim Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 14. ait, ipſum quid eſt non ſimpliciter, ſed ſecundum quid eis conuenire, ſic legis in litera, ea non habere abſolutam eſſentiam, ſic habes apud omnes Ariſtotelis interpretes ſeptimo illo Diuinorum, ab illo 14. vſque ad 19. ſic oſtendit eius analogia ad ipſa, & ad ſubſtantiam; nam ſi accidẽs ita completum eſſet ens, atque ſubſtantia, non plus cerneremus attributionem illius ad illam, quam huius ad illud; At pro notitia maiori obſerua ex Capreolo in ſecundo, diſt. 18. quæſt. prima, antequam reſpondeat formaliter ad primum Aureoli ſecundo loco aduerſus primam concluſionem, quod accidens habet entitatem integram, ſeu completam in eo ſenſu, quod non poteſt cum alia entitate conſtituere aliquid per ſe vnum, quod inſtar ſpeciei, vel indiuidui ſit in genere collocabile, ſed ipſummet accidens reponitur in genere, & horum vtrumque habuimus ſeptima parte literæ, rurſus eſt quid conceptibile proprio conceptu, qualiſcumque is fuerit, entitateque gaudet ab alijs entitatibus diſtincta, vt qualitas non eſt nulla entitas, neque omnis entitas, ſed aliqua, & propria potitur indiuiſione, vnitate, diſtinctione, &c.

Ariſtotel.
D. Thom.
Capreol.
Eſſentia accidentis quomodo completa.

At dicitur habere entitatem incompletam, & diminutam, quoniam non competit ſibi ex ſui natura eſſe in ſe, ſed id habet ex inhærentia ad aliud alterius naturæ, cui ſane non confert, ſed à quo recipit eſſe, hoc eſt, ex inhærentia ad ſubiectum, ſic diſcernitur à formis materialibus, quæ licet ſecundum ſe abſque materia nequeant exiſtere, attamen id cui vniuntur non elargitur ipſis eſſe, ſed ab eiſdem illud ſortitur; Sed vt hæc magis adhuc explicentur;

Quomodo incompleta.

Tertia concluſio.

Sit tertia concluſio: In eo poſita eſt diminuta hæc, atque incompleta accidẽtis entitas, quod non eſt abſoluta à ſubiecto, ſed illud ſemper reſpicit, atque in ſui eſſentia ab eo ſemper dependet, non quidem actu, ſed aptitudine, Sic aſſerimus inhærentiam aptitudinalem, non actualem eſſe de eius eſſentia; vnde primam, & ſecundam ſententiam repudiantes, tertiam amplectimur.

In cuius gratiam nota, quod quemadmodũ quidditas, & natura ſubſtantiæ eſt apta eſſe in ſeipſa, ac per ſeipſam ſubſiſtere, ſic eſſentia, & natura accidentis eſt nata eſſe in alio, at ſicut aptitudo eſſendi in ſe nihil addit reale ſupra ſubſtantiam, ſed ſi quid addit, eſt quid ratione ab ea differens, quatenus per ipſam aptitudinem manifeſtatur expreſſius ordo ille ad proprium modum eſſendi, ita aptitudo ad eſſe in alio, (quod eſt tota hac quæſtione maxime aduertendum) nihil omnino reale addit ſupra entitatem accidentis, at ſi quid addit, eſt quid ſolum ratione diſtinctum, prout nomine ipſius aptitudinis formalius, & explicatius aperitur proprius eſſendi modus ipſius, ſed à parte rei, & identice idem omnino exprimitur nomine accidentis. Ita cadunt omnia, quæ plerique erexerunt, dicentes inhærentiam hanc aptitudinalem eſſe, vel relationem, vel quid adueniens accidenti, nam eſt ipſamet accidentis natura, quæ hunc ordinem dicit, & hanc aptitudinem.

Aptitudo ad eſſe in alio quomodo ſe habeat ad accidens.

Quæ vt clariora tibi, teſtatiora alijs fiant, reminiſcere, quæ dicebantur circa

obſer-

obſeruationes ſecundi cap. & quæ ex inſinuatione repetebantur quæſtione ſecunda quinti cap. quam doctrinam habes hoc loco à Caiet. & innuunt etiam Conradus, Iandunus, Iauellus, Sueſſanus, Aquarius. & alij locis nominatis, licet in vocibus non omnino omnes conueniant, quod videlicet accidentia abſoluta, ideo dicuntur abſoluta, quoniam non reſpiciunt aliquid extra ſe, vt terminum, at non dicuntur abſoluta; quaſi nihil omnino extra ſe reſpiciant, quoniam omne accidẽs reſpicit ſubſtantiam, vt ſubiectum, ſic ſunt abſoluta à termino, non à receptiuo, ſic ſubſtantia terminat eorum dependentiam, non vt terminus, ſed vt ſubiectum; Accidens vero relationis reſpicit quid extra ſe, vt terminum formaliter, non autem vt cauſam, vel ſubiectum, & eius reſpectus dicitur *ad*, reſpectus vero accidentium abſolutorum, ſi nomine reſpectus ob vocum inopiam ſit vocandus, non eſt reſpectus *ad*, ſed ſolum *in*, Et quidẽ reſpectus tantum *ad*, & habitudo qua quid reſpicit aliud vt terminum formaliter, facit illud eſſe in prædicamento ad aliquid, reliquæ vero habitudines nequaquam, aliàs omnis potentia cõparatione ad actũ, eſſet in genere ad aliquid. Hinc ſcite legis apud Alenſem quinto Diuinorum, quæſtione prima ad text. 20. quod prædicamenta accidentium abſoluta, vocantur entia, quæ in ſe ſunt, non prout eſſe in ſe diuiditur contra eſſe in alio, nam qualitas non eſt in ſe ens, ſed in alio, hoc eſt, in ſubiecto, & ſola ſubſtantia eſt hoc modo ens in ſe, ſed prout diuiditur contra eſſe ad aliud, quoniam prædicamenta abſoluta licet ſint in alio, non tamen ſunt ad aliud, ſicut eſt genus ad aliquid.

Multorum doctrina.

Accidẽtia abſoluta, quomodo abſoluta.

Alenſis.

Quapropter ſi relatiuorum eſſe eſt ad aliud ſe habere, (in hoc enim ſtat eorum formalitas,) auctore Ariſtotele in prædicamentis, cum accidentia abſoluta ad nullum ſe habeant, vt ad aliud, licet ſint in alio, nullatenus ſequitur, vt ſint in genere ad aliquid; Immo vero quemadmodum, quoniam de ſui eſſentia relatiua aliquid vt terminum reſpiciunt, ideo eorum eſſe ſtat ad aliud ſe habere, ita quoniam accidentia abſoluta de ſui eſſentia reſpiciunt aliquid, non vt terminum, ſed vt ſubiectum, eapropter in eorum eſſentia clauditur habitudo ad aliquid vt ſubiectum, & eorum eſſentia erit eſſe in alio, vt velut eſſe *ad* conſtituit genus relationis, ita eſſe *in* conſtituat accidentia abſoluta, & accidens vt ſic; Ita hæc inhærentia non eſt prædicamentalis, ſed tranſcendentalis, & conuertitur cum illo accidente, cuius eſt inhærentia, vel aptitudo, ab eo ſola ratione modo explicato diſtincta, &c.

Inhærẽtia accidentis, qualis.

Iure itaque dicimus entitatem accidentium incompletam, quoniam non abſolutam à ſubiecto, quoniam quid extra ſe alterius generis ab ipſis in ipſorum eſſentia reſpicientem; Quam veritatem confirmat, & auctoritas auctorum tertiæ ſententiæ, & rationes pro ea inductæ, & quæ primo argumento præcipue pro ſecunda opinione adducta ſunt, quæ nequeunt certe aliter explicari, niſi ad aptitudinalem inhærentiam confugiatur, confirmat & vox ipſa accidentis, quæ nihil aliud ſibi vult, quam ad aliud cadentis, cadunt quippe accidentia ad ſubſtantiam, ſed non vt cadant, at vt eſſe habeant, immo ſi hoc caſu non caderent, non ſurgerent vnquam naturaliter, vt eſſe haberent. Quod autem hæc non ſint accipienda de actuali inhærentia, abunde demonſtrarunt argumenta pro prima opinione, & præcipue ſecunda vltimi confirmatio, &c.

Quo ad quartum; Sit hæc vnica concluſio: Accidentia habent incompletam definitionem, quoniam nimirum nequeunt complete definiri ſine addito, & ſine aliquo, quod ſit præter eorum eſſentiam, alteriuſque generis ab ipſis, cum

Concluſio.

Vuuuu 2 per

Ariſtotel. per ſubiectum ſemper definiantur. Hoc docet enodate Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 14. dicens, quodquideſt eſſe accidentium, at nonſimpliciter, vt præcedenti ſecunda concluſione dicebatur, & 17. concludit, quodquid erat eſſe accidentium, ac definitionem, aut nullius eſſe, aut ſi eſt, aliter, quam ſit in ſubſtantijs, idem repetit 19. & manifeſtat exemplis, vbi in fine colligit, definitionem, & quodquid erat eſſe, aut eſſe ſubſtantiarum ſolum, aut maxime primo, & ſimpliciter. Hoc ipſum docent omnes, qui circa illos textus, vel commentaria, vel quæſtiones, vel tractatus quantum ego viderim texuerunt, qui & e medio tollunt præter alias dubitationes illas duas, quas idem Ariſtoteles 18. & 19. admouit circa hanc ex additione accidentium definitionem, quas quoniam conformiter cum Ariſtotele diſſoluunt omnes, non eſt vt ad illas vel admouendas, vel remouendas quid temporis impendam. Vide præcipue Auctorem, Auerr. vtrumque Alexandrum, Aphrodiſæum ſcilicet, & Alenſem, à 14. vſque ad 19. illius libri. Vide Albertum Magnum tractatu primo eiuſdem libri, à cap. 8. vſque ad 11. Aegidium ibidem quæſtione ſecunda, Iandunum quæſt. nona, & 10. Soncinenſem quæſt. ſexta, Iauellum quæſt. ſeptima, & alios omnes vno ore concluſionem hanc docentes.

Definitio accidentium qualis.

D. Thom. Auerroes. Alexand. Alenſis. Alb. magn. Aegidius. Iandunus. Soncinas. Iauellus.

Obſerua tu, quod bifariam poteſt accidens conſiderari, vno modo formaliter, & vt accidens, alio modo quo ad quaſdam eius affectiones, vel in ordine ad aliquod aliud accidens, primo modo numquam poteſt abſque ſubiecto definiri, cum enim vt ſic eſſentialiter in ſuo conceptu aptitudinalem ad ſubiectum dicat habitudinem, ab eodemq; in eſſe dependeat, implicat, vt abſque illo poſſit eius definitio haberi, ſin autem in ſecundo ſenſu ſpectetur, nihil prohibet, vt in ſui definitione non cadat ſubiectum, cum enim tunc conſideretur ſecluſa ad illud habitudine, non ponitur in eius definitione vt ſic ſubiectum, quod euenit in pleriſque mathematicis definitionibus, quorum accidentia, ſimplicia vocat Ariſtoteles tex. illo 17. quia ſcilicet non habent ſubiectum determinatum, quod in eorum definitione ponatur, ad differentiã copulatorum, eiuſmodi ſubiectum habentium, vt ibi Auctor exponit; Verum diligenter conſidera, quod huiuſcemodi definitiones bimembres eſſe poſſunt, nam vel dantur per proximum genus, & proximam differentiam, & ita poſſunt haberi abſque additione ſubiecti ſaltem ſui, vt patet dum definitur albedo, quia eſt color diſgregatiuus viſus, vbi non cadit ſubiectum albedinis, cuius ratio eſt, quoniam accidentia proprium genus habent, propriamque differentiam, quare per hæc proxime valent definiri, vel deinde dantur cõpletæ, & numeris omnibus abſolutæ, aperientes definita à prima potentia vſque ad vltimũ actum, & ſic eſt impoſſibile definiri accidentia abſque ſubiecto, nam albedo tandẽ erit qualitas, in cuius definitione cadit ſubſtãtia, rurſus eſt color, in cuius ratione cadit corpus perſpicuum, cuius ſecundum extremitatẽ actus eſt. Vnde Alexander verba illa 19. textus, *ſed latet rationes non exacte dici, ac aſſignari,* ſic accipit, vt dicat eum, qui definit aliquod accidens abſque ſubiecto, (ſcio expoſitionem eſſe ſingularem, & ab omnibus prope diuerſam,) latere, quod nõ exacte eius definitionem reddit; nam ſi quis accuratiùs conſiderauerit, videbit fieri non poſſe, vt quodpiam accidens abſque ſubiecto definiatur; Cuius ſane ratio eſt, quoniam ſi abſolute, & vt decet omnino ſpectetur accidens, nequit tandem à ſubiecto abſtrahere. Denique memento, quod in accidentis definitione non eſt ſemper neceſſe, vt cadat ſubiectum explicite,

Ariſtotel. D. Thom.

Geminæ accidentium definitio.

Alexãder.

ſemper

ſemper tamen implicite, ac virtute cadere debet, quæ omnia ferè attingebamus ſecundo capite huius operis in obſeruationibus ad quartam partem.

Ceterum dicis, quomodo eſſe poſsit, vt definitio includat quid extrinſecũ, & præter eſſentiã definiti, cum eius munus ſit eſſentialia ſolummodo complecti? Dico, hoc non modo non eſſe inconueniens, ſed neceſſarium in definitionibus illis, quæ ſunt ex additione, nam eapropter dicuntur ex additione, quoniam quid præter eſſentiam additum includunt, argumentum vero procedit de vera, perfectaque definitione, non de minus propria, & imperfecta, qualis eſt illa accidentium, Et hoc eſt cauſæ, cur Ariſtoteles textibus relatis numquam abſolute dicat definitiones eſſe accidentiam; immo inquit non eſſe definitiones, vel ſi ſint, eſſe ſecundum quid, improprie ſcilicet, imperfecte, & ex addito, vnde illo 19. habet Auerroes, quod rationes allatæ, vt probarent accidentium eſſe definitionem, ſunt logicæ, quoniam quoquo modo probant, nam probant eſſe, & non eſſe, eſſe ſecundum quid, non eſſe proprie, ac ſimpliciter; Immo vero Aphrodiſæus ex eodem textu elicit, dicere Ariſtotelem non ſibi omnino placere accidentium eſſe definitiones, quod ſi quis contendat, vt ſint, eo modo ſunt, quem explicatum reliquimus.

Ariſtot. Qua definitione gaudeant accidentia. Auerroes. Alexander.

Hinc non mihi probatur modus loquendi Aquarij, quando dilucidatione 3. ſeptimi Diuinorum, concluſione prima aſſerit, quando accidentia definiuntur definitione quidditatiua formali, in eorum definitione non poni ſubiectũ, nam ſi nomine quidditatiuæ definitionis accipiat eam, quæ omnia accidentis dicat, ipſum limate & plene definiens, falſum eſt tale dictũ, neque eſt ad mentem ipſius, nam ſecunda concluſione deinceps ait, quod dum definiuntur definitione formali, materiali, & reſpectiua, tunc oportet aliquo modo ponere ſubiectum, vel determinate ſcilicet, vel confuſe; At reuera ſi fuerit definitio proprie quidditatiua, tunc omnia hæc continebit; Adde, quod in ratione formali accidentis clauditur inhærentia aptitudinalis ad ſubiectum, quare in hoc propoſito non eſt diſtinguenda definitio formalis quidditatiua, à definitione reſpectiua, quoniam in illa continetur iſta, ſaltem aptitudine, immo apud hunc doctorem actu etiam, vult enim vt diximus, inhærentiam quoque actualem eſſe de accidentis eſſentia; Quomodo igitur poteſt, vel formaliter, vel quidditatiue, & multo minus vtroque modo definiri abſque ſubiecto?

Nonnulla de Aquario.

Probationes huius aſſertionis non eſt vt adducam, cum dixerim ab Ariſtotele, & ab omnibus peripateticis edoceri, vijs tamen declaratis, & neceſſario ſequitur ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperiori membro quæſtionis, nam ſi eſſentia accidentium eſt incompleta, vt dicebat ſecunda concluſio, & ideo incompleta, quoniam non abſoluta à ſubiecto, cum hoc in ſua eſſentia ſemper reſpiciat, vt aſſerebat tertia, neceſſario colligitur, vt definitionem habeant incompletam, quæ conſecutio patet, tum ex prioribus obſeruationibus ad hanc literam, tum ex titulo huius quæſtionis, quare &c.

Quo ad quintum: Satis patuit quid dicendum ſit ad primum primæ ſententiæ, eſt enim falſa minor propoſitio, in qua dicitur, omnem inhærentiam eſſe relationem, nam inhærentia aptitudinalis quantitatis nihil aliud eſt, quam ipſa quantitas, & ſic de alijs; Ex qua eadẽ doctrina ruit confirmatio, nam accidentia abſoluta dicuntur entia in ſe, non prout ly *in ſe* diſtinguitur contra eſſe in alio, ſed ſolum vt contra eſſe ad aliud, ita differunt à relatione, &c.

Ad ſecundum negatur conſecutio, quoniam eſſe *in*, eſt diuerſarum rationũ; & eſt analogum ad nouem genera accidentium. Rurſus, nullam determinatã

naturam

naturam dicit, quare nequit eſſe genus, in quo generaliſsima conueniant, &c.

Ad tertium fatemur, album ſolam qualitatem ſignificare, ſed in ipſamet qualitate clauditur intrinſece aptitudinalis inhærentia, nihil enim reale ei addit, vt dictum fuit, licet aliquando non ſit neceſſe, vt explicite, & de formali ſignificetur, & præterea inſpicienda eſt res ſignificata, & modus ſignificandi, de quibus plene loco in argumento allegato.

Ad confirmationem dicitur, quod licet ſubiectum non ſit de eſſentia accidẽtis, habitudo tamen ad illud eſt de ſui eſſentia; Et quamuis accidentia proprio genere, & propria differentia gaudeant, horum tamen vtrumque in ipſis reſpicit ſubiectum, quoniam entitas illa, cuius ſunt genus, & differentia, non eſt à ſubiecto abſoluta.

Ad quartum ex eadem doctrina patet ſolutio; ſunt ſiquidem entia propria entitate, & ens analogice, formaliter tamen dicitur de ipſis, & de ſubſtantia, ſed eorum entitas eſt diminuta, atque incompleta, ſubiectum reſpiciens, ab eoque pendens. Ad confirmationem priorem dicitur, quod eſſe in alio actu, eſt affectio accidentis, & proprietas, at eſſe rem talem, quæ ſit apta nata eſſe in alio, eſt ipſamet natura accidentis; Sic huius argumenti confirmatio probat noſtram poſitionem, quod ſcilicet actualis inhærentia non ſit de eſſentia accidentis, non tamen probat de aptitudinali, & iuxta hanc duplicis inhærentiæ diſtinctionem videbis, quæ omnia adfert Zimara locis illis penitus collabi; Soluitur & ſecunda confirmatio, quonia in accidentibus ſanctiſſimæ Euchariſtię aufertur actualis inhærentia ad ſubiectum, cum per ſe ſubſiſtant, in nulloque ſint, vt in ſubiecto, ſaltem ipſa quantitas, at non aptitudinalis, ſemper enim ſunt eiuſmodi naturæ, quibus ſecundum ſe, & vt ſic acceptis debetur illa inhærentia, vt ſcilicet reſpiciant ſubiectum, &c.

Eſſe in, quo modo ſe habeat ad accidens.

Ex hoc eodem fundamento patet reſponſio ad primum ſecundæ ſententiæ quicquid enim multi dicant, vt dicta illa explicẽt, dic tu vt innuebatur tertia quæſtionis parte, quod accipiuntur de inhærentia aptitudinali, nõ actuali, ſic accidens eſt ens, quoniam reſpicit aptitudinaliter ſubiectum, quia eius eſt aptitudinaliter ineſſe, quoniam inquam eius natura non eſt, vt inſit actu, ſed vt ſibi debeatur ineſſe; Eodem modo dicas ad confirmationem, quod omnia Ariſtotelis loca intelliguntur de inhærentia, ſeu ſeparabilitate aptitudinali, quantũcumque enim actu à ſubſtantia ſeparentur, numquam ita ſeparantur, quin ipſam reſpiciant, & quin eis vt ſic non conueniat, vt ſint apta ineſſe; Num vero cognouerit Ariſtoteles, vt actu poſſint à ſubſtantia ſeparari, ac per ſe ſubſiſtere, hoc alienum eſt ab hac conſideratione, ſufficiat, quod eſſe in alio non aſsignauit naturam accidentium, ſed modum, & proprietatem eorum naturam inſequentem; Vtrum aute hæc proprietas, hic modus ſit ab eis inſeparabilis, nihil ad noſtram quæſtionem, quæ accidentium naturam ſcrutatur.

Senſus locorũ Ariſtotelis.

Ad ſecundum dicitur, quod accidens eſt formaliter inhærens inhærentia propria aptitudinali, non actuali, dum autem actu inhæret, inhærentia hæc, & reſpectus formalis, vel actualis ſeipſo inhæret accidenti, ſic in eo datur ſtatus, neque vlterior eſt requirendus progreſſus, non enim talis reſpectus inhæret vt *quod*, ſed vt *quo*, vnde non eſt eadem ratio de accidente quod inhæret, & de inhærentia illa actuali, quoniam illud per hanc inhæret, hæc vero ſeipſa.

Ad tertium negatur conſeqnentia, quoniam in accidente quoque actualiter accepto clauditur eſſentialiter aptitudinalis habitudo ad ſubiectum, quod ſi conſideretur ſecluſa tali aptitudine, tunc non vt accidens vere, ac formaliter

ſpecta-

ſpectatur, ac valde diminute, & ſi aliqua eius definitio per genus proximum poſſit haberi, in qua non expreſſe cadat ſubiectum, non tamen dabitur adæquata definitio, in qua aliqua via non habeat locum ſubiectum, vt circa quartam quæſtionis partem adnotatum reliquimus.

Argumenta, quæ tertiam opinionem firmant, & concedimus, & docemus, ſicut docemus, & concedimus illa prioris ſententiæ, quatenus probant inhærentiam actualem non eſſe de eorum eſſentia, & illa poſterioris opinionis, quatenus oſtendunt aptitudinalem eſſe de illorum eſſentia, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum in compoſito ſit unica forma ſubſtantialis.

CIRCA tertiam partem, vbi varia diſcrimina adferuntur inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, quorum primum, ac præcipuum illud eſt, quod receptiuum formæ ſubſtantialis, materia ſcilicet non habet eſſe per ſe, vnde forma ipſa aduenit materiæ nudæ, & quæ pura eſt potentia, vt latius patuit in obſeruationibus ad hanc eandem partem, ex quo deinceps proueniebant alia, vt eiſdem obſeruationibus dicebatur, moueo quæſtionem percelebrem, & omnium ferme quæſtionum metaphyſicalium perreconditam, & difficillimam, num ſcilicet forma ſubſtantialis vniatur materiæ nudæ; Quam ſane non ſemel quæſtionibus ad tertium caput libri, & alibi polliciti ſumus definire, pro cuius reſolutione, explicato primo loco ſenſu, ac intelligentia ipſius, adferam deinde opiniones minus veras, earumque rationes firmiores, tertio veritatem aperiam, & declarabo, quarto eandem probabo, quinto argumenta in contrarium pro opinionibus ſingulis inducta confutabo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſub hanc quæſtionem cadat.

TVnc vere materia dicitur nuda, ac pura potentia, nullumque habere eſſe, ſi omni actu fuerit deſtituta, quoniam autẽ duplex poteſt eſſe actus, ſubſtantialis ſcilicet, & accidentalis, & hic varius, iuxta accidentium varietatem, erit primo quæſtio, num receptiuum formæ ſubſtantialis ſit ita nuda materia, vt nullam aliam formam ſubſtantialem habeat annexam, deinde erit alia quæſtio, num ſuppoſito quod ita fuerit, ſaltem recipiatur in materia ſub aliquibus accidentibus manente, & præcipue ſub interminatis, vt ibi declarabitur; videbimus enim permultos docentes in materia nuda omni forma ſubſtantiali recipi formam, non autem nuda omni accidente, quibuſdam ponentibus quantitatem, quibuſdam accidentia alia. Quæ materia nuda.

Quæſtio itaque eſt de omni forma abſolute, quæ vnitur materiæ, nõ de hac, vel illa, nam omnes tandem concedent, aliquam formam vniri materiæ omnino

nudatæ

nudatæ quæuis alia forma, vel illa fuerit corporeitatis, vel mixtionis, & ij etiã qui corporeitatem materiæ coæternam poſuerunt, ſaltem ſecundum rationẽ, ac conſiderationem, eandem nudæ materiæ ſemper adfuiſſe ſunt imaginati. Vnde nos quærimus de omni forma, an dum materiæ vnitur, oporteat formam illam ſub qua erat materia, (numquam profecto materia abſque forma exiſtit) recedere, ita vt ipſi ſub nulla forma exiſtenti vniatur; Sic ad hoc facit, quod ſolet perueſtigari, num in ſubſtãtiali corruptione fiat reſolutio vſque ad materiam primam; ſi enim nihil generatur, quin aliud corrumpatur, cum vnius generatio ſit alterius corruptio, ex tertio Phyſic. 73. & primo de Generatione 17. & 18. dum inducitur aliqua ſubſtantialis forma in materia, tunc fit rei generatio, quod ſi hæc forma vniri debeat nudæ materiæ, iam in corruptione præcedenti fit reſolutio vſque ad materiam primam, nihil pro nunc ſecernendo inter materiam primam, & nudam, quamuis ex hac quæſtione non nihil diſcriminis ſubindicari debeat, nunc enim per has voces nihil aliud accipimus, quam materiam omni forma orbatam. Et hoc eſt, quod clarioribus verbis ſolet explicari, dum ſcilicet quæritur, an in compoſito ſubſtantiali ſit tantum vna forma, vel plures, nam ſi omnis ſubſtantialis formæ receptiuum ſit pura potentia, ac ſola materia, iam vnica forma eſt in compoſito, ſin autem eius receptiuum maneat ſub aliqua alia forma, iam formarum pluralitas neceſſario infertur.

Quomodo varie quæſitum hoc indagari ſoleat.

Illud autem aduertas, quod cum forma in propoſito poſſit eſſe in duplici differentia, vel ſcilicet partialis, hoc eſt, partis tantum alicuius informatiua, vel totalis, hoc eſt, compoſiti totius forma, ei eſſe præbens, in præſenti de forma ſolum totali eſt meæ intentionis inquirere, non autem de partiali, ita non quæremus, num in varijs partibus organicis, puta in capite, in neruis, in oſſibus, in vnguibus, in epate, &c. ſint variæ formæ ſubſtantiales, nec num in ſanguine, & alijs tribus humoribus, nec num formæ elementorum ſeorſum ſint actu in mixto, hæc enim omnia qui definire vellet, in immenſum emergeret quæſtio; quod forte animo voluens Caiet. hoc loco, poſtquam hanc innuit quæſtionẽ, ab eadem in præſenti abſtinuit, dicens nimis eſſe amplam, & ad eius plenam reſolutionem multos fore quinternos implendos, vnde quæſtionem noſtram reſtringentes, eidemque cancellos ſuos præfinientes, in formis ſolum totalibus immorabimur.

Caietanus.

Sed & cum tria ea appareant, in quibus præſens difficultas locum habere poſſet, elementa nimirum, & corpora mixta inanimata, & viuentia, vt quæſtionem quoad fieri poſsit minus vagantem, & compreſſiorem intueamur, ad viuentia ſolum eam extendimus, nam in corporibus ſimplicibus nemo fortaſſis poſt eos, qui corporeitatem à materia inſeparabilem dixerunt, formarum pluralitatem locauit, multi etiam pluralitatem formarum in mixtis ſtatuentes, ab his ea quę vita carent ſemouerunt, de quorũ numero videtur extitiſſe Henricus quolibeto ſecundo, quæſt. 2. & 3. & quolibeto quarto, quæſt. 13 & 14. & Scotus quarto ſent. diſt 11. quæſt. 3. & de viuentibus dumtaxat ſunt locuti, quos poſtremò ſecutus eſt Zabarella libro de communi rerum generatione, & interitu cap. 2. Vnde nihil eſt, quod ea in quibus præcipui ex aduerſarijs in hoc nobiſcum conſentiunt diſcutiamus, cum præcipue ex facienda deciſione latiſſime patere debeat, quid in quouis compoſito de formarum pluralitate ſit dicendum.

Henricus. Scotus. Zabarella.

Denique cum forma bipartita adhuc eſſe poſſit, altera, quæ ſit anima, non quoduis eſſe tribuens, ſed viuum, & animatum, altera, quæ vitæ expers, eſſe

purum

purum ſubſtãtiæ vt ſic largiatur, de vtraque poteſt eſſe difficultas, num ſcilicet in viuentibus ita ſint plures formæ, vt ſint plures animæ, vel ita plures, vt earum vna tantum anima ſit, alia autem, vel aliæ ſint formæ, eſſe preciſe ſubſtantiale tribuentes; Et quamuis perpaucos inuenerim, qui animarum pluralitatem in vllo compoſito doceant, vnicum tamen verbum de hoc erit; illud monentes, noſtram hanc difficultatem in eo potiſsimum verſaturam, num in viuentibus præter formam à qua habent eſſe viuum, ſit alia forma, à qua habeant eſſe corporeum, vel ab illa priori habeant vtrumque, quod enim in ipſis detur anima, nullus in quo viuat ratio dubitat, ſed aliqui hæſitant, & plerique docent præter animam dari & formam corporeitatis.

Quæritur itaque, num omnis illa forma, quæ totius eſt informatiua, adueniat materiæ ſub nulla alia forma ſubſtantiali exiſtenti, & ſic in quauis ſubſtantiali corruptione fiat reſolutio ad materiam primam, vel nudam, vel in viuentibus ſit vna tantum forma ſubſtantialis, an plures, vel mere ſubſtantiales, vel animæ, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quam varie circa hoc opinatum fuerit.

NOnnulli in homine ſtatuunt plures animas, alij in omni viuente vnicam animam, ſed huic addunt aliam formam, quam corporeitatis appellant, & hi bipartiti ſunt, quibuſdam eam materiæ coæternam, ab eademque inſeparabilem ſtatuentibus, aliquibus vero particularem, ab eaque ſeparabilem, & ad cuiusque viuentis generationem generari, non autem ad cuiuſque corruptionem mox corrumpi aſſeuerãtibus, alii denique, quot prædicata quidditatiua in aliquo conſpexerunt, tot in eodem ſubſtantiales formas multiplicarunt.

Sententiam illam, quæ plures animas ponit, commemorauit Ariſtoteles primo de Anima 90. & 91. & tertio eiuſdem 41. & videtur fuiſſe Platonis quarto de Republica, vbi ponit tres in nobis animas, & tria operationum noſtrarum principia, inquiens, vno nos diſcere, iraſci alio, & tertio concupiſcere; Nono quoque eiuſdem tres animæ partes ſimiliter ſtatuit, quarum primam dicit illam qua homo diſcit, ſecundam qua iraſcitur, tertiam, (licet excuſet ſe, quia non poſſit proprium eius vocabulum habere) cõcupiſcibilem vocat, & cuique harum animarum, ſeu animæ partium propriam aſcribit voluptatem. Si etiam credamus Auicennæ ſexto naturalium, parte 5. cap. 7. aliqui philoſophi fuerũt, qui plures animas in homine locarunt, quos renouauit Paulus Venetus ſumma de Anima 5. cap. 5. plures docens in homine animas eſſe. Poſitionem Manichæorum duas animas homini concedentium, alteram bonam, alteram malam non recenſeo, cum ſit manifeſta hæreſis.

Ariſtotel. Mens Platonis.

Auicenn.

Poteſt illa ſententia cõfirmari primo; Quoniam vbi ſunt duæ actiones omnino diuerſæ; ibi duos terminos aſſignare oportet, at dum producitur homo, adſunt duæ actiones, generatio ſcilicet, & creatio, ergo duo erunt termini, ſed anima intellectiua eſt terminus creationis, ergo aliqua alia anima ponenda eſt, quæ terminet generationem, nam generatio hominis, eſt generatio viuentis. Neque valet, ſi dicatur has actiones eſſe ſubordinatas, non enim poſſunt in ter-

mino communicare, nam ſi ponas terminum vtriuſque eſſe compoſitum, iam homo crearetur, ſi formã, iam anima intellectiua ex ſemine formaretur, cum enim interueniat & generatio,& creatio,ſi vtriuſque idem terminus adferatur, idem de vtroque dicendum erit.

Secundo, Si nulla datur in homine anima præter intellectiuam, tunc homo non generaret hominem, falſitas conſequentis eſt contra omnem philoſophiã, & Ariſtotelem vbique clamantem, Solem, & hominem generare hominem; & contra communem modum loquendi, quo dicitur hic pater genuiſſe illum filium, probatur autem conſequentia, quoniam vt dicebatur, generatio hominis,eſt generatio viuentis, & per generationem acquiritur eſſe, ſed homo nullum eſſe hominis poteſt attingere, quoniam anima intellectiua à Deo tantum creatur,ſic ipſam non generat homo, & nulla alia eſt anima, ergo &c. Dicetur forſan ex communi reſponſo,quod homo eatenus dicitur generare hominem,quatenus diſponit ad vnionẽ animæ cum corpore; Sed contra, tum quoniam homo iam concurreret ad creationem,quod abhorrent omnes Theologi, & Auctor præcipue, & patet conſequentia, quoniam dum infunditur anima corpori creatur, vnde cooperans homo ad hanc infuſionem, cooperatur creationi, tum quoniam homo deterioris foret conditionis, quam bruta animalia, hæc enim generando introducunt vere formam in materia, tum quoniam falſum eſt ab homine has diſpoſitiones produci, ab eo enim producitur vltima diſpoſitio, à quo forma;ſiquidem vltima diſpoſitio ad formam,& forma ſunt in eodem genere, quod ſi homo non attingat intellectiuam animam, neque vltimas ad eandem inducet diſpoſitiones.

Ariſtot.

Tertio, Sæpius in hoc opere dictum eſt, quod ex operationibus deuenimus in cognitionem formæ, ſic enim quæſtione vltima 4. cap. ex hoc fundamento probabamus in vnoquoque homine eſſe intellectum poſſibilem,& agentem, ſimiliter quæſt. 7. ad quintum cap. probabamus in cęlo non eſſe animã vegetalẽ, & ſenſilem, & intellectualem, ſed in homine vnuſquiſque videt operationes trium, quas modo enumeraui animarum, igitur triplex hæc anima in eo inuenitur. Si dicatur has omnes functiones ab anima intellectiua proficiſci, in qua eminenter duæ illæ animæ claudantur,tunc poſſet primo dici ad quæſtionem illam de pluralitate intellectus ſufficere,vt homini eminenter vniatur, & deinde nedum eminenter, ſed & formaliter homo eſt corporeus, vegetalis, & ſentiens,quamobrem quid formaliter tale in ipſo oportet aſſignare.

D. Thom.

Tandem, Docet ſæpenumero Auctor, docebimus & nos his quæſtionibus, quod in generatione hominis plures intercedunt generationes,quoniam primo adeſt embrio,deinde anima vegetatiua,mox ſentiens, & demum intellectiua,quare omnes hæ animæ in homine inſunt. At reſpondetur,quod in aduẽtu intellectiuæ præcedentes animę corrũpuntur; Sed tunc eſt argumentũ,quoniã fruſtra animæ illæ fuiſſent inductæ, nihil enim in materia reliquerunt,quod ſi quid reliquerunt, iam non vnitur anima materiæ nudæ; Præterea non eſt aſſignare à quo corrumpantur, cum nullum ibi adſit contrarium; cumque ſucceſſiue fuerint introductæ, mirum eſt, cur temporis momento corrumpantur, & denique non bene conſuluiſſe videretur natura,ſi in gratiam introductionis vnius formæ, tot formarum requirerentur corruptiones, &c.

Sententiæ quæ ſecundo loco memorata eſt, auctor creditur Auicennas,qui primo ſuæ Sufficientiæ,cap. 2. docet in materia ineſſe quandam formam ſubſtãtialem, merito cuius eſt quoddam corpus interminatum, ex quo deinceps determina-

terminata compoſita emergunt, ratione formarum particularium, & hanc formam non vult ab aliquo agente particulari in aliquo tempore productam, neque in corruptione corrumpi, velut neque materia in qua ineſt generatur, aut corrumpitur, & vocatur forma corporeitatis, quoniam ab ipſa habet materia, vt ſit corpus, & vt tantum ſit corpus; Quæ poſitio poteſt ſuaderi

Primo, Quoniã ſi variæ, ac diuerſæ formæ particulares debeant in materia introduci, oportet vt in varijs, ac diuerſis eius partibus recipiantur, ergo in ipſa præſupponitur quantitas, cum ab hac ſit omnis materialis diuiſio, ergo forma corporeitatis, cuius quantitas eſt propria affectio; Et præterea cum ſit de ſe pura potentia, nequit in ea, vt in ſubiecto eſſe quantitas, vnde aliqua forma eſt in ipſa conſtituenda, per quam ſit in actu, & merito cuius poſſit eſſe ipſius quantitatis ſuſceptiua; Et confirmatur, quoniam materia eſt æterna, & numquã non fuit, ergo exiſtentiam æternam ei tribuere debemuſ, cumque eam de ſe nõ poſſit habere, aliqua forma eſt ei inſeparabiliter accommodanda, &c.

Deinde, Tradũt vniuerſi, formas educi ex gremio materiæ, at ſi nulla forma ponatur in ipſa, quomodo ex pura potẽtia poterũt extrahi actus? quare vel generantur formæ ex nihilo, & hoc nõ, pugnat enim quidpiã ex nihilo generari, tunc enim eſſet creatio, non generatio, ergo ex aliquo, at hoc nequit eſſe pura materia, quare, &c. Cõfirmatur, quoniã ſi hæc forma ponatur in materia perpetua, extricamur à difficilibus quæſtionibus, quomodo ſcilicet numquã contingat materiã eſſe ſine forma, & quomodo non ſit ob hoc neceſſum, vt eodem inſtanti quo expellitur forma abijcienda, introducatur quę ſequitur forma, &c.

Opinionẽ tertio loco recenſitã multi docẽt, & pręcipue Hẽricus, & Scotus, & diebus noſtris Zabarella locis allegatis in tituli enodatione, volentes in quouis viuente vltra animam à qua habent vt ſint viuentia, inueniri in materia formam hanc corporeitatis, & dum corrumpuntur viuentia, neutiquã mox hanc formam corrumpi, ſed multo tempore perſeuerare eandem, donec diſſoluatur corpus in elementa, quamque volunt, vt ſe habeat ad formam ſpecificam, tamquam diſpoſitionem præuiam, & in ipſa materia neceſſariam; Pro qua poteſt argui *Hẽrici, Scoti, & aliorum opinio.*

Primo, Quoniã forma nobilior, nobiliorem, & elaboratiorem materiam poſtulat, quare anima cum ſit forma præſtantiſſima, non debet recipi immediate in materia prima, ceu recipiuntur formæ quoque elementorum, ſed in materia magis exculta, & elaborata, & hæc erit materia formata forma mixtionis, ſiue corporeitatis. Confirmatur, quoniam propria materia animæ eſt corpus; ſic enim 2. de Anima 6. definitur actus corporis organici, quare nõ materiæ nudæ, ſed corpori organico aduenit anima, &c. *Ariſtot.*

Præterea, Decedẽte anima ab aliquo viuente, non decedit forma corporeitatis, ergo hæc forma non eſt illa, cõſequentia eſt clara, & antecedens probatur, videmus enim idem corpus eſſe poſt mortẽ, quod erat animali viuente, & ſic iudicant omnes, quos nõ eſt dicendum decipi, Si dicatur, quod generatur forma cadaueris ſimilis corpori præexiſtenti, tunc inſtatur; Quoniam nequit idem effectus ſpecie produci à mille diuerſis agentibus, liquet autẽ, quod quacumque de cauſa, & à quocumque eueniat, vt moriatur animal, & quoduis animal, ſem per eandem videmus formam induci; Et rurſus non datur hæc forma cadaueris, quoniam inquit Zabarella cap. 3. libelli illius, omne inanimatum eſſe homogeneum, eſt enim proprium viuentium, vt ſint heterogenea, cadauer autem eſt heterogeneum, quare nequit habere ab vna aliqua forma vt ſit tale, vnde nõ *Zabarella.*

eſt vnum corpus,ſed plurium corporum congeries, quorum ſingulum homogeneum eſt, propria mixtionis forma conſtitutum, vnde nequit dici, vt producatur tunc vna cadaueris forma, &c.

Tertio, Si ponatur materia nuda quauis forma ſubſtantiali, non erit maior ratio, cur in ea inducatur hæc forma, vel illa, ſic in materia leonis poterit induci forma bouis, ſic quodlibet fiet ex quolibet, & tunc peribit, quod pluries clamat Ariſtoteles, & omnes philoſophi, propriæ ſcilicet materiæ propriā vniri formam, & actus actiuorum fieri in patiente apte diſpoſito.

Dictum philoſophorum.

Quarto, In animali ſunt duo motus naturales diſtincti, alter qui fit ab anima, vt progreſſio, alter proueniens ex elemento, quod præualet, & dominatur, vt ſi animal demittatur ex loco ſublimi, mox conſpicitur deorſum petere, quem plane deſcenſum, vel alios eiuſmodi motus nequimus tribuere animæ, & nihil vanius hoc dici poſſe ait Zabarella cap. 2. quoniam potius repugnat animæ, quam eam ſequatur; ſed & dormiens animal cadit, & cadauer eodem motu fertur, quare nequit in animam reduci.

Zabarella.

Vltimo, vt argumentū Scoti theologicū immiſceamus, niſi ponatur forma corporeitatis diſtincta ab anima, corpus Chriſti mortuū, non fuiſſet idem quod viuum, tunc enim nulla eadē forma exiſtente, nequit ſaluari identitas corporis viui, & mortui, & tamen docēt omnes idē extitiſſe corpus; Confirmatur, quoniā fatentur omnes theologi, in conſecratione corporis Chriſti, dū panis cōſecratur, adeſſe ex vi conſecrationis ſolū corpus, reliqua vero ex naturali ſequela, & cōcomitantia, (quæ eſt doctrina ſacri Tridentini Cōcilij, ſeſſione 13. cap. 3.) at ſi nulla alia ponatur forma vltra animā intellectiuam, iam ex ui cōſecrationis ſub ſpecie panis, nihil aliud adeſſet, quā materia prima, non autem corpus, vel alia forma, ſiquidē nō adeſt anima intellectiua, & nulla alia forma ponitur &c.

Conc. Trid.

Denique ſententiā vltimo adductam docuit Auicebron auctor libri fontis vitæ, vt refert Auctor primo de Generat. ſuper tex. 24. & opuſculo 11. art. 5. quippe qui in materia ſtatuebat ordinē formarū, dicens primo ei aduenire formā, ſecundū quam eſt ſubſtantia, mox aliā, ſecundū quā eſt corpus, deinde aliā, ſecundū quā eſt animatum corpus, & ſic de alijs, vnde iuxta ordinē prædicatorum eſſentialium, & quidditatiuorum, varias formas locabat, quem fortaſſis ſecutus eſt Iaudunus quæſtionibus illis multis, quas commemoraui prima quæſtione ad tertium caput huius libri, in quibus dicebat genus, & differentiā à varijs formis deſumi, & ſpeciem realiter ex vtroque eſſe compoſitam.

Auicebron

Iandunus.

Apparet autem poſitio hæc poſſe in eo fundari, quod ſæpe ab Ariſtotele cōſueuit forma vocari quodquideſt, vbi igitur erūt varia quodquideſt, variæ quoque erunt formæ, ſed omne prædicatū eſſentiale eſt quodquideſt, cū ſit obiectū intellectus, & ſeorſum ab alio poſſit intelligi, quare &c. Confirmatur, quoniam ſi per eandē formā qua homo eſt homo, eſt quoque animal, iam homo vt ſic, & quatenus homo, eſſet animal, & ſic quicquid ei conueniret vt homo, conueniret eidem vt animal, & ita homo cum vt homo ſit riſibilis, ratiocinatiuus, omne animal eſſet riſibile, & ratiocinatiuum, &c. Confirmatur vlterius, nam ab eadem forma nequit prouenire, vt quid ſit diſſimile, & ſimile, niſi ponatur idem eſſe cauſa contrariorum, ſed homo vt homo, eſt diſſimilis à leone, ſimilis autem eidē vt animal, igitur ab alia forma habet vt ſit ſimilis, ab alia vt diſſimilis, &c.

Rurſus habet Ariſtoteles ſecundo Diuinorum 10. in cauſis formalibus non dari proceſſum in infinitum, quoniam in prædicatis quidditatiuis nō datur talis proceſſus, vbi idem iudicium facit de pluralitate formarum, & de pluralitate

Ariſtotel.

eſſentia-

eſſentialiũ prędicatorum, hinc poſitio hæc videtur ex doctrina ipſius emanare.

Tertio, Videmus hæc prædicata ita ſe habere, vt vnum ſit alio ſuperius, ab vno ſumitur genus, ab alio ſpecies, ab alio differentia, non igitur ab vna forma poſſunt deſumi, niſi dicamus idem eſſe genus, & ſpeciem, & differentiam, idem eſſe vniuerſale, & particulare, & alia ſimilia, quæ de vno, & eodem nullatenus ſunt enuncianda, &c.

Hæc de opinionibus varijs, earumque firmioribus fundamentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Statuitur, & declaratur uera ſententia.

ANtequam hoc negotium definiatur, præmitto primo, quod pauca admodũ argumẽta adduxi pro quattuor relatis ſententijs, quoniam copioſe nimis multiplicari ſolent, immo vero quod docent præfatæ poſitiones, ſub diſtinctis quæſtionibus ſeparatim à nonnullis diſputatur, nos tamen breuitati ſtudentes, hæc omnia ſub vna quæſtione decreuimus tractare, & efficaciora dũtaxat fundamenta referre, alia enim à pleriſque antiquioribus, & recentioribus adducũtur; Nihilominus ea pro veritatis declaratione, & pro argumentis inductis cõfutandis adferam, ex quibus alijs etiam fiet ſatis difficultatibus.

Præmitto deinde pro hac quæſtione, & duabus, quæ proxime ſequentur, quod ab omnibus ferè doctiſſimis thomiſtis doctiſſime definitæ fuerunt, & omnia propemodum, quæ vel ſoleant, vel poſſint in contrarium adduci, diſſoluta ſunt, & contrariæ ſententiæ ſufficienter impugnatæ manent, vt proinde minus neceſſariæ videri poſſint noſtræ hæ quæſtiones; Quoniam tamen nonnulli, & præcipue recentiores multa attulerunt, & quotidie adferunt argumenta, illud harum quæſtionum deciſione præſtabo, vt commonſtrem omnia, aut formaliter aut virtute fuiſſe confutata à noſtris, aut ex eorum doctrina poſſe confutari. Quæ promittat Auctor in his quæſtionibus.

Hinc ſi cupias videre oppoſitarum opinionum, & omnium prope earundem argumentorum euerſionem, lege Auctorem quæſtione de Anima, art. 11. & quolibeto primo, quæſt. 4. ar. 6. & 11. ar. 5. & opuſculo de compendio theologiæ, (quod alij ſecundum, alij tertium faciunt,) cap. 90. 91. & 92. & ſecundo contra Gent. cap. 58. & 4. eorundem 81. & prima par. quæſt. 76. art. 3. 4. & 6. Sed vide ipſum potiſſimum opuſculo 45. cui titulus eſt de pluralitate formarũ, vbi reijcit omnino contrarias poſitiones, & quas omnes inſtantias contra rationes ſuas alij deinde adduxerunt, præuidit, & formaliter, ac pereleganter diſſoluit, vt iure merito Toletus Cardinalis quæſtione ſua 15. ſuper primũ Phyſ. opuſculum illud, aureum vocauerit, & non mediocri ſit dignum admiratione, ipſum ab aduerſarijs, parum adeo fuiſſe animaduerſum. D. Thom. Toletus.

Inter eius diſcipulos, vide Capreolum in ſecundo, diſt. 15. quæſt. prima, vbi infinita ferme argumenta ſcite reiecit, Caiet. quæſt. 16. & 17. huius libelli, & prima par. ſuper memoratos art. & ſecundo de Anima, cap. primo, vbi formæ vnitatem in compoſito egregie probat, & præcipua magis in contrarium argumenta ſoluit; Ferrarienſem priori illo loco cont. Gent. Soncinatem octauo Diuinorum, à quæſt. 8. vſque ad 17. remota 16. Flandrienſem ſeptimo eorundem, quæſt. 17. ar. 4. & 5. & quæſt. 24. ar. 4. & 6. & 8. eiuſdem ſcientiæ, quæſt. 5. ar. 2. Iauellum eodem 7. quæſt. 13. & 19. & eodem 8. quæſt. 2. 3. & 4. Aquarium eiſdem Capreol. Caietanus. Ferrarien. Soncinas. Flandrien. Iauellus. Aquarius.

eiſdē libris, dilucidatione 17. prioris, & prima, ac tertia poſterioris, Bartholo-
Spina. mæum Spinam defenſionibus 15. 16. & 17. ſuper 43. eiuſdem ſeptimi, Medinā
Medina. tertia par. quæſt. 50. ar. 5. & denique Banneſium primo de Generatione, cap.
Bannes. 4. à quæſt. 8. vſque ad 11. vbi per 12. art. quæ omnia ferè poſſunt toto hoc negotio deſiderari, docte legis definita.

Extra ſcholam vero Auctoris multos inuenies, qui formæ ſubſtantialis vnitatem doceant, & generans attingere nudam materiam, in eandemque reſolui ſubſtantialem corruptionem, conſentanee huic quæſtioni, at omnes quaſi audies docentes in materia remanere aliquod accidens, vel de genere quantitatis, vel de genere qualitatis, de quibus inferius hac, & proxime ſequentibus quæſtionibus erit ſermo.

His itaque præmiſſis: Hanc quæſtionem definientes, vnicam ponamus concluſionem, quæ contraria quattuor nominatis ſententijs, ita loquatur. In vno-
Concluſio. quoque compoſito ſubſtantiali viuente, ac proinde in homine vna dumtaxat ſubſtantialis forma reperitur, ſic omnis forma vnitur materiæ nudæ, atque ideo eius receptiuum non habet eſſe per ſe, at pura eſt potentia.

Vt hanc concluſionem plene intelligas, nota primo, quod velut habetur ex
Ariſtotel. octauo Diuinorum 10. formæ ſubſtantiales ſe habent ad inuicē, ſicut numeri, vnde quemadmodum maior numerus continet minorem; (in ternario profecto cernis cōtentum binarium,) ita maior forma continet minorem. Vel cum eodem Philoſopho ſecundo de Anima 31. dicamus, quod ſe habent vt figuræ, vt enim maior continet minorem, (in quadrato enim clauditur triangulus) ita, latior forma claudit minorem; Dum autem maiorem, minoremque formam audis, noli intelligere magnitudinem molis, ſed virtutis, ac perfectionis, ſic perfectior, & ſuperior forma claudit in ſe inferiorem, & minus perfectam; & hoc vniuerſim in omnibus inuenitur, vt quæ in inferioribus diſperſa ſunt, ea in ſuperioribus vnita contemplemur, ceu ex inductione manifeſtabamus quæſtione ſecunda ad ſextum caput. Nullus autem negabit, quod inter formas, quæ materiæ vniuntur, primaria ſit anima rationalis, illa vero corporeitatis, vegetalis, ac ſentiens, eadem ſunt inferiores; quocirca anima intellectiua in homine
Quot, & quomodo contineat anima intellectiua. ea omnia, quæ ſunt harum formarum continebit, ab ipſaque earundem munia, & operationes omnes emanabunt; Nedum autem continebit eminenter, & in genere cauſæ effectricis, ſed etiam formalis, vt proinde ab ea, tamquam à cauſa formali prodeant formaliter formales aliarum formarū effectus, ſi ſermo ſit de animabus, nam eſſe corporeum claudit eminēter, ſicut etiam eſſe quantū, extenſum, diuiſibile, & id genus; attamen formaliter per ipſam compoſitū eſt omnia
Multa de eadem anima intellectiua. hæc, quoniā enim ipſa eſt formaliter indiuiſibilis, & diuiſibilis virtualiter, (mediat enim inter intelligentias, & inter materiales omnino formas, & illæ nullo modo diuiſibiles, hæ autem pure diuiſibiles,) propterea ex formali indiuiſibilitate habet, vt nō ſit quanta, nō extenſa, ex virtuali autē diuiſibilitate obtinet, vt faciat ſuppoſitum formaliter quantum, & extenſum; Ratione cuius formalitatis, & virtualis continentiæ diſtinguitur a ſeipſa, prout eſt actus corporis, & prout excedit corpus, & merito primi, habet organa corporea, merito ſecundi, nullo tali inſtrumento vtitur; Sub prima ratione, ab ea vt à principio profluūt actiones omnes, quæ ſpectant ad partem ſenſilem, & vegetalem, ſub ſecunda, quæ ad intellectionem; Sic permulta audies circumferri argumenta, quæ probabunt diuerſitatem actuum, & operationum in homine, at ex his nō ſequitur pluralitas, vel animarum, vel formarum, quoniam erunt effectus inadæquati, &

partiales

partiales in ordine ad animam, non autem totales, & poterit inferri diuerſitas potentiarum,organorum. quæ erunt principia proxima illarum operationum, non autem principij remoti,cuiuſmodi eſt anima; Rurſus operationes illæ, & actus erunt ſubordinati, & ſi non ad inuicem,quoniam aliquando contingit eſſe oppoſitos, ſaltem in ordine ad animam,à qua omnes continentur; Et ſi hæc obſeruaueris, tertium argumentum prioris ſententiæ,& plura alia,eaque præcipue Platonis quarto illo de Republica, comperies minime concludere.

Nota ſecundo, quod nõ negamus nobiliores formas requirere materias magis diſpoſitas,& elaboratas, quam exigant formæ humiliores, immo loquentes de anima intellectiua,docemus cum Auctore quibuſdam locis,quæ retulimus, & præcipue quæſtione illa de Anima ad primum, quod & docuit quæſt tertia, de Potentia,ar. nono,ad nonum,& innuit prima par.quæſt.76.ar.3.ad tertium, & clare deinde aperuit q. ibidem 118. ar. 2. ad ſecundum, præexigi in materia vitam embrionis, & animas vegetalem, ac ſenſilem, quæ materiam pro ſui introductione diſponant, vnde generatio animalis,& præcipue hominis, non eſt tantum vna ſimplex generatio,ſed multæ ſibi inuicem ſuccedunt generationes; In aduentu vero formæ perfectioris,præcedens imperfectior abit,atque corrumpitur,quoniam quæ ſibi ſuccedit, continet quæ illa cõtinebat,& aliquid addit; Non inferas autem, vane formas illas priores fuiſſe inductas, non enim fuerunt inductæ, vt cum forma accedente remanerent, ſed ſolum, vt ad illam præpararent materiam,ſic finem ſuum obtinuerũt; cumque illud ſolum ſit fruſtra,quod finem ſuum non aſſequitur, patet formas illas non poſſe dici fruſtra inductas,quoniam non fuerunt vnitæ materiæ,vt conſtituerent materiam permanentem, ſed vt tranſeuntem dumtaxat; Immo vero vt dicebat Soncinas q. illa nona octaui Diuinorum ad tertium loquens de dipoſitionibus, vane eſſent inductæ, ſi non corrũperentur,quoniam eiuſmodi ſunt, vt finem ſuum non obtineant,niſi corrumpantur; Ita minime ſequitur, quod poſt earum receſſum quæuis forma indiſcriminatim poſſit ſuccedere, quoniam ita materiam ad hãc diſpoſuerunt,vt non ad aliam. Cumque tot diſpoſitiones,ac præparationes in materia ponamus, nulli dubium eſſe poteſt, quod propriam formam propriæ materiæ accommodamus, & quod ſemper in diſpoſita materia formam induci fatemur,quodque formæ digniori,materiam magis excultam tribuimus. Vnde multos multum admiror, qui hæc contra nos obijcere non deſiſtant, & ſemper vt achillem ingerant argumentum illud de nobiliori forma, quæ non debet vniri materiæ nudæ, velut vniuntur elementares formæ, cum tamen illud formaliter diſſoluerit Auctor prima par.quæſt. illa 76.ar.4. ad tertium,& ibidem adnotabat Interpres redargui ab Auctore hoc argumentum, eo quod peccet ſecundum non cauſam, quoniam immediate vniri materiæ primæ, non infert imperfectionem formæ, ſed dare illi primum ſolum perfectionis gradum, vt in obſeruationibus ad vltimam partem quinti cap. explicabam. At modo adijcio, quod argumenta hæc de nobiliori forma inducẽda in elaboratiori materia, peccant per fallaciam conſequentis, & arguunt à ſuperiori ad inferius affirmanter; cum enim vniri materiæ diſpoſitæ duobus modis contingat, vel ita vt diſpoſitiones maneant in materia, vel ita vt vbi quod ſuum eſt peregerunt materiam diſponentes recedant, mox arguũt; Forma vnitur materiæ diſpoſitæ, igitur materiæ ſub forma aliqua exiſtenti, & ſi hoc modo non vniatur, inferunt vniri materiæ non præparatæ, quaſi nullo alio modo contingat formã vniri diſpoſitæ materiæ, quæ patet inania eſſe argumenta. Et nos longe magis

digniores

D.Thom.

Generatio hominis.

Cur formæ priores in materia pro forma poſteriori.

Soncinas.

Auctoris de multis admiratio.

D.Thom. Caietanus.

digniores formas nobilitamus, quam ipſi, quoniã omnia requiri docemus pro earum diſpoſitione, ſed in earundem aduentu, formas omnes priores ſubſtantiales abire dicimus, quoniam eius ſunt excellentiæ, vt ea omnia contineant, præhabeant, efficiant, quæ præſtare poterant præcedentes, quod non dicunt ipſi. Et hæc ſemper ante oculos habenda ſunt tota hac quæſtione, & duabus ſequentibus, de quibus nonnihil repetetur quæſtione tertia, & in ſolutionibus quoque argumentorum, quoniam ex his perplura cadunt argumenta; & iam cuique patere poteſt, corruiſſe priorem confirmationem quarti argumenti prioris poſitionis, & primum, ac tertium ſententiæ tertiæ.

Pro his quæſtionibus notanda.

Obſerua vlterius, quod in hominis generatione ſunt duæ actiones, ac proinde duo earundem termini, & vt belle habes in Caiet. prima par. quæſt. illa 118. art. 2. ad quartum, quod colligitur ex Auctore quæſt. 3. de Potentia, ar. 9. vt ipſemet Caiet. teſtatur, & præcipue ex reſponſione ad argumenta, videmus actionem vnam Dei glorioſi, qua animam creat intellectiuam, alteram hominis, qui inquantum homo generat. Diſtinctionem autem terminorum ex eo cernimus, quod dum anima intellectiua creatur, obtinet duo ſimul, & eſſe ſcilicet, & modum eſſendi, nam eſt, & corpori ineſt, ita hoc modo non ſunt duæ res, quæ ſint duo termini, ſed vna, & eadem res ſub vario modo, nam anima terminat & generationem, & creationem, ſed illam quo ad modum, hanc quo ad rem, non quod præciſe illam terminet quo ad modum, ſed quo ad rem etiam, at non abſolute, ſed ſub tali modo, quia ſcilicet ineſt; ſic eſt terminus creationis quo ad eſſe, generationis quo ad ineſſe, ſumpto ly *ineſſe*, non pro relatione, vel reſpectu, ſed pro fundamento, pro ipſamet ſcilicet anima, vt ineſt. Et hoc eſt, quod pluries habes à Capreolo vbi ſupra, inter reſpondendum ad varia argumenta, quod anima eſt terminus intrinſecus creationis, extrinſecus vero generationis, non enim per hanc capit eſſe, vt poſſit dici terminus eius intrinſecus, ſed per ipſam vnitur materiæ, & ſimiliter non infrequenter repetit animã, quo ad eſſe ſuum, terminum eſſe creationis, quo vero ad ſui vnionem ad materiam, eſſe terminum generationis; Homo ſiquidem generans non facit animam eſſe, ſed quæ anima eſt merito creationis, per generationem fit eodem inſtanti temporis forma materiæ. Neque vllum inconueniens eſt, eandem rem modo vario eſſe terminum duplicis actionis, & duplicis agentis, eo maxime, quod hæ actiones ad inuicem ſubordinantur, eundemque finem reſpiciunt; vt enim dicebat Auctor quæſtione illa de Potentia ad 20. creans animam, dat eſſe eidem in corpore, generans vero diſponit corpus ad hoc, vt huius eſſe per animam fiat particeps.

Caietanus. D. Thom. Quomodo anima humana terminus creationis, & generationis. Capreol. D. Thom.

Caietanus. Scio Caiet. loco nominato dicere, quod ſi proprie loqui velimus, dicendũ erit animam eſſe terminum creationis, vnionem autem animæ, & corporis terminum generationis, quoniam reuera non attingit homo generans animam, niſi quatenus eam vnit materiæ; Addo ego, niſi quatenus diſponit materiam, vt ei vniatur anima; ſic eſt terminus generationis ex Capreolo vltra prædicta, quo ad hoc, vt ex ipſa, & ex materia fiat compoſitum, vel quo ad hoc, vt à materia participetur, & eſſe ipſius materiæ communicetur. At quocumque modo dicatur, idem ſemper intelligitur, vt ſcilicet homo generans non attingat animam quo ad eſſe, ſed tantum quo ad ineſſe, & quo ad ſui vnionem cum materia, vnde generationis terminus eſt, vel anima vnita, vel eius vnio ad corpus, ex quibus ſoluitur primum argumentum primæ poſitionis, & alia ſimilia.

Ex his nota quarto, quod licet homo generans, neque materiam, neque formam

nam geniti faciat, attamen cum ea præſtet, quæ relata ſunt, vere, ac propriè dicitur generare hominē, vt enim bene adnotabat ibidem Caiet. ad hoc vt quid dicatur aliquod compoſitum effectiue producere, non eſt neceſſe, vt omnes eius partes faciat, aliàs nullum agens naturale poſſet aliquod compoſitum facere, cū non faciat materiam, quæ eſt altera compoſitorum pars, neque oportet, vt aliquam eius partem faciat, tunc enim nullus pictor diceretur aliquam efficere imaginem, ſiquidem neque materiam efficit, puta lignum, vel chartam, neque formam, puta colores, ſed illud ſufficit, vt effectiue cauſet partium connexionem, ex qua, ſiue ex quibus partibus connexis emergat compoſitum, nam reuera nullum compoſitum eſt aliqua ſua pars tantum, ſed quid reſultans ex partibus ſuis; Cumque homo generans cauſet actiue coniunctionem animæ intellectiuæ cum materia, relinquitur, vt vere dicatur hominem generare, quamuis neutram partem faciat ſimpliciter, licet vtramque efficiat aliquo modo formaliter, vt ſcilicet partem hominis, materiam nimirum præparando, vt ſuſcepciua ſit formæ rationalis, & ex conſequenti hanc eidem copulando. Sic recte Capreolus vbi ſupra ad tertium, tertio loco aduerſus quintum ad primam concluſionem ait, quod neque materia hominis proprie valet dici genita, neque eius anima, compoſitum tamen eſt, & vere dicitur genitum, non ob generationē alicuius ſuæ partis eſſentialis, ſed quoniā generatio eſt cauſa, quod partes ad inuicem vniantur; Hinc vt ipſe ſubdit ad quartum, filius vere eſt genitus à patre, ab illo enim habet animam, quoniam in virtute ipſius facta fuit vnio animæ ad materiam, & compoſitum ipſum, (quod ſolum vere eſt homo,) eſt vere per actionem generantis productum, ac effectum; Quæ doctrina colligitur ex Auctore quæſt. illa tertia, ar. 9. ad ſecundum, vt idem Capreolus innuit, vbi habetur, totum hominem egredi de femore patris generantis, quoniam virtus ſeminis, quæ de femore egreditur, operatur ad vnionē corporis, & animæ, diſponendo materiam vltima diſpoſitione, quæ eſt neceſſitas ad formā, ex qua vnione habet homo, vt ſit homo, &c. Intellige autem omnia hæc, hominem ſcilicet generare hominem per virtutē propriæ formæ, hoc eſt, animæ rationalis, quoniam vt ibidem habes ab Auctore ad quintum, vis generatiua, & ea quæ in ſemine agunt, non diſponerent materiam, vt corpus fieret perfectibile anima rationali, niſi prout agerent vt inſtrumenta quædam rationalis animæ; Quare autem talis actio non attingat, neque attingere poſſit productionē ſimpliciter animæ intellectiuæ, id prouenit, quoniam ipſa vt intellectiua excedit corpus, & eſſe ſubſiſtens, homo autē generans, generat ratione animæ, vt eſt actus corporis; Sed de hoc lege ipſum Auctorem quæſt. illa tertia, & ar. illo 9 & prima par. quæſt. illa 118. art. 2. & ibidem Interpretem, hoc enim præſenti inſtituto non eſt neceſſarium.

Quid ſufficiat ad hoc, vt quid dicatur aliud producere.

Cur homo generet hominē.

Capreol.

D. Thom.

Aduerte vlterius, quod vbi hæc anima intellectiua vnita eſt materiæ, tribuit omnia eſſe homini, hoc eſt, eſſe corporeum, viuens, animal, &c. vt innuebatur in primo notabili, quæ omnia in vno, & eodem ſunt realiter idem, ratione ſolum diſtincta, quemadmodum & ipſa omnia hæc conferens eſt vna ſecundum rem, & multiplex virtute, ac ratione, ex qua rationis diſtinctione ipſamet ſub ratione eſſe imperfectioris, comparatur ad ſeipſam ſub ratione eſſe perfectioris, vt quid materiale, & potentiale, ad quid formale, & actuale, ſic ab eadem ſub vna ratione ſumitur ratio generis, ſub alia ratio differentiæ, & eadem forma ſub vna ratione intelligitur actuare ſeipſam ſub alia, ſi enim conſideretur prout tribuit eſſe animatum, intelligitur actus ſui ipſius, prout confert eſſe cor-

poreum, & quodammodo videbitur aduenire enti in actu,non proinde erit accidens,quoniam non aduenit enti in actu,quod fuerit conſtitutum ab alia forma à ſeipſa, ſed ab ipſamet ſub alia conſideratione. Vnde poſſumus loqui de anima, & identice, ſeu materialiter, & formaliter, hoc eſt,de illa re, quæ eſt anima, & de illa re, quatenus eſt anima, vt docebat Caiet.cap.illo primo ſecũdi de Anima ad primum,& conſiderando rem illam, quæ eſt anima, eius propria,ac vera materia, & ſubiectum,ſeu receptiuum eſt materia prima,ac nuda, nam res illa recipitur in nuda materia, ſi autem ſpectetur formaliter vt anima, ſic eius propria materia eſt corpus phyſicum,& organicum,nam vt anima præſupponit corpus phyſicum eſſe ſuum perfectibile, at non quod fuerit effectũ corpus illud ab alia forma, ſed à ſeipſa,non quatenus anima, ſed quatenus ſubſtantialis forma,vt innuebam circa obſeruationes ad ſecundam partem huius litteræ; Sic ibidem monebat Caiet.non eſſe declinandum de ordine in ordinem, cum aliud ſit loqui de rebus,vt res abſolute ſunt, & aliud prout ſub hac,vel illa formali ratione conſiderantur; Ita ſæpe inquit Auctor,quod anima eo modo dicitur actus corporis,quo calor eſt actus calidi,& lumen lucidi,nó quod ſeorſum ſit lucidum ſine luce,& calidum ſine calore, ſed quoniam eſt lucidum per lucem, & calidum per calorem,vnde in eo cuius anima dicitur actus includitur ipſa, non enim eſt corpus organicum ab alio realiter ab anima, ſed per ipſam,licet non prout anima,ſed quatenus eſt forma ſubſtantialis, & tamen in ly *anima* clauditur intrinſece forma ſubſtantialis, ſed inadæquate, & partialiter, quoniam vltra formam ſubſtantialem vt ſic, eſt quoque viuens,ſentiens, intelligens, &c. loquendo de anima humana, de qua ſemper cõſulto locuti ſumus, quoniam plures circa ipſam verſantur difficultates, & quoniam vbi agnitum eſt in homine vnicam reperiri formam,id de compoſitis alijs non licet dubitare,quod e contra dici non poteſt.

Caietanus.

Materia rei illius quæ eſt anima,& animę vt anima.

D.Thom.

Et ſi hanc rationum formalium diſtinctionem cum rei identitate in anima diligenter fueris contemplatus, agnoſces varia prædicata eſſentialia non deſumi à varijs formis, non eſſe varia quodquid eſt realiter diſtincta, ſed ab vna forma iuxta multiplicem acceptionem, ita non ſequitur,quicquid conuenit homini vt homo,conuenire eidem,vt animal; Ex qua doctrina, & primum,& tertium quartæ ſententiæ, & alia poſſunt argumenta confutari.

Vnde varia prædicata eſſentialia.

Ex his collige,non aduenire animam intellectiuam ſecundum rem paulatim ſub vno, & alio eſſe, quaſi quod prius ſub eſſe corporeo, deinde vegetali, mox ſenſili, & vltimo rationali accedat, tunc enim & partibilis eſſet, & magis, ac minus ſuſciperet, & generaretur ſimul, ac crearetur, & enti in actu adueniret, quæ omnia fatua ſunt, ſed formis prioribus omnino recedentibus, quæ materiam ad eius ſuſceptionem præpararunt, ipſa ſimpliciter,ac tota aduenit,omnia priorum formarũ eſſe continens, ob quam continentiam diſtinguitur ſecundum rationem à ſeipſa, cui eſt fundamentum in re reſpondens; Et hæc pro concluſionis, ac ſententiæ noſtræ declaratione, quæ explicatior deprehendetur huiuſmet quęſtionis, & duarum proxime ſequentium ſucceſſu.

AR-

ARTICVLVS QVARTVS.

Hæc eadem ſententia confirmatur.

NOn alijs rationibus eſt probanda, quam quibuſdam ex ijs quas adduxit Auctor allegato opuſculo de formarum pluralitate, ſunt enim energiæ maximæ, ac numquam ſatis ſolutæ, quaſque rationes validiores varij adduxerunt thomiſtæ pro hac firmanda veritate, inde hauſerunt; Et primo miſſas facio rationes illas nouem, quibus probatur incompoſſibilitas plurium formarũ in eodem, ex eo quia ſunt eiuſdem generis phyſici, nimis enim in longum noſter ſermo protraheretur. Vnde me conuerto ad alias, quæ & communiores ſunt, & quas varij ſoluere vijs tentarunt plurimis, quorum conatus inanes Deo dante aperiam.

Sit itaque prima illa vulgatiſſima, quam vbique in hoc propoſito adfert Auctor, Quod quemadmodum omnis forma tribuit eſſe, ita talis forma tale eſſe, quocirca forma ſubſtantialis dat eſſe ſubſtantiale, atque ideo ſubſiſtens, ſi itaque plures formæ ſubſtantiales ſint in eodem compoſito, iam compoſitum ſubſtantiale non eſt vnum per ſe, ſed per accidens, & per aggregationem. Explicatur hæc ratio, quoniam ex duobus entibus in actu, ſeu ex duobus actibus nequit fieri vnum per ſe, ſed tantum ex actu, & potentia, at quæuis forma eſt actus, & tribuit actum, ergo ſi in compoſito ſubſtantiali ſunt plures formæ, iam plures actus, ergo nequit eſſe vnum per ſe, id quod ex pluribus formis conſtat; Explicatur adhuc, quoniam omne quod aduenit enti in actu, & ſubſiſtenti, eſt accidens, quare forma poſterior adueniens enti in actu cõſtituto per priorem formam erit accidens, ſic nequibit fieri vnum per ſe, ſic forma ſubſtantialis erit accidens, quod implicat, &c. *Prior ratio.* *Explicatur.*

At vero multa pro huius argumenti confutatione dici conſueuerunt, & primo refert ibidem Auctor, quoſdam dicere propoſitiones allatas habere veritatem de eſſe ſubſiſtente completo in eſſe ſpecifico, tunc enim ſi duo talia eſſe forent in aliquo, illud non eſſet vnum per ſe, eſſent enim duo veri actus, & ita quod hoc modo aduenirer, eſſet accidens, à quibus non videtur multum alienus Scotus quarto illo ſent. dicẽs ad primam rationẽ pro prima opinione, (quæ eſt Auctoris) ſe concedere, quod formale eſſe totius compoſiti eſt principaliter per vnam formam, & illa forma eſt, qua totum compoſitum eſt hoc ens, hæc autem eſt vltima adueniens omnibus præcedentibus, & totum compoſitũ diuiditur in duas partes eſſentiales, in actum proprium, vltimam ſcilicet formam, & propriam potentiam illius actus, quæ includit materiam primam cum omnibus formis præcedentibus, ſic eſſe totale inquit, eſſe completiue ab vna forma, vbi certe manifeſte ſatis innuit præcedentes formas eſſe incompletas, cum ponat eas habere rationem potentiæ, & materiæ. *Quomodo illi occurratur.* *Scotus.*

Sed nihil hæc argumento officiunt, vt enim ibi habet Auctor, omne ſubſiſtens, quantumcumque incompletum ſit, ſeparatur ſecundum eſſe ab alio ſubſiſtente, omnis vero forma ſubſtantialis quantumcumque incompleta conſtituit aliquid ſubſiſtens, hoc enim habet tota ſubſtantialium formarum latitudo, vt *Defenditur ratio.*

paret, vel in ipſis imperfectiſſimis formis elementorum, quare non adimitur à forma eſſe formæ, ex eo quod incompleta ſit, ita remanent formæ, ita actus, ita quid ſubſiſtens conſtituunt, ita propoſitiones allatæ manent in robore; Et vt recte ſpeculabatur Caiet. prima par. quæſt. illa 76. art. tertio, nihil refert, an ſit perfecta, vel imperfecta quidditas, vel eſſentia ad hoc, vt non poſſit cum alia vnum per ſe facere, non enim hoc repugnat ex perfectione quidditatis, ſed ex ratione quidditatis vt ſic; Vnde merito ſubdit, intolerabilem eſſe eorum cæcitatem, qui ponunt compoſitum per ſe conſtare ex actu, & potentia, quæ tamen conſtat & ipſa ex actu, & potentia, eſt enim implicatio, nam ponitur, quod fiat ex duobus actibus, & non quod fiat ex potentia per ſe, conſtat enim materiam primam cum forma corporeitatis, vel alia quauis forma non eſſe potentiam per ſe, ſed potentiam, & actum, quomodo igitur ex hoc actu, & ex alio vlterioris formæ poterit fieri vnum per ſe? Quomodo forma illa prior non conſtituet quid ſubſiſtens? Quomodo non tribuet eſſe? Quomodo non ſeparabit?

Caietanus.

Obſeruatio Auctoris.

Verum illud ſemper circa hoc aduertere ſolitus ſum, quod ratio cur fiat vnum ex ſe ex actu, & potentia, eſt merito ipſius actus in ſe, & potentiæ in ſe, nam prouenit hoc ex ratione naturæ vtriuſque, vnde ſecundo de Anima, 7. & octauo Diuinorum vltimo, aliam huius rei cauſam non peruestigandam legimus; non itaque hæc ex noſtra cõſideratione, vel ex reſpectu ad aliud ſunt ſpectanda; Cum ergo quæuis forma ſit actus, ex ſui natura id oportet vt habeat, vt ſcilicet cum alio actu nequeat facere vnum per ſe, vanum igitur penitus eſt dicere, quod quoniam forma corporeitatis comparatur vt potentia ad vlteriorem formam, ideo rationem habet potentiæ, nam hic reſpectus accidit formæ illi, & ex noſtra conſideratione, quæ nequit ab ea auferre id, quod eſt ei eſſentiale, vt ſcilicet actus ſit, &c.

Ariſtotel.

Deprehenditur quoque vanitas illius modi reſpondendi, quoniam tunc non foret maior ratio, cur ex ſubiecto, & accidente non fieret vnum per ſe, nam & ſubiectũ licet ſit in actu vt ſic, & in ſe, tamen eſt vt potentia in ordine ad accidens, quod recipere debet, quare ſi nomine potentiæ non accipiatur pura potentia, quando omnes philoſophi dicunt cum Ariſtotele ex actu, & potẽtia fieri vnum per ſe, non autem ex duobus actibus, nihil vel dicent, vel docebunt, quoniam ſemper in duorum copulatione, vnum recipiet aliud, & ſubinde erit quid potentiale, materiale, ac imperfectum in ordine ad aliud, & ita nullius cõpoſiti, quodcumque id fuerit erit ſuæ compoſitionis quærenda ratio, neque hominis albi, neque muſici ædificantis, quæ omnia falſiſſima ſunt.

Confirmo hoc ratiocinium, quoniam tunc male Philoſophus primo de Anima 90. & 91. obieciſſet poſitioni Platonis de pluralitate animarũ, quid eſſet illud, quod eas vel contineret, vel colligaret, & dubium ſoluens ſecundo eiuſdem 7. non illud retuliſſet in naturam actus, & potentię, quoniam & ex ſeipſis vniri poterant, ſi vna comparata alteri ſe habeat vt potentia, & non bene animæ, & formæ vocarentur potentiæ, cum vbique eas vocet actus, &c.

Obiectio.

At his omnibus credat fortaſſe quis dicere, omnem formam, quando ſe ſola in aliquo exiſtit eſſe vere actum, conſtituere ſubſiſtens, & non habere materiæ, vel potentiæ rationem, at quando in compoſito plures ſunt formæ, priores habent rationem potentiæ, neque quid ſubſiſtens faciunt, ſed illud præſtat forma poſterior, & vltimo aduenieñs; At vana ſunt hæc, quoniã tũc formæ tantũ

Diluitur.

elemen-

elementorum; & inanimatorum id priuilegij haberent, & ſic formæ imperfectiſſimæ, eſſent perfectiores, rurſus vidimus naturam omnis formæ ſecundum ſe vt ſic eſſe actum, & habere, vt eam eſſe ſequatur inſeparabiliter, niſi adſit magnũ miraculum, vnde vt ibi Auctor inquit, nequit vlla forma amittere eſſe naturaliter abſque ſuimet deſtructione, & nihil aliud eſt formam acquirere eſſe, quã produci, vel generari, nam ipſum generari eſt via ad formam, quare ſi ponatur forma producta, vel genita, non poteſt non poni eſſe, & ſi plures formæ, plura eſſe; Immo vero ex hoc ſequitur oppoſitum, nam quoduis imperfectum ex ſui coniunctione ad perfectius perficitur, & aliquid acquirit, quocirca forma imperfectior ex aduentu magis perfectę, deberet magis vigorari, ſic magis terminare materiam, & potentiam cuius eſt actus, magis quid ſubſiſtens facere, ſi hæc fieri poſſent; illud ſufficiat, tantum abeſſe, vt quando cum alia forma perfectiori vna coniungitur, debeat amittere ea, quæ conueniunt formæ vt ſic, quod potius hæc retinens, alia deberet acquirere. Confirmatur, quoniam ex acceſſu alterius formæ, prior forma non dans ſuo receptiuo id quod conuenit formæ vt ſic, vel id procedit, quoniam forma quæ aduenit dabit ea, quæ aliàs ipſa ſola manens daret, vel quoniam non dabit, ſi primum, iam fruſtra illa forma manet in illa materia, ſi ſecundum, iam igitur dat officia ſua, ſic actuat, ſic complet, ſic quid ſubſiſtens facit. Denique definitio formæ vt ſic eſt, quod ſit actus, quod tribuat eſſe, igitur in quocumque ponatur & cuicumque conferatur, hæc obtinebit, hæc dabit, & ſic idem quod prius, &c.

D.Thomas.

Quid ſit formã acquirere eſſe.

Zabarella libro relato cap. 2. inquit verum eſſe, quod vnius rei eſt tantum vnum eſſe ſpeciale, non enim idem poteſt eſſe homo, & equus, at eadem res plura eſſe generalia poteſt ſortiri, idem enim indiuiduum poteſt eſſe & corpus, & animal, & homo; At ſi legere voluiſſet Auctorem illo opuſculo, vidiſſet hanc ſuam dicti illius interpretationem ſibi ipſi obeſſe; Obijcit enim Auctor id quod veriſſimum eſt, genera ſcilicet non ſubſiſtere niſi in ſuis ſpeciebus, quare eſſe illa generalia, ſeu imperfecta, ſeu incompleta habent eſſe ſpecificatum, & ex conſequenti eſſentiam completam, quantum ſecundum eorum gradum poſſibile eſt, quocirca & ipſa actus ſunt, & formæ, (hoc enim vult Zabarella,) & ſic diſcurſus totus rationis allegatæ contra ipſum militat; Et quamuis vocentur generalia in ordine ad quid magis peculiare, tamen ſi ponantur exiſtere, ſecundum ſe, & abſolute ſunt ſpecialia, non enim vt dicebatur valent aliter genera ſubſiſtere; Quod vero addit dictum Auerr. 17. primi Diuinorum pro hac ſua expoſitione coloranda, iam & Romanus Ægidius in Correctorio circa art. 31. primæ part. & Paulus Soncinas octauo Diuinorum, quæſt. 11. ad quintum optime, licet non vniformiter interpretati ſunt, quos ſi vidiſſet, intellexiſſet dictum illud nullatenus nobis præiudicare, &c.

Zabarellæ cuiuſdã dicti explicatio.

Aegidius.

Soncinas.

Sit ſecunda ratio principalis, quæ ducat ad impoſſibile, ſeu ad impoſſibilia; Si in aliquo compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, tunc forma poſterius adueniens non daret eſſe ſimpliciter, non eſſet forma ſubſtantialis, quod per eam acquireret eſſe, non diceretur generari, non acquireret eſſe ſimpliciter, & illa recedente, non fieret corruptio, quæ omnia ſunt abſurditatis plena, & veræ philoſophiæ deſtructiua, vt fatentur omnes, & vis rationis ſtat in deductione conſequentiæ, aut conſequentiarum, ſed ſuppoſita ratione præcedenti non eſt difficile eas deducere; Enimuero forma ſubſtantialis differt ab accidentali, ex eo quod illa adfert eſſe ſimpliciter, quodque per eam fit, ſimpliciter dicitur fieri, & generari, forma vero accidentalis dat eſſe tale, & ſecundum quid, & quod

Ratio ſecũda.

Eſſe à forma ſubſtantiali & accidentali.

eam

eam acquirit,non dicitur fieri ſimpliciter, ſed cum addito; vt dum paries ac-quirit albedinem, non dicitur fieri,ſed fieri albus,neque dicitur generari,ſiquidem prius erat; Si itaque forma ſubſtantialis adueniat materiæ ſub alia forma ſimiliter ſubſtantiali exiſtenti, iam illud quod eſt ſub priori forma, ſimpliciter eſt,& factum eſt, ac genitum, vnde per huius alterius formæ aduentum nequit amplius dici quod fiat,vel quod eſſe ſimpliciter acquirat, ſed ſolum eſſe tale, ſic non generatur, ſed alteratur; quod ſi hæc neges, iam forma illa prior ſub qua exiſtebat,non erat forma ſubſtantialis,cum non præbeat per ſe id quod forma omnis ſubſtantialis vt ſic efficit; Et ſi aduerteris, quod *ſimpliciter* idem eſt in propoſito,quod *nullo addito*, & quod forma omnis ſubſtantialis dat eſſe hoc modo ſimpliciter, & ſecundum ipſas compoſita fiunt ſimpliciter, & de ipſis loquimur abſque adiectiuo aliquo, (quod Caiet. prima part.quæſt.illa 76.art.4. vocabat *ſimpliciter in actu exercito*,) videbis, quod per priorem formam homo, vel quoduis aliud compoſitum fit abſque addito, vnde impoſsibile eſt, vt per ſubſequentem formam dicatur fieri ſimpliciter, niſi velimus dicere,illud ſimpliciter fieri,quod abſolute,ac ſimpliciter eſt,quod manifeſte pugnat, &c.

Caietanus.

Confirmo, & declaro magis hanc rationem; Vel forma prior dat aliquod eſſe materiæ cui aduenit, vel nullum,non ſecundum, quoniam gratis adueniret materiæ,& à forma eſt inſeparabile eſſe, ac foret deterioris conditionis forma accidentali,quæ aliquod eſſe confert, ergo primum,tunc peto, illud eſſe quod dat,vel eſt eſſe ſimpliciter, & abſolute, vel ſecundum quid,ſi ſecundum, iam nihil eſſet diſcriminis inter formam ſubſtantialem,& accidentalem,nam ab iſta hoc eſſe prouenit,ergo primum, ergo quod eſt ſub ipſa,abſolute eſt,ergo nequit amplius fieri, ergo forma ſequens nequit ei dare eſſe ſimpliciter; aliàs quod habuiſſet eſſe ſimpliciter, illud denuo acquireret, & quod eſſet, fieret.

Scotus.

Ita nulla eſt reſponſio Scoti loco allegato dicentis,formam ſubſtantialem dare eſſe ſecundum ſuam naturam prius, cum quo ſtat poſſe aduenire aliud eſſe perfectius, vidimus enim,quod eſſe ſubſtantiale nedum ſit prius accidentali,ſed abſolutum, ſed ſimpliciter, &c. Et ſi hæc reſponſio eſſet vera,numquã inueniremus ſtatum in eſſe formarum,quoniam quauis forma adueniente, dicemus poſſe aduenire eſſe perfectius, & per formas priores non fuiſſe elargitum eſſe ſimpliciter omnino, & abſolute; neque eſt confugiendum ad perfectiorem,ſeu ad poſteriorem formam,quoniam dare tale eſſe,quod diſtinguatur ab eo,quod datur per formam accidentalem,conuenit omni formæ ſubſtantiali ex latitudine ſubſtantiali, non ex maiori, vel minori perfectione,aliàs numquam certi eſſemus,à qua forma proueniret eſſe ſimpliciter.

Ariſtotel.

Rurſus confirmatur hæc ratio, quoniam antiqui, vt habetur primo Phyſic. 33.adimebant generationem, ſolam alterationem ſtatuentes, quoniam ponebãt aliquod ens actu,ex quo alia fierent, vt legis primis textibus primi de Generatione,& vtrobique ab Ariſtotele reprehenduntur,at idem ponũt iſti,quoniam materiam ſub forma corporeitatis locant,& ex conſequenti quid in actu, & per aduentum deinceps ſequentis formæ dicunt fieri generationem; Quod ſi dicant philoſophos antiquos aperte ſubmouere generationem, & alterationem ſolum docuiſſe, hoc autem ipſos non aſſerere, tunc immerito Ariſtoteles eos arguiſſet,quoniam affirmant iſti ſe hoc modo ſaluare generationem, quod & de antiquis dici poſſet, at reuera ſicut ex priſcorum poſitione remouetur generatio, ita ex horum dictis auſertur in caſu quo loquuntur, in aduentu

ſcilicet poſterioris formæ in viuentibus, &c.

Sit tertia ratio principalis, quæ præcedentem explicatiorem, efficaciorem-que oſtendet; Definiens Ariſtoteles primo de Generatione 23. ipſam generationem, eamque cum alteratione conferens dicebat, tunc eſſe, quando totum transmutatur, non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem, at ſi plures formæ ponantur in compoſito, in acceſſu poſterioris formæ conſtat manere aliquod ſenſibile, materiam ſcilicet ſub forma corporeitatis, vnde non erit generatio per aduentum formæ vltimæ, ſed alteratio; ſimiliter dum corrumpitur compoſitum, non erit ea mutatio, quin maneat aliquod ſenſibile, nam de mente ipſorum eadem forma corporeitatis manet, igitur nulla forma debet in materia ineſſe, vel in generatione, vel in corruptione, ſi debeat fieri ſecundum totum transmutatio, & ſi nihil ſenſibile debeat remanere. — Tertia ratio. Generationis definitio.

Et quoniam vrgens nimis eſt hæc auctoritas, ideo varij varia dixerunt, & primo Iandunus quæſt. 2. ſecundi de Anima dixit, definitionē illam generationis competere tantum elementis, & corporibus ſimplicibus, non autem mixtis, quē ſecutus eſt Zimara theoremate 20. Sed hæc explicatio iam ab omnibus repudiata iure habetur, & iampridem opuſculo illo reiecta fuit ab Auctore, clare enim Ariſtoteles primo illo libro inquit ſe tractare de omni generatione, & vniuerſaliter, & omnino, & eorum omnium, quæ natura generantur, vt eſt videre tex. 1. & 4. & 20. Immo vero tex. 5. vbi in præcedentibus recenſuit quid varij antiquiores de generatione ſenſerint, commemorans Platonem, ait ipſum ſolum de generatione ſcrutatum eſſe, non tamen de omni generatione, ſed de ea, quæ eſt elementorum, vbi iuxta expoſitionem Aegidij, aliorumque recentiorum increpat, & reprehendit Platonem; Auerroes autem ibidem, & Auctor intuentes ſcopum Philoſophi tex. 4. proponentis ſe tractare de generatione ſimpliciter, (ſcio quoſdam textus habere *ſimplici*, *& ſimplicium*, quæ lectio poſſet in ſuperficie fauere Ianduno, & Zimaræ, ſed oppoſitum ex alijs textibus conuincitur, & duplicem ibi aſſignat Aegidius cauſam,) inquiunt illum velle tractare de generatione, quoniam antiqui inſufficienter, & diminute de ea tractarunt, vel etiam addit Auerroes, non recte, & ſtatim in medium adfert Platonem, igitur iſte loquens de generatione tantum elementorum, diminutus fuit; Si itaque Ariſtoteles horum tantum generationem definiret, an non incideret in peccatum illud, quo Platonem ſpeciatim accuſat? Sed & tractationem de generatione diminutam valde tradidiſſet, ſi de illa ſolum elementorum fuiſſet locutus. Dicere autem, quod de generatione in communi fuerit locutus, ſed quod tantum in illa definitione de corporibus ſimplicibus intellexerit, eſt ita fatue, ac voluntarie reſpondere, vt fatuum valde eſſet talem reſponſionem impugnare; Ea propter Iandunus ibidem aliam tulit reſponſionem, dicens in generatione non remanere ſubiectum ſenſibile ſub illo eſſe, vel gradu, ſed vide impugnationes huius reſponſi in Caiet. quæſtione illa ſuper ſecundum de Anima, nam mox cum aliorum reſponſis id vanum commonſtrabo. — Iandunus. Zimara. Reijciuntur. Scopus Ariſtotelis. Aegdiius. Auerroes. D.Thom. Iandunus. Caietanus.

Archangelus itaque Mercenarius prima ſuarum dilucidationum parte explicans hanc generationis definitionem inquit, quod nomine totius ſenſibilis non manentis, accipiendum eſt aliquod in actu perfecto, & alicuius determinatæ ſpeciei, materia vero ſub formis elementorum, ſeu mixtionis, ſeu corporeitatis, eſt quid incompletum, neque eſt in actu perfecto ſpecifico, &c. Denique Zabarella libro illo cap. 4. ait, quod *totum* transmutari in definitione — Mercenar. Explicatio. Zabarellæ.

ſumitur

ſumitur coniunctim ſolum, non disiunctim, non enim voluit omnes partes interire, quod indicat materia, quæ remanet, quare totum ſignificat integritatem ſubſtantiæ naturalis, quæ ex omnibus partibus conflata eſt, ſed potiſſimum ab vltima forma conſtituitur, vnde quia hæc perit, & totum illud amplius colligatum non manet, ideo dicitur totum tranſmutari.

Reijciuntur At omnes hæ reſponſiones falſę ſunt, & contra mentẽ Ariſtotelis, tunc enim ſequitur generationẽ non differre ab alteratione, & ſubiectũ ipſius eſſe ens, nam quo ad primũ, ſubiectum quoque alterationis non manet ſub illo gradu, vt patet, & non eſt in illo eſſe completo, ad quod mouetur, & totum illud coniunctim diſſoluitur, dum deperditur alteratio, quo ad ſecundum, conſtat materiã ſub forma eſſe ens, & ens actu, cum tamen ſæpe doceat Philoſophus ſubiectum generationis eſſe non ens, præcipue 5. Phyſ. 8. ſed inquit Scotus vbi ſupra, quod non eſſe ſumitur priuatiue, at iam ab Auctore excluſa eſt hæc reſponſio, nam ſic eſt in omni motu, ſubiectum enim cuiuſuis motus, non eſt illud, quod per formam eius terminum fiet, nam dum ad ſanitatem mouetur homo, non eſt ſanus, deficit quippe ſanitas, quæ eſt terminus motus. Rurſus quomodocumque dicatur, nequit ſubterfugi, quin materia ſub quauis forma exiſtens poſſit moueri, vel per ſe, vel per accidens, cum omnis forma naturalis ſit principium alicuius motus naturalis, & quietis, ſed loco relato 5. Phyſ. vult Ariſtoteles, quod ſubiectum generationis neque per ſe, neque per accidens poſſit moueri, vnde colligit generationem non eſſe motum, & reddit rationem, quoniam impoſſibile eſt id quod ſimpliciter non eſt, poſſe vllo modo moueri: Demum cum id quod generatur ſemper vocet Ariſtoteles non ens, & non ens ſimpliciter, ſubiecta vero aliorum motuum, ſeu mutationum vocet entia, & illud tradat nullo modo moueri, hæc autem affirmet, ſaluent ipſi, quomodo ſi materia ſtet ſub forma ſubſtantiali, ſi detur compoſitum ex materia, & illa forma ſit ſimpliciter nõ ens, quomodo nulla via poſſit dici, quod moueatur, & quomodo in his vere diſſentiat à ſubiecto alterationis, nam ſi dicatur, quod ſubiectum generationis acquirat eſſe ſimpliciter, non autem ſubiectum alterationis, neque euitantur, quæ adduxi inconuenientia, & præterea vt dicebatur ratione præcedenti, per formam priorem adeſt eſſe ſimpliciter, vnde acquirit quod habet, & ſimul ſit, ac eſt, &c. Quod vero tangit Zabarella de materia remanente, certe ſi non remaneret, iam non eſſet corruptio, ſed annihilatio, quam non cognouerunt philoſophi, & quæ vane millies in die accideret, & ſemper docuit Philoſophus remanere materiam ſub altero contrariorum, quare ex materia remanente non eſt vt dicatur generationem non eſſe mutationem ſecundum totum, ipſa namque non eſt quid ſenſibile, &c.

Ariſtot.

Scotus.

Ariſtotel.

Zabarella.

Sit quarta ratio principalis, quam plus valere cæteris inquit loco illo Scotus, Non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, vt colligitur ex primo Phyſ. 50 at ſuperior forma continet inferiores, & poſterior priores, ex 2. de Anima 31. vt late in primo notabili ar. præcedenti dicebamus, igitur vnica tantum forma ſufficit, vltima ſcilicet, quæ & corporeitatem, & vegetalem, & ſenſilem continet. Inquit Scotus, quod neceſſitas ponendi in quouis animato formam corporeitatis aliam ab anima, eſt ratio vniuerſaliter, qua hoc ab illo diſtinguitur, contradictio ſcilicet, qua de vno affirmatur, & de alio negatur, & quoniã in corruptione recedit anima, manet autem forma corporeitatis, & ex conſequenti illa non eſt, hæc autem eſt, igitur illa eſt alia ab iſta; Verum deficit hæc ſolutio, tum quoniã nõ effugit, quod effugere intendit, ac debet, non enim euitatur

Quarta ratio.

Quomodo obuius fiat Scotus.

Suſtinetur ratio.

catur redundantia,cum maneant in quouis viuente duæ corporeitates,illa ſcilicet quam cõtinet anima,& illa quam aliam ab ea ponunt,& nihilominus impoſsibile eſt,naturam in pluribus redundare, velut nequit eſſe, ut in neceſſarijs deficiat,cum nihil fruſtra,vel inordinatum faciat, vt per ſæpe docet Ariſtoteles, ſuperflua autem eſſet in entibus omnibus nobiliſſimis , in omni ſcilicet animato; Tum quoniam falſum eſt corporeitatem illam remanere in diſceſſu animę, iam enim declarauimus,& probauimus vnicam eſſe in compoſito formam,quapre dum illa recedit,omnis recedit; Tum quoniam licet anima abeunte, conſpiciatur forma corporeitatis, non ſit conſequens, vt quæ ibi fuerit,dicatur remanere,ſed ſtat,vt de nouo repente generetur,vt rei veritas eſt,quam teſtatiorem dabit confutatio ſecundi argumenti pro tertia opinione . Immo vero Scotus,& qui eum in hoc ſequuntur,nequeunt ſaluare , quod generatio vnius, ſit corruptio alterius,quoniam volunt corrumpi animam in viuentibus, & nullam formam generari,vnde natura per ſe tenderet ad corruptionem, & malum , quod nequit intelligi .

Poſſet adferri quinto loco ratio deſumpta ex ſeptimo Diuinorum,vbi 43.dicitur, vltimam rei differentiam, totam eſſe definitionem, & cum re definita cõuerti,verum quoniam rationem hanc inſinuaui 1.quæſt. ad tertium caput libri, & quoniam Bartholomæus Spina tribus illis defenſionibus circa allegatum textum ita docte,lateque eam tuetur,& propugnat ab ijs,qui eam impugnarunt, ideo eam ſilentio nunc tranſeundam iudicaui. Ariſtotel. Spina.

Rationibus adductis,accedũt vltra illam Auctoris,& omnium eius diſcipulorum auctoritates Auerrois,qui 2. de Anima 4. & de Subſtantia orbis, cap.1. ponit diſcrimen inter ſubiectum formæ accidentalis , & ſubſtantialis,illud docens eſſe in actu,hoc vero in potentia, & eadem profert de forma ſubſtantiali, & accidentali,quę habentur in hac parte literæ,& loco poſteriori ait,quod vnũ ſubiectum habere pluſquam vnam formam eſt impoſſibile; Paraphraſi quoque ad primum de Generatione,tractatu 1.cap.2. inquit , ſubiectum generationis, (quam ibi nuncupat ſubſtantialem alterationem,) eſſe primam materiam à formis denudatam ; Eadem,& ſimilia docte ſcribit ſuper octauum 5. Phyſ. Vnde & omnes qui eum ſequuntur,docere tenentur vnicam in ſubſtantiali compoſito formam, & ſubſtantiæ corruptionem fieri ex reſolutione in materiam nudã omni forma ſubſtantiali,qua de ſolum nuditate eſt præſens quæſtio,loquendo de forma totali,nam partiales elementorum formas actu in mixto inueniri,voluit Auerroes 3. Cœli 67. de quibus non curat hæc quæſtio. Romanus etiam Aegidius ſuper primum de Generatione 23. & loco illo Correctorij, & quæſtione 10.de Eſſe,& Eſſentia hanc veritatem profitetur. Idem docuerunt Marſilius,& Albertus de Saxonia ad eundem primũ de Generatione,ille quæſtione 6.hic 5. Idipſum alij plerique recentiores,nobiſcum conuenientes in vnitate formæ, quamuis multi ponant accidentia aliqua in materia,de quibus ſequentibus quæſtionibus. Auerroes. Aegidius. Marſilius. Alb.de Sax.

Potuiſſem ſententias 2.ar.adductas ſingulas ſeorſum impugnare, & primam præcipue,quæ parum eſt catholicæ fidei conſentanea,vt adnotauit Bannes prima part. quæſt.76.art.4. quam rationibus phyſicis neruoſe impugnatam legis apud Soncinatem octauo Diuinorum, quæſt.13. Secundam etiam ſeparatim impugnatam à multis antiquis,& modernis inuenio,vt iam omnes eam neglexerint; Vide præcipue Benedictum Pererium libro ſuo quinto de communibus rerum naturalium principijs,cap. 15. & 16. oſtendentem repugnare Bannes. Soncinas. Pererius.

Ariſtoteli, Auerroi, & veritati; Vnde ſuperuacaneum cenſui in his ſpeciatim reijciendis immorari, id ſufficere ratus, vt omnes ſimul fuerint impugnatæ, ijs allatis rationibus, quæ opinionem quamcumque plures formas ſtatuentem in ſubſtantiali compoſito euerterent.

ARTICVLVS QVINTVS.

Reijciuntur aliarum opinionum fundamenta.

Sigillatim reſpondendum eſt ſingularum ſententiarum argumentis, quamuis multa confutata maneant ex obſeruationibus habitis tertio quæſtionis art. vt ibidem innuebatur.

Triplex prioris argumenti ſolutio.

Ad primum itaque pro prima poſitione da ex tertio notabili tres formales reſponſiones, & prima ſit, quod actiones illę generationis, & creationis non ſunt omnino diuerſæ, neque generans, & creans ſunt agentia diſparata, ſed neceſſario ſubordinata, generans nimirum creanti, vnde in his nihil prohibet eſſe vnum, ac eundem terminum materialem. Secunda, quod incóueniens eſt duarum actionum eſſe eundem terminum formalem eodem modo, at diuerſimode nihil prohibet, patuit autem animam quo ad eſſe, & intrinſece terminare creationem, quo vero ad ineſſe, vel vniri materiæ, & extrinſece generationem. Dic vltimo, terminum creationis eſſe animam, generationis autem compoſitū, hoc eſt, vnionem animæ ad corpus, ſumpta vnione fundamentaliter, & ſic nulla eſt inſtantia, quę ibi in argumento inſinuatur, de quaſi vis latius, vide Ferrar. 2. con. Gent. cap. 89. circa reſponſionem ad tertiam rationem.

Ferrarien.

Ad ſecundum recte reſpondebatur, vt plene viſum fuit quarto notabili; Ad impugnationem primam negatur conſequentia, cum enim homo nullo modo concurrat ad cauſalitatem animæ, quo ad eſſe abſolute, nō ſequitur, quod cooperetur creationi, ſed animam à ſolo Deo creatam vnit materiæ. Ad ſecundá negatur ſimiliter ſequela, tum quoniam homo producit multas, & omnes formas, & animam vegetalem, & ſentientem præuias animæ intellectiuæ, qua adueniente, illæ corrumpuntur, vnde non eſt ignobilioris ſortis, quam ſint animalia bruta, tum quoniam non ſunt æqualis nobilitatis forma quam inducit animal irrationale, & forma ad quam vltimo homo diſponit, & dignius eſt ad hanc præparare, & quo ad vnionem cum materia cauſare, quam illam quo ad eſſe ſimpliciter producere. Sed & aduerſarij tenentur ad hoc eodem modo dicere, nam etiam ſi attingeret generans vel formam corporeitatis, vel aliam animam ab intellectiua, niſi hæc adueniat, numquam eſt vera hominis generatio, quam tamen quo ad eſſe numquam cauſabit, cum ſit à Deo per creationem. Ad tertiam demum eodem modo dicitur, quod homo diſpoſitiones inducit pro anima non quo ad eſſe abſolute, ſed quo ad ineſſe, quo modo eandem quoque animam cauſat, ſed velut non cauſat animam abſolute, ita neque diſpoſitiones vltimas quo ad tale eſſe immediate inducit; & aduerte ly *immediate*, quoniam ſtat Deum ita rerum ſeries ordinaſſe, vt vbi inductæ fuerint diſpoſitiones illæ vltimæ, ipſe animam creet, &c.

Quæ efficiat homo in generatione hominis.

Ad tertium elicitur ſolutio ex primo notabili, quoniam anima intellectiua ob ſuam eminentiam largitur ſuppoſito operationes aliarum formarum, cum

ipſa in ſe contineat quicquid eſt formarum inferiorum, ex operationibus autem deuenimus in cognitionem formæ, vel alicuius, quod eminenter eam contineat, ſitque earum cauſa. Non eſt autem ſimile de intellectu, qui homini vniatur eminenter, quoniam intelligere non eſt operatio alicuius formæ inferioris, ad quam eliciendam ſufficiat concurſus intellectus in virtute, & eminenter, ſed eſt operatio eius propria, & adæquata, ac proinde exigitur, vt ſit in homine formaliter; Adde rationes alias varias, ob quas quæſtione illa oſtenſum fuit intellectum eſſe ipſi quo ad informationem neceſſario coniunctum. Quod additur de homine, qui formaliter eſt corporeus, conceditur, ſed & idem homo efficitur calidus formaliter per Solem, qui tamen non eſt formaliter calidus, non enim omnis forma dans eſſe corporeum de genere ſubſtantiæ, oportet vt ſit corporea, ſed ſufficit vt conſtituat ſuppoſitum talis naturæ, in qua poſſint tres dimenſiones deſignari, quod ſane præſtat omnis forma, quæ recipitur in materia.

Ad quartum optime reſponſum fuit; Ad primam inſtantiam patuit abunde ex ſecundo notabili, non vane induci priores formas, quoniam non vt quieſcant in materia, ſed vt ſint via ad vlteriorem formam inducuntur, immo argumentum reflectebatur, & dicimus, quod materiam diſpoſitam reliquerunt, non quod aliquid ei additum in illa reliquerint, ſed dicunt materiam tantum, quæ modo fuit ſub ipſis, vnde nuda manere intelligitur. Ad ſecundam dicitur, quod corrumpuntur ab agente naturali, at non vt fiat corruptio, ſed vt entis perfectioris fiat generatio, ſic eorum corruptiones non ſunt finis agentis, ſed via, & medium ad generationem compoſiti, & ad animæ intellectiuæ cum materia vnionem. Ad aliam dicitur, quod licet poſt animam vegetalem inducatur ſentiens, vtraque tamen inducitur in materia in inſtanti, ac proinde in inſtanti corrumpitur, rurſus non eſt neceſſe, vt aliquid ſemper eo modo quo generatur, corrumpatur, vt videbimus quæſtionibus ſequentibus de corruptione accidentium, & qualitatum ad ſubiecti corruptionem. Ad vltimam dicitur, optimum fuiſſe naturæ conſilium, quæ ſemper ab imperfectis operum ſuorum initia ducit, vt pro inductione formę perfectiſſimę, qualis eſt rationalis anima, tot formas in materia prius induceret, ſine quibus compoſiti adeo præſtãtis generatio nequit haberi, At ſi quæ corrumpuntur formæ pro aduentu animæ humanæ, eam in nobilitate adæquarent, haberet aliquam quod obijcitur apparentiam. Quod ſi roges, cur nõ maneant ſimul cum ipſa, cum præſertim non ſit inter illas, & illam contrarietas? Dico id prouenire ex omnibus rationibus, quibus probata fuit concluſio, non enim ſola formarum contrarietas eſt cauſa earundem in eodem incompoſſibilitatis, &c.

Finis corruptionis præcedentium diſpoſitionum.

Ad primũ pro ſecunda ſententia patebit ſequenti quæſtione, quomodo non ſit ponenda quantitas coæterna materiæ, quare neque corporeitatis forma, in qua vt in ſubiecto quieſcat. Habet autem materia exiſtentiã, non quidem ex ſe, at neque ab aliqua forma, quæ ſit ei coæua, ſed à particularibus formis aduenientibus, & recedentibus, ſub quarum aliqua ſemper inuenitur, vnde inanis foret exiſtentia illa ab æterna illa forma; Sic ruit, & aliquo modo retorquetur confirmatio.

Ad ſecundum dicimus, quod formæ non fiunt, vel producuntur, ſed compoſita tantum vere, ac proprie, ad quorum productionem comproducuntur formæ, vt ſæpe auctor eſt Philoſophus, quare vana eſt argumenti percontatio.

Quid vere fiat.

Rurſus admiſſo, quod fierent, nihil earum præcedit in materia, ergo creantur, nulla eſt illatio, quoniam in eo quod ponuntur ex materia extrahi, mox dicitur quod non creantur, vt omnis nouit, qui rationem tenet creationis. Ad confirmationem, conſpicuum erit quæſtionibus quæ ſequentur, quomodo numquã ſequatur materiã eſſe ſine forma abſolute, licet hæc, & illa recedat, nam in eodem inſtanti eſt primum non eſſe formæ præcedentis, & primum eſſe formæ ſequentis, &c.

Primum argumentũ, quo roborabatur tertia ſentẽtia, & ſolutum cumulatè fuit ex ſecundo notabili, & viſum eſt, quo pacto in eo committatur fallacia, & quomodo retorqueri ferè poſſit; Sed vltra ea omnia, reſpõdeo formaliter, quod formam nobiliorem exigere materiã magis diſpoſitam, contingit bifariam, primo quod formæ quæ diſpoſuerunt, ſimul maneant cum forma, vel quod vbi diſpoſuerunt, abeant; Vel, (& in idem redit,) quod formæ illæ ſint in fieri formę inducẽdæ tantũ, vel in fieri, & in facto eſſe: primo modo docemus, ſecundo negamus, in quo ſenſu vane laborat argumentum. Confirmatio ex vltimo notabili ruit, corpus enim eſt materia animæ, vt anima, nõ illius rei, quę eſt anima.

Ad ſecundum dicetur quæſtionibus quæ ſuccedẽt de iudicio ſenſuum. Bene tamen ibi reſpõdebatur, quod de nouo generatur forma cadaueris. Neque obſtat, vt idem effectus producatur à varijs agentibus, quando non habet rationem termini, ſed viæ ad vlteriorem effectum, qualis eſt forma cadaueris, quæ eſt medium ad corruptionem, & ad formas elementorum; immo abſolute Capreolus diſt. illa, & quæſtione ad tertium ſecundo loco contra tertiam concluſionem in ſecunda reſponſione concedit, eundem effectũ à varijs poſſe cauſis produci, dans exemplum de eodem calore ſecundum ſpeciem, quem cauſat Sol, & ignis; prima autem reſponſio quam innuit, eſt quod forma cadaueris non eſt ſemper eiuſdem rationis, quoniam ex diuerſitate complexionum, diuerſæ quoque ſpecie cadaueris formæ proueniunt; Caiet. quoque & prima part. quæſt. illa 76. ar. 4. & ſecũdo de Anima, quæſtione vbi ſupra ait, probabile eſſe, cadaueris formam eſſe rationum diuerſarum, iuxta diuerſitatem naturalium agentium, puta elementorum, vt cadauer mortui ex dominio choleræ, ſit alterius rationis ab eo quod mortuũ eſt ex dominio phlegmatis, immo loco poſteriori inquit, hoc eſſe fortaſſe verius, quod & acceptaſſe videtur Soncinas octauo Diuinorum, quæſt. octaua ad primum. Achilinus vero ſecundo de Elementis, artic. quinto, ad argumenta 4. loco id aſſertiſſime docet cum alterius partis excluſione.

Capreolus

Caietanus.

Soncinas.

Achillinus

Contra Zabarellam.

Quod autem Zabarella neget hanc formam cadaueris, valde nouum eſt, & doctrinam creditu difficillimam de tot formis adducit, quas in inſtanti ponit generari, & ſenſum deſtituit, qui clare videt corpus illud eſſe omnino vnum, & non ratione continuitatis, vel contactus, neque cernitur illa corporum congeries, ſed bene plures partes vnum totum complentes, & varia entia, varias formas, varia corpora abſque vlla neceſſitate multiplicat. Argumentum vero ſuum facile ſoluitur, non enim verum eſt, quod ſola animata ſint ætherogenea abſolute, & vtcũque, licet enim illa ſola ſint ætherogenea diu manentia, & partes organicas vere habentia, hoc eſt, quæ functiones poſſint obire, nihil tamen prohibet, quædam inanimata eſſe hæterogenea per aliquod tempus, in caſu maxime, quo ex neceſſitate materiæ, talem formam in materia inducere eſt neceſſe, ſub qua ſcilicet immediate antea fuit anima.

Ad ter-

Ad tertium negantur omnia, quæ deducuntur, & quam recte negentur, habitum fuit ſecundo notabili, & in ſolutione ad primum pro hac eadem ſententia; Materiam enim ponimus, & diſponi, & præparari, ita vt in hac materia, hæc tantum forma poſſit induci, quoniam formæ quæ præceſſerunt, ita ad hanc, quod non ad aliam eam diſpoſuerunt, & præpararunt, & aliud eſt loqui de materia prima, & de materia nuda, ita ſcilicet nuda, vt antea immediate fuerit ſub hac, & illa forma, quamuis enim vtraque intelligatur eſſe abſque forma, attamen illa ita accipitur nudata formis, vt ad quamlibet ſit indifferens, hæc vero eo modo quo loquimur licet accipiatur, vt carens forma, ita tamen huic intelligitur accommodata, quod non alteri, merito nimirum formarum, ſeu diſpoſitionum, ſub quibus proxime antea erat.

Ad quartum dicimus, omnes motus in viuente prouenire à virtute animæ, ſed illi vocantur animales, quibus medijs anima exercet opera vitæ, illi naturales, ſeu elementares, quatenus habent aliquid de proprietate elementi, & prout ab anima ordinantur ad quid mere naturale; Quod autem in dormiente, & in cadauere nonnulli horum motuum inueniantur, hoc nihil eſt, quoniā non conuenit deſcenſus animali vt ſic, ſed vt eſt corpus graue, in animalibus tamen motus illi exercentur per animam, in alijs, per naturam propriam, & media grauitate, quam & in viuentibus cernimus. Idem dicendum eſt de calore, non enim eſt multiplex calor in animali, alter ſcilicet animalis, & alter elementaris, (ex quo aliud Zabarellæ argumentum diluitur,) ſed eſt vnus calor multiplicis agentis vim habens, & quatenus ab anima deſtinatur ad opera vitæ, dicitur animalis, quatenus quid exercet de proprietate caloris elementaris, dicitur naturalis, vt habes à Soncinate octauo illo Diuinorum, q. 11. ad ſextum, & poteſt extrahi ex Caiet. prima par. quæſt. 118. art. primo circa reſponſionem ad tertium. Soncinas. Caietanus.

Ad quintum, quod theologicum eſt, dic breui ex doctrina Auctoris tertia par. quæſt. 50. ar. 5. & ex omnibus eius interpretibus, quod corpus Chriſti viuens, & mortuum fuit idem triplici identitate, & materiæ ſcilicet, & ſuppoſiti, & exiſtentiæ; & hoc ſat eſt ad ſaluanda omnia dicta Patrum, & Doctorum, non fuit autem idem identitate formæ, quoniā anima, quæ informabat corpus viuum receſſerat, cuius loco ſucceſſit forma cadaueris, & corpori Chriſti aduenit corruptio, prout ſignificat ſeparationem animæ à corpore, (Chriſtus ſiquidem vere mortuus eſt,) non autem vt ſignificat perfectam diſſolutionem in elementa, vt ex D. Damaſceno tertio de Orthodoxa fide, cap. 28. ibidem inquit Auctor, ſic corpus illud glorioſum viuens, & mortuum fuit idem identitate phyſica, (quoniam eadem materia, & alia quæ audiſti,) non metaphyſica, quoniam non eadem forma. Ad confirmationem dicitur, quod in conſecratione panis, ex vi conſecrationis adeſt corpus, & certe aliqua forma, per quā corpus illud eſt corpus, ſed hæc non eſt alia ab anima intellectiua, at in vi conſecrationis non adeſt ſub ſpecie panis, niſi quatenus præbet eſſe corporeum, ſic eſt ibi non formaliter, ſed identice, non anima vt ſic, ſed res, quæ eſt anima, loquendo poſt Chriſti reſurrectionem, nam in triduo mortis, qui hoſtiam conſecraſſet, ſub ſpecie panis contentum fuiſſet illud compoſitum ex materia, & ex forma cadaueris, quā tunc nō modo non eſt inconueniēs aſſerere in Chriſto, ſed & neceſſarium, cum neceſſe ſit dicere Chriſtum tunc fuiſſe mortuum, ſed vt ait Caiet. vbi ſupra prima par. quæſt. 76. ar. 4. trepidauerunt timore, vbi non erat timor, &c.

D. Thom.

Quomodo corpus Chriſti viuum, & mortuum fuerit idem.

D. Damaſ.

Caietanus.

Denique

Denique ad argumenta vltimæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum ex vltimo notabili colligitur ſolutio, non enim in vllo compoſito ſunt varia quodquideſt, realiter diſtincta, ſed omnia ab vna, & eadem forma, iuxta varias eiuſdem conſiderationes proueniunt, quocirca ratione dumtaxat diſtinguuntur, de qua materia plura dicta ſunt prima quæſtione ad tertium caput. Ad primá confirmationem negatur ſequela, quoniam illamet forma ſub alia ratione, & gradu dat eſſe hominis, & ſub alia eſſe animalis, immo dat ei hæc eſſe varia, quatenus ratione differt à ſeipſa, ſic ly *inquantum* non tenetur reduplicatiuo, & formaliter; & ſicut ſi ab alijs formis haberet illa eſſe, non concluderet argumentum, ita & modo nihil concludit, quoniam illamet forma obtinet eminenter hanc diſtinctionem, & ſub ratione communiori dat eſſe animalis, ſub conceptu magis ſpeciali, eſſe hominis, &c. Velut quoque non valet, hoc ea forma eſt album, qua eſt coloratum, igitur eſt album inquantum coloratum, aliàs omne coloratum foret album.

Quomodo ab eadem forma ſimilitudo, & diſſimilitudo.

Ad poſteriorem confirmationem dicitur primo ex eadem doctrina, quod ab eadem forma ſub eadem ratione nequit prouenire ſimilitudo, & diſſimilitudo, ſub varia tamen ratione id poterit fieri, ſic idem ſub eadem ratione non poteſt eſſe cauſa contrariorum. Dicitur ſecundo, quod ab eadem forma nequit ſimilitudo, & diſſimilitudo reſpectu eiuſdem proficiſci, ſed bene reſpectu diuerſorum, ſic homo in genere conuenit cum leone, differt autem ſpecie, & conuenientia ſecundum ſpeciem, eſt ſimpliciter, in genere vero, ſecundum quid ſolum, &c.

Ad ſecundum depromptum ex auctoritate Ariſtotelis plura diceremus, niſi prima illa quæſtione ad tertium caput tripliciter auctoritatem illam explicaſſemus, ex qua triplici interpretatione triplex reſponſum ad argumentum colligitur, Vide ibi, ne eadem repetamus.

Ad tertium eadem eſt adhibenda ſolutio, quæ ad primum huiuſmet opinionis, & de ijs, quæ hoc argumentum admiſcet, tota prima illa memorata quæſtio diſſeruit, in qua vidimus identice eadem eſſe genus, ſpeciem, differentiam, & ab eadem forma omnia hęc deſumi, ſub varijs tamen acceptionibus, ac proinde iuxta conceptus eorum formales dumtaxat ſecerni.

QVAESTIO TERTIA.

Quodnam ſit ſubiectum accidentium.

CIRCA eandem tertiam partem, & circa idem diſcrimen primum, quo dicitur ſubiectum accidentalium formarum eſſe ens in actu, ad differentiam ſubiecti formæ ſubſtantialis, quod erat ens in potentia, occurrit quæſtio grauiſſima, num ſcilicet ſubiectum omnium accidentium ſit ſemper ens in actu, an vero materia, quæ eſt pura potentia queat eſſe vllius accidentis ſubiectum, cuius occaſione diſcutientur, quæ circa quartam partem literæ obſeruabantur, dum omne accidens ponebamus in compoſito, vt in ſubiecto. In huius gratiam explicabo titulum, & quid varij ſenſerint referam, ſecundo, nonnulla fundamenta præmittam pro veritatis deciſione, tertio ponam concluſio-

cluſionem, quæ dicet quomodo materia ſit, & non ſit ſubiectum accidentis, eamque probabo, quarto de natura interminatæ quantitatis digrediar, eamque in materia minime neceſſariam pateſaciam, quinto hocipſum concluſione definiam, ac probabo, vltimo diluam, quæ definitis in quæſtione poſſent obſtare.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quo ſit quæſtio, & quid in ea alij voluerint.

CVm duo præcipue ſint genera accidentium, quantitas nimirum, & qualitas, de vtroque erit quæſtio; cumque ab omnibus conſueuerit quãtitas diſtingui in terminatam, & in eam, quæ interminata dicitur, de vtraque tractabitur; Rurſus cum hæc, & illa dupliciter à nonnullis ſtatuatur in materia, vt in ſubiecto, vt nimirum aliquando ab ea recedat, & eidem adueniat, vel ita vt in ea ſit, quod nunquam ab ea recedat, diſputatio erit in vtroque ſenſu.

Aduerte vero, quod ſi ponatur aliquod accidẽs recipi in materia, vt in ſubiecto, non ſit ſtatim conſequens, vt forma non vniatur materiæ nudæ prorſus, vel quod in corruptione ſubſtantiali ad parem materiam non fiat reſolutio, quoniam ſtat hæc omnia euenire, & tamen aliquod accidens eſſe in materia, quod in diſceſſu formæ ſubſtantialis intereat, at vero ſi ponatur aliquod accidens in ipſa æternum, ab eaque numquam ſeparabile, certe non poterit forma copulari materiæ nudæ omnino, quoniam ſemper erit ſub illo; vbi enim oſtenſum eſt formam coniungi materiæ omni forma ſubſtantiali deſtitutæ, iam inquirere incipimus, num ita eidem vniatur, vt ſub nullo quoque ſit accidente. Vnde quoniam quæſtionibus iſtis intẽdimus penitus examinare, quale ſit ſubiectum formæ, & accidentalis, & ſubſtantialis, ideo abſolute videndum eſt, num aliquod accidens ſit in materia ſubiectiue, & præſertim, num aliquod ſit ei perpetuo annexum; Quod ſi viderimus, nullum poni accidens ab ipſa inſeparabile, habebimus formam ſubſtantialem vniri materiæ nudæ, & forma ſubſtantiali, (quod iam patuit quæſtione præcedenti,) & accidẽtali, cuiuſmodi eſt quantitas; nullus enim poſuit aliud accidens à quantitate ipſi materiæ coæternum, an vero aliquando in materia ſint aliquæ qualitates, vel diſpoſitiones, ſub quibus ipſi manenti coniungatur forma ſubſtantialis, ſequenti quæſtione definietur. Finis harum quæſtionum.

Eſt itaque controuerſia, num accidentia, & præcipue quantitas interminata habeat pro ſubiecto aliquod ens actu, vel materiam.

Quibus diſpoſitis; Complura adſunt argumenta, quibus apparet demonſtrari ſubiectum multorum accidentium eſſe materia.

Et primo, De materiæ potentia educũtur accidentia, ergo ei debent vt ſubiecto inhærere, antecedens probatur, nam accipiatur aqua calida, certe calor nequit extrahi ex forma, nam forma aquæ eſt oppoſita, vtpote frigiditatem ſibi naturaliter vindicans, ergo ex materia, quippe quæ communis eſt ad oppoſitas formas, conſecutio videtur certa, immo vero ſi de aliquo quid educitur, prius aliquo modo erat in illo, & hoc argumentum ab omnibus prope recentioribus neruoſius iudicatur, pro certo habentibus, in eo, vt in ſubiecto debere eſſe accidentia, de cuius potentia educuntur. Confirmatur, quoniam eſſe ſubiectum, nil aliud eſt, quam recipere, & pati, omnis autem paſſio, & receptio

eſt ma-

eſt materiæ affectio,non formæ, quoniam huic actiones tribuuntur, & agere contrariatur pati, ergo &c.

Secundo, Si caliditas gratia exempli,quæ eſt in aqua,ponatur inhærere compoſito, & non materiæ, ſequitur vt agat per ſe ad corruptionem ſui ſubiecti, & cauſæ,ſine qua non poteſt permanere, & ex conſequenti aget ad ſui ipſius interitum,& deſtructionem, hoc autem videtur implicare, quoniam vnumquodque ens diligit ſe permanere, vt dicebat Auerr. primo Phyſ. 81. & nullum agens ad malum operatur, conſequentia eſt clara, nam caliditas in aqua ſemper operatur ad deſtructionem aquæ; Immo vero ſequitur,quod eadem aqua ad ſui ipſius agat corruptionem, quod eodem modo probatur,quoniam quicquid agit caliditas in aqua exiſtens, agit in virtute aquæ,cum ſit eius accidens, quare ſi caliditas machinatur corruptionem aquæ, ipſamet aqua idem machinatur, ſaltem vt agens remotum, ac principale, &c.

Auerroes.

Tertio, Vel materia eſt in potentia ad receptionem accidentium, vel non, ſi primum,ergo aliquando ſaltem ea recipiet, & illorum erit ſubiectum,ſi ſecundum,ergo numquam ea recipiet, cuius contrarium docent omnes, & nos ipſi quæſtione de principio indiuiduationis dicebamus, materiam vtique eſſe primo in potentia ad formam ſubſtantialem, at deinde etiam ad accidentales, immo hoc idem docebimus hac quæſtione; Quod ſi dixeris,oportere prius aduenire formam ſubſtantialem materiæ, deinde accidentia, hoc nihil eſt,nam ſaltem habebitur, quod materia ſub formà ſubſtantiali manens,ſit accidentium ſubiectum. Et præterea reſponſio videtur deſtruere poſitionem noſtram de indiuiduationis principio,nam ſi forma prius quouis accidente inducatur in materia, forma illa certe erit ſingularis, nam generationes omnes, & productiones fiunt circa ſingularia, ante quantitatem igitur forma illa erit ſingularis, quomodo itaque materia cum quantitate erit cauſa indiuiduationis formæ, & indiuidui?

Quarto, Teſtimonio ſenſus edocemur eadem accidentia, vt quantitatem, qualitates, colores,cicatrices, & ſimilia remanere in mortuo, quæ prius erant in viuente, at iam omnis forma ſubſtantialis in morte receſſit ex quæſtione præcedenti, quare in forma nequeunt eſſe ſubiectiue, multo minus in compoſito,ſiquidem vnio animæ ad corpus,in qua fundamentaliter ſtat compoſiti ratio diſſoluta eſt, igitur ſunt in materia, vt in ſubiecto, hæc enim communis eſt viuenti, & corrupto; Si dicatur non eſſe eadem accidentia illa, ſed ſimilia, tunc inſurgunt difficultates inextricabiles, cum nequeat aſſignari, à quo corrumpantur illa, à quo generentur iſta, & quomodo vtraque actio ſit inſtantanea, & quare corrumpantur, ſi illa ſat eſſent, & denique his omnibus non ſatisfit argumento,ſtat enim inuictum ſenſus iudicium, affirmans hæc illa eſſe, non alia, &c.

Probatur deinde de quantitate, ſeu dimenſionibus interminatis, quod ſint in materia ſubiectiue,Quoniam cum ex ipſa materia fiant res iſtæ, ſi in ea non præſint hæ dimenſiones, tunc corpus fieret ex non corpore, & dimenſio ex nõ dimenſione,tunc quantitates priores corrumperentur, & poſteriores generarentur, & omnes hæ conſequentiæ notæ ſunt cuiuis philoſopho, nam materia ſecundum ſe non eſt corpus, non dimenſio; Rurſus ſi non ſit quantitas ſibi coæterna,cum ſemper videamus materiam ſub quantitate, iam alia, & alia aliquando erit quantitas, ſic aliqua quantitas generabitur, aliqua corrumpetur, &c. falſitas conſequentis, ſeu conſequentium patet primo ex Ariſtotele

tertio Cœli 29. dicente, non poſſe generari corpus ex non corpore, vel ex nõ magnitudine, ſexto etiam Phyſ.48. legimus, omnem tranſmutationem fieri in quanto; deinde quantitas nequit produci ab alia quantitate, non enim quantitas eſt forma actiua, neque à qualitate, hæc enim præceditur à quantitate, neque ſimiliter poteſt corrumpi, quoniam nihil habet contrarium ex Philoſopho in cathegoria propria, & tamen quicquid corrumpitur, à ſuo contrario corrumpitur, ex primo Cœli 20. &c. Ariſtotel.

Sexto, Docet experientia, & philoſophia, formas in diuerſis partibus materiæ recipi, at nequit in materia eſſe talis partium diuerſitas, ſiue diſtinctio, niſi in eadem aſſignetur quantitas, ſubtrahas enim quantitatem à ſubſtantia, eam indiuiſibilem remanere audies primo Phyſ.15.& 18. quinti Diuinorum legis, diuiſionem eſſe propriam quãtitatis affectionem, nihilque eſſe diuiſibile, niſi merito quantitatis. Confirmatur, quoniam niſi quantitas in materia ponatur, non diuidetur forma ad diuiſionem materiæ, & ſic erit prorſus indiuiſibilis, cum enim ad materiæ diuiſionem ponatur diuidi, impoſſibile eſt, vt ſemota à materia quantitate, quid ab ipſa diuiſionem recipiat. Dicetur forte, quod licet non ponatur quantitas æterna in materia, formæ tamen diuiduntur, atque in varijs, & diſtinctis materiæ partibus recipiuntur, vel merito quantitatis formarum, quæ receſſerunt, vel merito propriæ, quam ſecum ferent, ſed neutrum bene dicitur, non primum, quoniam iam quantitas formæ prioris, in aduentu poſterioris corrumpitur in via noſtra, non ſecundum, quoniam nos ponimus formam prius recipi in materia, quam eius quantitatem, quare difficultas ſtat de illo priori, in quo forma ponitur aduenire materiæ, abſque vlla quãtitate, &c.

Septimo, Manifeſtum eſt, quod forma non dat materiæ, vt ſit materia, neque vt ſit ſubiectum, (eſſentialiter quippe materia ſubijcitur,) quocirca præſupponit id, ſine quo materia nequit eſſe ſubiectum ipſius, hoc autem eſt quãtitas, velut enim materia non habet diſtinctas partes citra quantitatem, ita nequit ſecundum varias ſui partes varias formas recipere, igitur forma nõ confert quantitatem materiæ, ſed in ea illam præſupponit. Confirmatur, quoniam commune eſt philoſophorum axioma, quantitatem ſequi materiam, quod & docet Auctor tertio Phyſ. circa 22. quod & corroborat Platonis teſtimonio, non igitur eam poteſt forma ſecum ferre, & tribuere compoſito. Cõfirmatur adhuc præcipue in homine, nam certe quantitas nequit eſſe in anima intellectiua, aliàs foret extenſa, & quanta per accidens, quod eſt abſurdum, quare &c. D.Thom.

Vltimo, Auctor multis doctrinæ ſuæ locis, potiſſimum quarto contra Gent. 81. habet, nullum principium eſſentialium hominis per mortem cedere omnino in nihilum, quoniam anima rationalis manet poſt mortem, materia etiã quæ tali formæ ſubiecta fuit, manet ſub eiſdem dimenſionibus, ex quibus habebat, vt eſſet materia indiuidualis, quare ponit quãtitatem in materia inhæſiue, atque ſubiectiue, idem habetur ex ipſo alibi, at locum vrgentiorem ſufficiat retuliſſe.

Ob quattuor priora argumenta, & alia multa, quæ tamen eaſdẽ pene tãgunt difficultates, multi in eam ſententiã inclinarunt, vt dicerent materiam eſſe ſubiectum accidentium. Inter quos præcipui videntur extitiſſe Gregorius de Arimino in 2. diſt. 12. q. 2. & Aureolus ibidem, quos poſtea ſunt ſecuti Achillinus ſecundo de Elementis, ad calcem tertij illius art. in quo tot dubia admiſcuit, Marſilius primo de Generatione q. 7. & Albertus de Saxonia ibidem, q. 6. hoc ipſum vt probabile, & tamquam problema defendit. Zabarella quoque hanc ſententiã affirmate docet libro illo de Communi rerum generatione, & interitu, cap. 9. & Ariminen. Aureolus. Achillin. Marſilius. Alb. de Saxon. Zabarella.

alij plerique ex recentioribus hanc poſitionem tuentur,quam credo eos omnes amplecti debere,qui vnicam tantum in compoſito ſubſtantiali formam ſtatuentes, defendunt aliquod idem numero accidens manere in genito, & corrupto, non enim intelligo,quid aliud à materia illius accidentis,ſeu illorum accidentium ſubiectum aſſignare valeant, de quibus ſequenti quæſtione erit ſermo. Nonnulli auté ex allegatis auctoribus diſtinguunt de ſubiecto, inter quos ſunt Marſilius,& Albertus dicentes,duplex eſſe, alterũ inhæſionis, alterum denominationis,& docent materiam eſſe ſubiectũ inhæſionis, cui ſcilicet accidentia inhæreant,non autem denominationis,vt ſcilicet ab illis denominetur,nõ enim dicitur materia calida,vel frigida,quam tamen diſtinctionem improbat Zabarella, de qua ar. ſequenti.

Subiecti diſtinctio.

Auerrois poſitio.

Ob alia autem argumenta,& præcipue ob quintum,& ſextum, cum eorundem confirmationibus motus eſt Auerr.vt interminatas dimenſiones, & quãtitatem in materia æterna,ab eaque penitus inſeparabilem locaret, vt varijs locis apud eundem legimus,& præcipue primo Phyſ.63. ſed multo euidentius,ac latius cap.primo de Subſtantia orbis,vbi argumenta illa inſinuat. Auerr. præceſſit Auicenn.vt vidimus præcedenti quæſtione, quamuis vltra quantitaté poneret & formam corporeitatis coæuã pariter materiæ,in quo diſſentit ab Auer.Multi deinceps hanc Commentatoris poſitionem ſunt profeſſi,vt Greg.Arim.vbi ſupra,Iandunus primo de Anima,q.2.Sueſſanus octauo Diuinorum,diſputatione quarta,Achillinus loco nominato,Mercenarius ſecundo ſuarum dilucidationũ volumine,dum aperit naturæ ordinem in rerum naturaliũ ortu,ac interitu,Genua quæſtione ſua ad quartum ſecundi de Anima,Zabarella lib. 2. de prima rerum materia,cap.9.& deinde,ac Pererius lib.5.illorum 15.cap.18.& 20. Vnde nedum ob rationes allatas,ſed & ob grauium quos recenſui auctorũ teſtimonium, nullatenus, vel leuis, vel omnino negligenda apparet hæc opinio.

Auicenn. Ariminen. Iandunus. Sueſſanus. Achillin. Mercenar. Genua. Zabarella. Pererius.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Iaciuntur fundamenta pro habenda veritate.

D.Tho.voluntas.

IN contrariam ſententiam,ſeu contrarias iuit Auctor, & quod ſcilicet nullũ accidens ſit in materia ſubiectiue, ſed ſolum in ente in actu,& ex conſequenti,quod interminatæ dimenſiones non ſint in materia, vt in ſubiecto,neque vllo modo ei coæternæ,ſed velut in aduentu formæ poſterioris,prioré formam abire docet,ita & eiuſdem formæ quantitatem,& omnia alia accidentia,vt patebit quæſtione quæ ſequetur,& ita omnes eius diſcipuli opinantur,locis prope eiſdem,quos præcedenti quæſtione allegatos habes, Et quod ad primum ſpectat,vt nimirum ſubiectum accidentiũ non ſit materia,ſed ſolum ens in actu, habes dilucide hoc loco ex differentia receptiui formæ ſubſtantialis, & accidentalis, quodipſum legis prima par. quæſt.76.ar.6.vbi hoc ipſum diſcrimen adfert,idé colligis ex toto nono ar.quæſtionis de Anima. Sic docet Caiet. hac quæſtione, & Capreolus in 2.diſt.13.conclu.3.Quod vero ad quantitaté,vel dimenſiones interminatas ſpeciatim, (nam hoc ſequitur ex illo,) habes opuſculũ de natura materiæ, ſi tamen ab Auctore fuerit æditum, vbi de induſtria eas impugnat, quod & præſtat Caiet hoc loco,& Capreolus libro illo 2. diſt.18.circa ſextam concluſionem,& alij permulti diſcipuli Auctoris locis ferè illis recenſitis. Ex

Caietani. Capreoli.

qua

qua poſitione habetur, formam ſubſtantialem vniri materiæ nudæ, non ſolum ab alia forma ſubſtantiali, ſed etiam ab accidente, quod eſt quantitas, & ſimiliter in ſubſtantiali corruptione fieri reſolutionem ad materiā carentem & forma ſubſtantiali, & omni quantitate; Et iam firmiora aduerſariorū argumenta confutauit Capreolus ad argumenta cōtra concluſiones illas ſecundā, & tertiā, & alij quoque thomiſtæ id luculente præſtarunt, ſed præcipue quo ad dimenſiones interminatas, potiſſimas Auer. rationes diſſoluit Auctor cap. 4. illius opuſculi, & Caiet. in hac parte, & alij Auctoris alumni. Et quidē ſi quæ adnotarunt maiores noſtri, vt decet inſpiciantur, nullo negotio ruent, quæ multa congeſſere nonnulli inter illos quos recenſui in ſententia contraria, quorum argumenta inutile iudicaui ad vnguem referre, ſat enim fuerit, ſi fundamenta illa tulerimus, & ſi ea pro inductis rationibus diluendis adſeremus, (in quibus pene omnium aliarum efficacia conſiſtit,) ex quibus facile quiſquis alijs ſigillatim occurrere poſſit.

Sit itaque primum fundamentum, Lōge aliud eſt, eſſe ſubiectū receptiuū alicuius rei, & cui res illa vere inhæreat, & aliud eſt eſſe rationem, & radicē, & cauſam, qua res illa alicui inſit, quæ ſane doctrina nullum bonum philoſophū latet, ſicut alia eſt ratio cur quid agat, & aliud eſt illud, quod merito rationis illius agit; quo poſito, velut a forma eſt omnis actualitas, ita à materia omnis potentialitas; cumque recipere ſit quoddam pati, (accepta paſſione in peramplo ſignificato,) & nihil patiatur, niſi quatenus eſt in potentia, ſicut nihil agit, niſi ea ratione, qua eſt in actu, cum inter omnes conueniat, materiā eſſe radicem omnis potentiæ, nam omnis denique potētia in ipſam, vel in aliquid ei ſimile reducitur, illud neceſſario conſequitur, quod materia ſit ratio, cauſa, & radix, cur quid aliquid patiatur, aliquid recipiat, & cuiuſuis rei ſit ſubiectum; Ex quo multa, ac multa argumenta confutantur, & pro nobis faciunt, probant enim ex materia omnem receptionē, & eius merito, potentiā omnem eſſe in compoſitis iſtis ſubſtantijs, quod concedimus, & docemus, at minime efficiūt, vt ipſa ea ſit, quæ immediate recipiat, & quæ verum ſit accidentiū ſubiectum, & ita in hoc ſenſu Capreolus vbi ſupra ad primum Gregorij contra tertiam concluſionem concedebat totum argumentum, in alio totum negabat. Vulgata diſtinctio. Capreol.

Aduerte tamē circa hoc, quod omnia hæc proferimus de materia, vt nimirū ſit radix, cauſa, &c. in genere ſuo, hoc eſt materiali, quæ patere poſſunt ex explicatione aſſignatæ cauſalitatis, quæ genus ſolū materialis cauſæ adumbrant; Rurſus aduerte, quod loquimur de accidentibus materialibus, & corporeis, nam ſpiritualia, vel intelligibilia merito formæ recipiuntur, cuiuſmodi ſunt ſciētiæ, habitus, &c. licet veriſſimum ſit, quod in ipſamet forma, prout eſt ratio receptionis horum accidentium, aliquid potentialitatis ſit inuenire, ac proinde quid materiæ ſimile, interim tamen loquimur de vera potentia, veraque materia. Denique ſermo eſt de potentia, cauſa, ac radice prima, & remota, non autem proxima, nam hæc debet eſſe in eodem genere, in quo eſt accidens illud, quod vt proprium actum ponitur reſpicere, vt ſcripſi quæſtione de indiuiduationis principio, materia vero eſt potentia proxima ad recipiendā ſolum formā ſubſtantialem, quæ eſt in ea, non vt in ſubiecto inhæſionis, ſed informationis, &c. Quod ſi dixeris, ex eo quod materia ſit potentia tantum remota receptionis accidentium, igitur debet aliqua potētia proxima aſſignari, fateor, at ſi petas quænam ſit, dic eſſe compoſitum, vt latius patebit inferius, &c.

Ex his accipe interpretationem multorum dictorū, quibus videtur affirmari

Senſus dictorum quorundam.

materiam primam recipere accidentia, explicanda enim ſunt, vt ſit ratio remota illa recipiendi, & quod materialia accidentia eam ſequantur, non totaliter, ſed principaliter, vt circa quartam partem literæ fuſius adnotatum fuit.

Sit ſecundum fundamentum, Non mox fieri conſequens, vt ſi quid ex aliquo educatur, quod in illo ſit ſubiectiue, ſtat enim vt ex vno extrahatur, & in alio ſit inhæſiue, & maxime quando non ſic ex illo extrahitur, vt aliquando fuerit in illo, vt in ſubiecto, ceu in propoſito poſſumus dicere accidentia materialia ex materiæ potentia educi, & tamen haud eſſe in ipſa ſubiectiue, non enim ita de eius potentia educuntur, vt prius eidẽ inhæreant, & deinceps ad compoſitum transferri dicamus, tũc enim migraret accidens de ſubiecto in ſubiectũ, ſed eatenus dicuntur de potentia materiæ extrahi, quatenus ad extra producũtur, ita tamen vt ab ipſa dependeãt in genere cauſæ materialis, ad differentiã accidentium ſpiritualiũ, velut & materiales formas de illa educi aſſeuerãt philoſophi, non tamen vt prius in ea fuerint ſubiectiue, ſed ſolum quoniã ab agente cõproducuntur cũ dependentia ab ipſa. Adde, quod accidentia non ita educuntur de materia, vt ſint vltimi termini illius vt ita dicam eductionis, ſed vt ſint tamquã viæ, ac diſpoſitiones ad terminum vlteriorẽ, ad compoſitum inquam, quare ex hoc potius colligitur, in compoſito, quam in materia ſubiectiue eſſe debere; Verum tamen eſt, quod accidentia illa, quæ vt viæ, ac diſpoſitiones ex materiæ potentia educuntur, in nouæ formæ aduentu pereunt, quare tunc neque in materia, neque in compoſito ſunt, vt in ſubiecto, ſed tamen erãt in compoſito præcedenti. Vnde obſerua, quod vere loquendo, accidentia educuntur de potentia compoſiti, quippe quod in actu exiſtens, eſt eorundem proprium ſubiectum, cũ in ipſo immediate recipiantur, quemadmodum ab eodem & in fieri pendent, & in conſeruari, ad differentiam formarum ſubſtantialium, quæ ſunt proprij actus primæ, ac nudæ materiæ, &c.

Quomodo accidentia materialia educantur ex potentia materiæ.

Ex cuius potẽtia educantur accidentia.

Sit tertium fundamentũ; Quod accidẽs poteſt inueniri in duplici ſubiecto, nam poteſt reperiri primo in illo à quo oriatur, & cui ſit connaturale, quo modo in igne eſt calor, poteſt deinde eſſe in ſubiecto alterius naturæ, & à quo ſit extraneum, vt calor in aqua; Primum vocatur à Caiet. 2.2.q.23.ar.2. ad tertiũ cauſa, ſecũdum dicitur vtens, & vere ſic eſt, nam vt ſiſtamus in exemplo allato, ignis cauſat calorẽ, (intellige nulla media actione, ſed naturali pullulatione,) ſed aqua non cauſat calorem, at ſolummodo quando in ea inuenitur, eſt ipſa vtens, tãtum enim abeſt, vt calor ex principijs aquæ oriatur, quod ei repugnat. Tunc dicimus, nullum eſſe inconueniens, vt accidens dum inuenitur in ſubiecto extraneo, agat ad corruptionẽ & ſuam, & ſubiecti in quo eſt, quoniã tunc non agit in virtute illius extranei ſubiecti, ſed proprij à quo cauſatur, ſic quęrit deſtruere ſubiectũ illud, in quo ex accidenti inuenitur, & ſeipſum etiã, ſed per accidens, at non primo id quærit, ſed producere calorẽ; immo etiam ſi diceretur, quod per ſe quærat corrumpere ſubiectũ illud extraneum, nil incommodi accidere poſſe video, dum tamen corruptio illa non ponatur vltima eius intentio, ſed eam intendat, vt neceſſariam viam ad caloris inductionẽ. Sic iure dicimus, virtutẽ, atque efficaciam formarum accidentaliũ in illam ſubiectorũ eſſe reducendã, ſed non quæ ſe habeant vt vtentia, at quæ principalia ſint, & à quibus proficiſcantur. Ex qua doctrina bene intellecta, cadit ſecundũ argumentũ, & alia ſimilia, quæ à permultis in hac quæſtione ſolent exaggerari, pro impoſſibili habẽtibus, vt accidẽs agat ad corruptionẽ ſui ſubiecti, quibus conuicti, non compoſitũ, ſed materiam ſtatuunt accidentium ſubiectũ, ad cuius corruptionẽ

Duplex accidentis ſubiectum.

Caietanus.

Vnde formarum accidentalium virtus.

nullum accidés operatur, cum eadem in genito, & corrupto ſub formis varijs permaneat. Hanc vero doctrinam, quam ex Caiet. loco relato collegi, merito maxime notandam dixit Bannes quæſtione ſua nona, ar. 1. circa hoc ſuper primum de Generatione cap 4 neque ad propoſitum de quo loquimur videtur latuiſſe Sueſſanum diſputatione illa 4. ſuper octauum Diuinorum, neque ei prorſus diſplicuiſſe, dum cap. 5. reſpondens ad primam quandam obiectioné dixit, duplex eſſe ſubiectum caliditatis, naturale ſcilicet, vt ignem, & violétum, vt aquam, & ſibi non videri impoſsibile, vt aliquid agat ad corruptionem ſui ſubiecti violenti, dummodo intendat generare ſubiectum ſuum naturale; nam poteſt addi vt dicebatur, quod non corrumpit, vt corrumpat, ſed vt generet, neque abſolute vel corrumpit, vel generat, ſed corrumpit ſubiectum extraneum, ac violentum, vt generet proprium, & connaturale, &c. Bannes. Sueſſanus.

Veruntamen ſcrupulus manet contra hanc doctrinam, quomodo ſtet, vt accidens, cuius eſſe eſt ineſſe, & quod in quouis ſubiecto inueniatur, ab eo ſuſtentatur, quo pereunte, perit & ipſum, poſſit operari in virtute alterius ſubiecti, quam ſit illud in quo inueniatur, quamuis enim ſubiectum naturale caloris ſit ignis, attamen dum calor eſt in aqua, non amplius habet eſſe ab igne, quare neque operari, vnde mirabile, ne dicam impoſſibile apparet, quomodo virtus caloris in aqua exiſtentis, ſit in ignem reſoluenda, nõ autem in aquam, à qua tunc habet eſſe. At dicendum puto, quod calor tunc agit quidem in virtute ignis, ſed non quam actu ab ipſo accipiat, ſed quam prius ab eodem accepit, ſemper enim in caliditate manet virtus ignis, donec ipſa manet, & in quouis accidente manet virtus ſui proprij, ac naturalis ſubiecti, & ſi fuerit intenſus calor, ita potéter aget, vt corrumpat ſubiectum extraneum in quo eſt, ſin erit remiſſus valde, præualebit ſubiectum, & ille euaneſcet; Quamuis autem operatio accidentium ſit à ſubiecto quo ad ſubſtantiam, non tamen eſt neceſſe, vt ſit quo ad modum, loquendo de ſubiecto extraneo, ac violento, nã modus, & efficacia tribui debet ſubiecto naturali, ratione virtutis, quam in illo reliquit, &c. Dubitatio. Solutio.

Dum autem audis accidens agere in ſubiectum in quo eſt; noli accipere de actione per modum efficientis, tunc enim ſubiectum eſſet ſimul in actu, & potentia, nam actuatum calore calefacit, quod ſi effectiue calor in ipſum ageret, iam calefaceret, & calefieret, ſed intellige quod agit formaliter, tribuendo ſcilicet tale, & tale eſſe per modum ſequelæ, vt habes ab Auctore prima ſec. quæſt. 85. ar. 1. ad quartum, & ibidem diffuſe ſatis à Conrado adferente varia, quibus differunt effectus per modum formæ, & per modum veri efficientis, ſeu actionis proprie acceptæ, &c. Quomodo accidens agat in ſubiectum. D.Thom. Conradus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo materia ſit, & non ſit ſubiectum accidentium.

HIs præmiſſis, adferamus hanc concluſionem bimembrem: Licet materia ſit ratio qua aliquid recipiat, accidentia materialia, vt proinde poſſit dici ſubiectum *quo* ipſorum, nullum tamen accedens ipſi immediate inhæret, quare nullius accidentis eſt ſubiectum vt *quod*. Prior pars huius aſſertionis conuincitur argumentis factis à principio, & præcipue confirmatione primi, & colligitur Pro membris concluſio.

gitur ex tota doctrina primi fundamenti, & accidentia propterea materialia dici videntur, non quia ipſi materiæ inhæreant, vt inquit poſterior pars concluſionis, ergo ex eo quia ſunt in compoſito ratione materiæ: Et cum dicimus totum compoſitum eſſe ſubiectum accidentium, nolumus dicere, quod ſecundum quamuis ſuã partẽ, nam interiores ſenſus nõ ſunt albi, vel crocei, ſed accipitur denominatio totius ratione alicuius partis, à qua denominatur totũ ipſum, quæ ſane pars nequit eſſe forma, cũ ſit ſermo de acciẽtibus materialibus, quamobrẽ relinquitur, vt ſit materia; & ſi fuſius vis videre probationẽ prioris huius partis, lege Soncinatẽ ſeptimo Diuinorum, quęſt. 3. & octauo eorundem, quæſt. 7.

Quomodo cõpoſitum ſubiectum accidentium.

Soncinas.

Quod attinet ad poſteriorem partem, probo primo teſtimonio Ariſtotelis, qui primo de Generatione 23. ait, ſubiectum accidentium eſſe aliquod ſenſile; Auer. etiam multis locis, vt 2. de Anima 4. primo Phyſ. 63. quinto eorundẽ 8. & alibi, docet differre ſubiectum accidentium à ſubiecto formæ ſubſtantialis, quoniam illorum eſt ens in actu, huius autem eſt ens in potentia, nullus autem ignorat materiam non eſſe quid in actu, vel ſenſile, quare &c.

Ariſtotel.

Auerroes.

At qui contrariam tuentur ſententiam, reſpondent, duplex eſſe ſubiectum, alterum denominationis, alterum inhæſionis, vt innuebatur in eorum opinione referenda; tunc dicunt Auer. voluiſſe ſubiectum denominationis tantum accidentium eſſe ens in actu, at vero inhæſionis eſſe materiam; Sed multa ſunt, quæ nullam hanc reſponſionem conuincunt, primo namque voluntaria omnino deprehenditur, cum ad libitum Auer. exponat, & qui contradictiones in eius dictis formarunt circa quartum ſecundi de Anima, euidenter dicunt, ſubiectũ omium accidentium, quæ terminata ſunt, eſſe ens in actu, quod & dixit Genua principio quæſtionis illius, & Zabarella 2. illo de prima materia, cap. 11. ad ſecundum. Deinde impoſſibile eſt, vt aliquid ſit ſubiectiue in alio, & illud non denominet, ſed ex horum ſententia accidentia ſunt in materia ſubiectiue, ergo illam debent denominare, quare ſi ponatur ſubiectum inhæſionis, oportet poni & denominationis. Sed ad hoc videtur tacite reſpondere Marſilius vbi ſupra circa tertiam concluſionem, quod cauſa ob quam non denominetur materia ab accidentibus eſt, quoniam vulgares materiam ignorant; Sed ſi vera eſſet hæc reſponſio, iam viri docti, & ſapientes, qui materiæ naturam probe tenent, eam deberent dicere calidam, frigidam, albam, nigram, quod nullus dixit. Albertus autem de Saxonia ibidem ad quartum primo loco inductorum aliam cauſam viſus eſt aſſignaſſe, dicens ideo compoſitum, & nõ materiam denominari, quoniam illud notius eſt nobis; At neque hoc quicquam valet, quamuis etenim materia ſecundum ſe ſit ignota, attamen ſubiecta formæ, & accidentibus per ipſa apprime nota eſt, neque maior, vel minor notitia debet eſſe in cauſa, cur aliquod vllius rei ſubiectum inhæſiue ab ea non denominetur, cum ponatur cognoſci, niſi enim agnoſceretur, non dicerentur ei hoc, & illud inhærere. Vlterius vt bene pro me, ſed male pro ſe arguit Zabarella cap. 8. nominati libri, nullam Ariſtoteles, & Auerroes ponerent differentiam inter ſubiectum accidentis, & formæ ſubſtantialis, (quam tamen ibi intendunt aſſignare,) nam apud iſtos vtriuſque ſubiectum eſt materia, neque confugiendum eſt ad ſubiectum denominationis, quoniam & formæ ſubſtantiales tribuuntur compoſito, & ab eiſdem denominatur; hoc tamen quod contra Marſilium, & alios adfert Zabarella, æque contra ipſum militat, vt mox videbitur.

Quorundam cogitatum.

Varie impugnatur.

Marſilius

Alb. de Sax.

Ratio Zabarellæ.

Secundo principaliter, Si ſubiectũ accidentium eſſet materia, quando definitur accidens ab Ariſtotele, & Porphirio, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti

corru-

corruptionem, nomine *ſubiecti* oporteret accipere materiam, at hoc eſt falſum, ergo &c. conſequentia eſt clara, nam definitur accidens ex reſpectu ad ſubiectum, quod ab eis ponitur materia, falſitas conſequentis probatur, tum quoniam talis definitio conueniret formis ſubſtantialibus, ſiquidem & ipſæ adſunt materiæ, & ab eadem abſunt, abſque eo quod materia corrumpatur, tum quoniam vana eſſet dubitatio Porphirij, Auerrois, & aliorum circa illam accidentis definitionem de nigredine, quomodo ſit accidens coruo, & tamen nequeat ab ipſo ſine ſui corruptione ſeparari, cum corui materia corrumpatur, & uane pro reſponſo adferrent, poſſe intelligi coruũ album abſque ſui corruptione, non autem quod realiter detur coruus abſque nigredine, nam materia corui, abſque eo quod intereat, vere poteſt eſſe abſque nigredine, vnde non modo impertinens, ſed & falſa eſſet dubitationis ſolutio, &c. Communis fere dubitatio circa accidentis definitionem.

Tertio, Si materia ſit ſubiectum accidentium, tunc ex ipſa, & accidente reſultat vnum per accidens, cum enim illa ſit ſubſtantia, hæc vero accidentia, nequit fieri vt ex rebus generum diuerſorum coaleſcat vnum per ſe, igitur forma ſubſtantialis vnitur, & aduenit enti per accidens; Et quicquid multi dicant pro huius rationis confutatione, numquam euadent, quin ponant ſubiectum formæ ſubſtantialis aliquod ens in actu, non autem puram potentiam, vt vbique docent Ariſtoteles, & Auerroes, numquam enim materia ſub accidente erit pura potentia, nam forma illa accidentalis aliquis actus eſt, & ſic idem erit ſubiectum ſubſtantialium, & accidentalium formarum.

Quarto, Materia eſt pura potentia, omni quantum eſt ex ſe actualitate carẽs, ergo nullus accidentis valet eſſe ſubiectũ, antecedẽs manifeſtũ eſt, & aliàs probatũ fuit, conſecutio probatur, quoniã quod eſt alicuius ſubiectũ, ita ei eſſe tribuit, vt abſque illo periret id quod ei ineſt, (velut ſe habent omnia accidẽtia naturaliter,) nequit autẽ imaginari, vt hæc efficere queat, niſi aliquã actualitatem, & exiſtentiã ei præbeat, quomodo autẽ à materia vlla actualitas, quomodo vlla exiſtentia valet prouenire? Certe hoc argumentũ ſemper vehementiſſimũ iudicaui, vbi conſulto dixi de ſubiecto *quod conferat eſſe, & ſuſtentet* id, cuius eſt ſubiectum. Non enim me fugit, in materia recipi formas ſubſtantiales, at illa iſtis non prebet eſſe, non eas ſuſtentat, ſed res e veſtigio ſe habet, & preſſius loquendo illa eſt potius receptiuum, quam ſubiectum iſtarum.

Hinc factum eſt, vt aliqui huic argumento occurrere volentes dixerint, materiam numquam aliqua forma deſtitutam eſſe ſubiectum accidentium, ſed prout eſt ſub forma ſubſtantiali, quippe quæ eſt ei conditio vt recipiat, nullo tamen modo forma recipit, ſed ipſa materia vere eſt ſubiectum recipiens; differt enim valde recipiens à conditione recipientis; quem dicendi modum amplexatur Zabarella vbi ſupra, cap. nono; At ſic dicentes non effugiunt vim argumenti, tum quoniam conditio non dat vim agenti, aut paſſo, ſed ſolum hoc illi applicat, quocirca cum materia ſit expers cuiuſuis actus, nihil quod ſit vt conditio tantum, poteſt ei tribuere actum, vt alteri poſſit præbere vel fulcimẽtum, vel exiſtentiam, tum quoniam ex iſtorum ſententia, materia aliquando, & perſæpe erit ſub aliqua forma, & tamen contrarias illi formæ diſpoſitiones, & accidentia ſuſtinebit, qnare nequit habere hanc vim à forma, vt accidentia eidem inimica recipiat; At videtur dicere Zabarella, quod hanc vim obtinet à forma, vt forma eſt, non vt hæc forma, ſed hoc nihil eſt, quoniam vltra ea quæ dicta ſunt, ſequeretur quod ſub quauis forma exiſteret materia, quælibet poſſet recipere indifferenter accidentia, tum denique quoniam ex hoc non euitatur,

Huic rationi quomodo ab aliquibus occurratur.

Impugnãtur.

Zabarella.

tur,quin ſemper ſubiectum accidentium ſit pura potentia, ſic non erit quid in actu,nam materia per iſtos ſola recipit, ſic nihil differt ſubiectum formæ ſubſtantialis à ſubiecto accidẽtis,quod erat argumentũ inductũ ab ipſo Zabarella contra Marſiliũ,& alios,nã quemadmodũ quicquid illi dicerẽt,recte inferebat Zabarella,ſequi ſubiectum accidentiũ eſſe puram potentiam,& ſic non differre à ſubiecto formæ ſubſtantialis, ita ex hoc quod ponatur ſubſtantialis forma, vt conditio, materia autem ſola vere recipere,nimis compertum eſt ſubiectum accidentium vt ſic non diſcerni ab illo formæ ſubſtantialis, & quæ argumenta prius allata ſunt,frangunt hanc viam dicendi.

Nonnulla de materia.

Sed probatur adhuc,quod materia neque actuata forma ſubſtantiali ſit accidentium ſubiectum vt *quod*, nam neque vt ſic ſub forma exiſtens, dicitur operari, vt calefacere, &c. & tamen operatio accidentium ſemper tribuitur ſubiecto, (maxime naturali,& à quo oritur,) vt *quod*; Confirmatur, materia ſemper eſt pars,quare ſemper eſt ea, qua quid patitur, & recipit,non autem ea quæ,vt quod patiatur, aut recipiat, de ijs loquendo, ad quorum receptionem ipſa de ſe non eſt ſufficienter, ac immediate determinata, ſed quicquid fuerit de paſſione,quæ ei propria apparet,numquam dicetur agere, & tamen multa ſunt accidentia, quæ ſunt rationes agendi, quorum actiones ſubiectis ſuis tribuendæ ſunt; Quod ſi forma ponatur vt conditio tantum ſubiecti accidentium,dum frigiditas aquæ frigefacit,talis frigefactio à materia potius, quã à forma aquæ emanaret,quod eſt ſtultum,& ſequela iam probata eſt, quoniam ab eo præcipue accidentia obtinent operari, à quo habent eſſe, habent autem eſſe à ſubiecto, & hoc ponitur materia,quare &c.

Concluſio.

Subiectum quod accidentium.

Iam ponatur alia concluſio, quæ iam poſitam magis roborabit: Subiectum *quod*,atque immediatum accidentium,eſt compoſitum; ſi enim nõ eſt materia, non forma, (de hac enim nullus dubitat, cum ſit ſermo de accidentibus materialibus,) certe relinquitur, vt ſit totum compoſitum; ſic accidentia ipſum tantum denominant,ſic actiones ſunt ipſius,ſic ipſum ſolummodo vere,ac proprie & eſt,& ſit,& demum probatur,quoniam illud eſt vere,proprieque ſubiectum accidentium, quod eis ſubſtat, ſed prima ſubſtantia ex Ariſtotele in cathegoria propria eſt,quæ proprie, ac principaliter, ac maxime dicitur ſubſtare, quare &c. Quod autem prima ſubſtantia ſit compoſitum, & nullus dubitat,& Ariſtotelis exempla ibidem id ſatis declarant, dum ait, vt *aliquis homo,& aliquis equus*, Sic verum eſt, ſubiectum accidentium eſſe ſenſibile, ens in actu, ſic differt à ſubiecto formæ ſubſtantialis; Num vero realiter, vel formaliter tantum, & ratione totum à partibus diſtinguatur, quæuis diſtinctio ſufficit, vt quid de iſtis negetur,quod de illo affirmetur,& e contra. Et hæc quo ad accidentia terminata.

ARTICVLVS QVARTVS.

De natura quantitatis interminata.

Illud primo præmitto,me nolle diſcutere in præſenti figmentum illud,quod docuit nouiſſime Zabarella libro illo ſecundo de prima rerum materia,cap. 17.& 18.& deinceps,affirmans primam materiam ſecundum propriam naturam, & ſemota omni forma,eſſe corpus de cathegoria ſubſtantiæ, quod & au-

ctorita-

ctoritatibus, & rationibus nititur ſuadere, ſed ſibi expreſſe hic vir aduerſatur, tunc enim materia habebit formam corporeitatis, cum ſit impoſſibile aliquid eſſe corpus de genere ſubſtantiæ abſque forma corporeitatis, tunc eſſentia materiæ non erit pura potentia, nam habebit hanc formam, licet incompletam, & non ſpecificam, tunc eſſentiam materiæ non erit adeo vanum actum appellare, tunc non tanta cum difficultate agnoſceretur, quæ omnia ipſe refellit, & reſpuit partim eodem libro, partim immediate ſuperiori de eadem prima materia; Supponamus nos, eam eſſe puram potentiam, vt late vidimus ſecunda quæſtione ad quartum caput; diſſoluere tamen decreui ſolum vltimum argumentum deſumptum ex auctoritate vtriuſque Thomæ, Aquinatis ſcilicet, & Caiet. quo conatur ſententiam cui perpetuo vterque repugnauit illis tribuere. Adfert Auctorem 1. part. quæſt. 15. art. 3. ad tertium dicentem, materiam habere ideam in Deo, non tamen aliam ab illa compoſiti, quæ verba expendens Interpres ait, ideam huius compoſiti eſſe ideam corporis, quod eſt genus in prædicamento ſubſtantiæ, ex quibus verbis colligit, vel Caiet. cognouiſſe corpus de prædicamento ſubſtantiæ eſſe ipſammet materiæ naturam, vel ipſam rei veritatem eum ad ita loquendum induxiſſe. Vide rogo quam pulchra verba collegerit auctor iſte pro ſua ſententia, quæ eandẽ omnino cõminuunt; Primo namque inquit vterque THOMAS, materiam non habere ideã, ſed eius ideam eſſe illam compoſiti; quod ſi compoſitum habet ideam, & materia non habet, iam hæc non eſt illud. Præterea compoſitum illud cognoſcibile eſt, cum habeat ideam, quæ & eſt ratio cognitionis materiæ, at materiam ibidem ſubdit Auctor ſecundũ ſe, neque habere eſſe, neque eſſe cognoſcibilẽ, igitur materia non eſt tale compoſitum. Vlterius ibidem ad quartum inquit, quod accidentia, quæ inſeparabiliter comitantur ſubiectum, non habent aliam ideam ab illa ſubiecti, ergo ſi ex eadem aliquorum idea ſequitur ea eadem eſſe, iam accidentia nõ differunt à ſubiecto, iam accidens eſt ſubſtantia. Rurſus ſi ex eo quod materia cognoſcitur per ideam compoſiti, eſt ipſummet compoſitum, iam materia eſt, & res artificiatæ, & forma ſubſtantialis, quoniam ex analogia ad horum vtrumque dignoſcitur. Dixit autem Auctor eam cognoſci per ideã compoſiti, quoniam eſt eius pars, & partes vt ſic, quæ præſertim ſecundum ſe nequeunt cognoſci, attinguntur per ideam totius; Meminit quoque Caiet. de corpore, quod eſt genus in prædicamento ſubſtantiæ, vt non hoc, vel illud compoſitum recenſeret, ſed compoſitum primum, velut non de hac, aut illa materia, ſed de prima erat ſermo, quoniam materia vt ſic formam de genere ſubſtantiæ reſpicit, & eſt pars compoſiti ſubſtantialis; Quæ vero alia pro ſe adfert non proſequor, quoniam vanum eſt de omnibus ſolicitari.

Contra Zabarellam.

Argumentum ipſius ex auctoritate D. Thomæ, & Caietani.

Multipliciter diluitur.

Senſum verborum D. Thomæ, & Caietani.

Tunc manifeſtandum eſt, quid ſit terminata, & interminata dimenſio, quod ex vocibus ipſis dignoſcitur, nam illa quantitas dicitur interminata, quæ non eſt terminata, quæ ſcilicet caret termino ſecundũ ſe, & vt ſic conſiderata nullis terminis conſtat, non figura, nõ puncto, nõ ſuperficie, ſed per omnia hæc, & alia eſt terminabilis, & ad eadem eſt potentialis; Dixi ſecundum ſe, & vt ſic, quoniam numquam talis quantitas in actu inuenitur, quemadmodum enim ſemper eſt coniuncta huic, vel illi formæ ſubſtantiali, ita hoc, & illo termino conſtat, cum omnis terminus ſit à forma, ſed velut materia numquam eſt ſine forma in rerum natura, attamen ſecundum ſe vocatur informis, quoniam nullam formã in ſua eſſentia claudit, ita quantitas dicitur interminata, quoniam licet numquã inueniatur abſque aliquo termino, nullum tamen ſibi intrinſecum includit; Ex

Quæ quantitas interminata.

Quæ ſit terminata.

 his col-

his collige, quid ſit quantitas terminata, eſt enim ea, quæ his terminis conſtat, quæ hanc figuram habet, quæ has lineas, quæ bicubita eſt, &c. Et hæ quantitates non differunt realiter, ſed ſecũdum conſiderationem tantum, prout accipitur vel in potentia ad aliquem terminum, vel prout eſſe intelligitur ſub aliquo termino actu, eadem enim quantitas, quæ poteſt hunc, & illum terminum habere, ſub qua acceptione dicitur interminata, mox habebit, & ſub illis terminis erit, ac proinde terminata, & ſic omnes ſentire videntur, in quo præcipue laborauit Soncinas quæſt. 18. octaui Diuinorum, &c.

Quomodo ad inuicem ſe habeant.

Soncinas.

Aduerte deinde, quod poſitio hæc de quantitate interminata materiæ coæterna, ab ea inſeparabili, numquam corruptibili, communiter ab omnibus tribuitur Auer. quod dixerim ob eundem Soncinatem quæſtione immediate præcedenti, qui in hoc apparet dubitare, cum poſt hunc ſenſum, alium de eiſdem dimenſionibus eidem Auer. aſcribat, nihilominus fatetur & ipſe relatum illum ſenſum communiter tribui Auer. & in fine illius quæſtionis 17. ait, opinionem Auctoris, & Commentatoris non eſſe eandem, quoniam tunc ille opuſculo de natura materiæ non argueret ex propoſito contra hunc, ſubdit tamen, ſi ipſe edidit opuſculum illud, ſed & ex verbis eiuſdem Auerrois primo cap. de Subſtantia orbis idipſum colligit, diſentire videlicet memoratos auctores in his dimenſionibus, &c.

Commune de Auerroe iudicium.

Vult profecto Auerroes, primum quod recipitur in materia, eſſe tres illas dimenſiones, quæ dicuntur corpus; Auctori vero placet formam ſubſtantialem; docet ille formam vniri materiæ, merito dimenſionum illarum, quæ eam in materia præcedant, ſentit iſte formam vniri materiæ nudæ, & per ſeipſam; tradit ille quantitates illas, ſeu dimenſiones recedente forma ſubſtantiali non recedere, ſed ſemper in materia remanere, quamuis tunc recedant earum termini, quos à forma tantum ſortiebantur, ſcribit iſte in corruptione formæ corrumpi has dimenſiones ad ſubiecti corruptionem, & per modum ſequelæ; quæ præcipua ſunt, quibus in hoc diſſentiunt.

Diſsidium inter D. Tho. & Auerroem.

Illud quoque obſerua, quod opuſculum illud relatum, cui titulus eſt de Natura materiæ, (quod refertur inter opuſcula numero 31.) in quo poſitio hæc de dimenſionibus interminatis reijcitur, Capreolus vehementer dubitat, an ſit Auctoris, ſemper enim dum illud refert, inquit quod illi tribuitur, immo in calce diſt. 17. 2. ſent. infert tale opuſculum, vel libellum falſo illi tribui; Et diſt. 18. in fine primi ar. circa ſeptimam concluſionem, quatuor potiſſimũ colligit ex illo libello, quæ vel falſa, vel dubia ſibi apparẽt, & certe videntur contraria doctrinæ, quam vltimis libris docuit ipſe Auctor. Paulus quoque Soncinas in fine quæſtionis illius 17. dubius eſt, an talem librum ediderit Auctor, vt patet ex eius verbis inductis; Quoniam tamen opuſculũ illud ei aſcribitur, & multa bene, ac pulchre dicta in eo continentur, & rationes pro hac Auerrois poſitione impugnanda inde à nonnullis conſueuerunt deſumi, propterea quod tradit eodem libro diſt. 13. ad argumenta vltimo loco inducta contra ſecundam concluſionem ei facile concederem, vt ſcilicet dicamus contenta illo tractatu, quatenus concordant cum Summa tenenda eſſe, non autem quo ad illa, in quibus diſſentanea ſunt, & adijcit, Summam eſſe quaſi librum retractationum, & perpaucis interiectis ait, quod hæc de concordia cum Summa, vel diſcordia ab ea, debent eſſe regula, & directorium in ſimilibus; Quod quidem illi non ſimpliciter aſſentior, ſed quando expreſſe omnino aliquid alibi definitum, oppoſito modo in Summa definitur, & nulla via poſſit conciliari, vel

Quid ſentiat Capreolus de opuſculo de natura materiæ.

Sententia Auctoris.

quando ipſemet Auctor illud fatetur; vel quando grauiores omnes eius diſcipuli in eo conueniunt, vt dicant adeſſe retractationem, vt ſi id dicerent Capreolus, Caietanus, & Ferrar. ſimul; at quando ſuppetunt interpretationes accommodatæ, numquam dicendum eſt Auctorem ſe retractaſſe, in ijs præcipue operibus, quæ certo conſtet ab eo confecta.

Vlterius pro multorum argumentorum ſolutione obſerua, quod accidentia omnia ſequuntur totum compoſitum, vt *quod*, & vt ſubiectum proprium, vt dicebatur in obſeruationibus ad quartam partem literæ, & vt ſuperiori articulo vidimus, quoniam tamen in compoſito adeſt & materia, & forma, eapropter accidentia quædam ſequuntur compoſitum ratione materiæ, quædam ratione formæ, vt eiſdem annotationibus manifeſtabatur. In propoſito autem noſtro quantitas ſequitur compoſitum ratione materiæ, vnde veriſſimum eſt commune dictum, quantitatem ſequi materiam, quoniam vbi quantitas, ibi materia, & e contra, cum ſit eius affectio, at non ita eam ſequitur, vt in ea ſubiectiue recipiatur, ſed quoniam materia eſt ratio, vt ipſa ſit in compoſito ſubiectiue, ceu qualitates dicimus ſequi formam, hoc eſt, compoſitum ratione formæ; Neque turberis, quod Auctor prima parte, quæſt. ſeptima, articulo tertio dixerit, quantitatem ſequi formam, nam vt inter illas obſeruationes dicebam, nullum accidens ita ſequitur materiam, vt aliquam etiam non habeat cum forma communicationem, ſed quædam magis tribuuntur materiæ ſub vna conſideratione, quæ ſub alia poſſunt aſcribi formæ, ſic quoniam in quantitate inuenitur ratio actus, & potentiæ, ideo merito primi, formæ, merito ſecundi, materiæ tribuitur, & quoniam de quantitate in actu ibi loquebatur Auctor, ideo ſub illa ratione dixit conſequi formam, at ratione potentiæ ſequitur materiam, & quoniam abſolute loquendo magis de potentia, quam de actu participat quantitas, vt quanti definitio quinto Diuinorum 18. & alibi patefacit, eapropter ſimpliciter dicendum eſt quantitatem ſequi materiam, hoc eſt, compoſitum ratione materiæ, &c.

Quomodo quantitas ſequatur compoſitum.

Quomodo D. Thomas accipiendus.

Nota præterea, quomodo ſtet diuerſas formas in diuerſis materiæ partibus recipi, abſque eo vt ponatur quantitas coæterna materiæ, in hoc enim tota penè difficultas poſita eſt, hocque præcipue coegit Auerroem ad ſuam poſitionem.

Principio itaque dicamus, nullum eſſe inſtans temporis, in quo materia ſit abſque quantitate, vt enim numquam eſt ſine forma, ita neque ſine quantitate, nam ad formam in materia neceſſario ſequitur quantitas; ita ſemper materia eſt diſtincta, ita ſemper habet partes, & non merito quantitatis ſibi coæuæ, ſed quantitatis huius, & illius compoſiti, quocirca in aduentu nouæ formæ, materia cui copulanda eſt forma, eſt diſtincta per dimenſiones illius compoſiti, quod in eodem inſtanti, in quo forma eſt inducenda corrumpitur, ad cuius corruptionem ſequitur neceſſario & eiuſdem quantitatis corruptio: ſicut enim accidentia propria ſubiecti comproducuntur à producente compoſitum, & horum non eſt productio primo terminatiua, ſed concomitatiua, ita corrumpuntur ab eo quod corrumpit ſubiectum, non quidem primo terminatiue, ſed ſimiliter conſecutiue.

Quomodo materia numquã ſine quantitate.

Ruſus conſidera, quod menſura corruptionis formæ præcedentis, non comparatur ad menſuram formæ ſubſequentis, vt inſtans ad inſtans, quaſi quod in vno inſtanti recedat illa, in alio adueniat iſta, cum enim inter

inſtans, & inſtans medium cadat tempus, daretur aliquod tempus, in quo nulla forma eſſet in materia, quod eſt impoſſibile, ſed comparatur vt tempus ad inſtans, adeo quod in toto tempore præcedente inſtans formæ inducendæ, præcedens compoſitum corrumpebatur, & in vltimo inſtanti eiuſdem temporis, & menſuræ noua forma accedit; Neque colligas in eodem inſtanti dari duas oppoſitas formas in materia, quoniam in illo inſtanti in quo forma ſequens inducitur, præcedens forma non eſt, quod enim corrumpitur, in inſtanti ſuæ deſitionis non eſt, licet ſi accipiatur corruptio pro alteratione præuia, verum ſit dicere, quod corrumpitur, eſt; Res ſiquidem permanentes non corrumpuntur per vltimum ſui eſſe, adeo vt verum ſit dicere, modo ſunt, & poſtea non erunt, (quod dici conſueuit non corrumpi per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro,) ſed deſinunt eſſe per primum ſui non eſſe, vnde nequit pro illo inſtanti menſurante corruptionem dici, modo ſunt, ſed dicere oportet, modo non ſunt, & antea immediate erant, quod ſolet explicari per negationem de præſenti, & poſitionem de præterito; Et hoc bene memoriæ eſt commendandum, quo enim doctrina hæc eſt communior, & antiquior, eo melior, ac magis neceſſaria, vt proinde veris peripateticis nulla circa ipſam accidere debeat dubitatio.

Corruptio rerum permanẽtium.

Communis, vera, & antiqua doctrina.

Quæ cum ſint plena veritatis, tota difficultas verſatur in eo, quod tangitur in confirmatione 6. argumenti de illo ſcilicet priori naturæ, in quo forma, quæ inducitur in materia ſpoliata iam quantitate recedentis compoſiti, aduenit eidem materiæ non diſtinctæ; neque poteſt dici, quod diſtinguatur per quantitatem formæ aduenientis, quoniam prius natura adeſt forma ſine quantitate. Viri illuſtres vt hanc euaderent difficultatem, varia excogitarunt; Illud tamen præmitto, argumenta hæc, quæ in nullo ſigno durationis, in nullo temporis iſtanti fundantur, ſed ſolum in prioritatibus, & ſignis naturæ, non eſſe nimis difficilia, quoniam dum eſt ſermo de reali ad extra in rerum natura inductione formæ, ſatis forſan eſt pro quocumque ſigno temporis materiam eſſe diſtinctam, licet non ſit diſtincta in illo priori naturæ, in quo à nobis intelligitur forma præcedere quantitatem, quoniam prioritas illa non eſt *in quo*, ſed *quia*, hoc eſt, non poteſt dici in illo priori, eſt forma, & non eſt quantitas, ſed dicendum eſt, quia eſt forma, ideo eſt quantitas, in genere nimirum cauſæ formalis, nam in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ res e contra ſe habet, vt mox videbimus. Et hic modus dicendi non videtur diſplicere Caietano; nam hac quæſtione ad ſecundum Auerrois inquit, quod non eſt neceſſe in inſtanti introductionis formarum materiam habere prius natura diuerſitatem partium, & poſt formas diſtinctas, ſed oportet prius natura ipſam eſſe, quam diſtinctam eſſe, quo ſit vt dicat, & docte, in illo inſtanti duas formas exigere diſtinctas partes materiæ, at non præexigere, quod idem docet prima parte, quæſt. 76. articulo ſexto, circa reſponſ. ad primum, quoniam forma reali ordine naturæ præcedit omnia accidentia; quam doctrinam, tamquam meliorem pro ſolutione argumenti eligit Banneſius quæſt. ſua nona allegata, art. 3. ad tertium, & optima via eſt hæc pro re hac diſſoluenda.

Prior modus dicendi, quomodo in priori naturæ in materia ſit quantitas.

Caietanus.

Bannes.

Iauellus quæſtione illa ſecunda ſuper octauum Diuinorum putauit ſe ab hac difficultate liberaſſe dicendo, quod in illo priori naturæ materia eſt diuiſa, non quantitate formæ corruptæ, neque generandæ, ſed quantitate extrinſeca

Alius dicendi modus ex Iauello.

ab hac

ab hac materia, quæ ſcilicet eſt in alia materia, vt nimirum hæc materia diſtinguatur ab illa, non iuxta quantitatem, quam alio, & alio modo vtraque habeat, ſed iuxta habere, & non habere quantitatem, quoniam hæc in illo priori non habet quãtitatem, alia vero materia habet. At iure à Bannesio ibidem hoc reijcitur, quoniam dum duæ formæ in duabus partibus materiæ inducuntur, non poſſet aſſignari diſtinctio inter duas illas partes, cum vtraque careat quantitate, quare non penes habere, & non habere. Addit præterea, & recte, quod cum ſubſtantialis diſtinctio præcedat natura accidentalem, in illo priori naturæ, partes illæ materiæ non diſtinguuntur per quantitatem, neque per vllum accidẽs. Addo ego, quod per quid poſitiuum, & intrinſecum vnumquodq; debet diſtingui, at non habere quantitatem, eſt & quid negatiuum, ac extrinſecum materiæ, &c. Repudiatur.

Paulus Soncinas quæſtione illa 17. refert alium quorundam modum dicendi, qui quoddam argumento conuicti, dixerunt diſpoſitiones nullo modo præcedere formam, neque opus eſſe, vt materia determinetur ad formam per aliquid intrinſecum, ſed ſat eſſe, vt ab agente determinetur, & ait poſſe ſuſtineri hanc viam, addendo, quod materia determinatur per diſpoſitiones præcedentes, quoniam enim ipſæ in inſtanti, in quo recedit præcedens forma, per accidẽs corrumpuntur, ideo materia eſt determinata, vt in inſtanti corruptionis earum talem formam ſubſtantialem recipiat, ad quam ſimiles diſpoſitiones ſequantur, quales erant, quæ mox corruptæ ſunt ad ſubiecti corruptionem; Neque deſpicienda apparet hæc doctrina cum hoc addito, (ſine quo audiri non poſſet,) nam velut prioribus diſpoſitionibus damus, vt materiam diſpoſuerint, ita pro hac, quod non alia forma recipienda, ita eiſdem dandum videtur, vt ita diuiſam eam reliquerint, quod hanc poſſit formam recipere, &c. Tertius modus ex Soncinenſe.

Veruntamen idem Paulus alium modum adfert, dicens diſpoſitiones, quæ ſimul cum forma inducuntur, (quas ſimultaneas Caiet. & alij appellant,) in primo inſtanti introductionis formæ, & in illo priori eſſe poſteriores natura ipſa forma in genere cauſæ efficientis, at eadem priores in genere cauſæ materialis, quod accipit nedum de diſpoſitionibus qualitatiuis, ſed etiam de quãtitatiuis; Docet autem huiuſcemodi diſpoſitiones dupliciter ſe habere ad formam, nam primo ad eiuſdem in materia introductionem operantur, & deinde pro eiuſdẽ conſeruatione, ſic comparantur ipſi in ratione diſponentis, & conſeruantis, tũc inquit, quod primo modo præcedunt natura formam, ſecundo modo eandem natura ſequuntur, quoniam autem quatenus præcedunt, dicuntur diſponere, & quod omne diſponit, rationem habet materiæ, comparatum ei ad quod diſponit, iccirco earum prioritas ad materialis cauſæ genus reducitur, & quoniam cauſam materialem ſufficit in inſtanti in quo eſt cauſa antecedens effectum, habere eſſe potentiale, quoniam hæc eſt natura, & conditio materiæ, propterea diſpoſitiones prout ſunt natura priores forma, habent eſſe potentiale; Vnde quando conſueuit dici, prius oportere rem eſſe, quam agat, vel aliquo modo diſponat, diſtinguatur de eſſe, vel potentiali, vel actuali, & dicatur eſſe potentiale ſufficere ad diſponendum, quoniam hoc ſapit rationem cauſæ materialis; quare in illo priori licet actu non ſint diſpoſitiones illæ, & quantitas præcipue quã de loquimur in materia, adeſt tamen in potentia, & in ſui eſſentia, quatenus intelligitur quæuis eſſentia anteire propriam exiſtentiam, in actu autem ſequitur natura formam, quod eſt eſſe ea poſteriorem in genere cauſæ formalis, Alius eiuſdem modus.

ac efficientis; Ita in illo priori quantitas prout eſt prior forma in genere cauſæ materialis, facit materiam diſtinguibilem, &c.

Iudicium Auctoris de quarta hac via.

Hæc via nullo modo eſt contemnenda, nam ſcimus cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas, & de prioritate cauſæ materialis, ac formalis in eodem inſtanti temporis, diuiſo in plura naturæ diſſerui quæſtione de principio indiuiduationis, & ſcimus prius in genere cauſæ materialis aliquid diſponi, anteaquam inducatur forma, at in genere cauſæ efficientis, & finalis res e contra ſe habet, licet enim eodem temporis momento, & aer ingrediatur aulam, (vt vſitatum exemplum adferamus,) & feneſtra aperiatur, prius tamen in genere cauſæ materialis, ac diſponentis eſt apertio feneſtræ, at in genere cauſæ efficientis prius ingreditur aer. Sic Auctor tertia par. quæſt. 85. ar. 6. ad ſecundum dicebat, in motibus ſucceſſiuis eſſe prius tẽpore, vt recedatur à termino, quam vt perueniatur ad terminum, & prius natura quantum eſt ex parte ſubiecti, ſeu ſecundum ordinem cauſæ materialis, at ſecundum ordinem cauſæ agentis, & finalis prius eſt peruenire ad terminum; quod etiam legimus apud eundem prima ſecundæ, quæſt. 113. art. 8. ad primum, &c.

D. Thom.

Quintus modus dicendi.

Optimus quinetiam modus dicendi in hoc propoſito ille videtur, qui omnino colligitur ex allegata quæſtione de indiuiduationis principio, vt ſcilicet dicatur in illo priori naturæ, antequam intelligatur quantitas in actu ineſſe in materia, eandem materiam eſſe actu diſtinctam, per ordinem, quem habet ad hanc quantitatem, quæ ita ad hanc formam ſequitur, quod non alia, neque ad aliam, quatenus ſcilicet materia tunc ita eſt radix, & fundamentum huius quãtitatis, quod non alterius, in quo priori illa diſtinctio eſt ſubſtantialis, ita tamẽ, vt ſit etiam fundamentũ quantitatiuæ diſtinctionis, nam ſubſtantialis potiſſimũ diuiſio vnius materiæ ab alia eſt requirenda, quæ vt ſic à pura quantitate eſſe nequit. Et hoc forſan voluit idem Soncinas, quando vbi ſupra ad primum Auerr. ſecundo loco reſpondebat, in illo priori, quo forma præcedit quantitatem, formæ quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſunt diſtinctæ diſtinctione, quæ cauſat numerum tranſcendentem, hoc eſt, de genere ſubſtantiæ, non de genere quantitatis, innuens non diſtingui tunc quantitatiue, quoniam tunc non eſt actu in materia quantitas, ſed tamen addo, ita diſtingui ſubſtantialiter, vt illa met diſtinctio ſit fundamentum diſtinctionis de genere quantitatis, &c.

Soncinas.

Poſtremus modus ex D. Thoma.

Pulcherrima denique via hac in re poteſt colligi ex opuſculo illo de natura materiæ, cap. quarto, quam doctrinam habes apud Bannes loco relato, & apud Capreolum in ſecundo, diſt. illa 13. ad ſecundum Aureoli contra ſecundam concluſionem, & diſt. 18. ad argumenta contra ſextam concluſionem, primo loco adducta ex dictis Commentatoris, quod nimirum in illo priori materia eſt diuiſa non per quantitatem, ſed per reſpectum ad formam, quoniam enim vna materia vnam formam reſpicit, alia aliam, ideo ab inuicem diſcernũtur, neque ab alio habet materia, vt ſit in potentia ad partes terminatas, & diſtinctas, quã ab eo, à quo habet, vt ſit in potentia ad formam: Hinc dum materia perficitur aliqua forma ſubſtantiali, ſicut eius potentia eſt merito formæ reducta ad actũ, ita quoque virtute eiuſdem formæ eſt tranſmutata, & determinata ad determinationem, & diſtinctionem partium totius, & reddit rationem Auctor, quoniam in forma ſubſtantiali nõ modo eſt vis materiæ perfectiua, ſed etiam diſtinctiua totius per partes, & huic oportet, vt à parte materiæ reſpondeat potentia, quæ reſpiciat ipſam perfectionem ſuam per formam; & etiam illam partium

tium diuerſitatem, quæ ſequitur. Intellige tamen, quod numquam materia hanc formam reſpiceret, niſi per diſpoſitiones præcedentes fuiſſet diſpoſita, rurſus ideo hanc formam reſpicit, & non illam, quatenus conſideratur radix ita huius quantitatis, quod non alterius, quamuis etenim reſpicere hanc formam, & aliam, cauſa ſit diſtinctionis inter ipſas materias abſolute, non tamen eſt præciſa cauſa diſtinctionis numericæ, non enim à forma habet materia, vt ſit hæc, ſed e contra; Vnde via hæc formale ſolum adfert, eſt enim verum, quod quia materia hæc reſpicit hanc formam, eſt alia ab alia, quæ aliam formam reſpiciat, videndum tamen eſt, quare hæc hanc, illa illam formam reſpiciat, &c. Quomodo materia hanc formã reſpiciat.

Tandem circa hæc omnia inſpice, quod quæ dicta ſunt, accipienda veniunt de forma, quatenus vnitur materiæ, ſecundum primum ſui gradum, vt ſcilicet forma eſt, non autem quatenus anima eſt, & talis anima, nam anima, vt anima præſupponit ſibi materiam propriam, puta corpus, vnde materia diſtincta per quantitatem, tunc optime intelligitur adeſſe, ſequens animam ipſam, quatenus iam tribuit eſſe corporeum, & præcedens, quatenus dat gradus vlteriores; Sic Auctor prima par. quæſt. 76. ar. 6. ad primum dicebat, vnumquodque genus ſequi propria accidentia, vnde præintelliguntur diſpoſitiones in materia ante formam, non quantum ad omnem eius effectum, & præcipue non quo ad primum, ſed quoad poſteriorem, quippe quas diſpoſitiones confert ipſamet forma ratione prioris effectus, at in his non eſt difficultas, & ſi quæ eſſet, ex quæſtione præcedenti innotuit quomodo auferri poſſit, ſed totum negotium ſtabat in vnione formæ ad materiam, vt forma eſt, ſecundum primum, & inferiorem gradum, &c. D.Thom.

ARTICVLVS QVINTVS.

Non eſſe in materia ponendam quantitatem interminatam.

SVpereſt, vt ponatur concluſio, quæ dicat: Nulla dimenſio, aut quantitas interminata eſt vllo modo ponenda in materia ſubiectiue, vel coæua, vel non coæua, vel ſeparabilis, vel inſeparabilis. Hanc docet Auctor prima par. loco relato & probat, & quæſtione de Anima, art. 9. & opuſculo illo non raro memorato, quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, vt dicebam ſub initium ſecundi ar. Probatur autem primo omnibus illis rationibus, quibus præcedentes cõcluſiones ar. tertij probatæ ſunt, quod ſcilicet nullum accidens ſit in materia inhæſiue, & quod omnia ſunt in compoſito, conſtat enim quantitatem interminatam eſſe accidens, quare nequit materiæ inhærere, &c. Concluſio. D.Thom.

1. Præterea, Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, ſed omnia æque bene ſaluantur abſque his dimenſionibus, ergo &c probatur minor, quoniam in quouis inſtanti temporis ineſt in materia terminata quantitas, vt viſum fuit, & vt omnes docent, & hoc patuit ſufficere ad partes materiæ diſcernendas, ergo vane omnino ponuntur hæ dimenſiones interminatæ. Rurſus, hæ dimenſiones non faciunt materiam actu diuiſam, vt ipſimet aduerſarij fatentur, ſed diuiſibilem tantum, at hæc diuiſibilitas ineſt ei ex hoc, quod ſemper eſt ſub quantitate actuali determinata, & ex hoc, quod reſpicit ſecundum ſe formam ſubſtan-

ſubſtantialem, (licet de ſe non reſpiciat hanc, vel illam ſignatam formam,) in qua ſane forma adeſt vis eiuſdem materiæ diſtinctiua, igitur redundant omnino, &c. Sic minus bene dicitur à Soncinate quæſt. illa 17. ad ſecundum Auctoris argumentum, (neſcio enim quo ſpiritu ductus, rationes contra Auerr. ſoluere conetur, vt poſſit eius opinio tueri,) poni has dimēſiones, vt actu dent eſſe extenſum materiæ, eamque actu diuiſibilem efficiant in partes, quod non conuenit ei, ſi conſideretur ſecundum nudam eſſentiam ſuam, ad hoc enim ſatis eſt quantitas terminata, ſub qua ſemper eſt materia, immo hæc plura illi præſtat, quoniam actu eam diuiſam reddit, ex quo vanum etiam deprehenditur reſponſum Zabarellæ ad ſeptimum, cap. 10. illius ſecundi libri de prima materia, de duplici illa poteſtate diuiſibilitatis, remota, & propinqua; Quod ſi dicas, in eſſentia materiæ non cadere hanc quantitatem terminatam, idem dico de quantitate interminata, non enim in eius definitione hanc, vel illam quantitatem pones, quamuis enim velint, & falſo has dimenſiones ſe habere vt propriam eiuſdem paſſionem, vnde ex ea, & ex illis dicunt reſultare vnum per ſe in ſecundo modo perſeitatis, numquam tamen propria paſſio eſt de eſſentia ſubiecti, neque in eius definitione ponitur, ſed res e contrario ſuccedit.

Soncinas.

Zabarella.

D.Thom.

Vlterius, Si ponatur hæc quantitas coæterna materiæ, ſine qua nequeunt in ipſa variæ formæ recipi, debuiſſet à Philoſopho primo Phyſ. commemorari inter principia rerum naturalium, & tunc quattuor forent earum principia; cum enim ſit perpetuo coniuncta materiæ, quæ eſt principium per ſe, erit ipſa principium per accidens; Sed inquit Zabarella vbi ſupra ad ſextum, non adeſſe ſpecialem, vel propriam principij rationem in ipſa, velut adeſt in tribus principijs poſitis ab Ariſtotele, ſed ſolum eſt conditio materiæ, ſine qua non poſſet recipere formam; At voluntaria eſt hæc reſponſio, cur enim magis aſſignetur priuatio principium, ſub qua materia exiſtens eſt in potentia ad aliam formam, recedit ab vna, & ſuccedit alia, quam quantitas iſta, ſine qua per ipſos materia nequit recipere formas? Accedit, quod propriæ illæ rationes trium principiorum eatenus conſtituunt ipſa principia, quatenus ſic habemus ab Ariſtotele, vt ſine eis nequeat quid generabile fieri, at neque ſine hac quantitate valet quidpiam generari; Ac demum condonemus ipſis non habere omnimodam rationem principij, attamen de conditione adeo neceſſaria in cuiuſque rei generatione, ac à materia inſeparabili locutus certe fuiſſet Ariſtoteles, qui negotium de omnibus ijs, quæ ad rerum generationem intrinſece concurrunt accurate, ac pro dignitate verſauit.

Quomodo huic rationi occurrat Zabarel.

Defenditur ratio.

Inſuper, Ex duobus entibus in actu non reſultat quid vnum per ſe, at materia cum his dimenſionibus habebit aliquem actum, vel perfectum, vel imperfectum, hinc ex ipſa, & forma non fiet quid vnum per ſe, & tunc vlterius ſequitur, quod ſubiectum generationis non erit pura potentia. Confirmatur, quoniam impoſſibile eſt accidens vllo modo præcedere ſubſtantiam, vt habetur ſeptimo Diuinorum 47. & ſubſtantiam fieri ex accidente; at tunc dimenſiones iſtæ præcedent ſubſtantiam, & ex eis, (aliquo modo ſaltem) fiet ſubſtantia; Sed reſpondent, quod materia eſt ſubſtantia, & vnum per ſe, & hoc natura præcedit dimenſiones, quare nulla eſt confirmatio. Verum hæc reſponſio eſt falſa, tum quoniam id quod eſt per ſe, debet præcedere in exiſtentia, ſaltem natura, (vt fugiamus lites de præcedentia ſubſtantiæ in ordine ad accidens) loquitur enim ibi Ariſtoteles de ſubſtantia, quæ exiſtit, at materia non exiſtit, ſed in eſſentia ſolum ſecundum ſe præcedit; præterea ibidem Ariſtoteles loquitur

Difficultas aduerſus hāc rationem auffertur.

quitur de ſubſtantia compoſita, & quæ fit, vt clare patet ex eius verbis, vnde pro inconuenienti habet, aliquid fieri ex quid, & quali, modo autem per illos omne compoſitum fit ex materia ſub his dimenſionibus, quare & hæ præcedunt ſubſtantiam, quæ fit, & hæc fit ex ipſis, &c.

Præterea, adeſt argumentum Auctoris prima par. quæſt. 76. ar. illo 6. quod refert Caiet. hoc loco, Cum enim materia ſit eſſentialiter in potentia ad omnes actus, & accidentales, & ſubſtantiales ordine quodam, prius debet recipere actum priorẽ ſimpliciter, quippe qui ordine quoque generationis eſt eſſe, quod non eſt niſi à forma ſubſtantiali, & deinde recipiet actus accidentales, hoc ſcilicet, & illud eſſe, quemadmodum enim eſſe hoc, ſupponit prius eſſe, ita eſſe quantum, eſſe ſimpliciter, vnde prius eſt materiam eſſe, quam quantam eſſe; Confirmatur, quoniam potentia debet primo reſpicere actum ſui generis, quam alterius, immo ab illo ſpeciem ſumit, ſed materia eſt potentia de genere ſubſtantiæ, quare primo debet reſpicere formam ſubſtantialem, & deinde actus accidentales, vnde non loquor de inſeparabilitate, ſed de prioritate. Vide alias rationes opuſculo illo pro confutatione huius poſitionis, & illas etiam, quas innuit Capreolus in ſecundo, diſt. 18. ad ſecundum ſecundo loco aduerſus ſextam concluſionem, & Caiet. in præſenti, & Aquarius dilucidatione 17. ſeptimi Diuinorum, & Iauellus quæſt. 2. octaui eorundem, nam quæ adduximus ſufficiant, &c. D. Thomæ ratio. Vide Auctores varios.

ARTICVLVS SEXTVS.

Diluuntur argumenta in contrarium.

PRimum argumentum confutatum manet ex ſecundo fundamento, habetur enim non eſſe neceſſe, vt ſi quid educatur de potentia materiæ, quod ſit in ea ſubiectiue, habetur quoque accidentia vere educi de potentia compoſiti. Ad confirmationem patet ex doctrina primi fundamenti, & primæ partis prioris concluſionis, concludit enim, quod materia ſit cauſa materialis, & radix, qua accidentia materialia compoſitum recipiat, ſic concludit materiam eſſe ſubiectum *quo*, non *quod*.

Ad ſecundum patet ex tertio fundamento, nam ex accidente aliquod accidẽs poteſt operari ad ſui corruptionem, & ad illam ſubiecti, in quo non naturaliter, ſed extranee, & per violentiam ineſt, & ibi viſum eſt calorem, qui eſt in aqua non agere in virtute ipſius aquæ, vide ibi, nam fundamentum illud poſitum fuit principaliter pro confutatione huius argumenti, & ſimilium.

Ad tertium ſimul cum inſtantia, quæ ibidem facta eſt dicitur, quod numquã materia, vel ſine forma, vel ſub forma eſt in potentia proxima ad recipienda accidentia, tamquam ſubiectum *quod*, ſed ſolum, vt *quo*, & ſic poſt aduentum formæ perficitur talis potentia, tunc enim eſt ratio compoſito, vt materialia accidentia, vt verum, ac proprium ſubiectum recipiat. Quod vero inuoluitur de principio indiuiduationis, leuiſſimum eſt, quamuis magnam vim habere dixerit Cardinalis Toletus quæſtione ſua ſeptima ſuper primum de Generatione, nam forma ſingularis recipitur in materia prius diſpoſita, vt ſit ita huius, quod non alterius quantitatis radix, ſic enim fuit diſpoſita ab agẽte, & per diſpoſitiones, quæ tamen in formæ introductione recedunt, quare in illo priori dum in- Toletus.

du citur forma, quamuis non ſit in materia quantitas actu, eſt tamen vt in radice, ac fundamento, ſcimus autem materiam, non vt eſt actu ſub quantitate, ſed vt eſt eiuſdem radix eſſe indiuiduationis principium.

Ad quartum recte reſpondetur nō eſſe eadē accidentia in viuo, & in mortuo; ad impugnationes patebit tota ſequenti quæſtione.

Communis ſolutio. Ad quintum, quod eſt primū pro quantitate interminata adeſt communis, & optima reſponſio ex Capreolo ibidē ad argumenta contra quintam, & ſextam concluſionem, ex Caiet. hoc loco, & ex omnibus thomiſtis, quod corpus fieri ex non corpore contingit dupliciter, vel vt ex cauſa materiali, ſeu termino intrinſeco, & ſic nedū eſt poſſibile, ſed neceſſariū, quoniam fit ex materia, quæ nō eſt corpus, nec actu diuiſibilis, licet ſit vtrumque in potentia, vel vt ex termino à quo, & ita corpus fit ex corpore, nam materia ex qua fit corpus, ante illud inſtans immediate habuit corporeitatem; Sic accipe dicta Ariſtotelis in argumento, quod ſcilicet impoſſibile ſit fieri corpus ex non corpore, hoc eſt, poſt nō corpus; Sic in primo ſenſu conceditur conſequentia, & negatur falſitas conſequentis, in ſecundo negatur conſequentia, tunc enim falſitas cōſequentis eſt vera; Et hæc ex proportione applica dimenſionibus, & quantitati, dico *ex proportione*, quoniam hæc non ſunt termini productionis, ſed comproducuntur dumtaxat, vt ad ſubiecti quoque corruptionem intereunt; Vnde quæ in argumento admiſcentur de quantitate, quæ non eſt forma actiua, & cui non eſt contrarium, iam ruunt, ſi inſpiciatur modus generationis, & corruptionis accidentiū.

Ad ſextum, ſiue ſecundum optime ibi reſpondetur. Ad id quod obijcitur, varia attulimus 4. art. ex quibus multiplex via deſumitur pro illo priori naturæ. Multis verbis diſſeminata, vno concluſa. Habes enim, quod ſufficit in quouis inſtanti temporis materiā eſſe quantam, habes tunc intelligi quantitatē in genere cauſæ materialis anteire formam, habes tunc intelligi materiam præhabentem quantitatem, vt radicem, habes vltimo talem diuiſionem cauſari per formam via ibi expoſita, &c.

Ad ſeptimum, vel tertium dic materiam eſſe ſubiectum formæ ſecundū ſeipſam, quoniam ad hanc in genere vt ſic nulla eget diſpoſitione, quod autem ſit ſubiectum huius, & illius formæ diſponitur, varietas autem partiū ipſius prouenit ex quantitate certe, ergo ex interminata, & ab ea inſeparabili, negatur conſequentia, & eſt fallacia conſequentis.

Capreol. Ad vltimum varij ſunt modi dicendi, & Capreolus multis locis ſupra recēſitis inquit, ſtandū eſſe vltimæ determinationi factæ ab Auctore 1. par. Summæ, Caietanus. quæſtione profecto relata 76. ar. 6. quaſi quod ſuam ſententiā retractarit, quod Ferrarien. innuit & Caiet. hac quæſtione. Ferrar. autem loco qui citatur in argumento inquit, ibi Auctorē ſequi mentē Auerr. quoniā cum aduerſus gentiles diſputet, melius quæ fidei ſunt defendūtur, ſi procedatur ex conceſſis ab ipſis, quaſi velit dicere, quod ad hominem, contra Auerr. videlicet ibi loquatur, dicendo manet materia ſub eiſdem dimenſionibus, *vt ſcilicet tu concedis*, Et hunc modum dicen- Soncinas. di amplexatur Soncinas quæſt. 18. octaui Diuinorum, & ſic ſemper Auctorem in hoc propoſito inquit exponendum, neque mihi omnino diſplicet, neque quicquam facit, quod opponit contra hoc Iauellus quæſtione illa ſecunda, quoniam Motiuum Iauelli nullum. ſcilicet deinde eodem capite dicit Auctor, & ſi hæc corporeitas in nihilum redit corrupto corpore humano, &c. dupliciter enim ad hoc reſpōdet ibidē Ferr. Bannes. & poteſt addi tertia reſponſio ex Bannes quæſtione præſenti, quod verba illa, quæ videntur contradicere prioribus adferat Auctor ex propria ſentētia, vt ſimul ſoluat argumentum Auerr. & primo ex conceſſis ab ipſo, & deinde ſecun-

dum

dum veritatem. Sed aliunde apparet infirmari poſſe hæc ſolutio, quoniam eodem capite reſpondens 4.& 5.argumentis,recurrit ad potentiam Dei, quod conſtat non eſſe reſpondere ex conceſſis à tali aduerſario,niſi dicatur, quod in illa ſpeciatim ſolutione ſecundæ rationis, vbi tangitur de materiæ dimenſionibus ex conceſſis reſponderet,quoniã id potiſſimum aſſerebat Auerr. Explicatio tamen,quam ibi ſubnectit Iauellus accommodata eſt,vt ſcilicet dicatur dimẽſiones manere in materia,non actu,ſed in radice tantum,quoniam enim manet forma corporeitatis vnibilis materiæ, ſtant vt in potentia, & radice dimenſiones in materia,à quo modo dicendi non abhorruit Capreol.in 2.diſt.13.ad argumenta vlt.loco contra ſecundam concluſionẽ,ibi enim aſſignans varias vias, quibus poſſit conciliari opuſculum illud cum doctrina alibi ab Auctore tradita,ponit etiam iſtam; Et hoc videtur mihi voluiſſe manifeſte ipſemet Auctor opuſculo illo,cap.6.dum idem argumentũ verſans,quod quarto cont.Gen. ait, quod idem homo numero reſurgit,& non alius, cum omnia ſua principia maneant,& anima ſcilicet,& materia ambæ incorruptibiles,ſtatim ſubdit, neceſſe eſſe manere eaſdẽ dimẽſiones in materia, licet non niſi in potentia,aliter enim, (ſi actu ſcilicet remanerent) agens phyſicũ eaſdem numero produceret, quod falſum eſt; Repetit manere eaſdem numero, in potentia materiæ reſpectu agentis diuini; Quod itaque Iauellus,& Capreolus dixerunt manere in radice, explicauit Auctor,dicens permanere in potentia, & declarauit de qua potẽtia,vel radice eſſet ſermo, non naturali ſcilicet, ſed diuina, quare varia Auctoris loca conciliari queunt.

Apta Iauelli expoſitio.

Capreol.

D.Thom.

Ad locum tamen nominatim in argumẽto adductũ ex 4.con.Gen.(hic enim maxime fatigat diſcipulos Auctoris,cũ libri con.Gen.ſint eximiæ auctoritatis,) poſt tot reſponſiones addo ipſe aliam,quæ mihi occurrit, & placet,neſcio an alijs: Dico itaque,quod quando ait Auctor, *materia etiam manet,quæ tali forma fuit ſubiecta ſub dimenſionibus eiſdem, ex quibus habebat,vt eſſet indiuidualis materia*, verba iſta ſic poſſunt accipi,vt dicatur remanere materia,non autem dicantur remanere eædem dimenſiones, Quod autem dicitur materia ſub eiſdem dimenſionibus,hoc referatur ad tempus vitæ hominis,& nõ corruptionis, & ſit ſenſus,corrupto homine,manet anima, manet & materia, quæ erat homine viuente ſub eiſdem dimẽſionibus,&c. Poteſtque ſuaderi hæc interpretatio, ex eo quod argumentum factum ſecundo loco capite præcedenti loquitur ſolum de principijs hominis eſſentialibus,nullo verbo habito de dimenſionibus,niſi quis dicat contineri ſub corporeitate,ſed hoc fauet huic interpretationi,quoniã loquens de hac corporeitate inquit,quod poteſt ſumi, & pro forma ſubſtantiali corporis,prout in genere ſubſtantiæ collocatur,& ſic nihil aliud erit, quã forma ſubſtantialis hominis,& pro forma accidentali, ſecũdum quam dicitur corpus,quod eſt in genere quantitatis,& ſic nihil aliud eſt, quam tres dimenſiones corporis rationem conſtituentes; & corporeitatem hoc modo acceptam docet in nihilum cedere,corrupto corpore humano,quod tamen ait non eſſe impedimento, quin idem homo numero reſurgat, quoniam corporeitas primo modo dicta eadem manet,& ita clarius, faciliuſque tollitur apparens illa cõtradictio in eodem capite in verbis Auctoris,nam manifeſte inquit corporeitatem, quæ ſignificat tres dimenſiones,in nihilum abire in hominis corruptione, non dixit autem,quod remaneat,ſed ſolum, quod remanet materia, quæ tali formæ fuit ſubiecta ſub dimenſionibus eiſdem,ſic ly *dimenſionibus eiſdem*,non accommodari debet cum remanentia,ſed cum ly *fuit ſubiecta*. Confirmatur,quoniam loquens

Auctoris cogitatio.

Quomodo varie ſuadeatur.

quens de materia,quæ fuit tali formæ ſubiecta ſub dimenſionibus eiſdem, dicit ex quibus habebat, vt eſſet indiuidualis materia, non inquit habet, vel ſit, ſed præteritis vocibus vtitur, vt oſtendat ſe id referre ad tempus vitæ, non corruptionis hominis,ſic etiam erat ſubiecta tunc eiſdem dimenſionibus,non autem corrupto homine,ſed tunc quando ſubiecta fuit formæ,vniformiter enim accipi debet ly *ſubiecta eſſe* in ordine ad formam, & in ordine ad eaſdem dimenſiones. Confirmatur etiam,quoniam incipiens Auctor ſoluere hoc argumentum, inquit illud impedire non poſſe, quoniam nullum principiorum eſſentialiũ hominis poſt mortem omnino cedit in nihilum,nam manet anima, manet & materia,ecce ſufficienter ſolutum argumentũ,abſque eo vt admiſceatur ſermo de remanentia dimenſionum, quæ non ſunt principium hominis eſſentiale.

Difficultas. At contra hoc ſcio poſſe moueri difficultatem, quoniam materia quatenus eſt principiũ eſſentiale huius hominis, non eſt materia vt ſic, & in communi, ſed hæc, & indiuidualis, quippe quod non obtinet niſi merito dimenſionum iſtarum, & quantitatis ſignatæ, quare niſi hæ remaneant, licet ſuperſit materia, non tamen vt principium hominis, ſic non videtur auferri argumentum cap. 80.motum,quo ex deſtructione principiorum eſſentialium arguebatur, non poſſe eundem hominem numero reſurgere.

Auſertur. Dico argumentum vrgere, ſed tamen arbitror e medio auferri ex verbis eiuſdem Auctoris relatis, inquit enim nullum principiorum eſſentialium hominis per mortem omnino cedere in nihilum,vbi nota ly *omnino*, quaſi velit dicere,non poteſt negari aliquid alicuius principij eſſentialis in hominis corruptione perire, quoniam pereunt dimenſiones, &c.quæ ſunt aliquid materiæ, quatenus eſt principium huius hominis, at nullum principium omnino perit, quoniam cum duo ſint, anima ſcilicet, & materia, illa prorſus remanet, hæc vero prout principium hoc, quo ad aliquid cedit in nihilum, nam manet entitas materiæ,abeunt dimenſiones,ſic non omnino in nihilum abit; Immo vero ſi intellexiſſet eaſdem quoque dimenſiones remanere, ly *omnino* nihil ſignificaret, ſed acute nimis appoſitum credo,vt quod dixi innueret; Neque enim quis ſuſpicari poteſt, vt vere voluerit omnino, & numeris omnibus vt ita dicam remanere, tunc enim quæ tertio loco adducta eſt interpretatio non poſſet huic loco aptari, quæ tamen eſt forſan eiuſdem Auctoris, cum remanere in potentia, & in radice,non ſit omnino in hoc ſenſu remanere. Iuxta tamen vltimam hanc meam interpretationem,ſi quid valeat, non cogimur dicere,aliud Auctorem docuiſſe in Summa contra Gentes de interminatis dimenſionibus, & aliud in magna Summa Theologiæ,quicquid fuerit in alijs operibus,quę commodas tamen poſſunt admittere intelligentias, &c.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA.

Num aliquod accidens idem numero maneat in viuo, & mortuo.

CIRCA omnia, quæ duabus proxime quæſtionibus adducta, definitaque ſunt, illud ſupereſt vt videamus, num ſuſceptiuum formę ſubſtantialis ſit ita pura potentia, vt nō modo nullam formam ſubſtancialem habeat, non modo quantitatē, ſed neque vllum aliud accidens, potiſſimum de genere qualitatis, ita vt in ſubſtantiali corruptione fiat reſolutio ad materiam omnino nudam, & ita definientur quæ duabus eiſdem quæſtionibus in hanc reſeruabantur; quod vt commode fiat, declarabitur primo in quo ſtet difficultas, & ſimul plurimorum ſententia varijs fulcita præſidijs adducetur, ſecundo quid probabile iudicem adſeram, tertio quid verius, ac multo probabilius, quarto inſinuabo quomodo poſſint confutari, quæ oppoſitam partem probabilem efficiebant, & quod probabilius aſſerui firmabo, quinto ſatisfaciam argumentis principio adductis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid quaratur, & quid alij voluerint.

Titulus quæſiti facillimus eſt, ſi expendantur, quæ in elucidandis ſuperiorum quæſtionum titulis dicta fuere; Vbi enim definitum fuit, in aduentu nouæ formæ priorem recedere, & ſimul cum ea quantitatem omnem, ſic modo indagatur, num etiam recedat omnis qualitas, vel omnis diſpoſitio præcedentis formæ, adeo vt materia nulla ſit affecta qualitate, nullo accidente, nulla diſpoſitione, ſed omnino nudata remaneat omni accidentali forma, & generans attingat eſſentiam penitus nudam materiæ, & ſubſtātialis etiam corruptio exigat ſimili modo nudam materiem, vt quemadmodum eomet inſtanti, in quo recedit forma prior, diximus & quantitatem recedere, ita omnis etiam qualitas, & diſpoſitio abeat; Et quamuis ſublata à ſubſtantia corporea quantitate, auferatur & qualitas, cum hæc in illa fundetur, ſitque ei ratio cur ſubiecto inſit, vt proinde appareat quæſtio hæc ſoluta in antehabita immediate, vnde non immerito quæſtiones has tres affines, atque ſe inuicem mox ſequentes diximus, quoniam tamen præcedenti quæſito de quantitate præcipue interminata fuit intentio loqui, & multas difficultates proprias de qualitatibus adferunt multi, & demum ne quę alij diuidunt, nos coniungentes, quæſtionem nimis oblongam texeremus, ſeorſum hanc inſtituere elegimus. Cauſæ huius quæſiti ſeorſum indagādi.

Rurſus, ſi quis bene conſideret, quæ ſuperiori quæſtione fuerunt definita, comperiet hanc difficultatem omnino e medio ſublatam, quoniam ſi materia nullius accidentis eſt ſubiectum, ſed compoſitum dumtaxat, cum nemo ambigat in receſſu formæ, & corruptione interire compoſitum, nullus ſubinde dubitabit, quin omnia accidentia & recedant, & corrumpantur, quoniam eorum

ſubiecto

ſubiecto perempto, & ipſa perire compertum eſt; Ob rationes tamen commemoratas, quæ ſitum hoc de ſe tractandum ſuperfuit, in cuius deciſione patebũt quæ habentur quinta parte huius literæ, vbi habetur quædam accidentia conſequentia materiam in receſſu formæ ſpecialis non remanere, quædam autem remanere, circa quam partem formauit Caietanus quæſtionem hanc; Ipſe tamen hoc loco eam moueo, quoniam proxime comitatur quæ precesſerũt quæſtiones, & vt idem Caiet. ibi adnotat, ab illa controuerſia pendet, num in compoſito ſubſtantiali ſit vnica forma, quam ſi circa has partes literæ, occaſione quarum formari debuiſſe idem fatetur texuiſſet; non dubito quin & ipſe, vel cum illa permiſcuiſſet, vel poſt illam mox definijſſet.

Multorum opinio. His conſtitutis, Omnes illi, qui in viuentibus præter animam ſtatuunt corporeitatis formam, ſeu à materia inſeparabilem, vt Auicennas, ſeu ſeparabilem, vt Scotus, inſuper illi omnes, qui interminatam quantitatem in materia locant æternam, ac demum omnes illi, qui primam materiam ſubiectum accidentium volunt, quibus de omnibus in ſuperioribus ſermo habitus eſt, docent nonnulla accidentia eadem numero manere in genito, & corrupto, ac proinde formam aduenire materiæ qualitatibus, ac diſpoſitionibus affectæ; Quamuis hi ab inuicem diſſideant, quoniam plures formas ponentes, volunt accidentia illa eſſe ſubiectiue in forma corporeitatis, qui autem vnicam formam, dicunt ſubiectũ eorum eſſe materiam, at in eo de quo hæc quæſito agit conueniunt omnes. Dixi eos de quibuſdam accidentibus in hoc loqui, quoniam conſueuit apud quoſdam diſtingui de ipſis, vt dicant quędam eſſe communia viuenti, ac vita functo, quædam propria alteri iſtorum, vnde quoniam ſemper viuum à mortuo ſaltem ſpecie differt, non enim ignis corrumpitur vmquam primo in ignem, ſed in aliquod alterius ſpeciei, illa accidentia, quæ erant ſpecialia, recedente anima dicunt recedere, at generica, & quæ contrarium non habeant, in forma geniti volunt remanere; Vt gratia exempli, aqua, & aer habent hoc accidens, quod eſt *diaphaneitas*, quippe quæ non eſt propria alicui eorũ, ſed ob eandem tranſ-

Ariſtotel. parentiam vtrique ineſt, ex ſecundo de Anima 68. ideo quando ex aqua gignitur aer, humiditas, & tranſparentia vtrique communis remanebit eadem, frigiditas vero aquæ non manebit, quoniam habet quid contrarium in aere, qui generatur, caliditatem ſcilicet, & quoniam non eſt communis aquæ, & aeri;

Zabarella. Quamobrem colligit ſpeciatim Zabarella in calce 10. cap. libri illius de communi rerum generatione, & interitu, quod cum accidens abſque ſua cauſa exiſtere poteſt, & formæ generandæ non repugnat, tum ſi abſolute conſideretur, tum ſi ad formam præcedentem, quæ interijt referatur, poteſt idem numero in re genita permanere, quod fuit in re corrupta.

Alia etiam conſueuit adferri diſtinctio, de accidentibus nimirum terminatis, hoc eſt, ad hunc, & illum gradum limitatis, & de interminatis, quæ ſcilicet ſunt

Aliorum in hoc via. abſque limitatione ad hunc, vel illum gradum, vnde quidam referente Caiet. hac quæſtione ponunt hæc eadem numero in genito, & corrupto, non autem illa, quocirca ſicut ad aures Commentatoris manifeſte ponitur quantitas interminata eadem vtrique, ita ab illis ſtatuuntur eædẽ interminatæ qualitates;

Auerroes. quod videtur habere fundamentum in dictis eiuſdem Auerrois primo cap. de Subſtantia orbis inquientis, dimenſiones ſimpliciter, quæ appellantur corpus ſimpliciter non denudari à prima materia, ſicut nec alia accidentia communia omnibus corporibus contrarijs, aut duobus eorum, aut pluribus, & adfert exemplum de diaphaneitate, in qua communicant ignis, & aqua; Quæ tamen

fuerit

fuerit in hoc eius ſententia, non conueniunt omnes, nam Soncinas octauo Diuinorum, quæſt. nona inquit, ipſum tenuiſſe manere eaſdem dimenſiones, at interire diſpoſitiones ad corruptionem formæ, quod ipſum videtur innuere Iandunus ſuper caput illud primum de Subſtantia orbis; E contra Sueſſanus ſuper cap. quartum primi de Generatione, & circa relatum caput de Subſtantia orbis videtur ſentire, vt omnia accidentia communia, interminata præcipue, & quæ contrarium non habeant, eadem voluerit numero in viuo, ac mortuo perſeuerare, cui Genua annuere apparet ſuper quartum ſecundi de Anima. Mercenarius quoque priori dilucidationum parte explicans definitionem generationis ait, voluiſſe Auerr. in mutatione ſubſtantiali non manere aliquod ſenſibile vt ſubiectum, manere tamen vt diſpoſitionem. At quæ demum fuerit Auerr. in hoc ſententia, multa argumenta multi congerunt, vt propoſitam opinionem ferè communem corroborent. Soncinas. Iandunus. Sueſſanus. Genua. Mercenar.

Et primo illud, de quo præcedenti quæſtione habita eſt mentio, quodque à pleriſque cenſetur palmarium, ſumptum ex teſtimonio ſenſus, qui obiecto in debita diſtantia conſtituto, potentia apte diſpoſita, & accommodato medij interſtitio nequit falli, & tamen omnes omnium oculi cernunt eandem cicatricem, eoſdem colores, & eadem accidentia, quo nimirum argumento tamquam efficaciſſimo nemo non vtitur.

Secundo, Adſunt motiua Ianduni quæſtione 2. ad ſecundum de Anima; Tunc enim motus finitus eſſet abſque termino, ad quem terminaretur, (quod argumentum difficillimum vocauit Genua vbi ſupra,) probatur ſequela, quoniam alteratio quæ diſponit ad animalis generationem, & ad formæ ſubſtantialis introductionem, caret mutato eſſe, quoniam in eius termino ponuntur diſpoſitiones corrumpi, & ſubſtantialis forma accedere; ſed neque poteſt dici, quod illo inſtanti diſpoſitiones corrumpantur, non enim per ſe, quoniam omnis talis corruptio eſt ob contrarium, quod tunc nullum eis adeſt, neque per accidens, quoniam decimo Diuinorum vltimo, quicquid corrumpitur, per ſe corrumpitur, nam corruptibilitas eſt prædicatum eſſentiale, neque vna res de ſe corruptibilis, poteſt effici per accidens incorruptibilis, neque e contra, cum itaque nullo modo corrumpantur, ergo eædem numero perſeuerant. Iandunus. Genua. Ariſtotel.

Tertio, Si corrumpantur, hoc fit aut in tempore, aut in inſtanti, non primum, quoniam neque in tempore, quod præcedat generationem, neque quod ſequatur, non ſecundum, quoniam cum genitæ fuerint in tempore, nequeunt in inſtanti corrumpi, quo enim modo aliquid gignitur, eodem corrumpitur; Confirmatur, quoniam omne corruptum eſſe præcedit aliqua corruptio, ſeu alteratio, at hoc non poteſt in propoſito aſſignari, quoniam alteratio quæ præcedit eſt pro ipſarum generatione.

Quarto, Si ponantur corrumpi, igitur fruſtra introductæ fuerunt, probatur conſequentia, quoniam inducuntur, vt materiam diſponant, at in inſtanti corruptionis ipſarum materia remanet nuda, ac ſubinde indifferens ad omnes formas, & ex conſequenti non magis hæc, quam illa forma in ea induci valet, cũ non ſit maior ratio de hac, quam de illa; Si dicatur hanc formam magis, quam aliam induci ob præſentiam ſui agentis, hoc nihil eſſe ait Iandunus, quoniam ad hoc vt forma in materia inducatur, ſola præſentia agentis non ſufficit, nam & in tranſmutationis principio aderat agens, & tamen non inducebatur forma; Præterea inquit Archangelus poſteriori dilucidationum volumine, dum ordinem in rerum naturalium interitu pateſacit, quamuis hæc reſponſio lo- Iandunus. Mercenar.

cum

cum aliquem poſſit habere in generatione, quæ fit ab agente vniuoco, & particulari, nequit tamen ſaluari in generatione agentis æquiuoci, & communis, nõ enim erit maior ratio, cur ad præſentiam Solis ex terra compluta ſi ponantur diſpoſitiones abire, generetur rana, quam mus, &c.

Quanti faciat Mercenarius hanc rationẽ.

Quinto, Fatentur omnes cum Ariſtotele, actus, & formas recipi in patiente probe diſpoſito, at quæ diſpoſitio erit in materia, ſi omnes diſpoſitiones recedant? Et hanc rationem vim demonſtrantem aduerſus Auctorem habere dicit ibidem Mercenarius, cui hanc alteram addi poſſe inquit, nam ſi ponantur corrumpi diſpoſitiones inductæ pro forma generanda, & ſimul cum forma alias ſimiles generari, cum forma ſubſtantialis ex noſtra ſententia acquiratur in inſtanti, igitur & primæ qualitates acquirentur in inſtanti, quod nequit fieri, quoniam tota latitudo primarum qualitatum ſimul, temporiſque momento acquiri non poteſt, quod vt clarum abſque vlla probatione relinquit; Et confirmatur, quoniam ens perfectiſſimum, quale eſt forma ſubſtantialis, minus decens videtur, vt materiæ primæ, quæ eſt ens imperfectiſsimum immediate vniatur.

Ratio Genuæ.

Sexto adeſt argumentum Genuę ibidem, Approximetur inquit ignis formicæ, ita vt formica tota comburatur, certum eſt, quod primo generabitur cadauer, deinde ignis, tunc inſtat, quoniam in vltimo non eſſe formicæ materia eſt nuda, vnde quæritur, quare ignis formam alienam magis, quam ſuam inducat; quod ſi dicatur id prouenire ratione repugnantiæ terminorum, inſtatur, quoniam ſi in illo priori ignis non poteſt inducere gradus caliditatis, qui faciant pro igne, neque poterit eos inducere, qui faciant pro cadauere, vt gratia exempli quinque caliditatis gradus, &c.

Ariſtot.

Septimo, Colligimus ex Ariſtotele primo de Generatione 24. nihil prohibere, vt aliquod accidens, quod fuit in genito, maneat idem in corrupto, vt quãdo ex aere fit aqua; ſecundo quoque eiuſdem 25. legimus faciliorem eſſe trãſitum in habentibus cognationem ad inuicem, quoniam facilius eſt corrumpere vnum, quam duo; Si dicatur cum Auctore in illius textus expoſitione, ideo eſſe faciliorem tranſitum, licet vtraque qualitas corrumpatur, quoniam qualitates non ſymbolicæ corrumpuntur cum reſiſtentia, quoniam enim ſunt contrariæ, ideo reſiſtunt corrumpentibus, ſymbolicæ vero ſine aliqua reſiſtentia, & reactione corrumpuntur; Obijcit Marſilius ſecundo de Generatione, quæſt. 10. quoniam in non habentibus ſymbolum duo agunt, & duo reſiſtunt, in habentibus vero vna tantum qualitas agit, & vna reſiſtit, qualis autem eſt proportio duorum ad duo, talis eſt vnius ad vnum, quare, &c. Confirmatur auctoritate quoque Platonis ad finem prope Gorgiæ digredientis, quomodo corpus poſt mortem tam naturam ſuam, quam culturam, & paſſiones pręferat, vbi poſt nonnulla ad hoc ſummatim inquit, *qualecumque viuentis erat corpus, talia ipſius mortui omnia, vel plurima ad tempus apparent.*

D.Thom.

Marſilius

Plato.

D.Thom.

Poſtremo, Habet Auctor tertia parte, quæſt. nona, art 3. ad 2. quod per calorẽ diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adueniente, calor non ceſſat, ſed remanet quaſi effectus quidam talis formæ; Inſuper quinta parte huius literæ ait, nigredinem cutis, quæ eſt in æthiope remanere poſt mortem, nulli autem dubium eſſe poteſt, nigredinem eſſe accidens, quare ſi hoc remaneat, non eſt maior ratio de vno, quam de alio, quare &c.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid in hoc negotio probabile appareat.

EX doctrina Auctoris omnibus locis quæſtionibus ſuperioribus adductis colligitur, nullum accidens idem numero in genito, & corrupto perdurare, nam id ſequitur neceſſario ex duobus illis principijs, quæ iam definita ſunt, quod ſcilicet in compoſito ſit vnica forma ſubſtantialis, & quod omne accidens ſit ſubiectiue in compoſito, vt huius quæſtionis titulo dicebatur; Vide tamen Auctorem ſuper duplicem illum locum ex vtroque libro de Generatione ſeptimo argumento memoratum, & quolibeto 1. quæſt. 4. ar. 6. & inuenies eum affirmate docentem, nullum omnino accidens idem numero manere in genito, & corrupto, ſed ſemper cum forma recedente corrumpi, & accidens idem ſpecie ſuccedere. Hoc idem habet Caiet. hac quæſtione, & omnes alij Thomiſtæ locis iam in ſuperioribus memoratis conſequenter loquentes; At extra ſcholam Auctoris perpaucos inuenies, qui determinate ipſum in hoc ſequantur præter Romanũ Aegidiũ, qui ſuo Correctorio ar. 32. circa primã part. & in expoſitione 25. ſecundi illius de Generatione docet, nullum idem numero accidẽs remanere in corrupto, quod fuerit in genito, ad quod refertur & Petrus Pomponatius libro ſuo de nutritione, & accretione. Dixerim *determinate*, quoniam Albertus de Saxonia quæſt. 6. ad primum de Generatione vtramque partem cenſet probabilẽ, argumenta vltro, citroque diſſoluens. Idem præſtat ibi Marſilius, licet magis propendeat in partem quæ affirmat, aliquod accidens idẽ perſeuerare; Similiter Toletus quæſtione illa ſeptima, quamuis probabilem adiudicet Auctoris ſententiam, multo tamen probabiliorem oppoſitam, &c. D.Thom. Caietanus. Aegidius. Pomponat. Alb. de Sax. Marſilius. Toletus.

Sit probabilis concluſio: Accidentia illa, quæ eadem in genito, & corrupto iudicat ſenſus, ſunt eadem numero. Cõcluſio probabilis.

Hanc probabilem efficiunt adducta argumenta, & tot viri illuſtres, qui eam non dubitanter aſſeuerant, ſed mirum in modum eam roborare videtur argumentum primo loco habitũ ex teſtimonio ſenſus, vt proinde in concluſione ea tantum aſſerantur eadem numero, quæ talia eſſe iudicet ſenſus. Et quidem ſenſus iudicium magnifaciendum eſt, hic enim ex omnium ſententia, ſi adſint, quæ primo illo argumento recenſebãtur nequit falli, quod & ſi in aliquo falleretur, non eſſet vſque adeo mirandum, at quod omnes omnium ſenſus decipiantur, neque creditu, neque factu poſſibile eſt.

Cæterum vim huius argumẽti ex Ariſtotelis doctriua expendere ipſe ſoleo, legimus ſiquidem 8. Phyſi. 22. quod deſerere ſenſum propter rationem, eſt cuiuſdam infirmitatis, & imbecillitatis, ſic itaque cum ſenſus nobis dicat eandem cicatricem eſſe, quæ fuerat in viuente, & quæ mox eſt in mortuo, ſi id negemus ob rationes, iam intellectu imbecilles apparemus, & efficimur ſimiles Zenoni, quem contra ibi agit Ariſtoteles, qui licet videret motum, quoniam tamen nõnullas rationes ſoluere neſciebat, omnia quieſcere aſſerebat. Præterea 2. Phyſ. 6. habemus, ridiculum eſſe, ſi quis tentet demonſtrare, quod detur natura, tunc enim manifeſtum per immanifeſtum oſtenditur, hoc autem ſubdit Philoſophus eſt illius, qui non poterit iudicare id quod per ſeipſum, & non per ſeipſum no- Ariſtot. Zenon. Ariſtotelis loca expenduntur.

tum eſt; Simile accidit in propoſito, cum enim ſenſus iudicio manifeſtum ſit eadem numero eſſe huiuſmodi accidentia, ſi id velimus negare, & oppoſitum per rationes oſtendere, certe manifeſta per immanifeſta tentamus aperire, vnde noſipſos ridiculos exhibemus. Accedit, quod primo Topicorũ, cap. 9. legimus, non eſſe quamuis poſitionem conſiderandam, eorum præcipue, qui pœna, vel ſenſu indigent: & adfert exempla, qui enim dubitant, vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, an non pœna indigent? qui vero vtrum nix alba, an non ſenſu? Ex quo poſſumus inferre, aliquem nolle hanc poſitionem cõſiderare, vtrum ſcilicet eadem cicatrix ſit viuentis, & mortui, poteſt enim dici, eos qui illud negant indigere ſenſu. Rurſus adeſt locus apud eundem Philoſophum vrgentiſſimus, qui tertio de Generatione animalium, ad finem cap. 10. quædam non nimis certa de apum generatione enuncians, ait quod ſi quando ſatis cognita habebuntur, tunc ſenſui magis, quam rationi credendum erit; Rationi etiam fidem ait eſſe adhibendam, ſi quæ demonſtrantur, conueniant cum ijs rebus, quæ ſenſu percipiuntur; Tunc dico ſic, res videtur dubia, num eadem numero ſint accidentia in genito, & corrupto, quam dubietatem ſatis teſtatam reliquere viri omni nomine grauiſſimi inter ſe de hoc diſſidentes, ſed magis ſenſui credendum eſt, quam rationi, ergo debemus dicere, quod ſunt eadem numero, patet conſequentia, quoniam ita ſentit ſenſus; Quod ſi dicas rationem obſtare, iam ex auctoritate inducta dignoſcitur vana hæc reſponſio, nam tunc rationi fidem eſt dare, quando ijs eſt conſentanea, quæ ſenſus docet, vnde minus bene videntur ij ſentire, qui dicunt rationem moderari ſenſum, nam ex Ariſtotele ratio vera ex ſenſu menſuratur. Confirmatur, quoniam ſuper illum 22. octaui Phyſicorum habet Commentator, veras concluſiones non declarari, niſi à propoſitionibus, & propoſitiones à ſenſu, & ſermonum verorũ experimentum non eſſe, niſi vt conueniat ſenſatis. Confirmatur adhuc, quoniam ex proœmio Diuinorum, & vltimo cap. 2. Poſter. à ſenſibus primo omnis noſtra cognitio ortum habet, quod ſi nos ſenſus fallerent, fallax eſſet noſtra cognitio, quod ſi aliunde veritas cognitionis deſumatur, non itaque à ſenſibus orietur.

Auerroes.

Ariſtotel.

Vlterius dicebat Philoſophus principio primi Diuinorum, omnes homines natura ſcire appetere, quod ex ſenſuum dilectione roborabat, & præ cæteris illum viſus maiori nos dilectione proſequi aiebat, quoniam hic maxime ad ſcientiã conducit, at ſi hic ſenſus omnes homines in re ardua decipiat, quomodo cũ magis diligere debemus, quomodo eſt nobis ſupra alios ad cognitionem vtilis? Enimuero cum à natura, immo vero ab auctore naturæ ſenſus nobis elargiti ſint, quis crediderit omnium hominum facultatem vilem perſæpe, & millies in die falli? An quicquam fruſtra faciat Deus, & natura?

Accedit, quod accidentia illa, quæ numero differunt, licet ſpecie conueniant, aliquam tamen habent ab inuicem differentiam, & certe non in omnibus ſunt ſimilia, nam quod eſt omnino ſimile, eſt prorſus idem, ita ſolent dicere omnes, quod ſi ſimilitudo curreret quo ad omnia, iam non ſimilitudo, ſed identitas eſſet, at videmus omnia accidentia quæ ſunt in mortuo, eſſe eadem omnino cũ ijs, quæ erant in viuo, igitur nõ modo ſpecie ſunt ſimilia, ſed omnino eadem ſunt, minor patentiſſima eſt, videmus enim eandem prorſus cicatricem, eiuſdem longitudinis, ac latitudinis, in eodem ſitu, intuemur omnes eoſdem capillos, & barbæ pilos eiuſdem coloris, & ſi numerarentur, nec vnus quidem aut deeſſet, aut redundaret. Confirmatur, quoniam naturam aliquando in par-

Dictum commune.

in particulari rerum effectione deficere videmus, vnde monſtra naturæ particulari comparata nonnumquam eueniunt, at numquam hæc intuemur, vt nimirum recedentibus omnibus illis prioribus accidentibus, vel aliquid vnum aliquo modo diſſimile priori appareat, numquam nobis cernere eſt cicatricem latiorem, numquam euaneſcentem, numquam quantitatem, numquam qualitatem vel vt minimum immutatas, nec alterationem vllam paſſas. Confirmatur etiam, quoniam in cibis lautiſſimis veſcendis animalium ſylueſtrium, domeſticorum, quæ in aere, aqua, terra degunt omnes aberrarent, credent enim ſe comedere, quando vitulum, quando pullum, quando perdicem, quando ſilurum, quando carpum, & ita ea, & reliqua id genus plurima emunt, vt comedant, at dum interficiuntur, non ſunt amplius carnes illæ, quas emerunt, & ſi mortua mercati fuerint, non ſunt eadem animalia, quæ ſe mercari putarunt, quæ res eſt incredibilis, & riſum prope mouere apparet; quod ſi dicatur ſat eſſe illis vtentibus, vt eos cibos experiantur, quos animalium illorum omnes tenuerunt, & teneant, mirum eſt, quomodo numquam vlla, vel tenuiſſima in carnium illarum poſteriorum prioribus ſucceſſione intercedat mutatio, & mille alia huius generis argumenta poſſent multiplicari.

Adde, quod operoſum valde offertur intellectui, quomodo tot accidentia, tot organizationes, tot inſtrumenta ictu oculi deſtruantur, ſed tandem hoc aliquo pacto ſuadetur, at difficillimum eſt ſuaſu, quomodo tot rurſus accidentia, organa, inſtrumenta eodem ictu oculi producantur, cum tantum temporis adhibeat natura in animalium generatione, in organorum illorum conſtructione; Neque ſatis eſt dicere, non poſſe diſpoſitiones illas priores adeo radicatas ab agente naturali totaliter deſtrui, quin ſimiles in ſpecie ſuccedant, hæc enim dicere, eſt pugnantia dicere, primo enim totaliter deſtruuntur, nam ſtultum eſſet oppoſitum imaginari, ſi enim accidentia priora abeunt, & alia numero differentia ſubintrant, certe priora omnino deſtructa ſunt; Rurſus agens naturale, quod infirmum efficiunt, non aduertunt illud idem potentiſſimum facere, non ſolum enim omnino priora deſtruit, ſed eodem momento dicunt, (vide admirabiles vires) alia denuo ſpecie ſimilia producere.

Deinde adagio receptum eſt, vocem communem, falſam non eſſe, populique vocem, Dei vocem dicunt, ſed interrogentur omnes, & populus præcipue vniuerſus in hoc negotio, mox dicent eadem eſſe accidentia viuentis, & mortui, immo vero ſi eis oppoſitum ſuadere tentaueris in riſum prorumpent, & dicent te cæcos ipſos velle efficere; Neque hoc de ruſticis dumtaxat probatum accipias, ſed & de ijs, qui in literarum cultura aliquid temporis impenderunt, quod mihi nuper euenit cum viris literatis, & iuris doctoribus de hoc agenti, dicentibus me non ſerio loqui, & ſciſcitantibus, (quæ eorum comitas erat,) an hoc de fide tenendum eſſet, aſſeuerantibus profecto ſe numquam id credituros, niſi ſub fidei articulum aliquando cadere contigiſſet.

Prouerbium.

Quid acciderit in hoc Auctori

Tandem concluſionem hanc probabiliter oſtendo in via Auctoris ſuſtineri poſſe, cum enim ipſe multis locis docuerit eaſdem dimenſiones manere in materia corrupti, quæ interdum fuerunt in materia geniti, ergo quandoque ſibi probabile apparuit, aliqua numero accidentia poſſe eadem in genito, & corrupto perſeuerare, potiſſimum iuxta Caietani, & Capreoli ſententiam,

Caietanus. Capreol.

qui id ex ſententia propria, ipſum quibuſdam ſuæ doctrinæ locis docuiſſe affirmant; Dices, contrariam omnino ſententiam poſtea tradidiſſe, fateor, ſed nihil contra me, quoniam non dico hanc eſſe eius opinionem, ſed quod ei nonnumquam viſa eſt probabilis, quod profecto ſi aliquo loco ex propria ſententia, & abſolute id aſſeruit, indubitatum omnibus eſſe debet; quis enim vel animo concipiat, quempiam doctorem aliquid vmquam docere, quod ei tunc docenti probabile, immo ſimpliciter verum, (ſi affirmate doceat,) non appareat? Hinc nullus Auctoris alumnus vt ſic debet formidare de huius concluſionis probabilitate aſſerenda, eam autem aſſeueranter tueri non debet, nam partem oppoſitam quam docuit, probabiliorem & nos ſtatim fatebimur, immo vero reſolute tuebimur.

Quid negaret; quid affirmaret Auctor.

Aduerte hoc vnum circa propoſitam concluſionem, quod cum alterum duorum ad illam ſequatur, vel ſcilicet plures formas eſſe in compoſito, vel primam materiam eſſe accidentium ſubiectum; & vtrumque mox habitis quæſtionibus reiecerim, prius numquam dabo, ſed potius materiam accidentium ſubiectum quadam probabilitatis vmbra dicam, non quidem ſecundum ſe, & abſolute acceptam, hoc enim prorſus impoſſibile iudico, ſed quatenus eſt ſub forma, non hac, vel illa, quoniam his ſpoliatur, ſed ſimpliciter, ac indifferenter; numquam enim à forma omnino denudatur, quare tali auxilio innixæ poterimus aliqua via illud tribuere, vt eius ad hanc, vel illam formam indiſcriminatim coniunctio, ſit velut conditio, ſine qua non accidentium poſſet eſſe ſubiectum; Quoniam tamen & rationes variæ numquam forſan plene ſolubiles, & authoritates contra hanc viam pugnant, ideo ſuſtinens quæ præcedenti quæſito definiui, oppoſitum huius concluſionis, vt multo probabilius, & ſuſtineo & ſuſtinebo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid longe probabilius ſit dicendum.

Concluſio.

Pono hanc concluſionem: Multo conformius Auctori, Ariſtoteli, & veritati eſt dicere, nullum omnino accidens idem numero perſeuerare in genito, & in corrupto.

Caietanus. D. Thomas.

Vt hanc concluſionem intelligere, ac tueri ſcias, nota primo id quod habes à Caiet. hac quæſtione, & ab Auctore quæſtionibus diſputatis de Charitate, ar. 12. circa 11. argumentum, & 2. con. Gent. cap. 79 ratione octaua, & eſt communis doctrina, quod quattuor modis poteſt accidens corrumpi, primo per corruptionem ſubiecti, vt facultas viſiua oculo deſtructo, ſecundo per defectum cauſæ, vt lumen aeris deficiente Sole, tertio quando deficit terminus, ſeu obiectum, (hic modus non habetur loco illo con. Gent.) vt paternitas ad mortem filij, quarto per actionem contrarij agentis, vt calore accedente perit frigiditas, quæ eſt in aqua; Et quoniam quot modis dicitur vnum oppoſitorum, totidem dicitur & reliquum, cum generari, & corrumpi opponantur, quattuor ſimiliter modis aliquod accidens generatur, & ad generationem ſcilicet ſubiecti, vt facultas videns dum gignitur oculus, & ad poſitionem cauſæ vt ad præſentiam Solis lumen in aere, & ad poſitionem termini, vt poſito filio paterni-

Quotupliciter corrumpatur ſubiectum.

Quotupliciter generetur.

paternitas, & demum ab agente ſimili, vt minor frigiditas à maiori; Quamuis autem non omnibus his modis quoduis accidens vel generetur, vel corrumpatur, in eo tamen omnia conueniunt, quod ad generationem ſubiecti generantur, & ad eiuſdem corruptionem corrumpuntur, & ratio eſt, quoniam omne accidens habet, vt ideo ſit, quia ineſt, cum eius eſſe, ſit ineſſe, quocirca perempto eo in quo inerant, perit eorundem eſſe. Hinc vt recte notauit Caiet. patet inania valde eſſe argumenta illa, quæ dum oſtendunt aliquod accidens in aliquo euentu carere contrario, mox inferunt non corrumpi, quaſi quod hic tantum modus adſit corruptionis ipſorum, vnde arguunt, non corrumpuntur hoc modo, ergo non corrumpuntur, in qua forma arguendi cæcus eſt, qui non videat admiſceri fallaciam conſequentis.

Eſſe accidentis.

Caietanus.

Nota deinde, quod quoniam ſubiectum non generat ſua accidentia, ſed eadem actione, qua ipſum à generante accipit primo eſſe, & eſt terminus primus generationis, accidentia quoque ſecundario generantur, & accipiunt eſſe, vnde ad ſubiecti productionem comproducuntur, vt præcedenti quæſtione innuebatur, ita eodem modo dicendum eſt de ipſorum corruptione, nam corrumpens primo ſubiectum, corruptionem conſequenter inducit accidentium, eapropter à mille difficultatibus extricamur, quoniam non aliud generans, vel corrumpens ipſa quærendum eſt, quam illud ipſum, quod generat, corrumpitque ſubiectum, quæ bene inſpicienti non apparebit difficile varia argumēta ſoluere, quamuis etenim dum ex aqua gignitur aer, nulla adſit in hoc qualitas contraria tranſparentiæ in illa, vnde hac ratione non ſit cur aquæ diaphaneitas corrumpatur, quoniam tamen corrumpitur aqua, quæ erat illius ſubiectum, ideo & ipſam corrumpi eſt neceſſum, niſi ponatur. vel accidens eſſe ſine ſubiecto, vel de vno in aliud ſubiectum migrare, quorum neutrum nullus in propoſito aſſerit, &c.

Generans, & corrumpens accidentia.

Hinc elicias, quod licet nonnunquam concedamus, ſimile à ſimili per accidens corrumpi, vt eſt videre in tranſparentia illa aquæ, id tamen in hoc ſenſu accipio, vt aliquando qualitates nonnullæ alicuius formæ, quæ in materia ſuccedet, erunt ſimiles qualitatibus, quæ abierunt, at proprie loquendo nulla qualitas corrumpitur à ſibi ſimili, quoniā corrumpitur ab eo, quod eius ſubiectum corrumpit, quippe quod cum ſit ei contrarium, (aliàs non illud corrumperet,) ex conſequenti ſibi quoque eſt inimicum, vnde quamuis non corrumpatur à contrario ſuo formaliter, corrumpitur tamen à contrario in virtute, & conſequenter, quoniam ab illo, quod id deſtruit, à quo, & in quo habet eſſe, & ſine quo nequit eſſe, quemadmodum ſi quis læderetur non in ſe, ſed in illo, à quo res ſuæ penderent, & ex illa læſione perirent res illius, iſte vtique diceretur læſus à contrario, & inimico ſibi, quamuis non formaliter, & directe, ſed virtualiter, & indirecte.

Quomodo ſimile a ſimili corrumpatur.

Obſerua vlterius, aliud iudicium eſſe faciendum de accidentibus, quando ſeorſum à ſubſtantia acquirunt eſſe, & aliud quando ſimul cum ſubſtantia producuntur, cum enim primo modo ſint ſecundum ſe termini mutationum, & alterationum, ideo & ſucceſſiue acquiruntur, & à contrario tantum formaliter expelluntur, & merito, quoniam tunc mutationes, & motus inſequuntur ipſorum naturas, & iuxta ipſa metiuntur, cum autem ſecundo modo compoſitū ſubſtantiale ſit illud, quod primo terminat mutationem, ipſa vero non niſi ſecundario interueniant, & ſubiectorum ſuorum cōditiones in omnibus ſequantur, hinc more compoſitorū producuntur, & corrumpuntur, in inſtanti videli-

Ratio varia de accidentibus, vt ſic, & cum ſubſtantia productis.

cet,quod plane ex accidente eis conuenit,hoc eſt,non habent ex eorum natur vt ſic,ſed quatenus ſequũtur ſubiecta,quoniam tamen eſt eis naturale,vt ſubie cta ſua omnino ſequantur quo ad eſſe, & quo ad non eſſe, propterea non omnino per accidens in eiuſcemodi euentibus, vel ſic generantur, vel ſi corrumpuntur. Quod dixi de accidentibus, accipias quoque de mutatio nibus ad ipſa, vtputa de alteratione, nam ſi hæc fuerit ſecundum ſe, non coniuncta generationi, ceu dum aqua calida vt ſex, acquirit calorem vt octo tunc requiſitas ad alterationem conditiones inuenies, nam & ſucceſſiue fier videbis, & terminum eius intrinſecum, & vltimum mutatum eſſe, per quoc gradus aliquis accidentalis formæ eidem intrinſecus acquiritur; ſin autem fuerit non ſecundum ſe, at coniuncta generationi, vt dum eadem aqua calefit vt ex ea generetur ignis, tunc non ſunt requirendæ conditiones alterationis v ſic,& merito, quoniam non ſeorſum capitur alteratio, ſed vt coniuncta generationi, eiuſque miniſtra, quo fit,vt tunc metienda ſit iuxta conditiones generationis, quoniam eſt via ad ipſam, & tunc non ſpectatur vt terminus motus penes quem idem motus conſideratur,nam in illo caſu terminus eſt generatio; Sic alteratio tunc non videbit intrinſecum terminum, ſed ſolum extrinſecum; non enim habebit vltimum mutatum eſſe, quid ſcilicet in vltimo inſtanti per eam fuerit acquiſitum, quoniam in illo inſtanti ipſa non erit, vnde dabitur tũc primum illius non eſſe,& vltimum tempus ſui eſſe,quoniam terminus tunc alterationis,eſt forma ſubſtantialis ignis,quæ gignitur. Sic vt colligitur ex Paulo Soncinate octauo Diuinorum quæſt. nona ad primam probationem contra reſponſionem datam ſecundo argumento, poſſumus vocare formam hanc ſubſtantialem,quæ eſt in fine alterationis terminum eiuſdem,& intrinſecum, & extrinſecum,intrinſecum, ſi nomine intrinſeci accipiatur omne quod neceſſario ſequatur aliquod, nam in caſu forma illa neceſſario ſequitur alteratione, in quo eodem ſenſu poteſt dici terminus per ſe, extrinſecum autem, quoniam forma ſubſtantialis non eſt de natura accidentium, ſecundum quæ eſt alteratio.

Ratio ſimiliter varia de mutationibus.

Subſtantialis forma quomodo terminus intrinſecus, & extrinſecus alterationis.

Caietanus. Hæc docte patefaciebat Caiet. quæſtione illa ad ſecundum de Anima,quando ad tertium Ianduni dicebat,motum aliquando inueniri, vt motum tantum, & ita ſi finitus ſit,neceſſario habebit terminum intrinſecum poſitiue,& in actu, aliquando vt viam per ſe ad generationem ſubſtantiæ, & ita fieri non poteſt, vt habeat terminum intrinſecum poſitiue, & in actu,quoniam ante inſtans generationis non datur inſtans immediate præcedens, tunc enim non eſſet generatio inſtantanea,quod ſi non detur tale inſtans, quem, & qualem terminum ei aſſignabimus? Et loquimur ſemper de alteratione,ad quam neceſſitate naturali ſequatur ſubſtantiæ generatio,quod explicauit Caiet quando vocauit viam *per ſe* ad generationem; Quæ omnia ferè prædocuerat Capreolus in ſecundo, diſt. 15.ad vltimum motiuum aduerſus reſponſum ad ſecundum principale contra tertiam concluſionem; Ex qua doctrina prudenter applicata permulta cadunt argumenta,& illud præcipue Ianduni ſecundo loco à nobis inductum, quod iampridem à viris illuſtribus facile ſolutum, difficillimum adhuc vocabat Genua, &c.

Capreolus.

Aduerte quarto vltra illa,quæ ſecunda quæſtione huius literæ circa ſecundum notabile adferebam,quod & concedimus,& docemus formam vniri materiæ diſpoſitæ, nam omnia accidentia, quæ ponunt aduerſarij in materia pro diſpoſitione formæ inducendæ,ponimus & nos, ſed in eo verſatur diſcrimen, quod

quod vbi præpararunt,diſpoſueruntque materiá,volumus nos in aduentu formæ abire,illi vero ſentiunt quædam illorum remanere; Et certe nos melius,& accommodatius nomen,ac rationem diſpoſitionis,ſeu præparationis ſaluamus, & exprimimus,quod enim diſponit aliquid ad alicuius rei ingreſſum vt ſic,vbi diſpoſuit,vbi domicilium aptauit,recedit,& abit,iam enim loquimur de diſpoſitione pro introductione tantum formæ, non autem pro eiuſdem conſeruatione;quocirca licet qualitates,& cætera accidentia in poſterioris formæ aduentu abeant,vere nihilominus materiam diſpoſuerunt, accommodatamque reliquerunt,velut quando aqua per horam calefit, vt in fine horæ ſit calida in decem, in vltimo inſtanti illius temporis non eſt calefactio, (alioquin non terminaretur motus,) ſed adeſt terminus illius calefactionis, qui ſane eſt calor, & tamen vere dicitur calefactio diſpoſitio ad calorem,cum quo ſimul non inuenitur, & hoc in omnibus motibus elucet, ſemper enim ad ipſorum terminos diſponunt, & nunquam cum illis manent, cum in aduentu termini ceſſet motus; Illud diſcriminis eſt in propoſito, quod motus illi nó differunt realiter à ſuis terminis, & conſequenter ſunt in eodem genere, motum enim non eſſe præter res ad quas eſt motus,accepimus ab Ariſtotele tertio Phyſ. 4. at motus harum alterationum ad quas neceſſario ſequitur generatio, & realiter differunt, & ſunt alterius generis à termino, & ratio habetur ex dictis, quoniam terminus hic nó eſt eis intrinſecus,& iuxta id ad quod viæ ſunt oportet eos metiri; Quamobré quæ de termino motus ex Ariſtotele, & ex communi ſententia adſeruntur,accipi debent de intrinſeco,& de motu illo,qui motus tantum eſt, nó via ad quid aliud,ac proinde de illo, qui ex proprijs conditionibus ſpectatur, non autem ex illius ad quod eſt via, &c.

Rationem diſpoſitionis in materia quomodo ſaluemus.

Ariſtotel.

Tradita de motu,& eius termino quomodo accipiéda.

At vero vltra diſpoſitiones illas, quas in materia aſſignamus, & quas in aduentu formæ interire dicimus ſimul cum forma,quæ abit;ponimus etiam diſpoſitiones eiuſdemmet formæ aduenientis, quæ *ſimultaneæ* vocantur, quoniam ſcilicet ſunt ſimul cum forma,quæ introducitur,(ad differentiam aliarum,quæ receſſerunt, quæ ideo præcedentes vocantur,) de quibus non eſt vt admiſceatur dubitatio,num maneant eædem in re corrupta,ac genita, quoniam numquá fuerunt in re corrupta, & quamuis in genere cauſæ formalis, & efficientis ſequantur formam, tamen in genere cauſæ materialis antecedunt iuxta noſtrum modum intelligendi, & iuxta varia ſigna naturæ, nam quo ad durationem loquendo,neque antecedunt, neque ſubſequuntur,quoniam eodem temporis inſtanti ſimul cum forma inducuntur, &c.

Ex his collige, quomodo multipliciter, & non vno tantum modo ponamus formam vniri materiæ diſpoſitæ, tantum abeſt, vt hoc negemus, nam vt habes apud Caiet.prima par.quæſt.76. ar. 6. ad primum,vnitur primo forma materiæ diſpoſitę diſpoſitionibus præcedentibus ordine durationis,nam immediate ante inſtans generationis materia erat ſumme diſpoſita pro forma, quæ introducta eſt,ſecundo diſpoſitionibus ſimultaneis, in eo namque inſtanti quo introducitur forma ſubſtantialis,adſunt quoque omnes diſpoſitiones, quæ in ipſa materia requiruntur, tertio diſpoſitionibus ſimultaneis, quæ præſupponantur reali ordine naturæ, & hoc non dicimus, quoniam ipſa forma præcedit reali ordine naturæ omnia accidentia, intellige in genere cauſæ formalis, & ſimpliciter, nam in genere cauſæ materialis, & diſponentis poſſunt dici vtcumque præcedere, quoniam prius eſſe in genere cauſæ materialis non eſt eſſe prius ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & maxime in propoſito, quoniam

Quot vijs dicamus formá materiæ diſpoſitæ vniri.

Prius in genere cauſæ materialis, quale. eas ponimus priores, antequam vere ſint abſolute, quod forte aduertens Caie negauit abſolute, quod præſupponantur, quarto diſpoſitionibus ſimultaneis quæ præſupponantur ordine naturæ, ſecundum intellectum, & hoc quoque modo verum eſt, non de ipſa forma ſubſtantiali abſolute, vt forma eſt, at ſecu du m poſteriorem eius gradum, & effectum, anima enim intellectiua, vt form eſt, vnitur materiæ nudæ abſque vlla præuia diſpoſitione ſimultanea, quæ pro prie, abſolute, & realiter ſit in materia, at eadem vt anima intellectiua vnitu materiæ affectæ diſpoſitionibus organicis, & ſimilibus, quas ſane attulit eade anima, vt forma, vel vt anima quo ad priores effectus, vegetandi ſcilicet, & ſen tiendi, iam enim præcedentibus his quæſtionibus diximus receptiuum illiu rei quæ eſt anima, eſſe nudam materiam, ſed animæ vt anima eſſe corpus.

Anima intellectiua, vt forma cui materię vniatur, & vt anima.

D. Thom. Ita cernis nullam eſſe in dictis Auctoris contradictionem, licet prima par. l co allegato dicat eſſe impoſſibile, vt aliqua diſpoſitio accidentalis cadat medi inter corpus, & animam, vel inter quamcumque formam, & materiam ſuam ſecundo autem cont. Gent. 71. aſſerat, diſpoſitiones ad formam præcedere ean dem formam in materia, & poſſe dici medias inter animam, & corpus, vt enin

Ferrarien. hoc loco poſteriori cumulate, & eleganter habet Ferrar. in prima par. ſerm eſt de anima, & forma ſubſtantiali quo ad totalem, & primum eius effectum gradum ſcilicet eſſendi, & de forma abſolute, ac anima vt forma, libro vero cont. Gent. loquitur de anima, & forma ſubſtantiali, quatenus dat vlteriorem perfectioremque gradum, & de anima, vt anima, quod liquido elicitur ex mo do loquendi ſuo in calce illius capitis, inquit enim, quod diſpoſitiones corpo ris, quibus fit proprium perfectibile talis formæ, hoc modo poſſunt dici media inter animam, & corpus, vbi vides nomine materiæ accipere corpus, nomine formæ talem formam, & neque ſimpliciter profert cadere tunc medias diſpoſi tiones, ſed *hoc modo*, quæ omnia manifeſtant illum loqui de forma ſecundum hanc, & illam acceptionem, & ſimiliter de tali, ac tali materia in ordine ad ipſam.

Quomodo motiua nonnulla diluantur. Sic videre potes nihil efficere argumenta illa, quæ innuunt, in materia ad formam hominis recipiendam præparata poſſe quamuis aliam formam induci quoniam iam expoliata, & denudata eſt materia, cuius denudationē dicimus requiri ad formæ ſuſceptionem, nam quamuis hoc veriſſimum fuerit, non tamen materiæ denudatio eſt totalis cauſa, quoniam vltra ipſam, immo ante ipſam exigitur, quod immediate antea fuerit ſub illis, & illis diſpoſitionibus, qua ita ad hanc, quod non ad aliam formam eam diſponerent; Cum itaque tot mo dis ponamus formam vniri materiæ præparatæ, ac diſpoſitæ, cum tot diſpoſi

Aduerſus Mercenarium. tiones, & præcedentes, & ſimultaneas in materia ponamus, ceſſent amabo argu menta illa, quibus dicitur ex poſitione noſtra, ſequi formam induci in materia non præparata, ſed potiſſimum ſileant, neque amplius audiātur voces illæ Mer cenarij dicentis, motiua hæc vim habere demonſtrantem contra Auctorem quæ iam ſufficienter, ab ipſomet Auctore, Caiet. & alijs pleriſque confutata ſunt.

Obſerua adhuc circa illa inſtantia, aut ſigna rationis, in quorum plura idem inſtans temporis partimur, dicēdo aliquid in vno genere cauſæ eſſe prius aliquid in alio eſſe poſterius, nos non ita intelligere, quod ſint prioritates eſ

Quid nomine prioritatis. ſendi, quaſi vt aliquid tunc ſit prius, & poſterius, ſed ſolum ſunt prioritates intelligendi, hoc eſt, in illo priori intelligimus prius diſpoſitiones diſponere ad formam, quam ipſam formam adeſſe, & ſic de alijs, vnde non ſunt inſtantia

tia

tia *in quibus* hoc ſit, & non ſit illud,cum omnia ſimul ſint , ſed ſunt prioritates *quia*,& explicandæ ſunt per *quia*.& non *in quo*,ſeu *in quibus*, vt dum dicimus diſpoſitiones ſunt poſteriores forma in genere cauſæ formalis, ergo quia illa forma eſt,diſpoſitiones quoque ſunt , non autem poſſumus dicere, ergo in illo priori eſt illa,& non ſunt iſtæ ; multo minus,quando dicimus diſpoſitiones eſſe priores in genere cauſæ materialis,quã forma,licet deducere,ergo illæ ſunt, non eſt hæc,quoniam eſſe prius in genere cauſæ materialis,eſt eſſe prius ſecũdum quid,ac valde diminute; & certe præcedere ſimpliciter, eſt habere prius eſſe,præcedere autẽ prioritate naturæ eſt,vel intelligi prius, vel cauſare prius, vnde non eſt bona argumentatio , Hoc eſt prius natura, ergo eſt prius,eſt enim argumentum à prioritate rationis intelligendi , & *quia*,ad prioritatem eſſendi realem, & *in qua*,& denique eſt argumentum à ſecundum quid ad ſimpliciter.

Defectus argumenti.

Nota poſtremo, quod mortuo animali , omnibus accidentibus abeuntibus, quæ formam priorem ſequebantur , in eodem inſtanti ſimilia in ſpecie producuntur,quo ad quantitatem,& figuram, & reliqua id genus , quippe quæ licet non ſequantur ratione formæ,ſequũtur tamen ratione materiæ, quoniam poſt viuentis formam à materia expulſam,oportet materiam immediate eſſe ſub forma cadaueris,non enim poſt omnem formam, omnis forma ſequitur , ſed hanc determinate ſequitur illa,& ſicut vino corrupto,ſemper ſequitur acetum, ita poſt formam viuentis, ſequitur illa cadaueris ; Vnde quamuis anima non determinet materiam effectiue,vt ſit ſub forma cadaueris , & ſub illis accidentibus formam illam comitantibus,determinat tamen ordinabiliter, quoniam nimirũ animæ vbi mox receſſerit,nata eſt immediate ſuccedere forma cadaueris,& licet tunc anima nõ ſit,(nam in primo eſſe formæ cadaueris,eſt primum non eſſe eius,)vnde ſequitur vt nequeat operari efficiẽdo,tamẽ poteſt determinabiliter ordinare,quoniã hoc modo determinans non determinat ad formã,cũ qua eſt, ſed ad formã quæ ei ſuccedit, ex quo etiã prouenit,vt non ſolũ non ſit abſurdũ quod determinet ſubiectum, ſeu materiam ad id quod ſibi repugnans eſt , hoc eſt ad formam cadaueris,ſed id neceſſario ſequitur , quoniam determinabiliter determinans determinat ad id quod natum eſt ſibi ſuccedere , quare quod determinat,& quod determinatur, eiuſmodi eſſe debent , vt vnum formaliter excludat aliud ; Accidentia quoque , quæ ſub forma viuentis erant in materia, (quæ primum agens formale appellabat Soncinas quæſt. 15. octaui Diuinorum, nam ordinem illum vocat ſecundarium diſponens,) determinarunt ordinabiliter ad formam ſequentem , eiuſque accidentia . Virtus etiam cœli, & agens particulare cum alijs enumeratis ad hæc effectiue determinant,& quamquam nonnulla argumenta vere probant ſolam cœli virtutem ad hæc non ſufficere,infirma tamen ſunt, ſi inferant , ergo non concurrunt,quoniam licet non ſint cauſa totalis,ſunt nihilominus partialis , vt plene habes apud Capreolum libro,& diſtinctione allegata,ad tertiam impugnationem contra reſponſum ad ſecundum primo loco aduerſus tertiam concluſionem.

Quomodo anima ordinet materiam ſuã ad formam cadaueris.

Soncinas.

Capreol.

ARTICVLVS QVARTVS.

Infirmatur probabilitas oppoſita partis, huius vero firmatur.

ILlud eſt ſciendum, quod in corpore viuo, ac mortuo, ſeu genito, & corrupto non manent eadem numero accidentia, ſed ſolum ſecundum ſpeciem, vel ſecundum apparentiam, vnde fallitur ſenſus, dum iudicat eſſe eadem numero, quocirca ratione corrigendus venit, neque ſenſus vim habet, quando diſſentit à principijs communibus, & veris philoſophiæ, & à vera ratione; Variatio autem hæc, ſeu mutatio accidentium non poteſt á ſenſu percipi, ſed intellectus ſolum eam attingit, qui iudicat quid ſit idem, aut diuerſum in re aliqua, quæ ſunt paſſiones entis; ſic nil mirum ſi aberret ſenſus, quoniam hoc iudicium de identitate, ſeu diſtinctione numerica non continetur intra eius obiectum; Sic recte Aegidius loco memorato Correctorij ad tertium quoddam argumétum dicebat, non poſſe diſtinguere ſenſum inter accidétia, quæ ſunt prorſus ſimilia, quando in eadem materia ſtatim inducuntur, & rationem adfert, quoniã ex numeratione ſubiectorum numerantur accidentia, quocirca dum ſenſus valet diſtinguere inter ſubiecta merito aliquorum accidentium, quæ alia, & alia in illis apprehendit, ibi quoque poteſt diſcernere inter accidentia ſimilia inter ſe; at vbi in generatione vnius, ex alterius corruptione inducitur alia forma ſubſtantialis cum accidentibus conſimilibus, nequit ſenſus inter illa ſubiecta diſcernere, ſed id ad vnum intellectum pertinet, quippe qui ſolus formam ſubſtantialem apprehendit, ipſe autem ſenſus per accidentia ſimilia apprehenſa, à quibus ſolis immutatur, hanc diſtinctionem penetrare non poteſt; Accedit quod variatio hæc eſt tempore imperceptibilis, nam eodem inſtanti pereunt accidentia priora, & adueniunt hæc poſteriora, nullumque medium inter illa, & iſta intercedit, quare nequit ſenſu attingi; Et hoc quiſque vt decet conſiderans, hãc mutationem videlicet ſub obiecto ſenſus nõ cadere ob adductas rationes, quæ argumenta ex eiuſdem ſenſus teſtimonio pendent, cito euertuntur.

Error ſenſus. Aegidius. Quid poſſit, & non poſſit ſenſus.

Adfert Banneſius accommodatum exemplum ad hoc quæſt. ſua 10. ar. primo ſuper caput illud quartũ primi de Generatione inquiẽs, ſi Deus toto tempore, quod præcedit aliquod inſtans conſeruaret albedinem in ſubiecto, & in illo inſtanti albedinem illam deſtrueret, & aliam eiuſdem gradus in eodem ſubiecto produceret, certe non perciperet ſenſus albedinis illius corruptionem, & huius generationem, non diſcerneret inter hanc, & illam, quod ipſum ſatis cuique conſtat in propoſito noſtro euenire.

Aptum Bannes ſimile.

At circa omnia hæc attende, quod credituu difficilia non ſunt ijs, qui non ſenſu, ſed intellectus acie, ac ratione duce illa expenderit; Non enim male ſcriptum reliquit Bartholomæus Piſanus defenſione prima ſuper 43. ſeptimi Diuinorum, quod tranſcendit ſenſum, & omnem imaginationem, immo eis videtur maniſeſtiſſime repugnare, dum accidentia eadem videntur perdurare amota ſubſtantiali forma, ex quo viri ſubtilis imaginationis, intellectus autem minus acuti, dum intellectualia per ſenſus, atque imagines, quas non tranſcendunt metiuntur, aberrant, qui vero eadem intellectu rimantur, & ſenſum non dominum intellectus, ſed pediſſequum, vt par eſt faciunt, non ſpectant, quod

Spina.

oſtendit

oſtendit ſenſus, ſed quod ratione potius ſubminiſtratur; Sed & illud non paruifacere quis poſſet; quod habet Plato in Phædone, corporis ſcilicet ſenſus Plato. certos, ac ſinceros non eſſe, potiſſimum auditum, & viſum, adeo vt nihil audiamus, aut videamus ſincerum, ceu poetas canere ibi ait. Hinc D. Auguſtinus D. Auguſt. octauo de Ciuitate Dei, cap. 7. Platonicos celebrat, qui diſcernentes ea, quæ ſenſus attingere valet, ab ijs quæ ratio ſola penetrare poteſt, non ademerunt ſenſibus, quod poſſunt, nec eis plus dederunt, quam poſſint, e contrario condẽnat Epicureos præcipue, & Stoicos, qui rerum omnium notitiam ex ſenſibus metiendam duxerunt, quorum plane ſenſuum regulas, infidas, fallaceſque ibidem appellat, & de Trinitate 15. principio cap. 12. ait, in ijs quæ in animum veniunt a ſenſibus corporis, tam multa aliter ſunt, quam videntur, vt eorum veriſimilitudine nimium conſtipatus, ſanus ſibi eſſe videatur, qui inſanit, & ſubdit quomodo fallatur oculus circa remum in aqua, & turres, & alia ſexcenta inquit aliter eſſe, quam videantur, & Cicero nobilis auctor vltima Tuſculanarum, non multo ante finem aiebat, ſapientis cogitationem non ferme ad inueſtigandum adhibere oculos aduocatos.

Cum his omnibus conſidera, quod aliud eſt loqui de ratione dubia, ac fallaci, ſeu ſophiſtica, & aliud de ratione certa, & euidenti, in primo caſu ſenſui parendum eſt, quodque ipſe manifeſtat præeligendum venit, ſic quædã, quæ Quando ſenſui parẽdum. vix, ac nec vix quidem credere poteramus, credibilia nobis facit ſenſus, non Ariſtotel. enim eorum rationem quæ conuinceret habebamus, ſic dicebat Ariſtoteles tertio illo de Generatione animalium ſenſui parendum eſſe, & rationi credendum, quando fuerit eidem conformis, quoniam nimirum in re ſibi dubia, qualis erat apum generatio verſabatur, aperte enim ibi ait ſe non ſatis adhuc explorata habere, quæ eueniant; Similiter Zenonem octauo Phyſic. arguebat, propterea quod rationibus ſophiſticis, non euidentibus, & certis ſenſum deſerebat; at in ſecundo caſu debet ſenſus rationi obtemperare, & ab illa Quando ſub ratione ſenſus. corrigendus eſt, in ijs potiſſimũ, circa quæ nequit ipſe iudicare, de quorũ numero non eſt iudicium de albedine niuis, at quo pacto cum alia albedine conueniat, vel ab ea differat, præcipue in caſu imperceptibili, & omnino ſimili obiecto, non eſt eius poſſe ſcrutari; Sic non fallitur in iudicanda quantitate, qualitate, cicatrice mortui, hæc enim reuera ibi adſunt, ſed fallitur in iudicio de horum identitate, & differentia à præcedentibus, hæc enim intellectus ſolus deprehendit, & philoſophus penetrat, conſiderans accidentia penes ſubiecta indiuidualiter diſtingui, quare hæc procul ſunt à vulgo, qui numquam philoſophiam vidit, & vel ipſam vocem ignorat, & ab alijs etiam, qui aliàs docti, arcana tamen philoſophiæ abditiſſima non ſunt rimati. Iudicium vero commune non fallitur, quoniam circa illa negotiatur, quæ diſcernere queunt; quod ſi ſecus eueniat, non male non poſſunt iudicare. Neque in tanta admiratione eſſe debet, quod in inſtanti tot accidentia de nouo producantur, nam materia immediate antea erat ſub ſimilibus accidentibus, quæ ob corruptionem tantum ſubiecti fuerunt corrupta, hinc potens eſt agens ob illam ſubiecti diſpoſitionem inducere conſimilia accidentia in gradu alio, quod euenire non poterat in animalis generatione, vt latius habes in Aegidio Aegidius. ibidem, vnde nequeunt totaliter deſtrui, hoc eſt, non ita à materia poteſt illa diſpoſitio recedere, quin immediate ſuccedant conſimilia in ſpecie, quoniam ad hoc ordinabiliter, vt ſuperiori art. dictum fuit determinata eſt; Rurſus ani-

mal ex multo minori materia generatum fuit, vnde multas fuit opus intereſſe transſmutationes, cadauer autem generatur ex tanta materia, quanta erat in animali, quod corrumpitur, & denique imperfecta citius generantur, quam perfecta, vt dicebat Capreolus vbi ſupra antea immediate, ad ſecundam videlicet inſtantiam. Quæ omnia ſi bene applicentur, quæ omnes rationes concluſionem ſecundo art. poſitam fortem faciebant, debiles iam effectæ, eandem debiliorem relinquent, eas tamen formaliter non ſoluo, quoniam concluſionem illam ſub aliqua probabilitatis ſpecie, ſeu vmbra poſſe manere arbitror.

Capreol.

Prior ratio pro vera ſententia.

Supereſt vt quod ſequimur breuiter probemus; Et quidem cum ſecunda huius literæ quæſtione commonſtrauerimus vnicam formam in compoſito, & tertia definitum ſit, ſolum compoſitum eſſe accidentium ſubiectum, de neceſſitate ſequitur, vt nullum omnino idem numero accidens ſit in viuo, ac in mortuo, conueniunt enim omnes in hoc, vt negent accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum, quapropter corrupto accidentis ſubiecto, omne accidens perit, nullus autem dubitat perire compoſitum in formæ ſubſtantialis receſſu, quare, &c.

Secunda.

Præterea, Docent omnes philoſophi, & Ariſtoteles vbique, quod à forma eſt omne eſſe, & quod quicquid exiſtit, per formam exiſtit, cum itaque in omni ſubſtantiali corruptione recedat forma, omnia quoque recedere oportet, nullum itaque accidens idem in eſſe remanet.

Tertia.

Rurſus, Durum nimis apparet, quod idem numero modo ſit animatum, modo anima deſtituatur, nunc mille habeat operationes, nunc omni deſtituatur, nunc vniuoce, nunc æquiuoce tale dicatur, ſed omnia hæc eueniunt organis omnibus, & accidentibus, nam in viuente munia ſua exercebant, in mortuo otioſa prorſus manent, oculus in viuente eſt vniuoce oculus, in mortuo æquiuoce, & breuiter homo mortuus non eſt homo, vt luculente manifeſtat Ariſtoteles primo de Partibus animalium, cap. primo, quare neque accidentia ipſius ſunt eadem; Quod ſi dicatur hæc omnia prouenire, quoniam abijt forma, tunc mirum eſt, quomodo forma abſtulerit omnia alia, præter naturam, & eſſe ipſorum, cum tamen ab ipſa ſit præcipue ipſum eſſe, vt ratione ſuperiori dicebatur, & ſi eſſe illud ab illa forma retinuiſſent, cur ad idem eſſe non ſequatur aliquo tempore eadem operatio?

Ariſtotel.

Quarta.

Vlterius, Quando ex aere fit ignis, peto, an caliditas, & raritas aeris corrumpatur, an non, ſi primum, habeo quod volo, ſunt enim illæ qualitates ſymbolæ cum qualitatibus ignis, de quibus ſolum eſt quæſtio, quod remaneant, ſi ſecundum, contra, quoniam ignis, qui ex aere generabitur, certe erit calidus, & habebit raritatem, hæc enim naturaliter ſaltem ſunt ab ipſo ſeparabilia, ergo duas caliditates, & raritates ſimul habebit, proprias nimirum, & eas aeris, quæ ponuntur remanſiſſe, ergo plura accidentia eiuſdem ſpeciei ſolo numero differentia ſunt in eodem ſubiecto, eſt enim communior, ac probabilis magis opinio, quod ſymbolæ qualitates ſint eiuſdem ſpeciei, quod & ab aliquibus ex aduerſarijs docetur, quod ſi id negetur, illud certe ſubterfugi non poterit, quin natura ſit redundans valde. Hinc eorum deprehenditur error, qui dicunt, nos entia multiplicare non neceſſaria, quoniam nimirum ſufficiant accidentia illa, organa illa priora, &c. quod neque ſomniamus, quoniam illa corrumpi dicimus ad ſuorum ſubiectorum corruptionem, ſed argumentum ipſos torquet, quoniam ſi ſufficit quali-

De qualitatibus ſymbolis communior opinio.

tas illa ſymbola formæ præcedentis, iam igitur ignis, qui ponitur aduenire, gratis habebit propriam caliditatem; Quod ſi dicant non eſſe geminam caliditatem, quoniam illa aeris facit pro forma ignis, iam vel ſequitur accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum, vel materiam eſſe ſubiectum accidentis, vel formam aduenientem nullum habere accidens proprium, quod illam vt ſic ſequatur, quæ omnia à vero non parum diſtant. Dicetur forte aliquod accidens prouenire ex vnione formæ ad materiam, non quod prius ſimpliciter non fuerit, ſed quoniam prius non erat vt huius, quoniam prius erat aeris, nunc vero ignis; ſed tunc manifeſte ſoluitur ratio, & natura generationis, & ſola alteratio conſpicitur, vt ex his quæſtionibus patet.

Accedit, quod pleraque argumenta, quæ formauimus in præcedentibus quæſtionibus confirmant hanc poſitionem, nam ſi ponatur aliquod accidens idem numero in genito, & corrupto, iam ſubiectum generationis non eſt ens in pura potentia, iam generatio non eſt mutatio totius, nam aliquod certe ſenſibile manet, eſſe quoque ſecundum quid, & tale, præcedit eſſe ſubſtantiale, & ſimpliciter, & corrupta prima ſubſtantia, aliquid remanet contra Ariſtotelem cap. de Subſtantia in cathegorijs, quæ omnia quantum à veritate ſint aliena, ſit aliorum iudicium, &c. Aliæ innuuntur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Tolluntur argumenta initio inducta.

PRimum argumentum, quod ſenſus teſtimonio innitebatur, plene ſolutum manet ex ijs, quæ priori parte ſuperioris articuli dicta ſunt, nam vltra tres illas conditiones, de quibus fit mentio in argumento, oportet addere, quod obiectum ſenſus attingat id circa quod ſpeculatur, quod non euenit de mutatione illa, ac variatione accidentium inſtantanea, &c.

Ad ſecundum, notabile tertium abunde ſubminiſtrauit ſolutionem, nam motus ille alterationis finitur termino, non quidem intrinſeco, & eiuſdem, ſed extrinſeco, & alterius generis, quoniam eius terminus eſt forma ſubſtantialis, nó enim tunc alteratio illa eſt pura alteratio, & motus tantum, ſed coniuncta generationi, & via per ſe ad ipſam, & vltra ea quæ ex Soncinenſe, Caietano, Capreolo adſerebantur, adeſt etiam Sueſſanus octauo Diuinorum, diſputatione 4. ad ſeptimum eandem doctrinam tradens, nihil ſcilicet prohibere, aliquem motum eſſe abſque termino intrinſeco, dummodo finiatur extrinſeco, &c. Ad id quod additur de illarum diſpoſitionum corruptione dicimus, quod corrumpuntur in inſtanti aliquo modo per ſe, quoniam à ſuo contrario, hoc eſt à contrario ſubiecti in quo erant, quod eſt eis indirecte, & ex conſequenti contrarium, iuxta doctrinam ſecundi notabilis, corrumpuntur quoque per accidens, ad corruptionem ſcilicet ſubiecti. Et licet omne corruptibile, ſit per ſe corruptibile in eo ſenſu, quod numquam res ſecundum ſuam naturam corruptibilis, ſit naturaliter incorruptibilis, neque e contra, attamen in ordine ad actum corruptionis aliquid ſecundum ſe corruptibile, corrumpi poteſt per accidens, hoc eſt non à contrario ſuo, ſed aliqua alia via, qui tamen modus corruptionis per ſe ineſt rei, quæ corrumpi dicitur, non enim rebus ſecundum ſe incor-

Sueſſanus.

Quomodo omne quod corrũpitur ſit, & nõ ſit per ſe corruptibile.

Caietanus. incorruptibilibus conuenire poteſt, vt fuſius potes videre apud Caiet. quęſt ne illa ſuper ſecundum de Anima, dum huic motiuo occurrit, quam doctrin bene ibi ſubdebat á peripateticis omnibus admitti debere, quoniam nullam formam per ſe corrumpi, & tamen cuiuis corruptibili eſſentiale corruptibile eſſe tradunt.

Ad tertium repetimus diſpoſitiones iſtas in inſtanti corrumpi, quoniā inſt illud, quod eſt primum eſſe formæ nouæ, eſt primum non eſſe ipſarum, quon autē non per ſe, ſed ad ſubiecti corruptionē corrumpuntur, nil mirū, quod tempore acquiſiuerint eſſe, & in inſtanti illud amittant, quo modo autē gignu tur, eodē corrumpuntur, quando per ſe corrūpuntur. Ad confirmationem di mus, ibi eo modo intercedere alterationē, quo modo adeſt corruptio, quæ cu ſit per accidens, hoc eſt ad ſubiecti corruptionē, alteratio quoque eſt per acc dens, illa ſcilicet, qua ſubiectum per ſe alteratur; & recte hæc, & ſimilia argu

Argumentorū defectus. menta conſideranti apparebit duplici peccato peccare, altero, quod non om nem modum corruptionis accidentium luſtrarunt, non enim illum, qui eis cō uenit merito corruptionis ſubiecti, qui tamen præcipue erat ſpectandus, cum ſemper ſubiectum reſpiciant, & eo corrupto, neceſſario hæc pereunt, vnde neque hoc modo per accidens prorſus corrumpuntur, ſed potius per aliud, & ſecundario, altero, quod neſciuerunt, aut noluerunt diſcernere inter altera tionem, & accidentia ſecundum naturam propriam, & vt ſic, & inter hæc ipſa quando coniunguntur ſubſtantiæ ortui, & interitui, in quo caſu non ſecundum ſe, at merito ſubſtantiæ ſpectantur.

Ad quartum negatur ſequela, & quam bene negetur, docuit quartum no tabile, & quæſtiones etiam præcedentes, & ex doctrina vtrobique tradita mul tipliciter inane deprehenditur argumentum, cum in eo fallacia interueniat, ac retorqueri poſſit; Inducuntur quippe illæ diſpoſitiones, vt diſponant pro for ma, non vt cum ipſa maneat, inducuntur vt tranſeant, inducuntur pro fieri, non pro facto eſſe, & earum ſubiecto deficiente, nequeunt ipſæ non deficere; Rur ſus de diſpoſitionibus ſimultaneis nullam facit argumentum mentionem, vnde forma illa dumtaxat in materia recipitur, ad quam fuit præparatio agentis per diſpoſitiones, quæ in ea immediate antea fuerunt. Reſponſio quoque illa, quæ in argumento innuitur de præſentia agentis, ſane intellecta poteſt ſuſtineri,

Agentis præſentia pro formæ inductione, quo pacto accipienda. nam inſtanti illo quo forma inducitur, & diſpoſitiones præcedentes abeunt, agens tunc eſt in termino actionis ſuæ in ordine ad illam materiam, quoniam quod illo inſtanti ab ipſo generatur, toto tempore inſtans illud præcedente ab eodem generabatur, hoc eſt, ad generationem diſponebatur, quocirca à princi pio agentis præſentia non ſufficit, cum tunc non agat, ſed incipiat agere in ma teriam per negationem de præſenti, & poſitionem de futuro, nunc enim non agit, & mox immediate aget, quod idem iudicium faciendū eſt de aliquo agen te etiam neruoſiori, quod quauis via ponatur eidem materiæ, quam aliud præ parauerit agens approximari, illo namque inſtanti non aget, ſed incipiet agere, agens vero prius, tunc erit in termino actionis; Enimuero agentia naturalia

Agentium naturalium natura. id habent, vt non niſi in termino actionis ſuæ ſubſtantiam producant, aliàs enim ipſorum motus, vel nullo modo, vel fruſtra penitus terminarentur, ma teria quoque nuda, & expoliata à diſpoſitionibus illis, ſub quibus immediate fuit, optime patitur à tali agente in actionis ſuæ fine, quo modo non eſſet reſpe ctu vel eiuſdem, vel cuiuſuis alterius in principio. Quod demum adducitur de generatione proueniente ab agente æquiuoco, & vniuerſali, ex eadem do-

ctrina

ctrina diluitur, quoniam agentia vniuerſalia etiam per agentia particularia, & per diſpoſitiones diſponuntur, ita illæ, quæ mox in terra illa compluta præfuerunt, eam ita ad ranam, quod non ad murem diſponunt, adſunt rurſus ſimultaneæ diſpoſitiones facientes pro forma ranæ, non muris, &c.

Ad quintum, ex quæſtione ſecunda ad hoc caput, & ex quarto notabili huius, & ex reſponſione ad præcedens argumētum, tot modi reſpondendi eliciuntur, vt iam pigeat, ne dicam pudeat in conſimilibus argumentis confutandis vel tēporis punctum amplius detineri; Quod vero additur de formarum elementarium impoſſibili inſtantanea introductione, probandum eſt. Confirmatio denique iam confutata ſatis manet ex ijs, quæ dicebantur ſecundo notabili ad ſecundam illam huius capitis quæſtionem, nam materiæ optime diſpoſitæ vnitur forma, & quo hæc præſtantior, eo habet illam elaboratiorem, licet quæ omnia diſpoſuerunt recedant, & iam confirmatio hæc formaliter fuit confutata eadem ſecunda quæſtione, dum reſpondebatur ad primum pro 3. opinione.

Ad ſextum dicitur, nō eſſe ad propoſitum, quoniam quæuis forma, vel ignis, vel cadaueris, vel potius cineris inducatur poſt formicam combuſtam in materia, non ex hoc infertur aliquod accidens idem numero manere in genito, & corrupto, nam manente forma formicæ in materia, quæ ab igne comburitur, ſtat poſt formicæ combuſtionem aduenire formam ignis de nouo, & priora prioris formæ accidentia recedere, ſed formaliter, & omnino combuſta formica, inducitur forma cadaueris, hoc eſt, cinerum, quoniam ordinabiliter materia ad hanc formam, & non ad aliam erat diſpoſita, cum ſemper ad formam viui ſequatur forma cadaueris.

Ad ſeptimum gloſſamus Ariſtotelem cum Auctore ibidem, & omnibus eius diſcipulis, vt dixerit manere eandem qualitatem in ſpecie, non autem numero, & ita Platonem, aliosque omnes exponas, quando locant accidentium identitatem in genito, & corrupto; Ad velociorem autem, ſeu faciliorem tranſitum in elementis ſymbolis dici poteſt cum Aegidio ſuper tex. illum 25. & ſuper ar. illum 32. Correctorij, quod licet in omni elementorum corruptione, vtraque, & omnis qualitas deſtruatur, tamen in non ſymbolis vtraque qualitas per ſe, & à ſuo contrario corrumpitur, at in ſymbolo vna ſolum per ſe, alia ad corruptionem ſubiecti, & per accidens, ſeu per aliud. Dicitur ſecundo cum Auctore ſuper præfatum textum, vt ibi ad argumentum reſpondebatur; Ad impugnationem Marſilij bene reſpondet Iauellus quæſt. 3. octaui Diuinorum, quod cætera non ſunt paria, quoniam in duobus elementis ſymbolis, qualitas non ſymbola non adeo reſiſtit qualitati ſibi oppoſitæ, ceu in non ſymbolis duę qualitates non ſymbolæ reſiſtunt ſibi aduerſantibus, vt humiditas aeris minus reſiſtit ſiccitati ignis, quam humiditas aquæ eidem ignis ſiccitati; ea autem eſt ratio, quoniam caliditas ignis coadiuuat ſiccitatem ad corrumpendam humiditatem aeris, quoniam ſiccum cum calido aggregatum fortius exſiccat, at quando ſiccitas ignis corrumpit humiditatem aquæ, non ita adiuuatur à caliditate, quoniam frigiditas aquæ eſt impedimento caliditati ignis, ne ita agat in aquā, velut agebat in aerem, quoniam in hoc vna tantum qualitas reſiſtit, in illa vtraque; immo caliditas quæ eſt in aere coniuncta caliditati ignis, confert huius ſiccitati ad propriæ humiditatis corruptionem, non quidem per ſe, ſed per accidens, nam ex coniunctione ad caliditatem ignis fit excedens caliditas, quæ debetur naturæ aeris vt ſic, (licet non ſit ei excedens conſiderato in via talis corruptionis, vt ex eo generetur ignis,) & ideo efficitur innaturalis, quæ prius

Quomodo D. Thomas, Plato, & alij accipiendi.

Aegdiius.

D. Thom.

Iauellus.

in de-

in debito gradu exiſtens erat naturalis; id autem patet locum non habere in non ſymbolis, non enim aquæ frigiditas iuuat calorem ignis ad humiditatem aquæ corrumpendam, nam contrarium contrario non confert, &c.

D.Thom. Ad vltimum dico Auctorem in prima auctoritate loqui de diſpoſitionibus ſimultaneis, & de calore illo, qui eſt cum forma ignis aduenientis, qui præcedens ipſam formam in genere cauſæ materialis diſponit materiam, quod ſatis innuit, dum ait, quod manet *quaſi quidam effectus talis formæ*; Vel poteſt dici manere eundem, non numero, ſed ſpecie, illi videlicet ſimilem, &c. Ad ſecundum locum ex hoc capite dico, omnia accidentia in eo conuenire, vt forma ſubſtantiali remota recedant, eiſque ſpecie ſimilia ſuccedant; at inter hæc eſt differentia, quoniam aliqua ſuccedunt, quę vniuoce dicuntur adinuicem, vt nigredo cutis in æthiope viuo, & in æthiope functo vita, vtraque enim eſt vere, ac proprie nigredo, eadem officia habens, &c. quædam vero non eandem ſubeunt prædicationem, ſed æquiuoce prorſus dicũtur, vt albedo in oculo, prout eſt oculi videntis, non enim amplius confert viſui, & operationes animæ, & ſimilia; Noluit ergo dicere, eandem numero nigredinem remanere in æthiope mortuo, quæ erat in viuo, ſed eandem ſpecie vniuocam cum illa, vt diſſimilitudo non attendatur penes identitatem, & varietatem numericam, ſed iuxta variam prædicationem.

Et hæc de hac quæſtione, & negotio toto ſubiecti formæ ſubſtantialis, & accidentis, illud enim vidimus eſſe ens in potentia, nudamque materiam quauis omnino forma, hoc autem ens vere in actu, ipſum videlicet compoſitum.

QVAESTIO QVINTA.

Num poſsit à ſubiecto propria paſsio ſeparari.

CIRCA ſecundam differentiam, quæ habetur eadem tertia parte literæ inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, dum dicitur, quod ex coniunctione accidentis ad ſubiectum emanat quoddam eſſe ſecundum, ſine quo res quæ ſubſiſtit poteſt intelligi eſſe, velut primum abſque ſecundo, & prædicatum abſque ſubiecto, adeſt dubitatio, quam verſat hac parte Caiet. num ſubſtantia, quæ ſubijcitur accidenti poſſit intelligi, vt ſit abſque omni accidente; Quam vt expediam, enodabo primo titulum, deinde quę difficultatem facere videntur adferam, tertio quid ſentiam, vltimo argumenta in contrarium ſoluam.

Quo ad primum, Iam inſinuatum eſt, non eſſe ſermonem de tota latitudine ſubſtantiæ, vel de ſubſtantia vt ſic, hanc enim conſtat ab omni poſſe accidente ſeparari, vnde quæſtio eſt de ſubſtantia cui inſunt accidentia, non quidem num poſſit abſolute abſque vllo accidente intelligi, nullum enim accidens ingreditur conceptum eſſentialem ſubſtantiæ, quæ vere definiatur, ſed num poſſit intelligi ita vt ſit, & exiſtat abſque accidente, non hoc, & illo, ſed abſque propria paſſione, num poſſit gratia exempli eſſe homo abſque riſibilitate, non vtique in eo ſenſu, vt poſſit eſſe talis natura, cui non conueniat riſibilitas, nam ipſum eſſe talis naturæ, nil aliud eſt, quam obtinere naturam humanam, de quo ſtul-

De qua ſubſtantia ſit ſermo.

tum foret dubitare, num poſſit ab ipſo ſeparari, ſed in eo ſenſu vt queat eſſe homo abſque potentia ad ridendum, quippe quæ eſt proximum principium illius actus, qui eſt ridere.

Quæſtio autem hæc ſupponit proprias paſſiones eſſe vera accidentia, realiter à ſuis ſubiectis diſtincta, tunc enim emergit dubium, an ita ab ipſis diſtinguantur, quod & ab eiſdē queant ſeparari, nam ſi ponantur non realiter, ſed ratione ſolum, & formaliter à ſubiectis diſtingui, vana eſſet hæc quæſtio, quoniā quæreret, num idem à ſeipſo poſſit ſeparari. Denique non eſt difficultas de facto, conſtat enim apud omnes, paſſiones proprias ſubiecta ſua ſemper comitari, aliàs non forent propriæ paſſiones, ſed de poſſibili, non vſitato, vel ordinario, omnibus enim in confeſſo arbitror eſſe, iuxta hanc potentiam id non poſſe fieri, implicaret enim contradictionem, vt relictus homo ſuæ naturæ careret potentia ad ridendum, quoniam iam hoc ei eſſet naturale, & non naturale, dicentibus omnibus eſſe ſibi naturale, vt poſſit ridere, quod tamen ex hypotheſi non foret naturale. Quæ omnibus ſint explorata.

Quo ad ſecundum, Apparet ſententia Auctoris, quod nulla via poſſit eſſe ſubiectum abſque proprio accidente, nam de Spiritualibus creaturis art. vltimo ad ſeptimum docet, quod per ſecundam intellectus operationem nequit intelligi ſubſtantia abſque proprio, & adfert exempla, vt quod non ſit homo riſibilis, non habeat triangulus tres angulos duobus rectis æquales. Similiter de Anima, ar. 12. ad ſeptimum inquit, ſpeciem non poſſe intelligi abſque accidentibus, quæ eius principia conſequantur, vnde ſubdit non eſſe poſſibile, neque intelligibile, quod anima ſit ſine ſuis potentijs. D.Thom.

Si dicatur cum via communi, Auctorem loqui de potentia ordinaria, non autem abſoluta, tunc inſurgit

Secundum argumentum, Quoniam intellectus poteſt omne illud apprehendere, quod non implicat contradictionem, valet enim intelligere coruum album, rurſus in ijs quæ alicui potentiæ ſubiacent, non eſt repugnantia intellectuum, ſi illa ponantur in eſſe, & vt ſic intelligantur, at locis allegatis clare inquit Auctor, eſſe repugnantiam intellectuum, quod ſubiectum intelligatur abſque proprio, & quod oppoſitum prædicati pendet ex natura ſubiecti, ergo per nullam potentiam hoc poteſt fieri. Confirmatur, quoniam dum volumus probare aliquod contradictionem importare, dicimus, quoniam prædicatum deſtruit ſubiectum, & quoniam id nequit capere intellectus, ſic dicimus nulla potentia effici poſſe, vt homo non ſit rationalis, at ex Auctoris ſententia omnia hæc in propoſito contingunt, quare &c.

Tertio, Hoc videtur Caiet. in præſenti ſentire, eiſdem Auctoris teſtimonijs inſiſtens, quibus adnectit neceſſariam dependentiam, & connexionem, quæ eſt inter ſubiectum, & propriam paſſionem, & naturam demonſtrationis, quæ cum ſit eorum quę impoſſibile ſit aliter ſe habere, & in eius concluſione denotetur, & oſtendatur paſſio proprio ſubiecto inhærere, ſequitur omnino impoſſibile eſſe, hæc ab inuicem ſeparari, aliàs demonſtratio foret contingentium, & ſic non eſſet demonſtratio; Capreolo quoque hoc videtur placere, nam in primo, diſt. 3. quæſt. 3. ad tertium Adæ contra primam concluſionem, refert dictum allegatum ex quæſtione de Spiritualibus creaturis, & docet eſſe non poſſe, vt anima ſit ſine potentijs, & ſubiectum abſque propria paſſione, innuens naturalem reſultantiam propriæ paſſionis ad principia, quæ ſubiectum conſtituunt, & demum Soncinas quæſt. prima ſuper octauum Diuinorum ad quartum, inter Caietanus. Capreol. Soncinas.

aliqua realiter diſtincta, quæ tamen ab inuicem nequeunt ſeparari, commemorat ſubiectum, & paſſionem propriam ob neceſſariam connexionem.

Quarto, Omnis propoſitio per ſe, eſt neceſſaria, ac perpetuæ veritatis, horum autem omnes ex Ariſtotele primo Poſter. cap. 4. propoſitionem illam in qua propria paſſio dicitur de ſuo ſubiecto, eſſe in 2. modo perſeitatis, quare ſemper, & omni inerit, demus autem riſibilitatem ab homine ſeparari, neque ſemper, neque omni inerit: Si dicatur, hęc naturaliter, & iuxta hunc ordinem eſſe vera, ſed ex Dei potentia oppoſitum poſſe fieri, tunc dicemus omnia argumenta philoſophorum, omnes eorum demonſtrationes hac via confutatum iri, & ſic nil certi, & abſoluti penitus nobis natura demonſtrationum aperiet, &c.

Ariſtot.

Vltimo, Ponatur anima humana abſque intellectu, Sol abſque luce, homo abſque riſibilitate, aut anima eſt intellectiua, Sol lucidus, & homo riſibilis, aut non, ſi primum, ergo aderunt effectus formales ſine forma, quod non eſt perceptibile, ſi ſecūdum, iam enumerata erunt abſque ijs, quæ ſibi per ſe conueniunt, quod nequit intelligi.

Ex alia parte non deſunt argumenta efficaciſſima, quibus oſtenditur poſſe ex abſoluta Dei potentia ſubiectum à propria paſſione ſeparari, & primum deſumitur ex exiſtentia, quam ab humanitate, & eſſentia Chriſti domini nos omnes Thomiſtæ cum Magiſtro noſtro docemus 3. part, quæſt. 17. art. 2. fuiſſe ſeparatam, at non minus eſſe ſequitur eſſentiam, quam paſſio ſubiectum ſuum, quoniam & illud naturali ſequela ſequitur illam, & per ſe conſequitur formam, vt docet Auctor ſecūdo con. Gent. cap. 55. & prima par. quæſt. 50. ar. 5. & nulla actio interuenit media, vt plene viſum fuit circa quintum caput huius libri, & præcipue circa ſextam eiuſdem quæſtionem, ergo ſubiectum poteſt à propria paſſione ſeparari; Immo vero Auctor opuſculo de pluralitate formarum habet, quod eſſe immediatius ſequitur formam, quam paſſio ſubiectum, quocirca à fortiori poteſt hæc ratio duci, dicendo vt prius; At ſolet à quibuſdam occurri huic argumento dicentibus, quod eſſe non eſt paſſio alicuius rei, vnde poteſt à Deo ſuppleri, & ab eſſentia ſeparari; Sed nulla eſt hæc ſolutio, quoniam vel propria paſſio eſt à ſubiecto inſeparabilis ob aliquam ad ipſum connexionem neceſſariam, quoniam ex naturali reſultantia ad illud ſequitur, vel quoniam eſt preciſe propria paſſio, ſi primum; (ſicut certe ab omnibus dicitur, vt patuit prioribus argumentis,) iam vidimus eodem modo eſſe ſequi formam, & eſſentiam, ſi ſecundum, tunc eſt petitio principij; hoc enim probandum eſt, & de hoc tota eſt quæſtio.

D. Thomæ, & Thomiſtarum ſententia.

D. Thom.

Quorundam dictum.
Reijcitur.

Secundo, Omne illud quod non inuoluit contradictionem, ſubiacet abſolutæ Dei potentiæ, hanc concedunt omnes, ſed nulla eſt contradictio in hoc, ergo &c. probatur minor, quoniā ſi diſcurras arbitratu tuo, nihil videbis tibi occurrere, quod dubitationem poſſit ingerere, niſi hoc, quod naturali pullulatione, abſque vlla actione media ad ſubiectum paſſio ſequitur, at iam hoc ſuperiori argumento infirmatum fuit; Adde, quod ſubiectum eſt prius natura paſſione, eſt quoque prius, hoc eſt, independens ab ea, quare non intelligo, quomodo per Dei potentiam abſolutam nulli rerum ordini alligatam aliquid prius, & non dependens à ſuo poſteriori, nequeat ab illo ſeparari.

Tertio, Quando duo ita ſe habent, quod vnum eſt prius, & independēs, aliud poſterius, & dependens, ſi hoc poſſit eſſe ſine illo, multo magis illud poterit eſſe abſque iſto, ſed ita ſe habent ſubiectum, & accidens, vt cuique conſtat, quod illud prius, ac independens, hoc poſterius, & dependens eſt, & tamen diuina

virtute

virtute accidens ſeparatur à ſubiecto, & abſque illo in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento exiſtit, ergo multo magis poterit ſubiectum eſſe abſque propria paſſione; Quod ſi dixeris, paſſionem non quatenus accidens, ſed quatenus propriam paſſionem eſſe à ſubiecto inſeparabilem ob illam connexionem neceſſariam, iam hæc reſponſio ſubmota eſt, &c.

Quarto, Auctor prima par. quæſt. 66. & deinceps, vbi agit de prima rerum creatione, opinionem eorum, qui aſſerunt omnia corpora fuiſſe a Deo prius tempore producta, & deinde ſuas proprias virtutes, ac qualitates accepiſſe, non modo nō reputat impoſſibilem, ſed & eam tueri conatur; non eſt itaque abſolute impoſſibile, ſubiectum eſſe abſque paſſione propria; Sed conſueuit dici, Auctorem præfatam poſitionem non cenſere impoſſibilem, quoniam id probabile eſt fieri poſſe per diuinam potentiam, ſed eam iudicat probabilitate carere, quoniam diuinam prouidentiam non condecet, vt id faciat, quod non eſt rerum naturis conforme; At hæc reſponſio tota confirmat argumentum, quoniam nunc eſt ſermo de abſoluta Dei potentia, vt patet ex titulo, iuxta quam id fieri poſſe dicitur hac reſponſione. Neque dicatur argumento, aliud iudiciū faciendum eſſe de naturis rerum in ipſarum principio, & prima conditione, & aliud in hoc tempore, vt proinde illud tunc fuerit poſſibile, modo autem non; quicquid enim fuerit de hac reſponſione, quam veram ex parte iudico, (vt poteſt colligi ex Auctore ſecundo ſent. diſt. 13. art. 2. in reſponſionibus ad argumenta,) non tamen tollitur argumentum, quoniam quod ſemel poſſibile, & aliquando factum fuit, certe repugnans non fuit quin fieret, quocirca à potentia Dei abſoluta nequit ſubtrahi, nam dum ſermo eſt de hoc, & illo ordine rerum, quidque huic, & illi ſit idoneum, tunc limites ordinariæ potentiæ non eximus. D. Thom. Defenditur ratio iſta.

Præterea, Idem Auctor prima ſec. quæſt. 110. art. 4. ad quartum, vbi prius reſpondendo inquit animam non poſſe eſſe abſque ſuis potentijs, quoniam hæ ſunt naturales eius proprietates, mox addit, *dato autem quod ſine his eſſet, &c.* Vnde prius confutat argumentū, attendēdo quid iuxta vſitatum rerum ordinē dicendum ſit, deinceps quid iuxta abſolutam Dei potentiam poſſit, numquam autem hanc hypotheſim daret, ſi id contradictionē implicaret, numquam profecto inuenies ipſum hypotheſim dantem, ſi materia eſſet abſque forma, &c. Cōfirmatur, quoniam præallegato opuſculo de pluralitate formarum poſt relata verba inquit, quod propria paſſio non poteſt ſeparari per naturam à ſuo ſubiecto, dum ſubiectum manet, licet forte per miraculum id poſſit fieri, igitur non cenſet omnino impoſſibile ſubiectum à propria paſſione poſſe ſeparari; Neque turberis, quod apponat ly *forte*, hoc enim non tam dictum puto, cur dubitaret, quam quoniam non erat ille locus, vt id definiretur, immo neque vt mentio vix fieret, quid ſcilicet ex miraculo poſſet fieri, quod ſatis indicant, quæ mox ſequuntur, ait enim hoc non eſſe ad propoſitum. Rurſus ibi ſtatim dixerat, quod eſſe ſequitur immediatius formam, quam paſſio ſubiectum, & tamen clarum eſt in ſua doctrina, illud à forma fuiſſe ſeparatum; quod ſi dixeris, aliunde prouenire paſſionem non poſſe à ſubiecto ſeiungi. illud tibi aſſignandū erit; & præterea inconcinne nimis comparaſſet Auctor quo ad ſeparationem eſſe in ordine ad formam cum paſſione in ordine ad ſubiectum. D. Thomas. Excluditur obiectio.

Vlterius, Quolibeto 7. art. 10. ad quartum docet, Deum poſſe facere ſubſtantiam eſſe abſque omnibus alijs accidentibus, præter creationem paſſiuam, quam ſane videbimus non eſſe propriam paſſionem ſubiecti, & bene vide illud argu- D. Thom.

mentum, & eiuſdem reſponſum, quoniam de omnibus accidentibus neceſſario loquitur, quæ à ſubiecto diuina poſſe potentia ſeparari tradit.

Vltimo in hac litera clare ait, ſubiectum ſine accidente poſſe intelligi eſſe, velut primum abſque ſecundo, vel prædicatum ſine ſubiecto, & certe videtur loqui de ſubſtantia ſubiecta accidenti, nam de illa quæ nulli accidenti ſubijcitur, neque eſt dubitatio, neque ei vnquam aduenìunt accidentia.

Capreol. Capreolus etiam ita ſentit, nam poſt ea quæ ex ipſo retulimus tertio illo priori argumento, ſtatim ſubiungit, quod dato adhuc animam poſſe eſſe ſine ſuis potentijs, &c. vbi doctrinam ex Auctore 1. ſec. memoratam adferre videtur, eandem explanatius tradendo; Quarto quoque ſent. diſt. 44 quæſt. 3 ad argumenta Scoti, & Durandi tenet Deum poſſe hoc efficere, vt eſt videre quando ex miraculo duo corpora ſunt in eodem loco, nam poſitio eſt propria paſſio quantitatis, quæ tunc ab ipſa ex Dei potentia ſeiungitur. Ferrarienſis autem

Ferrarien. quarto con. Gent. 65. propter aliqua argumenta, quæ attulimus, & alia quædá fortiter hanc opinionem tuetur. Bannes denique prima part. quæſt. 77. art. pri-

Bannes. mo, dubio primo, circa quartum argumentum, hoc ipſum probabilius eſſe docet, quamuis gratia exercitij dicat priorem poſitionem poſſe ſuſtineri, vnde ad primum, & tertium argumentũ pro hac ſententia, quæ nos adduximus reſpondere conatur, quas tamen reſponſiones, vt audiſti fregimus.

Hæc potiſſimum meo iudicio ſunt, quæ in hoc negotio difficultatem pro vtraque parte faciunt, & legentis mentem irretitá ſatis, ac dubiam tenere poſſunt, quæ proinde pro ſecundo ſufficiant.

Quo ad tertium, Pono concluſionem mihi certiſſimam; De potentia Dei ab-

Concluſio. ſoluta poteſt ſubiectum à ſua propria paſſione ſeparari. In cuius probatione nec minimum mihi detinendum puto, quoniam argumenta pro ipſa inducta, tria ſane priora ſimpliciter, duo autem poſteriora pro Auctoris, & grauium eius interpretum ſententia mihi ſufficiunt, & quæ dicentur pro argumentis priori loco inductis confutandis, eam teſtatiorem efficient, quapropter nonnulla ſolum pro eius declaratione ſunt adhibenda.

D. Thom. Quamobrem obſerua primo ex Auctore prima part. quæſt. 77. art. 6. ad ſecundum, quod ſubiectum eſt cauſa proprij accidentis in triplici genere cauſæ,

Trombeta. finalis ſcilicet, efficientis, & materialis, vnde falſo dixit Antonius Trombeta

Caietanus. quolibeto ſuo, referente Caiet. in hac parte, iuxta Auctoré ſubiectum eſſe cauſam tantum materialem, quare dum ex eo arguit poſſe eſſe abſque ſua paſſione, quoniam in ordine ad ipſam eſt in potentia materiali, & ex cõſequenti paſſiua, quippe quæ potentia eſt contradictionis, quæ ſcilicet poteſt eſſe, & non eſſe, abſque illo ad quod eſt in potentia, valde fallitur, vt innuit Caiet. hoc loco, cum falſo innitatur fundamento; Et hæc dixerim, quoniam ſi eius argumenta quicquam efficerent, probarent non ſolũ per potentiam abſolutam ſubiectũ poſſe eſſe abſque propria paſſione, ſed etiam per quamuis potentiam naturalem, immo quod de facto ſic aliquando eſſe deberet; At ſi memineris, duplicem

Potentia paſſiua, & receptiua & receptiua ſolum. in propoſito eſſe potentiá, alterá paſſiuam, & receptiuá ſimul, alterá quæ eſt tantum receptiua, & quod illa nó eſt neceſſario coæua illi, quod per eá ad aliqué actũ eſt in potentia, quoniá omné actũ per tranſmutationẽ acquirit, & ex conſequẽti per tranſmutationẽ deperdet, hæc autem de neceſſitate eſt coæua actui ſuo, nam ſi foret ante actum ſuũ, oporteret vt ipſum per aliquá poſtea tranſmutationem reciperet, & ita relatione ad ipſum non eſſet tantum receptiua, ſed etiam paſſiua; Si addideris, quod ſubiectum in ordine ad paſſionem ſuam non

eſt in potentia paſſiua, ſed ſolum receptiua, colliges illud non poſſe naturaliter eſſe abſque iſta; Quod autem ſe habeat reſpectu ipſius, vt potentia ſolum receptiua, conſtat ex eo quod ſimul cum proprijs paſſionibus naſcitur, & producitur, immo ab eo à quo illud producitur, comproducuntur & iſtæ, quare hæ ſunt illi ſemper coæuæ, quocirca ipſum ad illas non eſt in paſſiua potentia; Quando vero audis ab Ariſtotele nono Diuinorum 17. omnem potentiã eſſe contradictionis, accipe de potentia non pure receptiua, ſed de paſſiua, ac tranſmutabili, vt plenius habes in hac parte à Caiet. qui hoc & ſenſu, & eadem auctoritate firmat. Videmus vtique in cœlo ineſſe potentiam receptiuam ſuæ figuræ, quam tamen nullus dicet eſſe contradictionis; ſimiliter ait ibidem Philoſophus, cœlum non eſſe in potentia ad motum, ſed ad terminos eius tantum, ſecundum aliquid ſcilicet, vt quale, aut vbi, nullus autem poterit vmquam diffiteri cœlum habere potentiam receptiuam ſui motus, quare nimis clare elicitur, ibi loqui de potentia paſſiua, & hanc tantum vocare contradictionis; Sed de hoc plura dixi circa obſeruationes octauæ partis quinti capitis huius literæ, & in ſolutione ad vltimum ſextæ quæſtionis ibidem.

Qua potentia ſubiectum reſpiciat paſſiones.

Ariſtotel.

Caietanus.

Quæ attendens, videbis facillimo negotio euelli argumenta eiuſdem Trombetæ, quæ tamen formaliter ſoluta habes hoc loco à Caiet. primum namque concludit, potentiam vtique non eſſe actum, at dum infert, ergo illa abſque iſto poteſt eſſe, nimis vana eſt illatio, dum ex reali aliquorum diſtinctione, arguitur ad eorundem ſeparationem, tunc enim, & in eius via partes poſſent eſſe abſque toto, & homo quantus abſque quantitate, &c. Secundum autem, & tertium currunt de potentia tantum paſſiua, ab hac enim ſumitur poſſibile diſtinctum contra neceſſarium, & impoſſibile, vt vult ſecundum, & hæc potentia poteſt recipere actum ſuum, vt concludit tertium, ſed nullum horum habet locum in potentia pure receptiua, inter quam, & actum ſuum nulla mutatio mediare intelligitur, hoc enim ſibi vult, receptiua potentia, vt nulla media actione recipiat id ad quod eſt in potentia, ſed ex ſequela naturali, ac pura reſultatione, in qua potentia docemus eſſe ſubiectum comparatione ad paſſiones proprias, vt latius declarabam in obſeruationibus ad ſeptimam partem eiuſdem quinti capitis.

Ad motiua Trombetæ.

Nota ſecundo, cum his omnibus ſtare, quod non ſeruato hoc rerum ordine, & per abſolutam Dei potentiam ſubiectum ſeparari poterit à proprijs paſſionibus ob rationes iam adductas; Vt tamen omnia fortaſſis argumẽta ſoluas, ſcias aliud eſſe, quod per talem potentiam poſſit à Deo ſubiectum à paſſione propria ſeparari actualiter, vt ſcilicet reuera paſſio aliquo tempore, immo ſemper, ſi ita placeret Deo non inhæreat ſubiecto ſuo, & aliud eſſe, quod ſubiectũ illud tale fiat, vt ad ſui naturam non ſit nata ſequi illa paſſio, primum doceo, non ſecundum, ſic poterit ſeparari riſibilitas ab homine, tamen homo erit ſemper illius naturæ, vt ad ipſum nata ſit ſequi riſibilitas illa, immo amoto illo miraculo, & ceſſante illa diuinæ potentiæ ad hoc applicatione, abſque vlla media actione, ſed naturali omnino ſequela, inhærebit ipſi riſibilitas; Non dicas autẽ hoc eſſe paſſionem, quoniam certe non eſt paſſio, ſed habitudo, vel habilitas ad ipſam, & paſſionem fatemur poſſe ſeparari, non ordinem ad ipſam, quemadmodum actualem inhærentiam ad ſubiectum dicimus poſſe ab accidente ſeparari, at non aptitudinalem, quoniam ceu natura accidentis eſt, vt debeatur ſibi eſſe in alio, ita naturæ ſubiecti debetur, vt ad ipſum nata ſit ſequi paſſio.

Aduerte etiam, quod licet nullum accidens ingrediatur naturam, & conceptum

ptum ſubſtantiæ vt ſic, tamen aliquod accidens poteſt eſſe de eſſentia, ac conceptu ſubſtantiæ ſub hac, vel illa ratione, & tunc eiuſmodi accidens nequit dici paſſio, ſed requiſitum ad naturam, & eſſentiam ſubſtantiæ, ſic quantitas accidit naturæ materiæ vt ſic, & eſt extra eius conceptum, at eſt de ratione materiæ ſignatæ, & indiuidualis, & in eius definitione oporteret aliquo modo poni; Similiter creatio paſſiua, quæ eſt in creatura, vt accidens in ſubiecto, (ſi veriorem opinionem ſequamur de reali diſtinctione relationis à fundamento) non eſt de conceptu, vel definitione ſubſtantiæ vt ſic, in quo ſenſu poteſt dici accidere illi, eſt nihilominus de ratione rei creatæ, quatenus creatura exiſtens eſt ens, quod à Deo dependet; Sic legis apud Auctorem quæſt. de Potentia tertia, ar. tertio, ad tertium, quod creatio licet ſecundum ſe ſit accidens, (eſt profecto relatio creata,) non tamen eſt tale accidens, quod cauſetur ex principijs ſubiecti, & ex conſequenti non eſt propria paſſio, hanc enim nouit vnuſquiſque principia ſubiecti ſequi, & ex illis cauſari; Ex qua doctrina, vt ſcilicet bene inſpiciatur, quænam ſint veræ rei paſſiones, & quænam ſint de ſubſtantia alicuius ſub hac, vel illa acceptione, multa argumenta franguntur, vt loco relato innuit Ferrar. dum ad tertium reſpondet, &c.

Paſſiua creatio quomodo ſe habeat ad creaturam. *D. Thom.* *Ferrarien.*

Demum ſcias, me ab illorum opinione ſemper abhorruiſſe, qui auctores primæ claſſis docentes ſubiectum non poſſe eſſe abſque propria paſſione, in eo ſenſu acceperunt, vt id de abſoluta quoque Dei potentia intellexerint, immo eorum ſententiam numquam non inuiſam habui, qui vbi audiunt aliquos dicere, hoc, & illud non poſſe eſſe, mox inferunt, vt voluerint aſſerere, id nulla penitus via poſſe fieri, cum tamen oppoſitum deberet exiſtimari, vt ſcilicet loquantur de naturis rerum iuxta earum naturalem ordinem, & ab intrinſeco, non autem penes ea, quæ ab extrinſeco, & ex miraculo poſſunt illis euenire, nam formales ſermones ſemper vbi poſſumus debemus per ſe accipere, non autem per accidens, accidit autem rerum naturis vt ſic, quod miraculo ſubſint, & præterquam quod hoc documentum veriſſimum eſt, confirmatur tamen teſtimonio etiam Caiet. prima par. quæſt. 44. art. primo ad primum docentis, iuditium de rebus debere dari, & dici ſecundum propria ipſarum rerum, & non ſecundum extranea, quare in rerum naturis ſermoni formali, ac proprio eſſe vacandum ibidem monet. Quapropter vbi ipſa rei natura non oſtendit repugnantiam, vel vbi non inuenitur negari ab abſoluta Dei potentia, vel vbi non dicitur, quod ſequatur ad oppoſitum contradictio, quamuis hæc, & illa negentur eſſe, vel fieri poſſe, id accipiatur iuxta naturæ ordinem, & ſecundum merita propria earundem rerum, de quibus ſermo occurrit.

Quæ ſemper fuerint Auctori moleſta. *Caietanus.*

Quod autem non fuerit mens Auctoris remouere à Dei abſoluta potentia ſeparationem ſubiecti à paſſione propria, & loca eius in oppoſitam partem relata manifeſtant, & exploratius dabitur, dum alia eius dicta exponentur, ſimiliter Capreolum vidimus id factibile adiudicaſſe, quod ipſum mihi certo ſuadeo & de Caiet. tum ob eius mox inductum documentum, tum quoniam nullum eius verbum inſpicio, ex quo elici queat, vt fuerit locutus in ordine ad potentiam Dei abſolutam; Quod vero ipſe adfert argumentum ex natura demonſtrationis deſumptum, vt tertio argumento priori loco dicebatur, nihil officit, immo ex eodem dum confutabitur oſtendam, ipſum locutum fuiſſe tantum iuxta naturæ ordinem. Idipſum denique poſſumus de Soncinate cogitare ob memoratas rationes; immo vero inter ea admiſcet coniunctionem eſſentiæ, & eſſe, de quorum ſeparatione iam ſumus locuti; Neque obſtat, quod adferat inſepa-

Mens D. Tho. *Capreoli, & Caietani.* *Et Soncinatis.*

inſeparabilitatem materiæ à forma, quoniam non eodem modo eſt in omnibus impoſſibilitas accipienda; immo videbis aliam cauſam ipſum adferre pro inſeparabilitate materiæ à forma, & eſſentiæ ab eſſe, & aliam pro illa ſubiecti à propria paſſione. Sed & Banneſius loco primæ par. memorato videtur hoc nõ reſpuere, vt ſcilicet commemorati auctores de potentia tantum iuxta rerum ordinem, non autem abſoluta fuerint locuti, quamuis dubitatiue hoc enunciet, &c. Hæc de tertio. Bannes.

Quo ad quartum, probe primo argumento reſpondebatur. Ad ſecundum autem, quod inſurgit ex eiſdem dictis Auctoris dicitur eodem modo, quod repugnaret iuxta naturæ ordinem intelligere ſubiecta ſine proprijs paſſionibus; Dicitur deinde, (& in idem pene redit,) quod eſſet repugnantia intellectuum, ſi anima ſuæ naturæ derelicta, eſſet abſque ſuis potentijs, & vniuerſaliter ſubiectum abſque paſſionibus proprijs, quoniam tunc paſſiones forent eis naturales, & non naturales, vt deducebatur in titulo, at non eſt repugnantia intellectuum iuxta abſolutam potentiam Dei, quoniam id quod naturas ſecundum ſe ſequitur, poteſt per altiorem potentiam non ſequi. Vlterius dicitur, quod pugnaret ſubiecta non habere habitudinem ad paſſiones proprias, non autem pugnat, vt actu ſint abſque illis. Demum exponantur dicta hæc expoſitione eiuſdem Auctoris prima ſecundæ, quæſt. illa 110. ar. 4. ad quartum, quæ non multum differt ab immediate præcedenti, nam licet actu non haberent ſubiecta proprias paſſiones, eſſent nihilominus illius ſpeciei, & eſſentiæ, ex qua natæ ſunt huiuſcemodi paſſiones profluere. Varius dictorum D. Thomæ ſenſus.

Per idem tollitur confirmatio, quoniam non ſimpliciter, non abſolute omnino poteſt capere intellectus ſubiectum abſque paſſione propria, ſed cum tot limitationibus, vt audiſti; at nulla prorſus via intelligere poteris hominem non eſſe rationalem, immo neque hominem, quin rationale ſimul intelligas.

Ad tertium, de mente Caiet. iam meam aperui; Ad rationem, quæ ex ipſo adducitur reſpondeo, quod demonſtrationes iuxta ſecundum modum perſeitatis, ſunt ſemper de neceſſitate veræ, ſuppoſito ordine naturali, & iuxta conditiones rerum proprias, quæ naturaliter ab ipſis numquam ſeiungentur, iuxta quem ordinem locuti ſunt philoſophi, qui iure dixerunt eſſe veritatis perpetuæ, ac impoſſibile eſſe, vt aliter ſe habeant, neque enim quæ rebus ex miraculo accidere poſſunt conſiderarunt, neque conſideranda ſunt, quando de ipſis vt ſic eſt ſermo formalis; Quod autem hoc argumento nil aliud voluerit Caiet. ex eiuſdem doctrina elicio ſecundo Poſteriorum ſub initium, vbi loquens de quæſtione an eſt, quam philoſophi omnes ſcientificam faciunt, in qua ſolum de rerum exiſtentijs quæritur, arguebat, quomodo poſſet eſſe ſcientifica, cum omnium rerum exiſtentiæ ſint liberæ, & omne aliud à prima cauſa potuerit non eſſe, cum tamen ſcientia ſit neceſſariorum tantum, reſpondet philoſophos talem quæſtionem formare ſuppoſito vniuerſo, atque ipſius ordine, tunc enim rerum exiſtentiæ ſunt neceſſariæ, vt innuebam præludijs huius operis, quando in tertio puncto de natura ſubiecti verſabar; Sic itaque & demonſtrationes illæ, in quibus concluditur paſſio de ſuo ſubiecto, ſunt neceſſariæ, veritatiſque perpetuæ, ſuppoſito rerum ordine, & penes earum intrinſeca, & ſicut quæſtio de rerum exiſtentia ſcientifica, abſolute, & ſupra rerum, naturæque ordinem poteſt falli, ſic demonſtratio qua de loquimur, eſt neceſſaria, atque perpetua iuxta naturalem ordinem, at ex abſoluta Dei potẽtia poteſt in aliquo ſubiecto, & in aliquo tempore fallere, in quo diſcriminatur à propoſitionibus in primo

Neceſſitas demonſtrationũ in ſecundo modo per ſe.

Pateſit mens Caietani.

Neceſſitas demonſtrationis concludentis paſſionem de ſubiecto.

modo

modo perſeitatis, quæ per nullam omnino potentiam poſſunt deficere, quoniam in his definitio de definito, & ex conſequenti idem de ſeipſo dicitur; quocirca horum ſeparatio eſt penitus impoſſibilis; Ex quo patet reſponſio ad quartum argumentũ, & ad idquod ibidem deducitur, falſum eſt enim, omnia philoſophorum argumenta in vniuerſum poſſe hoc modo dilui, quoniam propoſitiones primi modi perſeitatis, & alia nonnulla manifeſtam inuoluunt contradictionem, vt earum oppoſitum vllo tempore fieri poſſit; Quid vero de Capreolo, ac Soncinate ſit ſentiendum, iam dictum fuit.

Doctrina communis. Ad vltimum colligitur ſolutio ex Auctoræ loco illo relato ex prima ſecũdę, & ex Capreolo ſecunda reſponſione ad tertium illud in primo ſent. & ex Ferrarien. loco nominato ad finem prope huius negotij, & denique ex Bannesio ad tertium, primo loco adductorum, quod tunc anima eſſet intellectiua, non quia actu haberet potentiam intellectiuam, ſed quoniam eſſet talis eſſentiæ, ex qua natæ ſunt illæ potentiæ promanare, ſic eſſet intellectiua remote, nõ proxime, in radice, non quod haberet principium proximum elicitiuum intellectionis, potẽtia logica, & nõ repugnantiæ, nõ phyſica, & reali, vt ibi ait Capreolus, Intellige tamen id negari de potentia proxima; Idem dicas ex propoſitione de luce relata ad Solem, & de riſibilitate ad hominem; Sic non ſequitur, eſ ſe ctus formales eſſe abſque forma, quoniam eſſe intellectiuum, lucidum, & riſibile hoc modo, non ſunt effectus potentiarum, vel propriarum paſſionum, ſed earundemmet naturarum, à potentijs vero, & proprijs paſſionibus prouenit, vt earum ſubiecta ſint talia in potentia proxima, elicitiua, &c. Neque ſequitur, quod ſint abſque illis, quæ abſolute, & ſimpliciter per ſe eis conueniant, ſed ſolum ſine ijs, quæ in ſecundo modo perſeitatis, quippe quæ ſemper, neceſſarioque ab intrinſeco eis debentur, naturæ ordine ſeruato, & rebus ipſis, proprijs naturis, atque conditionibus eas vt ſic inſequentibus relictis, at ab extrinſeco, & per virtutem altiorem, hæc actu ab ipſis queunt ſeparari, licet numquam aptitudo ad ipſa.

Varius modus admittendarũ propoſitionũ.

Argumenta poſteriori loco adducta faciunt pro noſtra poſitione, & ea ſoluat, qui contrarium tuetur.

QVAESTIO SEXTA.

Num accidens ſubiectum aliquod proprium habeat.

CIRCA ſextam partem literæ, in qua varia de accidentibus proferebantur, & de eorum natura ſermo prope terminabatur, quoniam partibus deinde ſequẽtibus manifeſtabatur, quomodo ad logicas intentiones ſe haberent, quærere voluit Caiet. de ſubiectis ipſorum accidentium, & de modo quo hæc illa reſpiciant, an ſcilicet omne accidens habeat aliquod ſubiectum proprium, an vero aliqua inueniantur, quæ omne ſubiectum indiſcriminatim reſpiciant, quod dubium non omittendum duxi, cum ſit de accidentium natura, de quibus hoc ſeptimo capite totus eſt ſermo; Pro cuius dilucidatione quattuor illa efficiam, quæ pro ſuperiori quæſtione definienda effeci.

Quo igitur ad primum, Nota ex doctrina Auctoris, (quam adfert Caiet. in præſen-

præſenti,) quæſtione de Virtutibus in communi ar.tertio, quod ſubiectum triplici modo comparatur ad accidens, primo ſicut præbens ei ſuſtentamentum, non enim per ſe ſubſiſtit accidens, alio modo ſicut potētia ad actum, nam ſubiectum ſubijcitur accidenti, vt quædam potentia actui, tertio ſicut cauſa ad effectum; quoniam principia ſubiecti ſunt per ſe cauſa accidentis, vt eſt videre in luce Solis, quæ non habet eſſe, niſi ab illo fulciatur, & eſt forma eius accidentalis, ab ipſoque emanat, vnde eſt quæſtio de tribus his modis, num habeat accidens ſubiectum proprium in ratione ſuſtentantis, potentiæ, & cauſæ, an vero non omnibus modis, ſed aliquo tantum, immo vero & nullo, ſed adſint accidentia ita huic, & illi communia, quod nulli ſint propria.

Quotuplex habitudo ſubiecti ad accidēs.

Vlterius, cum quoduis accidens poſſit accipi, & quo ad completam actualitatem, & quo ad aptitudinem tantum, ſeu inchoationem, vt circa eandem ſextam partem dicebatur, & obſernabatur, ſumimus ipſum in præſenti in vtraque acceptione.

Rurſus, cum aliquid quod conſtituitur ſubiectum accidentium, poſſit eſſe quid vnum, & genere, & ſpecie, & numero, iuxta varios modos, quibus contingit aliquid eſſe vnum ex quinto Diuinorum 12. de omnibus his erit ſermo; Cumque hoc accidentis ſubiectum poſſit eſſe, & ſubſtantia, & aliquo modo accidens, non eſt vt quæramus, an accidens pro ſubiecto habeat aliud accidēs ratione primi modi, quoniam nihil poteſt in eſſe ipſum ſuſtinere, niſi ſubſtātia, quare hoc modo nequit accidens per ſe eſſe ſubiectum alterius accidentis, vt ſæpe docet Auctor, & præcipue prima ſecundæ, quæſt. 50. ar. 2. ad ſecundum, & 56. ar. 1. ad tertium, & prima par. q. 77. ar. 7. ad ſecundum, quæ & fuit ſententia Alenſis, prope finem comm. 14. quarti Diuinorum; Dicimus autem per ſe, & ſub hac ratione, quoniā in ratione potētiæ, & proximi principij id nihil prohibebit, ita dicemus ſuperficiem ſubiectum coloris, quoniam illa comparatur ad hunc, vt potentia recipiens ad actum receptum, intellectio quoque cauſatur ex potentia intellectiua proxime, & immediate elicitiue, quare erit ſubiectiue in ipſa, ſed neque ſuperficies colori, neque intellectus intellectioni præbet ſuſtentamentum, nam & illa ſubſtantiæ quantæ, & iſte animæ eget ſuſtentatione.

Ariſtotel.

D. Thom.

Alenſis,

Quæ vero diximus de accidente, quod non valeat eſſe per ſe ſubiectum accidentis in ratione præbentis eſſe, accipe naturaliter, & ex eius natura, nam diuina virtute, ſummaque primæ cauſæ potentia, accidentia in ſacramento ſanctiſſimo altaris poſt conſecrationem ſunt ſubiectiue in quantitate, quæ illis tribuit eſſe, non minus quam ſi eſſet ſubſtantia, quod nulli mirum eſſe debet, immo ſuppoſita fideī doctrina, ſequitur optime, vt enim dicebat Capreolus in 4. diſt. 12. ad primum Scoti ſecundo loco aduerſus primam concluſionem, deficiente cauſa, deficit effectus, cauſa vero ob quam vnum accidens nequit eſſe alterius ſubiectum proprie in ratione ſuſtentantis eſt, quoniam nullum accidēs naturaliter ſubſiſtit, tollitur autem hæc cauſa in Euchariſtia, quoniam diuina virtute quantitas ſubſiſtit, quare & eius effectus aufertur, non poſſe videlicet eſſe alterius ſubiectum; At hæc per tranſenam dicta ſint, nos modo naturaliter loquimur, &c.

Capreolus.

Quo ad ſecundum; Si conſulamus Porphyrium in prædicabilibus, capite de Accidente, videbimus ibi duplex accidens ſtatui, alterum nimirum ſeparabile à ſubiecto, alterum quod nequit ſeparari, quod ſi datur accidens ſeparabile, certe non omne accidens eſt proprium alicui, nam de ratione proprij eſt, vt conueniat omni, ſoli, & ſemper.

Porphyr.

Ariſtotel. Præterea, Ariſtoteles ſeptimo Diuinorum 17. dubitans circa definitionem accidentium, duplex eorundem genus aſſignat, quædam affirmans ſimplicia, quædam copulata, vel vt alij legunt coniuncta; per ſimplicia autem intelligun-

Alenſis. tur accidentia communia, vt ibi inquit Alenſis, & eſt communis expoſitio ſaltem quo ad rem, licet non eaſdem voces omnes adhibeant, per copulata, ſeu coniuncta accipiuntur propria, ergo non omnia accidentia ſunt propria alicui,

D. Thom. ſed dantur & communia. Confirmatur, quoniam Auctor exponens præfatum textum, inquit accidentia ſimplicia ea eſſe, quæ non habent ſubiectum determinatum, quod in eorum definitione ponatur, copulata vero, quæ habent ſubiectum determinatum, non itaque omne accidens determinat ſibi proprium ſubiectum, &c.

Tertio, Si omne accidens eſſet proprium alicui ſubiecto, numquam vllum accidens poſſet corrumpi, quin & eius ſubiectum corrumperetur, conſequẽs eſt falſum, ergo & id ex quo ſequitur, falſitas conſequentis eſt manifeſta, recedit enim albedo ab homine, & corrumpitur, homine ipſo manente, ſimiliter operationes, actiones, & actus ſecundi omnes corrumpuntur, ſubiecto manente, cuius ſunt accidentia; deducitur conſequentia, quemadmodum enim corrupto riſibili, corrumpitur homo, quoniam riſibile eſt accidens eius proprium, ita de omni accidente eueniet ſi ponatur proprium, id enim proprij natura expoſtulat, vt ſemper conueniat ei cuius eſt proprium, quod ſi perit accidẽs perſeuerante ſubiecto, certe non ſemper ipſi ineſt, cum detur tempus, in quo adſit ſubiectum abſque ipſo, &c.

Quarto, Videmus albedinem competere niui, lacti, cygno, & alijs, videmus pleraque accidentia pluribus ſubiectis etiam ſpecie, ac genere diuerſis conuenire, nam conuenit albedo homini, equo, lapidi, fatemur omnes dari accidentia communia, multa diſcrimina adſerimus inter ipſa, & accidentia propria, quare impoſſibile omnino apparet, omne accidens adſcribere ſibi proprium ſubiectum, &c.

Caietanus. Veruntamen in ſuffragium partis oppoſitæ rationes non inualidæ poſſunt adduci, & prima eſt, quam habes à Caiet. hoc loco; Vidimus profecto prima quæſtione ad hoc caput, omne accidens definiri poſſe, & in eius definitione cadere ſubiectum, de quo ſane accidens per ſe dicitur in ſecundo modo, vt le-

Ariſtotel. gimus primo Poſteriorum, cap. 4, omne autem per ſe, ſupponit de omni, ſemper, & neceſſario, vt ibidem edocemur, igitur omne accidens ineſt ſubiecto ſuo ſemper, ac neceſſario, & ex conſequenti eſt ei proprium.

Secundo, Nullum datur accidens, quod cuiuis ſubiecto ſimpliciter, & abſolute inſit, albedo enim non ineſt coruo, nigredo non ineſt niui, ergo aliquod ſibi proprium ſubiectum vindicat, cui ſolum poſſit conuenire, puta tali, vel tali naturæ, ad quam talis, vel talis complexio ſit nata ſequi, quæ vel albedinis, vel nigredinis ſit capax; Vnde quamuis poſſit huic argumento reſponderi, quod pluribus diuerſis competat albedo, vt dicebatur quarto argumento pro parte oppoſita, attamen ſemper erit aſſignare vnum ſubiectum aliqua vnitate, cui accidens conueniat, aliàs non poſſet dari ratio, cur huic poſſit ineſſe albedo, illi non, &c.

Tertio, Omne recipiens comparatum recepto, ſe habet vt potentia ad actũ, & vt materiale ad formale ex communi doctrina, at ſubiectum recipit accidens, ergo ſe habet vt potentia ad ipſum, vt etiam in titulo dicebatur, at cuilibet actui propria reſpondet potentia, non enim quiuis actus in quauis potentia

tia, ſed in ſibi propria recipitur, vt omnes peripatetici docent, ergo ſemper in proprio ſubiecto recipitur omne accidens, ergo nullum datur accidens cõmune. Confirmatur, quoniam Auctor tertio contra Gentes 7. ratione quinta habet, omne accidens cauſari ex principijs alicuius ſubſtantiæ, atque ideo illi eſſe naturale, ergo omne accidens eſt proprium. Et hæc pro vtraque parte ſint adducta, ac pro ſecundo cap. quæſtionis; Supereſt vt dilucidetur veritas. D.Thom.

Prima concluſio.

Quo igitur ad tertium, Sit prima concluſio: Si loquamur de accidente quo ad ſuam completam actualitatem, non omne accidens habet ſubiectum proprium, quod ſit vnum numero, vel ſpecie, vel genere in ratione ſuſtentantis.

Ariſtotel.

Hanc probant efficaciter argumenta pro priori parte adducta, & præcipue quartum. Et prætereà docebat Philoſophus in prædicamento ſubſtantiæ, circa vltimam eiuſdem proprietatem, quod vna, atque eadem manens ſubſtantia, abſque ſui mutatione eſt contrariorũ ſuſceptiua, vnde hoc, & illo accidente abeunte, manet ſubiectum, quod illa ſuſtinebat, ſimulque vno, & eodem tempore varijs ſubiectis varia inſunt accidentia, quare &c.

Concluſio ſecunda.

Secunda concluſio: Omne accidens quouis modo acceptum habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ; Probatur vltimo argumento, vltimo loco inducto; Vnde vt habes hoc loco à Caiet. legimus tertio Phyſ. 10. quod quoniam idem non eſt valere, & ægrotare, ideo alia eſt potentia ad ſanitatem, alia ad infirmitatem, vide quomodo proprijs actibus, propriæ reſpondeant potentiæ, & duodecimo Diuinorum, à 19. vſque ad 29. probatur principia prædicamentorum eſſe eadem proportionaliter, quoniam quiuis actus propriam ſibi habet reſpondentem potentiam, & primo de Anima 53. didicimus contra Pythagoreos, non quamlibet formam cuiuis materiæ accõmodari, quod & ſecundo eiuſdem 26. & octauo Diuinorum 11. habemus, & nos quæſtione de indiuiduationis principio plene ſatis commonſtrauimus, quomodo ad vnũquemque actum recipiendum, propria potentia, & generis eiuſdem requiratur; Applica hæc ſingula ſubiecto, & accidenti, & cum videas illud ſe habere vt materiam, & potentiam, hoc inſtar formæ, & actus, colliges veritatem neceſſariam huius ſecundæ aſſertionis, &c.

Tertia concluſio.

Sit tertia concluſio: Non omne accidens habet ſubiectum proprium in ratione proprij principij, ſeu cauſæ; Probatur, quoniam tunc oporteret omne accidens fluere à ſubiecto in ratione cauſæ efficientis eo modo, quo inter duos effectus ordinem ad inuicem habentes prior eſt cauſa effectiua poſterioris, hoc autem conſtat non eſſe verum, quoniam multa dantur accidentia, in ordine ad quæ ſubiectum, vel receptiuum pure paſſiue ſe habet, vt medium in ordine ad ſpecies ſenſibiles, loquimur enim tum de ſubiecto *quo*, tũ de ſubiecto *quod*, noui enim medium eſſe ſubiectum *quo*, ſiue vt deferens; Senſus quinetiam eaſdem ſpecies recipit, ipſas neutiquam producendo, ſed mere paſſiue ad eas ſe habendo, loquendo in illo ſigno receptionis vt ſic, nam deinde agit iudicando modo ſuo; ſi enim in præciſa ſpecierum receptione ſtaret ſenſatio, certe & aer, qui ſpecies ab obiectis emiſſas recipit, & ad facultatem ſenſilem defert, ſentiret, ſed conſiſtit in pati vitaliter, & in eo quod ſenſus in actu, ſit ipſum ſenſibile, &c. Idem potes dicere de poſſibili intellectu in ordine ad ſpecies, quas recipit ſibi ab intellectu agente tranſmiſſas, non enim eſt illarum cauſa, neque eas recipit ſub ratione principij, &c.

Quomodo ſe habeat ſenſus in ſpecierum receptione.

In quo ſit poſitum ſentire.

Non cenſeas autem, me ideo negare omne accidens reſpicere aliquod ſubiectum

ctum proprium in ratione principij, quoniam ſcilicet aliquando non ſit, vera cauſalitas effectiua, & per actionem mediam inter ſubiectum, & accidentia, nam hoc modo nullum accidens ſub hac ratione reſpiceret ſubiectum propriũ, cum numquam huiuſcemodi cauſalitas inter ipſa, ſed ſolum naturale conſequium intercedat, vt præcedenti quæſtione, & alibi dicebatur, ſed propterea in quibuſdam accidentibus id nego, quoniam aliqua ſubiecta nullo prorſus modo ſunt principia accidentium, ſed omnino paſſiue ſe habent in illorum receptione, vt in quibuſdam manifeſtaui, &c.

Concluſio quarta. Quarta concluſio: Omne accidens quo ad inchoationem, vel aptitudinem habet proprium ſubiectum, nõ modo in ratione potentiæ, ſed & in ratione ſuſtentantis, ac principij. Hanc docet Caiet. in præſenti, & Ferrar. ſeptimo illo tertij cont Gent. & ei ſuffragatur ratio, quoniam aptitudo ad tale accidens non adeſt, niſi mediate, vel immediate fluat à tali gradu ſubſtantiali, & ex cõſequenti niſi in tali gradu vel mediate, vel immediate ſubiectiue inſit, quemadmodum lumen, (quod eſt exemplum Caiet.) quamuis iuxta ſuam actualitatẽ ſit ab extrinſeco, & ſit accidens ab aere ſeparabile, tamen ſecundum ſuam radicalem aptitudinem, hoc eſt, diaphaneitatem eſt inſeparabile, & fluit à certo gradu ſubſtantiali, qui eſt communis ſuperioribus, & inferioribus, quoniam non aeri vt aer, non cœlo vt cœlum, non aquæ vt aqua conuenit, ſed prout hæc omnia in aliquo communi participant, vt habetur ſecundo de Anima 68. *Videre* ſimiliter quamuis ſit accidens animali, & ab ipſo quo ad actum ſeparari poſſit, nihilominus aptitudo ad videndum inſeparabilis eſt ab hoc, & illo animali. Iuxta quam diſtinctionem de accidente, quo ad actum completum, & quo ad radicalem aptitudinem, multa poſſunt conciliari de ſeparabilitate, ac inſeparabilitate accidentium, & de ſubiecti proprij determinatione, aut non determinatione, &c.

Caietanus. Ferrarien. Caietani ſimile. Ariſtotel.

Quinta concluſio. Sit poſtrema concluſio: Omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi modis omnibus proprium, etiam ſi ſumatur quo ad ſuam completam actualitatem, at illud ſubiectum non eſt quid vnum vel numero, vel ſpecie, vel genere, ſed conuenientia, & proportione analoga: Hanc docet Alenſis ſuper 17. ſeptimi Diuinorum, vbi loquendo de accidentibus communibus ait, quod quamuis reſpectu huius, & illius ſubiecti non dicantur propria, ſeu habentia copulationem, & dependẽtiam ad ipſum, reſpectu tamen alicuius ſubiecti communis ſibi correſpondentis poſſunt dici propria, & in dependentia, atque copulatione, & dat exemplum de albedine, quæ licet in ſuo intellectu non concernat hominem, vel lignum, vel aliquod aliud ſubiectum ſpeciale, concernit tamen ſubiectum aliquod commune, puta aliquam complexionem, ad quam nata eſt ſequi. Hanc eandem docet Ferrarienſis loco memorato dicens, omnia accidentia determinare ſibi aliquod ſubiectum ſecundum genus, aut ſpeciem, aut indiuiduum, iuxta quem ſenſum ait nullum accidens eſſe commune, quoniam quod erit commune ſubiectis ſpecialibus, erit proprium ſubiecto alicui communi; Et quamuis hoc appareat extendere ipſis accidentibus, aut ſecundum actum completum, aut quo ad aptitudinem, & habilitatem, attamen latiſſime accepta ſubiecti vnitate, poteſt intelligi concluſio quo ad completam actualitatem, quam probat argumentum ſecundo loco adductum pro ſecunda ſententia, & adhuc poteſt ſuaderi, quoniam omne accidens dicit inclinationem ad ſubiectum, cum in ſui natura includat poſſe eſſe

Alenſis. Ferrarien.

in alio,

in alio, immo debere eſſe, quare & accidentia quæ vocantur communia, oportet vt hoc habeant, nam accidens commune, vere eſt accidens, vnde aliquod ſubiectum concernet, non quidem hoc, vel illud in ſpecie, ſed commune, cui ſcilicet talis natura conueniat, vt poſſit recipere, & recipiat tale accidens, &c.

Duo tamen breuiter aduerte circa hoc, & primo, quod loquentes de accidente quo ad actualitatem, ſeu actum vltimate completum, non omne accidens eſt proprium alicui ſubiecto, quodcumque illud fuerit, ſi ſit ſermo de proprio in quarta ſua acceptione, quam in prædicabilibus aſſignabat Porphirius, non enim ineſt omni, ſoli, & ſemper, hoc enim modo paſſiones ſolæ vere propriæ reſpiciunt ſubiecta ſua, ſed eſt proprium aliqua trium aliarum acceptionum, quoniam vel omni, ſed non ſoli, vel e contra, vel omni, & ſoli, at non ſemper, quod ſi dicatur, non eſt proprium iuxta quartum illum ſenſum, ergo non eſt proprium, manifeſta committitur fallacia, arguendo ab inferiori ad ſuperius negatiue, vel à ſuperiori ad inferius affirmanter.

Secundo, quod ſub vna ratione aliquod accidens erit alicui violentum, & ſub alia erit eidem naturale, vt caliditas erit violenta aquæ, ſi conſideretur vt hæc natura, & iuxta principia ſibi propria, at ſi ſpectetur vt conuenit in aliqua communi complexione, & temperie, ad quam ſequitur poſſe nonnumquam eſſe caliditatis ſuſceptiuam, non poterit dici ei violenta, ſi enim repugnaret ſimpliciter eius principijs recipere aliquando calorem ab extrinſeco, nulla potentia fieri poſſet, vt illum reciperet, qua ratione cœleſtia corpora nequeunt ſimilia accidentia recipere, quoniam eorum naturæ ſub quauis acceptione repugnat; ſic lapis numquam erit ſuſceptiuus huius accidentis, quod eſt *viſio*, quoniam eius naturæ omnino repugnat. Neque hoc tibi ſit in admiratione, quoniam & eidem aquæ ſi conſideretur vt hæc natura iuxta proprias conditiones, conuenit tantum motus deorſum, attamen ſi ſpectetur vt eſt pars quædam vniuerſi, & fluens, & refluens ei conuenit, qui ſane ipſi ſub vna ratione dicitur naturalis, ſub alia extraneus, ac violentus, &c.

Quomodo accidens eidem ſubiecto naturale, & violentum.

Varij motus aquæ.

Scio poſſe facilius dici, calorem in aqua receptum eſſe actu illi violentum, at non ſecundum aptitudinem, quoniam ſecundum hanc non eſt in ipſa, ſed ſolum in igne; at iuxta priorem modum ſaluamus omne accidens ſecundum actum etiam habere proprium ſubiectum communiſſime, & in maxima vnitatis latitudine acceptum. Et hæc quo ad tertium, nam applicando quæ dicta ſunt adductis argumentis, omnia erunt illuſtratiora.

Quo itaque ad quartum, Reſpondeo ad primum primæ claſſis, quod Porphirius ponebat accidens ſeparabile, & inſeparabile, quo ad completam actualitatem in ratione ſuſtentantis, & principij, tunc enim multa accidentia ſunt ſeparabilia, at quo ad ſuas aptitudines omnia ſunt inſeparabilia, iuxta quartam cõcluſionem, ſic ſemper inſunt quo ad aptitudinem, non quo ad actum; nõ probat autem argumentum, accidens non habere ſubiectum proprium in ratione potentiæ; Si dicas, ergo hoc modo inerit ſemper, &c. Dic ſimiliter, verum eſſe quo ad aptitudinem, non quo ad actum. Dico deinde, quod ſeparabilitas, & ſimilia non conueniunt accidenti, vt reſpicit ſubiectum in ratione propriæ potentiæ, ſed in ratione ſuſtentantis, & principij, nam ſemper accidens reſpicit ſubiectum proprium, vt actus potentiam, &c.

Quomodo accidens ſeparabile, & inſeparabile.

Ad ſecundum ex doctrina vltimæ concluſionis dicitur, Ariſtotelem ibi ſtatuere accidentia propria, & communia in ordine ad ſpeciem ſpecialiſſimam, & ad

Ariſtotel.

& ad hoc, vel illud ſubiectum ſpeciale, non autem dantur accidentia ita communia, vt nullum ſibi proprium ſubiectum ſub aliqua ratione communi non reſpiciant; Ita Ferrar. vbi ſupra dicebat, diuiſionem accidentis in proprium, & commune, accipi per comparationem ad ſpeciem ſpecialiſſimam, quoniam aliquod vni ſpeciei ſpecialiſſimæ conuenit, vt riſibilitas, aliquod pluribus, vt albedo, &c. Dicitur ſecundo ex doctrina quartæ concluſionis, dari accidens proprium, & commune, quo ad actum vltimatum, non quo ad radicalem aptitudinem, & potentiam. Ad confirmationem patet per idem, ſunt enim quædam accidentia, quæ nullum ſibi determinant ſubiectum ſpeciale, hoc, vel illud, bene tamen concernunt ſubiectum aliquod proprium ſub ratione latiori.

Ferrarien.

Tertio pari via ſatisfacimus, non enim ad corruptionem cuiuſuis accidentis in actu corrumpitur ſubiectum, at ſi corrumperetur quo ad ſuam inchoationem, tunc & ſubiectum periret, quoniam quo ad hanc aptitudinem fluit omne accidens à principijs eſſentialibus ſubiecti, quæ cum ſemper ſubiecto manente maneant, accidentia quoque iuxta id in quo ex ijs principijs oriuntur, coæua ſunt ſubiectis ſuis, ac proinde ſub tali ratione ſemper ſtant; otioſa quippe forent principia ſubiecti, ſi naturaliter ex eis apta ſint fluere accidentia, & aliquando non pullularent, quare quo ad hanc inchoationem perempto accidente, perimeretur & ſubiectum, non ita, quod huius corruptio, eſſet cauſa illius, ſed foret ſignum, quo oſtenderetur principia ſubiecti amplius non ſupereſſe, ac proinde neque ſubiectum ipſum.

Qua ratione ablato accidēte, auferatur ſubiectum.

Quartum confirmat primam concluſionem, quæ aſſerit multa accidentia quo ad actum dari communia, non tamen infringit quartam, quæ omnia propria ſtatuit, quo ad aptitudinem, neque quintam, quæ proprium, & commune non attendit iuxta ſubiectum, vel indiuiduale, vel ſpecificum, vel genericum, ſed ſub ampliori ratione, merito ſcilicet cuiuſcumque communis, in quo aliqua poſſint conuenire, quibus accidentia eiuſmodi competant, &c.

Ad primum in ſecunda ſerie dicitur, quod omne accidens habet ſubiectum de quo predicatur per ſe, vel ſecundum actum, vel ſecundum aptitudinem, ſtat enim, vt quo ad ſuam actualitatem non habeat proprium ſubiectum, accepto proprio in quarta acceptione, quoniam ſecundum actum ſuum non dicetur per ſe de ipſo, & quod habeat proprium ſubiectum, per quod debeat definiri, ad hoc enim ſufficit, quod ſi non ſecundum actum, ſaltem ſecundum aptitudinem prædicetur de illo. Dico deinde argumentum non concludere, in definitione cuiuſuis accidentis poni ſubiectum proprium ſpecificum, non enim in definitione albi ponetur homo, ſed cadet aliquod, quippe quod erit ei proprium aliquo modo, licet non ſoli, omni, & ſemper. Dictum vero Philoſophi primo Poſteriorum accipitur de proprijs paſſionibus.

Quomodo omne accidens prædicetur de proprio ſubiecto.

Ad ſecundum dico probare quintam concluſionem, quoniam aliquod ſubiectum proprium, quamuis non hoc, vel illud ſpeciale omne accidens requirit, vt frequenter dictum fuit.

Tertium, & poſtremum argumentum probat ſecundam concluſionem; Confirmatio autem accipienda eſt de accidentibus, non quo ad actum completum, ſed quo ad aptitudinem, & inchoationem, iuxta doctrinam quartæ aſſertionis, ſic enim loquitur D. Thomas, quippe quem ceu in difficili harum

vigilia-

vigiliarum, aliorumque in ſtudijs laborum, totius demum vitæ meæ nauigatione lucidum ſydus ſecundum cœlorum Reginam, Ioannem Apoſtolum, & B. Patrem Dominicum numquam non ſuſpicio, ita pio, fortique ipſorum ductu, corporis huius naui diſſoluta, Beatorum littora vt attingam, dignetur ipſe beatitudinis Auctor, cuius nomen à Solis ortu, vſque ad occaſum laudabile cum Vate regio dicimus.

Omnia, & ſingula, ceu me ipſum, & quæcumque ſemper dicere, ſcribereuè contigerit. S. R. E. correctioni omni humilitate ſubijcio.

ERRA-

ERRATA GRAVIORA
ITA CORRIGITO.

Prior numerus paginam, poſterior lineam indicat.

			LEGE
24	1	vnitatem	vnitate
42	12	doctrinā	doctrina
60	7	Diuinorum 2.	Diuinorum 20.
151		Articulus tertius	Articulus ſecundus
168	13	propoſitiones	proportiones
304	42	noſtram	materiam
335	6	ſignificatum	ſignificatur
343	12	trifariam	bifariam
347	37	naturam	natura
366	27	confirmationis	confirmationes
374	6	impoſſibile eſt prædicatur	prædicatur, impoſſibile eſt
379	12	certa	extra
386	34	conciderent	coinciderent
393	17	naturam	natura
424	23	eſt natura	eſt in natura
426	26	vt	at
431	32	ſexto	ſeptimo
484	24	duos	duas
485	24	abſtracto	ſubſtrato
488	46	ponenda	ponendi
520	44	angeum ſin	angelum in
533	44	multiplicai	multiplicari
558	4	quo	quod
574	36	prima	ſexta
589	42	diſtantem	diſtantiam.
620	28	poſſit	poſſit eſſe
656	17	contractum	connotatum
659	43	Sc	Sic
672		in fine abundat	poſtilla
680	23	effectrice	effecerit
684	30	art. 2.	art. 1.
696	22	quæſtionem	quæſtione
715		in tit. ar. non ſine	apud aliquos ſine
724	28	dupliciter	multipliciter
853	13	eo cum	eorum
856	5	haberem,	habere
872	13	tractatu 5.	tractatu 8.
881	10	differentam iaccidentis	differentiam accidentis
937	2	ex quid, & quali	non ex quid, ſed quali
942	20	quæſito.	quæſtio

Alia Lector offendes, ſed vel minimum, vel nihil in ſenſu lectionis te offendent.

INDEX ALPHABETICVS EORVM, QVAE IN HOC OPERE ANNOTATIONE DIGNA VISA SVNT.

Abſtractio.

ABſtractio quotuplex. pag. 14
Abſtractio triplex, totalis, formalis, & à ſingularibus declaratur. 61
Abſtractio quid. 164
Abſtractio non eſt purum ens rationis. 17
Abſtractio non datur ſecundum eſſe, & non ſecundum rationẽ, & quare. 21
In Abſtractione cognoſcitur quod abſtrahitur, non tamen id, à quo fit abſtractio. 98
Abſtractio prioris à poſteriori facilior, quam e conuerſo. 66
Abſtractio qua res ſit actu cognoſcibilis, eſt ab intellectu agente, non à poſſibili. 398
Abſtractio eſt neceſſaria in ſcientia. 14
Abſtractio eſt ratio formalis ſub qua. 15
Abſtractio dat nedum vnitatem genericam, ſed etiam ſpecificam ſcientiæ. 18

Abſtractum.

Abſtractorum quidditas eſt ſola forma. 247
Abſtractum realiter diſtinguitur à Concreto. 711
Abſtracta ſecundum eſſe, & rationem, quomodo à Metaphyſico conſiderentur. 21
In Abſtractis à materia idem eſt intelligens, & res intellecta, quis ſenſus. 105. & 511
In Abſtractis eſt idem quo, & quod. ibid.
In Abſtractis non differt indiuiduum à natura. 659
In Abſtractis ſuppoſitum differt à natura. 660
In Abſtractis non diſtinguitur vnum numero, ab vno in ente. 669
In Abſtractis eſt idem finis, & agens, & forma. 723

Actus.

Actus duplex, & ſimiliter duplex potentia. 739
Actus, & potentia diuidunt ens. 101
Actus, & potentia non ſunt proprie relatiua. 632
Actus, & potentia ſunt in omni Genere. 633
Actus eſt prior potentia, cognitione, natura, & tempore in diuerſis. 572
Actus entitatiuus, vel exiſtentiæ, nullus datur diſtinctus à forma. 636

Actus eſt quod propriè eſt, intelligitur de forma. 706
Actus completus quid ſignificet. 874
Actus diſtinguit, & ſeparat, intelligitur de actu finito. 792

Actio.

Actio eſt nobilior ſua cauſa, accipitur formaliter. 183
Actiones duas habere eundem terminum formalem ſub eadem ratione, inconuenit. 914
Actio duplex, inſtantanea, & ſucceſſiua. 689
Actio quo ad rem importat primo motũ; vt prædicamentum importat primo reſpectum à quo. 135
Actio eſt paſſio, quomodo verificetur. 361
Actio immanens nihil producit neceſſario ad extra, quod ſit ſe ipſa nobilius, ad quod ordinetur. 497
Actio immanẽs potius eſt qualitas, quam actio, vel paſſio. 505

Agens.

Agens producens compoſitum effectiue, non eſt neceſſe, vt omnes partes producat. 905
Agens cauſans vnionem materiæ cũ forma, vere dicitur generans. ibid.
Agens phyſicum, & agens quod dicitur ſecundum ſimilitudinem, quomodo differant. 690
Agentis virtus non ex maiori perfectione, ſed ex maiori proportione cum potentia penſanda eſt. 84
Agentis ratio agendi, & cõditio, quæ 389
Agens, & patiens datur in qualibet Natura. 100
Agens naturale non impeditum producit perfectiſſimum effectum quem poteſt, & quis ſenſus. 181
Agere non valet, niſi quod eſt actu. 925

Accidens.

Accidens abſtractum, & concretum, quomodo conueniant, & differant. 875
Accidens tam abſtractum, quam concretum ponitur in genere metaphyſico, ſed abſtractum tantum ponitur in genere logico. 878
Accidens abſtractum non excludit à ſe omnino ſubiectum. 875
Accidentia quæ ſunt in Cœlo, nõ ſunt eiuſdem generis phyſici, ſed logici cum accidentibus corruptibilium. 755
Accidentia, & formæ ſubſtantiales per additum diffiniuntur. 192
Accidens nullum ſubiectiue eſt in materia, ſed ſolum in ente in actu. 922
Accidens in duplici ſubiecto reperitur. 924
Accidẽtia indiuiduãtur ex ſubiecto. 257
Accidentia quomodo differentiam ſumãt à ſubiectis principijs. 882
Accidentia habent definitionem incompletam. 895
Accidentium definitio dicitur incompleta, ſi ſit ſermo de definitione explicante naturam rei formaliter. 892
Accidens quomodo dicatur ens intrinſece, & extrinſece. 110. & 862
Accidentia habent aliquam entitatem, & eſſentiam. 889
Accidentium entitas dicitur incompleta, quia dependet à ſubiecto, non actu, ſed aptitudine. 890
Accidentia alia à relatione, quomodo entia in ſe dicantur. 891
Accidentis inhærentia eſt habitudo tranſcendentalis, ſola ratione ab eo diſtincta. ibid.
Accidentia Panis, & Vini, quomodo habeant

beant eſſe, ante, et poſt conſecrationem. 186

Accidens habet proprium eſſe, diſtinctum ab exiſtentia ſubiecti. 860

Accidentia compoſita ſunt ex eſſe, & eſſentia. 862

Accidens ſecundum quid poteſt eſſe nobilius, quam ſubſtantia. 881

Accidentia ſequuntur eſſentiam diuerſimode, ſecundum modum quo ab ea cauſantur. 872

Accidens licet conſequatur omnia indiuidua, non tamen neceſſario conſequitur ſpeciem. ibid.

Accidentia aliqua cauſari à materia, aliqua à forma, intelligitur non totaliter, ſed principaliter. 866

Accidentales diſpoſitiones ad formam, quædam ſunt præcedentes, quædam ſimultaneæ. 951

Accidentia quattuor modis poſſunt corrumpi, & generari. 948

Accidentia ſecundario generantur, & corrumpuntur. 949

De productione, & corruptione accidentium diuerſum iudicium, quando ſeorſum, & quando cum ſubſtantia producuntur, & corrumpuntur. ibidem

Accidentia conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt. 374. & 745

Accidentia quomodo educantur de potentia ſubiecti. 924

Accidens agere in ſubiecto in quo eſt, quomodo intelligitur. 925

Accidens agit ad ſui, & ſubiecti corruptionem. 937

Non omne accidens quo ad actum completum habet ſubiectum proprium in ratione ſuſtentantis. 971

Omne accidens habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ. ibid.

Non omne accidens habet ſubiectum propriũ in ratione proprij principij. ibid.

Omne accidens, quo ad inchoationem habet proprium ſubiectum in multiplici ratione. 972

Omne accidens habet aliquod ſubiectum ſuum analogia ſibi omnibusmodis proprium. ibidem

Aliquod accidens eidem ſubiecto naturale, & violentum. 973

Accidens quo pacto ſeparabile, & inſeparabile. ibidem

Ad accidẽtis corruptionem quomodo corrumpatur ſubiectum. 974

Omne accidens quomodo habeat ſubiectũ de quo per ſe dicatur. ibid.

Analogia, & Analoga.

Analogia quotuplex. 196

Analogia attributionis, et proportionis, in quibus conueniant, & differant. 202

Analogia attributionis duplex. 203

Analogia quid ſit, & in quo cõſiſtat. 196

Analogi fundamentum, & conceptus quomodo ſumatur, diſtinguatur, ſit vnus, vel plures. 153. & ſeq.

Ad Analogiam quæ concurrant. 165

Analogum primum, quando ponatur in definitione reliquorum. 214

Analogata ſecundum proportionẽ dicunt proportionem illam non formaliter, & in actu ſignato, ſed fundamentaliter, & in actu exercito. 215

Analoga ſola proportionis, ſunt vere Analoga. 212

Analogi abſtractio quid ſit. 164

Ab Analogis formaliter, & vt ſic non poteſt abſtrahi conceptus vnus ſimpliciter. 167

Analogum ſecundum identitatem, quam claudit, habet quendam abſtractionis modum à diuerſitate rationum Analogatorum. 168. & 170

Analogi conceptus confuſio, non eſt plures conceptus claudi in vno, ſed plures ſignificationes in vna. 168

Analogi cōceptus confuſio, qualis ſit. 189

Analogia attributionis ſecundum determinatam habitudinem non eſt inter Deum, & Creaturas. 209

Analogia attributionis eſt prior analogia proportionis tum inter Deum, & creaturas, tum inter ſubſtantiam, & accidens. 210

Analogia attributionis præciſe, in illo priori naturæ, accidens in ordine ad ſubſtantiarum, & Creaturæ in ordine ad Deum, extrinſece tantum dicuntur entia. 211

In Analogis quomodo comparatio fieri poſſit. 170

Anima.

Anima dupliciter accipitur. 714

Anima vt forma recipitur in materia nuda, vt anima; eius ſubiectum eſt corpus phyſicum organicum. 906

Animæ diffinitio, quomodo Vegetatiuæ competat per non repugnantiam. 392

In Animæ diffinitione quare ponatur corpus phyſicum. 858

Anima actus corporis, vt calor calidi, & lumen lucidi. 906

Animæ nobiliſſima operatio, eſt dare eſſe corpori. 831

Anima humana eſt forma ſubſtantialis hominis, de mente Ariſtotelis. 522

Anima intellectiua, ob ſuam eminentiam largitur corpori operationes aliarum formarum. 914

Anima humana dicit Orizon, & confinium. 796

Anima intellectiua habet eſſentiam, & diffinitionem incompletam. 856

Animæ intellectiuæ indiuiduatio dependet à corpore in fieri, non in conſeruari. 743

Animæ intellectiuæ eſſe dependet à corpore, vt eſt tale, non ſimpliciter. 744

Animæ intellectiuæ non ſunt creatæ ante corpora. ibidem

Anima intellectiua indiuiduatur ex commenſuratione fundamentali ad corpus. 799

Animam non conſequitur fundamentalis commenſuratio, ſed eſt illius conſtitutiua. 800

Animam ſe ipſa eſſe hanc, poteſt bene intelligi, ſcilicet identice, non formaliter. 801. & 803

Animæ ſeparatæ motum Ariſt. non cognouit. 831

Anima intellectiua ſeparata, nō eſt in ſtatu naturali, nec omnino præter naturali. 823

Anima intellectiua, quomodo inter intelligentias numeretur, & dicatur ſubſtantia ſeparata. 565

Animam intellectiuam non eſſe formam corporis, quomodo debeat intelligi. 615

Anima coniuncta, naturaliter eſt perfectior, quam ſeparata. 600

Anima coniuncta an habeat eſſe vt quod, & quo, vel tantum vt quo. 601

Anima aliquarum operationum eſt principium, & ſubiectum, aliquarum principium tantum. 857

Anima ex ſua natura eſt actu intellectualis, non tamen huius, vel illius, niſi medio intellectu poſſibili. 932

Anima eſt in potentia ad rerũ ſimilitudines recipiendas, non tamen vt in ſe ſunt. ibidem

Anima etiam intellectiua, vt informat corpus, eſt de cōſideratione phyſici. 858

Anima intellectiua duplici actione producitur, creatione, & generatione quarum termini ſunt eſſe, & modus eſſendi. 904

Ariſtoteles.

Ariſtoteles ſenſit omne ens dependere à Deo effectiue, et agnouit creationē. 684

Ariſtoteles non plene agnouit aliqua,

præſer-

Præſertim de ſubſtantijs ſeparatis. 817
Ariſtoteles locis pluribus Platonis ideas impugnauit. 383. & 454
Ariſtoteles poſuit æterna, mundum, tempus, & materiam primam. 818

Attributum.

Attributum Diuinum aliquid reale formaliter ſignificare debet. 236
Attributa Diuina, quomodo diſtinguantur. 351
Attributum Dei, quid ſit. 767
De Attributi vnius ratione ſunt omnia alia, & etiam Diuina Eſſentia. 779
Attributa alia ſecundum noſtram conſiderationem non ſunt de ratione vnius Attributi. 785

Auerroes.

Senſit ſolam formam eſſe totam quidditatem. 238
Auerroes vnum intellectum poſſibilem Themiſtius vnum intellectum agentem poſuerunt. 526
Auerrois mens de adeptione, & continuatione intellectus agentis, & cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum minutatim aperitur. 807
Impugnatur diffuſe. 814
Auerroes voluit omne ens eſſe à Deo efficienter, & cognouit creationem. 686
Auerrois ſententia de dimenſionibus interminatis. 922

B

Beatus.

Beatus in cognitione beata non format Verbum. 515
Beatus in cognitione beata non habet ſpeciem impreſſam creatam. 516
Beati quomodo in beatitudine ſint inæquales. 590
Beati acquirent tantum beatitudinem extẽſiuã in aſſumptione corporis. 602

Bonum.

Bonum particulare quomodo ſit obiectum voluntatis. 72

C

Cauſa.

Cauſa duplex, vel per traſmutationẽ, & actionem; vel per emanationem, & ſolam reſultantiam. 579
Cauſæ diſtinctio in fieri, & in eſſe, quod fundamentum habeat. 572
Cauſa agens medio motu præcedit effectum duratione, ſecus de cauſa agente actione inſtantanea. 689
Cauſare non eſt agere. 642
Cauſæ eſſe non dependet ab effectu. 570 & 640
Cauſam poſſe eſſe ſint eo quod cauſat, intelligitur tam de cauſa libera, quam naturali, tam materialiter, quam formaliter. 570
Cauſa eſt nobilior ſuo effectu, fallit in cauſa materiali, & inſtrumentali, & etiam in cauſa diſpoſitiua. 182
Cauſa efficiens vniuoca, quomodo dicatur effectu præſtantior. 180
Cauſa non eſt formaliter nobilior actione, ſed è contra. 183
Cauſæ materialis triplex reductio. 610

Cœlum.

Cœlum dupliciter accipitur. 721
Cœlum conſtat ex materia, & forma. 714
Cœlum eſt corpus ſimplex. 719
Cœlum non eſt animatum Anima vegetabili, ſenſibili, vel intellectiua. 717. 718. 720.
Cœlum non habet imaginatiuam. 719
Cœlum quomodo fiat magis vnum cum intelligentia, quam fiat ex materia, & forma. 721
Cœlum habet intelligentiam ſibi vnitam in ratione formæ aſſiſtentis. 722
Cœlum quomodo poſſit dici animatum iuxta varia Philoſophorum dicta. 724
Cœlum poteſt dici habere principiũ actiuum ſibi intrinſecum ſui motus. 722

Cœlum

Cœlum quomodo cauſa ſublunariũ. 725
Cœlum eſt nobilius corporibus viuētibus, quo ad modum eſſendi, non tamen quo ad gradum. ibidem.

Cognitio.

Cognitiones quattuor, & earum nomina. 56
Cognitio noſtra accipitur à rebus, non autem cognitio Dei, & Angelorum. 97
Cognitio quidditatis, & cognitio quidditatiua diſtinguntur. 805
Cognitio quidditatiua eſt multiplex. ibid.
Cognitio tripliciter dicitur diſtincta, ſcilicet ex parte obiecti, intuitionis, & modi. 792
Cognitionum ordine, ſingularia præcedunt, ordine vero cognitorum, vniuerſalia. 55
Cognitionum ordo aſſignatur. 57
Cognitionis ordine præcedũt vniuerſalia, ordine vero reſolutionis ſpecialia. 62
In Cognitione non omnia vniuerſalia præcedunt. 67
Cognitio prima, quænam ſit. 62
Cognitio ab imperfecto ad perfectum procedit. 73
Cognitio prima complexa, quæ, & quæ prima incomplexa. 75
Cognitionem primorum principiorum, nulla cognitio intellectiua præcedit. 77
Cognitio totius potentialis, quare dicatur virtualis. 57
Cognitio confuſa quid requirat. 66
Cognitio confuſa actualis, quæ. 67
Cognitionem diſtinctam conceptus ſpecifici, præcedit cognitio generis proximi, & vltimæ differentiæ. 69
Cognoſcere primo, & per propriam ſpeciem, conſequenter ſe habent. 98
Cognitione directa intellectus, neque fantaſma, nec ſpecies, vt res ſunt cognoſcit, ſed tantum reflexa. 106
Cognoſcere per alienam ſpeciem, eſt cognoſcere reflexe. 107
Nec in cognitione directa, nec reflexa, conceptus ſingularis eſt in intellectu late. 112
Cognitum reflexe, poteſt eſſe volitum directe. 107
Cognitionis difficultas ex duplici capite oritur. 811
Cognitio vniuerſalium difficillima, varie exponitur. 85
Cognitio ſpeciei ſecundum quid, eſt facilior cognitione generis. 86
Cognoſcere plura prædicata de Deo, quã de intelligentijs, non infert quod Deus magis, quam illa à nobis cognoſcatur. 832
Cognoſcibilitas eſt paſſio entis in actu. 186

Conceptus.

Conceptus quattuor cuiuslibet rei. 161
Conceptus generis, differentiæ, & ſpeciei, quomodo ad inuicem ſe habeant. 369
Vide verbo Genus, ſpecies, differentia.
Conceptus formalis, analogi adequatus non datur vnus, ſed plures. 154
Conceptus análogis diuiditur ſecundum ſuam naturam, & per ea per quæ conſtituitur. 158
Conceptus varij de Deo formati, imperfecte diuinas perfectiones repreſentant. 784
Cõceptibus varijs de Deo formatis, reſpondet res vna multipliciter imitabilis. 785

Compoſitio.

Compoſitio ex his, & compoſitio cum his quid ſignificent. 704
Compoſita, & ſimplicia quomodo in noſtra cognitione ſe habeant. 53

Com-

Compoſitio duplex metaphyſica, & logica. 368
Compoſitio eſſentialis duplex, totalis, & partialis. ibid.
Compoſitio omnis præſuponit partes. ibid.

Cogitatiua.

Cogitatiua quomodo continuetur cum intellectu. 108
Cogitatiuæ officia. 531
Vide ſingulare.

Concilium

Conciliorum dicta accipienda in ſenſu in quo fiunt, non in ſenſu quem faciunt. 617

Chriſtus.

In Chriſto multiplicantur naturalia, non perſonalia. 660
Chriſti corpus mortuum, quomodo fuerit idem. 917
Chriſti corpus in triduo fuiſſet ſub forma cadaueris in ſacramento, ibid.

Concretum.

Concretum quid. 875
Concretum ſignificat habitudinem inter formam, & ſubiectum, vt incipit à ſubiecto. 877
Concretum quare excludatur à predicamento. ibidem
Vide Accidens.

Corruptio.

Corruptio attenditur per deperditionem eſſe eßentiæ, non eſſe vnius exiſtentiæ. 627
Corruptio formarum præcedentium non intenditur ab agente. 915

Color.

Coloris differentiæ, ſunt congregare, & diſgregare viſum. 883

Corpus.

Corpus cum præciſione, & ſine præciſione tripliciter differunt. 330
Corpus fit ex non corpore. 938
Corpus per ſe, & præciſe excludit animam. 358

Creatio.

Creatio quid ſit, & quomodo dicatur ex nihilo. 688
Creatio potuit eſſe ab æterno. 689
Creatio cum nouitate eſſendi negatur ab Ariſt. & Auerr. 690
Creatio terminatur primo ad formam, ſecundario ad eſſe. 710
Creationis terminus eſt anima, generationis compoſitum. 914

Creaturæ.

Creaturæ quo pacto poſſint dici entia intrinſece, & extrinſece. 211
Creaturæ continent Deum continentia participatiua. 226
Quomodo creaturæ in ſui ratione includant creationem paſſiuam. 966

D

Deus.

IN Deo non diſtinguitur eſſe ab eſſentia. 577. & 695. & 758
Deum non eſſe ens, nec exiſtens, vt Plato, & D. Dionyſius dixerunt, quis ſenſus. 733
Deus eſt adeo ſuum eße, vt eſſe ſit de conceptu eius quidditatiuo. 734
Deo magis proprium nomen eſſe, qui eſt, quomodo intelligatur. ibid.
Dei eſſe, eſt eſſe commune exemplariter, non tamen formaliter. 736
Deus continet perfectiones ſimpliciter formaliter, perfectiones ſecundũ quid eminenter. 738
Deus quare non poteſt ſupplere vicem cauſæ formalis. 644
Deus in productione rerum non acquirit maiorem perfectionem intenſiuam, ſed extenſiuam. 182

Deus

Deus eſt menſura excedens, vel analoga omnium entium. 764
Deus quomodo menſura ſit omnium, cum infinite ab omnibus diſtet. 588
Deus non eſt in genere, nec proprie, nec reductiue. 758
Deus non eſt etiam in genere, vt principium contentum. 765
Deitas non eſt attributum. 767
In Deo ſecundum rem eſt vna tantum perfectio. 779
In Diuinis vbi non obſtat relationis oppoſitio omnia ſunt vnũ, qua vnitate. 772
In Deo nulla eſt diſtinctio ſecundum ſe actualis, vel actualiter. 778
In Deo ab æterno non fuit diſtinctio rationis actualiter. 787
Diuinæ perfectiones tantum ratione diſtinguntur ab eſſentia actualiter. 777. & 783
Diuinæ relationes includunt Diuinam eſſentiam, & è contra. 790
De Deo quare intellectus noſter varios formet conceptus. 783
De Deo etiam intellectus Beatorum varios conceptus formaret. 786
Deus vt concipitur à nobis, dicitur multiplex ratione, non ſubiectiue, ſed obiectiue. 784
De Deo ab æterno non dicuntur contradictoria, affirmatio, vel negatio, niſi fundamentaliter. 793
Deus extra ſe quomodo nihil intelligat. 830
Deus cognoſcit mala. 509

Demones.

De Demonibus, vel intelligentijs, quid Plato, & Platonici, quo ad eorum eſſentias, & loca ſenſerint. 606

Demonſtratio.

Datur aliqua demonſtratio, quæ non ſupponit ſubiectum ſuum eſſe. 350
Demonſtratio conſtans ex vniuerſali, & particulari propoſitione vnum terminum habet. 168

Differentia.

Differentia dupliciter conſideratur, formaliter, vt eſt differentia, ſecundo vt induit rationem ſpeciei. 764
Differentia in rebus compoſitis eſt ſimplex, non in ſeparatis, quis ſenſus. 747
Differentia eſt qua ſpecies abundat à genere, quis ſenſus. 329
Differentia dicit totum id quod eſt in diffinito. 355
Differentia in ſui ratione includit ordinem ad exiſtentiam. 425
Differentiæ rerum ſunt ignotæ, verificatur de vltimis. 745
Differentia quomodo conducat ad eſſe. 760
Differentia non eſt forma. 839
Ad Differentiæ eſſentiam, quæ requirantur. 841
Differentia in rebus materialibus remote, & radicaliter ſumitur à forma, non proxime, & formaliter 842
Differentiæ genus diuidentes, quæ ſint. Differentiæ genus eſſentialiter diuidunt, non autem indiuidua ſpeciem. 326
Differentia quomodo qualitas generis, & quomodo ei adueniat. 349
Differentiam vltimam eſſe totam diffinitionem, & conuerti cum re diffinita oſtenditur. 913
Differentia vide verbo Genus.

Diffinitio.

Diffinitio conſequitur eſſentiam. 855
Diffinitio quomodo dicat totam eſſentiam rei. 422
Diffinitio habet partes non rei, ſed cognitionis. 356
Diffinitionem eſſe longum ſermonem quis ſenſus. 355
Diffinitio bona, qualis. 247
Diffinitio eſt à forma principaliter, non totaliter

totaliter. 249
Diffinitio, & diffinitum dicunt eandem conceptum formaliter, & materialiter, differunt tantum ratione modi exprimendi. 371
Diffinitionem, quam habeat res incompleta. 857
Diffinitiones rite explicantur quandoque per non repugnantiam. 391

Diſtinctio.

Diſtinctio formalis, & diſtinctio formarum quid ſint. 287
Diſtinctio ex natura rei quid importet, & ad quam reducatur. 350
Diſtinctionem debere eſſe bimembrẽ, quomodo intelligatur. 753
Diſtinctio realis, quotuplex ſit. 647
Diſtinctio minor poteſt cauſare maiorem. 792

Diſtincta.

De diſtinctis ſolum ratione diuerſa enunciari poſſunt. 252
Diſtingui ab alijs, & conſtitui in hoc eſſe, ab eodem ſunt. 268. & 300
Diſtingui penes ſignatum, & non ſignatum, quid ſit. 325
Filius, & Spiritus ſanctus in diuinis cur diſtinguantur realiter. 791

Dimenſio.

Dimenſio interminata nullo modo eſt in materia ſubiectiue. 931
Dimenſiones nõ remanent poſt corruptionem ſuppoſiti, ſed tantum materia. 939

Diſcipulus.

Diſcipuli, & magiſtri eſt eadem doctrina numero, quo ad rem ſciam, non tamen quo ad habitum, vel ſpecies. 555

E

Effectus.

Effectus non ſemper repreſentat primo ſuam cauſam. 121
Effectus magis pendet à ſua cauſa, quam ipſa ab effectu. 640
Effectus nobiliori modo eſt in cauſa, quis ſenſus. 180
Effectus, in cauſa habet perfectius eſſe ſimpliciter, non perfectius eſſe tale. 811
Effectus adæquatus intelligentiarum non cadit ſub ſenſu. 822
Effectus idem à pluribus agentibus poteſt produci, ſi non habet rationem termini. 916
Effectus in ordine ad cauſam, triplex. 183

Ens.

Entis diuiſio. 130
Ens ſumptum ab eſſentia dicitur nominaliter, ſumptum ab exiſtentia dicitur participialiter, illud eſſentiale rebus creatis, hoc non. 420
Ens participialiter acceptum, diuidi in decem prædicamenta, probabilius eſt. 423
Ens reale, & ens extra animam non conuertuntur. 455
Entis diuiſio in per ſe, & per accidens, nõ eadem cum ea, qua ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens. 132
Entis diuiſio in actum, & potentiam, eſt ad aures Ariſtotelis. 628
Ens quod diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum, eſt ens finitum. 789
Ens non dicit aliam naturam à rebus ſibi ſubiectis, licet habeat proprium conceptum. 75
Ens prædicamentale eſt omne id, quod exiſtit, vel poteſt exiſtere, tam exiſtentia propria, quam aliena. 627
Ens quomodo ad inferiora deſcendat. 134
En in tota latitudine, qua eſt ab humano intellectu perceptibile, eſt ens concretum quidditati ſenſibili. 78
Ens eiuſmodi concretum, primo à noſtro intellectu agnoſcitur. 61
Ens quomodo moueat intellectum. 51
Ens quomodo ſe habeat ad eſſentiam. 53
Ens creatum præciſe ſumptum, non eſt co.ma

do dicitur analogia attributionis de ſubſtantia, & accidente, quo ens commune creato, & increato. 204
Ens an ſit analogum non modo ſubſtantiæ, & accidenti, ſed & ſpeciebus generum, & eorum indiuiduus. ibid.
Ens de ſubſtantia, & accidente prædicatur vt quid ſuperius nõ cõuertibiliter. 206
Ens prius dicitur de ſubſtantia, & accidente analogia attributionis, quam proportionis. 208
Ens non eſt genus. 217
Ens quomodo abſtrahatur totali, vel formali abſtractione. 61
Entis conceptus ſolus inter conceptus vniuerſales præcedit neceſſario in prima cognitione. 68
Entis conceptus habet eſſentialem ordinẽ ante cæteros in cognitione. 74
Ens quomodo ſit, vel non ſit magis vniuerſale. 70
Entis conceptus eſt imperfectus imperfectione euidentiæ, non in ordine ad ſe, ſed ad alia. 79
Entis conceptus formalis, eſt vnus inadæquatus. 153
Entis conceptus obiectalis non eſt perfecte vnus, nec dicit gradum vllum ſuper genera, ſpecies, & indiuidua. 157
Ens in confuſo ſignificato, vt ab analogis abſtractum, habet conceptum abſolutum. 225
Ens immediate ſignificat ſubſtantiam, & accidens, immediatione rei, non immediatione conceptus. ibid.
Entis conceptus obiectalis ſunt genera, & ſpecies, vt nomine entis ſignificantur. 161
Entis conceptus obiectalis eſt vnus vnitate analogiæ. 162
Entis conceptus obiectalis poteſt dici vnus vnitate disiunctionis. 163
Ens eſt primum tranſcendens. 410
Enti addunt alia tranſcendentia expreſſionem modi intrinſeci conſequentis omnia entia. ibid.
Enti quid addant decem prædicamenta. ibidem.
Entis paſſiones ſunt cum ipſo conuertibiles. 414
Entis paſſiones pro quo ſupponant. 415
Entis paſſiones non diſtinguuntur ab eo, nec deriuantur, niſi ſecundum rationem. 416
Ens non dicit gradum diſtinctum ab alijs tranſcendentibus, ſed imbibitur in eis, vt ſuperius in inferiori. 419
Entis cognitio eſt prima cognitio incomplexa. 75
Entia cœleſtia, & abſtracta, nobis etiam non cognoſcẽtibus, fuiſſent æterna. 023
Ens vt dicit eſſentiam, quomodo generetur. 710

Eſſe.

Eſſe quid dicat in Deo, quid in creaturis. 223
Eſſe duplex, primum, quod poteſt habere additionem, non tamen habet, ſecundũ, quod nec habet, nec habere poteſt additionem. 735
Eſſe Diuinum, & eſſe commune in quo differant. ibid.
Eſſe exiſtentiæ, quomodo ſit proprium, & quomodo prædicatum dicatur ſubſtantiale. 421. & 428
Eſſe quo exiſtit materia, forma, & compoſitum, eſt vnum, non tamen eodem modo competit illis. 702
Eſſe, eſt actualiſſimum in genere actus primi. 705
Eſſe tantum vnum eſt vnius rei. 909
Eſſe quodlibet eſt ſpecificatum. ibid.
Eſſe eſt primus terminus creationis, ſecundarius generationis. 705
Eſſe ſubſiſtens, id quod ſubſiſtens, habet omnes perfectiones. 738

Eſſe

Eſſe ad nullum genus determinatum, adeo purum eſt, vt eſſe tantum ſit de eius conceptu quidditatiuo. 759
Eſſe Dei per cognitionem quid eſt, eſt ſcibile. 36
Eſſe conſequitur formam neceſſitate phyſica, non logica. 639
Eſſe eſt effectus formalis formæ. 640
Eſſe recipitur in eſſentia, vt actus in potentia. 703
Eſſe aduenit eſſentiæ completæ, quo ad quidditatem, & formam, non tamen quo ad actum eſſendi, ideo non eſt accidens. 704
Eſſe componit cum eſſentia, non tamen componitur aliquid ex eſſe, & eſſentia. ibidem.
Eſſe differt realiter ab eſſentia in omni ente creato. 706
Eſſe eſt quid ſuperius ad eſſentiam. 739
Eſſe accidentis diſtinguitur ab eſſe ſubiecti. 860
Eſſe in, eſt analogum ad nouem genera accidentium. 893
Eſſe in actualiter, eſt accidentis proprietas, eſſe rem, quæ eſt apta nata eſſe in alio, eſt de eius eſſentia. 894
Eſſe rerum quomodo cadat ſub cognitione ſcientifica. 37
Eſſe, et eſſentia ſunt principia cognitionis, non tamen cauſæ. 51
Eſſendi modi diuerſi non ſimpliciter, ſed vt fundant diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia, prædicamenta conſtituunt. 134
Eſſe ſpecificum, & eſſe exiſtentiæ, quomodo animæ, & quomodo ſuppoſito competant. 599
Eſſe vt diſtinguitur contra extraneum habet omne quod eſt, non tamen vt diſtinguitur contra commune. ibid.

Eſſentia.

Eſſentia quorum ſit. 135
Eſſentiæ varia nomina, & eorum diſtinctio. 137
Eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum tripliciter accipitur. 325
Eſſentia dupliciter comparatur ad inferiora. 382
Eſſentia eſt potentia eſſentialis, quomodo intelligendum. 703
Eſſentia, & eſſe quid ſignificent. 699
Eſſentia vt ſic, etiam ſuppoſitum ſignificare poteſt. 703
Eſſentia Diuina dicitur verbum cognitionis eſſentialis. 502
Eſſentia Angeli ad ſui cognitionem, concurrit vt radix, & fons, & vt intellecta in actu. 513
Eſſentia rerum compoſitarum abſolute de ipſis non prædicatur, niſi ſignificata nomine totius. 573
Eſſentia in rebus ſimplicibus eſt totum, & pars, & ideo de ipſis abſolute prædicatur. 574
Eſſentia ſiue perfecta, ſiue imperfecta non poteſt cum alia vnum per ſe facere. 908
Eſſentiæ eſſe in morte hominis corrumpitur. 600

Exiſtentia.

Exiſtentia non dicit purum reſpectum, ſed primo abſolutum. 699
Exiſtentia non eſt prædicatum eſſentiale, vel accidentale, ſed ſubſtantiale. 700
Exiſtentiæ ratio eſt tantum eſſe extra cauſas ſuas. 701
Exiſtentia non poteſt dici duratio. Ibid.
Vide verbo Eſſe.

Error.

Error in principio paruus, in fine dicitur magnus, tum extenſiue, tum intenſiue. 50

Euchariſtia.

In Euchariſtia quomodo intellectus poſſit cognoſcere abſentiam panis. 226

Extrema in rerum vniuerſitate, quæ. 384

F

Fantaſma.

FAntaſmata de ſe non agunt in intellectum. 117
Ad Fantaſmata conuerſio, non eſt intellectio. 121
Fantaſma impropriè dicitur cauſa ſpeciei intelligibilis. ibid.
Fantaſma ſecundum eſſe, in genere ſenſibili, ſecundum relucentiam, in genere intelligibili. 399
Fantaſma non eſt ſufficiens motiuum ad intellectionem. 400
Fantaſma quomodo contineat rerum ſimilitudines. 532

Fœlicitas.

Fœlicitas in quo ab Ariſt. & Platone poſita. 818
Fœlicitatem poſuerunt Philoſophi in cognitione entium abſtractorum poſſibili. 829

Forma.

Forma duplex, partis, & totius, quæ eſt aggregatum ex materia, & forma. 241
Formarum triplex gradus. 610
Formarum triplex genus, & earum ad inuicem differentia. 744
Formæ ſubſtantialis, & accidentalis quinque differentiæ, & earum ordo. 859
Formarum diſtinctio poteſt eſſe abſque diſtinctione formali. 287
Forma naturalis ſubſtantialis quæcumque habet eſſentiam incompletam. 856
Forma eſt magis ens, quam compoſitum. 126
Forma partis eſt quodquid rei, tamquam radix. 244
Forma partis poſita nō ponitur rei quidditas, ſed bene poſita forma totius. 253
Formæ ſubſtantiales ſunt ſicut numeri, & figuræ. 902
Forma eſt primus terminus generationis, ſecundarius creationis. 910
Formæ non propriè fiunt, vel producuntur, ſed compoſita. 931
Forma ſubſtantialis poteſt dici terminus intrinſecus, & extrinſecus alterationis. 910
Formam vniri materiæ diſpoſitæ, pluribus viis contingit. 931
Forma, & actus receptibilis in aliquo ſubiecto, habent proprium potentiale in illo ſubiecto. 880
Forma dum introducitur in materia non aufert ab ea modum ſuæ receptibilitatis. 613
Forma potius dicitur actus, quam terminus materiæ. 632
Forma eſt prior materia, vt exiſtens. 643
Ob Formæ diuerſitatem eſt materiæ diuerſitas, & è contra, & quare. 800
Ex Forma, & materia fieri vnum per ſe, eſt propoſitio per ſe nota. 860
Ex Forma, & materia fit vnum, ſicut ex cera, & figura, explicatur. ibid.
Forma ſubſtantialis quamuis incompleta conſtituit aliquod ſubſiſtens. 907
Forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter. 910
Formam introduci in materia nuda, variè explicatur. 932. 933. 934
Formas aliquas inanimatorum eſſe Etherogeneas non inconuenit. 916
Forma eſt cauſa finalis indiuiduationis. 292
Forma de ſe eſt vna, non tamen de ſe eſt vna numero. ibid.
Formæ dat vniuerſalitatem poſſe eſſe in alio, eſſe vero in alio, dat illi indiuiduationem. 308
Forma diſtinguit id cuius eſt forma ab alio dupliciter, vt forma, & vt hæc forma. 326
Formarum pluralitas ex pluralitate eſſentialium

…tialium prædicamentum non habetur, ſed è contra. 354
Forma ideo eſt multiplicabilis, quia receptibilis. 679
Forma ſubſtantialis in quolibet viuente eſt vna. 902
Formas ſubſtantiales non poſſe eſſe plures in eodẽ cõpoſito, pluribus probatur. 907
Forma non cauſat eſſe efficienter. 580
Forma poteſt impediri, ut ab ea fluat eſſe. 639
Forma poteſt eſſe ſine proprio eſſe, non tamen ſine proprio, vel alieno. 640
Formæ quomodo per elongationem à materia ſumant perfectionem. 586
Formalis cauſa dicit perfectionem cum imperfectione. 644
Formæ priores cur requirantur in materia pro formæ poſteriori, qua adueniente corrumpuntur. 903
Forma præcedens non habet rationem potentiæ cum poſteriori. 909
Formæ diſponẽtes ad quid præcedãt. 915
Forma non eſt differentia, ſed differentiæ principium. 746
Forma, vt forma eſt, dicit partem rei, vt differentia, dicit totum. 839
Forma eadem ſub vna ratione ſumitur ratio generis, ſub alia ratio differentiæ. 905
Forma eadem ſub diuerſa conſideratione dat eſſe hominis, & animalis. 918
Formæ accidentales ſunt ſimplices, & ſe totis actus. 864
Forma recedente, recedunt accidentia cõſequentia materiam, & quare. 869

G

GEnus duplex, Logicum, et Phyſicum. 754
In Genere poteſt poni omne, quod ex actu & potentia componitur. 836
Ad Generis eſſentiam duo requiruntur. 941
Genus, & differentia non differunt realiter. 346
Genus, et differentia diſtinguuntur ratione, quæ habet fundamentum in re. 350
Inter Genus, & differentiam poteſt poni diſtinctio formalis. 351
Genus dicitur indeterminatum, & differentia determinata, non ex parte rei, nec ſecundum conceptum eorum principalem, ſed indeterminatum, & determinatum ſunt modi rationis conſequentes modum quo iſta intelliguntur. 347 & 348
Genus, & differentia differunt iuxta cõceptus quidditatiuos. 348
Genus dicit totum, quod eſt in definitione, & ſimiliter differentia implicite. 357
Genus continet differentias in potentia. 329
Inter Genus, & differentiam, ac materiã, & formam proportio. 334 & 838
Genus non prædicatur per ſe de differentia, ſed per accidens, ex parte conceptus, & media ſpecie. 363
Genus, & materia, differentia, & forma ſecundum ordinem rerum maxime differunt, conueniunt autem iuxta ordinem conceptuum. 840
Genus dicitur de ſpecie in recto. 356
Genus eſt pars eſſentialis ſpeciei, ſpecies pars ſubiectiua generis. 373
Genus definitum fuit à Porphirio pro ſecunda intentione. 408
Genus, ſpecies, differentia dicunt totum rei; principia vero ipſorum formalia partem tantum. 746
Genus, & differentia ſunt velut paſſiones rei, quæ eſt in prædicamento. 834
Genus continet perfecte ſpecies in genere naturæ, ſecus in genere ſcibili. 34
Genus muli an detur, & quo modo ſumptum. 84
Genus Phyſice non vnam determinatam natu-

naturam, ſed plures formaliter ſignifi-
cat. 935
Genus quare non eſt vniuocum phyſice, ſed logice tantum. 936
Genus primum in accidentibus vnde ſuma-
tur. 280
In Genere primum eſt cauſa cæterorũ, verum etiam de genere analogo. 865

Generatio

Generatio eſt de non ente, intelligitur nõ de mutatione ipſa, ſed de termino. 642
Generatio terminatur primo ad formam, ſecundario ad eſſe, vt ad duos terminos formaliter ſubordinatos. 710
Generationem tollebant philoſophi anti-
qui. 910
Generatio eſt quando totum trãſmutatur, nullo remanente ſenſibili ſubiecto. 911
Generatio non eſt motus. 912
Generatio ſubſtantialis alteratio ab Auer
rhoe dicta. 913
Generans hominem, & animã creans, non ſunt agentia diſparata, ſed ſubordinata.
914
Generans, & genitum ſimilia, quomodo intelligendum. 483

Gradus.

Gradus entium debent omnes eſſe in mun
do, non tamen ſub omni perfectione ſi-
bi poſſibili. 611
Graduum combinatio non eſt neceſſaria ad perfectionem vniuerſi. 616
Gradus intellectiuus omnium præſtantiſ-
ſimus. 750
In Gradu nobiliſſimo quomodo conueniant Intelligentiæ. 751

H

Habitus.

Habitus quinque intellectuales poſiti ab Ariſtotele. 7
Quomodo varie perficiant intellectum.
ibidem.
Habitus idem ratione diuerſo lumine

Homo

Homo cur generet hominem 948
Homo generans hominem, ne extremo ſit ſufficit ſimpliciter, ſed aliquo modo, quia cauſat coniunctionem vtriuſque. 905
Homo generans quãuis non attingat pro-
ductionem animæ, non ob id imperfe-
ctior eſt alijs generantibus. 914
Homo viator in quacumque cognitione perfecta etiam, ſui ipſius format ver-
bum. 517
Homo quilibet habet proprium intellectũ poſſibilem, & agentem diſtinctum ab il
lo alterius. 592
Homo, & anima in dignitate ſe habent ſi-
cut excedens, & exceſſum. 599

I

Idea

IDeæ quomodo à Platone ſint poſitæ, et ab Ariſt. impugnatæ. 383. & 434
Idea quid dicat in Deo. 415
Idea materiæ non eſt alia ab illa compoſi-
ti. 929
Idea accidentium à ſubiecto inſeparabiliũ non eſt alia ab idea compoſiti. ibid.

Intellectus

Intellectus triplex operatio, quomodo per accidens coniungatur. 39
Intellectus non eſt vnus vnitate rei intel-
lectæ, nam ipſa vnica relatione ad plu-
res intellectus refertur. 558
Intellectus agentis, & poſſibilis neceſſitas.
532
Intellectus in cognitione procedit ab im-
perfecto ad perfectum. 798
Intellectus humanus quare non poſſit co-
gnoſcere ſingulare materiale, bene tamẽ intellectus Diuinus, & Angelicus. 97
Intellectus non poteſt apprehendere rem ſeparando ab ea, ea quæ competunt ſi-
bi in primo modo per ſe. 387
Intellectus intelligit res materiales in ipſis
ſe, licet depuratas à conditionibus in-
diui-

diuiduantibus. 401
Intellectus noſter quare de diuinis perfectionibus varios formet conceptus. 785
Intellectus noſter pro hoc ſtatu non poteſt ſubſtantias ſeparatas quidditatiue cognoſcere. 820
Eius tamen ad eas cognoſcẽdas diſpoſitio, non eſt more necitatis. 825
Intellectus noſter quare perficitur ab excellenti intelligibili, non ſenſus ab excellenti ſenſibili. 821
Intellectus poſſibilis, vt res, & vt intellectus, aliter, & aliter perficitur. 95
Intellectus agens eſt nobilior poſſibili, & eius neceſſitas. 100
Intellectus poſſibilis quare ſic dictus, & quid, & à quo patiatur, & multa de intellectu etiam agente. 396. & 528
In Intellectu agente, & poſſibili eſt res ad extra obiectiue. 403
Intellectus poſſibilis non abſtrahit, quia totum quod ſibi offertur in ſpecie recipit. 399
Non dari intellectum agentem, neque poſſibilem vnum omnium hominum, pluribus probatur. 535
Intellectus agentis duo ſunt termini, ſpecies, & res ad extra. 401
Intellectus agentis effectus eſt omnia facere, natura intellectus poſſibilis eſt omnia fieri. 530
Intellectus in habitu, eſt intellectus ſpeculatiuus, conſtans ex intellectu agente, & poſſibili. ibid.
Intellectum agentem eſſe Deum, D. Thomas numquam tenuit. 398
Intellectus poſſibilis varie acceptiones, & varia nomina. 529
Intellectus agens, & poſſibilis ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ, ſe habentes, vt agens, & materia. 402
Intellectus agens, & poſſibilis, quomodo ad inuicem ſe habeant. 826
Intellectus vnitur corpori propter bonum animæ, ſcilicet intellectionem ſibi naturalem, non propter bonũ materiæ. 94
Intellectus quomodo habeat ſpeciem ſubſtantiæ in Euchariſtia, cum ibi non ſit. 826
Intellectus patitur ab obiecto, non ſecundum eſſe reale, ſed intentionale. 492
Intellectus non eſt abſtractior anima, ſed habet aliũ modũ abſtractionis. 618

Intellectio, Intelligere.

Ad Intellectionem quot concurrant, & requirantur. 84. & 495. & 504
Intelligere non eſt formaliter agere, nec formaliter pati, ſed actiue, paſſiueque vitaliter operari. 506
Intellectio eſt terminus ex actione, ac paſſione vitali intellectus emanans. ibid.
Intellectionis terminus per accidens, eſt ſpecies expreſſa, terminus per ſe, eſt fieri res intellecta. 508
Intelligere non poteſt, qui non ſentit. 822
Intelligere abſtracta eſt tantum ſecundum quid nobiliſſima perfectio animæ. 830
Intelligere non dependet à materia, varie exponitur. 867
Intelligere ex qua actione, & paſſione proueniat. 506
Intelligere eſt, pati non formaliter, ſed cauſaliter. 493

Intelligibile.

Intelligibile in potentia, quomodo fiat intelligibile in actu, & intelligatur à nobis. 368. & 402
Intelligibile formaliter, diſtinguitur ab intelligibili obiectiue. 399
Intelligibile quomodo aliquid primo fiat. 471
Intelligens ex hoc ipſo quod intelligit, format verbum, tenet in cognitione naturali creata. 315

Indiuiduum.

Indiuiduationis materialitas quæ ſit & vnde
eſt

eſt nana. 255
Indiuiduum dupliciter, pro ſingulari ſubſtantia quacumque, deinde pro ſubſtantia completa exiſtente ſeorſum ab alijs. 851
Indiuiduum quid ſit. 256. & 668
Indiuiduum pro ſecunda intentione, quo formaliter fiat. 256
Indiuiduum pro prima intentione, quid requirat. ibid.
Indiuidua duo tripliciter ad inuicem comparantur. 286
Indiuiduatio eſt conditio ſine qua non indiuiduum ponatur in prædicamento. 291
Indiuidua diuerſarum ſpecierum, quomodo realiter diſtinguantur, & quomodo formaliter. 451
Indiuiduum quodlibet, cuius eſſe diſtinguitur ab eſſentia, habet plura quidditatiua prædicata. 844
Indiuidua quomodo in accidentibus, præſertim in quantitate conueniant. 871
Indiuiduis omnibus eſſe aliquod accidens commune, non infert accidens illud eſſe ſpecificum. 872
Indiuiduationis principium inſufficienter poni hæccheitatem, probatur. 259
Indiuiduationis cauſa finalis eſt forma, formalis, materia ſignata. 292
Indiuiduationis principio ſufficit complere naturam, reddereque ipſam irreceptibilem, & incommunicabilem. 669
Indiuidui vnitas numeralis eſt modus ſubſtantialis, de genere ſubſtantiæ reductiue. 257
Indiuiduum eſſe incommunicabile in ſe, & diſtinctum ab alijs, nõ ſunt duæ proprietates diſparatæ. 268
Indiuiduum eſt vnum nedum de genere ſubſtantiæ, ſed de genere quantitatis etiam. 286
Indiuidui vnitas de genere ſubſtantiæ, eſt formaliter vnitas transcendens. 302
Indiuiduum quo modo habet eſſe, habet & vnitatem reſpondentem illi eſſe. 304
Indiuidua plura licet habeant vnitatem negatiuam formalem, quia ſcilicet non ſunt diuerſa formaliter extra animam, non tamen conueniunt in aliquo vno communi, niſi ſecũdum rationem. 445
Indiuiduum in ſe eſt vnum vnitate reali, at ſimul cum alijs vnitate rationis. 447

Intentio.

Intentio, & ſubiectum libri idem ſunt. 4
Intentio duplex, totalis, & partialis. ibid.
Intentionis primæ, & ſecundæ nomina. 325

Immaterialitas.

Immaterialitas quomodo per virtutem intelligendi probetur de aliquo. 568
Immaterialitas probat intelligendi virtutem. 568

Infinitum.

Infinitum proceſſum quando contingat dari. 705
Infinitum ſecundum eſſe non poteſt poni in determinato genere. 761
Infinitum ſecundum quid ponitur in genere. 763
Duplex infinitas declaratur. 794

L

Logicum.

Quid conſideret logicus. 197 & 878
Quid logici generis vniuocationi ſit ſatis. 336
Triplex in logica ſubiectum. 5
Logicus reponit res in prædicamento, non abſolute, ſed vt ſic, vel ſic ſignificatas. 879
Logicum genus quid dicat. 337
Logicum genus vnde ſumatur. 754

M

MAteriam primam differre à materia nuda declaratur. 917

Materia

Materia communiter, & proprie dicta, et quænã ab Intelligentijs arceatur. 609
Materia eſt ſubſtantia abſoluta à termino, non ab actu. 186. & 632
Materia habet propriam eſſentiam diſtinctam à forma. 186. & 626
Materiæ potentia non eſt eius proprietas, ſed eius eſſentia. 187. 630
Materia quomodo dicatur eſſe eorũ, quæ ſunt ad aliquid. 193
Materia communis eſt pars quidditatis, non materia ſingularis. 245
Materia ſenſibilis eſt, quæ habet fundamentum motus pro differentia intrinſeca. ibid.
Materia non eſt vniuerſale, niſi ſecundum nomen, non enim habet vnam naturam communem pluribus. 310
Materia ſecundum eſſentiam eſt in multis, non tamen ſecundum totam eſſentiam. ibid.
Materia prima, eſt vna numero negatiue omnium generabilium. 337
Materia ſecundum ſe eſt vna numero poſitiue in potentia, ſicut eſt ens in potentia. 340
Materia ab Ariſt. dicitur non ens. 619
Materia eſt concreata, & comproducta. 626
Materia eſt incorruptibilis. 627
Materia eſt pura potentia. 628
Materia eſt actu materia, nõ tamẽ actus, vel in actu, vel ſub actu. 635
Materia prima, quomodo ſit æterna apud Ariſt. 692
Materia non eſt genus. 837
Materia non prædicatur in recto de re. 838
Materia poteſt dici ſubiectum remotum, & quo accidentium. 923. & 926
Materia toto tempore præcedenti eſt ſub vna forma, & in vltimo inſtanti ſequens introducitur. 932
In Materia non eſſe ponendam quantitatem interminatam ſuadetur. 936
Materia non determinatur ab anima, vt ſit ſub forma cadaueris effectiue, ſed ordinabiliter. 953
Materia per Dei potentiam abſolutam nõ poteſt abſque forma exiſtere. 639
Materia exiſtit in qualibet differẽtia temporis dum cauſat, non tamen pro omni ſigno naturæ, quo intelligitur cauſare. 641
Materia dicitur magis receptiuum quam ſubiectum formæ. 856
Materia ſine forma non eſt corpus de genere ſubſtantiæ, vt quidã aſſerunt. 928
Materia eſt ſubiectum formæ, ſecundum ſeipſam, huius vero, vel illius formæ, per diſpoſitiones. 938
Materia vt materia primo reſpicit formam, materia vt ſignata, primo reſpicit quantitatem. 279
Materia vt capax quantitatis dicit quid realiter diſtinctum à materia. 284
Materia vt reſpicit quantitatem, quomodo differat à materia, vt reſpicit formam. ibidem.
Materia ſe habet ad quantitatem, vt ſubiectum, quatenus capax, & vt radix, quatenus cauſa. 285
Materia dat huic homini eſſe hic, forma dat eſſe hic homo. 293
Materia vt ſic eſt prior quantitate, non vt eſt principium indiuiduationis. ibid.
Materia ſignata non eſt differentia, vel proprietas indiuidualis, ſed id à quo ſumitur differentia. 294
Materia eſt tantum occaſio indiuiduationis Animæ intellectiuæ. 799
Materia diuerſificatur propter formam. 800
Materia numquam eſt ſine quãtitate. 931
Materia non poteſt dici diuiſa quantitate extrinſeca. 953

Materia non poteſt cognoſci ſine habitudi ne ad formam. 184.& 185
Materia quomodo cognoſcatur eſſe vna numero abſque forma. 339
Materia principium corruptionis. 614
Materia ſi nō remaneret, non fieret corruptio, ſed annihilatio. 912
Materiæ cauſalitas eſt paſſiua, conſiſtens in pati, & moueri. 642
Materia intelligibilis eſt ſubſtantia denudata qualitatibus ſenſibilibus. 189
Materia intelligibilis, quare ſic dicta. ibid.

Menſura.

Menſura non poteſt eſſe vniuoca menſurato, ideo non in eodem genere vniuoco, ſed analogo. 764
Menſuræ ratio, quomodo negatiuis, et Vni conueniat. 750

Mathematica.

Mathematicæ procedunt ex notioribus ſecundum ſe, & quo ad nos. 126
Mathematicæ, dempta aſtrologia non ſunt de ſubſtantia ſubiectiue, primo, & explicite, ſed terminatiue. 190
Mathematicæ definitiones, non includunt ſubſtantiam proxime, ſecus completiue. ibid.

Metaphyſica.

In Metaphyſica triplex ſubiectum. 7
Metaphyſica ponitur, & aufertur ad poſitionem, & ablationem ſubſtantiæ abſtractæ. 8
Sola Metaphyſica conſiderat de aliquo, vt ens eſt præciſe. 38
Metaphyſica eſt latiſſimi ambitus. 45
Metaphyſicales termini maxime vniuerſales, & difficillimi cognitu. 61.& 81
Metaphyſica quare ſit difficillima. 62
Apud Metaphyſicum ſubſtantia non dicitur de aliquo. 480.& 481
Metaphyſicus eſt artifex vniuerſaliſſimus. 658
Metaphyſicus conſiderat de intellectu, vt intellectus abſolute eſt. 858
Metaphyſici eſt conſideratio de anima humana, vt intellectiua eſt ſimpliciter, & vt à corpore eſt ſeparabilis. 859
In genere Metaphyſico vnumquodque reponitur ratione ſuæ eſſentiæ. 878

Miſericordia.

Miſericordia maxima virtutum, & quare. 233

Motus.

Motus non eſt eſſentialiter actio, et paſſio, ſed tantum permiſſiue. 131
Motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, quomodo intelligitur. 722
Motus Cœli non eſt adæquatus effectus intelligentiarum, ſed deficiens, & particularis. 831
Mouens omne eſt agens, non e contra. 690

Molina.

Molina quoddam Caiet. dictum, parum in fide tutum, immerito prorſus appellat. 182
Molina quædam minus digna enunciat de D. Thoma. 671

Mundus.

Non foret mundus vniuerſus, niſi in eo rerum omnium ſpecies eſſent. 37
Quid ad mundi perfectionē ſufficiat. 616
Mundus potuit eſſe ab æterno. 689

N

Natura.

Naturæ multiplex acceptio. 385
Natura differt à ſuppoſito in materialibus phyſice, & metaphyſice, in immaterialibus metaphyſice tantū. 650
Natura abſoluta quam habitudinem non præcedat. 802
Natura ab ijs, quæ ſibi accidunt, vt eſt in ſingularibus, acquirit aliquid reale, ab his, quæ ſibi accidunt, vt eſt in intellectu, aliquid rationis. 386
Natura ſecundum ſe eſt res, quæ prædicatur de indiuiduis, ſuperioritas autem, vel

vel æqualitas eſt conditio. 388

Quod Natura prædicetur, ratio non eſt eſſe in intellectu, ſed id ſibi debetur ſecũdum ſe abſolute. 389

Naturam in intellectu eſſe vniuerſalem, tripliciter intelligitur. 403

Natura neque ſecũdum eſſe eſſentiæ, neque exiſtentiæ eſt vna in indiuiduis, vt ſic. 393

Natura vt exiſtit extra animam, nullam habet vnitatem, neque poſitiuam, neque negatiuam. 441.442

Natura inquantum huiuſmodi, licet non ſit propria alicui, non tamen dici poteſt non propria. 443

Natura quomodo extra intellectum realiter, & ſecundum ſe poteſt dici vna. 449

Natura dicitur vniuerſalis, quatenus eſt in intellectu, nõ intelligitur ſubiectiue, ſed quatenus per intellectum abſtrahitur. 476

Natura conſeruationem ſpeciei quomodo intendat. 483

Natura dupliciter finiri poteſt. 739

Naturalis Philoſophia.

Naturalis philoſophia, non eſt vna ſcientia ſpecie. 28

Naturali philoſophiæ ſubiectum adæquatum, nõnulli corpus generabile, & corruptibile falſo accommodarunt. 30

Naturalis philoſophia eſt de omnibus mobilibus. ibid.

Naturalis philoſophia adhuc remaneret, ſi ſola corpora cæleſtia eſſent. ibid.

Non ſequitur, corpus mobile eſſe adæquatum ſubiectum philoſophiæ naturalis licet ſit illud, cui conuenit corruptibilitas tamquam adæquata paſſio. 252

Naturalis philoſophus naturas conſiderat. 336

Apud philoſophum naturalem animal nõ eſt genus vniuocum. ibid.

Nomen.

Nomina Eſſentiæ varia, & quomodo diſtinguantur. 137

Nomen collectiuũ quid importet, & quomodo verificetur abſolute prolatũ. 461

Nomina diſtinguuntur per res, non per conceptus. 136

Nomen ſignificat conceptum, tam formalem, quam obiectiuum. 152

Nominare rem magis diſtincte, quam ſit concepta, eſt impoſſibile. 136

Nomina dicta de materialibus, et ſpiritualibus creaturis, analogice dicuntur, indefinite intelligendum. 597

Notius.

Notiora nobis, & notiora naturæ ſecernuntur, & declarantur. 124

Non eadem nota nobis, et naturæ, fallit in mathematicis; eadem propoſitio in naturalibus eſt indefinita, & fallit aliquando in via demonſtrandi. ibid.

O

Obiectum.

OBiecti acceptiones variæ. 6

Obiecti nomina plura. 5

Obiectum quotuplex. 7

Obiectum attributionis, & adæquationis in quo differant. 8.& 9

Obiectum adæquatum, et principale, quando diſtinguantur. 9

Obiectum intellectus noſtri duplex, intenſiuum, & extenſiuum. 830

Obiectum ab intentione libri nõ differt. 4

Obiectum quare dicatur quandoque ſubiectum. 6

Obiecti adæquati conditiones. 9

Obiectum non eſt neceſſe habere partes. 11

Obiectũ continet veritates ſuæ ſcientiæ, vt radix prima ſufficiens in ſuo ordine. 34

Obiectum eſſe à ſcientia ſupponitur. 35

Obiectum quomodo aliquando à propria ſcientia probetur. 39. & 43

Obiectum habet duplicem rationem. [illegible]

Obiectum, quam vnitatem habeat ex hac vtraque ratione. 13
Obiecti, principiorum, & diffinitionum diuerſitas ſe conſequuntur. 23
Obiectum ſcientiæ realis neceſſario eſt reale, non tamen modus obiecti. 484
Obiectum in potentia præſupponitur potentiæ, non tamen modus. ibid.
Obiectum quomodo dicatur mouere potentiam. 51
Obiectum intellectus dicitur vniuerſale non in eſſendo. 95

Operatio.

Operationis vitalis natura. 535
Operationes ſunt ſuppoſitorum, non tamen ſemper primo. 867

Ordo

Ordo vniuerſi ordinatur ad primum principium. 9
Ordo neceſſarius inter formam corporeitatis, & alias. 68
Ordo quid ſibi velit. 87
Ordines differunt ſeipſis. 312
Ordo quem dicit materia ad formam cadit neceſſario in cognitione materiæ. 186
Ordines duo præcipue in rerum vniuerſitate. 597

P

Paſſio.

Paſſio pro abſolutam Dei potentiam poteſt ſeparari à ſubiecto. 964
Paſſionis propriæ ſubiectum eſt cauſa in triplici genere cauſæ. ibid.
Paſſiones entis dicunt abſolutum cum reſpectiuo. 415
Paſſiones entis addunt enti, vel relationes rationis, vel negationes. 416
Paſſio realis quomodo competat ſubiecto vniuerſali. 481

Pars.

Pars non prædicatur de toto vt ſic. 329

Perfectio.

Perfectio ſimpliciter, & perfectio ſecundum quid declaratur. 229
Perfectio ſimpliciter eſt melior ipſa, quã non ipſa incompoſſibiliter; perfectio ſecundum quid eſt melior, quam non ipſa contradictorie. 230
Perfectio ſimpliciter, quæ, & quot requirat. 233
Perfectionem dicere, & inferre, differunt. 234

Plato.

Plato rerum Ideas quibuſdam locis aſſeuerauit. 383. & 454
Platonis duo potiora fundamẽta pro ideis locandis. 454
Platonem quomodo accipiat Marſilius Ficinus, quo ad ideas. 383
Plato varijs in locis quædam de Demonibus enunciauit. 606
Plato de natura materiæ multa pulchre ſcripſit. 629
Plato voluit, Intelligentias habere eſſe à prima Cauſa, et agnouit creationẽ. 683
Plato animã vegetalẽ à Cœlo negauit. 718
Plato ſenſus etiã ab eodem ſemouit. 720

Potentia.

Potentia eſt abſoluta à termino, non ab actu. 16. & 632
Potentiæ, quæ ordinantur ad operationes, & diſponunt ſubiectum ad actum ſecundum tantum, ſunt in ſecunda ſpecie qualitatis. 633
Potentiam obiectiuã non dari vltra actiuam, & paſſiuam probatur. 367
Potentia Dei duplex, ordinaria, & abſoluta. 638
Eſſe in potentia ſubſtantiali, & in potentia eſſentiali, valde differunt. 494
Potentia, quæ remoueatur ab Angelis. 581. & 712
Potentiæ diuerſæ, non ſubordinatæ diſcernere non poſſunt inter obiecta eiuſdem ordinis, ſecus ſi potentiæ continentur, & obiecta diuerſi ſint ordinis. 71

Poten-

Potentia ſenſibilium, & intellectualium dicitur æquiuoce. 396

Prædicamenta.

Prædicamentorum diſtinctio ſumitur ex vario modo prædicandi de prima ſubſtantia. 134

Prædicamentorum rationes, addũt rationi enim expreſſionem. 224

In Prædicamentali recta linea quid ponatur. 224

Prædicamenta non diſtinguuntur vnitate quæ correſpondet toti prædicamento, eſt enim vnitas rationis, ſed vnitatibus ſingulorum, quæ in illis continentur. 447

Prædicamentum quomodo ſit in Diuinis. 765

In Prædicamento quæ ponuntur, neceſſario componuntur ex genere, & differentia. 854

Prædicamentalis ordo vnde attendatur. 840

Prædicatum, Prædicari, Prædicatio.

Prædicatum eſſentiale debere conuenire ſubiecto ſecundum totum ſuum ſignificatum, quis ſenſus. 162

Prædicata eſſentialia, quomodo actu diſtinguantur. 353

Prædicatorum, & formarum pluralitas, quomodo ſe ad inuicem habeant. 354

Prædicandi modi ſequuntur modos eſſendi, medijs conceptibus. 362

Prædicatum quando competit per ſe alicui, non poteſt eidem oppoſitum ineſſe, fallit in tertio modo per ſe. 387

Prædicatum aliquod varia ratione poteſt alicui tribui. 662

Prædicatum accidentale arcetur à natura nedum ſecundum ſe cõſiderata, ſed etiã à natura accidentali. 385

Quod prædicatur de aliquo per accidens, prædicatur de omni eo in quo formaliter includitur, quis ſenſus. 366

Prædicari de aliquo in recto, & dicere totum ipſius conuertuntur. 33

Prædicari per ſe, quot modis contingit. 33

Prædicari per actum intellectus completur. 455

Prædicari formaliter, & fundamentaliter, quid ſit. 405

Prædicari formaliter, aliud eſt à prædicari denominatiuo. 406. & 407

Prædicatio duplex, identica, & formalis, vel metaphyſica, & logica. 361

Prædicatum de prædicato, prædicatur & de ſubiecto, ſumpto prædicari formaliter, & non variatis terminis. 404

Propoſitio.

Propoſitiones ſingulares ſunt formatæ à cogitatiua. 112

In propoſitionibus magis attenduntur conceptus, quam res. 362

Propoſitio affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua abſolute ſe inferunt, non tamen cum reduplicatiua. 444

Propoſitio collectiua quid ad ſui veritatem exigat. 461

Per ſe, & per accidens.

Per ſe tertio modo ſumitur, vt diſtinguitur contra cum alio. 388

Per aliud reducitur ad per ſe, vel quod eſt primum in tali genere, vel quod eſt primum ſimpliciter. 580

Priuatio.

Priuatio non eſt forma incboata in materia. 140

Priuatio eſt ſpecies negationis. 141

Priuatio eſt ens tantum, vt fundat veritatem propoſitionis. ibid.

Priuatio eſt in rerum natura abſque opere intellectus, vt negat aliquam formã, non dicens tamen aliquam eſſentiam. 142

Priuatio dicit magis formaliter aptitudinem, quæ tamen priuatiuum quodd im eſt, licet reale, quam negationem. 143

Priuatio non dicit duas negationes. 144

Priuatio

Priuatio quomodo dicat, vel nō dicat compoſitionem realem cum materia. 145
Priuatio eſt verum principium in fieri, & velut conditio ſine qua nō, nec proprie corrumpitur, niſi ſecundum denominationem. 147

Principium, Primum, Prius.

Principia ſunt priora ſubiectis. 24
Principia ſcientiæ duplicis generis. 26
De Principijs ſermo maximi eſt momenti, & quare. 50
Primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum, intelligitur de genere analogo. 865
Prius ſine poſteriori facilius concipitur. 66
Prius non ſemper poteſt eſſe abſque poſteriori. 644. & 661
Prius non includit formaliter ſuum poſterius. 774

Prologomena.

Prologomena, quæ, & quot. 1

Perſonalitas.

Perſonalitas eſt terminus vltimus, ac purus naturæ. 653
Perſonalitas humanitatis Chriſti, quomodo profluerei relicta à Verbo. 661
Perſonalitas abſolute non eſt de eſſentia naturæ. ibid. & 678
Perſonalitas Chriſti, & noſtra, ſunt diuerſæ valde rationis. 661
Perſonalitatem naturæ humanæ aſſumptæ præuenit Verbum. 656

Probabile.

Probabilis eſt modus dicendi Soncinatis de conceptu entis, at probabilior ille Caietani. 162
Probabile eſt, ens eſſe analogum ſubſtantiæ, & accidenti, non autem omnibus, quæ deinde entia ſunt, ſed probabilius eſt oppoſitum. 204
Probabile eſt, id ſolum claudi ſub ente prædicamentali, quod de ſe exiſtat, ſed probabilius eſt, id etiam cōtineri, quod quauis exiſtentia poſſit exiſtere. 627
Probabilitas ſententiæ D. Thomæ de natura humana in Chriſto, quæ propriam non habeat exiſtentiam. 654
Probabilius eſt, exiſtentiam perfectiorem eſſe eſſentia. 700
Quomodo probabile ſit, actualem rationis diſtinctionem eſſe in Deo ab æterno, & quomodo contrarium probabilius. 787
Probabile eſt, accidentia illa, quæ eadem in viuo, & mortuo indicat ſenſus, eſſe eadem numero. 945
Longe probabilius eſt oppoſitum. 945

Q

Quidditas, Quid rei, & Quid nominis.

QVid nominis, & quid rei de ſubiecto preſupponitur in ſcientia. 37
Quid rei, & quid nominis manifeſtantur. 52
Vnde quid nominis, & quid rei originem habuerit. ibid.
Quid nominis eſt inter omnes inquiſitiones prima. 53
Quidditas rei materialis ſola cognoſcitur à nobis per propriam ſpeciem, ſaltem motiuam. 63
In Quidditatis ſpecie elucent omnes conceptus vniuerſales. ibid.
Quidditatis, quomodo ſit quidditas. 137
Quodquideſt, eſt idem cum eo cuius eſt varie explicatur. 658
Quidditatem omnem, vt ſic eſſe communicabilem, falſum eſt. 676
Quidditas poteſt offerri intellectui ſub ratione vniuerſalis. 676
Quidditas quæ eſt ſua exiſtentia, quare non poſſit eſſe in aliquo genere. 758
Quidditatem cognoſcere, non eſt cognoſcere quidditatiue. 895

Quid-

Quidditas non dicitur vniuoce de quidditatibus ſenſibilium, & abſtractorum. 819
Quidditatiue cognoſcere, quid ſit. 382
Quodquideſt non variatur in eodem ſuppoſito, ſed eſt vnum, ab vna forma deſumptum. 918

Quæſtio.

Quæſtio An eſt, quomodo ſit ſcientifica. 19.
Quæſtio An eſt, quare non ponat in numerum. 718
Quæſtio omnis ſupponit aliquam cognitionem. 53
Quæſtio de diſtinctione eſſe ab eſſentia, difficillima iudicata. 698

Quantitas.

Quātitas eſt principium omnis diſtinctionis numeralis, vel formaliter, vel virtualiter, vel ipſa, vel præhabens ipſam. 286
Quantitas non concurrit ad indiuiduationem, vt conditio ſine qua non. 290
Quantitates differunt ſitibus propriis. 312
Quantitas ſequitur materiam. 931
Quantitas interminata, et terminata, quid ſint, & quomodo quantitas terminata ſequatur formam. 305
Quantitas terminata variatur materialiter in puero, & ſene, non autem formaliter. 306
Quantitas interminata quid ſit. 929
Quæ ſit quantitas terminata. 930
Quantitas interminata non differt realiter à terminata, ſed ſecundum rationem. ibid.
Quantitas interminata nullo modo eſt in materia ſubiectiue. 932
Quantitas ſi eſſet coæterna materiæ, eſſet unum de principiis naturalium rerum. 936
Quantitas non eſt in materia actu, quando introducitur forma, ſed radicaliter. 938
Quantitas formæ præcedentis recedit in aduentu formæ ſubſequutis. 922

R.

Rationalitas.

Rationalitas non eſt differentia, ſed differentiæ principium. 219
Rationale, & irrationale quomodo ſe habeant ad animal. 753

Res.

Res creatæ non exiſtunt, vel ſunt ex ſe, ſed per eſſe additum propriæ eſſentiæ. 705
Res vna actualiter, multiplex virtualiter, plures conceptus cauſare poteſt. 857
Res eſt, quæ ſcitur, definitur; vniuerſalitas autem conditio, vel modus rei diffinibilis, ſcibilis, &c. 482
Res intellecta vt ſic, licet per plures ſpecies ad diuerſos conceptus referatur, vnica tamen relatione ad omnes refertur, ideo eſt vnum intellectum omnino. 551
Rerum nobilitas, atque varietas, vnde ſumatur. 585
Rerum perfectio quomodo ſumatur ex maiori vel minori receſſu à Deo. 588
Res receptibilis in alio, realiter irrecepta, eſt infinita, intelligitur non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. 740
Res in propria natura ſunt actualiter realiter diſtinctæ, ſecus dum ſunt eminentioris ordinis. 778
Rerum plurimarum ſub ſenſu poſitarum proprietates, nobis occultæ. 822
Res permanentes non corrumpuntur per vltimum ſui eſſe, ſed per primum non eſſe. 932

Relatio.

Relatio vt relatio, ſcilicet vt dicit Ad, non dicit perfectionem. 238
Relatio quomodo fundetur in Quali&c. 882
Relatiua non ab eodem [illegible] conſurgentium

tiuum, & ab omnibus, diſtinctiuum.
Relationes in Diuinis includunt formaliter eſſentiam, & e contra. 789. & 790

Recipere.

Recipere vnicuique conuenit ratione potentialitatis. 866. & 923
Recipiens omne eſt vt materia eius, quod recipitur. 838

S

Sancti Patres.

Sancti patres multi cenſuerunt Angelos corporeos. 608
Sancti patres memorãtur, qui plures Angelos ſub eadem ſpecie poſuiſſe videntur. 664
Quomodo in hoc varie poſſint intelligi, explicatur. 673
Sancti Patres ſentiunt, fuiſſe collatam Angelis gratiam iuxta quantitatem naturalium. 674
Sancti Patres docent, Angelos inferiores illuminari à ſuperioribus. 538
Sancti Patres abſolute enunciant, Deum eſſe omnes ſuas perfectiones. 777

Scientia.

Scientia eſt vna vnitate ſimplicis qualitatis. 18
Officium ſcientiæ. 21
Scientia in qua rerum ſerie ſit. 16
Scientiæ multiplex vnitas, & quæ. 13
Scientiæ quomodo ſecantur, ſicut res. 14
Scientiæ quomodo ſe habeant ad obiectum. 16
Scientia media non datur inter metaphyſicam, & mathematicam. 22
Scientiæ & vt motus in obiectum, & vt habitus conſiderantur. 22
Scientia non variatur iuxta abſtractionem totalem, ſed iuxta formalem. 32
Scientia ſupponit ſuum ſubiectum eſſe. 35
Scientificam partem à præambulari diſtingui, docet Ariſt. 38
Scientiarum extenſio vnde proueniat. 10.

Senſus.

Senſus primo percipit in obiecto rationem communem obiecti, puta colorem, quã ſpecialem, puta albedinem, imperceptibiliter tamen. 71
Senſus, & intellectus differentia circa proprium obiectum. 95
Senſus iudicium circa quæ, & quando falli contingat. 954
Sentire quomodo ſequatur animam intellectiuam. 868

Simplicitas.

Simplicitas dupliciter ſumitur, formaliter & fundamentaliter, & quid ſit vtroque modo. 232
Simplicitas, alia reſpectu contrarij tantum, alia abſolute. 233
Simplicitas aliqua dicit imperfectionem. 235
Simplicitas non eſt Diuinum attributum. 236

Singulare.

Singulare vniuerſalioris prædicati magis mouet ſenſum. 82
Singularibus ſuis æque ſunt propinqua genus, & ſpecies. 83
Singulare neque primo, neque directe percipit intellectus vnitus corpori. 93
Singulare habet magis de entitate, vt diſtinguitur contra nihil, quam vniuerſale, non tamen de entitate actuali, & intelligibili. 101
Singulare neque vt fundamentum vniuerſalis, neque ſecundum ſe, poteſt directe ab intellectu cognoſci. 102
Singulare ab intellectu cognoſci reflexe, & quomodo. 105
Singularis diffinitio ex Ariſt. & Porfirio declaratur. 104
Singulare neque cognitione directa, neque reflexa, concipitur ab intellectu, ſed tantum à cogitatiua. 113

Singularis habetur ab intellectu conceptus arguitiue; & confuſe in conceptu vniuerſalis. 114
Singulare nõ habet ſpeciẽ impreſſam. 116
Singulare ſignatum non poteſt de ſe repreſentari per ſpeciẽ vniuerſalis. ibid.
Singulare vt ſic ab intellectu percipi poteſt. 96

Significatum, Significare.

Significatum formale, & materiale, quid ſint. 332
Eadem ſignificata aliis vocibus explicata. 333
Significatum formale ſpeciei exprimitur per abſtractum, humanitas: formale, & materiale ſimul per concretum, homo. 342
Significandi modus in quo fundetur. 875
Modus ſignificandi materialis, & formalis à modo materialis ſub formali differt. 459
Significare aliquid, & ſignificare illud ex modo ſignificandi differunt. 876
Signa, vel inſtantia rationis, quid ſignificent. 952

Simile.

Simile à ſimili per accidens corrumpi, quis ſenſus. 949
Simile ſimili cognoſcitur. 813
Similitudo materiæ non recipitur in noſtro intellectu. 97

Species.

Species quomodo in genere continetur. 34
Species eſt notior genere ſecundum quid, ſecus ſimpliciter. 86
Species inæqualitate perfectionis participant genus. 195
Species inæqualiter participare genus, non intelligitur ſecundum quod participant illud; ſed ſecundum earum proprias rationem. 196
Species abſolute dicitur indiuidua. 327
Speciei conceptus formalis formaliter ſumptus componitur ex conceptu generis, & differentiæ. 370
Species multipliciter poteſt dici pars generis. 373
Species vnde ſumatur; eſt per ſe formaliter vna; eſt tantum per accidens diuerſificabilis. 415
Species quomodo dicatur ſumi ab vna forma. 436
Species quidditatis rei materialis repræſentat conceptus vniuerſales. 63
Species expreſſa quid ſit, & cuius rei ſimilitudo. 152 496
Specierum intelligibilium, & Agentis intellectus neceſſitas. 395
Species intelligibiles, deſinente actuali intellectione non deſinunt. 494
Species intelligibilis eſt comprincipium intellectionis. 498
Species expreſſa eſt quaſi terminus intellectionis. 495
Species expreſſa non tantum producitur à cognitione perfecta, ſed etiam ab imperfecta, & ſe habet reſpectu ſpeciei impreſſæ vt excedens, & exceſſum in perfectione. 498
Species expreſſa precedit intellectionem, vt intellectio ſaltem natura terminata eſt, & vt in actu ſecundo, Sequitur autem intellectionem in fieri, & vt in actu primo. 500
Species expreſſa importat qualitatem cũ reſpectu. 500
Speciei perpetuitatem aſſequitur homo beneficio generationis. 483
Magis, & minus quomodo varient, & non varient ſpeciem. 752

Subſtantiæ ſeparatæ.

Subſtantiarum ſeparatarum naturam nullus adhuc plane explicuit. 827
Subſtantiæ ſeparatæ ſunt in prædicamento, non obſtante earum ſimplicitate. 831

In Subſtantiis ſeparatis ſumitur genus, & differentia ab eadem ipſarum eſſentia. 843

In Subſtantijs ſeparatis non ſunt partes, quæ ſint res, ſed realitates. 846

Subſtantiæ ſeparatæ per quantuis potentiã non poſſunt eſſe plures in eadem ſpecie, philoſophice loquendo. 666

Subſtantiæ ſeparatæ per abſolutam Dei potentiam, licet poſſint eſſe plures in eadem ſpecie, iuxta tamen theologiæ principia non ſunt de facto. 670. & 675

Subſtantias ſeparatas non differre numero ſub eadem ſpecie, quia non habent materiam, valet gratia materiæ. 668

Subſtantiæ ſeparatæ ſeipſis indiuiduãtur, & ex propria natura. 669

Subſtantiæ ſeparatæ poſſunt dupliciter cõſiderari, in eſſe naturæ, & in eſſe beatificabili. 673

Subſtantijs ſeparatis fuit collata gratia, iuxta quantitatem naturalium, quis ſenſus. 674

Subſtantiarum ſeparatarum quidditas, vt obiecta intellectui, vniuerſalis eſt. 677

Subſtantiæ ſeparatæ, quomodo creatæ de mente Ariſtot. & Auerr. 688

Subſtantiæ ſeparatæ ſunt mobiles per accidens tantum, & extrinſece. 722

Subſtantiæ ſeparatæ ſunt entia neceſſaria ex ſe, & ab intrinſeco, ſecus ab extrinſeco. 691

Subſtantiarum ſeparatarum perfectio, nõ ſumitur ex receſſu à potentia, ſed ex acceſſu ad actum. 748

Subſtantiæ ſeparatæ conueniunt in eodem gradu intellectualitatis, non tamen in equali participatione illius gradus. 751

Subſtantiæ ſeparatæ nunquam ſunt à nobis naturaliter quidditatiue cognoſcibiles. 820. & 823

Subſtantiæ ſeparatæ an à nobis cognoſcãtur, nunquam ex intentione eſt ab Ariſtotele determinatum, licet pars negatiua ab eo colligi poſſit. 824

Subſtantiæ ſeparatæ per quas ſpecies accidentia cognoſcant. 37

Subſtantiæ ſeparatæ quare cognoſcant ſingulare materiale. 97

Subſtantiæ ſeparatæ in cognitione ſui ipſius non formant verbum. 519

Subſtantia ſeparata in cognitione aliorum format verbum, ſi ſermo ſit de cognitione diſtincta. 513

Subſtantiæ ſeparatæ quo ſuperiores, eo perfectiores, qua perfectione, & quomodo. 591

Subſtantiarum ſeparatarum multitudo à nobis cognoſci facile nequit, ignorata natura intellectus poſſibilis. 593

Subſtantiarum ſeparatarum pluralitas, quomodo ex cognitione potentialitatis in materialibus, & ex motu orbium cognoſcatur. 597

Subſtantias ſeparatas eſſe incorporeas, negari nequit abſque temeritate, non eſſet tamen hæreſis. 608

Subſtantiarum ſeparatarum eſſe eſt finitum, eſſentia infinita. 610

Subſtantiæ ſeparatæ non ſunt in potentia ad eſſe, non tamen ab eis negatur omnis potentia. 581

Subſtantiæ ſeparatæ quomodo ſint compoſitæ ex actu, & potentia. 584

Vide verbo, Sancti Patres.

Subiectum

Subiectum eſt vere cauſa ſuarum paſſionum in genere cauſæ materialis. 380

Subiectum in diffinitione accidentiũ quando ponatur loco differentiæ, & quando loco generis. 881
Ex ſubiecto, & accidente cur fiat vnum per accidens. 864
Subiectum generationis vocatur ab Ariſt. non ens, aliorum motuum ſubiecta dicuntur entia. 912
Subiectum eſſe accidentis, aliud importat, quam eſſe cauſam, et radicē illius. 923
Subiectum duplex, denominationis, & inhæſionis. 926
Subiectum quod accidentis, eſt compoſitum. 928
Subiectum accidentis, quomodo poſſit eſſe, & non eſſe accidens. 969

Suppoſitum.

Suppoſitũ diſtinguitur ab hac natura realiter, addens poſitiuum intrinſecum, ſcilicet eſſe capax actus eſſendi, vel ſubſiſtentiam. 653
Suppoſitum quomodo intelligat. 867

Subſtantia.

Subſtantiæ ſimplices nobiliores ſunt compoſitis, & earum cauſalitas explicatur. 178
Subſtantia, eſſentia, & quidditas, quomodo idem ſint. 241
Subſtantiam de ſe fieri indiuiduam, quis ſenſus. 256
Subſtantia ſecunda apud logicum dicitur de prima. 480
In ſubſtantia compoſita quattuor realiter diſtinguuntur, materia, forma, eſſentia, & eſſe. 576
Subſtantia dicitur æquiuoce de Deo, & creaturis, & quare. 763
Subſtantiam eſſe cauſam accidentium, intelligitur proprie de compoſito. 866
Subſtantiæ ſecundæ, vt ſubſtantiæ, ſunt reales, vt ſecundæ, ſunt ab intellectu. 480

Subſiſtentia. Subſiſtens.

Subſiſtentia ita terminat naturam, vt nullo modo ſit eius cauſa, nec faciat compoſitionem cum illa, velut nec punctum, cum linea. 654
Subſiſtentia reducitur ad genus ſubſtantiæ. 658
Subſiſtentia eadem, & non eadem naturæ. 654
Subſiſtens albedo, vel calor ſi daretur, contineret omnem perfectionem gradualē ſui generis, eo quod eſſet irreceptius. 738

Studere.

Studendum ſemper, iuxta Solonis, & Platonis præceptum. 819

Status.

Status ſeparationis, non eſt ſecundum, nec contra naturam animæ intellectiuæ. 823
In ſtatu ſeparato non cognoſcit naturaliter anima abſtracta quidditatiue. ibid.

Superiora.

Superiora de inferioribus materialiter tãtum prædicãtur, at formaliter aqua de æquis. 207
Superiora cōtinentur in inferioribus actu. 88

Sol.

Sol quomodo dictus ab antiquis. 179. & 453
Solem nutriri humido, & vaporibus, reijcit Ariſtoteles. 726
Soli multi effectus ab Ariſtotele tributi. 179

Theologia.

THeologia, & vniuerſaliter ſcientia, quomodo ſuum ſubiectum probet. 39

Theologia habet quædam propria, quædam appropriata. 40
Theologia quare probare poſſit, Deũ eſſe, non tamen poſſibilitatem incarnationis. 42
Theologi vno ore dicunt, creaturas eſſe obiectum mediatum, & ſecundarium diuinæ cognitionis. 98
Theologi dicunt, Angelum per eſſentiam ſuam, tamquam per ſpeciem intelligibilem ſeipſum agnoſcere. 313

Terminus.

Terminus ſyllogiſmi ex vniuerſali, & particulari propoſitione conſtantis, quomodo ſit vnus. 110

Totum.

Totius potentialis cognitio, quare vocitur virtualis. 57
Totum virtuale diſtincte cognoſci nequit, ignorato eodẽ vt totum diffinibile. ibid.
Totum aliquando dicitur relatione ad partes, aliquando ſignificat perfectũ. 375

Tranſcendentia.

Tranſcendentia omnia comitantur. 410
Tranſcendentia, ſingula quid addant ſupra ens. ibid.
Tranſcendentia competunt naturæ abſolute acceptæ formaliter, concomitatiue, & cauſaliter. 418
Tranſcendentia in nullius rei diffinitione ponuntur, & quare. 426
Vide Verbo Ens, & Verbo, Vnum.

V

Vapor.

Vapores cur ſurſum ferantur. 726
Vapores ſurſum euecti, rurſus ad terram varie deſcendunt. ibid.

Vniuerſale.

Vniuerſale in eſſendo, & in cauſando. 56
Vniuerſale ordine cognitorum præcedit, ſequitur ordine cognitionum. 53
Vniuerſale præcedit via compoſitionis, eſt vltimum via reſolutionis. 62. & 85
Vniuerſalia quomodo præcedant. 65
Vniuerſalia, quæ primo cognoſcuntur. 63 & 69
Vniuerſalia difficile cognoſcuntur, varie explicatur. 85. & 86
Vniuerſale quod fit ab intellectu, ſequitur quidem intellectum agentem, præcedit tamen poſſibilem. 121
Vniuerſale quomodo ſit in inferioribus. 310
Vniuerſalis comparatio ad inferiora, dat potius nomen vniuerſalis, quam vniuerſale efficiat. 348
Vniuerſale in prædicando triplex, & quid requiratur ad vniuerſale in prædicando. 397
Vniuerſalitas, vel ſingularitas accidunt naturæ. 439
Vniuerſale quintuplex. 453
Vniuerſale in prædicando tria habet, vniuerſalitatem, rem ſubſtratam, aptitudinem ad eſſendum in multis. 458
Vniuerſale non eſt tantum in repreſentando, vt voluerunt nominales. 459
Vniuerſalis proximum fundamentum, eſt aptitudo ad eſſendum in multis, remote res ipſa. 460
Vniuerſale non eſt ad extra in rebus, ſed fit per opus intellectus. ibid.
Vniuerſali poſitiue competit aptitudo ad eſſendum in multis, ſicut ſingulari eſſe in vno. 461
Vniuerſale quod eſt ab intellectu agente, quomodo fiat, eius proprietates, & quomodo cognoſcatur. 467. & 468
Vniuerſalis reſpectus, & comparatio ad inferiora, eſt ab intellectu poſſibili. 476
Vniuerſale non fit per huiuſmodi comparationem. 471
Vniuerſalis comparatio ad inferiora, eſt de eius vltimo complemento. 474
Vniuerſalis ratio non eſt eſſe in multis, vel dici de multis, ſed poſſe eſſe in multis.

ſit. 478
Vniuerſale, & prædicabile, per quid differant, & à quo intellectu vtrumque fiat. 474
Vniuerſale conſtituitur per comparationem, quam habet ab intellectu agente, qui ad omnia determinate ſe habet. 476
Vniuerſale vt cognitum conſurgit ex productione ſpeciei intelligibilis. 478
Vniuerſalis productio præcedit ſaltem natura productionem ſpeciei intelligibilis. ibid.
Vniuerſale quomodo ſit, dum intelligitur. ibidem.
Vniuerſale formaliter habet eſſe in fantaſmate. 479
Eſſe in pluribus non repugnantia, non ſufficit ad rationem vniuerſalis. 480
Vniuerſale eſſe vbique, & ſemper, varie exponitur. 482
Vniuerſale eſt obiectum intellectus poſſibilis, non agentis. 484

Vniuocum.

Vniuocæ ſimilitudinis fundamentum penitus vnum. 154
Vniuoca prædicatio, quæ ſit. 195
Vniuoci ab analogo lata differentia. 158
Vniuocum eſſe ens, Scotus voluit. 198
Vniuocum quare in ſuis inferioribus numeretur. 213
In definitione vnius vniuocati non ponitur aliud. 216
De vniuocatione entis poſita à Scoto, non vnum iudicium. 220
Vniuocatio non tollitur per quamuis inæqualem prædicationem. 195

Vnum, Vnitas, Vnita, Vnio.

Vnum non dicit ſolum ens, vel ſolum indiuiſionem, ſed vtrumque formaliter. 415
Vnum non eſt formaliter negatio, ſed hanc formaliter dicit. ibid.
Senſus D. Thomæ de formali Vnius ſignificato, male à quibuſdã intellectus. 416
Vnitatis tranſcendentis duplex acceptio. 418
Vnitas quomodo componat multitudinem. ibidem.
Vnum, & multa diuidunt ens. 427
Vnitas generis, & materiæ eſt diuerſæ rationis. 337
Vnitas potentiæ attenditur penes vnitatẽ, non materialem, ſed formalem obiecti, quæ ſufficit, vt ſit analogica. 227
Vnum indiuiduo, eſt vnum ſpecie, & vnũ ſpecie, eſt vnum genere ſubiectiue, non tamen ab eodem. 314
Vnitas numerica, quomodo dicatur maior, vel minor ſpecifica. 315
Vnitatis diuiſio in ſpecificam, genericam, analogicam, logica communiter cenſetur. 429
Vnitas numeralis, & formalis, quæ, & per quæ differant. 434
Vnitas formalis dicitur realis, id eſt, non fictitia, non tamen realis, id eſt, non exiſtens. 437
Vnitas tam formalis, quam realis, exiſtit extra animam. ibid.
Vnitas numeralis, & formalis ex parte poſitiui non differunt, bene tamen ex parte negatiui, licet in indiuiduo nullo pacto diſtinguantur realiter. 440
Vnitates formales tot ſunt in indiuiduo, quot prædicata quidditatiua, quæ ſumũtur ab eadem forma ſub diuerſis gradibus. 441
Vnitas formalis, quæ inter duo indiuidua ſecluſo opere intellectus reperitur, eſt tantum negatiua, nec conueniunt in aliquo communi, niſi per intellectũ. 445
Vnitas generica, & ſpecifica formaliter ab intellectu fiunt. 448
Vnita ſunt in ſuperioribus, quæ ſunt diuiſa in inferioribus. 775

Vna tantum forma ſubſtantialis datur in quolibet viuente. 902
Vnio animæ intellectiuæ ad corpus, & non anima intellectiua eſt terminus generationis. 904

Voluntas.

Voluntas vt potentia fertur primo in bonum abſolute, vt appetitus coniuncti, poteſt ferri primo in tale bonum. 72
Voluntas non fertur in bonum cognitum, eo modo quo eſt cognitum. 107
Voluntas mouetur à ſolo intellectu per propriam virtutem, à cogitatiua autem vt coniungitur intellectui. 108

Vox.

Voces ſunt notæ earũ paſſionum, quæ ſunt in anima. 32
Vox ſynonima penes quid attendatur. 793

Z

Zabarella.

Zabarella diſcrimẽ ſtatuit inter ſubiectum, & intentionem. 4
Zabarella iure reijcit conciliationẽ quandam Genuæ. 63
Zabarella falſo dicit, Iauellum ſibi non conſtare. 98
Zabarella ſibi contradicit in negotio abſtractionis. 98
Zabarella ſibi aduerſatur in natura, & cognitione materiæ. 187
Zabarella minus vere dixit, non poſſe dubitari de opinione Auerrois, quo ad principium indiuiduationis. 261
Zabarella falſo explicauit Scotum circa indiuiduationis principium. 262
In dictis Zabarellæ contradictiones. 631
Zabarella vult, intellectum agentem eſſe Deum, idque malę tribuit D. Tho. 538
Zabarella rationem quandam D. Thomæ pro pluralitate intellectus, firmiſſimam, & inſolubilem vere indicauit. 549
Zabarella falſo voluit, materiam primam ſecundum ſuam naturam eſſe corpus de cathegoria ſubſtantiæ, et id falſius nititur tribuere D. Thomæ, & Caietano. 928. & 929.

LAVS DEO.

REGE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGESTVM

†* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſſ Ttttt Vuuuu Xxxxx Yyyyy Zzzzz

Aaaaaa Bbbbbb Cccccc Dddddd Eeeeee Ffffff Gggggg Hhhhhh Iiiiii Kkkkkk Llllll

Omnes ſunt Duerniones.



ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum. MDXCVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

REGESTUM

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſſ Ttttt Vuuuu Xxxxx Yyyyy Zzzzz

Aaaaaa Bbbbbb Cccccc Dddddd Eeeeee Ffffff Gggggg Hhhhhh Iiiiii Kkkkkk Llllll

Omnes ſunt Duerniones.



ROMAE, [illegible] Zannettum. MDXCVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

M.

causal.ᵗ e' voluntas actualiter cui quia deperit primus actus substantialis
secundo e' quia per nullum tempus actus 2ᵒ non erit capax voluntas
actualiter causalitate nisi mediante primo actu subst. —

Digitized by Google